





MONVMENTA

HISTORIAE PATRIAE

LEGES MVNICIPALES



MONVMENTA

HISTORIAE PATRIAE

EDITA IVSSV

REGIS CAROLI ALBERTI

LEGES MVNICIPALES

AVGVSTAE TAVRINORVM
E REGIO TYPOGRAPHEO
MDCCCXXXVIII

REGI CAROLO ALBERTO AVGVSTO

OPTIMO LEGVM LATORI

ANTIQVARVM LEGVM MVNICIPALIVM DELECTVM

CIVILIS SAPIENTIAE EXORDIA

CVRATORES HISTORIAE PATRIAE STVDIIS PROMOVENDIS

MUTAZIONI

ACCADUTE

NELLA R. DEPUTAZIONE DI STORIA PATRIA

DOPO LA PUBBLICAZIONE DEL PRECEDENTE VOLUME

Addì 14 di marzo del 1837 alle due pomeridiane la R. Deputazione ha perduto il suo Presidente l'Eccell.mo Conte Prospero Balbo, Cavaliere dell'Ordine Supremo della Nunziata, e dell'Ordine Civile di Savoia, Ministro di Stato, Presidente della R. Accademia delle Scienze, e della Giunta d'Antichità e Belle Arti.

Questa gravissima perdita era stata preceduta da quella del Sacerdote Carlo Francesco Frasconi, Deputato a Novara, morto il 27 di novembre 1836, e fu susseguita da quella del Marchese Girolamo Serra, Vice-Presidente della Deputazione a Genova, mancato di vita il 31 di marzo 1837.

Sua Maestà si è degnata di surrogare al defunto Conte Balbo nella carica di Presidente della R. Deputazione l'Eccell.mo Cavaliere Cesare di Saluzzo, Cavaliere di Gran Cordone dell'Ordine de' Ss. Maurizio e Lazzaro, Cavaliere dell'Ordine Civile di Savoia, Governatore de' Reali Principi, Comandante Generale dell'Accademia Militare.

REGIA DEPUTAZIONE

SOVRA GLI STUDI

DI STORIA PATRIA

Presidente

S. E. il Cavaliere CESARE DI SALUZZO.

Vice-Presidenti

S. E. il Conte ALESSANDRO DI SALUZZO, Grande di Corona.
S. E. il Conte e P. P. GASPARE MICHELE GLORIA.

Segretarii

Il Cavaliere LUIGI CIBRARIO.
L'Abate e Cavaliere COSTANZO GAZZERA.

Segretario a Genova

L'Abate e Cavaliere GIAMBATISTA SPOTORNO.

Deputati

Il Barone e Commendatore GIUSEPPE MANNO.
Il Cavaliere LODOVICO SAULI.
Il Conte CESARE BALBO.
Il Conte FEDERICO SCLOPIS.
Il Cavaliere LUIGI CIBRARIO predetto.
Il Cavaliere PIETRO DATTA.
Il Cavaliere Professore AMEDEO PEYRON.
L'Abate e Cavaliere COSTANZO GAZZERA predetto.
Il Cavaliere LUIGI PROVANA DEL SABBIONE.
Il Cavaliere DOMENICO PROMIS.
L'Avvocato FELICE DUBOIN.
L'Abate FABRIZIO de'Marchesi MALASPINA.
Il Cavaliere CARLO BAUDI DI VESME.

Deputati non residenti a Torino

Il Cavaliere Lodovico Baille *a Cagliari.*

Il Cavaliere Giambatista Spotorno, predetto, *a Genova.*

L'Avvocato Matteo Molfino, *a Genova.*

Il Sacerdote Professore Giambatista Raggio, *a Genova.*

Il Cavaliere e Professore Giorgio Maria Raymond, *a Ciamberì.*

Il Primo Presidente Conte Ilarione Spitalieri di Cessole, *a Nizza.*

Il Cavaliere Giacomo Giovanetti, *a Novara.*

Carlo Muletti, *a Saluzzo.*

Monsignor Alessio Billiet, Vescovo di Moriana, *a S. Giovanni di Moriana.*

Il Canonico Antonio Gal, *in Aosta.*

Il Marchese Dionigi Arborio di Gattinara, *a Vercelli.*

Il Conte Alessandro Cozio di Salabue, *a Casale.*

Il Canonico Giuseppe Antonio Bottazzi, *a Tortona.*

La Deputazione ha eziandio varii corrispondenti nazionali ed esteri.

FRIDERICVS SCLOPIS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Quum id muneris mihi mandatum sit, ut prooemii loco aliqua huic legum municipalium editioni praemittam, nihil magis e re esse arbitror, quam ut de ratione ipsius editionis edisseram. Quae causa fuerit in primis dicam cur nuper vulgatum chartarum volumen statim hoc quod circa leges municipiorum unice versatur, nullo interposito, excipiat: quaedam postea adnotabo de istarum legum apud Italos post barbariam depulsam origine; non ideo sane ut historicum agam, sed tantum ut lectori in nostra disciplina tironi viam historiae discendae commonstrem, vel iam erudito repetendi studia modum exhibeam: postremo uniuscuiusque harum legum codicis edendi causas aperiam.

Decori et auctoritati operis quod aggressi sunt apprime consultum putarunt Curatores ab Augustissimo Rege historiae patriae studiis promovendis delecti, si principium a vetustissimis chartarum monumentis sumerent.

Etsi enim perobscura illa, hiantia, et sermone horrida nobis se offerunt, in iis tamen historiae nostrae per caliginosa tempora exordia sunt. Non desunt quos studiorum huiuscemodi incompta facies deterreat; molliusculum ingenium rigidiorem institutionem effugit, doctrinae ignarus studia irridet; neutri succenseam; parum ad veritatem assequendam idoneus

uterque mihi videtur. Sed mares animos impellam ut salebrosum iter ingrediantur, monumenta vetustissima versent, quae plena sunt antiquitatis, et nostrae aetatis institutorum origines non raro tradunt.

Statim post edita haec in lucem historiae primordia non ad alia progredi visum est Curatoribus quin prius exemplaria legum municipalium lectoribus proferrent. Optimo sane, uti reor, consilio; sunt enim haec universi iuris publici interni apud Italos incunabula; sunt potestatis post diutinas conflictationes a municipibus quaesitae praeclara testimonia. Haud excultae forma, usu tamen praestantissimae, istiusmodi leges, quibus *Statutorum* nomen datum est, expressam maiorum indolem servant, nepotibus identidem profuturae ut videant quo genere orti, quibus exemplis sint docti. Non me, ut nonnullis evenit, fastidit veterum institutorum memoria, neque novarum rerum me tam studiosum profiteor, ut praeteriti temporis doctrinam abiiciam. Quod tandem huiusmodi est, quaeso, quod nonnulli praedicant nostrorum temporum a seculis, quae praecesserunt, discidium? Longe cultiorem, libenter admittam, quam praeterlapsa aetate vitam vivimus, ampliata est legum auctoritas, scientiarum proventus in communem hominum usum adducitur, recti denique notitiam, et divinam illam iuris aequabilitatem in mores, consuetudinemque civilem transiisse laetamur; at nonne ad haec omnia maiorum nostrorum virtutes, facinora, errores, et miseriae viam nobis quodammodo straverunt? Si porro humanae res, uti verissimum est, aliae ex aliis nectuntur, qui fieri potest ut de novis, omni veterum experientia destituti, iudicium feramus? Quapropter omne tulisse punctum mihi ille videtur qui dum suis temporibus consulit, futura cogitatione praecipit, nec praeteriti temporis negligit auctoritatem. Nulla autem historiae pars aetatis nostrae moribus magis convenit quam illa quae circa instituta civitatum versatur. Post bellorum strepitum, qui Europam universam superioribus annis pervaserat, post gravissimas, quas experti sumus publicarum rerum conversiones, cunctis hominum ordinibus probatum est optimum illum statum esse, in quo maxima iuris communio inter cives, arctissima cum omni hominum genere humanitatis societas foveatur. Crevit deinde pacis studium et curiosius exquiri coeperunt documenta, quibus ita constituta sunt vitae praesidia; minus ea quae paucos, utut illustriores, tangunt, quam quae multitudinem afficiunt, recolunt nostrae aetatis historici. Publici non aliter ac

privati iuris capita continent *statuta* illis temporibus condita, quibus amplissima potestate municipia utebantur; in iure privatorum rudiora illa nunc deprehendimus, quum barbarica quadam institutione successionum ordines non parum turbati fuissent, commerciorum libertas saepe imminuta; in poenis irrogandis barbarorum asperitatem redolent, ratio namque poenarum, et iudiciorum formae pro varietate temporum et locorum variae se praebent; mitiores poenae, cautiores formae apud cultissimas gentes sunt; apud barbaros aut effrena feritas, aut dissoluta indulgentia; iudicia etiam in sortem non raro coniecta.

In hisce enucleandis longior non ero, quum legum ipsae collectiones lectorem docere melius valeant; non mihi tamen praetermittenda est distinctio ab eruditissimis viris notata inter ius municipale, et civitatum privilegia; illud inductum est quum primum multitudinis coetus iuris consensu et utilitatis communione sociaretur; huic iuri non una adscribitur origo ab illis qui de causis municipiorum in Europa constitutorum egerunt; sunt qui credant a potestate populi quum se primum per vim in libertatem vindicaret, illam fluxisse: nonnullis placet eam a Romanorum institutis trahere; aliorum sententia est initium municipiorum fuisse statim ac varium servorum genus libertatem per legem adeptum iurium Ingenuorum particeps factum est. Haec omnia de aetate quae inter Romani imperii finem, et barbariae exitum effluxit concepta videntur. Liceat mihi altius rem repetere, civitatum scilicet regimen ab ipsa intima indole societatum deducam, et celeberrimi nostri Vici [1] doctrinae assentiar, qui conversiones rerum publicarum scrutatus, post θεοκρατείαν, et post heroum vel optimatium imperium, qui duo primi fuerunt, veluti gradus et quasi processus humanarum societatum, regimen constitutum fuisse tradit quod *humanum* appellat, quodque ego Tulliana definitione [2] ponam esse *civitatem*, videlicet *constitutionem populi*. Hic primaevus, ita dixerim, in republica est ordo, sine quo homines legitime congregari non possunt; privilegia vero seu peculiares leges constitutae sunt, variis suadentibus rerum adiunctis: in illis non fontem, sed modum iuris quaerimus. Quum igitur originem iurium municipalium investigamus, non in causa con-

(1) *Principii di scienza nuova* lib. 4. — *Tre spezie di governi.*
(2) De re publica lib. I, cap. XXVI.

constituendae reipublicae versamur, sed de forma iurium retinendorum a civibus et incolis tractamus.

Tanta rerum metamorphosis, ut verbis utar Ludovici Muratorii, cuius nomini ob merita in historiam italicam nullum par elogium, *ex qua attenuata non parum fuit regia, sive imperialis auctoritas, unde originem duxerit, quove tempore coeperit, si quisquam sciscitetur, obscuram quidem rem, sed rem magni momenti, imo maximi ad historiam nostram, ideoque minime negligendam poscat* (1).

Historicorum diversa sunt de hac origine placita, eosque in tres praecipue sectas dividi posse opinor, primam cui Sigonius, alteram cui Muratorius, tertiam demum cui Leo causam praebuit.

Narrat Sigonius (2) Ottonem I imperatorem post compositas res italas, et aucto Italiae regno, regni civitates plerasque liberas, tributarias omnes reliquisse, nam quarumdam etiam perpetuos marchiones aut comites, superiore sibi reservato iure, imperator constituit. Libertatem autem civitatum in eo fere posuit, ut leges, consuetudines, iurisdictiones, magistratus, vectigalia sui ferme iuris atque arbitrii haberent; ita tamen ut sacramentum regibus dicerent. Sigonii sententiam paene omnes publici iuris scriptores secuti sunt, eamque firmavit opinio clarissimorum virorum, quos inter praecipue recensendi sunt Maffeius et Lupus (3), omne omnino italicorum municipiorum regimen sub barbaris exolevisse docentium. Neque aliter visum est clarissimo Sismondio qui Ottonem pariter laudat istiusmodi libertatis largitorem, illamque distinctionem adducit, fuisse scilicet antea magistratus, sed secundum mores Langobardorum vel Francorum, eosque a Comite in consilium adhibitos; permissa deinde ab Othone latiore libertate, municipia statim ad veterum romanorum institutorum exemplar properasse (4).

Non intermissam per omnia sub barbarico imperio fuisse ab Italis curam municipalium officiorum alii, et quidem diligentissimi, antiquitatis investigatores tradunt. Muratorium in primis laudo, qui etsi fatetur nullum se vestigium invenisse *alicuius reipublicae*, *sive universitatis aut communis*,

(1) Antiquit. Italiae med. aevi, disser. XLV, in principio.
(2) De regno Italiae lib. VII ad ann. 973.
(3) *Verona illustrata* par. I. - Cod. diplom. Bergon.
(4) *Histoire des républiques italiennes du moyen âge*, chap. 6.

sub quo nomine populi ordo veniret, postquam Langobardi et Franci Italia potiti fuerunt, aliquam nihilominus reipublicae formam eo quoque aevo servatam in italicis civitatibus suspicatur (1). Quae suspicatus fuerat Muratorius recentiorum eruditorum studiis clariore in luce posita sunt, eaque monumentorum auctoritas comprobavit. Rem plenissime evolvit Antonius Pagnoncellus edito libro ad hanc historiae partem illustrandam praeclaro (2), in quo nunquam penitus deletum apud Italos fuisse post romana tempora municipale regimen statuit: huic opinioni favet clarissimus vir Savignyus qui in gravissima, quam conscripsit, romani iuris per medium aevum historia (3), non interiisse municipia sub barbaris affirmat, Italosque quamdam etiam tunc temporis libertatem retinuisse (4), obscuram illam quidem et ingloriam, sin minus ad beatiores illos reddendos idoneam, attamen ad meliora tempora praeparanda aptissimam. Nec silentio praeteream in eamdem descendisse sententiam clarissimum iurisconsultum I. D. Romagnosium, nuper e vivis ereptum, qui in interiore iurisprudentia et in dignoscendis rerum publicarum rationibus nobilissimus scriptor habitus est (5).

Argumenta et probationes quibus haec fulcitur opinio videre est apud laudatos historicos qui egregiam operam in detegenda vera illis saeculis Romanorum conditione navarunt. Tribus potissimum causis id effectum putant; tum scilicet memoria veteris romanae reipublicae, quam nunquam, licet infelicissimi, populi deposuerant; tum christianae religionis auctoritate nescia a tyrannis flecti, quae, si ita loqui fas est, sacra popularia instituit, et omnes societates, omnes ordines, omnes qui aut re, aut spe denique sunt boni, divino munere sustinet et tuetur; tum denique incuria barbarorum parum de internis incolarum negotiis regendis sollicita, quum nihil ex illis pertimesceret.

Non desunt tertio loco scriptores quibus ex alio fonte originem municipiorum nostrorum petere placuit, quos inter primas tulit Henricus Leo.

(1) Antiq. ital. med. aevi dissert. XVIII. col. 1007-8-9-10.

(2) *Dell'antica origine e successione de' governi municipali in Italia*, *Bergamo*, 1823, 2 *vol*,

(3) Cap. v. 8.

(4) Carolus a Vesme et Spiritus Fossati auctores praeclari operis, cui titulus *Delle vicende della proprietà in Italia*, mediam quodammodo viam ingressi municipia non perdurasse quidem sub barbaris putant, at Romanos iuribus suis privatis exutos omnino non fuisse, sed, imperante Authari, tertia parte bonorum privatos tantum extitisse scribunt.

(5) *Dell'indole e dei fattori dell'incivilimento*, *par.* 2, *cap.* 3, § 4. Mediolani, 1832, pag. 152-153.

Eiusdem sententiae egregium adstipulatorem invenimus Caesarem Cantù, qui de hac quaestione elegantissime disputavit in epistola ad Caesarem Balbum (*Ricoglitore italiano e straniero*), Mediolani ad mens. augusti 1836, pag. 165 ad 201.

Hic dum cursus mutationum in nostris civitatibus noscere studuit eamdem quam Heichornus tradiderat de ortu germanicorum municipiorum sententiam ad originem italicorum accommodat; in ea, utpote nondum satis fortasse Italis pervulgata, aliquantulum consistam.

Statim ac Langobardi superioris Italiae potiti sunt, nobilissimae istius regionis civitates omni potestate quam iamdiu servaverant expoliatae fuerunt; illarum incolae in tres praecipuas classes divisi: Langobardi liberi: Romani censuales; famuli et servi: non ita magnus erat clientum et nobilium *vassallorum* numerus, ut in civitate ordinem constituere possent. Sub Francorum dominatu non alia reipublicae facies apparet; sed fundamenta effossa patent. Censuales Romani vel liberi omnino, vel per omnia servi evadunt: multi ex liberis Langobardis, tamquam *vassalli*, in ditionem regum, eorumque Comitum, vel saepius episcoporum aut abbatum se recipiunt. Iam enim ex iure Francorum sacrorum antistites in partem reipublicae administrandae vocati fuerant. Inde novi personarum ordines, qui trifariam dividuntur, videlicet nobiles vassalli; homines liberi; famuli et servi, quibuscum ceteri censuales annumerabantur. Quum autem vis et potestas regni inter Duces Comitesque plerumque scinderetur, iique a fide regi debita non raro desciscerent, regia liberalitate augeri coeperunt antistites, et immunitatum beneficia in eorum favorem primum inducta sunt; erat autem immunitas, ius quo libera a Comitum potestate territoria fiebant, et in episcoporum iurisdictionem transibant.

Istiusmodi privilegia ipsis sanctis ecclesiarum patronis irrogata censebantur, indeque territoria ipsa immunitate donata *corpora sancta* appellata fuerunt. Non tamen hanc mutationem sine ira passi sunt comites; et simultates et bella postmodum inter eos et episcopos exarserunt.

Nulla fides regni sociis omnisque potestas
Impatiens consortis erit [1].

In dies episcoporum potestas augebatur quum longe maior illorum esset numerus qui vitae subsidia ab eorumdem regimine peterent, quam eorum quibus acceptius videretur Comitum imperium. Germanae stirpis impera-

(1) Lucan. Pharsal. lib. 1.

tores hisce in republica conversionibus velificabantur, quum minus novis rebus infideles invenirent episcopos, et per eos addictiores sibi reddere populos arbitrarentur.

Popularis aura, quae primum episcopis faverat, ab iis postea recessit, quumque incolae iam viribus propriis satis confiderent, uti libertate concessa non dubitarunt in perniciem eorum a quibus acceperant. Legibus patriam ornare cives coeperunt et ad eam defendendam publicam societatem iniverunt. Tunc ministri episcoporum qui *Advocati* appellabantur rariores apparent; contra frequentiores se sistunt *Scabini*, locorum iudices; consules *Scabinos* exceperunt, et iam ex solo hoc nomine magistratibus municipalibus aptato vetus barbariae aedificium in italicis municipiis corruisse manifestum fiebat. Qui motus postea consecuti, quave fortuna Itali ad municipalem ἀυτονομίαν nisi sint, compertum plenissime ex historia habemus; referam tantum Ottonis Frisingensis verba, qui saeculo XII conditionem superioris Italiae incolarum sic exponit: *In civitatum dispositione ac reipublicae conservatione antiquorum adhuc Romanorum imitantur solertiam. Denique libertatem tantopere affectant, ut Potestatis insolentiam fugiendo, consulum potiusquam imperantium regantur arbitrio* [1].

Post allatas varias illustriorum historicorum sententias non tam repugnantiam quam disiunctionem inter illas detegimus, et commode forsan eas simul colligi posse putamus indeque rationem arripere causas omnes enarrandi, ex quibus municipia nostra omnino non interierint, et a romanis institutis ad italicam demum se contulerint libertatem.

Dicam igitur quod sentio, variasque disputationes invicem conferam, non tam arrogantia ductus ut meum interponere iudicium audeam, quam ut consensum efflagitem, quem obtinere nec difficile erit si diversa placita nexu quodam coniungere potero. Nihil est in barbarorum historia quo doceamur nulla mansisse morientis libertatis vestigia apud Romanos; libertatem autem hic intelligas velim de usu tantummodo a municipibus retento consulendi statuendique circa res municipii internas, consuetudine potius quam lege auctorante. Ex necessitate obeundi munera, quae de minimis, quamvis publicis, negotiis in omni coetu iure sociato quotidie se offerunt, incolas cuiusque oppidi vel urbis publici consilii participes factos

(1) De gestis Friderici I imp. lib. 2, cap. 13. De origine magistratuum in italicis municipiis praeter iam laudatos scriptores vide etiam elegantem Dominici Carlinii libellum inscriptum *De pace Constantiae disquisitio*, Veronae 1763.

fuisse credimus; istiusmodi autem publica officia quum longe a totius reipublicae administratione et ab armorum cura distarent, regum et ducum effugiebant censuram; insuper ad servandam quamdam veterum municipiorum imaginem in superiore Italia plurimum valuisse censemus exempla finitimarum regionum quae romana instituta etiamdum retinebant; erat quippe Ravenna cum adiuncta provincia Orientis imperatoris Exarchis commissa; erat Roma quodam suo, ita dixerim, iure perpetua libertate donata; erant insuper ulterioris Italiae terrae Graecorum legibus addictae [1].

Hac veluti tacita admonitione Italorum Langobardis subiectorum animos permotos fuisse nec dubitari potest, si naturae vocem consulimus, si mutuos, qui neque tunc temporis esse desierunt inter varias Italiae gentes commerciorum usus, spectamus; adde demum conventus et ritus religionis causa adhibitos qui populum et clerum in seiunctos ordines redigebant. Neque fortasse a veritate aberraret qui diceret episcopos praecipuam curam gessisse, una cum maioribus civibus, earum rerum quae municipiorum statum respicerent.

Quo amplior dignitas in republica episcopis asserebatur, eo latius spatium ad restituenda civilia instituta dabatur; patronos quippe popularibus suis se praebebant episcopi, et si Francorum consuetudines attendas, episcopos et ordines municipiorum ad eadem publica munera vocatos non semel videas [2]. Civilia bella quae saeculo x Italiam dire vexarunt, immodestiam militum, insolentiam dominorum, totius denique populi confusionem auxerunt. Principibus de salute civium oblitis, necesse fuit ut unaquaeque civitas sibi proprio marte prospiceret, et se contra Hunorum et Saracenorum incursiones muniret. Hinc moenia excitari, arma a populo sumi, magistratus deligi; hinc populi instauratae vires, quae postea ex dominis qui ex barbaria supererant triumphum egerunt. Nec diffiteri

(1) V. ad hanc rem Caesaris Balbi, v. cl., sodalis mei, scolium ad librum Henrici Leo *Delle vicende della costituzione delle città Lombarde* ab ipso primum italice redditum, pag. 181.

(2) Praeter munus reficiendorum urbium moeniorum quod non raro tribuitur episcopis, hanc notationem iuris promiscue usurpati referam ex Baluzii miscellaneis lib. III, pag. 22. « Ad notitiam nostram de tribus cellis perventum est, quas prae- » senti tempore Aldricus episcopus *sub iure praescriptae urbis* (Caenomannicae) possidebat, quod non iuste ad *eamdem* » *urbem*, sed ad publicum nostrum pertinere deberent . . . . (Wido missus) invenerat quod praescriptae cellae non ad » publicum nostrum pertinebant, sed *sub iure memoratae Cenomanis ecclesiae* iuste et legitime esse deberent etc. ».

Ex hoc praecepto, quod est Ludovici Pii de abbatia S. Vincentii et de cellulis sancti Albini et S. Audoeni prope Cenomannos datum anno 832, 29 decembris, dignoscitur eadem fuisse iura urbis, et iura ecclesiae, quod intelligendum est de regimine praecipue ab episcopo retento.

possumus plurimum ad municipia ad libertatem revocanda profuisse nova iura ab Ottone I constituta, quae Comitum officium in episcopos transferebant, quibusque *exemtionum* nomen datum est.

Huiusmodi Ottonis I, eiusque filii et nepotis liberalitate gavisae sunt omnes clariores superioris Italiae civitates, si quinque excipias, Veronam, scilicet, Genuam, Taurinum, Eporediam et Lucam [1]. Hinc factum est ut homines liberi maioresque cives et episcopi, nullo obiecto impedimento, inter se confligerent; hinc ortae coniurationes quae nunquam intermissae, diverso licet nomine assumpto, ab incertae originis *mota* ad illustre societatis *Lombardorum* ultra seculum productae sunt, et per varios casus et multa rerum discrimina in plenissimam libertatem tandem italica municipia vindicarunt. Re ita perpensa, semina istiusmodi iuris municipalis extitisse etiam sub Langobardis dicemus; fiduciam et spiritus ad ampliorem assequendam libertatem municipibus addidisse tum conversa in favorem ecclesiae antistitum Francica instituta, tum Ottonum leges quae etsi unamquamque civitatem singillatim respicerent, in commune ius, utpote numero plures, quodammodo desierunt.

Quum demum acerbius turbata esset respublica, et regum, et antistitum desiderata prudentia, populorum impetus et conatus longique labores illum statum reipublicae effecerunt qualem ex celebri Constantiae pace anno MCLXXXIII constituta deprehendimus.

Ad ultimam quam proposuimus disputationis partem gradum facimus, imprimisque notamus legum municipalium inscriptionem huic volumini affixam tres ordines potissimum continere. Sunt enim et privilegia imperatorum vel principum, iurium videlicet concessiones nulla populi potestate intercedente factae, sunt *statuta* seu populi scita, ab illis municipiis condita quae iam ἀυτονομία fruebantur, et retenta tantum erga imperatoris nomen maiestatemque observantia, libere de rebus suis statuebant; sunt denique constitutiones quibus et *statutorum* nomen tributum est, ab Ordine quidem factae, sed venia a principe impertita, aut eius auctoritate confirmatae.

De origine municipalium statutorum Italiae non est hic disserendi locus; plura et ea quidem gravissima de hac quaestione scripta sunt a clarissimis

(1) *Exemtionum* seriem numero XVII habes in laudata disquisitione sodalis nostri Caroli a Vesme et Spiritus Fossati, cui titulus: *Vicende della proprietà in Italia dalla caduta dell'imperio Romano fino allo stabilimento dei feudi*, pag. 274, 275.

viris, ad quos hanc partem historiae discendi cupidum libenter remittimus. Ex disquisitionibus Muratorii, Benvoglienti (1), Grandi (2), Carlinii (3), ac demum Raumerii (4) originem tum singularum legum municipalium, tum earum collectionum facile ille deducet; differentia quippe est inter eas; saeculo quidem XII initium habuerunt collectiones *statutorum*, sed inde non colligitur nullam peculiarem legem a municipibus antea latam fuisse, quin imo certum est iamdiu firmatas fuisse consuetudines quas postea in edictum municipes redegerunt.

Decem quae hoc volumine continentur iurium municipalium collectiones nunc primum in lucem typis eduntur; aliquarum fragmenta historicorum vel iureconsultorum libris inserta iamdiu legebantur, sed mutila et ex operis, cui inserviebant, opportunitate tantum relata nullam municipalium digestorum, quam utique servant, formam referebant. Itaque primum, candide lector, reseratos habes hosce antiquitatis fontes et veterum legum rationes tum apud Subalpinos, tum apud Genuenses perscrutari feliciter poteris, quod et tibi bene cedat, et nostris litteris prosit, vehementer opto.

Ad primum, ex tribus quos retulimus, legum municipalium ordinem pertinent privilegia Secusiae et Augustae Praetoriae impertita a Sabaudiae Comitibus, utraque descripta ab antiquis exemplaribus in proprio cuiusque municipii tabulario asservatis.

Secundo ordini adscribuntur leges in libera republica a Genuensibus conditae, illae nempe quae *Consulatus Ianuensis Statutorum* nomen praeseferunt exscriptae a codicibus quos civica Genuae bibliotheca, et vv. cc. I. Castellinii, et M. Molfini liberalitas suppeditarunt, et illae quae ad regendas colonias in Tauricam Chersonesum deductas editae fuerant, ad fidem redditae codicis diu in tabulario sancti Georgii servati. Sub eodem ordine veniunt etiam *Statuta Societatis beati Georgii populi Cheriensis*, iura scilicet a populo constituta quae opponerentur constitutionibus a militum societate sancitis, ex codice servato in tabulario civitatis Cheriensis desumta. Apud Italos enim morem viguisse rempublicam in duas fere partes dispertiendi, societatesque duorum ordinum, nobilium nempe et

(1) Antiq. Italic. dissert. 50.
(2) De pandectis epist. ad Averanium.
(3) De pace Constantiae cap. 10.
(4) *Geschichte der Hohenstaufen und ihrer zeit.*

popularium separatim efformandi compertum est; deque hoc instituto fusius alio loco, re quidem exposcente, iam egimus [1].

Tertio demum legum ordine complectimur Statuta Nicaeae, quorum exemplaria duo habuimus, codicem nempe in R. Aulae tabulario servatum, alterumque quem commodaverat B. Tondutius Scarenae comes v. exc.;

Statuta Taurini descripta ex codice in R. Aulae tabulario pariter servato, et in usum etiam adhibitis schedis, quas P. Balbus v. exc. eques torquatus, quo praeside hoc nostrum opus auspicia cepisse gloriamur, eruditissima industria iamdiu paraverat [2];

Statuta *communis* Casalis, civitatis Eporediae et civitatis Montiscalerii ex codicibus ab uniuscuiusque municipii tabulariis depromtis exscripta sunt.

In deligendis legum municipalium collectionibus illud prae oculis Curatores habuerunt, ut varia veterum institutorum forma exhiberetur civitatum etiam, quas spectarent, celebritate conspicua; vetustissimae apud Subalpinos urbes Augusta Taurinorum, Augusta Praetoria, et Eporedia; Genua Ligustici maris regina; Nicaea graeco semine orta; situ praecipue ornata Secusia quae tamquam Italiae porta Cottiis alpibus affixa est; Casale ducatus Montisferrati caput; Cherium, instar maiorum superioris Italiae rerumpublicarum amplissima libertate donatum; Montiscalerii demum Statuta addita sunt quae docent quomodo ab integro tunc temporis leges conderentur; fuit enim illud oppidum post eversam Testonam excitatum, vicinumque Taurino, Subalpinorum mores apprime secutum est.

Fere omnia nobiliora oppida et civitates subalpinae regionis decursu annorum propria sibi *Statuta* constituerunt; pleraque typis mandata recensita fuerunt a duobus ex nostris qui adversaria et monumenta ad legum disciplinam pertinentia evulgarunt [3]. Inter caetera eminent Astae Pompeiae et Vercellarum municipales leges, quum in italica historia opum et incolarum potentia duo haec municipia illustria praecipue habeantur. Memoriae denique lectori prodere debemus, iussu Amedei VI Comitis Sabaudiae et Pedemontii principis multa ex statutis huius ditionis ad annum MCCCLX renovata fuisse, quum scilicet, Iacobo Achayae principe ob perduellionis

(1) *Storia dell'antica legislazione del Piemonte*, *capo* 3, *pag.* 148-49.

(2) Vix haec scripta erant quum Prosperus Balbus supremum diem obivit (pridie idus martii MDCCCXXXVII). Viri de principe, de patria, et de litterarum studiis optime meriti memoria manebit, et posteritati narratus dabit Balbus maxima documenta constantis et probatae vitae, cui nihil ad laudem defuit.

(3) Galli, *pratica legale*; Duboin, *raccolta di leggi*.

crimen *feudo* depulso, Subalpinos sibi legum auctoritate devincire Amedeus studeret.

Non est cur diutius te morer, benevole lector, unumque rogabo ut velis his uti doctrinae subsidiis ea fide, eoque veritatis amore quo illa tibi paravimus.

Vale: scripsi Augustae Taurinorum VI id. mart. an. MDCCCXXXVII.

STATVTA AC PRIVILEGIA

CIVITATIS SECVSIAE

ALOYSIVS CIBRARIVS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Ad pedes Cinisii montis atque ad ipsum Italiae limen posita Secusia est, urbs antiqua, Cottii Regis memoria et arcu quem divo Augusto gentes alpinae excitarunt praesertim celebris. Sedet in loco commerciis quammaxime opportuno. Ibi enim duplex beatae regionis nostrae ianua patet. Illa per Ulcii vallem et Genevum montem ad Delphinatium fines; hac per Cinisii asperitates ad Mauriannae et Sabaudiae valles transducimur; quo itinere ante Caroli Magni tempora propter locorum iniquitatem pauci admodum usi sunt.

At longe maiora incommoda quam commoda indoles loci huic urbi peperit; namque barbarorum decursionibus perpetuo exposita adversam fortunam ita frequenter experta est, ut in ampliorem famam suorum clade et incendiis quam ambitu murorum aut populi frequentia succreverit. Non pauca tamen priscae nobilitatis vestigia retinuit; et in primis civitatis nomen, quod, oppidis proprio Episcopo destitutis, perraro ante saeculum xvI tributum fuisse constat. Fuit insuper ibi castellum palatii nomine insignitum, atque saeculo xI exeunte officina monetaria in qua denarii argentei, Secusienses nuncupati, cudebantur.

Quum autem sub finem eiusdem saeculi xI Romani municipii forma per omnem ferme Italiae oram revixit, vel potius, ut mihi magis placet, ampliora tantum et rapidiora incrementa suscepit, atque civitates et oppida munitiora aliae in libertatem se vindicarunt aliae vero fidei quam incorruptam se servaturas spoponderant mercedem instantius efflagitabant,

dubium non est quin valde Secusiensibus profuerit ille splendor vetustatis quo civitas eorum decorabatur. Et revera totius Subalpinae regionis primi illi sunt quorum libertas solemnibus privilegiis a Principibus nostris sit instaurata; quorum tranquillitati civilibus et criminalibus legibus consultum sit; quorum commercia usque ad mare Calabricum religione foederis tecta servataque haberentur.

Amedeus III qui cum Ludovico VII Francorum Rege in Asia pro Christi sepulchro contra Saracenos certavit, et in ipso reditu Nicosiae obiit anno 1148, primus fuit qui propriae potestati in bonis et in personis Secusiensium, in milite imperando, in commeatu, in tributis exigendis terminos poneret; qui poenas in delinquentes statueret; qui iudiciorum ordinem secundum laudatas incolarum consuetudines restitueret; qui ordinis totiusque populi libertatem, qui mercatorum commercia unde libertas manarat, confoveret. Eius edictum desideramus. Sed quid optimus ille Princeps Secusiensibus praestiterit videre est in confirmatione et renovatione huiusmodi privilegiorum a Thoma Comite nepote eius facta anno 1197 quae nunc primum in lucem prodit. Haec et alia plura rescripta et litteras tibi exhibemus lector benevole; quae sicuti prisci illius aevi tenebris adhuc obruti non imaginem tantum sed et vultum et formam ad vivum exprimunt ita et utilia et iucunda tibi accidere posse speramus. Vale. Dabam Augustae Taurinorum IV idus ianuarii anno reparatae salutis M D CCC XXXV.

STATVTA ET PRIVILEGIA

CIVITATIS SECVSIAE

Statutum Thomae Sabaudiae Comitis.

1197 26 februarii

Descriptum ab exempl. saeculi XIV quod extat in tabulario civitatis Secusiae.

Anno incarnacionis dominice millesimo centesimo nonagesimo VII indictione decimaquinta post mortem henrici imperatoris V kalendas marcii. Notum sit omnibus hominibus tam absentibus quam presentibus quod ego Thomas comes et marchio sub omni stipulacione promulgare uolui omnibus degentibus in secusie territorio affectuose iusticiam meam prout extimare potui describere uocatus curaui. de capitis percussione sanguinea. de pugni percussione inflata. uel de alia inter probos ciues placitetur. Si factum non fuerit et clamor inde peruenerit LX solid. de glutone si probum percusserit aut pugnum. aut solidos LX de probo si glutonem iniuste percusserit XII denarios glutoni. potestati. quinque solidos. si clamor inde peruenerit de conuiciis inter probos si placitare uoluerint. bis. uel ter LX solid. si clamor inde fuerit. De glutonibus et meretricibus similiter. si placitare noluerint V solidos et per totam uillam nudi ducantur. de hominibus morte preoccupatis propinqui eorum usque ad cartam generationem hereditent. deinceps sub tuo uelle sit (1). et si fuerint extranei et preoccupati

(1) Iurisconsultus cui statuti in scriptis redigendi potestas attributa est principem alloqui videtur.

a sua sint sub tuo uelle preter uestimenta que sunt hospitis et quinta parte aliarum rerum que est ecclesie baptismalis et parrochialis. de aliis uero qui momoriali morte morientur cuicumque sua dederint absque occasione possideant. De incisura uinearum occulte facta LX solid. si clamor inde fuerit et dampnum emendetur. Si uicinus in uicinum insurrexerit gladio. si neminem percusserit et uicini emendare non poterint et clamor inde peruenerit LX solid. de periurio. de forifractura. LX cum clamore uel sine clamore. de tabulis uel macello. de incendio iniuste facto. de fracta domo cum uiolencia. de homicidio si spontaneum fuerit LX libras. si uero non spontaneum fuerit VII libras et dimidiam. si clamor fuerit uel non latrones traditores strate fra-
b ctores cum uiolencia in tuo uelle sint. tali modo ut primo quo capti fuerint omnibus in quadrupedia appareant. De mercato manufacto ut teneatur. et qui fregerit potestas habeat V solidos. et tenere faciat si clamor inde exierit. de credulitate quam tibi uel tuis fecerint. XL dies si tunc habere non poterint nullam credulitatem tibi (1) et tuis faciant quousque suum quid crediderint habeant. De his qui tuum proprium ministerium habuerint dum cum tua gracia habuerint teneant. sin aliud interuenerit salua tua iustitia sub uicinorum lege sine occasione redeant. de proprio uino tuo de quo bannum habebas super nos deinceps nullum editum teneatur. quia sic nobis in perpetuum remisisti et uinum suum libere omnes de secusia quandocum-
c que uoluerint uendant sine edito. Quicumque aliquem in uerra acceperit. rusticum uel donsellum. peditem aut sagittarium et cuiuscumque possessionis fuerit et ipsum et que cum eo uel sine capta

(1) Vulgo *credito*.

fuerint habeat et sint sua excepta sola militis persona que tibi reddatur. Extranei inter inter indigenas semel nec bis premoniti nullomodo incisiue uendere presumant quod si fecerint qui sic uendere presumpserint publicentetur (*sic*) et effundantur et sine edito sint qui hoc fecerint. nulli lombardi a montecenisio in ultra per terram meam nec eciam per desertum oues uel pellatas nullo modo emere presumant. quod si fecerint oues et pellate publicentur et destruantur et sine edito sint qui hoc fecerint. de incisiuis de ouibus et de pellatis gastaldis sine uoluntate burgensium nullomodo se intromittant. De aperto forifacto siue de terra siue honore siue de intollerabili iniuria inter uicinos placitetur. si uicini emendare non poterint nec potestas ab iniurioso VII libr. et dimid. de edicto cum consilio uicinorum facto qui fregerit emendet illud et cum clamore et sine clamore. de foro regali centum libr. de tuo placito quod per iustitiam tibi datum fuerit nullus alius nec alia postea placitetur. et secundum quod continet (*sic*) instrumento amedei comitis et marchionis sic iuratum fuit in refectorio s. marie ante episcopum maurianensem henrice (*sic*) uicecomite tuo recipiente sacramenta ab amedeo mauri et armano de porta et ungario de ruata usus noster talis est. uidue et orfani sub tua tutela sunt. ad deffendendum non ad auferendum pasture nostre a ponte de ceniscle usque ad petram castelli salue sunt. tam in domo quam extra domum. aque pascua nemora omnibus sunt communia. uinee nostre sub potestate nostra sunt. custodes eligere debemus et ante gastaldum ducere. ita ut de unaquaque contrata duo coruisia habeat et ob hoc laudet. et manuteneat similiter custodes prati molis. et de illis tres solidos habeat. gerbi buscallei. pro fisco a gastaldis comuniter instituto in pace sint. usus est noster a palo bonzonis usque ad riuum foresti. In monte cinisio equos et boues ad ingrassandum habere debemus. In clarea equas et boues. et qui equum inuenerit cauda truncetur. frutificantia animalia de communibus alpalibus nullum alpalium reddant. quia non debent. nec ullus ausus sit secare in hoc quod cellis attinet donec remoueantur. Nemoris alberici due parte (*sic*) sunt communes totius nostre ciuitatis. tercia pars abbatis (1). liberalitas nostra est quousque ad mare calabricum. nullum transitum uel usum reddere debemus: hac de causa fuit omnibus italicis datum ut nullum transitum huc ueniendo reddant. in redeundo mediam partem transitus. Usus secusiensium et (*est*) quod aliquis alicui censum suum adcomodat sub testimonium faciat et si deceptus fuerit clamorem ad te faciat. tu litteras mitte ad illum et eius potestatem si uero propter hoc recuperare non poterint ab omnibus quoscumque eidem potestati subnixas inuenerit tantum accipiat quod suum ualeat ubicumque inuenerit in tota tua terra. similiter de cap. (*capto*) dicimus et de morte. excepto usu il-

(1) Monasterii S. Iusti ab Odelrico Manfredo II conditi.

a lius (*terre*) quando morietur. et sicuti iusticiam recipere uolumus. sic et de nobis facias. si quis nobis censum suum comendauerit uel adcomodauerit securus sit in toto tuo posse siue in pace siue in guerra ni sit aperte traditor: cambitores extranei cambisionem non accipiant nisi ab indigenis cambitoribus equi asini boues nullum someatum debent. qui uirginem uiolauerit in uxorem accipiat si consensum parentum habuerit. et si dignum fuerit. sin aliter fuerit enucidetur uel sub tuo uelle sit. honores qui x annis presente calumpniatore tenebuntur si infra etatem non fuerint postea in pace teneantur. duos danarios pro hospitalitate habemus. de fortuna due partes inuentoris et tercia potestatis. femine si se inter se percusserit. sine
b edito sint. operarii cuiuscumque sint officii quotquot esse poterint sine occasione operentur. Idipsum quod habere uolumus nobiscum habitare uolentibus concedimus. factum est hoc apud secusiam in camera domini uboudi (1) uenerabilis abbatis monasterii s. iusti feliciter. et in sacra eiusdem abbatis manu confirmatum ab ipso thoma comite et marchione. et nichola (2) uxore sua filia comitis gebennarum. et ab eorum consiliariis. et baronibus. guigone de theis. umberto de uileta. et amedeo fratre suo. ricardo de camera. uillermo euianna de bargiis. berlione de cambriis (3). amedeo de ethono. uiffredo marescallo. poncio de conflens. et omnes isti consiliari et barones cum ipso comite et comitissa iurauerunt in sacra manu predicti abbatis et confirmauerunt su-
c pradictas instituciones et conuenciones. firmas ac ratas in perpet. obseruare. signa testium. † petrus de greysiei presbiter et monacus atque celerarius s. iusti magister albertus capellanus comitis. mauricius scriba comitis. guigo beraudus legista. ansermus de aprilis. bernardus bartholomeus. matheus bartholomeus. stephanus lant. iohannes bernudus. oldricus barralis. rodulfus barralis. carlo. et plures alii existentes pro testibus cum populo secusiensi. petrus tunc tempus notarius interfuit et manddato domini thome comitis et marchionis et sue coniugis cartam ad quam exemplificata est ista scripsit. andreas bernardi custodit eam.

d

Thomae Comitis privilegium.

1216 15 novembris

Ab exempl. authentico anni MCCCXL *quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.*

Anno dom. milles. cc. XVI indic. v. septimodecimo kal. decemb. cum inter domin. Thomam comitem

(1) Nulla huius abbatis mentio est apud Augustinum Ab-Ecclesia in serie chronologica praesulum pedemontanae ditionis.

(2) Hic error librarii; nam prima Thomae comitis uxor, gebennensis comitis filia, non Nichola, sed Beatrix appellabatur.

(3) De Camberiaco.

sabaudie et ytalie marchionem ex una parte et uniuersos ciues secusie ex alia super tutela uiduarum et orphanorum questio uerteretur. dom. dictus comes propria ductus uoluntate presentibus et laudantibus filiis suis amedeo et humberto donauit et concessit et ipsi similiter eius filii donauerunt et concesserunt uniuersis secusie habitatoribus et eorum successoribus in perpetuum ut quicumque hominum secusie tam uirorum quam mulierum faceret testamentum posset cuicumque uellet libere dare tutelam sue domus et rerum suarum suorumque heredum exceptis hiis qui morte subitanea morientur tali tamen condito quod si aliquis alius excepto comite et heredibus comitis de tutore conqueretur quod ratio dictaret inde fieret conquerenti. hec omnia prefatus comes et eius filii supradicti per firmam stipulacionem per se et successores eorum firmiter attendere et inuiolabiliter obseruare promiserunt. Actum fuit hoc apud secusiam in domo petri bartholomei presentibus testibus et specialiter ad hoc rogatis (*lacuna*) tunc temporis castell. auillanie petro de ethone tunc tempore castellano secusie. domino iohanne de monte aymonis petro (*lacuna*) de camera. bartholomeo de tolaco. iohanne girardi. girardo (*lacuna*) de aqualba. petro bartholomei. iacobo de s. martino (*lacuna*) baralis. radulfo baralis. stephano monetario symondo (*lacuna*) ad mand. domini thome comitis sabaudie et filiorum suorum prenominatorum scripsi et tradidi.

Statutum Thomae Sabaudiae Comitis.

1233 7 martii

Ex autogr. quod asservatur in tabulario supremae rationum curiae.

Anno domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio indictione sexta septima mensis martii. Notum sit omnibus hominibus tam absentibus quam presentibus quod nos Amedeus comes Sabaudie et in Italia marchio filius quondam domini Thome comitis sub omni stipulatione uoluimus promulgare omnibus degentibus in secusie territorio affectuose nostram iustitiam prout potuimus estimare uocati describere curauimus de capitis percussione sanguenta de pugni percussione infiata uel de alia inter probos ciues ante uicinos placitetur si hoc factum non fuerit et clamor inde peruenerit LX sol. de glittone si probum percusserit aut pugnum aut sol. LX de probo si glittonem iniuste percusserit XII den. glittoni et quinque sol. potestati. si clamor inde peruenerit. de conuitiis inter probos si placitare uoluerint. bis uel ter aduocati sexaginta sol. si clamor inde fuerit. de glittonibus et de meretricibus similiter. si placitare noluerint quinque sol.

a et per totam uillam nudi ducantur. de hominibus morte preocupatis propinqui eorum usque ad quartam generationem hereditent et deinceps sub nostro uelle sit. Et si fuerint extranei et preocupati fuerint sua sint sub nostro uelle preter uestimenta que sunt hospitis et quintam partem aliarum rerum que est ecclesie baptismalis et parrochialis. de aliis uero qui memoriali morte moriuntur cuicumque sua dederint absque occasione possideant. de incisiua uinearum occulte facta sexaginta sol. si clamor inde fuerit et dampnum emendetur. si uicinus uicinum insurrexit gladio si neminem percusserit et uicini emendare non potuerint et clamor inde peruenerit LX sol. de periurio. de forifractura LX sol. cum clamore uel sine clamore. de tabulis. uel ma-
b cello. de incendio iniuste facto de fracta domo cum uiolentia de homicidio si spontaneum fuerit sexaginta libras si uero non spontaneum fuerit septem libras et dimidia. si clamor fuerit uel non. de adulterio propalato VII lib. et dimidia si clamor inde erit uel non. Latrones traditores strate fractores cum uiolentia in nostro uelle sint. tali modo ut primo die quo capti fuerint omnibus in quadrupedia appareant de marcato manufacto ut teneatur et qui fregerit potestas habeat V sol. et tenere faciat si clamor inde exierit. de credulitate quam nobis uel nostris fecerint quadraginta dies. si tunc habere non poterint nullam credulitatem nobis uel nostris facient. quo usque suum quod crediderint habeant. de illis qui nostrum proprium ministerium habuerint. dum cum
c nostra gratia habuerint teneant. sin aliud interueniat salua nostra iustitia sub uicinorum lege sine occasione aliqua redeant. pro credulitate predicta quadraginta dierum quam nobis tenentur facere hostalarii. secum habeant reuam a palo bonizonis usque ad pontem albarici in omnibus partibus infra hos terminos uidelicet quatuor den. pro lib. de extraneis de eo quod emunt aut uendunt. et de indigenis duos den. pro lib. de eis que emunt aut uendunt de proprio uino nostro de quo bannum habebamus super nos deinceps nullum edictum teneatur quia sic eis in perpetuum remisimus et ut uinum suum libere emens de secusia quandocumque uoluerint uendant sine edicto. Quicumque aliquem in guerra ceperit rusticum uel domicellum peditem
d aut sagittarium cuiuscumque professionis fuerit et ipsum et que in eo et sine eo acceperit habeat et suum sit. de milite arma equum et uniuersaliter omnes res que sine eo uel sine eo (*sic*) capta fuerint habeat et sint sua excepta sola militis persona que nobis reddatur. Extranei inter indigenas semel uel bis premoniti nullo modo incisiue uendere presumant quod si fuerint que sic uendere presumpserint publicentur et effundantur et sine edicto sint qui hoc fecerint. Nulli lombardi a montecinisio in ultra per terram nostram nec etiam per desertum oues uel pellatas ullo modo emere presumant quod si facere uoluerint oues et pellate publicentur et destruantur et sine edicto sint. qui hoc fecerint de incisiuis de ouibus de pellatis gastaldi sine consilio

et uoluntate burgensium nullo modo se intromittant. de aperto fori fracto siue de terra siue de honore siue de intolerabili iniuria inter uicinos placitetur si uicini emendare non poterint nec potestas ab iniurioso VII lib. et dimidiam. de edicto cum consilio uicinorum facto qui fregerit emendet illud et cum clamore et sine clamore. de foro regali centum lib. de nostro placito quod nobis per iustitiam datum fuerit. nullus alius nec alia postea placitetur et secundum quod continetur in instrumento domini Amedei condam attaui (1) nostri comitis et marchionis sicut iuratum fuit in refectorio sancte Marie ante episcopum maurienensem Henrico tunc uicecomite recipiente sacramenta ab Amedeo Manto et Armanno de Porta et Ungarii de Ruata et ita in instrumentis autenticis ab antecessoribus nostris secusiensibus traditis reperimus. Usus etiam secusiensium talis est. quod uidue et orfani sub nostra sint tutela ad deferendum non ad auferendum. Et quicumque in testamento tutelam suam alicui dederit ille eam habeat et pacifice teneat secundum testatoris uoluntatem et si quis forte preoccupatus eam non dederit cum tutela talium huc usque in nostra fuerit uoluntate uolentes in hoc libertatem secusiensium augmentare. promittimus per stipulationem quod talium preoccupatorum tutelas consilio amicorum illius uel illorum qui taliter decesserint intestati. uel illis quos ad hoc magis nouerint utiles et idoneos committemus. Item promittimus ad augmentum predicte libertatis pro nobis et pro successoribus nostris quod per nos nec per aliquem castellanorum seu gastaldorum nostrorum nec per aliam quamcumque submissam personam capiemus uel capi faciemus dum stare iusticie sit paratus. nisi eum furem esse uel traditorem constiterit euidenter. pasture eorum a ponte ciniselle usque forestum sancti Georgii salue sint tam in domo quam extra domum. Aque pascua nemora omnibus sint communia uinee sub potestate eorum sunt. Custodes eligere debent et ante gastaldum ducere ita quod de unaquaque contrata duo coruisia habeat et ob hoc laudet et manuteneat. Similiter custodes prati mollis et de illis tres sol. habeat. Gerbi buscallei pro fisco a gastaldis communiter instituti in pace sint. Usus secusiensium est sicut in eorum auctenticis audiuimus a palo bonizzonis usque ad pontem albarici. In montecinisio equos et boues ad inpinguandum habere debent. In clairana equas et boues et qui equum inuenerit cauda truncetur. In monte panterio equos et boues et qui ibi equam inuenerit cauda truncetur. Fructificantia animalia de omnibus alpalibus nullum alpalium reddant quia non debent. nec ullus ausus sit secare in

(1) Amedeus III Thomae Comitis avus non attavus dicendus erat. Neque ad Amedeum II quae hic narrantur pertinere possunt.

a hoc quod cellis attinet donec remoueantur. Nemoris alberici due partes sunt communes totius secusie et tercia pars abbatis sec. Libertas secusiensium usque ad mare calabricum est et nullum transitum uel usum reddere debent. hac de causa fuit omnibus italicis datum ut nullum transitum huc ueniendo reddant sed in redeundo mediam partem transitus. Usus secusiensium est quod si aliquis alicui censum suum adcommodat sub testimonio faciat et si deceptus fuerit clamorem ad nos faciat et nos litteras mittemus ad illum et ad potestatem illius. Si uero propter hoc recuperare non poterit ab omnibus quoscumque eidem potestati subnixos inuenerit tantum accipiat quod suum ualeat ubicumque inuenerit in tota terra nostra similiter de
b capto dicimus et de morte excepto usu illius terre qua moreretur et sicut iustitia recipere uolunt sic et iustitiam faciant.

Si quis eisdem secusiensibus censum suum commodauerit uel adcommodauerit sit securus in toto nostro poderio siue in pace siue guerra nisi sit aperte traditor. Cambiatores extranei cambitionem non accipiant nisi ab indigenis cambiatoribus. Equi boues asini nullum somatgium debent. Qui uirginem uiolauerit in uxorem accipiat si consensum amicorum habuerit et si dignum fuerit. sin aliter fuerit emendetur uel sub nostro uelle sit. Honores qui decem annis presente calumpniatore tenebuntur si infra etatem legitimam non fuerint postea in pace teneantur. Tres den. pro hospitalitate habere
c debent. de fortuna due partes inuentoris et tercia potestatis sit. Femine si se inter se percusserint sine edicto sint. Operarii cuiuscumque sint offitii quotquod esse poterint sine occasione operentur. idipsum quod habere uolunt secusienses concedimus habitare uolentibus cum eisdem confirmando eisdem secusiensibus omnia feuda ab eis uel ab eorum antecessoribus usque hodie aliquo titulo adquisita ita quod ea teneant pacifice et quiete sicut tenuerunt usque modo saluis consuetudinibus et usatgiis nobis debitis de eisdem. Omnes has institutiones et conuentiones preabitas ratas et firmas et inuiolabiliter obseruare et a castellanis suis et gastaldis facere obseruari idem dominus comes Amedeus iurauit super Dei euangelia. Iurauerunt etiam cum
d ipso comite hec eadem omnia obseruare et pro posse facere obseruari dominus Albertus de Turre. Amedeus de Ginule. dominus Dauid castellanus Auilliane. Petrus castellanus Secusie. Acta fuerunt hec Secusie in capitulo sancti Iusti. Testes affuere rogati dominus Obertus Retaueilla. dominus Iohannes Blancardus de Lugduno. dominus Umbertus Laura. dominus Sibo de Claromonte. dom. Barletus astensis. Laurentius de Vico. Iacobus et Ugo filii Petri de Vico et alii multi. Affuerunt etiam rogati de conuentu sancti Iusti dom. Petrus prior. dom. Stephanus helemosinarius. Dauid. Iacobus. et Willelmus. Ego Conradus imperialis aule notarius interfui rogatus et hanc cartam scripsi de mandato domini comitis Amedei.

Amedei IV Sabaudiae Comitis litterae.

1241 22 aprilis

Descript. ab exempl. authentico quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.

Anno dom. milles. ducentes. XLI indic. XIV decimo kal. maii. Amedeus comes sabaudie et in Italia marchio iohanni deiphili mistrallo cambariaci. et omnibus qui pro tempore ibidem mistrali fuerunt (*sic*) salutem et omne bonum. noueritis quod cum dilecti et fideles nostri burgenses et habitatores uille secusie apud cambariacum ad solucionem alicuius pedagii excepto pedagio condam domini berlionis de camberiaco quod est tres denarii forcium. minime teneantur prout nobis estat liquide manifestum. et eiusdem loci pedagii. indebite ab ipsis pedagium extorquere nitantur. nobis districte precipiendo mandamus quatenus dictis pedagiariis. uel qui in futurum pedagiarii fuerint iubeatis ne aliquod pedagium ab aliquo de secusia de cetero presumant querere uel extorquere excepto pedagio supradicto. et si quid hactenus male actum extitit per nos, precipimus emendari. si quis uero quod non credimus contra supradicta ausu temerario uenire presumpserit iuraui et indignacionem nostram se nouerit incursusurum. Auctum est hoc apud secusiam in palacio. uocati testes dominus guigo de amaisino. willermus renoyri miles iohannes et benedictus barralis de burgo petrus bartholomeus. bertrannus montismeliani Ego iacobus sacri palacii et comitis sabaudie notarius et scritor rogatus scripsi et tradidi feliciter. - Benedictus becherius custodit cartam testatam.

Declaratio Amedei IV Sabaudie Comitis.

1245 25 maii

Ab exemplari saeculi XIV quod extat in tabulario civitatis Secusiae.

Anno dom. milles. ducentes. XLV indic. III VIII kal. iunii. Nos Amedeus comes sabaudie et marchio in Italia precibus et meritis dilectissimi nostri domini iacobi uenerabilis abbatis secusie et dilectorum nostrorum hominum de secusia confitemur et publice reconoscimus dictum abbatem et monasterium habere in hominibus suis et uallis dum in eorum feudo morantur totaliter iurisdictionem et imperium seruato more secusiensium excepta caualcata que nobis uniuersaliter a secusiensibus debetur. mitendo unum tantum pro uno hospicio habitato et hoc semel in anno per dies quindecim. *a* citra montes. et citra padum. in exercitu generali nobis personaliter assistentibus nec prius debent ire quam transierit exercitus noster secusiensium propter incendia sed excipiuntur duo menses messium et uindemiarum in quibus non tenentur ire in exercitu. sed possunt in guerra dalphinatus treugam inhibere (*sic*) merces et uictualia hinc inde transire quia sic reperimus eis a nostris predecessoribus et auitis concessum. et nos totaliter confirmamus. Damus eciam secusiensibus ne propter cessacionem seruicii census uel alterius prestationis uel mutagii seu inuestiture non prestiti uel petite quod non perdant rem nisi possessor rem fuerit inficiatus. tum si conuictus fuerit perdat (*lacuna*) nisi etate uel iusto errore subueniatur. et quod *b* aliquis non puniatur (*lacuna*) plus per capitulum uel statutum preteritum quam per legem uolumus eciam immunitates in domibus secusiensium tales obseruari ne quis capiatur uel pignoretur in eis sed ab omni uiolencia sint expertes. Actum secusie in castro nostro testes interfuerunt dauit auillanie castellanus. dominus guigo de fabricis. dominus petrus de erlingo. pontius de ulgina. et de predictis preceptum fuit unum uel plura fieri publica instrumenta et ego willelmus siluester notarius puplicus prout in abbrementis (*sic*) abbreuiatis per petrum pessonerium quondam notarium mihi traditis a domino petro de altauilla iudex secusie et uallis prout inueni nil adito uel remoto propter quod mutetur substancia in publicam formam reddegi et scripsi *c* et meo signo signaui. Boudetus barralis custodit ipsam.

Sententia Umberti de Montemeliano castellani Avillianae.

1250 26 septembris

Descript. ab exempl. authentico saeculi XIV quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.

Anno domini millesimo cc. L. indictione VIII die *d* lune ante festum b. michaelis. Cum thomasius de bossello nomine comitis siue uniuersitatis secusie diceret et proponeret coram nobis humberto de montemeliano castellano auillanie. quod homines secusie consueti erant ponere. equos. mulos. asinos. et boues et alias bestias in monte panterio et eas ibi tenere pascendo per alpes predictas. et eas longissimo tempore tenuisse in dictis pascuis et in possessione dictorum pascuorum longissimo tempore fuisse. petens a nobis dictus thomas nomine hominum siue uniuersitatis secusie ut dicta pascua dictis hominibus secusie deffenderemus et in possessione ipsorum pascuorum tueremus ipsos et manuteneremus dicens et proponens idem thomas ut nos supra predictis pascuis et usu pascuorum ex officio

nostro inquireremus per testes. et instrumenta et *a* predicta si de iure esset. facta inquisicione a nobis eis adiudicaremus et ipsos in predictis deffenderemus. nos uero dictus humbertus castellanus facta diligenti inquisitione receptis testibus dictorum hominum secusie siue uniuersitatis ipsius super predictis. uiso etiam instrumento uno super hoc producto ab eodem thomasio nomine dictorum hominum siue uniuersitatis secusie. habitato (*sic*) etiam iuris peritorum consilio sic dicimus et deffiniendo in scriptis pronunciamus. de uoluntate et mandato domini Amedei comitis sabaudie et marchionis in Italia quia dicimus et pronunciamus quod homines habent pascua in monte panterio et ipsos homines esse et fuisse longissimo tempore in quasi possessione dictorum pascuorum. Inhibentes uarcinis ne *b* de cetero. molestiam uiolenciam uel iniuriam faciant hominibus secusie uel familiaribus ipsorum siue bestiis in dictis pascuis. saluo tamen iure aliarum personarum si quod habent in dictis pascuis. Actum secusie in palacio ante ecclesiam. Testes fuerunt uocati et rogati. martinus monachus s. iusti de secusia. iohannes fornerii notarius de secusia michael notarius domini abbatis de secusia. magister petrus phisicus. petrus de alauardo. hugo de montemeliano habitator secusie. et ego willelmus fabri imperialis aule notarius hanc cartam rogatus scripsi et tradidi feliciter.

Rescriptum Amedei IV Sabaudie Comitis. *c*

1250 28 septembris

Ab exempl. saeculi XIV quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.

Anno domini millesimo cc. l. indictione viii quarto kal. octobris presentibus testibus infrascriptis et rogatis. cum homines seu uniuersitatis secusie a nobis Amedeo comite Sabaudie et marchione in Italia. humiliter supplicarent. propter urgentem necessitatem. et euidentem utilitatem tocius uille secusie et habitancium in ea. ut nos per menses septembris et octobris. reperimus (*sic pro receperimus*) *d* in nostro guidagio. conductu. securitate. atque protectione omnes homines comitatus domini dalphini cum bestiis ipsorum adque mercandia qui uenirent apud secusiam et eius territorium pro uindemiis faciendis uinis colligendis et aliis mercandiis portandis ibidem. uel inde asportandis nos uero dictus Amedeus comes habita deliberacione et proborum uicinorum consilio. ad instantiam hominum secusie seu uniuersitatis eiusdem loci per nos nostrosque heredes atque successores recepimus in nostro guidagio conductu protectione et securitate. omnes homines domini dalphini cum bestiis et rebus eorum in mensibus septembris et octobris uenientibus apud secusiam et eius territorium pro uindemiis faciendis et uinis colligendis ibidem et inde absportandis cum aliis mercandiis quas ibi portauerint uel inde absportauerint. et hec uniuersa et singula suprascripta nos dictus Amedeus comes promittimus tenere per nos. nostrosque heredes successores atque homines perpetuo tempore pacis et guerre petro bartholomei et petro barrali de burgo. et guigoni barrali. et rodulpho barrali. et martino de romanis recipientibus nomine suo et tocius uniuersitatis secusie. nec non et hominum comitatus dicti domini dalphini. qui uenient a comitatu ipsius domini dalphini dictis duobus mensibus apud secusiam et eius territorium eundo et redeundo per terram et posse nostrum et amicorum nostrorum et ubicumque fuerint ueniendo apud secusiam et redeundo reperimus in nostro guidagio et conducto de nobis nostrisque hominibus et fidelibus precipientes omnibus castellanis mistralibus. baiulis atque hominibus nostris ut dictos homines de comitatu supradicti domini dalphini uenientes et redeuntes apud secusiam per dictos duos menses manuteneant et deffendant et custodiant. et si qui contrafecerint penam mille solidos secusinorum monete. erga nos et nostros se nouerint incursuros. prius tamen restituto omni dampno et interesse iniuriato uel dampnum passo. dantes unicuique nostrorum hominum licenciam et auctoritatem uindicandi predicta sine ulla pena a nobis uel nostris infligenda uel imponenda. Actum secusie in palacio in camera predicti domini comitis. Testes dominus iacobus uenerabilis abbas secusiensis. dominus magister petrus lombardus officialis dicti domini comitis dominus uillermus rauoria miles. et plures alii. et ego iohannes sacri palacii notarius interfui et hanc cartam de precepto domini comitis supradicti scripsi rogatus. notandum est quod carta sigillata est sigillo predicti domini comitis Amedei. Rodulphus barralis filii quondam domini guigonis barralis custodit eam.

Revocatio poenae impositae facta a Thoma II Comite.

1258 22 augusti

Ab exempl. authentico saeculi XIV quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.

Anno domini millesimo ducentesimo lviii indicione prima die xxii mensis augusti. cum imposita fuisset pena benedicto barrali et bartholomeo bernardi per nuncium domini comitis uiginti libras ut scripta colecte communitatis secusie ostenderet et noluissent ostendere ut dicebant. et ideo pena predicta ab eis exigeretur. pecierunt dicti bartholomeus et benedictus barralis. et dominus rodulphus barralis. et dominus petrus barralis. et dominus bernardus de turre. et bartholomeus cobaudi nomine

suo et nomine uniuersitatis secusie ab illustri uiro a domino thoma de baudia (*sic*) comite dictam penam reuocari et retardari. qui dominus comes uisa eorum iusta peticione probata primo consuetudine. et uisis instrumentis franchisiarum pronunciauit dictam penam esse impositam contra consuetudinem et libertatem secusiensium ab antecessoribus datam et concessam. et in augmentum libertatis predicte promisit per se suosque successores quod de cetero aliquod bannum per se nec per aliquos subditos suos in secusia apponetur nisi que continentur in instrumento franchisiarum suarum nisi concederentur ei uel eis secundum quod hactenus consuetum est. precipiens michi notario infrascripto de predictis facere publicum instrumentum. Actum secusie infra palacium juxta cintenam. testes ad hoc uocati fuerunt. frater martinus rector domus s. anthonii de riuouerso. dominus humbertus de castellono miles. dominus iohannes de canuseo. uullermus fontana de auillania. dominus petrus barlotus. et ego ricardus robaudi sacri palacii notarius interfui et cartam ad quam exemplificata est ista rogatus scripsi. — uillermus siluester custodit eam.

Littera Amedei V Sabaudiae Comitis.

1307 28 ianuarii

Ab autogr. quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.

Amedeus comes sabaudie. dilectis suis. bayliuo et iudici uallis secusie et castellano secusie qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint salutem et dilectionem sinceram. Vobis et cuilibet uestrum precipiendo mandamus quot quot (*sic*) libertates et franchisias dilectis nostris burgensis secusie et hominibus territorii dicti loci per predecessores nostros concessas eisdem inuiolabiliter obseruetis et obseruare integraliter faciatis. mandamus eciam et per uos et per uestrum cuilibet attendi et obseruari uolumus ordinamenta que per dictos burgenses nostros uel ordinatus (*sic*) per ipsos seu ordinandos consensu tui castellani condita seu ordinata sunt uel fuerint in futurum in tantum quod si per ipsos ordinatum est ut supra uel fuerit emendam alicuius dampni dati fieri dampnum passo prius fieri facias. secundum ipsorum ordinamentorum formam quam a dampnum dante. aliquid banni nomine exigens uel exigere possis. seu aliquis uestrum. taliter in predictis uos et uestrum quemlibet habentes quod predicti burgenses nostri de uobis uel aliquo uestrum non habeant materiam conquerendi. in cuius rei testimonium sigillum nostrum duximus presentibus litteris apponendum. Dat. chamberiaci die sabbati post conuersionem s. pauli. anno domini millesimo tercentesimo VII exped. per dominum anthonium de bargiis iudicem nostrum sabaudie dilectum clericum nostrum.

Litterae Amedei V Sabaudiae Comitis.

1321 20 iulii

Ab exempl. authentico et sincrono quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.

Amedeus comes sabaudie dilectis suis aymoni de uerdone balliuo suo uallis secusie et castellano auilliane et domino eynardo de calcibus castellano suo secusiensi et aliis balliuis et castellanis qui pro tempore fuerint in locis predictis salutem et dilectionem sinceram. dilectorum nostrorum uniuersitatis
b proborum uirorum secusie querelam recepimus quod uenerabilis pater dominus abbas s. michaelis de clusa nepos noster siue officialis et pedagiarii eiusdem quosdam homines uniuersitatis predicte pignorauerunt seu pignorari fecerunt apud s. ambroxium pro quodam pedagio quod modo de nouo leuare nituntur ab eisdem. Iam ab aliquibus leuauerunt dictum pedagium per uiolenciam eorumdem licet homines uniuersitatis predicte in libertate steterint non soluendi pedagium supradictum per tantum tempus cuius contraria memoria non existit. item quod dictus dominus abbas aliquos de uniuersitate predicta apud taurinum coram episcopo dicti loci facit trahi in iudicium pro eo quod aliqua bona hominum de s. ambroxio apud secusiam fuerunt arrestata pro
c aliis bonis illorum de secuxia que apud s. ambroxium capta detinebantur occasione pedagii supradicti propter que homines de secusia grauantur in laboribus et expensis. igitur uobis et uestrum cuilibet mandamus quatenus nisi uobis constiterit quod homines secusie pacifice soluerint pedagium supradictum compellatis illos de s. ambroxio modo quo poteritis forciori ad restituenda pignora supradicta et ad desistendum a turbatione et exactione pedagii supradicti et dictum dominum abbatem ex parte nostra requiratis et exinde prout iustum fuerit compellatis ne predictos homines trahat in iudicium coram recto iudice quamdiu coram curia nostra parati fuerint facere iustitie complementum. de hiis precipue que ad nostrum spectant examen. item
d cum dudum statutum fuerit per uniuersitatem hominum predictorum non exartaret in montibus secusie nec nemora euelleret propter pericula ruynarum nemorum predictorum que frequenter occurrunt et que pro maiori parte planecies secusie destruxerunt pena adita leuanda ab illo siue ab illis qui contra predicta facere attentarent. quidam de dictis nemoribus albergauerunt et aliqui ibidem exarta fecerunt contra ordinamentum predictum. igitur uobis mandamus quatenus statuta facta per uniuersitatem predictam super predicta de consensu castellani nostri secusie actendi et obseruari faciatis ad euitandum periculum supradictum. Dat. chamberiaci die lune ante festum b. marie magdalene anno domini M. CCC. XXI.

Privilegium Amedei VI Sabaudiae Comitis.

1357 2 aprilis

Ab antiquo exemplari quod extat in tabulario civitatis Secusiae.

Amedeus comes sabaudie. uniuersis et singulis presentibus et futuris salutem et notitiam rei geste. Apud illos decreuit nostra magnificentia suam dexteram exhibere liberalem quos apud nostros predecessores et nos postmodumque successiue uere fidelitatis sinceritas illustrauit. et ad nos obsequendum cum expedit laboribus et uigiliis continuis animos beneuolos exhibent atque promptos. atendentes igitur ut conuenit amoris et fidei puritatem quam ad nos et nostros antecessores dilectos fideles nostros homines et uniuersitatem hominum uille nostre secusie semper habere cognouimus ab experto grataque seruitia nobis expensa fideliter ac nostris predecessoribus per eosdem in quibus continuo perseuerant. sibi uolentes ut nostram decet auctoritatem pro meritis respondere. et ipsis prosequere fauoribus graciosis. ut quanto se plus senserint nostris graciis communitos tanto ad nostra nostrorumque seruitia se exhibeant promptiores. suis itaque supplicationibus nobis per dominum iacobum de uienna uice et nomine dicte uniuersitatis porrectis benigniter inclinati. iustis etiam motis obseruationibus per rellatione habita de concessionibus predecessorum nostrorum. pro nobis et nostris successoribus dictis hominibus burgensibus et habitatoribus dicti loci secusie successoribus et posteritati eorumdem. damus et concedimus que inferius continentur ipsorum utilitati comuni uolentes pro uiribus prouidere. in primis quia sicut ipsorum partes proponit quod officiarii nostri libertates franchisias atque priuillegia usus et consuetudines ipsorum non obseruant eisdem unde dictis hominibus et burgensibus frequenter preiudicium generatur. uolumus et eisdem concedimus pro nobis et nostris successoribus in perpetuo quod baylliuus iudex uallis secusie castellanusque noster dicti loci secusie ac locumtenentes eorumdem qui nunc sunt et pro tempore fuerint in suis nouis regiminibus infra decem dies post requisitione subditorum dicti loci sibi et immediate sequendos. ad sancta dei euangelia tacta corporaliter iurare teneantur et debeant franchisias libertates ac bonos usus bonasque consuetudines loci et hominum predictorum firmiter obseruare et cum effectu. nec contra ipsas uel ipsarum aliquam ullo tempore facere uel uenire quamque ratione uel causa per se uel alium. et qui contrafecerint uel aliter attemptare presumpserint periurii penam incurrant nisi contrarium specialiter mandaremus de quo cum per nostras literas facerent promptam fidem. et eo casu non aliter a pena periurii excusentur. nichilominus a ipsa uel ipsis franchisiis libertatibus usibus et consuetudinibus bonis ipsorum firmis et illibatis perpetuo duraturis. nullo ex ipso mandato ipsi uel ipsis franchisiis libertatibus usibus et consuetudinibus bonis ipsorum preiudicio generando uel quomodolibet inferendo. et si forte dicti officiarii uel aliquis ipsorum requisiti utra dictos x dies illud prestare distulerint iuramentum. ex tunc in antea donec dictum iuramentum prestiterint omnia et singula que per tales officiarios non iuratos ut supra fiunt interim in dicta castellania secusie et locis singulis eiusdem pretestu officiorum suorum et exercitii eorum et cuiuslibet eorum nullius sint ualoris efficacie uel meriti ac dependencia et emergentia ex eisdem et singulis ipsorum in quantum uidelicet nos et dictos b tales officiarios tangunt et tangere poterunt in futurum. et differentes iurare dampna que interea substineremus nobis restituere teneantur. item eisdem concedimus ut supra quod aliquis noster aut nostrorum perpetuo successorum officiales uel commissarius quisque presens aut futurus non possit. debeat. uel sibi liceat quoquomodo dictis hominibus secusie uel alicui ipsorum seu dicte uniuersitati aliisue hominibus uicinis quibusque utentibus et qui uti consueuerunt franchisis et libertatibus loci secusie predicti. penam seu multam aliquam imponere. seu indicere summam quinque solidorum uiennensium excedentem. nisi pro facto et occasione caualcatarum nostrarum in et pro quo facto pena sexaginta solidorum uiennensium imponi ualeat et c non ultra. et si contrarium fieret penaque contra nostram presentem concessionem imponeret nulla sit ipso iure et per nos imposita habeatur. processusque qui super hiis fierent in contrarium irriti sint penitus et inanes. itaque appellationes non indigeant aliquali. item quia dicti homines secusie et alii morantes in ea super franchisiis dicti loci et uti soliti sint gaudere eisdem asserunt de assolutione pedagiorum gabellarum leydarum maletolte portinagiorum exactionum aliarum constitutarum et constituendarum et impositionum aliarum quouis nomine nuncupentur seu colligantur in totis terris baroniis nostris et uniuerso sabaudie comitatu ac locis uillis et castris que tenemus et tenebimus in futurum liberi et exempti uolumus et per nos et d nostris successoribus eisdem per se et suis concedimus quod de predictis et ipsorum solutione liberi sint et quiti. si et prout sunt et fuerunt hactenus consueti nec ad ipsorum solutionem per aliquos nostros officiarios aut collectores premissorum compellantur nisi prout consueti sunt prout supra. item uolumus et cocedimus eisdem omnibus et singulis hominibus personis et uniuersitatibus terre nostre et nostri sabaudie comitatus ac locorum singulorum eiusdem possint et sibi liceat contractus mutui et quoscumque alios ac omne genus negotiationum exercere libere impune et absque exactione extortione quibuscumque et absque eo quod propter hoc aliquid ab eis aut successoribus ipsorum in morte nec in uita uel post mortem quidquam petere ....

exigere possimus aut debeamus ab ipsis uel succes- a
soribus ipsorum aut eorum debita et bona alia quecumque per nos aut officiarios nostros aut alios quoscumque seysiri sequestrari uel impediri quoquomodo tamen contractus super hiis celebrandi fiant et contrahantur in loco secusie supradicto. quod si contrarium fieret per nos seu nostros officiales quoquomodo ex ipso uiribus non subsistat. item quia sicut per ipsorum fuit propositum coram nobis ipsi homines communitas et uniuersitas per nostros iudices in et pro dationibus et decretis tutellarum et curarum pupillorum et puberum loci et castellanie predictorum propter exactiones uniuersas multipliciter opprimuntur et grauantur. considerantes quod tales orfanos deffendere et conseruare debemus cum iure eorumdem. sic sibi super hiis duxi- b
mus prouidendum hec pro nobis et nostris successoribus eisdem burgensibus pro se et suis concedentes quod pro decretis tutellarum et curarum que uolentibus et petentibus dantur pro iudicio ut iure recipiatur uidelicet ab habentibus in bonis tria millia florenos uel super quinque floreni recipiantur dumtaxat ab habentibus in bonis minus tribus millibus florenis recipiatur pro rata dum tamen pro minori duo grossi et non minus soluant. sic tamen quod in casu quo contingeret super ipso ualore bonorum dubium scriborum quod iudex qui tunc fuerit super ipso ualore credat corporali super hoc prius habito iuramento duobus extimatoribus loci secusie uel duobus ex consiliariis aut burgensibus aliis dicti loci. quos et prout idem iu- c
dex pro tempore duxerit eligendos. de decretis uel curarum furiosorum uel mentecaptorum uel aliarum miserabilium personarum quibus satis afflictis non est afflictio supradenda. et etiam de decretis curarum que dantur inuitis ut ex hiis in acto fundentur iudicia medietas descripte quantitatis de tutelis et curis uolentibus et petentibus dandis exigitur .... tationibus et extrationibus patrimoniorum fiendis ut in ipso capitulo de tutelis exponitur euidenter. item porrecta nobis super hiis supplicatione sui parte pro nobis et nostris successoribus dictis hominibus secusie successoribus et posteritatibus eorumdem omnes ipsorum franchisias libertates eorum et singulas quas habent et quibus hactenus usi sunt per presentes confirmamus approbamus et d
rattificamus omnino ipsasque et bonos usus bonasque consuetudines per nostros officiarios quosque presentes et futuros locumtenentes eorumdem obseruare precipimus pure libere et absque extorsione qualibet cum effectu et in nullo quicumque in contrarium fieri opponi uel attemptari quod .... penitus annullamus et irritamus et pro nullo haberi uolumus et teneri. item predicta omnia et singula et hactenus per inclite recordationis nostros predecessores concessa sic promittimus pro nobis nostrisque successoribus et ad sancta dei euangelia corporaliter tacta iuramus firma rataque habere et tenere et non contrafacere uel uenire per nos uel aliam quamcumque submissam personam. uolentes et omnino iubentes quod per hanc nostram presentem concessionem contra nostros fideles secusie in eorum franchisiis libertatibus usibus et consuetudinibus bonis ipsorum hactenus per nos et nostros predecessores ipsis ipsorumque predecessoribus concessis nullum preiudicium nunc uel in posterum fiat uel quomodolibet quod .... nec per hoc aliqualiter minuatur in aliquo ymo potius augeantur. et si presens nostra concessio et memorata franchisias et libertates nostrorum fidelium predictorum per nos seu predecessores nostros eis seu predecessoribus suis concessis aut bonis usibus bonisque consuetudinibus eorum in aliquo repugnaret. ea .... uolumusque pro eis faciunt et non contra. Datum et actum in uilla nostra secusie in albergaria que quondam fuit iohannis de tillio dicti pollein die ramorum palmarum secunda mensis aprilis. anno domini millesimo ccc quinquagesimo septimo indictione decima. Sub appensione magni sigilli nostri ad equum in robur perpetuum et testimonium premissorum.

Litterae Amedei VI Sabaudiae Comitis.

1371, 30 novembris

Ab exempl. auth. anni 1488 quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.

Nos amedeus comes sabaudie dux chablasii et auguste et in italia marchio et princeps. dilectis fidelibus nostris nobilibus burgensibus habitatoribus et incolis et aliis uniuersis in burgenses loci nostri secusie receptis presentibus et futuris et uniuersis posteritatibus eorumdem maribus et femellis salutem et perfecte dilectionis augumentum. Inter cetera que cordi nostro gratiosa sunt et cumulos exultationis aducunt illud occurrit nostre considerationi precipuum ut locus noster secusie quem inter cetera loca nostra carissime diligimus et amamus nostris priuillegiis immunitatibus et franchixiis taliter fecundetur quod nobiles et persone notabiles que ciuitates et loca manere cum solacio consue-
uerunt ex loci amenitate ibidem confluant et per eminentiam priuilegiorum et situationis eiusdem ibidem exuberent et in ipso loco prheligant suam continuam secutionem. nos itaque iuxta ratione commoti. considerato quod collatores pedagiorum nostrorum et alii nostri officiarii comitatus dictis hominibus nostris in sinistra interpretatione priuillegiorum suorum uarias et indebitas frequenter inferunt sicut asseritur nouitates ut super punctis subscriptis que maiori correctione et emendatione indigent totus scrupulus ambiguitas et omnis obscuritatis nubilum suffocetur dictis nobilibus burgensibus habitatoribus et incolis secusie ibidem sua domicilia habentibus et aliis uicinis uel personis in burgenses receptis presentibus et futuris maribus et

femellis et posteritatibus eorumdem articulum et *a* super articulo franchixiarum et libertatum suarum qui sequitur. item quia dicti homines secuxie et alii morantes in et super franchixiis dicti loci et qui uti sunt soliti gaudere eisdem asserunt se a solutione pedagiorum gabellarum leydarum malitolte pontenagiorum exactionum aliarum constitutarum et constituendarum et impositarum aliarum quouis nomine nuncupentur seu colligantur in totis terris baroniis nostris et uniuerso sabaudie comitatu et locis uillis ac castris que tenemus et tenebimus in futurum liberos et exemptos uolumus et pro nobis et nostris successoribus eisdem pro se et suis concedimus quod de predictis et ipsorum solutione liberi sint et quitti si et prout sunt et fuerunt hactenus consueti. nec ad ipsorum solutionem per aliquos *b* nostros officiarios uel collectores premissorum compellentur. nisi prout consueti sunt prout supra. declaramus et tenore presentium concedimus liberaliter et largimus pro nobis et nostris heredibus et successoribus quibuscumque tamen quod a nobis habentibus et habituris in posterum et super eodem articulo potissime ubi dicitur si et prout sunt et fuerunt hactenus consueti. plenam et perfectam declarationem largitionem et concessionem facimus prout infra. uidelicet quod prefati nobiles burgenses habitatores et incole uicini et alii homines et persone in burgenses recepti mares et femine et qui et que de consensu nostri castellani secuxie recipientem in futurum non obstantibus aliquibus priuillegiis uel litteris a nobis uel predecessoribus nostris *c* super his in contrarium emanatis sint et esse debeant in perpetuo liberi absoluti exempti quitti pariter et immunes a peticione et prestatione reali et personali quorumlibet pedagiorum gabellarum maletolte pontenagiorum et impositionum aliarum constitutarum et constituendarum pro mercandiis rebus bonis personis et familia ipsorum et cuiuslibet ipsorum per totum nostrum sabaudie comitatum et omnes et singulas terras et baronias nostras et omnia castra uillas et loca singula totius terre nostre et nostri sabaudie comitatus que et quas tenemus ad presens et tenebimus per nos uel alium quolibet in futurum exceptis dumdaxat in locis et uillis sancti regueberti sancti germani pontis yndis burgi et aliis uillis et locis nostris a dicto loco sancti *d* regueberti inclusiue tenendo uersus partes regni francie in quibus pedagia et gabella que nobis a transientibus debentur nobis et nostris successoribus penitus excipimus et tenore presentium reseruamus tollentes et resesctantes omnia quelibet et singula puncta singulasque diciones in franchixiis et libertatibus secuxientium contenta que aduersus nostram declarationem largitionem et concessionem presentem possent facere quouis modo. item quia in quadam compositione facta coram nobis inter homines et personas dicti loci secuxie ex una parte et homines et personas uallis et castellate secuxie ex altera parte. contineri uidimus clausulam que talis est uidelicet quod si et quando locus noster secuxie fortificaretur uel repararetur in futurum in muris clausuris fossalibus portis uel aliis necessitatibus clausurarum reparationum et fortificationum dicti loci quod dicti homines et persone de ualle et castellata secuxie teneantur et debeant cum illis de secuxia contribuere etc. nos ad euitandas questiones et querellas que super his inter partes possent in posterum suboriri uolumus et huiusmodi clausulam proposito deliberato presentium declaramus uidelicet quod omnes et singuli homines et persone uallis et castellate secuxie qui et que in aliquibus missionibus et expensis fortaliciorum et clausurarum dicti loci secuxie contribuerunt aliqualiter temporibus retromissis teneantur et debeant perpetuo contribuere cum illis de secuxia in omnibus et singulis fortificationibus exclusis terris diffensionibus et aliis obstaculis que sunt et fieri contingerit in futurum et deuiationem et repulsationem aquarum durie et gelacie et quarumlibet ruinarum suarum per quarum fortes impetus qui frequenter inopinate succedunt sicut occulata fide prospeximus grandia parantur pericula in futurum muris et fossalibus supradictis pro ea parte uidelicet et quemadmodum in muris portis fossalibus et aliis fortaliciis contribuerunt aliquibus temporibus retroactis. non obstantibus aliquibus priuillegiis uel litteris quibusuis personis dicte castellate per nos in contrarium emanatis. item dictis hominibus secuxie in priuillegium et de speciali gratia concedimus et largimus quod ab inde in antea perpetuo non possit uel debeat aliquod fieri registrum in loco nostro secuxie predicto super aliquibus bonis uel rebus mobilibus uel immobilibus ad cuiusuis instantiam uel requestam pro aliqua causa necessitate uel casu qui uel que interuenire ualeant in futuro in loco nostro predicto sed debeant ipsi homines sine registro faciendo uel constituendo perpetuis temporibus remanere. non obstantibus aliquibus priuillegiis uel litteris a nobis super his in contrarium emanatis. sed ne in aliquibus tailliis seu impositionibus uel leuis que fient uel fieri contingerit in futurum in loco nostro predicto aliqui nobiles homines uel populares loci secusie minime taillientur. et ut de contributionibus et leuis que fient in posterum quislibet supportet suam legitimam portionem uolumus et nostra presenti in perpetuum ualitura constitutione statuimus. quod ubi quando et quotiens aliquam tailliam uel leuam seu impositionem aliquam fieri contingerit in eodem loco quibusuis rationibus necessitatibus uel causis quod pro taxandis distribuendis et tailliandis huiusmodi tailliis quantitatibus et leuis elligentur et elligi debeant per consilium et consiliarios dicti loci seu plures uel pauciores tam nobilium burgensium quam popularium prout dicto consilio uidebitur pro dicta tallia facienda taxanda et etiam legaliter taillianda. qui eligendi ante omnia iurare debeant super euangelia dei sancta in manibus nostri castellani dicti loci et sub dampnatione animarum suarum de talibus quantitatibus suam rectam et legiptimam imponere sin-

gulis hominibus portionem consideratis tamen fa- a
cultatibus et potentiam cuiuslibet hominum predictorum odio fauore timore et inhonesto quolibet sublato pariter et reiectis. item uolentes dictos homines secuxine uallis et castellate predicte semper maiori beneficio comunire eisdem hominibus et ipsorum posteritatibus in gratiam et priuillegium ex nostra certa scientia concedimus et largimur ubi et eo casu quo due partes hominum secuxine uallis et castellate super huiusmodi articulo et usu ipsi conuenire et concordes fuerint uidelicet quod nullus hominum uel personarum de ualle et castellata secuxie uel habitator uel conuersator ibidem seu aliquibus locis aut uillagiis dicte uallis et qui et que in posterum habitabunt uel alius quicumque uel cuiuscumque status uel conditionis existant ab inde b
perpetuo possint uel debeant aliquod uinum extraneum idest quod non sit natum in ualle et castellata predicta ad aliquem locum seu uillagium uallis eiusdem apportare seu apportari facere per se uel alium quouis modo. si quis autem contrarium fecerit uinum et bestie nobis ipso iure pertineant in contestum. et ultra contrarium faciens penam uiginti quinque librarum fortium nobis aplicandarum incurrat. excepto quod nos seu etiam noster secuxie castellanus pro usibus nostris et garnisone castri nostri secuxie hoc facere possumus non aliter quoquomodo. item quod cum per libertates usus et consuetudines secuxie sibi per nos et antecessores nostros datas et etiam obseruatas uinum natum extra franchixias secuxie non possit intra franchixias c
apportari nisi de ipsorum secuxiensium procederet uoluntate. uolumus et tenore presentium ordinamus quod si et ubi prior noualiciensis presens uel futurus pro necessitatibus ad potum sui conuentus monachorum et monasterii ac familiarium suorum apportari facere prospexerit aliquod uinum suum prorium et in suis uineis propriis de camerleto metran apud noualiciense monasterium. quod illud tale uinum sic necessarium et non aliud duci et apportari facere teneatur per passum petere stricte et per locum sacuxie transire. ita et tali modo quod de ipso uino nihil in eodem loco nostro secuxie remanere debeat. sed statim debeat dictus prior ipsum uinum ad dictum monasterium facere deportari non obstantibus aliquibus litteris a nobis in d
contrarium emanatis uel a nostris predecessoribus quibuscumque. et nostra quidem declaratione et largitione et concessione et omnia et singula supradicta. nos comes predictus promissimus bona fide nostra pro nobis et nostris successoribus et heredibus quibuscumque causamque habentibus et habituris ab ipsis prefatis de secuxia et aliis supradictis et ipsorum heredibus et successoribus quibuscumque rata grata et firma habere perpetuo et tenere complere attendere firmiterque et inuiolabiliter obseruare prout et quemadmodum superius describuntur. et contra non facere ullo unquam tempore quolibet uel uenire. mandantes et precipientes harum serie uniuersis et singulis bayllinis iudicibus castellanis officialibus gabellatoribus leideriis uincenariis pontenariis et aliorum contributorum nostrorum exatoribus ceterisque officiariis iusticiariis fidelibus et subditis nostris presentibus et futuris uel eorum locumtenentibus quatenus predictam gratiam declarationem et concessionem nostras presentes et omnia et singula suprascripta teneant attendant firmiter et obseruent stricte et attendi et obseruari faciant cum effectu. et in nullo contrafaciant uel opponant uel contrafieri uel opponi quomodolibet patiantur. nec a prefatis nobilibus burgensibus habitatoribus incolis uicinis in burgenses receptis seu qui recipientur in futurum ut supra maribus uel femellis aliquorum occasione pedagiorum gabellarum uincenarum et pontenagiorum leydarum maletolte seu impositionum aliarum quam mercandiis rebus bonis personis familiis ipsorum qui que petant uel exigant quouis modo seu peti exigi uel recuperari patientur preter que in locis superius exceptatis. Datum rippolis die tricesima nouembris anno domini millesimo tricentesimo septuagesimo primo. cum appensione nostri maioris sigilli nostro comuni sigillo muniti in testimonium premissorum.

Rescriptum Ludovici Sabaudiae Ducis.

1449 17 ianuarii

Ab autogr. quod asservatur in tabulario civitatis Secusiae.

Ludouicus dux sabaudie chablasii et auguste sacri romani imperii princeps. uicariusque perpetuus marchio in italia et princeps pedemontium gebennesii et baugiaci comes ac baro waudi et faucigniaci. nycieque et uercellarum dominus. dilectis mareschallis sabaudie bailliuoque iudici et procuratori uallis secusie et canapicii. etiam capitaneis fortificationum nec non castellano secusie ac ceteris officiariis nostris presentibus et futuris ad quos spectat etiam super hoc requirendis seu ipsorum locumtenentibus salutem. Dum supplicationem presentibus annexam inspeximus ad illius uerificationem nobis producte extiterunt litere transactionis inclite recordie proaui nostri carissimi domini amedei comitis quondam sabaudie. in qua expresse continetur quod quando et quotiens locus noster secusie fortificaretur uel repararetur in futurum in meniis clausuris fossalibus portis uel aliis necessitatibus reparationum et fortificationum dicti loci tunc homines et persone de ualle secusie teneantur et debeant cum illis de secusia contribuere. quam quidem transactionem seu pronunciationem successiue defunctus recolende memorie illustris auus noster carissimus dominus amedeus comes sabaudie suis litteris desuper annexis expresse confirmauit.

aliis literis in contrarium datis et concessis per dictum quondam dominum eius genitorem post datam dictarum pronunciationis literarum hominibus dicte uallis secusie non obstantibus quibuscumque subque aliis modis et formis in ipsis ambabus litteris nobis exhibitis seriosius declaratis. considerantes preterea prout in eadem supplicatione narratur personas ecclesiasticas loci et mandamenti predictorum secusie ultra tertiam partem bonorum ibidem possidere. prout parte dilectorum fidelium nostrorum sindicorum consulum et communitatis secusie nobis affirmatum extitit. impossibile que fore dilectis fidelibus nostris sindicis consulibus et comunitati secusie tantas fortifficationum et reparationum sarsinas in eisdem loco secusie luculenter necessarias sustinere aut effectui producere nisi ope dictorum ecclesiasticorum grandi. inde comoda tutaminis quoad earum personarum et bonorum reportantium. nec non aliorum incolarum dicti mandamenti ad ipsam fortifficationem et reparationem obnoxiorum subleuentur. idcirco eminente periculo circumuolantium turbinum guerrarum ineuitabile cernentes fortifficationem dicti loci ulterius protelari. uobis et uestrum cuilibet in solidum etiam quantum ad eum spectauerit et suo suberit officio districte precipimus et mandamus sub pena centum marcharum argenti per eum qui non paruerit comitenda et nobis irremissibiliter applicanda. quatenus uisis presentibus capiatis et uiriliter compellatis. primo omnes et singulas personas ecclesiasti- a cas in dictis loco et mandamento secusie bona immobilia censusque redditus et tributa annalia tenentes per dictorum bonorum captionem ad eademque manus nostre appositionem. etiam mobilium penes eos comperiendorum diuinis officiis expresse non pertinentium captionem uenditionem et expeditionem ac omnibus aliis uiis et modis quibus debite fieri poterit fortioribus. ad contribuendum in fortifficatione et reparationibus necessariis pontium etiam et uiarum dicte uille secusie secundum ratam bonorum que singula singulis debite referendo ipsi ecclesiastici in uilla et mandamento secusie tenere et possidere dignoscuntur. preterea cogatis et uiriliter compellatis uiis et modis omnibus fortioribus prout in nostris propriis debitis fiscalibus et agibilibus fieri debet et consueuit. b omnes et singulas personas nobiles et innobiles dictorum locorum et totius uallis et mandamenti secusie in eisdem fortifficationibus et reparationibus contribuere solitos et debentes ad contribuendum in illis secundum ratam cuilibet eorum debite imponendam. uos in hiis taliter habendo quod dicte reparationes et fortifficationes nullathenus retardentur. quinimmo celeriter etiam cum omni rigore et diligentia adimpleantur. quibuscumque friuolis oppositionibus reiectis et non obstantibus. etiam absque alterius expectatione mandati. in quantum dicta pena quilibet se formidet affligi. Datum thaurini die decima septima mensis ianuarii anno domini millesimo quatercentesimo quadragesimo nono.

STATVTA ET PRIVILEGIA

CIVITATI AVGVSTAE PRAETORIAE

CONCESSA A THOMA SABAVDIAE COMITE

ET A THOMA II EIDEM CONFIRMATA

ALOYSIUS CIBRARIUS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Romani imperii monumentis insignis augustana vallis est, prisca Salassorum sedes, quae etsi omnino ad Italiam pertinet tamen secundo Burgundiae regno adhaerere coacta est.

Initio saeculi XI eius imperium obtinebat magnus ille Sabaudi generis parens Humbertus Comes quem Rodulpho III Burgundiae Regi arcto sanguinis foedere conjunctum fuisse plurimis argumentis et indiciis iam demonstravimus (*).

Hinc prima potestas Principibus nostris fuit Italiae via barbaros prohibere; et posteaquam praeter Paenini et columnae Iovis iuga etiam Cinisius et Genevus montes in eorum ditionem redacti sunt, iure alpium domini atque Italiae ianitores sunt salutati. Hinc etiam factum est ut non solum magnos spiritus in re militari sumerent, verum etiam in civilibus negotiis rara prudentia ac dexteritate uterentur.

Non eadem tamen qua praedecessores sui felicitate imperium administravit Humbertus III; nam quum Fridericus Aenobarbus contra italicas civitates servitutis vexillum proponeret, atque caede, incendiis, populationibus per agros et civitates nostras longe lateque grassaretur, Humbertus in tanta rerum iniquitate nec ei penitus adhaerere nec contra eum aperte stare audebat. Quamobrem multa mala a saevo illo Caesare perpeti

(*) Vide *Documenti, monete e sigilli raccolti in Savoia, in Svizzera e in Francia. Rapporto.* Aliudque opus cui titulus: *Sigilli della Monarchia di Savoia raccolti ed illustrati* in praefatione.

6

debuit, quamdiu secunda illi fortuna fuit, e parum gratiae apud libertas Lombardiae civitates habere visus est, postquam iteratis praeliis se patriam virtutem non proiecisse probarunt; quum hostis publicus praecipiti se se fugae mandabat; quum demum solemni stipulatione libertatis nostrae ipse Fridericus adsertor fuit.

Per hos varios fortunae eventus nutantes populorum animi erant. Et forsan ea tempestate augustani, aut novis imperiis studentes, aut minus prompti ad censum reddendum Principi causam dederunt, cur in illos animadverteret. Quidquid sit, nam rei notitiam invidet aetas, Thomas Humberti, filius qui consilio potens et armis avitam fortunam incredibili virtute redintegravit, volens, non solum iniuriam, si qua lata fuisset, condonare, sed leges et privilegia quae augustanorum felicitati conferrent eorum civitati tribuere, solemne statutum anno 1188 promulgavit ex quo, non eos se in deditionem accepisse uti aliquibus placuit, sed seditionibus, atque tumultis publicam tranquillitatem paulo ante fuisse labefactatam aperte demonstratur; cuius mali causam exactoribus, qui avare et crudeliter munus gererent, referendam esse ex primis edicti verbis colligitur. Vale. Dabam Augustae Taurinorum idibus ianuarii anno reparatae salutis M. D. CCC. XXXV.

STATVTA ET PRIVILEGIA

CIVITATI AVGVSTAE PRAETORIAE

CONCESSA A THOMA SABAVDIAE COMITE

ET A THOMA II EIDEM CONFIRMATA

1188-1253 14 augusti

Descriptum ab Codice antiquo membranaceo quod asservatur in tabul. Civitatis Augustae

Anno Domini MCCLIII indictione undecima nono kalendas septembris. Thomas de Sabaudia Comes uniuersis presentibus et futuris praesentes literas inspecturis rei geste notitiam cum salute. Notum facimus uniuersis quod cum nos intrassemus uallem Augustam et essemus in ciuitate Augustae et ibidem reperissemus et uidissemus quoddam instrumentum siue quamdam cartam sigillatam sigillis illustrorum ac nobilium uirorum domini Thome quondam patris nostri et domini Amedei fratris nostri factam confectam seu ordinatam super libertate predicte ciuitatis Auguste et quibusdam bamnis et aliis quam plurimis in ea plenius contentis. Tenor cuius talis est. - Quod attramite misericordie et pietatis non deuiat effectu debet prosequenti compleri. Ea propter ego Thomas Maurianensis Comes et Italie Marchio uisis et cognitis calamitatibus et eciam oppressionibus et iniuriis illatis trado ciuitatem Auguste cum suburbiis consilio episcopi Walberti et baronum meorum libertati ita quod nunquam deinceps ego uel successores mei tailias uel exactiones inuitas per me uel per mistrales meos faciam. Sed ab omni inquietatione ecclesias et bona episcopi clericorum et religiosorum uirorum pro uiribus meis deffendere tenear. Dono eciam ego comes sub bamno meo illud spacium quod est a ponte lapideo Bauthegie ad pontem sancti genisii ex utroque ponte usque ad duriam sicut rippa ueniens ad Bauthegia circuit ciuitatem et suburbia. Si quis autem infra praedictum terminum alicui uim intulerit uel uulnerauerit uel aliquo modo percusserit dampnum et
a iniuriam leso restituat ad cognitionem nuncii comitis et habitatoris domino satisfaciat. Si quis uero hominem interfecerit persona ipsius et eius bona confiscentur. Pro hae autem libertate concessa praedictis habitatoribus presentibus et futuris promittunt fidelitatem comiti se facturos et obseruaturos. Si quis namque a promissione ista reselierit et conuinctus fuerit persona illius domino tradatur et res eius confiscentur. Praeterea omnes habitatores infra predictum spacium constituunt reddere annuatim comiti episcopo augustensi et successoribus eorum duodecim denarios pro qualibet extensa brachiorum domus sue. Ita quod per anteriorem partem secundum latitudinem protendatur exceptis domibus clericorum et militum et religiosorum. Successiones
b uero peregrinorum mercatorum transeuntium per ciuitatem uel commorantium in ea uel morientium sicut consuetudo hactenus inoleuit ita maneant in perpetuum. Excusati uero quibus deputati sunt sicut consuetum est exceptis taliis seruire teneantur. Praeterea comes et episcopus habeant pro equo et equa si uendantur infra predictum terminum quatuor denarios. pro boue uaca et asino II denarios pro oue et capra et porco obolum. Si quis extra terminum in fraudem uenderet uel emeret in X solidos condempneretur. Si quis uero clerici ecclesiam uel domos suas claustrali muro circumdari uoluerint sine contradictione facere ualeant. de omnibus prouentibus prefate ciuitatis et suburbiorum debet habere episcopus terciam partem et comes duas tam
c de presentibus quam de futuris. Si quis in episcopatu auguste comitem offenderet ciues burgenses comitem pro uiribus suis iuuare debent. Si quis uero furtum infra bampnum meum commiserit et conuinctus fuerit persona et res eius tam mobiles quam immobiles in uoluntate domini comitis et nuncii eius sint. Si quis infra terminos prescriptos in domo alicuius clerici uel ciuis uel burgen-

sis insultum fecerit in LX libras condempnetur. Similis de fractura si quis sagitam cum arcu uel balista pertexerit penam LX librarum incurrat. Si quis in adulterio deprehensus fuerit. adulter et adultera nudi per ciuitatem ducantur et poenam LX solidi incurrant. Si quis pontem de exparaueras uel pontem suaue uel pontes supra bautegium fregerit uel aliquo modo uiolauerit LX librarum pena multetur. Si quis falsam mensuram grani uel uini habuerit infra terminos prescriptos uel in molindinis LX solidorum pena teneatur. Ad reprimendas malicias et oppressiones hominum tam presencium quam futurorum. Ego Thomas comes de consilio baronum meorum et habitatorum ciuitatis auguste recipio in protecione mea personas clericorum ciuium burgensium uineas et omnes possessiones mobiles et immobiles. hec autem per uniuersum comitatum sub iuramento cum baronibus meis obseruare pro posse fremiter promitto. Hoc eius et burgenses sui iuramento promittunt. Quincunque qui huic iuramento contra ire presumpserit damnum et dedecus leso restituat et in penam C libris condempnetur. Preterea omnia iura pedagia talias inuestituras quas episcopus et uniuersalis ecclesia infra predictos terminos hactenus habuerunt ipsis episcopo uidelicet et ecclesiis districte precipio illesa obseruari. Statuo etiam ego Thomas comes mihi et posteris meis fremiter obseruandum ut quicumque in ciuitate auguste uel suburbiis mihi et successoribus meis uel nunciis aliquid credidit tam diu pignora in domo sua deposita deteneant uel redditores aut fideiussores tales habeat quod hospes non possit inde decipi uel grauari. Item ad preces et comoda totius ciuitatis et suburbiorum sub pena LX librarum statuo inuiolabile obseruandum ut peregrini mercatores et omne genus transeuntium a monte iouis uenientes per portam sancti Stefani usque ad mensuram lapideam descendant et eundo per publicam statam ad portam sancti Vrsi sine fraude sine dolo in ciuitate uel suburbiis sine coactione aliqua ospicium sibi acquirant. Similiter uenientibus de Lombardia sub eadem pena eandem uiam districte precipio tenere. Ne quis autem habitator ciuitatis uel suburbiorum hoc mandatum meum infringat sub predicta pena prohibemus. Huic autem institutioni audientes et consencientes fuerunt et approbantes Aymericus uicecomes Tharantasiensis qui in persona comitis et sua ex mandato eiusdem hanc institutionem iurauit obseruare super sancta dei euangelia et super beatissima corpora sanctorum qui in ecclesia beate marie auguste requiescunt. Hoc idem iurauerunt Gontherius filius predicti Aymerici ex mandato patris in persona ipsius et sua. Hoc eodem modo iurauerunt guigo de teis humbertus de uilleta ugo demerius Petrus de saisel gonterus de ayma boso uicecomes augustensis iacobus et elisianus de porta sancti ursi wilielmus de nuns et fratres eius Petrus et aymo ugo de bardo fratres de ayma uilla eprardus aymo petrus ardicio ugo guilliemus. hoc idem iurauerunt oddo et emericus de arnaut

a bermondas de moniouet anselmus et uillielmus grossus filii tiobaldi guillielcus de prouacis aimo de porta uillielmus secol. Nos uero uisa dicta carta et que in eadem continebantur et pluries lecta et diligenter inspecta et examinata in qua quedam que in ea continebantur uidebantur esse obscura et plenius ac melius esse declaranda et specificanda et quedam addenda habita deliberatione nolentes in aliquo derogare dicto instrumento siue carte seu iis que in eo uel in ea continentur sed potius ea que obscura erant in ea declarare et aliqua ipsis addere pro utilitate honore et libertate tam ciuitatis quam uallis auguste sic dicimus statuimus et ordinamus quoque uolumus et precipimus quod dicta carta et omnia que in ea continentur perpetuo
b teneantur fremiter seruentur et inuiolabiliter custodiantur. Item uolumus statuimus atque ordinamus quod si quis in futurum infra terminos statutos ordinatos et contentos in carta predicta. Aliquem hominem interfecerit ignem apposuerit uel apponi fecerit uel iusserit et qui mulierem uiolenter rapuerit uel eam ui oppresserit uel qui stratam publicam non solum infra terminos predictos sed et extra maliciose fregerit quod persona ipsius et bona eius confiscentur. Item si quis sagitam cum arcu uel carrellum cum balista infra dictos terminos lanceam espieu iusarma maciam fauconem cutellum destralem querrellum uel consimilia traxerit uel proiecerit causa procuciendi penam XXV libris incurrat et de lapide X libris. Item si quis infra dictos ter-
c minos falsam monetam fecerit uel consilium et auxilium ad eam faciendam dederit uel ea scienter usus fuerit persona ipsius in uoluntate comitis sit et bona ipsius omnia mobilia et immobilia confiscentur. Item si quis infra dictos terminos ensem cutellum totum uel partem aliquam traxerit causa percutiendi aliquem pro toto emse uel cutello soluat pro bampno X libras pro parte LX solidos et si quis arma preter cutellum per uillam portauerit postquam hospicium intrauerit morando in uilla nisi sit in exitu uel introitu uille armaturam amittat et penam LX solidis incurrat. Et si quis falsum testimonium tulerit uel falsum instrumentum fecerit soluat pro bampno LX libras uel pugnum amittat. Item si quis infra dictos terminos clausuram alicu-
d ius orti curtilis aut uiridarii factam sine muro fregerit de nocte soluat pro bampno LX solidos sed de die uero XXX solidos et si de muro fuerit clausura et ipsam aliquis transierit uel portam fregerit de nocte soluat pro bampno X libras. sed de die hoc fecerat soluat pro bampno C solidos. Si uero partes ille essent clausuram alicuius domus et cum armis frangeretur porta uel hostium siue paries ille esset de muro siue non soluat pro bampno XXV libras et hoc tam de die quam de nocte. Item si aliquis de nocte furatus fuerit seu ceperit fenum herbam fructus iuxta clausuram uel aliquid aliud in hortis uiridariis curtilibus uel uineis soluat pro bampno LX solidos. Item si quis infra dictos terminos usque ad effusionem sanguinis sine gladio percusserit soluat pro

bampno LX solidos. Item si infra dictos terminos quis *a* percusserit aliquem de pede uel baculo sine effusione sanguinis uel ruptura ossi uel amissione membri soluat pro bampno XXX solidos et plus ad arbitrium et cognitionem potestatis uel castellani domini comitis secundum qualitatem delicti et persone. Item si quis infra dictos terminos percusserit aliquem de pugno uel de palma pro bampnis soluat de palma X solidos. de pugno XX solidos et plus uel minus ad cognitionem potestatis uel castellani comitis secundum qualitatem persone et delicti. Et si quis ceperit alium per capillos cum una mano soluat pro bampno V solidos si cum duabus manibus X solidos si traxerit eum per capillos ad terram XX solidos. Item si quis infra dictos terminos habuerit falsam ulnam uel falsum pondus uel eis usus fuerit *b* soluat pro bampno cuiuslibet LX solidos. Item si quis macellator infra dictos terminos uendiderit aliquas carnes quernatas uel meiellas pro sanis uel carnes arietis pro montonnis uel carnes troie pro porcimnis uel carnes alias pro aliis queque essent soluat pro bampno X solidos et carnes sic uenditas amittat. Item non solum ille qui predicta uel aliquid de predictis fecerit teneatur ad bampna supradicta. sed omnes illi qui eidem quoad hoc consilium et auxilium dederint. uel qui cum eis fuerint socii. Item si aliquis infra dictos terminos aliquod bampnum de predictis commiserit et eum soluere non potuerit uel noluerit uel dampnum uel iniuriam passo non emendauerit uel ad cognicionem comitis potestatis uel castellani ipsius de hoc stare *c* uoluerit dominus comes potestas uel castellanus ipsius ipsum possit bampnire et terram eidem interdicere. Et quicunque post bampnum uel interdictum domini comitis potestatis uel castellani ipsius a tribus diebus in antea ipsum receperit uel receptauerit in domo suo et uictualia et necessaria ministrauerit soluat pro bampno XXV libras si pro malefitio fuerit bampnitus si uero ex causa pecuniaria soluat eundem bampnum quemadmodum bampnitus. Item si aliquis infra dictos terminos alicui uenenum dederit uel aliquem intossicauerit uel ad faciendum hoc consilium uel auxilium dederit persona ipsius sit in uoluntate comitis et bona ipsius omnia confiscentur. Item si aliquis infra dictos terminos aliqua consimilia supradictis uel minora seu maiora com- *d* miserit quae non sint comprehensa in premissis. uolumus et precipimus quod illa accidenter corrigantur et castigentur ad cognitionem domini comitis potestatis uel castellani ipsius secundum qualitatem delicti et persone qui de iuratis probis hominibus ciuitatis secum aduocet. Item uolumus statuimus atque ordinamus quod potestas qui fuerit in augusta pro domino comite uel nuncius ipsius peregrinis mercatoribus et aliis uiatoribus seu transeuntibus per ciuitatem auguste dicat et faciat ius illis sine ulla dilatione prorogatione uel subterfugio. Item si aliquis infra dictos terminos aliquem appellauerit seu uocauerit pro malo proditorem uel latronem seu furem et illud non probauerit uel probare poterit soluat pro bampno LX solidos. Item si aliquis uilis et abiecta persona infra predictos terminos dixerit alicui probo uiro uerba iniuriosa et idem probus uir eidem dederit alapam uel exclarardam uel ipsum impinserit non teneatur de bampno. Item uolumus et precipimus quod si aliquis filios uel filias sorores uel fratres seu nepotes uxorem consanguineum uel familiarem alium percusserit moderate et causa corretionis non teneatur ad aliquod bampnum de predictis. Item si quis infra dictos terminos incurrerit bampna predicta uel aliquod ipsorum et non possit illud soluere qualiter in persona puniatur seu castigetur ad arbitrium domini comitis potestatis uel castellani ipsius secundum qualitatem delicti uel persone. Item uolumus quod ea omnia que diximus statuimus superius in hominibus habeant locum ac mulieribus secundum qualitatem delicti uel persone. Item si quis degerauerit soluat pro bampno LX solidos. Item statuimus et uolumus quod omnes iurati de ciuitate auguste qui interfuerunt presentes fracture uille teneantur detinere delinquentes et qui contrauenerint soluat pro bampno X libras. Item uolumus et precipimus quod de omnibus supradictis que in futurum committentur ab aliquo infra dictos (*sic*) dictos terminos. quod fiat emenda de dampnis iniuriis passis siue lesis et delinquenti ad cognitionem domini comitis potestatis uel castellani ipsius. Item si quis infra terminos predictos aliquem hominem inuite detinuerit penam X librarum incurrat et iniuriam passo emendet. Item si quis infra dictos terminos bona seu res alicuius hominis inuito domino abstulerit penam X librarum incurrat et bona seu res ablatas restituat. Actum est hoc auguste in claustro ecclesie beate marie ubi fuerant uocati testes et rogati et specialiter uolentibus et expresse consencientibus uidelicet dominus R. Tharantasiensis archiepiscopus dominus petrus augustensis episcopus petrus prepositus atque canonici et capitulum ipsius ecclesie cum toto clero ipsius exceptis quibusdam capitulis in quibus apponitur pena sanguinis. In quibus noluerunt consentire propter irregularitatem nec etiam eis contradixerunt dominus gottafredus et fratres sui aymo uicecomes et boso. Aymo dominus de nuns bermondus philippus montisiioueti emericus et oddonimus de uerresio fratres domini de arnaut petrus willielmus moruellus willielmus pontis sancti martini dominus iacobus de uallesia (*lacuna*) aymo petrus hugo de sarro fratres iacobus de sarro iacobus de foza bonifacius de uilla uice dominus et iacobus frater suus petrus de grans et quam plures alii nobiles uallis auguste cum clero et populo totius ciuitatis auguste consentientibus et laudantibus supradicta. Ego iacobus barberis sacri imperii et comitis sabaudie notarius et scriptor omnibus interfui et sic rogatus scripsi et tradidi fideliter (1).

(1) V. Documenti ec. raccolti in Savoia, in Isvizzera, e in Francia per ordine del Re Carlo Alberto da Luigi Cibrario e Domenico Promis, p. 82.

STATVTA ET PRIVILEGIA

CIVITATIS NICIAE

FRIDERICVS SCLOPIS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Nicaea urbs ad Varum veteri Liguriae adscribitur, originem vero a Graecis repetit, teste namque Strabone (*) *Nicaea in Massiliensium iure permanet.* Ad limites veluti posita Italos inter et Gallos, Nicaea varia fortuna usa est. Motibus Italorum in commercia quandoque sociata, Gallico dominatui saepe addicta, studiis contrariis non semel exagitata, tandem in ditionem Comitum Sabaudiae sub finem saeculi XIV concessit. Fidissimam postea istis Principibus se praebuit, et bellica fortitudine simul ac tolerantia malorum fidem suam probavit. Non est cur historicum agamus, sed hic memorasse sufficiat Nicaeam, Burgundiae regno primo adiunctam, paruisse deinde Provinciae Comitibus, postea in libertatem se vindicasse. Neque diu liberi municipii iura retinuit, sed Provinciae Comitum armis tentata iterum sub eorum venit imperium, ex quo in potestatem Sabaudiae Principum se recepit.

Nicaeensium rerum notitiam hucusque praecipue ex Gallicis scriptoribus quaesivimus; nunc brevi speramus fore, ut in lucem prodeat nobilissima alpium maritimarum historia a Petro Iophredo iamdiu conscripta, et de itala gente narrationes ab italo viro accipiemus.

(*) Geographia lib. IV.

Inter statuta municipii privilegia Imperatorum et Principum non raro, amice lector, invenies, e quibus melius nosse poteris et rerum conversiones, et internam, uti Graeci vocant, πολιτείαν.

Huiusmodi statutorum editio, ni vehementer fallimur, eruditum lectorem apprime iuvabit; est enim tum legum antiquitate, tum fontium, e quibus profluunt, varietate conspicua. Experrectam gentis indolem, Provincialium instituta, Catalauniae consuetudines exprimunt, de quibus loquimur, leges, et proprio quodam, ac diverso a caeteris patriae historiae monumentis describuntur colore. Hoc unum addam, posse te, benevole lector, novum ex hisce statutis eruere documentum constantissimi nostrorum conatus ad depellendam barbariam. Vale. Dab. Augustae Taurinorum idib. ianuar. an. rep. sal. MDCCCXXXV.

STATVTA ET PRIVILEGIA

CIVITATIS NICIAE (*)

(I)

Quomodo Imperator Fredericus concessit in feudum Comitatum Provinciae, et Forcalquerii.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Cum romani imperii dignitas, sicut nulli mortalium venit in dubium, per se principaliter ac singulariter nullo nisi divino nixa praesidio totius honestatis omniumque virtutum sit adornata fulgoribus tanta comparatione solis quam habet ad alia sydera, excellentiori gloria et celsitudine omnia regna et reliquas potestates vel dignitates videtur praecellere quando illustrium principum ac sapientum virorum, qui portant orbem, ampliori numero et merito decoratur. Unde nos, qui divino munere romani orbis regimus habenas praeclara merita fidelium devotionem ac fidem antiquorum prae oculis semper habentes et imperialibus beneficiis, quae in meritis praestare consuevimus remunerare cupientes, sub taciturnitate et silentio velut ingrati non debemus praeterire, nec possumus; verum per praesentes apices ad notitiam universorum imperii fidelium deducere, et dignum duximus palam omnibus declarare quam sincera, quam diligens, quam praeclara, quam prona et quam fervens circa gloriam et honorem imperii, et circa nostram dilectionem fides et devotio nostri carissimi Raymundi Barcilonensis comitis, et illustrissimi principis extiterit, et revera magnifica eius ob- c
a sequia et praeclara opera subsecuta declarassent quantae fidei et declarationis circa nostram personam fuerit, nisi divina vocante gratia, quae aufert spiritum principum, (1) de medio ipse sublatus fuisset, de cuius indigno obitu non possumus in perpetuum non dolere; huc accedit quod nostra praecordialis dilectio erga talem et tantum amicum otiosa esse nullatenus potuit, praesertim cum eius amorem et studium sincerum circa personam et honorem carissimae neptis nostrae Rich (2) Hispaniarum Reginae oculata fide prospexerimus, et ipso rerum effectu probaverimus veraciter ita esse. Eapropter cognoscant universi fideles imperii praesentes et futuri, quod nos ob memoriam tantae fidei ac devotionis quae a nostro corde recedet eiusdem praefati comitis carissimi amici nostri
b nepotem Raymundum, scilicet praedictae neptis nostrae illustrem maritum vice patris cum plenitudine dilectionis et gratiae amplectimur, et diligimus, eidemque sicut dilecto et fideli principi nostro, eiusque heredibus omnibus comitatum Provinciae concessimus et in feudum dedimus, sicut tenuit eum comes Barcelloniae et praecessores eius incliti principes tenuerunt a Durencia usque ad mare, et ab alpibus usque ad antiquum Roddanum, et sicut divisit cum comite Alphonso, et quod habuit ultra Durenciam, sive in Avinione, sive in aliis castris cum omnibus pertinentiis et iuribus suis pertinentibus ad regale seu imperiale servitium. Insuper concessimus ei in feudum civitatem Arelatensem ita ut omnes cives sint ad eius fidelitatem et servitium sicut esse deberent

(*) Etsi in exscribendis tum diplomatibus tum etiam antiquioribus Statutis veteri orthographia ad instar fere *fac similis* codicum usi sumus, in nonnullis tamen, ut in istis Niciae, in Taurinensibus etc., quae prae manibus imperitorum palaeographiae esse quandoque possunt, recentiorum scribendi modum servamus.

(1) Raymundum Berengarium morte correptum fuisse cum Augustam Taurinorum peteret ad invisendum Fridericum Imperatorem compertum est.

(2) Sic legitur in codice, sed minus recte forsan; potius hic innuitur *Petronilla* Raymundi uxor. — Hispaniae totius dominatum affectabant in titulis reges Aragoniae, ut in aliis documentis saeculi XII cernere est.

ad servitium nostrum, tam milites quam populares, et quod omnia regalia ipsius sint tam in monetis, quam portibus, ripariis, pratis, pascuis, salinis, et omnibus aquarum decursibus, et omnia omnino habeat quae ad ius imperiale spectant, excepto eo quod archiepiscopus et ecclesia Arelatensis habet vel habuit a centum annis retro in eadem civitate. Praeterea damus ei in feudum comitatum Forcalquerii cum omnibus regalibus suis pertinentibus ad comitatum, ita quod idem comes de Forcalquerio faciet homagium et fidelitatem comiti Provinciae quemadmodum nobis deberet, quod si facere noluerit perdat comitatum; hoc idem de comite Forcalquerii fecimus, quem ex quo romani imperii diadema divinitus adipiscimus ad curiam nostram venire, et beneficium suum a manu nostra recipere contumaciter supercedit, cuius comitatus iusto iudicio ita nobis adiudicatus est, quod inde faciamus quidquid nobis placuerit. Praedictus vero Raymundus comes illustris Provinciae iuravit nobis fidelitatem contra omnes homines, et hominium praestitit, et faciet servitium nobis et imperio pro praedicto feudo; pro regalibus autem quae concessimus ei tam in Arelate quam in supradicto feudo dabit nobis seu successoribus nostris regibus et imperatoribus singulis annis in purificatione beatae Mariae apud Arelate tam ipse quam eius successores legitimi heredes cuncti quindecim marchas auri boni ad iustum pondus Toloni, et comes faciet Legatum vel Legatos nostros nostrorumque successorum secure conduci, et ei, vel eis prout decet et convenit honeste serviri. Si autem placuerit nostris successoribus aliquo tempore intrare in Provinciam, seu civitatem Arelatensem tam comes, quam comitatus et civitas et tota erunt ad nostram fidelitatem, et servitium et mandatum, vel successorum nostrorum, sane ne contra hanc nostram donationem seu confirmationem quid venire praesumat, vel aliquod rescriptum praesenti paginae obviare vel refragari valeat, omni corroborationis munimine eum confirmamus; veniens enim ad praesentiam nostram apud Thaurinum Hugo de Baucio duo privilegia aureis bullis signata attulit, unum videlicet dignae memoriae Conradi regis, dilectissimi patrui nostri, et aliud nostrum, in quibus continebatur quod patruus noster et nos concesseramus ei omnem terram quam tenebat quondam Gilibertus avus eius, et avia eius; occasione autem illorum verborum nitebatur probare marchiam et totum comitatum Provinciae ab utroque sibi esse concessum; cuius probationem utpote frivolam et omni veritate vacuam, verborumque illorum iniustam interpretationem in praesentia principum et totius curiae cassavimus; et quod comitatus Provinciae seu marchia praedictorum privilegiorum auctoritate nullomodo ad praefatum Hugonem de Baucio spectare deberet hac ratione promulgavimus, ex uno quod regem Conradum dilectissimum nostrum patruum numquam oculis suis vidit, nec corporalem investituram terrae alicuius ab eo nunquam suscepit; ex alio vero cum investituram terrae avi sui, et aviae suae a nobis peteret de comitatu, pro marchia

a Provinciae nullam mentionem fecit neque nos eundem comitatum atque marchiam illo vel aliquo tempore ei concessimus. Si ergo praedictus Hugo de Baucio eadem privilegia ad reiterandum probationem suam pro obtinenda marchia, vel comitatu Provinciae aliquo tempore protulerit, frivola sit, et omni carens vigore praedictorum privilegiorum interpretatio, quem nos supradicto illustri comiti Raymundo specialiter ac nominatim cum omni iure et honore concessimus et praesentis privilegii auctoritate confirmamus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina sunt haec: Conradus Maguntinae Ecclesiae electus, Voldericus Aquilegensis Ecclesiae electus, Hermanus Fardensis episcopus, Henricus Leodonensis episcopus, Udo Aymensis episcopus, Hermanus Ardelhensis episcopus, *b* Uncio Vercellensis episcopus, Hermanus Herifeldensis episcopus, abbas Herlenoldus Stabulensis abbas, Fredericus dux Suevorum filius regis Conradi, Conradus comes Rehemensis germanus domini imperatoris, Lagdilaus dux Polonorum, Uldaricus dux Bohemorum, Albertus marchio Saxoniensis, Otto palatinus comes de Vultura, Sabach Bertrandus castellanus Madaburgensis, Ulricus Birugensis et alii quamplures. Signum domini Frederici Romanorum invictissimi imperatoris. Ego Raynaldus archicancellarius et sanctae Treviren. Ecclesiae archiepiscopus recognovi. Scripta sunt haec: anno incarnationis dominicae millesimo centesimo sexagesimo secundo indictione decima, regnante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, regni eius decimo, imperii vero octavo. Datum apud *c* Thaurinum post destructionem Mediolani decimo quinto calendas septembris.

(II)

Incipiunt capitula et statuta civitatis Niciae, dum ipsa regebatur per consules.

Et primo, forma iuramenti per consules, sive Potestates in introitu eorum officii.

Ego consul vel Potestas iuro ad sancta Dei evangelia bona fide et sine omni dolo et fraude, remoto odio, amore, et timore, cum socio meo, quem in hoc officio habuero ab hoc anninovo usque ad aliud of- *d* ficium consulariae vel potestariae, regere ad honorem Dei et matris nostrae Ecclesiae et ad honorem et utilitatem totius civitatis Niciae et quod non accipiam donum, vel praesentalias ab aliqua persona, quam sciam vel credam quod debeat placitare per totum meum consulatum, exceptis esculentis, vel poculentis, sine fraude. Nec ego consul ultra centum solidos de communi accipiam pro feudo meo, nec occasione alicuius causimenti, vel remunerationis, et illos accipiam ultra salarium mihi per consilium ordinatum, nec consilium pro dono vel remuneratione mihi facienda, vel iudici, seu assessori qui nobiscum erit faciam vel fieri permittam, quod omnes consiliatores iurare faciam quod non consiliabunt nec consentient, quod ego vel iudex, vel aliquis officiarius Communis, vel

qui pro eis fuerit ultra suum salarium habeat, vel a accipiat de Communi, nec aliqua persona pro eis, et hoc nullomodo possit emendari, nec haberi possit, nec peti consilium, nec parabola.

Item, custodiam et salvabo, atque manutenebo omnia iura et rationes civitatis Niciae, et omnes res quaecumque in potestate mea pervenerint de Communi similiter salvabo et custodiam bona fide ad utilitatem communis Niciae; et non minuam nec fraudabo rationem comunitatis Niciae pro aliqua singulari persona, nec rationem singularis personae pro Communi, nec vendam aliquas possessiones immobiles, vel iura Communis sine voluntate maioris partis.

De extraneis qui offenderint.

Item, non permittam aliquem extraneum qui offensionem fecerit in civem Niciae, videlicet qui eum cepisset vel errobasset, vel vulnerasset, vel atrocem iniuriam ei fecisset, vel debitum aliquod ipse vel eorum universitas ei deberet, venire in Niciam absque voluntate illius qui dampnum vel iniuriam passus fuerit, vel cui debitum debetur, nisi voluerit facere rationem ei, vel eis in manu consulum, quam debeat firmare se facturum antequam intret ad voluntatem consulum, vel eorum iudicis; et si, me inscio, Niciam intraverit absque voluntate illius, qui dampnum passus fuerit vel cui debitum debetur, non prohibebo illum qui dampnum passus fuerit vel cui debitum debetur quin se cambiet de rebus illius, ymo c consilium et auxilium ei vel eis ad cambiandum de rebus illius dabo; de persona illius non consentiam quod vindictam sumant absque mea voluntate, et si ante me eum duxerit, et de eo mihi querimoniam deposuerit, eum tenebo donec conquerenti rationem idonee fecerit, vel idoneam securitatem ei fecerit, vel ei faciat rationem.

De iudice consulum.

Item, statuimus quod iudex consulum vel Potestatis non possit exire territorium, nisi pro facto Communis, sine licentia maioris partis consiliariorum quos posset habere in Nicia, bona fide et sine fraude, d vel consulum seu Potestatis, qui essent in Nicia.

De debitis extraneorum.

Item, si aliqua universitas, civitas, vel burgi, vel alterius villae debet, vel debuerit dare alicui civi nostro aliquam pecuniam vel rem, transacto termino illius pecuniae vel rei solvendae, non permittam aliquem de universitate illa Niciam intrare absque voluntate creditoris, quousque dicta universitas satisfecerit creditori, vel plenam iusticiam exhibuerit, si debitum universitatis non negaret; haec eadem dicimus de debito quod castellanus extraneus debet Niciae alicui civi nostro.

De electione campariorum.

Item, eligam duos probos homines de consilio meliores et legaliores quos potero bona fide, qui teneantur per sacramentum una cum consulibus vel Potestate, quod eligent duodecim camparios, qui non habeant avere de campo, nec emant per totam campariam suam, nec accipiant presentellas aliquas pro electione campariorum, et quod bonos et utiles eligant meliores quos poterunt bona fide invenire, qui iuramento tenebuntur ab isto festo anni novi usque ad aliud praedia et vineas, arbores et fructus omnes de universo territorio Niciae custodire intus et extra prout continetur in brevi quo iurabunt; quibus non dabo nec dari permittam aliquid de communi pro
b officio campariae, excepta tertia parte campariae de bandis et aliud quod pertinet ad eos, et quilibet camparius teneatur dare fideiussorem unum consulibus vel Potestati pro centum solidis, quod sit bonus et fidelis, et attendat consulibus vel Potestati pactum suum, nec aliquis qui sit periurio condempnatus, vel qui furtum emendaverit (1) possit esse in camparia.

De donis consulum vel Potestatis.

Statuimus quod consules vel Potestas non possit dare per mensem ultra decem solidos, et non possit quaerere parabolam a consiliatoribus ut aliquid donent ultra dictos solidos decem, excepto curiae; et in hoc fraudem non possint facere.

Quod savorra (2) non proiiciatur in portu Olivi (3), nec sancti Lamberti.

Consules vel Potestas faciant iurare nautas ne aliqua savorra in portu Olivi proiiciatur nec in illo sancti Lamberti in tantum quantum bucii (4) anchoras proiiciunt et ultra viginti cannas, et si quis contra hoc fecerit dabit per iustitiam solidos viginti.

Quod consules possint conveniri, et non convenire alium.

Statuimus quod consules teneantur respondere et testimonium dicere et possint conveniri, alium vero, durante consulatu ipsius, convenire non possint, nisi de causa quae ante consulatum suum fuerit incepta, vel libellus fuerit datus, vel si in tempore sui consulatus aliquod ius inciperet eis primo competere, quod non habeat iure cessionis, vel emptionis, vel debiti.

(1) Verbum *emendare* hic accipitur pro poenae solutione.

(2) *Savorra*; recte latine diceres *saburram*, italice *zavorra*, gallice *lest*, sabulum scilicet vilius et crassius quo naves onerari solent usque ad certam mensuram ut stabiliores sint.

(3) *Portus Olivi* hodie *Villafranca*, portus in extremo maris sinu prope Nicaeam, quo facilior navibus appulsus.

(4) *Bucius* V. Ducange ad vocem. — Hodie etiam vernacula locutione a Genuensibus *guscio* pusilla navis appellatur.

De solliis.

Statuimus quod nullus civis uel habitator Niciae faciat sollias (1) infra muros, nisi in suo proprio, nec extra, et non iuxta barrios (2), nec in alieno nisi de voluntate illius cuius erit, quod si fecerit dabit per iustitiam solidos quinque.

De fideiussione civis pro extraneo apud civem.

Item, si quis civis pro extraneo apud alium civem nostrum fideiusserit vel debitorem se constituerit, non cogemus ipsum portare fidem seu solvere nisi iuramento debitum firmaverit.

De vino apportato extra civitatem.

Item, statuimus quod quicumque attulerit vinum in hac civitate, dabit pro qualibet metreta solidos duos, nisi fuerit civis, ita quod ipse de propriis vineis suis habuerit ipsum, et pro quibus vineis det in quistis Niciae.

De extraneis morantibus in societate.

Statuimus, si quis extraneus iurabit compagniam, et habitationem Niciae et in ea habitaverit cum rebus suis, defendam illum cum rebus suis, quas in posse nostro attulerit, tamquam alium civem nostrum.

De portu Olivi.

Salvabo et defendam omnes venientes in portum Olivi, et in ripam Niciae tamquam civem nostrum, nisi sit fur, vel raubator, vel de terra aliqua, vel persona aliqua contra quam civis Niciae aliquod ius habuerit, seu potestatem capiendi, vel laudem.

De sententiis et laudibus.

Sententias latas, laudes factas, venditiones, alienationes factas per praecedentes Potestates, vel consulatus, vel per iudices eorum de rebus communibus ratas et firmas habebo in perpetuum, et sententias et laudes executioni bona fide mandare tenebor, sed de rebus immobilibus communis Niciae non possit fieri alienatio sine voluntate maioris partis consiliariorum per campanam congregatorum; omnes venditiones et alienationes, incantationes, sententias et laudes, vocationes, et cetera causarum iudicia facta vel factas officio consulatus vel Potestatis praecedentes ratas et firmas tenebo, salvis capitulis de rebus Communis; et hoc locum habeat praeteritis et futuris.

(1) *Solium* area V. Ducange ad vocem.
(2) In Provinciae comitatu *barrium* vocant eum aedium numerum qui muris includitur. V. Ducange ad vocem.

a *De emptione publice facta*

Quicumque rem aliquam emerit publice et bona fide, non teneatur eam reposcenti domino reddere, nisi, pretium, quod in ea dederit, restituat emptori; et hoc capitulum locum habeat solummodo adversus homines undecumque sint, in cuius civitate, vico, vel castro istud capitulum vel consuetudo observatur, et in quibus civitas Niciae, non est excepta, et si alicui civi Niciae aliquod ius competat, vel delatum sit contra homines unum vel plures alicuius civitatis, burgi, castri, vel villae, vel res quas ipsi tenent, et civis noster de eo iustitiam postulaverit coram iudice rei, vel possessoris, et in causa succubuerit occasione alicuius capituli quod factum sit, vel in eo additum
b in civitate illa, castro, vel burgo, vel villa postquam ius illud competere incipit civi nostro, si civis Niciae cambierit se de bonis hominis illius civitatis, vel burgi, vel castri, vel villae, non compellam ipsum reddere bona, quae ob id ceperit usque ad quantitatem suae petitionis, vel sui iuris; si quis vero ultra hoc habuerit totum reddere compellam.

De venditione et obligatione viri et uxoris.

Omnem venditionem, obligationem, et contractum, quem vir et uxor insimul concorditer fecerint, vel factum habebunt cum aliquo, vel aliquibus, si vir et uxor maiores fuerint annorum viginti quinque firmum sit in perpetuum cum sacramento, vel sine
c sacramento; si vero fuerint minores, vel alter eorum minor, et sacramentum fecerit, similiter sit firmum in perpetuum; et hoc capitulum locum habeat praesentibus, praeteritis, et futuris.

Quod usus fructus in sortem creditoris computari non possint.

Item quicumque vineam, domum, figuaretum, seu alias possessiones immobiles pro debito alicui impignorauerit, debitor non possit in sortem ususfructus creditori computare, nisi dictum sit inter eos; idem intelligimus si consules, vel Potestas posuerint aliquem in possessionem pro debito, vel societate, excepto quod de primo anno computentur fructus in
d sortem si recuperaverit possessionem, salvis expensis, quas utiliter in possessione fecerit; et istud capitulum locum habeat praeteritis, praesentibus, et futuris.

De instrumento publico.

Item quicumque publicum instrumentum habuerit de mutuo, vel de societate, et illud tenuerit per sex annos ultra terminum sine requisitione debiti vel societatis facta coram consulibus, vel Potestate, praesumam creditorem fore solutum, et instrumentum cassum fore et vacuum, excepto quod minori de annis quatuordecim, qui tutorem vel curatorem non habuerit, non currat hoc tempus sex annorum, nisi

postquam annum decimum quartum compleverit; si vero tutorem vel curatorem habeat, ipsi minori totum dampnum restituam, excepto si creditor absens steterit in Ianua vel in monte Pessulano, vel infra; et hoc capitulum locum habeat ab hac die in antea: anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo quinto; indictione septima.

Quod pignus non possit dispignorari infra tempus.

Item, statuimus, quod si aliquis accepit vel acceperit in pignore aliquam rem immobilem, usque ad terminum debitor non habeat licentiam dispignorandi, nisi creditor fructus prius receperit; et si ad terminum debitor non dispignoraverit, vel post terminum usque ad mensem, et creditor inceperit laborare, debitor non possit dispignorare, nisi creditor prius fructus receperit, et si terminus non poneretur, debitor non habeat licentiam dispignorandi, nisi creditor prius dispignorare voluerit infra mensem, restituantur expensae utiles ubi factae.

De immobili extraneorum non pignorando.

Quicumque extraneus in civitate Niciae domum seu aliquam possessionem immobilem emerit, seu titulo permutationis habuerit, nos consul, vel Potestas non permittemus aliquem Niciensem rem illam pignorare, seu alio modo accipere pro aliquo debito vel offensione, vel dampno, quod homines civitatis, vel castri singulariter, vel generaliter fecerint, in qua, vel quo ille qui rem Niciae emerit, vel permutaverit permaneat, nisi ille in sua propria persona possit conveniri de debito, vel offensione, vel dampno.

De domo, vel horreo ab extraneo locata.

Item, quicumque domum, vel horreum, vel archam locaverit ad ponendum bladum, vel aliquid aliud Niciae, sive in Nicia, vel de praedictis rebus commandam alicui civi nostro fecerit, similiter non permittemus aliquem Niciensem res illas accipere occasione alterius debiti, vel dampni, vel offensionis.

De immobili extraneorum non pignorando.

Item, quicumque extraneus, qui in civitate Niciae vel eius territorio habuerit rem immobilem, nos consules, vel Potestas non permittemus rem illam ab aliquo pignorari, vel alio modo accipere contra voluntatem ipsius, nisi pro facto proprio ipsius, cuius erit, nec etiam pro laude.

De promissione facta extraneo volenti venire in civitatem.

Item, si quis extraneus fecerit promissionem consulibus, vel Potestati quod infra certum tempus ad
a habitandum Niciae venerit, et infra illud tempus aliquam rem apud aliquem civem Niciensem deposuerit, vel deponi fecerit, infra illud tempus non permittemus aliquem rem illam pignorare, vel alio modo contra voluntatem eius accipere, nec etiam occasione laudis.

De induciis dandis.

Item, de universis causis, quae ante me motae fuerint, si fuerint a centum solidis infra, non cogam actorem libellum dare, sed eius petitionem in cartulario describere faciam; nec inducias dabo ad respondendum reo ultra tres dies, si petitio fuerit quinquaginta so-
b lidorum infra; si vero erit de solidis quinquaginta, vel a solidis quinquaginta supra usque ad centum, non dabo inducias reo ultra decem dies; si vero libellus fuerit exactus de solidis centum, vel a solidis centum supra, ipsum dare faciam, sed actionem exprimere actorem non compellam, ex quibuscumque verbis ad factum pertinentibus propositum rationes utriusque partis agnoscere potero, illam finiam et iudicabo; si vero illa causa ultra centum solidos, dabo terminum viginti dierum si fuerit exactus *libellus*, et pignus bandi ab utraque parte, quod bene valeat, vintenum de hoc quod petitum fuerit, accipiam, nisi inopia alicuius partium remanserit, et tunc iuret quod laboret inopia et se pignus bandi dare non posse, si mihi fuerit visum ipsum inopia labo-
c rare, et si scire potero ipsum habere res mobiles, vel immobiles unde pignus bandi dare possit, ipsum compellam dare antequam procedatur in causa; et si actor propter inopiam pignus bandi dare non poterit, non compellam reum pignus bandi dare, et quamvis reus propter inopiam pignus bandi dare non possit, nihilominus ab actore illud accipiam, et de quanto reum absolvero ab actore vintenum accipiam, nec ab illo si vicerit, sive sit reus, sive actor qui in causa obtinuerit, accipiam, nisi medietatem de bando de hoc quod vicerit, sed medietatem sui pignoris victori reddam. Similiter si eum condempnavero vintenum probando accipiam, et si compositio inter partes facta fuerit, ab utraque parte pignus bandi pro medietate accipiam; nec sententiam dabo,
d nisi de tanto, de quanto pignus bandi habuero, et postquam pignus bandi habuero ab utraque parte tenebo litem contestatam, sed nec pignus reddatur, nec de ressiduo per totum meum consulatum audiam actorem, et ante litis contestationem pignus bandi ab utraque parte accipiam, praedicto modo, nec pro tempore deliberandi, nec pro confectione inventarii quod petatur, non dimittam, quin in causa procedam, et de causa cognoscam; tamen nullum praeiudicium generetur heredi defuncti circa haereditatem ob id quod ante tempus deliberandi, vel ante confectionem inventarii coactus est respondere, et ita consumare possit inventarium infra tempus statutum, et hereditatem repudiare infra tempus deliberationis, ac si respondere in iudicio compulsus

non fuisset, et ex quo per exequutionem in eum, *a* aliquem bis appellavero, et ante me venire noluerit, sive ante litem contestatam, sive post, rationes actoris audiam et in causa procedam; ac si reus praesens esset, et ideo non minus accipiam a reo pignus bandi si eum ei invenero.

Item, de induciis dandis.

Quadrimestrias inducias nulli confesso, vel condempnato dabo, sed sententiam et confessiones eius per res et facultates eius, si quantitas, in qua sit condempnatus, vel confessus, erit ultra centum solidos, infra triginta dies mandabo effectui, si vero a solidis centum infra viginti dies effectui mancipabo; si vero species fuerit de qua sit con- *b* fessus vel condempnatus, infra octo dies effectui mancipabo; si vero species fuerit de qua sit confessus, vel condempnatus, infra octo dies effectui mancipabo.

De testibus debitorum pro instrumento publico.

Item, statuimus quod de debitis, quae continentur in instrumentis publicis non detur alicui petenti terminus ad deliberandum ultra tres dies, contra illum qui instrumentum acceperit. Item testes contra illud instrumentum non audiemus, nisi illos qui sunt scripti in illo instrumento, nisi in solutione vel remissione illius debiti.

De confessione instrumenti publici.

Statuimus, quod quicumque confessus fuerit accepisse pecuniam, vel aliud pro pecunia, quod post confessionem illam infra mensem unum conquestus non fuerit coram consulibus, vel Potestate, in publico instrumento non possit obiicere de cetero exceptionem non numeratae pecuniae, si creditor ille iurare voluerit pecuniam illam dedisse, numerasse, vel fecisse numerari.

De contractibus factis inter laicos et clericos.

Item, quod omnes contractus quoscumque fecerit *c* civis noster cum episcopo Niciae, vel cum praeposito, vel cum abbate, vel cum priore, vel qui pro priore publice habeatur, vel cum magistro Cavalariae, vel hospitalis de Varo, vel sancti Lazari (1), vel alicuius domus religiosae cum, maiori parte capituli vel fratrum ipsarum domorum, si non erit ibi praepositus, vel prior, vel abbas, vel magister, ratos et firmos habebo in perpetuum; et hoc capitulum locum habeat praeteritis et futuris.

(1) Milites, seu equites Templi, et Ordinis sancti Iohannis Hyerosolomitani, vel exeunte saeculo XII, plures Niciae consedisse, ibique bona possedisse, domosque aegrotis curandis habuisse e documentis colligimus.

De factis sequentibus.

Si pro aliqua lamentatione, vel eius confessione, quam aliquis habitator Niciae ante consulatum fecerit, aliqua persona, clericus, vel laicus, occasione alicuius iurisdictionis quam ipsa dicat se habere cum illo, aliquod dampnum fecerit, auferam ei simplum de hoc quod dampnum fecerit, et ex hoc restituam dampnum passum in id quod dampnificatus erit.

Capitulum de viis.

Si quis probaverit quod ipse per se, et eius datores usus fuerit actu vel gestu quiete per triginta annos, praesumam servitorem fore, constituam et ipsum ius eundi ibi habere, nec pendente causa patiar quod iter sibi impediatur, si aliunde ad terram suam commode ire non posset.

De contractu cum filiofamilias negotiatore.

Contractus autem qui factus fuerit cum filio familias negotiatore, quem pater negotiatorem patitur esse, et cum ipso habitet, sive cum uxore alicuius negotiatoris, qui ipsam similiter negotiari permittat, ratos et firmos habebo, et ita actionem dabo *d* ex illis contraxisse.

De quistis faciendis.

Item, si quistas facere sortes semel proiiciam per podios Niciae, sicut vadunt cartularii, et in illo podio ad quem sors pervenerit, incipiam colligere ostiatim, nec transibo domum aliquam, a qua collectam habere debeam pro colligendo aliquid de collecta, nisi prius habuero collectam in denariis, vel pignore valoris de duobus tres, et plus; si hoc dare noluerit destruam omnia bona sua, donec veniat ad satisfactionem, et pignora quae habebo pro quistis, sive pignora bandi, quorum causae finitae fuerint, sive pro iustitiis in calega vendam infra dies quindecim postquam collectae fuerint; si vero vendere non potero, mittam ad vendendum Ianuam, vel Massiliam per idoneum nuncium, qui iuramento tenebitur ipsa pignora bona fide vendere, et pretium pignorum consulibus, vel Potestati quam cito poterit consignare.

Item de collectis.

Item, consules, vel Potestas eat cum duobus probis hominibus de podio per collectam, nisi forte remanserit necessitate infirmitatis, vel necessitate terrae.

Item, teneantur habere totam quistam, vel collectam sicut eam invenient scriptam in cartulario de quistis, nisi remanserit in moratione, aut mutatione arbitrorum, ita quod Commune nihil ibi admittat. Item, nemo qui domum regat, non possit dare minus de solidis duobus, nisi cognoscerent consules, vel Potestas quod necessitate paupertatis non posset illos dare. Item, dicimus de foemina ad minus de denariis duodecim, et eadem die, vel in crastinum denarios collectae creditoribus persolvant postquam podium erit collectum.

De possessione habita per annos quindecim.

Si quis aliquam rem immobilem, praesente adversario, quiete et sine molestia facta coram iudice per quindecim annos ipse, et eius datores possederit, praesumam illum, vel illos titulo possedisse, et praescriptione munitum fore, exinde non audiatur clamor, nisi sit minor qui rem ipsam vindicaverit, vel persona quae infra tempus dictum actionem movere non possit de praedicta re adversus possidentem; et hoc capitulum locum habeat praesentibus, praeteritis et futuris pro personis religiosis et laicis, et non intelligimus personas religiosas minores esse.

Quod nullum servitium consules,
vel Potestas accipiant.

Ego consul, vel Potestas ex quo electus fuero per totum meum consulatum nullum servicium vel servicia, mutuum vel mutua accipiam, vel requirere faciam ab aliqua persona vel aliquibus personis occasione placiti, quod iudicare debeam, vel iudicari facere, et si cognovero vel credidero, quod cognoscere studebo quod aliquis aliquid accipiat bona fide pro me ei qui dederit si illud habere potero, vel tantundem valens reddam, nec cum aliquo, qui ante me placitum habeat, societatem aliquam faciam, vel fieri faciam de pecunia.

De cartulario fiendo de rebus minorum.

Praeterea de omnibus debitis et rebus minorum speciale cartularium faciam fieri tutoribus, matribus, aut propinquioribus cuiuscumque minoris rationem suam diligenter conscriptam per singula tradi faciam, si a me per illos fuerit postulatum sive requisitum.

Qualiter pecunia minorum collocetur.

Si intimatum mihi fuerit per amicos, vel propinquos alicuius minoris quod eius tutor vel curator pecuniam ipsius minoris in societatibus, vel incantationibus ad eius utilitatem collocare recuset, si tutor ille vel curator habet inde potestatem in
a ultima voluntate illius patris minoris, vel minorum, ego tutorem illum vel curatorem hortabor, et inducam, et si opportuerit compellam quod idoneis personis ad societatem committam, et cum bona, et idonea securitate, et ego tutori vel curatori laudem, si a me petierit, faciam, qui de dampno quod inde forte contingerit nullo modo conveniri possit vel dampnificari.

De collocanda pecunia minorum, et furiosorum.

Si cognovero aliquem ad meum consulatum pertinentem decedere vel decessisse, non relicto tutore, vel curatore liberis suis, ego sine fraude tenebor
b bona ipsorum minorum, similiter et furiosorum, et mentecaptorum, et illorum minorum, quorum pecuniam apud notarium invenero, et quae de societatibus eorum reddetur, bona fide ad utilitatem eorum collocare, consilio duorum meliorum, et utiliorum, quos habere potero, ex propinquis minorum vel minoris, duorum ex parte patris, et duorum ex parte matris, vel maioris partis eorum, et si propinquos non habeat, ex melioribus vicinis dictam pecuniam collocabo ad proficuum minorum, secundum consuetudinem terrae, illis personis quae mihi idoneae videantur, et quae meo arbitrio pignus auri, vel argenti idoneum fideiussorem vel fideiussores praestiterint, qui se principaliter obligent in solidum, et qui renuntient iuri de principali prius debere conveniri, et
c cum sacramento si fuerit ultra libras decem in ordinatione consulum, vel Potestatis, sic quod sine omni exceptione conveniri possint, et sub poena dupli, et iuramenti religione, et qui in mea et sociorum ordinacione obligent de pecunia ipsa, capitale videlicet et proficuum, terminis constitutis exsolvenda in ordinatione tantum consulum, vel Potestatis; quod proficuum solvere teneantur in capite anni in denariis, seu auro vel argento, et quod si capitale reddere debuerint solvent illud in denariis, vel in mobilia ad beneplacitum propinquorum, et quod nullo modo quaerimoniam vel molestiam faciat, sive fieri faciat, seu consentiat, vel occasione praestet quod fiat de proficuo inde praestito apud quemcumque clericum, vel laicum; et si aliquando contrafactum fuerit,
d ipse totum dampnum infra mensem, ex quo postulabitur, minori vel eius heredi restituat; nec de pecunia minoris alicui locabo, quem non credam habere tantum mobile ipsum, vel fideiussorem, quantum fuerit illa pecunia, quam a me petierint ditiori, vel quod maius mobile habere cognovero, et utiliori pecuniam collocare tenebor.

De rebus minorum si incantatae fuerint.

Item, quoties res minorum incantatae fuerint, non permittam res venditas de calega (1) extrahi, nisi

(1) *Calegae* gallice *criées*, italice *subastazioni*.

soluto pretio, nec ego consul, vel Potestas in ipsa *a* calega, nec scribam meum, nec aliquem gardatorem incantare faciam, nisi per regendam ipsam calegam ad minorum utilitatem, et ipsius calegae rationem per meum notarium fieri faciam in praesentia consulum, vel consulis, vel Potestatis, qui ipsi calegae interfuerint, et ipsam summam diligenter scribi in cartulario notarii faciam, et quis consul, vel persona denarios ipsos receperit, cuius etiam summam praescriptam faciam tribui matri, et propinquis minorum, vel minoris quorum fuerit calega ipsa, si tamen matrem habuerit, et quod cautum sit minoribus, furiosis, et mentecaptis cartularium fieri faciam de omni pecunia minorum, et capitalis et proficui, scilicet quibus collocabitur ad utilitatem ipsorum, et quod inde expenditur, et si mater vel pro- *b* pinquus ex his rationem videre voluerit, ego sibi rationem faciam exhiberi.

De remotione tutelae minorum.

Si quis dederit, vel dedit plures tutores filio suo, vel filiis suis, aut reliquerit, et assertione quorundam propinquorum minorum cognovero ipsum, vel ipsos tutores suspectos, et curam minorum, vel minoris removere, et ipsum, vel ipsos a tutela ipsa absolvere, et ipsorum vice, aut loco alium, vel alios de ipsius minoris, vel minorum propinquis, bonos et idoneos, consilio tamen trium vel quatuor meliorum et utiliorum ex reliquis propinquis ex parte *c* patris, et totidem ex parte matris, secundum quod mihi, et totidem ex parte matris, secundum quod mihi et meis sociis melius videbitur de tutela ipsa collocanda.

De minoribus iterum.

Si a quocumque inde commonitus fuero, ego per tutorem cuiuscumque generis res et bona pupilli, vel pupillorum ad meam iurisdictionem pertinentem describere faciam per manus publici notarii cum testimonio propinquorum seu viciniorum pupillorum, ac cartam inde fieri faciam prout melius potero, et ad utilitatem pupillorum custodiendam lo- *d* cabo, et si quis tutor hoc facere recusaverit, si invenero quod mihi utilius videatur, alium tutorem minori dabo, et ipsum a tutela removebo.

De foeminis traditis in matrimonium.

Foemina tradita in matrimonium, sive maritata a patre, sive a matre, sive ab avo paterno, sive ipsis existentibus, a fratre patris, vel ab ava paterna, seu a fratre, seu voluntate alicuius eorum, non habeat facultatem ipsa, vel heredes eius requirendi, vel p etendi quicquam plus in bonis eorum, nec de rebus mortui fratris adversus fratres, vel heredes eorum, nec adversus heredes avi paterni, neque barbam (1), neque fratris, neque aviae paternae, qui eam ex bonis patris nupserit quam quod habuerit, vel acceperit ab aliquo ipsorum ipsa, vel mater pro ipsa, excepto eo quod pater vel mater, seu avus paternus, aut frater vel heredes avi ei donaverint. Illae vero quae maritatae non sunt, non possint petere amplius in bonis paternis adversus fratres vel heredes, nisi quantum ei dabunt in ultima voluntate; si autem ab intestato decesserint, et non dederint eis aliquid, tunc consulatus, ad quem causa pertinebit, cum ipsa fuerit annorum duodecim vel plurium, duos, vel tres propinquos de melioribus et utilioribus, quos defunctus habebat tempore mortis, elligat, et quos consulatus credat melius scivisse voluntatem defuncti, in quorum dispositione sit quantum mulier in dotem de bonis paternis habere debeat.

Quod traditus vel tradita in monasterium non habeat licentiam aliquid petendi in bonis paternis.

Item, si quis masculus, vel foemina in monasterium, vel ecclesiam fuerit, vel erit traditus vel tradita non habeat ipse, vel ipsa, seu quaecumque persona eius occasione facultatem vel licentiam quicquam plus requirendi in bonis patris, vel matris, nec de rebus mortui fratris, vel sororis adversus fratres vel sorores, neque adversus fratres barbàrum, neque adversus aviam paternam, neque adversus fratres, qui eum vel eam tradiderint in monasterium, sive heredes eorum, nisi quantum monasterio pro eo, vel ea datum fuerit, vel promissum. Et ista omnia capitula quae dicta sunt a capitulo *foemina tradita* usque huc, locum habeant in praeteritis et futuris.

De testamento.

Si quis contemplatione ultimae voluntatis, qui testamentum facere possit, rerum suarum fecerit dispositionem, licet institutiones, vel substitutiones secundum leges non fecerit, dispositiones illas firmas habebo, sicut in publico instrumento in quo quinque idonei testes, vel testibus masculis et idoneis rationabiliter probatae fuerint, vel si masculorum duorum testium attestationibus defuncti patris, vel matris, aut avi paterni inter liberos masculini vel foeminini sexus probetur, eam ratam habebo, salva tamen in bonis parentum filiis, et parentibus in bonis filiorum falcidia, secundum quod leges definiunt. Ita tamen dictum est, quod si quis contra testamentum factum per notarium pro more civitatis Niciae per duos testes probare velit quod non admittatur talis probatio, nec prosit ei talis probatio.

(1) *Barba* pro patruo et avunculo sumitur; hanc appellationem pleraeque superioris Italiae dialectus et hodie retinent.

De donatione mulieris causa mortis.

Si qua vero mulier habens patrem donationem fecerit causa mortis, ego donationem et institutiones, ac substitutiones, quas in ea fecerit ratas, et firmas habebo, dum tamen donatio illa placeat patri eiusdem mulieris, et si ipse pater ratam eam habere velit, salva tamen falcidia filio, vel filiis sicut ordo iuris expostulat.

De cimiterio eligendo.

Item, laudo, confirmo, quod omnis homo, cui placuerit eligat cimiterium in vita sua, et in ultima voluntate ubicumque sibi placuerit, et non dimittam ipsum forciari quin sepeliatur in cimiterio quod elegit, salvo gagio ecclesiae sanctae Mariae, et aliarum ecclesiarum.

De relictis ecclesiarum.

Item, non permittam quod aliquis civis Niciae donet, vel dimittat, vel vendat aliquas possessiones immobiles alicui ecclesiae, vel domui religiosae, vel hospitali, ita quod Commune amittat in eis suas collectas et sua iura, et si fecerit, nihilominus collectas de ipsis possessionibus ab ipsis domibus religiosis accipiam, et nullus civis aliter praedictis domibus aliqua dare vel dimittere vel vendere possit, et quicumque voluerit vendere, vel donare, vel legare aliquam rem immobilem alicui domui religiosae, donet vel vendat vel leget sub tali conditione quod civitas debeat habere quistam, et si illam conditionem non apposuerit, consules, vel Potestas teneantur ei, vel eius heredibus auferre solidos decem de libra, de toto hoc quod dederit vel vendiderit loco religioso. Item statuimus, quod consules, vel Potestas teneantur istud capitulum, et omnia capitula ad iustitiam pertinentia facere legi in publico parlamento usque ad medium ianuarium proximum, et omnia capitula quae continentur in hoc cartulario, exceptis cassatis, singulis tribus mensibus in consilio; illa de iustitia semel in anno in parlamento, et alia capitula in consilio.

De hoc excipitur canonica.

De hoc excipimus canonicam et dominum episcopum qui si exinde in antea rem aliquam immobilem aquisierint, vel quoquomodo habuerint pro ipsa re in redemptione tantum domini Comitis donent, praestent, sicut alii cives Nicienses.

De vendicione illius qui decimumseptimum annum compleverit.

Si quis minor masculus, vel foemina sanae mentis, ex quo decemseptem annos compleverit, fecit, vel
a fecerit venditionem aliquam cambium, vel permutationem, aut contractum, seu finem, aut quamcumque obligationem, auctoritate duorum propinquorum, qui boni sint et utiles, vel si propinquos non habuerit vicinorum duorum qui sint sanae mentis et maiores annis vigintiquinque, venditionem illam, cambium, permutationes, vel contractum, seu finem, vel quamcumque obligationem iuramento firmaverit, illum, vel illam firmam habebo, ac si maior et sui iuris vendidisset et contraxisset.

De pecunia communis
eiusdem pignoribus scribendis.

Item, eadem die, qua pignora vel pecunia reci-
b pitur, scriba, praesente clavario, illam pecuniam, vel illa pignora debeat scribere, et de hoc teneantur scriba et clavarius, ut faciat eas scribere scribae, vel notario eadem die, nisi remanserit iusto impedimento.

De ratione reddenda.

Item, consules, vel Potestas teneantur facere rationem adunato Consilio, cum campana, bona fide, quando voluerit reddere rationem.

Capitulum.

c Item, statuimus quod nemo possit habere aliquid de Communi, salvo capitulo decem solidorum, occasione alicuius officii, nisi fecerit officium illud.

De pignoribus.

Item, quod de pignoribus, vel pecunia quae invenerit in potestate clavarii de iustitia, singulis mensibus teneatur reddere rationem Consilio separatim, extra rationem de redditibus.

De arrobatoribus.

d Item, statuimus quod quicumque arrobaverit aliquem civem Niciensem, non debeat intrare Niciam, nec eius territorium, nec ipse nec eius universitas, nisi prius hoc adobaverit. Et si intraverit, consules teneantur facere rationem dampnum passo, si de eo poterit habere potestatem, et si nolunt facere rationem in Nicia, consules teneantur ei tantum auferre de rebus suis, si habuerit, quantum est dampnum, nisi cum rege Aragonensi, vel Comite Provinciae intret. Et hoc intelligimus de raubaria maris, et terrae, et nisi veniret pro gabella, nisi per caput suum offenderit; item, quicumque arrobaverit aliquem civem nostrum, postquam arracionatus fuerit per literas consulatus, vel Potestatis, vel per alium, qui dampnum passus fuerit, et

ei restituere noluerit infra dies quindecim, laudem a
dabimus dampnum passo, si requisierit; et hoc intelligimus de raubaria terrae, et maris.

De extraneis, qui civem interfecerint, quod non intrent Niciam.

Item, quicumque extraneus qui interfecerit aliquem de civitate Niciae, vel eum incarceraverit, non debeat intrare Niciam, vel eius territorium, nisi prius adobaverit se cum haeredibus defuncti, vel cum illo quem incarceraverit; et si interfuerit, et dampnum ei, vel eis evenerit, consules, vel Potestas non facient ei rationem, nec illum
vel illos debeant rationare, vel manutenere ali- b
quis civis Niciae, nisi venerit cum domino Rege vel Comite.

De sacramento notarii.

Item, consules, vel Potestas teneantur facere iurare notarios, quod si contingerit quod pro aliquo debito Communis carta fiat de debito, de quo solutio facta sit in parte, et pro residuo debiti carta nova fiat, quod ipsi notarii non reddant cartam novam, donec recuperaverint, quae scindi debet in praesentia notarii, vel iudicis, et patronum cancelletur.

c

Quod consules non contradicant alicui capitulo.

Item, nemo consulum debeat contradicere alicui capitulo de iustitia, nec alicui rationi determinatae, et sententiatae per iudicem de Communi, et qui contra hoc fecerit excipiatur in perpetuum a consulatu et Consilio, et ab omni officio de Communi, et quam citius iudex poterit, hoc sententiet de bona fide, et ipsi consules debeant stare ad mandamentum iudicis de communi discordia, quae inter eos orietur.

Quod nullus civis debeat ransonare aliquem extraneum de aliquo malefacto. d

Item, nemo de civitate debeat ransonare aliquem extraneum de aliquo malefacto, vel aliqua raubaria contra aliquem civem nostrum, et si quis contra hoc fecerit, nos habebimus de suo solidos centum.

Quod nullus civis ransonet aliquem de iustitia.

Item, quod nullus civis noster debeat alium civem nostrum de iustitia ransonare, et si quis contra hoc fecerit, habebimus ab eo solidos centum pro iustitia.

De laudibus.

Item, consules, vel Potestas teneantur facere iurare omnes illos, qui laudem habent, ut usque ad festum omnium sanctorum debeant manifestare totum illud quod habuerint occasione illius laudis, et eadem die scribatur in cartulario Communis et laus, et tenor laudis, habent, veniant ante consules, vel Potestates cum ipsis laudibus, teneantur consules, vel Potestas sicut supra.

De sententiis a iudice latis.

Item, statuimus quod a sententia lata a iudice de Communi qui habeat iuratum esse, non appelletur.

Capitulum.

Item, illi qui debent placitare cogantur iurare super sancta Dei Evangelia dicere veritatem super extimationem rei petitae, quae petita fuerint, et de tanto quantum eam extimaverint, dent pignus bandi; hoc intelligimus de rebus immobilibus a solidis viginti supra, de mobilibus a solidis centum supra.

Capitulum de viis.

Item, teneantur de viis, ut eas faciant fieri infra civitatem, et extra, sicut statutum fuit, et praescriptum invenerint, et quod eligant unum hominem pro quolibet territorio, qui melius scire debeat vias statutas per frequentationem, et ille teneatur sacramento de mense in mensem recognoscere vias, et si postquam statutae fuerint inveniet quod aliquis eas occupaverit vel fregerit, ille renuntiet hoc consulibus, vel Potestati, et consules, vel Potestas teneantur ab eo, vel ab eis solidos decem habere pro iustitia; tertia quorum sit de emendatione viarum, et duae partes de Communi; hoc idem intelligimus de eo, qui iecerit lapides in via.

Capitulum.

Item, si quis fecerit contra capitulum aliquid, unde debeat dare aliquid pro iustitia, uxor, vel alius creditor non amittat ius suum.

Capitulum.

Item, quicumque ibit in aliquo loco, et non solverit praetium rei emptae, et recesserit latenter, antequam solverit, vel satisfecerit domino rei emptae, et si forte postea aliquis civis aliquod noster dampnum ob hoc passus fuerit, totum faciam ei restituere

ab illo, qui, ut dictum est, rem emptam non solverit, et credam illum, qui dampnum passus fuerit; hoc idem intelligimus de furtis, ita quod sacramentum de hoc faciat; et hoc capitulum locum habeat praesentibus, praeteritis, et futuris, a potestaria vero Petri et Petri Balbi in antea.

De extraneo, qui fugabit civem.

Item, quicumque extraneus fugabit civem aliquem nostrum, vel amicum, vel vicinum suum, vel minatus fuerit eum occasione quod esset intratus de novo in societate nostra, non debeat intrare Niciam donec satisfecerit ei, vel eis, cui, vel quibus offensionem fecerit supradicto modo. Extraneos intelligimus a Vintimillio infra, et a Grassa infra, et hoc faceremus postquam esset probatum ante consules, vel iudicem per duos testes, vel quod accusatus se defenderet sacramento.

Quod nemo debeat ire post sonum cornu.

Item, nemo debeat ire per civitatem post sonitum campanae cornu usque ad matutinum, et qui contra hoc fecerit dabit pro iustitia solidos tres, si habebit valens solidorum mille, et a solidis mille infra dabit denarios viginti; nisi iret ad obsequias, vel ad ignem, vel ad raydam, vel nisi fugaret latrones, vel surgeret ad matutinas, vel nisi vellet se recolligere, vel veniret de foris, vel vellet circa domum suam exire causa mingendi, vel alia consimilia; et si non habebit in facultatibus quod praedictam iustitiam dare possit, in arbitrio consulum, vel Potestatis puniatur.

De pignoribus vendendis.

Item, consules, vel Potestas teneantur facere vendere omnia pignora, quae consules veteres eis consignabunt scripto, vel alio modo sequente mense, nisi fuerint redempta, nec remittant aliquid de pretio, quod consules veteres super illa pignora, quae consignabunt, nec reddant ea nisi prius redempta fuerint.

De iuramento teulerii.

Item, consules, vel Potestas facient iurare teulerium, quod non vendat calcem in petra ultra solidos novem, nec in cauciuata ultra solidos quatuor, nec mallonos ultra solidos decem, nec teulos ultra solidos vigintiquinque, et quod sint bene cocti, et asaonati, bona fide, et consules vel Potestas teneantur ei dare sestarium, et formam mallonorum, et teulorum; et quod sit sub sacramento quod non possit minorare formam, vel sestarium, eo excepto, quod

a si vellet habere ligna de foris territorium Niciae, de quibus calcem, vel mallonos, vel teulos fecerint. hoc dictis lignis ad libitum vendere possit, et quoties contra hoc fecerit, det pro iustitia solidos decem si consules, vel Potestas sciverint visu vel auditu.

Capitulum.

Item, statuimus quod nullus homo vel emblari faciat domum, vel forciam aliquam huius civitatis, quod si fecerit, aut tentaverit, destruatur de sua persona, et omnia bona sua mobilia et immobilia sint de Communi, et numquam sibi nec suis heredibus reddantur.

b

De illis, qui domos arrobaverint.

Item, si aliquis per mesclam, vel parabolas, vel alio modo aliquam domum arrobaverit, vel arrobari fecerit, vel ipsam occupaverit, vel alio modo occupari fecerit, totum integrum emendare faciam illi qui derobaverit vel arrobari fecerit, vel illi domino, cum quo stabit, si eum manuteneret; et quod debeat se defendere per sacramentum, nec consilio suo hoc fecerit, et credam inde illum, qui dampnum passus fuerit per sacramentum suum, nisi alter probare poterit, et dabit pro iustitia solidos cccc, medietatem Communi et medietatem arrobato, et si non habuerit *c* unde persolvat, destruam ipsius personam; hoc idem intelligimus de turribus; et si ille qui turrem emblaverit, vel emblari fecerit, vel domum cum turre habuerit, a quinque millibus solidis supra, det pro iustitia M solidos, de quibus medietas sit Communis, et alia de arrobato, vel peiorabo eum de libris centum, vel si in praedicta quantitate peiorari non poterit, forestabo eum donec satisfecerit domino dampnum passo.

De iactu archi vel balistae.

Item, quicumque arcu vel balista ad laedendum aliquem hominem, vel foeminam in civitate Niciae *d* traxerit, quamvis nullum percusserit, auferam ei per iustitiam libras decem, vel pugnum sibi abscidam; si vero aliquem vulneraverit, et non interfecerit, auferam ei libras quindecim ad opus Communis, aut pugnum sibi abscidam. Si vero interfecerit et ignobilis fuerit homicida, destruam illius personam, et libras centum de bonis eius accipiam, si invenero, quarum medietatem unam dabo heredibus defuncti, et aliam Communi dabo. Insuper alia bona homicidae dabo, laudabo, et manutenebo heredibus defuncti, si vero in bonis eius, qui praedicta perpetraverit, non invenero unde praedictam iustitiam facere possim, nec personam eius habere valuero, si fuerit ille domesticus, vel manupastus alicuius civis Niciae, aut si aliquis civis Niciae fecit ipsum venire in civita-

tem Niciae, ab ipso cive contra ipsum civem praedictam iustitiam pecuniariam per omnia faciam. Si autem qui praedicta fecerit nobilis fuerit, praedictam poenam pecuniariam per omnia accipiam, et irrogabo, et pro homicidio ipsum in perpetuum forestabo, si ignobilem interfecerit quousque ad pacem cum heredibus defuncti venerit; si vero nobilis interfecerit nobilem, destruam ipsum de persona sua.

Capitulum de assaltu meditativo.

Item, quicumque assaltum meditativum fecerit, et non percusserit in assaltu, dabit per iustitiam solidos quinquaginta, et si percusserit cum pugno, vel palma, vel manum imposuerit super eum, offendendo eum aliquo modo, dabit solidos septuaginta; si vero percusserit cum petra vel baculo, sive ferro, solidos centum; si percusserit cum cultello, vel ense, vel alio gladio det per iustitiam solidos ducentum ad opus Communis; quos si dare non poterit, debet forestari quousque venerit ad satisfactionem cum eo quem percusserit; si vero interfecerit et ignobilis fuerit homicida, destruam ipsius personam, et libras centum accipiam de bonis suis, si invenero, quarum unam medietatem heredibus defuncti, et aliam Communi retinebo; insuper alia bona homicidae dabo, laudabo, et manutenebo heredibus defuncti; si vero in bonis eius, qui praedicta hic perpetraverit non invenero unde praedictam iustitiam facere possim, nec personam eius habere valuero, si fuerit domesticus, vel manupastus alicuius civis Niciae, aut si aliquis civis Niciae fecit ipsum venire in civitatem Niciae, ab ipso cive contra ipsum civem praedictam iustitiam pecuniariam per omnia faciam. Si autem qui praedicta fecerit, nobilis fuerit, praedictam poenam pecuniariam per omnia accipiam, et irrogabo, et pro homicidio ipsum in perpetuum forestabo, si ignobilem interfecerit, quousque ad pacem cum heredibus defuncti venerit; si vero nobilis interfecerit nobilem destruam ipsum de persona sua.

Capitulum de cultello.

Item, quicumque per mesculas vel parabolas cultellum extraxerit, et non feribit, dabit per iustitiam solidos viginti, et si feribit dabit per iustitiam solidos ducentum, et sint de Communi. Item si occiderit, et ignobilis fuerit homicida, destruam illius personam, et libras centum de bonis eius accipiam si invenero, quarum unam medietatem dabo heredibus defuncti, et aliam Communi retinebo, insuper omnia alia bona mobilia, et immobilia homicidae dabo, laudabo, atque manutenebo heredibus defuncti, si vero in bonis eius qui praedicta perpetraverit non invenero unde praedictam iustitiam facere possim, nec personam eius habere valuero, si fuerit ille domesticus, vel manupastus alicuius civis Niciae, aut si aliquis civis Niciae fecit ipsum venire in civitatem Niciae, ab ipso cive

a contra ipsum civem praedictam iustitiam pecuniariam per omnia faciam. Si autem qui praedicta fecerit nobilis fuerit, praedictam poenam pecuniariam per omnia accipiam, et irrogabo, et pro homicidio ipsum in perpetuum forestabo, si ignobilem interfecerit, quousque ad pacem cum heredibus defuncti venerit; si vero nobilis interfecerit nobilem destruam ipsum de sua persona.

De armis de foris tractis.

Item, quicumque per mesculas vel parabolas armas levabit, vel extrahet de domo extra, scilicet de ligno, vel de ferro, targuam, vel scutum, spatam, vel *b* cultellum, massam, vel bastonum, vel lanceam, vel aliud gladium de ferro, vel de ligno, dabit per iustitiam solidos viginti, postquam sciemus veritatem per visum, vel auditum; nisi fecerit ad tuitionem sui.

Item de cultello.

Item, qui per mesculas vel parabolas extrahet cultellum et non feribit, dabit per iustitiam solidos viginti, et si feribit, dabit per iustitiam solidos ducentum, et sit de Communi. Item si occiderit sit in mercede consulum, vel Potestatis, nisi fecerit ad sui tuitionem, vel ad defensionem sui corporis, aequalibus armis, sicut supra in alio capitulo de arcu et *c* balista.

De capillis, et lapide, et pugno, palma, et pede.

Item, quicumque per mesculas vel parabolas aliquem trahet per capillos, dabit per iustitiam solidos decem. Item qui lansabit lapidem alicui causa feriendi, et non ferierit in aliqua mescula, dabit per iustitiam solidos decem, et si feribit cum petra solidos viginti, et si sanguinem excusserit solidos triginta, idem intelligimus de fusto. Item quicumque feribit aliquem cum pugno vel palma dabit solidos decem, et si sanguinem excusserit cum pugno vel palma dabit solidos viginti; idem intelligimus de pede, et si istud dare non poterit, puniatur secun- *d* dum voluntatem consulum, vel Potestatis.

De factis et dictis ad iustitiam pertinentibus.

Item, de omnibus factis, et dictis quae pertinent ad iustitiam, bona fide, inquiram veritatem, et postquam fuero per visum, vel auditum informatus, et scivero, non attendam reclamationem.

De petra de nocte in domos iacta.

Item, si aliquis iactaverit petram de nocte in domo aliqua, dabit per iustitiam solidos decem, si verita-

tem scivero per testes; et si scire non poterimus, et ille reclamationem faciet de aliquo, in quo habeat suspectionem, et voluerit iurare quod credat quod ille, de quo faciet reclamationem iactasset petram, nos habebimus hos supradictos solidos decem per iustitiam, vel oportebit eum defendere per sacramentum; et haec eadem dicimus de banchis operatoriorum, qui eos fregerit, vel de suo loco removerit, vel pro malo, vel per schernum. Item de buciis solidos decem per iustitiam, si eos fregerit vel peiurabunt de unoquoque, et damnum restaurabunt dominis de lignis, et de hoc eosdem faciet quicumque appellatus fuerit, sicut supra diximus de domibus.

De tallis factis.

Nos consules, vel Potestas Niciae, et eiusdem civitatis Consilium universum praesenti capitulo in perpetuum valituro, statuimus prohibentes, ne quis domum, vel grangiam, vel aliud aedificium alicuius civis, vel torcular, et ipsi pertinentia molendinorum, fracturas vinearum, vel arborum talas, bucios, vel eorum armamenta, lignamina collecta pro buciis, vel pro alia machina, messes garbayratas, pallarios, fenarios, seu aliquam aliam rem diruat, vel comburat, vel destruat, aut dampnum inferat per se, vel alium, palam vel latenter; si quis autem huius nostri statuti violator extiterit, siquidem de Nicia, vel de districtu Niciae fuerit, et hoc erit evidentia facti, vel probationibus manifestum, per consules, qui erunt tunc temporis, vel Potestates compellatur infra duos menses dampnum passo quae fecerit emendare, dampno prius arbitrio bonorum hominum extimato. Si vero propter potentiam vel absentiam delinquentis, vel causa alia emergente, Potestas, vel consules Niciae infra tempus statutum non facient emendari, ipsi de Communi emendent, et delinquentem tamdiu in rebus, et persona persequentur, donec Communi illud quod dampnum passo praestiterit, faciet resarcire; si autem persona quae aliquid horum deliquerit, non habeat facultates, ut emendet, inspecta qualitate dampni corporaliter puniatur, et eo a civitate postmodum forestato dampnum, sicut dictum est, a Communi emendetur; sed si erit extraneus qui dampnum dederit de civitate forsan, vel castello, vel burgo, vel universitate alia, Potestas, vel consules, vel rectores, vel castellani convenient, et amicabiliter colloquentur ut dampnum, quod habitatori nostro datum fuerit, facient emendare, vel personam tradant sicut dictum est puniendam. Et hoc autem dampnum a Communi nihilominus emendetur; si vero rectores, consules, vel castellani locorum illorum infra duos menses ea facere, quae superius dicta sunt, noluerint, a Communi nostro infra mensem emendetur, et guerra eorum universitati, donec satisfaciant, indicatur; si vero aliquod praedictorum dampnorum clam factum fuerit, nec appareat qui fecerit, consules, vel Potestas dampno passo satisfaciant de Communi, et delinquentis personam, si postmodum poterit apparere, habita distinctione supradicta, de civitate expel-

a lant, vel si extraneus fuerit, secundum tenorem, quem diximus, persequetur. Praesenti capitulo duximus addendum, quod si quis extraneus propter guerram civitatis, quod absit, vocatus, vel non vocatus ad suorum venerit auxilium amicorum, et aliquid praedictorum commiserit, ille qui eum vel eos vocaverit, vel non vocatum receperit, ad emendationem rei, ac si ipse fecerit, compellatur; tempus autem duorum mensium a tempore, quo querela deposita fuerit, computetur; et istud capitulum legatur quotiescumque in parlamento legentur capitula iusticiis; si vero aliquis homo, cum quo guerram non habebimus, civis, vel extraneus contra hoc venerit, et ille qui dampnum passus fuerit, noluerit eum appellare, debet defendere semet per bellum contra suum parem, vel ipsum
b habebimus pro condemnato, et dampnum sibi faciemus emendare arbitrio bonorum virorum, aut pugnum, vel pedem sibi abscidi faciemus, et si non habuerit unde solvat, nihilominus a Communi emendetur, arbitrio bonorum virorum.

De cannis, et aunis, et aliis mensuris.

Item, quicumque mensuras vendendi causa, cannas, vel aunas, vel sestarios, vel cartinales, vel alias mensuras, vel pessas, vel libras legales non tenuerit, vel maiorem ad emendum, vel minorem ad vendendum tenuerit, dabit per iustitiam solidos decem; mensuras ponimus legales illas, quas nos concedimus; et quan-
c documque appellabimus inde aliquem, defendat se per sacramentum, alioquin dabit iustitiam praedictam, si vero antequam iuret probare poterimus.

De dampno facto.

Item, quicumque dampnum in rebus fecerit, vel in bladis, vel in palea, in vineis, in attefegiis (1), vel in aliis rebus, dabit per iustitiam solidos quinque per diem, et per noctem solidos viginti, et restaurabit dampno passo, in arbitrio banneriorum, vel aliorum proborum hominum, nisi remanserit per suam voluntatem; de animalibus ita dicimus, de paria ovium a quinque tren-
d tenariis supra solidos decem octo, et inferius de qualibet bestia denarium unum usque ad solidos octos de capris; similiter; et pastores, vel domini rerum emendabunt domino dampnum passo, de bove, vaca, iumentis, et mulis, et mulabus, et asinis, et asinabus, de quolibet denarios octo, et porco et troia de quolibet denarios quatuor; et pastores, vel domini rerum dampnum emendabunt domino dampnum passo per arbitrium supradictorum; et nullus carnifex teneat bestias, nisi per macellum, sine voluntate consulum, vel Potestatis in terra defensum.

(1) *Attefegiis* legitur in codice, cui potissime fidimus. — Videtur hoc verbum hic sumi pro *attefectis*, scilicet arboribus novellis iam insitis aut brevi inserendis. V. Ducange ad voc.

De his, qui in ligno cursali iverint.

Item, si quis civis, vel habitator Niciae iverit cum ligno cursali, vel alio ligno absque voluntate consulum, vel Potestatis, et aliquis civis noster inde aliquod dampnum sustinuerit, videlicet quod arrobatus fuerit, totum dampnum faciam ei emendare, si de bonis eius tantum invenero, alioquin ipsum in perpetuum forestabo donec venerit ad satisfactionem, et bona illius quae invenero dabo dampnum passo; hoc idem intelligimus de raubatoribus terrae.

Item, qui ibit in cavalcatas.

Item, qui ibit in cavalcatas aliquas, nisi in servicium Communis, auferam ei solidos centum, vel in duplum de bonis eius devastabo.

De hiis, qui cum aliquo gladio ferreo percusserint.

Statuerunt consules, et Consilium universum quod quicumque ferierit per mesculam, vel parabolas cum nudo ense, vel penato, vel speto, vel lancea, vel alio gladio ferreo, dum tamen percutiat cum ferro, det per iustitiam solidos ccc, excepto cultello in quo locum habeat, ut dixit aliud capitulum.

Qui cum clava percusserit.

Si quis vero percusserit cum clava ferrea, vel metallina in capite, det per iustitiam solidos ccc, si vero in alia parte solidos c.

De auditu.

Statuerunt, quod de omnibus factis, et dictis, quae fierent per civem nostrum cum aliquo cive nostro extra civitatem in mari, vel in terra postquam venerit ad auditum consulum, vel Potestatis quod iustitiam facient, ac si fieret in Nicia.

De defensione.

Item, quicumque requisitus fuerit ab aliquo cum gladio ferreo, licentiam habeat defendendi se cum omni gladio, ita quod non teneatur ad iustitiam.

De muliere maritata vocata meretrix.

Item, si aliquis homo, vel aliqua mulier, vocabit mulierem maritatam meretricem, vel coredissam dabit per iustitiam solidos decem; idem intelligimus de viduis, nisi constaret quod essent publicae.

a *De via facta per vineas fossas.*

Item, quicumque manufaciet aliquam vineam fossam, vel podatam, vel per terras bladatas postquam fuerint ibi fructus maturi, si viam ibi habere non debet, vel si non poterit ire per viam publicam sine dampno, dabit per iustitiam solidos quinque.

De hiis, qui domos sclataverint.

Omnis homo qui, vel quae sclataverit domum vel grangiam infra civitatem Niciae, vel extra in toto nostro territorio dabit per iustitiam solidos c in nocte, et in die solidos l, et qui, vel quae
b sclataverit grangiam, et inde trahet bestiam, vel bestias, dabit per iustitiam solidos c in nocte, et in die solidos xl, et emendabit dampnum domino dampnum passo, et per totum nostrum consulatum non habitet in hac civitate; et si sclataverit grangiam, et in die trahet paleam, vel foenum, vel alias res dabit per iustitiam solidos decem. Item, si quis, vel si qua furabitur in areis sestarium bladi, vel plus, in gradario sestarium ficuum, vel plus, in torcularibus collarelium vini, vel plus, vel si garberiam sclataverit, dabit per iustitiam solidos xl. Item, qui furabitur porcum, vel aliam bestiam infra civitatem, vel extra in nostro territorio dabit per iustitiam solidos l, et non habitabit per totum nostrum consulatum in hac civitate. Item, qui,
c vel quae appellatus fuerit quod in domo sua porcus, vel alia bestia furata comesta sit, debet se de hoc defendere per sacramentum ipse, vel ipsa, et tota familia; de hoc tantummodo excipimus dominos nobiles, praestito sacramento ante ab illo, qui clamorem fecerit quod ita credit, et si aliquid ei non inveniremus iustitiam faciemus de persona sua secundum nostram voluntatem, et de hoc tenebitur pater pro filio, et tutor pro minore, et de hoc intelligimus de homine, vel foemina, qui vel quae sit de annis quatuordecim, et plus, et de hoc emendabitur dampnum de rebus minorum.

De ripa Olivi, et huius civitatis.

d

Item, si quis homo, vel foemina ripam de olivo, vel ripam huius civitatis invaserit per latrocinium, dabit per iustitiam solidos c, et non habitabit per totum nostrum consulatum in hac civitate.

De igne misso.

Item, si quis homo, vel foemina ignem miserit in domibus huius civitatis, vel in garberiis, vel in foeneriis, vel in pallieriis, vel in torcularibus, vel in curtis in toto nostro territorio, nos consules, vel Potestas faciemus ei dampnum de omnibus rebus suis mobilibus, et immobilibus, et in iustitiam de persona

sua faciemus si habeat a M solidis inferius, si vero a M solidis supra dabit per iustitiam solidos M, et emendabit dampnum domino dampnum passo, de hoc teneatur pater pro filio, et e converso, salvo superiori capitulo de tallis, et hoc locum habeat de duobus annis proxime praeteritis, et infra, et hoc capitulum, et illud de tallis legatur in parlamento quater in anno, singulis tribus mensibus, et de hoc consules, vel Potestas teneantur. a

De talla arborum, vel vinearum.

Item, si quis homo, vel foemina tallam fecerit de arboribus, vel vineis, nos consules, vel Potestas faciemus ei dampnum de libris decem, et emendabit totum dampnum domino damnum passo, et per totum nostrum consulatum non habitabit in hac civitate, et si non habuerit unde solvat, puniatur de persona sua. b

De virginibus defloratis.

Item, si quis aliquam virginem per vim, et ultra ipsius voluntatem devirginabit, dabit per iustitiam libras decem; similiter intelligimus de maritata; et si fortiabit aliam foeminam non virginem, excepta publica, dabit per iustitiam solidos L, et si hanc praedictam iustitiam ipsi, vel amicis suis non inveniemus, coquemus eum in frontem, et forestabimus eum per totum nostrum consulatum. c

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione tertia, mensis iulii, die vigesima tertia cancellatum fuit praedictum capitulum de virgine defloranda, in publico parlamento, de voluntate populi Niciae, et extat instrumentum sumptum manu Petri de Conna.

De factis sequentibus.

Item, si de factis sequentibus, postquam intravimus, aliquis civis aliquem de proditione appellabit, vel de homicidio, et probatum fuerit, sibi iustitiam debemus facere secundum nostram voluntatem, et arbitrium, et si probari non poterit, appellatus debet se defendere per bellum, et par cum pare, et sic in nostro arbitrio, et si accusator probare non poterit praedicta, restituet expensas accusato, et Communi debet solidos centum, et hoc intelligimus postquam accusabit, vel appellabit in forma accusandi coram consulibus, vel Potestate; et ego consul, vel Potestas accipiam poenam de omnibus factis, de quibus consules praecedentes non habuerint, aliqua occasione forte emergente, de omnibus factis quae fierent, postquam electus fui, scilicet a festo omnium Sanctorum in antea per totum meum consulatum. d

De pignoribus accipiendis.

Item, statuimus quod consules, vel Potestas non accipiant pignora de iusticiis, nisi de duobus tres, prout determinatae sunt iustitiae in capitulis.

De dampnis factis occasione Communis.

Item, statuimus quod de omni dampno facto alicui personae per iustitiam, vel officio Communis nulla emendatio fiat ei de cetero, nec etiam pro aliquo malefacto olim facto, nec aliqua emenda, vel aliquod donum fiat de Communi alicui personae aliquo modo, nec inde consilium aliquo modo haberi possit, salvo tamen capitulo de tallis.

De donis Communis.

Item, statuimus quod Commune non possit dare ultra solidos X alicui personae, excepto domino Comiti, vel per guerram, nec etiam ad id possit haberi consilium, verumtamen si quis servitium fecerit, Communi meritum possit ei reddi.

De electione consulum, vel Potestatis.

Potestas, vel consules, qui pro tempore fuerint teneantur per sacramentum quod a festo omnium Sanctorum, quandocumque visum fuerit ei, vel eis usque ad festum sancti Andreae faciant eligere Potestatem, vel consulatum cum Consilio consiliatorum ad sonum campanae adunatorum per campanam, vel maioris partis eorum, et ultra festum sancti Andreae dicta electio non possit differri, qui Potestas, vel consules habebunt regimen illius anni sequentis, ab anno novo veniente usque ad aliud.

De peso molinorum.

Item, statuimus quod Potestas, vel consules, vel alius qui fuerit loco Potestatis in regimine civitatis teneatur facere iurare omnes molendinerios et macinatores istius civitatis per totam blavam, quam macinabunt, accipiant ad pesum, et ad pesum reddant farinam, si illi quorum blava fuerit ipsam blavam pesare voluerint, et si ob hoc molendinarii deserere voluerint molendina, Potestas, vel consules teneantur illum, qui deseret molendinum, si est oriundus vel habitator de civitate, compellere ut stet in molendino, et si non est oriundus de civitate, ipsum mittat in bandum civitatis, et omnia bona sua, si qua habuerit, accipiat, et compellat aliquem alium molendinarium de civitate quod stet in illo molendino, de quo alius exierit, pro eodem praetio, quod ille qui stetit, et exivit de molendino habebat, et inter molam et aresclam sit tantum spatium trium digitorum, vel minus, si

commode fieri poterit, et si molendinarius, vel macinator blavam pesare noluerit, quotiescumque Potestas, vel consules lamentationem habuerint, teneantur habere de illo molendinario solidos x pro iustia.

De panateriis.

Item, Potestas, vel consules teneantur, quod infra mensem faciant iurare panaterios, et omnes qui vel quae facient panem ad vendendum, quod faciant panem ad pesum eis datum, et teneantur eis dare pesum, et mittere massarios qui panem ponderent, et panateriae quae non facient panem ad pesum, et massarii ipsum in fraudem invenerint, dent pro iustitia denarios duodecim, et amittant panem qui non est de peso.

De mensura vini.

Item, Potestas, vel consules teneantur facere praeconizare per totam civitatem infra dies quindecim, quod quicumque vendet vinum, vel faciet vendere ad minutum, non faciet versare mensuram, et quicumque mensuram versare fecerit, et de eo Potestas, vel consules lamentationem habuerint, vel audierint, dent pro iustitia solidos II.

De macellariis.

Item, statuimus quod consules, vel Potestas teneantur facere iurare macellarios infra dies quindecim quod vendant carnes, sicut in brevi macellariorum continetur.

De quatuor eligendis.

Item, Potestas, vel consules, vel qui loco Potestatis fuerint teneantur infra dies quindecim eligere quatuor homines de Consilio utiliores, et meliores quos habere poterit, qui in Consilio congregato iurent, quod singulis mensibus faciant sibi fieri rationem a Clavario, de omnibus redditibus, et expensis Communis, et teneantur salvare et defendere, et custodire res Communis, et Clavarius, nec Potestas, nec consules, nec aliquis pro Potestate possit facere aliquod mutuum, vel aliquas expensas pro Communi Niciae, nisi probatione illorum quatuor, et si faceret, Commune non teneatur; et si illi quatuor non essent in civitate, illi qui fuerint in civitate habeant potestatem illorum qui de foris erunt, et illi quatuor teneantur, sicut dictum est, bona fide facere sine omni fraude, et sine omni dolo.

Capitulum.

Item, statuimus quod quibuscumque capitulis seu consuetudinibus, aliae civitatis, seu burgi, castri, vel villae cives nostros compellunt, eiusdem capitulis, seu consuetudinibus cives nostri in civitate

a nostra possint compellere homines illarum civitatum, vel burgorum, castrorum, vel villarum.

De reddenda persona debitoris.

Item, statuimus quod quicumque acceperit ab aliqua persona aliquam pecuniam mutuo, vel in societate, vel in accommodatione, vel deposito, vel causa emptionis, et, transacto termino, non solverit, ut promisit, et dixerit se fore non solvendo tunc consules, vel Potestas qui pro tempore fuerint, teneantur reddere personam debitoris ipsi creditori, vel ipsam teneat in sua potestate quousque solverit, vel satisfecerit ei, nisi debitor monstrare poterit inopinato casu rem illam, vel denarios ami-
b sisse.

Capitulum de modulo (1).

Item, statuimus quod in adiutorio moduli faciendi dentur de combeta annis singulis librae vigintiquinque, sed in praesenti anno librae quinquaginta. Item, omnis homo qui stat in civitate Niciae, et non dat in collectis huius Niciensis Communis, det annuatim denarios duodecim operi moduli. Item, quicumque, vel quaecumque civis Niciensis in Nicia decedens reliquerit aliquid pro anima sua, vel pro gadio suo, quinta pars illius relicti, vel gadii detur in adiutorio moduli, et Potestas vel consules qui pro tempore fuerint, teneantur illud exi-
c gere, et habere ab haeredibus defuncti, vel a bonorum possessoribus, infra mensem unum, si illa quinta pars erit a c solidis infra, si vero fuerit a c solidis supra, infra tres menses ab obitu defuncti et administratori moduli dare; si vero decedens reliquerit modulo, et totum gadium suum reliquerit Ecclesiae, vel domibus religiosis, Potestas, vel consules qui pro tempore fuerint, teneantur exigere et habere ab haeredibus defuncti tantum quantum levabit quinta pars illius relicti infra mensem unum, secundum supradictam distinctionem; et dare dicto administratori. Et Potestas, vel consules teneantur facere iurare omnes notarios, quod non condant aliquod testamentum, nisi testator in primis reliquerit quartam partem eius quod re-
d liquerit pro anima sua, modulo, et eodem modo teneantur notarii manifestare Potestati, vel consulibus vel administratori infra dies tres, ex quo condidit testamentum. Item quilibet bucius qui ibit ad salem, peracto viagio, det dicto administratori pro qualibet ola salis pogesam unam. Item si ibit pro blado, vel aliis mercibus, peracto viagio, det similiter ratione praedicta, videlicet quod det tot pogesas, quot olas est portaturus. Et Potestas, vel consules qui pro tempore fuerint, infra dies octo, istud teneantur exigere, et habere et dicto administratori dare, et hoc intelligimus de omni

(1) Haec de pila et fabricis intelligenda sunt, quibus, impetu maris coercito, Niciae portus tutior reddebatur.

bucio qui portabit olas centum et plus. Item qui- *a* libet bucius minor centum olarum, qui fuerit copertus, et habuerit timonum, det pro quolibet viagio denarios octo; si vero fuerit sine timone, de quolibet viagio denarios quatuor, de his excipimus omnes bucios, qui oneraverint, vel cum onere venerint a capite Alei (1) usque ad Bragam. Item, omnis bestia quae bastum portabit faciet unum iornale modulo, de mense aprilis. Item quicumque qui stabunt in uno hospitio possint seminare usque ad duos sestarios linosii, si vero plus seminaverint, dent pro quolibet sestario denarios duodecim operi moduli.

Capitulum istud de modulo factum fuit millesimo ducentesimo vigesimo quinto, indictione duodecima, tempore potestariae Domini Guillelmi Eberiachi *b* Niciae Potestatis, millesimo ducentesimo vigesimo septimo, indictione decimaquarta.

Statuimus quod nec Potestas, nec consules, nec vicarius, nec aliquis iudex qui sedeat pro tribunali possit, vel debeat compellere aliquem civem Niciensem placitare, vel rationem facere de aliqua re, de qua fieret clamum de eo sub iurisdictione aliena.

Item, statuimus quod si Potestas, vel consules, vel qui sedebit, iverit extra civitatem Niciae pro aliquo facto singularis personae, vel Communitatis, et iacuerit extra civitatem; quod non possit ducere, vel tenere ad expensas Communis ultra duos socios, et si iverit per terram, habeat pro se, et bestia una solidum tantum, excepto loquerio bestiae; *c* et si iverit per mare, solidos duos, excepto loquerio bucii, et marinariorum; nec etiam mittere possit ultra tres ambaxiatores de Consilio ad expensas Communis similiter.

Item, statuimus quod omnia pignora quae Potestas, vel consules, vel iudex accipiet, vel accipere faciet de iusticiis, infra mensem unum, condempnet, vel absolvat, et quod non possit condempnationes facere, nisi sint determinatae, sicut in capitulis; excepto quod per suum officium, et per turpia verba in dicto capitulo, vel extra, coram ipsis possit accipere pignus usque ad L solidos, et postquam habuerit condempnare, debet infra mensem ad suam voluntatem a L solidis infra. Si vero dixerit rampognam, vel turpia verba Potestati, vel vicario, vel iudici *d* coram ipsis, possit accipere pignus solidorum C, et similiter sententiare infra mensem ad suam voluntatem.

Item, statuimus quod si aliqua persona dixerit, vel fecerit aliquid contra aliquem, vel aliquem nobilem civitatis Niciae, unde debeat condempnari, quod de nobilibus personis non fiat mentio in condempnationibus, nisi de reo tantum.

De salariis officialium.

Item, statuimus quod ab isto anno in antea Potestas cum suo iudice non habeat, nec habere possit ipse, nec alius pro eo, ultra libras CCC ianuenses, et solidos C pro hospitio, et nihil plus pro venire, vel pro istare, vel pro redire; millesimo ducentesimo vigesimo septimo indictione decima quarta.

Item, statuimus quod Clavarius non possit habere ultra solidos C.

Item, statuimus quod Potestas, vel iudex, vel consules, vel vicarius non possint dare laudem alicui personae nisi cum Consilio adunato per campanam, et infra capitulum et non alibi.

Item, statuimus quod omnia pignora, et omnes res de Communi veniant in potestate Clavarii, et Clavarius non possit aliqua pignora reddere sine voluntate de quatuor qui fuerint electi, et qui debeant habere solidos LX, et quilibet pro salario, et non plus, et illi quatuor non possint exire donec alii quatuor iuratum habeant et rationem redditam.

Item, statuimus quod Potestas habeat duas scribas, et illos accipiat ad suam voluntatem, et quilibet eorum habeat pro salario solidos XL, et non plus.

De forma teulorum et mallonorum.

Item, statuimus quod cartinum detur teulerio ad calcem et formam malonorum, et tegulorum antiquam, et omnibus illis qui calcem vendent.

Quod nullus bosquet lignamina,
nisi sit de luna.

Item, statuimus quod consules, vel Potestas infra mensem unum post Pascha faciant iurare omnes boscherios civitatis Niciae, quod non bosquent nec boscare faciant aliquod lignamen, si non est de luna; item boscherios extraneos faciant iurare quanto poterunt, bona fide, scilicet illos, qui lignamen apportaverint in Niciam per terram.

Item, statuimus quod omnes gombetae statutae a novem qui sunt electi teneantur usquequo gabella sit, et revertatur Communi, videlicet ab hoc anno venienti usque ad duos annos.

Item, statuimus, quod nullum capitulum aliquo modo corrumpatur, vel corrumpi possit, vel consilium haberi contra capitulum per totum hunc annum, nec ultra, donec emendatores novem, vel plures sint electi.

De bestiis furtive raptis.

Item, in illo capitulo de sclatatione domorum, et de bestiis furtive raptis, quod sic incipit, *omnis homo qui emendam* etc.; quod si aliquis qui debeat dare pro iustitia solidos quadraginta voluerit complere usque ad solidos centum, non forestetur.

(1) *Capo d'Aglio* Nicaeam inter et Portum Herculis Monaeci.

Quomodo debent conservari scripturae Communis.

Item, statuimus quod Commune teneat unam archam in sagrario, in qua sint duae claves, quarum unam teneat sacrista, et aliam Clavarius, et in ea ponantur cartularia Communis anni praecedentis, postquam causae finitae fuerint, videlicet testes, positiones, confessiones, terminos, sententias, et caeterarum causarum iudicia, et insuper cartularia defuncti notarii et illius notarii qui non tenet officium notariae, ibidem similiter reponant. Item si Commune dabit papyrum notariis vivis ipsi teneantur ibi scribere exemplum instrumentorum anni praecedentis, exceptis illis instrumentis, de quibus tenentur per sacramentum, quod teneant privata vel secreta.

Item, statuimus quod capitulum de modulo non teneatur donec gabella revertatur Communi, et sit libera ab emptoribus, qui emerunt eam.

Item, statuimus quod de facto iustitiae, videlicet de solvendo pecuniam, pater pro filio teneatur, et curator pro minore, et hoc intelligimus de rebus minorum, et hoc intelligimus similiter de omni minore postquam compleverit annos quindecim, et hoc intelligimus quod si vulneraverit cum cultello det solidos cc, et si interfecerit libras c, et de aliis iustitiis sicut determinatae sunt in capitulis a libris c inferius.

De falsum testimonium perhibentibus.

Item, quod omnis homo, qui falsum testimonium perhibuerit, si probatum sibi fuerit per eius confessionem, vel per duos testes idoneos, det pro iustitia libras v, alioquin marchetur in fronte, et forestetur a civitate Niciae, et scobetur; ille, qui fecit eum deierare similiter det pro iustitia libras v. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione tertia, mensis iulii die vigesima tertia cancellatum fuit praedictum capitulum de falso testimonio ferendo, in publico parlamento de voluntate populi Niciae, et extat instrumentum factum manu Petri Deconna notarii.

Quod volentes habitare in Nicia sint franchi tribus annis.

Item, statuimus quod omnis homo qui venerit in Nicia et iurabit compagniam, et habitationem civitatis Niciae, non det in quista civitatis tribus primis annis.

De camperiis et eorum iuramento.

Camperii, et vignogoli, et custodes iurabunt quod bona fide, sine fraude, salvent, et gardent, de die, et de nocte, ad mandamentum et voluntatem Potestatis, consulum, et iudicis civitatem Niciae, et totum territorium Niciae intus, et extra, usque ad anni novi, et etiam tota die anni novi; et quod
a non sint latrones, vel guastatores de bladis, de fructibus, nec de aliis rebus, neque consentient alicui personae aliquod facere latrocinium, vel dampnum, vel guastum aliquo modo. Item, a pastoribus, a macellariis, a laboratoribus, a molendinariis, vel ab aliqua alia persona, donum, vel praesentalias, aut corroadas, aut aliquod aliud servitium non accipient aliquo modo. Item, ad molendina non comedent. Item, aliquam personam per amicitiam non celabunt, nec per inimicitiam accusabunt. Item, opera dabunt, de die et de nocte, ut possint dampnum et guastum civitatis Niciae intus et extra evitare, et bannos invenire et scire, et hoc per nullam fraudem scire, vel invenire evitabunt, et infra dies octo, aut singulis diebus do-
b minicis omnes bannos, quos poterunt invenire banneriis manifestabunt. Item, cum colligent bladum, et messes, medietas ipsorum colliget tantum, et alia medietas custodiet suas gardias, et gardias aliorum qui colligent; et ante natale Domini non colligent denarios, vel ficus pro gardiis suis. Item, fructus alienos ad domos suas vel alibi non adducent, nec adducere facient, vel consentient. Item, privata tenebunt quaecumque Potestati, consulibus pro Communis utilitate dixerint esse privata. Et insuper quidquid Potestas, vel consules pro Communis utilitate addere voluerint huic sacramento, totum bona fide attendent et complebunt. Item, quod aliquod servitium non facient, nec aliquid dabunt alicui de electionibus, nec promittent, nec aliis pro eis
c pro camparia habenda. Et si fecerint, vel fieri fecerint, teneantur sacramento praedicta manifestare Potestati, vel consulibus, antequam intrent campariam, et quod teneantur solvere solidos decem infra dies octo, et alios decem usque ad Candeleriam (1).

De sacramento macellariorum.

Ego iuro ad sancta Dei Evangelia, quod ego non vendam carnes, nisi per illas quae fuerint, scilicet non vendam carnes ovis, nec arietis, pro carnibus mutonis, neque carnes hyrci pro carnibus caprae, vel menonis, neque carnes suinas pro carnibus porci, neque vendam carnes ultra precium con-
d stitutum, scilicet quartonum mutonis ultra denarios quindecim, quartonum arietis et ovis ultra denarios duodecim, quartonum porci, caprae, et menoni ultra denarios novem, et non inflabo carnes, neque carnes morbosas vendam in macello, et in cartonis mutonis in quibus caudae fuerint, dimittam tornum unum de cauda, et in hoc non faciam fraudem, vendendo bestiam vivam, neque integram ultra pretium constitutum; et quotiescumque contrafecero dabo communi pro iustitia solidos decem.

(1) Scilicet in festo purificationis B. M. V.

In nomine Domini amen. Anno Domini mille- *a* simo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, mensis novembris, die decima octava, haec sunt statuta, seu ordinamenta facta per nobilem virum dominum Raymundum Reguistonum militem, vicarium Niciensem, et per dominum Reyllanum Giraudi iudicem eiusdem civitatis de consilio, et accessu expresso plurium proborum virorum civitatis Niciae, et publicata in publico parlamento, facta prius praeconizatione quod quilibet ad parlamentum venire deberet in locis consuetis.

De draperiis et sartoribus.

Et primo statuerunt, et ordinaverunt quod ab *b* hodie in antea nullus draperius possit, nec audeat facere societatem, seu communionem aliquam, aliqua ingenii subtilitate, cum aliquo sartore, nec aliquis sartor cum aliquo draperio, quod si fecerint, et temeritate sua contra praesens capitulum venerint, solvat quilibet pro banno x libras, et ipsam poenam se noverit quilibet qui contrafecerit incurrisse.

Item, de draperiis praedictis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod draperii quando vendent pannos, scindant pannum quem vendent in banco, seu in arca, et plicato panno per medium, mensuretur pannus per schinam, non *c* tirando pannum, sed ponatur canna super panno, et addito cuilibet cannae integrae uno pollice, scindatur pannus, et qui contra fecerit solvat pro banno solidos xx et amittat totum pannum, quantum mensuraverit, seu vendiderit.

De sartoribus.

Item, statuerunt et ordinaverunt quod aliquis sartor non sit ausus tenere pannos venales, seu draperiae officium exercere, dum praedictum officium sartoriae facere voluerit, et tenere, seu etiam pannos venales sit licitum habere, tenere, nec vendere, et de quolibet istorum duorum membrorum intelligitur quod hoc non possit facere per se, *d* vel per aliam personam positam loco sui, et si contrafecerit sit in banno c solidorum, in ipsa poena quoties contrafecerit per se, vel per alium se noverit incurrisse, quae poenae tam primi statuti quam secundi, et etiam aliorum subsequentium debeant.

De draperiis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod aliquis draperius non exerceat officium sartoriae per se, vel per alium, et qui contrafecerit solvat pro poena qualibet vice libras x.

Quantum debent recipere sartores.

Item, statuerunt et ordinaverunt, quod sartor de tunica, et mantello mulieris faciendis et suendis cum penna habeat, et percipiat III solidos; et si in mantello fuerit sendatum, habeat inde III solidos, VI denarios; si vero tunica fuerit lombarda ruata, habeat de tunica II solidos, VI denarios. Item, habeat de caligis hominum cum antepedibus IV denarios, et sine antepedibus III denarios, pannos sutos, sine eo quod nihil habeat pro eorum labore.

De draperiis.

Item habuerunt, et ordinaverunt quod aliquis draperius non sit ausus vendere in diebus dominicis pannos, vel in diebus festivis beatae virginis Mariae, vel aliis solemnibus, quae Ecclesia praecipit celebrari, et qui contrafecerit solvat pro poena quindecim solidos, et amittat pannos venditos; festa autem intelligimus solemnia, quae Ecclesia praecipit ipsorum vigilias ieiunare, salvis diebus, quibus erunt nundinae.

De sabateriis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod sabaterii, seu quaecumque alia persona sit, quae vendat soleas, sequatur formam antiquam in segnando, et quaecumque persona formam praedictam antiquam ausus seu ausa fuerit diminuere, solvat pro qualibet solea XII denarios tantum, et amittat soleas.

De sabateriis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod nullus sabaterius possit accipere pro uno pari soculorum solando, nisi II denarios ianuenses tantum, et intelligatur de persona a decem annis supra, a decem vero infra accipiant III denarios, et qui contrafecerit, solvat pro banno XII denarios ianuenses.

De fabris.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod fabri non possint accipere, nec accipiant de fabricando libram ferri, nisi II denarios, seu de cayrello asserii IV denarios, et si quis contrafecerit solvat pro poena V solidos quotiens contrafecerit, eandem poenam substineat ille qui fieri faciet.

De ferrariis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod quilibet ferrarius possit tantum accipere pro ferrando uno pede equi, seu roncini, et muli de ferro novo, IV denarios ianuenses, et non ultra, nisi esset

talis equus qui ferraretur cum octo clavis, et tunc *a*
possit accipere IV denarios ianuenses et obolum; et de pede asini tres denarios ianuenses, et de referrando unum denarium, tam roncini, quam muli, et asini, et si quis contrafecerit solvat pro poena qualibet vice quinque solidos.

De macellariis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod aliquis beccarius, seu macellarius non vendat per se, vel per alium carnes pro aliis quam sint, videlicet ovem, seu arietem pro mutone, et trueam pro porco, et qui contrafecerit solvat pro poena quotiescumque contrafecerit decem solidos, et privetur officio suo per unum annum; si in poenam in- *b*
ciderit, non possit ad faciendum carnes restitui in dictum annum, nisi restitueretur voluntate hominum Niciae in publico parlamento.

Quod macellarii non vendant carnes coctas.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod macellarii non vendant carnes coctas, per se, vel per interpositam personam in eorum domibus sub poena x solidorum, et amittant carnes.

Quod macellarii non vendant carnes gulosas.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod macellarii non vendant carnes gulosas pro sanis, et qui *c*
contrafecerit teneatur illa poena, quae in superiori capitulo proxime continetur.

De macellariis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod per quamcumque personam carnes fuerint venditae contra formam proximorum praecedentium statutorum, qui tenebit, seu teneri faciet carnes in illa banca, teneatur ad illam poenam contentam in capitulis supradictis, proinde ac si ipsemet dominus carnes vendidisset.

Quod macellarii teneantur vendere carnes cuicumque de loco ubi magis voluerit. *d*

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod quilibet macellarius teneatur dare, et vendere de carnibus suis cuilibet personae volenti emere, de quocumque loco magis voluerit, et petierit, exceptis duobus tertiis ultimi quadrantis, videlicet crure, et anca, quos duos tertios dividere non teneatur si noluerit, et qui contrafecerit, solvat pro qualibet vice pro banno solidos v.

De teuleriis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod quaelibet persona quae fecerit, vel fieri faciet tegula, seu teulos vel mallones sequatur in contrahendo, seu faciendo, seu formando, formam antiquam, nec ipsam in latitudine, vel longitudine, vel grossitudine sit ausa diminuere, vel ipsi consuetudini obviare, et si aliqua persona contrafecerit negligendo praesens statutum, solvat pro quolibet milliario teulonium, et pro quolibet milliario mallonorum, qui factus inventus fuerit contra formam praedictam pro banno VI denarios tantum, et quod amittat tegulas et mallones, et quod illae formae signentur signo curiae, et eis tradantur per curiam.

De vendentibus calcem, et gypsum.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod aliqua persona non sit ausa vendere calcem, seu gipsum nisi ad sestarium sibi datum per curiam, et signatum signo curiae, et sestarium sibi datum per curiam teneat, et habeat, et ad illum vendat, et nullum alium tenere, vel habere possit, cum quo mensuret, nisi illum curiae; et qui contrafecerit solvat pro poena quotiescumque contrafecerit viginti solidos, et amittat calcem, vel gypsum.

Quod medici non faciant societatem cum apothecariis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod medici non habeant societatem cum apothecariis, nec apothecarii cum medicis, et quod nullus phisicus admittatur ad praticandum, nisi primo iuraverit quod non habeat societatem, nec habebit aliquo tempore in civitate Niciae cum aliquo apothecario, sub poena x solidorum.

De corateriis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod aliquis non sit ausus uti officio corattariae, nisi primo iuraverit, et firmaverit, quod bene, et legaliter faciet illud officium, nulla fraude, seu machinatione excogitatis, seu factis, et qui contrafecerit solvat pro banno qualibet vice x solidos.

De agrimensoribus.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod nullus agrimensor non admittatur ad cavandum, seu utendum illo officio, nisi prius iuraverit et firmaverit quod bene, et legaliter faciet officium suum pro utraque parte.

De banastis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod banastae, in quibus portantur racemi, seu uvae super bestiis tempore vindemiarum, sint tales quae teneant quatuor pannerios plenos racemorum, et qui contrafecerit, solvat pro banno II solidos, et amittat banastas.

De ductoribus bestiarum tempore vindemiarum. a

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod ductores bestiarum tempore vindemiarum, si intraverint, seu inceperint de die ad ducendum racemos habeant II solidos, si vero fecerint matinatam habeant III solidos.

De apportantibus ligna ad vendendum.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod aliquis qui apportet, seu apportari faciet ligna ad vendendum, non sit ausus discargare ligna ex quo ipsa cargaverit in nemore, nec ausus sit ea incrossilare in basto cum ea cargabit, vel alibi, nec ex quo inceperit intrare civitatem ausus sit pannum, b
vel aliquid ponere super lignis, et si contrafecerit in aliquo de praedictis membris solvat pro banno XII denarios ianuynorum, et amittat ligna.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod ad praedicta omnia inquirenda, secundum quod in superioribus capitulis continetur, si praedicta statuta observabuntur, nec ne secundum quod sunt ordinata, duo probi, et legales homines per curiam eligantur, ac tales de quibus non possit machinatio, seu corruptio, vel fraus aliqua cogitari. Et si praedicti invenerint aliquam personam contrafacientem in suo officio, ut in proximis capitulis continetur, praedicti duo habeant partem banni fracti, seu poenae commissae, prout inferius continetur, videlicet si draperius fuerit, qui contra statutum fecerit, te- c
nendo, seu habendo societatem cum aliquo sartore, habeat LX solidos, et habere de poena commissa.

Item, quod si praedicti sartores poenam praedictam incurrerint, praedicti duo probi habeant in poena XL solidos, in omnibus vero aliis poenis in dictis capitulis contentis si commissae fuerint per aliquas personas, praedicti duo probi homines habeant in ipsis medietatem, et alia medietas applicetur curiae domini nostri Ducis.

Item, statuerunt et ordinaverunt quod quaelibet persona, quae habere voluerit unum, vel plura, vel omnia praesentia capitula, possit ea habere transcripta per notarium conficientem, quotiescumque voluerit. Et istud capitulum possit facere notarius, cum fuerit requisitus, nulla vicarii, vel iu- d
dicis licentia requisita.

Item, statuerunt, et ordinaverunt quod praedicta capitula, seu presentia non praeiudicent capitulis civitatis Niciae veteribus, nec eis derogent in aliquo, vel aliquibus, et fuit concessum, et statutum quod praedicta statuta currant, et currere incipiant a die publicationis istorum capitulorum contra omnes homines facientes contra dicta capitula.

Praedictae autem pubblicationi interfuerunt coadunati voce praeconia infra palatium Niciae infrascripti, et plures alii probi homines civitatis Niciae. In primo dominus Bernardus Badatus, D. P. Riquerius, D. Marinus Badatus, Pontius Cayssius, Guillelmus de Pilia, G. Calveria, G. Baconus, Paulus Bermundus, Gaufridus Fulco, Raynaudus de Versano, G. de Turretis, R. Ricardus, et plures, ut supradictum est, probi homines civitatis Niciae, quibus capitulis supra contentis lectis, et publicatis, et per eos auditis, et intellectis, omnes, in dicto parlamento congregati et praesentes, concesserunt, laudaverunt, et approbaverunt, et confirmaverunt, et voluerunt una voce clamantes quod praedicta capitula, et quae in eis continentur abinde in antea inviolabiliter, et integre observentur.

Privilegia concessa per Regem Yldefonsum primum dominum civitatis Niciae.

In Dei nomine notum sit omnibus, tam praesentibus quam futuris, quod ego Yldefonsus Rex Aragonum, Comes Barchinoniae, et Marchio Provinciae, una cum fratribus meis Raymundo Berengario, et Sancio, consilio, et auctoritate procerum Curiae nostrae finem bona fide, et absque omni fraude facimus civibus Niciensibus tam praesentibus, quam futuris, scilicet consulibus, et toti populo Niciensi, de omnibus quaerimoniis tam civilibus, quam criminalibus, quas usque nunc adversus eos habuimus, vel modo habere possumus, eisdem pacem et bonam voluntatem nostram integram, et plenissimam benivolo animo reddentes. Insuper ipsis Niciae civibus tam futuris quam praesentibus, donamus, laudamus, concedimus, et confirmamus Consulatum cum omnibus iustitiis, et sententiis tam in criminalibus, quam in pecuniariis seu civilibus causis, et eligendi auctoritate sua consules, potestatem eis in perpetuum donamus; consuetudines quoque et usus quos, et quas usque nunc habuerunt, aut deinceps habituri sunt eis pariter confirmamus atque donamus; quidquid insuper universitas, aut aliquis civium habet, tenet, vel quocumque modo possidet, et quantum ad petitionem nostram forte pertinere posset, simili modo laudamus atque donamus. Pro hiis itaque praedictis vigintiquinque millia solidis ianuensis monetae accepimus, singulis etiam annis duo millia solidos praefatae monetae nobis, et successoribus nostris pro albergo dabunt, praeterea quando per Provinciam caeteris cavalcatas mandaverimus a Varo usque ad Cianam centum servientes nobis mittere debet, a Ciana autem usque ad Rodanum quinquaginta.

Excepto hoc praesenti decennio quousque firmata est pax; in quo itaque decennio nullos mittere cogantur nec huc vel illuc; et per Niciensem episcopatum communes cavalcatas nobis facere debent.

Haec omnia supradicta eis concedimus, salvo iure nostro nostrorumque successorum.

Actum est, hoc anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo septuagesimo septimo mensis iunii in plano iuxta Varum; et quod haec omnia serventur dominus Rex verbo suo promisit, et eandem promissionem osculo suo roboravit, osculando scilicet inde consules Niciae, vide-

licet Petrum Riquerii, et B. Badati, tam pro se, *a* quam pro consociis totius populi, seu universitate; fratres quoque sui, scilicet Raymundus Berengarii, et Sancius haec custodiri cum osculo suo cum iureiurando interveniente firmaverunt, tam pro domino Rege quam pro se, et successoribus suis omnibus; et haec observari mandato domini Regis, et fratrum suorum iuraverunt isti, scilicet Arnaudus de villa de Muls, et G. Daltarraz, et Poncius de Mataplana, Arnaudus de Palozo, et Blacas Dalms, et Bonifacius de Castellana, et R. de Grassa; huius rei testes sunt isti scilicet, Hugo Gauffridi magister militiae Templi, Blacas de Sesteron, et P. N. fratres sui, et Rogerius prior hospitalis Niciae. P. Droc., R. de Malausena, Porcel Darle et cambas longas, *vinus*, Raymundus Gantelmi, B. Dauriac, R. de *b* Camborel, Berengarius de s. Eugenia, Rodrigo de Castau, Raybaudus iudex, et R. Rayberius iudex, et G. Raybaudus, et Riquerius Fulco, ac etiam Petrus Raibaldus, Guillelmotus, B. Badat, G. Millo, P. Niger, Raymundus Andebran, G. Desa, G. Adalguer, Berengarius Asalta, et duo fratres hospitalis, scilicet Elias, et Petrus Amici et alii quamplures et dominus Rex Aragonum praenominatus tale suum signum in praedicta carta posuit.

Signum Yldefonsi Regis Aragonum, Comitis Barchinoniae, et Marchionis Provinciae (1).

Confirmatio praedictorum
facta per dominum Sancium Comitem Provinciae.

In nomine Domini Amen. Ego Sancius Dei gratia comes, et marchio Provinciae, una cum filio meo Vinone, et consilio procerum curiae nostrae, damus, cedimus, et per ius perpetuum confirmamus vobis Milloni Badato, Uno Bermundo, Petro Chabaudo, atque Rostagno Uno, consulibus Niciae recipientibus pro vobis, et pro omni communi civitatis Niciae, et ipsi populo Niciensi, omnia iura, privilegia, libertates, consuetudines, et omnem plenariam iurisdictionem, quam usque nunc habuistis, vel de caetero habebitis, et specialiter quidquid vobis fuit concessum a D. Yldefonso fratre nostro Rege Aragonum, et a Raymundo Berengario fratre nostro, quondam comite Provinciae, et a nobismetipsis, sicut continetur in carta inde facta, et sigillo praedicti *d* domini Regis sigillata, cuius tenor talis est. In Dei nomine notum sit omnibus etc. Hanc itaque donationem, cessionem, privilegium, et confirmationem, atque plenariam iurisdictionem damus, atque concedimus vobis praedictis consulibus, et toti populo Niciensi, pro octo millia et quingentis solidis ianuensibus, de quibus nos clamamus solutos, et nos quittos, ac renuntiantes exceptioni non numeratae, et non receptae pecuniae, et omni iuri, et specialiter pro fidelitate, quam nobis fecistis, et nos ita recepimus, quod in aliquo non generet nobis praeiudicium, nec aliquid de nostra diminuat libertate, nec in perpetuum diminuere possit. Et illam dictam fidelitatem dicti consules fecerunt, et concives similiter nominati, et specialiter sub iam dicta conditione, ita quod de iure ipsorum aliquid diminui non possit, et salvo honore domini pupilli quondam filii domini Yldefonsi comitis Provinciae bonae memoriae. Insuper nos Sancio comes, una cum dicto filio nostro promittimus salvare, defendere omnes homines Niciae in personis, et in rebus, et specialiter res ipsorum ubicumque sint, nunc et in perpetuum pro posse nostro. Et ego dominus Sancio comes confiteor, et recognosco, quod Raybaudus de Dalfino, Ferrandus et Bertrandus Laugerii haec omnia iuraverunt attendere, et observare super animam meam volentem, et eis iubentem, et item Raymundus Laugerii de Carrocio haec eadem supradicta omnia iuravit attendere, et observare super animam domini Vinonis volentis, et iubentis. Actum in plano de Arisana, sub tenda praedicti domini Comitis, millesimo ducentesimo decimo, indictione duodecima, vigesima prima die augusti. Et fuerunt testes dominus Henricus Niciensis episcopus, Giraudus de Villanova, Gilibertus abbas sancti Pontii, Unus Giraudus, Unus capellanus monachi eiusdem mo-
c nasterii, Bonifacius de Castronovo, R. Martinus, et Unus Bonnifar canonici Niciae, Pontius Faber commendator militiae Templi, quae est Niciae, et frater Ioannes de Gabbar, Unus Raymundus commendator in domo de Varo, Unus Raybaudus Riquerii, Fulco Badati, Fulco Raibaudi, Hugo Cavulla, Unus Guigo, Unus Francica, Paulus Badati, magister Oliverius, B. de Saranone, Blacacius Berenguerius de Iras, Hugo de Mario, B. Orset. Ego Raymundus Theri notarius interfui, et rogatus sumpsi et scripsi. Signum domini Sancii comitis et marchionis Provinciae, signum domini Vinonis filii eiusdem comitis; hanc itaque cartam sigillo nostro fecimus, et praecipimus sigillari, et corroborari in perpetuum valituram.

Privilegia concessa per dominum Raymundum
Berengarium Comitem Provinciae.

In nomine Domini amen. Notum sit cunctis tam praesentibus, quam futuris, quod Raymundus Berengarius Dei gratia comes, et marchio Provinciae, et comes Forcalquerii, ad animum reducentes servitia quondam collata predecessoribus nostris, et nobis specialiter ab universitate Niciae, quae in antea conferri credimus, et speramus potiora, donamus, et concedimus civibus Niciae illis quos amicos reputamus, et universitati Niciae scriptas inferius libertates. In primis volumus quod pro alberga, quae consuevit nobis dari a civibus in festo

(1) Hoc diploma legitur in documentis historiae Provinciae a Papono conscriptae: illud inter exemplar, et istud quod ex codice nostro exscribimus parvae admodum sunt varietates lectionis, ni excipias quantitatem solidorum, quos *melgorienses* habet Paponi exemplar, *ianuenses* nostrum. Melgoriensium solidorum usus frequentissimus apud Provinciales fuit, eorumque valor plerumque aestimabatur ratione L solidorum pro quolibet *marco* argenti. Postea apud Nicienses moneta ianuensis prae caeteris invaluit; quum de antiquioribus temporibus hic agatur, forsan *melgoriensis* lectio aptior videtur.

a

sancti Andreae teneatur nobis dare quilibet habitator Niciae pro foco suo denarios duodecim ianuenses, in praedicto festo annis singulis persolvendis.

Item, donamus et concedimus quod homines Niciae universi, et singuli sint immunes, et liberi ab omni gombeta, et donamus, et remittimus dacitam panateriae, macelli, et casei panateriis, et macellariis in perpetuum.

Item, concedimus quod omnes causae ventilentur, et terminentur, et sportulae pro praedictis causis praestentur curiae nostrae iuxta statuta civitatis Niciae, quae modo in capitulis civitatis Niciae continentur, excepto homicidio, cuius vindictam ad manum propriam iuxta nostrum arbitrium, vel curiae nostrae retinemus. Item, promittimus quod

b

omnia capitula quae modo sunt in civitate Niciae servabimus, hiis exceptis quae nobis, vel curiae nostrae viderentur ad utilitatem nostram, et honorem nostrum, et civitatis Niciae corrigenda, vel penitus delenda. Item, damus adobatoribus corriorum herbas ad aptanda coria eo praetio, quo gabella emet dictas herbas, et hoc intelligimus civibus Niciae.

Item, remittimus tassam piscium piscatoribus Niciae, ita quod nullo tempore tassam ab eis exigemus. Item, donamus civibus Niciae, quod si quis migraverit sine haerede legitimo, quod possit legare, vel relinquere bona sua tam attingenti, quam extraneae personae. Et haec omnia supradicta iuravit dictus dominus Comes super sancta Dei evangelia corporaliter tacta attendere, et non contravenire;

c

et similiter iuravit dominus Romeus, G. R. Siblet, et Guillelmus de Cotignaco. Actum Niciae ante ecclesiam sancti Stephani, anno millesimo ducentesimo vigesimo nono, indictione secunda, mensis novembris die nono. Et fuerunt testes Guillelmus Riquerius, Raymundus Chabaudus, Olivarius Torcatus, Bertrandus Aycardus, Iordanus Riquerius, Guillelmus Marinus, et multi alii qui ibi erant. Ego Guillelmus Theri notarius interfui, et rogatus scripsi.

In nomine Domini amen. Notum sit cunctis praesentibus et futuris, quod ego Raymundus Berengarius, marchio, et comes Provinciae, concedo, dono, et laudo civitati Niciae, eiusque civibus ut ipsi non tribuant plus de pedagio per totam terram meam quam homines de Grassa.

Confirmatio dictarum libertatum facta per dominum Carolum.

In nomine Domini amen. Notum sit cunctis tam praesentibus quam futuris, quod nos Carolus Dei gratia comes, et marchio Provinciae, et comes Forcalquerii confirmamus, et approbamus vobis Augerio Badato, et Salamoni iurisperitis sindicis de voluntate nostra constitutis ab universitate Niciae, recipientibus nomine dictae universitatis, omnes franquesias et libertates, quas dominus Raymundus Berengarius bonae memoriae, Dei gratia comes et marchio Provinciae, et comes Forcalquerii dedit civibus, et universitati Niciae, prout in supradicto instrumento, facto per manum Guillelmi Theri notarii continetur. Actum Niciae in palacio in camera ante sanctum Lambertum, anno domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, indictione tertia, mensis februarii die vigesima tertia; et fuerunt testes dominus Philippus de Nemono, dominus Imbertus de Belloioco, dominus Romeus, et Emmanuel comes. Et ego Guillelmus Theri notarius domini Raymundi Berengarii Dei gratia quondam comitis Provinciae, mandato domini Caroli Dei gratia comitis, et marchionis Provinciae, hanc cartam scripsi, et quia sigillum proprium non habebamus, hanc cartam sigillo venerabilis patris domini Aureliensis episcopi iussimus sigillari.

Statuta Comitis Berengarii.

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen, anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo trigesimo quinto, mensis octobris die septima, iuravit dominus Raymundus Berengarius illustris comes et marchio Provinciae, et comes Forcalquerii, et B. de Alamanono ex una parte, et barones et milites, scilicet Blacacius, Aycardus de Vidalbano, S. de Pugeto, S. R. de Caradello, C. de Mosteriis, B. de Aynuta, Aubertus Rostagnetus de Entrecastels, G. de Draguignano, et multi alii ex alia parte, quod ipsi per se, et heredes suos in perpetuum servabunt statuta, seu constitutiones, quae, vel quas dominus Raymundus Foroiuliensis episcopus, R. Laugerius de Rochabruna, Guillelmus de Cotigniaco, et Bonetus de Villanova statuent, seu scribent, seu scribi facient in Baiulia Foroiuliensi super capitulis infrascriptis, videlicet super iurisdictione, et iustitiis. Item, super cavalcatis. Item, super albergiis. Item, super questis et talleis. Item, super consulatibus. Item, super novis pedagiis. Item, super libertatibus. Item, super litibus et castellanorum serviciis. Item, super pascuis hiemalibus, et super quibusdam aliis. Item, iuraverunt praedicti quatuor scilicet dominus Raymundus Foroiuliensis episcopus, et Raymundus Laugerius, G. de Cotigniaco, et Romeus de Villanova, quod super praedictis capitulis statuta, et consuetudines bona fide facient, ut quae-

d

relas sopiant supra dictas. Si vero supradicti quatuor in unum non convenirent, quod maior pars eorum statuerit perpetuo observent et pro iure et lege tam dictus Comes, quam dicti barones, et milites habebunt et observabunt. Actum in castro Draguignani, in porticu ante cameram domini abbatis, in praesentia Guillelmi Floregiae, Mathaei de Fonte iurisperiti, Petri de Monte, Lino Malvesini, magistri Raymundi Hugonis de Cimasco, et Bonifacii de Fragaria testium vocatorum, et rogatorum. Et ego Raymundus Andreae notarius a domino Raymundo Berengarii comite Provinciae constitutus interfui, et de mandato dicti domini Comitis hanc cartam scripsi, et meo signo signavi.

Pronuntiatio dictorum dominorum arbitrorum.

Anno quo supra, mensis octobris die duodecima, nos Raymundus Foroiuliensis episcopus, Guillelmus de Cotigniaco, Raymundus Laugerii, et Romeus de Villanova unanimiter, et in unum concordantes, et convenientes statuimus, et in publicum deducimus statuta inferius scripta, mandantes, et iniungentes tam domino Comiti, quam baronibus, et militibus ex altera parte constitutis, ut statuta scripta inferius per se, et successores suos in perpetuum firma teneant, et illibata, et in nullo contrario veniant de iure, vel de facto.

Capitulum de iustitiis, et causis tam criminalibus, quam civilibus, et de iurisdictione, de homicidio, et rapinis.

In primis statuerunt quod homicidia ubicumque facta, et rapinas factas in stratis publicis, et insidiatores publicarum viarum, et violatores ecclesiarum, et domorum religiosarum, et omnes qui in eis malefacient, dominus Comes punire possit, sive iure ordinario, sive ex officio; in bonis dampnatorum, quae ad dominum Comitem pertinent ex supradictis causis non intelligimus vasa vinaria, neque arcas, neque sounamenta lignea, neque fructus pendentes, fructus autem pendentes intelligimus omnes fructus antequam sint collecti, collectos autem intelligimus, ex quo granum fuerit separatum a loco a quo natura produxit eos. Omnes vero alias iustitias criminales hominum suorum procedentes ex causis, vel iniuriis factis inter homines suos, Dominus praedictorum hominum habeat, et inter homines in hiis ius reddat, et hoc intelligimus sive homines praedicti Domini sint in eodem castro, sive in diversis.

De pelagra, seu rixa.

Item, statuimus quod si inter homines diversorum cohaeredum, vel pareriorum alicuius castri, vel militum de eodem castro, et infra castrum, vel in eiusdem territorio pelagra fiat, seu rixa, vel furta, vel maleficia, praeterquam in capitulis. In primo capitulo supradictus dominus Comes, non debet se intromittere, neque eius curia, nisi querimoniam coram eo, vel eius curia deponent; inter ista maleficia non intelligimus iniuriam verborum, neque ictus sine gladio, nisi sanguis eiiceretur, vel alias enormis esset laesio cum gladio.

De furto ab extraneo facto.

Item, statuimus quod si aliquis, vel aliqui extranei furtum fecerint in castro alicuius militis, vel in eius territorio, et miles, vel homines eius infra territorium suum quandocumque vel extra territorium suum dum furtum esset recens praedictos fures, vel furam ceperint, et curiae praesentaverint

a in iustitia pecuniaria, quam curia habebit ab eo, praedictus miles habeat medietatem.

De furto alicui extraneo commisso.

Item, statuimus quod si furtum alicui extraneo factum fuerit, in castro alicuius militis, vel in eius territorio per homines eius militis, dominus Comes, vel eius curia non debeat se intromittere, nisi querimonia coram ipso deponeretur, extraneum ita intelligimus qui praedicto castro non locat domum, neque ibi habitat ex quacumque causa. Item, extraneum non intelligimus qui in loco per duos habitavit menses continuos. Item, statuimus quod si aliqui extra territoria sua furtum faciant in castris,
b vel in villis, quae non sint dominorum suorum, dominus Comes, vel curia sua possit ex officio suo inquirere et punire. Item, statuimus quod omnes causas civiles hominum suorum, vel si contra homines suos agatur, miles audiat, et definiat, praeterquam in hiis casibus, scilicet si homines praedicti militis extraxerint in villis, castris, seu civitatibus, in quibus per dominum Comitem, vel eius iudices ius redderetur, vel in civitate, tunc ad praedicta loca praedicti homines veniant, et ibi respondeant, primo tamen denuntietur per litteras, vel per nuncios curiae domino praedicti hominis, ut satisfieri faciat infra decem dies, et si infra praedictos decem dies satisfactum non fuerit, exinde coram curia domini Comitis, vel eius iudice respondere teneatur. Item,
c statuimus ut si miles non redderet ius, vel non teneret de homine suo in defectu domini, dominus Comes, vel eius curia, vel iudices ius reddere debeant. Item, statuimus quod si causa moveatur coram aliquo milite, non possit exigere ab extraneo, nisi secundum consuetudinem domini Comitis.

De cavalcatis.

Item, statuimus in primis ut barones et milites faciant domino Comiti cavalcatas sub hac forma, videlicet, ut milites, et homines per quadraginta dies expensis propriis in comitatu Provinciae, et Forcalquerii quem possidet, seu quasi, vel praecedente tempore possederit, vel eius heredes et
d contra eum, qui dominum Comitem offenderet in praedictis Comitatibus, etiamsi essent extra praedictos Comitatus, teneantur facere cavalcatas sicut inferius singillatim continetur, infra quadraginta dies connumerari intelligimus eundo, et redeundo, videlicet pro qualibet dieta sex leucas. Item, statuimus quod circa locum, vel castrum, vel villam, vel civitatem quam dominus Comes obsessam teneret, vel talaret, praeter supradictas cavalcatas, quae inferius continentur, teneantur praesentes esse cum domino Comite, vel eius Bavilo in cavalcatis pro sex fociis sex pedites, quando dominus Comes, vel eius Bavilus in obsessione alicuius castri manerent, et hoc intelligimus de peditibus circumstantibus per sex leucas. Item, statuimus quod milites semel in anno tantum

praedictas cavalcatas quadraginta dierum facere teneantur, et etiam pedites, qui cum praedictis militibus pro cavalcatis sunt infrascripti.

Item, de cavalcatis.

Item, statuimus quod si accideret barones, et milites fecisse cavalcatas in terra, aliquis cum tanto exercitu intraret comitatum Provinciae, et Forcalquerii quod obsideret aliquod castrum, vel villam, vel obsidere vellet, vel ei facere bellum campale, praedicti barones, et milites in tanto domino praedicto Comiti teneantur facere cavalcatas ut superius dictum est. Item, statuimus quod castrum de Gonfarono faciat pro cavalcatis unum militem cum equo non armato. Castrum de Flassanis unum militem cum equo non armato. Castrum de Luco duos milites cum equis armatis, unum militem cum equo non armato. Castrum de Canto duos milites cum equis armatis. Castrum de Vidalbano non cum equo armato. Castrum Mola unum militem cum equo non armato. Castrum de Garcino cum sancto Tropedo unum militem cum equo armato, et unum militem cum equo non armato. Castrum de Ramatuella unum equum armatum. Castrum de Grimaudo unum militem cum equo armato, et unum militem cum equo non armato. Castrum de Revesto unum militem cum equo non armato. Roccabruna cum villa Peys unum militem cum equo armato, et unum militem cum equo non armato. Foroiulium duos milites cum equis armatis. Castrum de Arcubus cum uno milite cum equo non armato. Castrum de Caradello unum militem cum equo non armato. Castrum de Traus idem. Castrum de Cellaus et de Mota idem. Castrum de Draguignano tres milites cum equis armatis. Castrum de Flayoso unum militem cum equo armato, et unum militem cum equo non armato. Castrum de Entrecastels unum militem cum equo armato. Castrum de Cotiniaco idem. Carceres idem. Vesins duos pedites armatos. De Silaus, et de Bastita, et de Ponteves, et de Barrenia, de Archinore tres milites cum equis armatis. Bastita de Conselars unum equum non armatum. Ayguina et Saletas unum equum armatum. Castrum de Alpis et de Tortono, et de Fabricis, et de Moysac, et de Valle de Fors tres equos armatos. Castrum de Salernis, et de Villa Crosa duos equos armatos. Vallis de Empus, et de Raymer unum equum armatum. Figaneria unum equum armatum, et duos pedites armatos. Asperels, et Monferrat unum equum armatum. Clavier et Baudron idem. Bariamon unum equum armatum, et duos pedites armatos. Favars unum equum non armatum. Maliguon idem. Castrum de Comis unum equum armatum, et quatuor pedites armatos. Bastida de Sclapon, et Rocha unum equum non armatum. Sclapon unum equum non armatum. Mons idem. Cellaus unum equum armatum, et duos pedites armatos. Castrum de Fayencia duos milites cum equis armatis, et duos pedites cum armis. Podion Bresson unum equum armatum. Caliaus cum
a Monte Auros, et cum Tannaron unum equum armatum, et unum non armatum. Sclaynola unum equum non armatum. Castrum de sancto Cezario unum equum armatum. Castrum de Autunat duas partes unius militis, et unius equi non armati. Castrum de Tortono tertiam partem. Castrum de sancto Albano unum equum armatum. Torrent cum Graulleriis superioribus unum equum non armatum. Andaono et Graulerias inferiores unum equum armatum. Causols et Cipieras idem. Castrum de Cabriis, Pandacio, et cum affari de Amalo unum equum armatum. Avignonetum unum equum non armatum. Antipolis quindecim pedites. Sartols et Rauret unum equum non armatum. Castrumnovum quatuor pedites armatos. Corsegollas unum
b equum armatum. Malvans unum equum non armatum. Torretas unum equum non armatum, et duos pedites armatos. Vencia unum equum armatum, et duos pedites armatos. Castrum de sancto Laurentio tres pedites armatos. Castrum de Balma sancti Ioannis unum peditem armatum, et unum non armatum. Castrum de s. Paulo duos equos armatos, et quatuor pedites armatos. Vallis de Chavina cum Villanova equum unum non armatum. Castrum de Pugeto tres pedites armatos. Castrum de Gateriis unum equum non armatum. Catois cum Oliva unum equum armatum. Castrum de Broco unum equum non armatum. Castrum de Pelono quatuor pedites armatos. Biunzii unum equum non armatum. Castrum de Fortis cum hiis
c qui sunt sub eius dominio unum equum non armatum. Castrum de Drapo duos pedites armatos. Castrum de Pella decem pedites. Castrum de Luceramo sex pedites armatos. Turbia unum equum non armatum. Castrum de Levencio unum equum armatum. Castrumnovum unum equum non armatum. Torretas, et Aspremont, et castrum de sancto Blasio unum equum armatum. Quod diximus de equis armatis, et de militibus, sive equis armatis, et peditibus armatis, ita intelligimus armatum scuto, et perpuncto, et aspergato, et chofa, seu capello ferreo, et tarca, vel scutoni inter duos pedites; et ita statuimus militem cum equo armato. Item, intelligimus armatum auspergato, et perpuncto, et scuto peditem armatum. Ita intelligimus, ita statui-
d mus quod dominus Comes, vel eius Bavilus pro eo non possint ab aliquo milite denarios pro cavalcatis recipere, nisi procederet de voluntate militis expressa.

De albergis.

Item, statuimus quod albergae episcopatus Foroiulii, et totius Baviliae solvantur apud Draguignanum, vel circa, vel ubi Bavilus singulis mandaverit, et in octavas sancti Michaelis, vel ante si non remaneret, vel staret per eos, qui solvere debent albergas, duplum exigere possit ab eis dominus Comes, vel Bavilus eius; item statuimus, quod soluta alberga dominus Comes, vel eius Bavilus non

a possit albergare in aliquo castro, vel villa, nisi propriis expensis.

De quistis et talliis.

Item, statuimus quod dominus Comes possit facere quistam ob causas infrascriptas, scilicet semel pro itinere faciendo ad dominum Imperatorem, sine armis, et quandocumque requisitus a domino Imperatore cum armis iverit, quod semel cum armis intelligimus ad eundem Imperatorem, et de eodem Comite; item, si fuerit factus novus miles; item, vel maior filius eius qui Comes futurus sit, possit facere quistam. Item, si filiam, vel filios in matrimonium associaverit, pro quolibet ipsorum semel quistam facere possit. *b* Quod diximus, si ad Imperatorem cum armis iverit dominus Comes, in hominibus eius, intelligimus omni dolo, et fraude cessante; si vero aliquis de baronibus, vel militibus cum domino Comite ad dominum Imperatorem iverit dominus Comes in hominibus suis non faciat quistam, sed dimittat eam pro emendis necessariis, scilicet equis, et vestibus, et aliis ad iter peragendum. Item, quod diximus si cum armis transfretaverit, intelligimus si exercitus cruce signatorum transfretaverit in subsidium terrae (1).

Item, statuimus quod si quis miles domini Comitis transfretare voluerit propriis expensis in hominibus eius, dominus Comes non faciet quistam. Item, statuimus quod nullis aliis de causis dominus Comes possit facere quistam in hominibus mi- *c* litum, vel aliorum sibi subditorum. Item, statuimus quod dominus Comes supradictas quistas possit facere sub modo scripto, videlicet pro quolibet foco possit habere sex solidos regalium secundum magis, et minus; focum intelligimus illum habere qui habet domicilium in civitate, castro vel villa.

De consulatibus.

Statuimus, quod dominus Comes, neque barones, neque milites consulatum dent aliquibus rusticis, vel alicui universitati, vel aliquid quod loco consulto habeatur.

d *De pascuis ovium.*

Statuimus quod supradictus dominus Comes habeat medietatem in pascuis ovium de montaneis descendentium a collibus supra, ultra colles intelligimus a castro de Aygiuna, et de Favas, et de Anaysa, et de Antoneto, et de Cabris, et de Albano, et de Malvans usque ad castrum de Carrocio versus montes.

(1) Mentio, quae hic iniicitur de expeditionibus trans fretum, videlicet contra infideles, certiores nos reddit aliquid deesse in lectione primae partis huius rubricae, quae per se satis clara non apparet. Expressam ad auctoritatem codicum, quibus utimur, lectionem exhibemus, sed dubitandi caussam in aperto ponimus.

Quod nihil recipiatur pro pedagio supradictorum eundo, vel redeundo.

Item, statuimus, quod nullus recipiat ratione pulveragii, vel pedagii aliquid de omnibus suprascriptis in eundo, vel redeundo.

De gabellis.

Statuimus quod quatuor denarii bladi, quos recipit aliquando dominus Comes apud Foroiulium, vel alibi in bavilia singulis sestariis bladi de cetero non recipiantur cum de novo statutum esset apud Foroiulium, vel alibi in toto episcopatu, vel bavilia.

De libertatibus militum.

Statuimus quod milites, et filii militum, et nepotes militum sint liberi, et immunes ab omni quista, et exactione; si tamen filius militis attigerit tresimum (1) annum, neque interim militiam assecutus fuerit, et tunc non habebit libertatem. Item, statuimus quod si aliquis, vel eius filius, vel nepos, velut supradictum est, opera rustica fecerit, scilicet fodiendo, ligna adducendo cum asino, vel fimum, vel alia opera rustica faciendo pro magna parte, militis non habeat libertatem.

Item, statuimus quod castellani in omnibus quistis supradictis, et albergis, et cavalcatis donent sicut caeteri homines supradicta omnia, quae statuimus, salvis privilegiis, et immunitatibus, et donationibus, seu concessionibus per dominum Comitem, vel antecessores eius alicui, vel aliquibus factis.

De publice adulterantibus.

Statuimus quod si aliquis publice adulteretur, et ex eo fuerit excommunicatus, dominus eius teneatur ipsum punire pecunialiter, et expellere eum de castro, et adulteram, si infra octo dies non expulserit. Si autem dominus ipsorum infra decem dies, ex quo ad eum sententia pervenerit excommunicationis, praedictos non punierit, et expulerit, dominus Comes et curia ipsius possit eos punire et expellere.

Item, statuimus, ut causae civiles, et criminales de quibus nondum quaestio habita in curia, si quaestio, vel quaerimonia oriatur secundum praedicta statuta determinentur.

Item, statuimus, quod si super praedictis aliqua quaestio, vel ambiguitas oriatur, illa per Raymundum Foroiuliensem episcopum, et Romeum, et G. de Cotiniaco, et Raymundum Laugerium determinentur semper, quod si aliquis eorum superesset, semper per ipsum, Foroiuliensem, et per duos barones, vel milites, quorum unus eligeretur a do-

(1) *Tresimum* legimus in codice, triccsimum legendum res ipsa monet.

mino Comite, et alter a baronibus, et militibus *a* quaestio, et ambiguitas determinentur. Item, statuimus, quod si super praedictis aliqua quaestio oriatur, omnia supradicta, et statuta in cartas publicas, et per manum publici notarii redigantur, et cum sigillo domini Comitis, et domini Foroiuliensis episcopi sigillentur. Si vero sigilla frangerentur, vel vetustate tollerentur, non ideo minus valeant statuta. Item, statuimus, quod domini castrorum, vel cohaeredes non dividant denarios cavalcatarum, sed eos habeant milites, qui ibunt pro cavalcatis. Item, statuimus, quod militi cum equo armato dentur viginti librae raymundentium (1) pro quadraginta diebus, et pro equo non armato dentur decem librae. Item, statuimus, quod si miles dum est in cavalcatis equum suum amittat *b* cum armis, vel ei auferatur, ex quo castrum exierit precium equum ei restituatur per homines illius castri, vel villae pro quo, vel quibus iverit in cavalcatis, et sit pretium equi mille solidorum, et precium roncini decem librarum, et fiant istae restituciones infra tres menses.

Ordinacio comitis Provinciae de bonis officialibus ponendis, et de modo servando.

Haec est ordinacio facta per dominum regem, tunc Comitem, super omnibus officialibus suis bonis. Primo quod specialiter bonus senescallus, et iudex maior legalis, et iustus, et alii officiales similiter, prout minus mali, sive meliores inveniri poterunt, *c* ordinentur, nec constituatur aliquis malae famae. Item, ter in anno fiat parlamentum semel Digne, semel Draguignani, semel Aquis in Comitatu Provinciae, et in comitatu Forcalquerii, semel in anno specialiter in comitatu terrae per senescallum; et dominus rex eligat sibi consiliarios, quos voluerit, de quorum consilio, et assensu officialium inferiorum delicta, sive excessus, si qui reperti fuerint, senescallus corrigat, emendet, definiendo in parlamento. Ita tamen quod ad parlamentum conveniant illi, qui habent quaerelas contra officiales de quibus conquererentur.

Quod senescallo, iudicibus, bavilis, et clavariis salaria assignentur, quibus sint contenti, et nihil ultra suscipiant a subditis, et hoc teneatur servare *d* quilibet proprio iuramento, et si contravenerit aliquis secundum quod iure, cautum est puniatur.

De compromissariis.

Quod nullus officialis recipiat in se compromissum aliquod a subditis, nisi ad expediendas partes amicabiliter, prout iure cavetur, et tunc a partibus nihil ob hoc exigat, vel percipiat, excepta lata curiae; quod nullus bavilus, vel officialis inferior aliquam condempnationem, sive accusationem, vel exactionem alicuius forefacti faciat sine iudice. Quod nullus poenam, sive mulctam imponat, nisi senescallus, vel bavilus, vel iudex, vel de speciali mandato suo, nec imposita luetur, sive exigatur, nisi praemissa per iudicem condempnatione. Quod senescallus, vel aliquis officialis inferior non petat, neque peti faciat beneficium ecclesiasticum pro aliquo consanguineo, vel familiari suo benefaciendo, nisi faceret de licentia domini nostri regis. Quod nullus eiiciatur de possessione sua, vel quasi, sine causae cognitione iudiciali, salvo quod si curia denuntiaret alicui, quod emisset, vel aliter acquisivisset sine consensu domini, ei assignato termino, infra quem probet consensum, vel solutionem census, vel non solvisset censum debitum. Quod nullus bavilus ponatur in aliquo castro, in quo dominus rex ad manum suam tenet proprietatem; positus autem in castris, in quibus proprietatem habet, sit contentus proprietatibus ad ipsum pertinentibus, nec extendat manum ad iura pareriorum, sive militum, nec de novo occupet aliquod, quod possideant, vel quasi sine causae cognitione iudiciali, nisi domino regi, vel senescallo videatur aliquid statuendum.

Quod nullus condempnetur non vocatus, nec citatus ad domum, vel voce praeconia, et cuilibet contra quem sit inquisitio, fiat copia inquisitionis, et cuilibet defensio legitima reservetur, si est iusta, et de nominibus sive dictis, et de dictis sive nominibus.

Quod bavilus, et clavarius capitorum bavili de omnibus receptis quibuscumque, et ex quacumque causa faciat fieri scripturam per notarium curiae, quod notarius ponat omnia supradicta in cartulario speciali, ponendo personam, et causam, et diem, et annum; et si praedicta infra hebdomadam post receptionem connumerandam ipsam notarius curiae non manifestaverit, tamquam fur puniatur; et notarius quolibet mense veniat ad computum cum suo iudice, et faciat summam de receptis infra mensem, et summam ipsius mensis de receptis cuiuslibet pro se ponatur per manum eiusdem notarii, in quo cartulario, quod custodiat iudex, eandem summam ponat de manu sua in cartulario notarii; bavilus habeat cartularium suum in quo similiter omnia faciat scribi, et quod omnes bavili, et subbavili omnia recepta ponant in cartularium per manum publicam, et in adventu iudicis omnia revelentur, et fiat summa quae ponatur in cartulario iudicis, ut supra, et clavarii, et bavili.

Quod nullus iudex, vel bavilus maior constituatur in loco unde originem duxit, vel ubi domicilium habet, sine speciali licentia domini regis.

Quod causae peregrinorum, et pauperum miserabilium expediantur per officium, et in aliis ordo iudiciarius observetur, et pauperes sine data, et dispendio expediantur. Qui autem pauperes dicantur arbitrio iudicis relinquatur.

Quod iudex teneatur bis in die respondere ius, et, in publico sedente pro tribunali, comparere horis, et locis, et temporibus constitutis.

(1) *Raymundenses*, moneta scilicet Comitum Tolosae.

Quod nullus bavilus, vel clavarius, vel alius faciat fieri pignorationem sine iudice, nisi causa interveniente hoc faciat. a

De militibus, et domicellis non pignorandis infra hospitium suum quamdiu vellent sufficienter cavere, nec aliquo modo uxor sua, vel alia nobilis in puerperio iacentes, scilicet de rauba lecti sui, vel vestimentorum.

Quod homines alicuius militis non pignorentur occasione alicuius debiti, vel delicti domini sui, nisi invenirentur obligati, vel in culpa, vel usque ad quantitatem, vel in id in quo domino tenentur; istud remittatur arbitrio domini senescalli.

Quod super novitatibus, et iniuriis factis in comitatibus Provinciae, et Forcalquerii, a tempore domini nostri regis, qui tunc erat Comes citra, fiat inquisitio per aliquos honestos viros, et ea quae invenerint facta in quibus vertitur mortale peccatum competenter emendentur. b

Quod nullus iudex ponatur bavilus, vel officialis, nec detur alicui talis potestas in aliquem christianum, consiliarii esse possint officialium. (1).

Quod curia ad requisitionem domini iuret ipsum ad compellendos subditos super facienda fermantia in manibus domini sui, salvo iure curiae in omnibus.

Quod dominus rex, vel senescallus eius ponat officiales omnes. Ita tamen quod senescallus nullum officialem ponat de genere suo, sine speciali licentia domini sui.

Supradicta omnia intelligantur, salvo iure in omnibus domini regis, et dominae reginae uxoris suae, et heredum suorum, et salva voluntate domini regis, et senescalli sui, si forte videretur eundem aliter observandum, salvis hiis, quae prohibita sunt specialiter senescallo. c

Ordinatio comitis Provinciae super advocatis, et eorum salariis.

Haec est forma tradita per dominum Comitem, et eius curiam super officio advocatorum. In primis iurabit quilibet advocatus antequam admittatur ad advocandum in terra domini Comitis servare statuta infrascripta. Primo promittat bene, et fideliter pro clientulo suo advocare, et nullam iniustam causam scienter, et contra conscientiam suam manutenere, nec causam sibi commissam protellare, seu differre, nisi ob iustam causam, vel expedientem sibi, vel ipsi causae; nec tractare de compositione sine licentia clientuli sui, et sine fraude et dolo; et nihil accipere ab adversa parte; et advocare pro pauperibus personis, viduis, et orphanis, nec dimittere alicuius potestate, dato sibi salario infrascripto, quandocumque si praeceptum fuerit a iudice; nisi iusta causa ostendatur, quin facere minime teneatur. d

(1) Tres codices statutorum Niciae, aetate varii, quibus usi sumus ad hoc exemplar conscribendum, lectionem huiuscemodi imperfectam admodum exhibent.

Item, advocatus nullam pactionem tangentem causam, seu causas habebit cum iudice causae, nec cum aliquo officiali illius curiae; iusto examine examinabitur, seu ventilabitur causa; nec socius eius cum aliquo praedictorum in hospitio, vel aliquem tractatum privatum habebit cum aliquo praedictorum de advocatione praestanda, nisi concessum a iure.

Item, quod nullus advocatus contra instrumentum ab eo confectum advocabit. Item, quod nullus advocatorum, qui non habitant, nisi causa ubi advocabit ageretur, sed aliunde veniat causa advocandi quaecumque sit, et undecumque veniat, audeat accipere pro advocatione ultra duos solidos pro libra, a centum libris infra; a centum vero libris usque ad quingentas libras, sit contentus decem et octo denariis pro libra, et ultra non recipiat; et a quingentis libris usque ad mille, et ultra, non recipiat, nisi duodecim denarios pro libra. Ita tamen quod quaecumque sit summa, ultra quingentas libras salarium non excedat, et tamen teneatur manutenere bona fide usque ad definitivam sententiam prolatam; et praedicta intelligantur, quod si summa excedat centum libras usque ad quingentas, vel infra, quod habeant de tota summa decem octo denariorum pro libra, ita scilicet quod de libris centum interruptis non habeat II. solidos pro libra, sed tantum decem octo denarios, a quingentis vero libris supra non accipiat nisi duodecim denarios pro libra, tantum ab una scilicet libra usque ad infinitum numerum, salvo quod salarium non excedat libras quinquaginta, sicut supra dictum est.

Item, quod nullus advocatorum, qui causa advocandi exibit extra locum, ubi domicilium habet, accipiat occasione expensarum aliquid ultra V solidos in die, scilicet tempore illo, quo operam dabit causae, seu causis, pro quibus advocatus erit, eundo, vel redeundo, vel patrocinium praestando; et si in ea die in pluribus causis advocaverit, possit accipere occasione expensarum VIII. solidos in die, et non ultra, et illi proportionabiliter a clientulis contribuatur secundum qualitatem causarum, et si ab uno vel a pluribus eundo, vel redeundo ad causam recepit, vel reciperet, praeter dictas summas, ab illo, vel aliis postmodum, pro illa die pro qua receperit, vel recipere debuerit, seu potuit, ulterius accipere non attentet.

Item, quod nullus advocatus, qui habitat in loco ubi causae in quibus ubi patrocinium praestat ventilentur, ausus sit accipere pro salario suo ultra decem octo denarios pro libra usque ad centum libras; et a centum vero usque ad quingentas libras possit recipere pro salario duodecim denarios pro libra, ita quod non recipiat nisi duodecim denarios pro libris centum, de quibus supradictum est, quod reciperet decemocto denarios; a quingentis vero libris supra possit accipere sex denarios pro libra, quantacumque sit summa, ita quod usque ad quingentas libras possit recipere duodecim denarios si-

cut dictum est supra, et de residuo sex denarios a
sicut dictum est supra. Ita videlicet, quod, quantacumque sit summa, quadraginta librarum salarium non excedat. Pro expensis vero nihil a clientulis accipiat, nisi esculentum, vel poculentum, quod brevi hora consumi possit, cuius quantitas in diem duodecim denarios non excedat.

Item, nullus advocatorum praedictorum audeat aliquid petere a clientulo, vel clientulis occasione consilii habiti, vel habendi, tangentis scilicet causam, in qua patrocinium praestat, ab alio sapiente, nisi de consensu clientuli, seu clientulorum, et conscientia clientuli seu clientulorum, quantum erit illud quod dabitur, et cui dabitur, et ipsemet clientulus solvat illi, a quo fuerit petitum consilium.

Item, de salario advocatorum statutum est, quod b
advocatus recipiat medietatem sui salarii postquam lis fuerit contestata, et non ante, et aliam medietatem postquam conclusum fuerit, et allegatum in causa, et tunc curia compellat partes ad solvendum advocatis, cum ab eis fuerit requisita, antequam definitiva sententia proferatur, cui prolationi nihilominus advocatus teneatur interesse. Si vero ante litem contestatam concordia fuerit inter dictas partes, habeat advocatus quartam partem salarii, sive si libellus fuerit porrectus, et dies assignata ad respondendum, ita quod pars quarta summam c solidorum non excedat.

Item, quod nullus advocatus sit ausus clientulo suo, vel clientulis consulere aliquo modo, quum de facto interrogabitur, dum est coram iudice con- c
stitutus, nisi de licentia iudicis, qui iudex teneatur dare licentiam advocato cum viderit expedire; quod autem dictum est de salario, et expensis advocatorum intelligitur, quod non plus accipiant, minus autem possint.

Hic autem restat tractare de appellationibus, et renuntiationibus. Haec omnia supradicta singula, et universa promittent, et iurabunt advocati se servaturos bona fide, et sine fraude, et nomina iuratorum scribentur in cartulario curiae, in cuius iurisdictione habitat, et litteras testimoniales habeant de iuramento facto; antea vero quam iuraverint ut supra, nullus admittatur ad advocationem. Et si contra praedicta aliquis praedictorum, vel aliqui venerint, sit privatus, vel privati ipso facto of- d
ficio advocationis, nisi per dominum Comitem restituatur. Et vicarii, bavili, et iudices, clavarii, et notarii cuiuslibet curiae domini Comitis iurent omnia praedicta quantum in eis est observare, et quod si aliquis de advocatis contra praedicta venerit, suae salutis immemor, teneatur denuntiare, et denuntietur senescallo.

De salariis scripturarum,
et instrumentorum notariorum statutum sequitur.

Super statuto tabellionum ita ordinatum est per dictum dominum Comitem, et eius curiam, prout inferius continetur.

In primis, de libello ponendo in cartulario duos denarios tantum, et de extrahendo tres denarios tantum de moneta currente.

Item, de qualibet petitione ponenda in cartulario unum denarium, et de extrahenda unum denarium.

Item, de qualibet protestatione, et exceptione ponenda in cartulario unum denarium, et de extrahenda duos denarios.

Item, de quolibet teste, de quo dicitur idem procedens sicut testis, ponendo in cartulario, unum denarium, et de extrahendo unum denarium; et de eo, qui dicit nihil scire, et de quolibet teste cuius dictum scribitur totum ponendo in cartulario, duos denarios, et de extrahendo duos denarios.

Item, de quolibet mandamento, seu iniunctione, seu libello praeceptorio ponendo in cartulario, unum denarium, et de extrahendo, unum denarium; et super primum mandatum, seu iniunctionem ponatur in cartulario, sex denarii, et de extrahendo in papiro, octo denarii, et in pergameno, tredecim denarii, et de interlocutoria, unus denarius, et de protestatione, et exceptione in pergameno, tres denarii.

Item, de sententia a vigintiquinque libris supra usque ad centum libras, ponendo in cartulario, duodecim denarios, et de extrahendo, ponendo in publicum, II solidos, et de centum libris supra usque ad ducentum libras ponendo in cartulario, et de extrahendo in pergameno, IV solidos, et a CC supra, V solidos.

Item, de sententia arbitris, idem, quod supra de sententia iudicis.

Item, de compromisso ponendo in cartulario, et de extrahendo in pergameno, duodecim denarios plusquam in aliis summis, et qualibet tantum propter adiunctionem compromissi.

Item de literis citatoriis, vel de debito exhibendo, seu de aliis literis cum sigillo.

Item, de instrumento tutelae, vel curae, vel procurationis ponendo in cartulario, duodecim denarios, et de extrahendo in publicam formam, duodecim denarios.

Item, de instrumento sindicatus illud idem, nisi nomina constituentium usque ad quinquaginta exprimantur in instrumento, et si exprimantur tunc de ponendo in cartulario, duodecim denarios, et de extrahendo in papiro, novem denarios, et de extrahendo in publicam formam, decemocto denarios.

Item, de instrumento inventarii a vigintiquinque libris infra ponendo in cartulario, duodecim denarios, et de extrahendo in papiro duodecim denarios, et de extrahendo in publicam formam, duos solidos, et a vigintiquinque libris usque ad centum libras de ponendo in cartulario, et extrahendo in papiro idem, et extrahendo in publicam formam, quatuor solidos.

Et a centum libris usque ad ducentum libras ponendo in cartulario, duodecim denarios, et de extrahendo in papiro, duodecim denarios, et de ex-

trahendo in publicam formam octo solidos, et a *a*
ducentum libris supra, undecim solidos.

Item, de instrumento emancipationis, et adoptionis, et arrogationis, de ponendo iu cartulario, denarios duodecim, et in publicam formam, decemocto denarios.

Item, de instrumento missionis in possessionem ponendo in cartulario, sex denarios, et de extrahendo in papiro, sex denarios, et in publicam formam, duodecim denarios. Quando continget notarium exire locum suum, habeat in die pro loquerio bestiae duodecim denarios, et pro expensis suis, et bestia solidos duos; die vero qua exiverit locum suum et die qua redibit ad locum suum, habeat duos solidos pro se, et pro bestia.

Item, de instrumento baratae, mutui, depositi, *b*
confessionis alicuius summae a c. solidis, et infra ponendo in cartulario, tres denarios, et de extrahendo in papiro tres denarios, et a c. solidis supra, duplum, quantumcumque fuerit.

Item, de instrumento societatis, cambii, donationis simplicis, sive inter vivos, sive causa mortis, sive in emphiteusim, vel a vigintiquinque libris supra, quantacumque fuerit summa, in duplum.

Item, de instrumento venditionis a decem libris, et infra ponendo in cartulario, et in papiro, pro qualibet, quatuor denarios, et in publicam formam, octo denarios; et a decem libris usque ad viginti libras pro ponendo in cartulario, et extrahendo in papiro, idem, et in publicam formam duodecim denarios, et a vigintiquinque libris usque ad centum *c*
libras pro ponendo in cartulario, sex denarios, et in papiro sex denarios, et de extrahendo in publicam formam, decem octo denarios, et a centum libris supra quantacumque fuerit quantitas, idem, de ponendo in cartulario, et in papiro, et in publicam formam, solidos quatuor. Ubi castrum, vel villa venderetur habeat quinque solidos usque ad centum, et hinc quantacumque sit summa, vel quantitas de quolibet milliario a decem milliaria, duodecim denarios, et ultra decem solidos non excedat.

Item, de instrumento appellationis ponendo in cartulario, sex denarios, et de extrahendo in papiro, sex denarios, et de extrahendo in publicam formam, duodecim denarios; et a decem libris usque *d*
ad viginti libras pro ponendo in cartulario, et extrahendo in papiro, sex denarios, et in publicam formam duos solidos.

Item, a vigintiquinque libris usque ad centum libras pro ponendo in cartulario, duodecim denarios, et de extrahendo in papiro idem, et in publicam formam, quinque solidos, quantacumque fuerit magna quantitas.

Item, de instrumento divisionis haereditatis, et possessionum idem, et per omnia. Item, de compositione idem quod de divisione haereditatis.

Item, notarius teneatur facere, et legere totam notam in praesentia partium, et sive c, et ponere in cartulario infra tres dies, et reddere instrumentum infra mensem postquam fuerit requisitus, nisi aliter convenirent partes pro dictando instrumento, et tunc substantia facti, sive contractus tota apponatur in praesentia partium, et lecta, et dictata nota, teneatur reddere instrumento ut supra. Item, de litteris cum sigillo senescalli citationis simplicis iustitiae, et debito solvendo, et delegatione iudicis, et de littera clausa solvantur sex denarii, et de aperta, duodecim. Item, de incarceratis qui capti sunt sine culpa nihil accipiatur, vel aliquo alio, aliqua ratione.

Item, notarii iurabunt omnia praemissa, et singula attendere, et observare, et contrafacientes puniantur in decem libris, et priventur ab officio in perpetuum.

Statutum domini Raymundi Berengarii comitis Provinciae, confirmatum per dominum regem Carolum Magnum (1), et etiam per dominum Carolum secundum regem eius filium super appellationibus.

De appellationibus.

Statuimus quod si quis per sententiam, vel mandamentum fuerit condempnatus usque ad triginta dies victori satisfacere, et in eo, in quo condempnatus fuerit, teneatur, tam in expensis curiae, quam in aliis in quibus fuerit condempnatus. Item, si quis condempnatus fuerit per sententiam, et appellaverit, statuimus ut usque ad triginta dies a tempore latae sententiae causam appellationis incipere teneatur.

Et si inceperit infra mensem, deinde non admittatur, si condempnatus, ei cui condempnatus fuerit satisfacere teneatur, et infra mensem vero, vel usque ad triginta dies inceperit causam appellationis, necesse erit illam causam appellationis usque ad sex menses a tempore latae sententiae terminari. Quod nisi factum fuerit, deinde non admittatur, seu audiatur, sed ei qui condempnatus esset, satisfacere teneatur, et iudex ex suo officio sententiam executioni mandet.

Confirmatio libertatum praedictarum facta per dominam comitissam Provinciae.

Beatrix iuvenis Dei gratia comitissa, et marchionissa Provinciae, et Forcalquerii comitissa dilectis suis, et fidelibus civibus Niciensibus universis salutem et dilectionem. Fidelitatis vestrae constantiam attendentes, quam erga carissimum patrem nostrum dominum Raymundum Berengarii quondam comitem, et marchionem Provinciae, et comitem Forcalquerii, clarae memoriae, longis retro temporibus habuistis, videntes etiam vos persistere in eadem, sicut per assertionem nobilis viri Romaei de Villanova dilecti, et fidelis nostri, et ordinatoris terrae nostrae didicimus manifeste, sperantes etiam in antea ita bene,

(1) Carolo Magni agnomen tribuit scriba statutorum; historia laudem illam non confirmavit; adnotasse sufficiat hunc fuisse Carolum Andegaviae ducem, S. Ludovici Galliarum regis fratrem.

vel melius vos facturos, vestris tantis meritis re- *a* spondere congrua vicissitudine cupientes, libertates, franchisias, et immunitates a praedicto patre nostro a quindecim annis citra vobis indultas, de nostrae voluntatis beneplacito confirmamus, laudamus, et approbamus, adiicientes omnibus supradictis, quod cum virum nos habere contigerit, libertates, franchisias, et immunitates praedictas ab ipso confirmari vobis plenissime faciemus. Datum Aquis pridie ydus octobris, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto.

Conventiones Caroli primi comitis Provinciae, et Andegaviae initae cum universitate Ianuae.

Anno nativitatis Domini millesimo ducentesimo *b* sexagesimo secundo, die vigesima secunda iulii, indictione quarta. Illustris vir dominus Carolus regis Franciae filius, Andegaviae, Provinciae, et Forcalquerii comes, et marchio Provinciae, et domina Beatrix uxor dicti domini comitis, comitissa, et marchionissa Provinciae, nomine haeredum et successorum suorum ex una parte, et viri nobiles domini Thedisius de Flisco comes Lavaniae, Bonarellus de Grimaldis, Marchesinus de Casino, legati, actores, et sindici civitatis, et hominum, et Communis Ianuae nomine praedicti Communis, et universitatis hominum civitatis praedictae ex altera, quorum universitatis, et communis sunt legati, sindici, et actores, ut constat per publicum instrumentum, cuius tenor inferius talis est. Nos Palmerius de Fano Ia- *c* nuae civitatis Potestas de voluntate, et beneplacito consiliariorum Communis Ianuae commorantium, et congregatorum per eum voce tubae, et per campanam more solito, nec non et ipsi quorum nomina sunt inserta, nomine et vice Communis Ianuae, et pro ipso Communi constituimus, creamus, et ordinamus Thedisium de Flisco comitem Lavaniae, Bonarellum de Grimaldis, et Marchesinum de Casino ambaxiatores nostros, et Communis Ianuae sindicos, actores, et procuratores civitatis, et Communis Ianuae ad praesentandum se pro dicto Communi domino Carolo comiti Provinciae, et ad tractandum cum illo, et cum illis, quibus eidem comiti placuerit, nomine, et vice Communis Ianuae, et pro ipso Communi super factis, et negotiis, quae *d* Commune Ianuae habet facere cum ipso comite, et cum ipsa comitissa uxore praedicti comitis, et cum quolibet eorum ex ipsis, et utroque ipsorum, qualiacumque sint ipsa facta seu negotia, et esse possint, tam super terris, possessionibus, quam et iurisdictionibus, castris, locis, et hominibus, et demum super omnibus, et singulis, quibus dictis sindicis, et ambaxiatoribus videbitur, et praedictis dominis comiti, et comitissae, et ad componendum nomine, et vice Communis Ianuae, et ad firmandum, atque conventiones, et pacta faciendum cum ipsis comite, et comitissa, et cum omnibus personis, quibus eis placuerit, et cum quolibet eorum super omni eo, et hiis hominibus, et de quo, et de quibus erunt in concordia cum dictis dominis comite, et comitissa, et cum quolibet eorum, et demum ad omnia, et singula tractanda, facienda, componenda, et firmanda, quae ipsis sindicis, et ambaxiatoribus, et dictis dominis comiti, et comitissae videbitur, et cuilibet eorum, secundum quod in concordia fuerint. Et promittimus nos dicti Potestas, et consiliarii nomine, et vice Communis Ianuae, et pro ipso Communi tibi tabellioni infrascripto, nomine, et vice ipsorum comitis, et comitissae, et cuilibet ex ipsis perpetuo nos pro Communi Ianuae, et ipsum Commune ratum, et gratum habere, attendere, et observare quidquid per dictos ambaxiatores, et sindicos factum erit, et firmatum, et ordinatum sub poena duarum marcharum millium argenti, et obligatione ipsorum bonorum Communis Ianuae. Nomina consiliariorum Communis Ianuae sunt haec: Iacobus de Flisco, Obertus de Grimaldis, Iacobus Papia, Guillelmus Ventus, Iacobus Mari, Bonifacius Picamilus, Iacobus de Galiana, Raufredus de Gavio, Montarinus, etc. Actum Ianuae in palatio haeredum quondam Auberti Auriae, quo regitur curia; anno dominicae Nativitatis millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quarta, die nona iulii, circa tertiam. Testes magister Obertus de Casali, Guillelmus Regius notarius, Balduinus de Iorio notarius. Ego Bartholomeus de Fonte Maroso sacri imperii, et Communis Ianuae notarius, de mandato praefati domini Potestatis scripsi.

Providere volentes bono statui pacifico, et tranquillo dictorum dominorum comitis, comitissae, et haeredum, et successorum eorum, et hominum, et districtualium eorumdem, et Communis, et universitatis hominum Ianuae, et districtualium dicti Communis, et pro augmentando amorem inter dictas partes, qui inter eas hactenus vigere consuevit et evitare discordias volentes quae inter ipsas partes in posterum oriri possent, et etiam ne aliqua detur ipsis partibus, seu alicui earum inter ipsas ad invicem de caetero occasio aliqua contendendi, conventiones, pacta, et promissiones fecerunt inter se ad invicem, ut infra continetur.

In primis namque actum est inter ipsas partes in praesenti conventione, quod praedicti domini comes, et comitissa, et successores eorum habeant, et teneant loca, et terras, quae et quas ipsi, vel aliquis eorum habent in comitatu Vintimillii, et specialiter Castillionum, et Brigam, licet forsan eam modo non teneant praedicti comes, et comitissa, et aliam terram, sicut nunc habent, et tenent; et Ianuenses, sicut Commune Ianuae habeant, et teneant Vintimillium, Monacum, Rocabrunam, et aliam terram, quam nunc habent, et tenent, et Podium pinum, et Mentonum, quae sunt Guillelmi Venti, et quae Guillelmus Venti tenet, et possidet, teneat, et possideat ipse Guillelmus, et successores sui.

Item, est actum inter dictas partes in conventione praesenti, quod praedicti domini comes, et comitissa, seu alter eorum, vel successores eorum,

seu alicuius eorum, ultra terram, quam nunc tenent nihil acquirant praeter Castillionum, et Brigam, quae forsan modo non tenent versus Ianuam in Riparia, et iugo usque mare Corcium, nec de terra, quam nunc tenent Ianuenses, seu Commune Ianuae alicubi, nec in terris, nec insulis maris, quas modo non tenent; et quod non acquirent praedicti domini comes et comitissa, seu alter illorum, vel successores eorum, seu alicuius eorum aliquid aliquo titulo, vel aliquo modo quod sit in iurisdictione, vel districtu Ianuae, seu infra iurisdictionem, seu districtum Ianuae, seu infra loca, quae tenent Ianuenses, seu Commune Ianuae alicubi, seu quae tenet aliquis Ianuensis infra districtum Ianuae, seu infra dictos confines eorum, sive idem sit Ianuensis, sive non, sive teneatur ab eis, sive non. Et eodem modo actum est inter dictas partes in conventione praesenti quod Commune Ianuae nihil acquiret aliquo titulo, vel modo de terra, quam nunc tenet dominus comes in comitatu Vintimillii, vel tenetur, seu detinebitur ab ipso domino comite, vel comitissa, vel ab hominibus eorum, nec a Monaco, et territorio Turbiae usque Rodanum, nec insulis maris, nec in terris alicubi, nec in aliis, quae tenentur ab ipso domino comite, vel comitissa infra praedictos confines, nec alicubi, nec in iurisdictione, seu infra iurisdictionem, vel districtum ipsius comitis, vel dominae comitissae, seu infra loca, quae tenent dominus comes, et domina comitissa alicubi, de Monaco usque ad Rodanum, vel teneatur ab ipso domino comite, vel ab ipsa domina comitissa, seu ab eorum successoribus, sive non; et ex nunc dicti sindici, et legati nomine, et vice dicti Communis faciunt dictis dominis comiti, et comitissae recipientibus eorum nomine, et hominum eorum, finem, restitutionem, pactum de non petendo, et omnimodam remissionem de omni iure, quod ipsi Communi competit, seu Ianuensibus competere posset in terris, vel locis, quos tenet dominus comes de comitatu Vintimillii, et specialiter de Briga, et de Castilliono, licet forsan ipsam modo non teneat dominus comes cum aliis terris, et insulis, quas nunc tenet dominus comes, et comitissa alicubi.

Et viceversa, domini comes, et comitissa pro se, et haeredibus, et successoribus eorum, et cuiuslibet eorum faciunt finem, restitutionem, pactum de non petendo, et omnimodam remissionem dictis legatis, et sindicis recipientibus nomine Communis Ianuae de omni iure, quod dictis dominis comiti, et comitissae competit, seu alicui eorum, vel competere possit, seu successoribus eorum, in Monaco, Vintimillio, et in alia terra, et insulis, quas nunc tenent Ianuenses, sive Commune Ianuae alicubi, excepto in castro Dulcisaquae.

Item, actum est inter partes ipsas in conventione praesenti, quod per Commune Ianuae, vel facto ipsius non diminuatur aliquid de terra, quam dominus comes, vel domina comitissa nunc habet in provincia Lombarda, et comitatu Vintimillii, et alibi, nec qui tenetur, et tenebitur ab eis, vel aliquo, seu pro aliquo provinciali de terra domini comitis. Nec in ipsis fiet offensio per Commune Ianuae, et quod non erit Commune Ianuae in auxilio, vel consilio, quod dominus comes, vel domina comitissa, vel haeredes eorum aliquid amittant de honore, et terra, quam ipsi, vel aliqui eorum nunc tenent alicubi, vel tenetur, et tenebitur pro ipsis, vel aliquo ipsorum, et eorum successorum, vel aliquibus eorum, et specialiter de Castilliono, et de Briga licet forsan eam modo non teneant, nec alicui personae, vel universitati dabit Commune Ianuae consilium, seu auxilium contra dominum comitem, et comitissam, seu successores, vel terram, quam nunc tenet, et specialiter Massiliae, Brigae, et Castilliono, licet forsan modo eam non teneant, nec gravamen pro aliquo, cum quo guerram habeant, faciet domino comiti, seu dominae comitissae, vel successoribus eorum, nec permittet suo posse bona fide, quod aliquis Ianuensis contra praedicta faciat.

Et versa vice actum est inter dictas partes in conventione praesenti, quod per ipsos dominum comitem, et dominam comitissam, vel aliquem eorum, seu alicuius eorum, seu eorum successorum non diminuetur aliquid de terra, quam Commune Ianuae, seu aliquis Ianuensis habet, seu tenet, seu pro Communi Ianuae, vel aliquo Ianuensi tenetur, seu tenebitur, nec in ipsis fiet offensio per dominos comitem, vel comitissam, seu successores eorum, vel alicuius eorum in auxilio, vel consilio. Quod Commune Ianuae, vel aliquis Ianuensis aliquid amittat, seu amittant de honore, et terra, quam nunc tenent Commune, seu Ianuenses alicubi, seu tenetur, vel tenebitur pro ipso Communi, aut Ianuensibus, et quod non dabunt alicui personae, vel universitati domini comes, et comitissa, seu eorum successores auxilium, vel consilium contra Commune Ianuae, seu Ianuenses, seu terram, quam nunc tenet Commune Ianuae, seu Ianuenses, et quod domini comes, et comitissa, seu eorum successores, et alicuius eorum non faciet gravamen Communi Ianuae, seu alicui Ianuensi pro aliquo cum quo dictum Commune, seu Ianuenses guerram habeant, nec permittent ipsi, vel aliquis eorum, seu successores eorum suo posse bona fide quod aliquis homo, seu districtualis eorum, seu successorum eorum contra praedicta faciat.

Item, est actum inter dictas partes in conventione praesenti, quod Ianuenses non receptabunt per mare, nec per terram cum praeda, vel raubaria aliquem, qui dampnum, vel raubariam fecisset in terra, vel in mari domini comitis, vel comitissae in homines dominorum comitis, vel comitissae, vel res eorum, ymo toto posse bona allata, delata in Ianua, seu districtu per ipsos praedatores, seu raubatores recuperare studebunt, et restituere spoliato, nec aliquem cum raubaria facta hominibus dicti domini comitis, seu comitissae, seu successorum eorundem receptabunt, aliquo ingenio, in toto eorum districtu.

Et versa vice inter dictas partes actum est, quod *a* dominus comes, et comitissa, vel eorum successores non receptabunt per mare, vel per terram cum praeda, vel raubaria aliquem, qui dampnum, vel raubariam fecisset in terra, vel mari Communis Ianuae in homines Communis Ianuae, seu districtuales eiusdem, vel res eorum in toto posse eorum, et ipsorum successorum bona fide, bona allata, delata in districtu domini comitis, vel dominae comitissae, seu alicuius eorum, vel successorum suorum per ipsos raubatores, vel praedatores, recuperare studebunt, et restituere spoliatis. Nec aliquem cum raubaria facta hominibus Communis Ianuae, seu districtualium eiusdem receptabunt, aliquo ingenio, vel eorum successores, in toto eorum districtu, vel alicuius eorum. *b*

Item, inter dictas partes actum fuit in conventione praesenti, quod Ianuenses custodire debeant personas dominorum comitis, et comitissae, et honorem, et dignitatem, et terram, et homines eorum in Ianua, vel eius districtu, et in mari sanos, et naufragos cum personis, et rebus, dummodo non vadant cum armis in offensionem regis Manfredi Siciliae. Et si offensa, vel rapina fieret per aliquem Ianuensem, vel de districtu Ianuae, vel dampnum daretur alicui homini de iurisdictione dominorum comitis, et comitissae, curabit Commune Ianuae inde facere fieri emendam infra dies quadraginta continuos postquam lamentatio facta fuerit, vel inde satisfieri in ordinatione ipsius, cui facta est offensio, si tantum de rebus offensoris Ianuae inveniretur; et *c* si malefactor haberi non posset per personam, forestabitur in perpetuum per Commune Ianuae, nec amplius concedetur habitare in Ianua, seu districtu Ianuae donec satisfecerit dampnum passo, vel eius haeredibus; et si postquam malefactor esset forestatus, inventus fuerit palam habitare in Ianua, vel iurisdictione, seu districtu Ianuae per mensem unum postquam denunciatum esset Communi Ianuae, emendabit dampnum Commune Ianuae, et quod non impediatur aliquis de districtu, seu iurisdictione dominorum comitis, vel comitissae, vel successorum suorum in praedictis terris, nec res eius pro debito, vel delicto alicuius, vel offensa, nisi tantum persona principaliter obligata, seu delinquens. *d*

Et versa vice, inter dictas partes actum est, quod domini comes, et comitissa, et eorum successores salvare debeant, et custodire Commune, et homines Ianuae, et honorem, et dignitatem Communis, et hominum praedictorum, et terram Communis, et hominum Ianuae, et homines, et districtuales eiusdem in Provincia, et in comitatu, seu districtu dominorum comitis, et comitissae, et cuiuslibet eorum, et in mari, sanos, et naufragos cum personis, et rebus, dummodo non vadant cum armis in offensionem regis Franciae, seu regis Aragonum, et si offensa, vel rapina fieret per aliquem de districtu, seu comitatu dominorum comitis, et comitissae, vel dampnum daretur alicui homini de iurisdictione Ianuae, curabunt domini comes, et comitissa pro se, et successoribus suis facere fieri emendam dampnum passo infra dies quadraginta continuos postquam lamentatio inde facta esset, vel inde satisfieri in ordinatione illius, cui facta esset offensio, si tantum de rebus offensoris inveniretur.

Et si malefactor haberi non posset per personam, forestabitur in perpetuum per dominos comitem, et comitissam, seu successores eorum, vel officiales, nec amplius concedetur habitare in districtu, seu iurisdictione eorundem, seu alicuius eorum, seu eorum successorum, donec satisfecerit dampnum passo, vel eius heredibus; et si postquam malefactor esset forestatus fuerit inventus palam habitare in dicto districtu, seu iurisdictione dominorum comitis, vel comitissae, seu alicuius eorum, seu successorum eorum per mensem unum, postquam denuntiatum esset domino comiti, vel comitissae, seu successoribus alicuius eorum, seu officiali alicui ipsorum, vel alicuius eorum, vel eorum successorum, qui iurisdictionem habeant in offensorem, seu debitorem, quod emendabitur dampnum per eosdem debitores dominos comitem, et comitissam, seu successores eorum illi personae, quae dampnum passa fuerit, et quod non impediatur aliquis Ianuensis, nec eius res pro delicto, debito, vel offensa alterius, nisi delinquens, seu tantum persona principaliter obligata.

Item, actum est inter dictas partes, quod homines dominorum comitis, et comitissae, seu successores suorum de dictis terris, transeuntes per mare, vel per terram Communis Ianuae, seu res eorum praestabunt pedagia antiqua, et consueta, et collecta, sicut soluta fuerunt a decem annis citra, nec aliud pedagium, seu aliquid aliud solvent occasione, seu nomine alicuius exactionis, vel dacitae in tota terra, vel mari, quam Commune Ianuae habet, vel de cetero habebit, vel acquisierit, nisi ipsa occasio, seu dacita sit consueta, et antiqua, et quae antiqua, consueta, collecta, seu soluta fuerint a dicto tempore decem annorum citra; antiqua sunt illa, sive illae, quae a viginti annis citra primo imposita, vel impositae non fuerunt.

Item, actum est inter partes praedictas, quod Commune Ianuae iurare faciet homines de districtu Ianuae ligna habentes, vel ducentes, et navigantes a Monte Pessulano usque Ianuam, et a Nicia usque ad Montem Pessulanum, quod in lignis eorum, vel quae ducent non deferrent, nec deferri facient aliquas merces aliquorum forensium, qui non habeant domicilium in Ianua, de quibus pedagium non solvatur domino comiti, vel comitissae, vel eorum pedageriis, in Nicia, vel Massilia, aut ubi dominus comes ordinabit colligere dicta pedagia, et quod aliquo modo, vel ingenio fraudem non facient in praedictis, vel fieri permittent. Et si contra praedicta, vel in fraudem praedictorum aliquid factum diceretur in quadruplum delinquentes per Commune Ianuae puniantur, postquam de hoc Communi Ianuae constaret, vel Potestati, qui pro tempore fuerit in Ianua;

quod quadruplum in terra transmittatur tenenti locum domini comitis ad expensas fraudem facientis. a

Et versa vice domini comes, et comitissa iurare facient homines de districtu eorum, vel alicuius eorum ligna habentes, seu ducentes, et navigantes Ianuae, seu in districtu Ianuae, seu transeuntes per mare Communis Ianuae, quod in lignis eorum, vel quae ducent, vel deferri facerent aliquas merces aliquorum forensium, qui non sint de districtu dominorum comitis, et comitissae, vel qui non habeant domicilium in eorum districtu, de quibus pedagium non solvatur Communi Ianuae, vel eius pedageriis in Ianua, et quod aliquo modo, vel ingenio fraudem non facient in praedictis, vel fieri permittent; et si contra praedicta, vel in fraudem praedictorum aliquid factum esse diceretur in b quadruplum per dictos dominos comitem, et comitissam, seu successores eorum puniatur delinquens, seu delinquentes postquam de hoc constaret dictis domino comiti, aut comitissae, vel eius successori, seu alicui officiali eiusdem, qui iurisdictionem haberent in fraudem comittentem. Eo etiam acto inter dictas partes, quod si praesens capitulum in totum, vel in parte per dictos dominum comitem, vel comitissam, seu successores eorum, vel alicuius eorum, seu per commune Ianuae non observaretur, quod praesens conventio duret, et teneat nihilominus, et propterea in certa poena in praesenti conventione promissa non intelligatur commissa ex parte dominorum comitis, vel comitissae, seu Communis Ianuae, nec committatur propterea. c

Praedicta autem omnia, et singula dicti domini comes, et comitissa pro se, et successoribus suis, et haeredibus eorum ex una parte, et praedicti legati, et sindici, nomine, et vice communis Ianuae, et universitatis hominum civitatis, et districtus Ianuae ex altera, inter se ad invicem promiserunt, et iuraverunt attendere, et observare, facereque observari, et se facturos, et curaturos, ita quod omnia, et singula supradicta attendentur, et observabuntur. Promiserunt etiam dicti legati, et sindici, dicto nomine, dictis domino comiti, et comitissae, quod Potestas Ianuae, et consilium civitatis Ianuae, et praeco Communis Ianuae in publico parlamento in animam omnium iurabunt, et incartabunt praedictas pactiones, et praedicta omnia, et singula attendere, et observare, alioquin poenam duarum d marcharum millium argenti dictae partes inter se stipulantes ad invicem dare, et solvere promiserunt, si in aliquo de praedictis contra fieret, in quam poenam incidat pars non observans parti observanti, et contra non observantem committatur, et per observantes ab non observante exigi possit cum effectu, firmis nihilominus manentibus praedictis pactionibus, seu conventionibus, et promissionibus, et pro poena praedicta, et omnibus supradictis observandis dictae partes earum bona sibi ad invicem pignori obligaverunt, et ad maiorem firmitatem praedictorum iuraverunt dicti domini comes, et comitissa, et dicti legati, et sindici in animam hominum Ianuae, quod omnia praedicta per eosdem promissa, et firmata attendentur, et observabuntur bona fide, et contra ipsa non fiet; et de praedictis omnibus, et singulis domini comes, et comitissa versus praedictos legatos, et sindicos dicto nomine stipulantes, et recipientes se in solidum obligaverunt, renuntiantes epistolae divi Adriani, constitutioni de duobus reis, et iuri de principali, et omni iuri; et specialiter domina comitissa ex certa scientia, et certiorata a me tabellione renuntiavit senatuiconsulto Velleiano, et iuri quo cavetur, quod mulier in eodem contractu, seu instrumento pro viro se, vel substantiam non faciat obnoxiam.

Item, convenerunt inter se, quod heredes domini comitis et comitissae teneantur, quando incipient regere terram, dictas conventiones servare, et in nullo contrafacere, et senescalli domini comitis quando mutabuntur; eodem modo Potestas Ianuae quolibet anno in principio sui regiminis iuret dictas conventiones observare, et in nullo contrafacere. Item, voluerunt dictae partes, quod de praedictis conventionibus plura possint fieri instrumenta eiusdem tenoris. Actum Aquis, in palatio praedicti domini comitis, in aula superiori, supra dicto die inter tertiam et nonam: praesentibus et vocatis testibus infrascriptis, videlicet venerabilibus patribus Egidio Turonensi archiepiscopo vicedomino Aquensi archiep., B. episcopo Foroiuliensi, Buccardo comite Vendomiensi, magistro Ioanne de Cavomaldonensi, et Galterio de Alieto, Saurelo de Godio, Guillelmo Estendaldus de Bavone, Ioanne de Basiliis, Roberto de Laverno, Simone de Foresta, militibus, Ioanne maiore iudice Provinciae, et Forcalquerii, Guillelmo Olivarii, Iacobo Cassii admiralio Niciae, Marco de Magdalena Parisiensi canonico sancti Ludovici Andegavensi publico notario dicti domini comitis, in quorum omnium testimonium, et firmitatem dicti legati et sindici voluerunt, et praeceperunt nomine et vice dicti Communis Ianuae sigilli ipsius Communis proprii munimine roborari praesentem cartam.

Nicolaus Bambaraxius notarius omnibus iis interfui, et rogatus scripsi.

Conventio facta inter Communitatem Niciae, et communitatem Ianuae (1).

In nomine Domini amen. Nos Ioannes Le maiggre, dicto Buciquaut, marescallus regni Franciae, locum tenens regius citra montes, et gubernator Ianuensium etc. pro serenissimo, et excellentissimo rege Francorum domino, et Ianuae arbiter, arbitrator, et amicabilis compositor, et communis amicus electus, et assumptus inter Curraudum Mazurrum notarium, sindicum, et sindicario nomine Commu-

(1) Etsi per hoc documentum ratione temporis valde praecedenti posterius ordo chronologicus turbari videtur, rectius tamen hic illud collocari duximus, secundum ordinem in codicibus, ex quibus deduximus, servatum, quia ad praecedentem conventionem totum se refert.

nis Ianuae, ut de sindicatu ipsius apparet publico a instrumento scripto manu Masini de Iudicibus notarii et cancellarii, die undecima maii anni praesentis ex una parte, et sapientem virum dominum Giraudum Rochamaure licentiatum in iure civili, civem, et habitatorem Niciae, sindicum, et sindicario nomine Communis, et universitatis Niciae, ut de sindicatu ipsius apparet alio publico instrumento sumpto Niciae, et publica manu Antonii Papachini notarii publici auctoritate imperiali, die decima octava mensis iulii anni praesentis, ex parte altera; et de potestate, et baylia nobis in ipso attributa apparet alio publico instrumento compromissi scripto manu dicti Masini de Iudicibus notarii et cancellarii, viso dicto compromisso, et potestate, ac baylia nobis in ipso attributa, visis quadam conventione inita b inter Communitatem Ianuae ex una parte, et dominos comitem, et comitissam Provinciae ex parte altera millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, die vigesima secunda iulii, de qua apparet publico instrumento composito manu Nicolai Bambaxarii notarii, et regestrato in regestro conventionum dicti Communis Ianuae quodam mandato ad confirmationem dictae conventionis facto per dominum tunc Ianuae, et consilium Ancianorum, consulibus collegatis, et introitum dicti Communis Ianuae, millesimo tercentesimo octuagesimo tertio, die decimaquinta septembris; testibus et attestationibus alias productis coram domino Ioanne de Innocentibus legum doctore, et Frederico de Vivaldis, alias commissariis legatis per nos dictum gubernatorem, et c consilium Ancianorum civitatis Ianuae, scriptis manu Balthasarii de Ferrariis notarii, ac etiam audita relatione ipsorum olim commissariorum, et demum visis, et auditis saepe, et saepius omnibus et singulis, quae dictae partes, et altera ipsarum dicere, proponere, et allegare voluerunt, ore tenus, et in scriptis, ac etiam habito, et participato consilio cum sapientibus viris domino Georgio de Marsupinis de Arecia vicario nostro, domino Imperiali, et dominoSégurano de Nigro, omnibus legum doctoribus, et habita diligenti examinatione, et pensata matura deliberatione super omnibus, et singulis supradictis, volentes litibus et questionibus inter dictas partes dictis nominibus vertentibus finem imponere, viam arbitratoris, et amicabilis composi- d toris in hac parte eligentes potius, quam ius scriptum, ut parcatur ipsarum partium, et alterius earum laboribus, anfractibus, et expensis, Christi Benedicti, et gloriosae Virginis Mariae matris eius nominibus invocatis, et illa habentes semper prae oculis, et in mente, ex potestate, et baylia nobis vigore dicti compromissi concessa et attributa, dicimus, sententiamus, arbitramur, et arbitramentamur, declaramus, et condempnamus ut infra.

Et primo condempnamus, et condempnatum esse pronuntiamus, et declaramus dictum dominum Giraudum dicto sindicario nomine, et per eum Commune, et universitatem Niciae, seu omnes, et singulos homines, cives, seu districtuales Niciae, et bona ipsorum ad dandum, et solvendum collectoribus introituum, et gabellarum Communis, scilicet collectoribus illorum introituum Communis Ianuae, pro quibus collectores eorum soliti sunt colligere, et a provincialibus gabellas, seu introitus pro rebus et mercibus ipsorum, tam pro illis, quas apportabunt, et conducebunt ad civitatem Ianuae, quam pro illis, quas apportabant, et extrahebant pro omnibus, et singulis rebus, ac mercibus, quas deferebant et apportabant, seu deferri et apportari faciebant per se, vel per alios ad civitatem Ianuae, vel districtum solidos viginti ianuinorum pro quolibet centenario librarum valoris, seu extimationis dictarum rerum, et mercantiarum, seu bonorum apportandorum ut supra, et non ultra pro, seu in ipsarum rerum adventu, ac etiam de et pro illis rebus, mercibus, et bonis, quas et quae extrahent, vel apportabunt, seu extrahi, vel apportari facient per se, vel alium de dicta civitate, vel districtu: alios solidos viginti ianuinorum pro quolibet centenario librarum valoris, seu extimationis dictarum rerum, et mercantiarum, seu bonorum apportandorum, seu extrahendorum, et non ultra pro, vel in ipsarum rerum apportatione, vel exitu: et pro ulteriori quantitate, quam sint dicti solidi viginti ianuinorum pro quolibet centenario librarum pro intromissione rerum, et totidem pro exitu, et exportatione non possint dicti Nicienses molestari, vel inquietari per aliquem collectorem gabellarum vel introituum Communis Ianuae ipsis Niciensibus, sive dicto Communi Niciae, observantibus, et observanti Communi Ianuae, et Ianuensibus conventiones supradictas.

Item, condempnamus, et condempnatum esse pronunciamus dictum dominum Giraudum dicto sindicario nomine, et per eum Commune, et universitatem Niciae, et universos, et singulos homines dictae universitatis Niciae, et bona ipsorum ad dandum, et solvendum collectoribus ipsarum gabellarum, seu introituum de rebus, vel pro rebus, quae venduntur ad mensuram, ut puta granum, legumina, amygdala, et similia gombetam unam et solidos duos ianuinorum pro, seu de singula emina prout, et sicut antiquis temporibus solvere consueverunt, et non ultra; ipsis Niciae similiter observantibus conventiones, de quibus supra, et infra; in caeteris vero gabellis, quae in supradictis sumuntur dictae conventiones initae inter Commune Ianuae ex una parte, et dominos comitem, et comitissam Provinciae ex altera, millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, die vigesima secunda iulii, de quibus supra iam facta est mentio, observantibus dictis Niciensibus dictas conventiones Communi Ianuae, et Ianuensibus versa vice ut supra.

Item, volentes fraudibus et maliciis retro actis temporibus commissis, et perpetratis obviare, et sub colore raubarum, et mercium Niciensium, seu Communi Niciae Ianuenses, seu cives, vel districtuales Ianuae, vel aliquae aliae personae valeant, seu possint expedire eorum res, vel merces, quo

ad gabellas, vel introitus Communis Ianuae sub *a* nomine seu colore hominum Niciae, per quas fraudarentur gabellae, et introitus Communis Ianuae, in magnum dampnum, et praeiudicium dicti Communis, eapropter volentes de salubri remedio providere, ne de caetero dictae fraudes committi possint, dicimus, pronuntiamus, et declaramus, quod nullus civis, vel districtualis Niciae de caetero audeat, vel praesumat per se, vel alium expediri facere aliquas res, vel merces aliquorum Ianuensium, seu districtualium Communis Ianuae, vel quorumcumque solvere debentium gabellas, vel introitus sub nomine, seu colore hominum, vel districtualium Niciae, scilicet asserentes dictas res, vel merces dictorum civium, vel districtualium Ianuae esse, seu fore hominum, vel districtualium Niciae, et si *b* contra fecerint, pronuntiamus, et declaramus dicto casu dictas res, seu merces ipso iure cecidisse in commissum, et applicatas esse, et applicari debere Communi Ianuae pro dimidia, et collectoribus dicti introitus, seu gabellae, quam, seu quem fraudassent pro alia dimidia; et ultra, quod dicti homines Niciae, qui talem fraudem commisissent ipso iure condempnati esse intelligantur, Communi Ianuae pro dimidia, et dictis collectoribus illorum introituum, seu gabellarum, quos fraudassent pro alia dimidia in denariis duodecim pro singulo denario defraudato valoris, seu extimationis dictarum rerum, seu mercium, de quibus fraudem commisissent, ad quam poenam persolvendam dicto Communi, et dictis collectoribus, vel alteri nomine ipsorum teneantur, *c* et debeant compellere, et constringere magistratus Niciae dictum contrafacientem ad simplicem requisitionem sindici Communis Ianuae, sindicario nomine, seu dictorum collectorum: et hoc si et in quantum dictus contrafaciens in Nicia reperiretur; et si non reperiatur in Nicia, quod fiat satisfactio dictis Communi, et collectoribus, vel aliis nomine eorum de dicta poena de bonis dicti contrafacientis, quae reperirentur in Nicia, vel districtu. Et si de bonis ipsius non reperiretur, nec persona haberi posset, quod debeant dictum contrafacientem perpetuo bannire, et forestare de civitate Niciae, et districtu, de quo banno eximi, vel liberari non possit, donec dictis Communi, et collectoribus fuerit de dicta poena integre satisfactum. Si vero dictus *d* contrafaciens reperiretur in Ianua, dominus Potestas Ianuae debeat dictum civem, vel districtualem Niciae contrafacientem compellere, et constringere ad dandum, et solvendum dictam poenam dictis Communibus, et collectoribus proinde ac si dictus de Nicia esset civis, seu districtualis Ianuae quantum ad poenam persolvendam.

Item, condempnamus, et condempnatum esse pronunciamus dictum dominum Giraudum dicto sindicario nomine, et per eum dictum Commune, et universitatem Niciae, seu homines, cives, et districtuales Niciae ad non imponendum, nec faciendum, seu fieri, vel imponi permittendum contra Ianuenses, vel districtuales Ianuae, seu contra res, merces, vel bona ipsorum novum usum, et novas inquisitiones; nec possint dicti Ianuenses, vel districtuales Ianuae compelli, vel constringi ad solvendum aliquas gabellas, seu introitus Niciae, nisi illas dumtaxat, quas solvere consueverunt vigore dictae antiquae conventionis initae inter Commune Ianuae ex una parte, et dominos comitem, et comitissam Provinciae ex altera millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, die vigesima septima iulii, de quibus iam supra facta est mentio.

Item, volentes evitare quaestiones, et dubia, quae inter Commune Ianuae ex una parte, et gabellotos anni praesentis oriri possent, declaramus quod praesens sententia non habeat effectum, seu vigorem, nisi a die secunda februarii exclusive anni proxime venientis millesimi quatercentesimi tertii in antea, reservantes nobis bayliam iterum, et de novo dicendi, sententiandi, corrigendi, etiam supra pronuntiandi usque ad finem termini dicti compromissi, mandantes, sententiantes, et pronuntiantes supradicta omnia, et singula per dictas partes, et alteram earum attendi, et observari debere sub poena in dicto compromisso contenta. Lecta, lata, pronuntiata, ac finaliter promulgata fuit dicta sententia per praefatum illustrissimum dominum arbitrum, et arbitratorem, et lecta, et publicata per me Antonium de Credentia notarium, et Communis Ianuae cancellarium infrascriptum requisitum, et rogatum, ut de ea conficiam publicum, et publica instrumenta in civitate Ianuae, in palatio residentiae praefati illustris domini gubernatoris, videlicet in camera parva cubiculari ipsius iuxta capellam dicti palatii, anno dominicae Nativitatis millesimo quatercentesimo secundo, indictione nona secundum cursum Ianuae, die mercurii decima tertia mensis septembris, presentibus testibus ad hoc vocatis specialiter, et rogatis Laudo Venelli de Luca, Constantino Lercario, et Antonio Spinola quondam Ianoti, omnibus civibus Ianuae, et absentibus dictis partibus. Ego Antonius de Credentia quondam Curraudi, publicus auctoritate imperiali notarius, et Communis Ianuae cancellarius, praedictis omnibus praesens interfui, et rogatus praesens suprascriptum in praesentibus octo foliis pergamenis extractum instrumentum composui, tradidi, imbreviavi, et scripsi.

Privilegia concessa per regem Carolum secundum super congregatione.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes vicario, iudici, et clavario Niciae, fidelibus gratiam suam, et bonam voluntatem. Pro parte universitatis hominum Niciae, nostrorum fidelium fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum nonnulli ex eis congregati iuxta capitulum Niciense coram curia proponerent, ne vinum extraneum immitteretur infra civitatem eandem, et territorium eius, inquisitum fuisse assera-

tur; propterea per nostram curiam contra eos super a
eo quod non debuerant, ut subditi, rassam, seu congregationes, facere contra factam praeconizationem ibidem, ne scilicet aliqui ultra certum numerum sub certa poena se congregare deberent, dictae curiae licentia vero petita, cum eis exinde gratiose agere de benignitate regia dignaremur. Quorum supplicationibus annuentes, fidelitati vestrae praecipimus quatenus contra dictos homines, vel aliquos, seu aliquem eorundem, occasione alicuius poenae, si quam forsan ex praemissis incurrerint, nullatenus procedatis, cum illam eis de certa nostra scientia gratiose duxerimus remittendam: volentes, et expresse iubentes, ut ab inquisitione si qua fieret, vel facta fuerit contra dictos homines, occasione praedicta, omnino cessetur, et quod factum est b
exinde totaliter cancelletur, praesentibus, postquam earum transumptum in publicam formam redigi faciatis, pro cautela servanda remanentibus praesentanti. Datum Aquis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, die decima octava madii, undecima indictione: regnorum nostrorum anno decimo quarto.

Quod munera facienda per solidum, et libram rationabiliter taxentur, et proportionabiliter dividantur.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, c
Provinciae, et Forcalquerii comes vicariis, et iudicibus Niciae, praesentibus, et futuris, fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Fidelium nostrorum civitatis Niciae supplicationibus inclinati fidelitati vestrae praesentium tenore mandamus quatenus in quistis, taleis, seu collectis, quas in civitate ipsa per curiam nostram imponi contigerit illa moderationis censura, et aequitatis regula observetur, quod tota pecunia pro praefatis muneribus imponenda hominibus civitatis praedictae sic inter ipsos omnes, qui ad munera ipsa tenentur, per solidum, et libram, et per quamcumque aliam extimationem rationabiliter taxetur, et proportionabiliter dividatur, ut secundum uniuscuiusque facultates, et substantias fiat aequa lance taxatio, et al- d
ter alterius onera non reportet. Collectores autem ipsorum munerum ad computum rationis, prout consuetum est, hactenus compelli volumus, et ad solutionem eius, quod penes eos esse inventum fuerit, et debitores ex eisdem muneribus per vos arcta, et debita compulsione constringi.

Homicidas quoque, quos in dicta civitate, et eius territorio talia, quod absit, inhumana facinora perpetrare contigerit secundum iura communia, sanctionesque civiles condempnari per vos, et puniri iubemus, statuto dictae civitatis, quod ad specialem supplicationem ipsorum hominum tenore praesentium annullandum duximus, non obstante. Datum Tharasconae anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die octava februarii, quartae indictionis: regnorum nostrorum anno septimo.

De ordinatione sindicorum fienda, causa necessitatis de mandato curiae.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes vicariis Niciae, praesentibus, et futuris, fidelibus suis gratiam, et bonam voluntatem. In nonnullis capitulis pro parte hominum civitatis nostrae Niciae nostrorum fidelium nuper celsitudini nostrae porrectis id inter alia supplex hominum ipsorum petitio continebat, ut cum ipsi ex multis, et variis causis incumbentibus eisdem interdum sindicos statuere necessarium sibi fore considerent, statuendi huiusmodi sindicos licentiam eis concedere dignaremur. Nos vero nolentes ordinationem super hiis hactenus habitam per generalitatem alicuius nostrae concessionis infringere, vel in eorundem hominum opportunitatibus huiusmodi petitam licentiam ultra fas et licitum coartare, fidelitati vestrae praecipiendo mandamus quatenus cum urgentis necessitatis si casus ingesserit, aut causa rationabilis evidensque suaserit, attentis per vos diligenter, et in recta consideratione de dictis personis, et causis, cives praedictos statuere huiusmodi sindicos auctoritate praesentium permittatis. Datum Tharasconae anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die nona februarii, quartae indictionis: regnorum nostrorum anno septimo.

De subsidio facto domino nostro regi, de gratia speciali, pro guerra Siciliae.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes, tenore praesentium notum facimus universis praesentibus, et futuris, quod cum homines universitatis Niciae, dilecti fideles nostri libras coronatorum mille pro equis decem armatis pro guerra facienda per nos contra insulam Siciliae, et hostes sanctae matris Ecclesiae, atque nostros, eiusdem insulae detentores, gratiose nobis ad nostrarum precum instantiam duxerint promittendas, nos reputantes, et tenentes subsidium ipsum fieri nobis de gratia speciali volumus, quod ipsius subsidii oblatio, atque praestatio in nullo praeiudicet hominibus supradictis, aut successoribus ipsorum in posterum, vel iuribus, privilegiis, immunitatibus, et franchesiis eorundem. Datum Brinoniae, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, die nona mensis augusti, quinta indictione: regnorum nostrorum anno octavo.

De victualibus extrahendis de vicaria Draguignani.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae,

Provinciae, et Forcalquerii, et Pedemontis comes a vicario Draguignani, fideli suo, gratiam suam, et bonam voluntatem. Cum quaestio *sit* nonnullorum nostrorum fidelium, quod praetextu inhibitionis generalis factae super extractione victualium extra Comitatus praedictos officiales nostri Comitatuum eorundem formam excedentes edicti, et illicitis quaestibus intendentes, dictos fideles nostros de vicaria in vicariam huiusmodi victualia extrahere non permittunt, in grave dampnum ipsorum, qui sic mercando eorum vitae subveniunt, et contra nostrae intentionis propositum, ac continentiam literarum, quae super edicto huiusmodi emanarunt, nos autem circa id volentes utiliter eisdem fidelibus providere, teque inter alios in quantum habuisti, et habes minus provide in hac parte non immerito b arguentes, fidelitati tuae firmiter, et expresse mandamus, omnem viam calumniae praecludentes, quatenus mercatores, et alios fideles nostros de Nicia, vel aliis partibus convicinis deferentes tibi literas vicariorum terrarum ipsarum, per quas constet dictos vicarios recepisse fideiussoriam cautionem, quod victualia extrahenda de vicaria ipsa non deferantur extra Comitatus praedictos, sed ad terras vicariarum ipsarum pro usu nostrorum fidelium degentium in eisdem, extrahere de dicta vicaria Draguignani victualia opportuna, sine aliqua exactione, et contradictione, permittatis, nullam in hoc fraudem aliquatenus commissurus, sicut indignationem nostram desideras evitare. Datum Aquis, anno Domini millesimo tercentesimo sexto, die tertio octobris, quintae c indictionis: regnorum nostrorum anno vigesimo secundo.

Quod notarii curiae regiae Niciae non recipiant de publicis scripturis, ac aliis ultra regiam ordinationem.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes senescallis Provinciae, et Forcalquerii, praesentibus, et futuris fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Supplicationibus pro parte universitatis hominum Niciae nostrorum fidelium excellentiae nostrae factis benignius annuentes, volumus, et fidelitati vestrae te- d nore praesentium districte praecipiendo mandamus, quatenus sic expresse mandetis, et ordinetis, quod a notariis curiae Niciensis, qui nunc sunt, et pro tempore fuerint pro scripturis eorum, qui in actis in eadem curia fecerint, recipiantur iusta, moderataque salaria, et quod a tergo cuiuscumque scripturae huiusmodi pretium, quod ex eis in pecunia, vel in promisso habuerint, iuxta ordinationem vestram iam exinde habitam, manu propria, sub certa poena scribere non omittant; quam utique poenam, si secus fecerint, irremissibiliter ab eisdem per nostram curiam exigi faciatis, praesentibus post convenientem inspectionem earum ad cautelam remanentibus praesentanti, efficaciter in antea valituris.

Datum Aquis in absentia cancellarii regni Siciliae per magistrum Iacobum Duesa utriusque iuris professorem, eiusdem cancellarii locumtenentem: anno Domini millesimo CC XCVIII, die XXIII maii, XI indictione: regnorum nostrorum anno XIIII.

Quod quicumque pecuniam alicui mutuo tradiderit infra tres annos de debito querimoniam in curia faciat a tempore ultimae solutionis.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes senescallis Provinciae, et Forcalquerii, et officialibus aliis universis, et singulis Comitatuum praedictorum, ad quos praesentes nostrae literae pervenerint tam praesentibus, quam futuris, fidelibus suis, graciam suam, et bonam voluntatem. Olim deliberatione consulta in Comitatibus nostris praedictis inter constitutiones alias constitutionem edidimus continentiae subsequentis: volentes quantum possumus illorum fraudibus obviare, qui lucris illicitis inhiantes contra bonam fidem bis idem exigere moliuntur, statuimus, quod de caetero mandamenta iudicialia, et quaelibet alia instrumenta de quocumque debito facienda, si a tempore ultimae solutionis eiusdem debiti non fecerit in curia querelam, vel postquam creditor desierit in curia litigare, seu conqueri triennium transierit, nullius firmitatis existant, nec debitum in talibus mandamentis, vel instrumentis descriptum exigatur extunc, vel aliqua ipsius, vel pro ipso compensatio exceptio, vel retencio concedatur, nisi infra praedictum triennium mandamenta, vel instrumenta praedicta fuerint renovata. Ut autem de praemissis in posterum dubietas non oriatur, quae, velut relatibus fide dignis accepimus, nonnullos ex fidelibus nostris eorundem Comitatuum minus debite, discriminose vexarit, praesentibus declaramus, volumus, et expresse iubemus, quod dicti triennii spatium, de quo in eadem constitutione fit mentio ad eos dumtaxat, qui diffamati fuerint, sunt, aut erunt, quod bis iidem quodcumque debitum, conscienciae laxatis habenis, perperam conantur exigere, intelligatur extendi. Quare vobis universis, et singulis sub obtentu gratiae nostrae, tenore praesentium districte praecipimus quatenus dictam constitutionem nostram, sive triennii spatium in ea contentum, iuxta declarationem nostram huiusmodi intelligere de caetero debeatis. Praesentis declarationis originales literas postquam earum transumptum, qui vestrum, ad quem ipsas pervenire contigerit, in publicam formam redigi fecerit ad cautelam petenti cuilibet, cuius interesse noscatur tradi, et exhiberi mandamus, efficaciter in antea ad vestrum singulos valituras. Datum Brinoniae, anno Domini millesimo CC nonagesimo septimo, die XII augusti, XI indictione: regnorum nostrorum anno XIII.

Statuta edita per Regem Carolum secundum.

Carolus secundus Dei gratia Hierusalem, et Siciliae rex, ducatus Apuliae, et Capuae principatus, ac Provinciae Forcalquerii Comes senescallo Provinciae, et Forcalquerii praesenti, et futuro gratiam suam, et bonam voluntatem. Omne nobis est studium crediti nobis a Domino bene vincetur, et eius memoriam (1). Intuentes igitur, quod quamplurimi nostri in animarum suarum grande dispendium nimis assidue delinquunt circa ea, quae inferius describuntur, idcirco diligenti deliberatione praehabita, multorum consilio sapientum, constitutiones infrascriptas, Deo placente, pro salute nostrorum edimus subditorum, quas in omnibus terris, subditorum nostrorum Comitatuum Provinciae, et Forcalquerii praecipimus inviolabiliter observari.

In primis quidem, qui blasfemia verba, et sacramenta de Deo, vel de sancta, et gloriosa semperque virgine genitrice Dei Maria, vel de aliis sanctis Dei dicere praesumunt, Dominum ad iracundiam provocantes, iniungimus abstinere ab huiusmodi blasfemiis verbis. Qui vero contrafecerint, si quidem fuerint burgenses, vel milites, vel alii nobiles xx solidos regalium coronatorum, si vero plebeii iv solidos eiusdem monetae nomine poenae solvere compellantur, cuius poenae quarta pars deferatur referenti, residuum vero curiae: et si quis vero poenam praedictam solvere non poterit, ponatur die dominico, hora prima, publice in castello, et ibidem usque ad horam comestionis teneatur, ut alii hoc videntes a similibus arceantur.

Contra iuramentum non servantes.

Item, quia quidam contra fidem promissam, et suo iuramento firmatam temere in aliorum praeiudicium venire nomen Domini Dei nostri vilipendendo, non verentur, praecipimus, quod tales periurii, si burgenses, vel nobiles fuerint xx solidos regalium coronatorum, si plebeii iv solidos temporali curiae applicandos solvere compellantur: quos pro poena curiae solvere teneantur; et si quis poenam praedictam solvere non poterit ponatur die dominico, hora prima, in castello, et ibidem usque ad horam comestionis teneatur, ut alii hoc videntes a similibus arceantur.

De diebus dominicis, et aliis festivitatibus servandis.

Item, quia quidam dies dominicas, et alia festa quae per Ecclesiam sunt ipso iure indicta, vel etiam indicuntur, praesumunt temere violare, opera prohibita facientes, statuimus quod quicumque talis a inventus fuerit xiii denarios regalium coronatorum poenae nomine solvere teneatur, quorum denarii vi sint curiae temporalis, vi alii parochiae, seu Ecclesiae, et unus exequutoris, per quem fiet exequutio huius poenae.

Qualiter puniantur, qui diebus dominicis ad Ecclesiam non veniunt ad Divina audienda.

Hortamur, et praecipimus, quod omnes qui sunt nobis immediate, vel mediate subiecti veniant ad Ecclesiam, et ibi divinum officium, et mandata Ecclesiae audiant, et suscipiant, ut tenentur. Et specialiter statuimus, quod omni die dominico veniant ad Ecclesiam, una saltem persona de qualibet domo, b et in ipsa ecclesia missam, et mandata ecclesiae audiat reverenter. Si vero contingat quod pro die dominico non veniret una saltem persona de qualibet domo, ut dictum est, dominus vel domina illius domus denarios xiii regalium coronatorum pro poena solvere teneatur, nisi ex causa necessitatis se valuerit excusare; quorum denarii sex sint curiae temporalis, sex alii parochialis Ecclesiae, et unus exequutoris curiae per quem fiet huius poenae exequutio.

De concubinis non tenendis.

Quia publice per omnia nobis pertinet honeste vivere, interdicimus omnibus, et singulis uxores habentibus habere, vel tenere concubinas in domo secum, vel c etiam extra domum; qui vero contrafecerit siquidem burgensis, vel nobilis fuerit decem, si plebeius tres marcas argenti fini, poenae nomine solvere compellantur: cuius poenae decima pars detur ei, qui detulerit, residuum sit curiae temporalis; et si quis poenam praedictam solvere non poterit, ponatur die dominico, hora prima publice in castello, et ibidem usque ad horam comestionis teneatur, ut alii hoc videntes a similibus arceantur. Si quis autem poenam praedictam pecuniariam solverit, vel corporaliter eam substinuerit, concubinam ipsam habere praesumpserit sicut prius, poenam praedictam pecuniariam, vel corporalem iterum subire cogatur, et sic deinceps quamdiu in eo- d dem peccato permanserit poena praedicta coerceaceatur quandocumque in eodem peccato deprehensus fuerit, ut est dictum, ut poena dicente discat caste vivere, non autem delectari in amore illicito, divinoque, ac nostro beneplacito repugnare; ipsi quoque concubinae poena per omnia imminente; in delicto enim aequali propter imminentes poenas iustum putamus.

De mandamentis non exaequendis post triennium.

Solemus quantumcumque possumus illorum fraudibus obviare, qui lucris illicitis inhaerentes contra bonam fidem bis idem exigere moliuntur: sta-

(1) Desunt hoc loco nonnulla verba; sed quum nullus ex codicibus, quibus usi sumus, modum lectionis supplendae suppeditaverit, tutius duximus hoc exordium, prout iacet referre, eo magis quia statutorum capita minus incerta se habent.

tuimus, quod de cetero mandamenta iudicialia, vel *a* quaelibet alia instrumenta de quocumque debito facienda, si a tempore ultimi termini ultimae sosolutionis eiusdem debiti, non facta in iure querela, vel postquam creditor desierit litigare, seu conqueri terminus transierit, nullius firmitatis existant; nec debitum in talibus mandamentis, vel instrumentis descriptum exigatur ex tunc, vel aliquid ipsius, vel pro ipso compensatio, vel retentio concedatur, nisi infra praedictum terminum mandamenta, vel instrumenta praedicta fuerint denegata, vel denotata. Hoc autem in mandamentis de cetero faciendis, seu etiam iam factis super receptis, seu recipiendis. Si tamen solutionis debiti in eis descripti terminus iam venerit, locum habere sancimus, ut tamen in huiusmodi mandamentis, vel *b* instrumentis, quorum ultimus terminus iam transit incipiat terminus computari ab eo tempore, quo praesens nostra constitutio fuerit publicata.

Quod bona illorum,
qui per annum steterint excommunicati,
ad manus curiae capiantur.

Si pro casibus temporalibus cogitamus, multo fortius pro animarum salute providencia nostrae sollicitudinis adhibenda. Quia igitur nonnulli insolertes excommunicationis sententiam, quae medicinalis est si contra fecerit, in animarum suarum dispendium vilipendunt, idcirco ne culpam facientis videantur incurrere habet ille, qui quum potest cor- *c* rigere, negligit emendare. Sancimus, ut si quis de cetero excommunicationis sententiam latam a iure, postquam legitime fuerit ab aliquo archiepiscopo, vel episcopo, et legitime publicatam, substinuerit per annum, animo indurato, bona ipsius omnia capiantur per curiam saecularem cui fuerit ille subditus, tenenda per ipsam curiam donec fuerit absolutus.

Quod excommunicatus publicum officium exercere non praesumat.

Quia cum illis quos sacrosancta vetat Ecclesia nobis nulla communia esse, statuimus, quod nullus excommunicatus a iure, vel ab homine, de cuius excom- *d* municatione sit curia debito modo certa, recipiatur ad aliquod publicum officium pro aliqua temporali curia exercendum; et si quis publicorum officialium sententiam excommunicationis incurrerit, et de hoc fuerit curia debito modo certa, non permittatis officium exercere donec fuerit absolutus.

Quum spiritualis, et saecularis potestas sibi ad invicem non repugnent, sed mutuo se adiuvent, est consonantia quaedam bona omne quod utile humano conferens teneri. Quapropter praecipimus, ut nullus officialium nostrorum iurisdictionem, vel processum spiritualem iudicis ecclesiastici audeat poenarum impositionibus, seu praeconizationibus, vel aliter indebite impedire, quin imo per iudices ecclesiasticos in spiritualibus requisiti praestent ipsis, pro ut iura volunt, auxilium brachii saecularis; qui vero impediens dictam iurisdictionem, vel processum spiritualem, vel non praestando auxilium, ut est dictum, brachii saecularis, praesens statutum violare praesumpserit, unam marcam argenti fini pro poena nostrae curiae, qualibet vice, cogatur inferre.

Quod laycus tonsuram non portet.

Prohibemus ne quis laycus tonsuram, vel rasuram capitis factam in formam, seu figuram tonsurae, sive coronae clericalis audeat quacumque causa, vel occasione portare, cum hoc tam iura quam honestas repugnet, et sit provisum exemplo. Qui vero contrafecerit unam marcham argenti fini curiae temporali solvere poenae nomine compellatur, et si quis poenam praedictam solvere non poterit, ponatur die dominico, hora prima, in castello, et ibidem usque ad horam comestionis teneatur, ut alii hoc videntes a similibus arceantur. Si quis autem postquam praedictam poenam pecuniariam solverit, vel corporalem substinuerit, tonsuram, vel rasuram portare praesumpserit sicut prius, poenam pecuniariam, vel corporalem subire cogatur, et sic deinceps quamdiu in eodem delicto permanserit poena praedicta coerceatur tociens quotiens in eodem delicto repertus fuerit, ut est dictum.

Quod Iudaei nutrices puerorum, aut ancillas, seu mancipia non teneant Christianos.

Absurdum est ut blasfemus Xp̄i Iudaeus in orthodoxis, ac in xp̄ianis in alicuius exerceat potestatem, unde districtius iubemus, et inhibemus Iudaeos cuiuscumque sexus nutricem, vel ancillam, seu pedisequam xp̄ianam, vel nuncium aliquem xp̄ianum tenere. Xp̄iani, seu xp̄ianae non praesumant se subiicere Iudaeis modo aliquo praedictorum: praeterea sancimus neminem Iudaeorum quodcumque publicum officium cuiuscumque curiae administrare, vel gerere, occasione cuius possint in xp̄ianos aliquam potestatem publicam exercere. Qui vero contra nostram praesentem constitutionem personam xp̄ianam tenere, vel habere, vel cum Iudaeis, ut nutrix, vel pedisequa, vel etiam nuncius, moram facere, vel aliquod publicum officium gerere, vel administrare praesumpserit, duas marcas argenti fini curiae temporali solvere teneatur. Et si quis poenam praedictam solvere non poterit, ponatur quatuor diebus dominicis, hora prima, publice in castello, et ibidem qualibet die, et vice, usque ad horam comestionis teneatur, ut alii hoc videntes a similibus arceantur. Si autem postquam poenam pecuniariam solverit, vel corporalem substinuerit, praesentem nostram constitutionem in aliqua sui parte iterum violare praesumpserit sicut prius, poenam praedictam pecuniariam, vel corporalem iterum subire cogatur, et sic deinceps quamdiu in eodem delicto deprehensus fuerit, ut est dictum.

Ille vero qui aliquid de praedictis gerens, vel administrans tradere cuicumque Iudaeo ausus fuerit, quatuor marchas argenti fini poenae nomine temporali curiae solvere compellatur. In omnibus autem casibus, qui in praedictis omnibus, et singulis nostris constitutionibus, continentur, volumus procedi ad veritatis examinationem, et delinquentium coercitionem per singulorum officium competentis iudicis, et sine strepitu iudicii, et figura. Praemissas constitutiones nostras, non intendimus derogare aliis poenis legalibus, quae pro praemissis causis delinquentibus imponuntur. Volumus etiam in praesenti edicto perpetuo valituro, et sancimus, quod poenae omnes pecuniariae contra transgressores praescriptis constitutionibus stabilitae, et quarum delatio ad nostram curiam pertinebit, ad elemosinarium nostrum debeant pervenire, per eum pauperibus erogandae; de aliis vero, quarum delatio, et exactio ad eamdem curiam immediate non perveniet, fiat iuxta promissionem eorum ad quos pervenire debent, et pertinere noscuntur. Quae igitur placuerunt nobis, et per supra scriptas constitutiones nostras salubriter sunt sancita, facias, tu praesens senescalle, in noticiam subditorum omnium Comitatuum pervenire; ea, tu tam praesens, quam vos alii futuri, studeatis efficaciter observare, ac per alios subditos nostros prout pertinebit ad iurisdictionem cuiuslibet facere observari. Datum Aquis anno Domini MCCXCIIII, die VIII februarii, VII indictonis, regnorum nostrorum anno X.

Quod solvatur laudimium, et trezenum de possessionibus alienandis.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii Comes senescallo Provinciae praesenti, et futuris fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Decet regalem providenciam in rei publicae curam gerere, et investigare commoda subditorum, ut sublatis, prout est possibile, maliciosis, et inventionibus quibuscumque publica utilitas incorrupta permaneat, et singulorum iugiter status servetur illaesus. Sane fide digno relatu plurium intelleximus, quod nonnulli propriis commodis, et aliorum praeiudicium inhiantes possessiones, et iura in Comitatibus Provinciae nostrae, et Forcalquerii, et terris illis convicinis nostris subiectis, domino constituta, quae non possunt titulo vendicionis, vel alio consimili sine curiae nostrae, vel aliorum consensu transferri, et pro quibus praestandum est trezenum, sive laudimium curiae nostrae, vel aliis, cum possessiones ipsae, vel iura titulo vendicionis, vel alio consimili transferuntur, praesumunt concedere, seu transferre sine consensu praedicto, et nullo praestito laudemio, seu trezeno, recepta pro ipsis possessionibus, seu iuribus magna quantitate pecuniae, ac recepto aliquo, seu modico in eisdem, seu etiam pro eisdem. Nos huiusmodi calliditatibus obvian-

a tes, et attendentes, quod tales contractus naturam venditionum sapiunt, et est de ipsis circa praemissa, nec de venditionum contractibus iudicandum, prohibentes hoc edicto in perpetuum valituro tales contractus in Comitatibus, et terris praedictis de cetero fieri sine consensu illorum, quorum consensus in venditione fuerat requirendus; statuentes pro contractibus huiusmodi tamquam pro venditionibus praestari trezenum. Si vero contra factum fuerit possessiones, seu iura super quibus huiusmodi contractus fuerit attemptatus, ipso iure, *nisi* alicuius consensus requirendus fuerat, et cui debuerat praestari trezenum, liceat ipsi domino cui praemissa fuerint applicata, ea capere, seu apprehendere auctoritate propria; vel si voluerit in iudicio experiri, *b* audiatur mero iudicis officio, et sine strepitu iudicii, et figura. De hiis vero alienationibus quae per dictas fraudes, et machinationes ante tempus edicti sint factae, statuimus sollicite, et diligenter inquiri per officium iudicis, et, veritate comperta, alienationibus ipsis penitus irritatis, possessiones, et iura huiusmodi in statum pristinum revocari, vel si forte illi, in quorum praeiudicium facti sint praedicti contractus, dicant praedicta, sic alienata in commissum incidisse per iura scripta, vel alia, quibus quidem in hac parte non intendimus derogare, uti possit libere iure suo. Volumus igitur, et fidelitati vestrae praecipiendo mandamus, quatenus edictum nostrum, et ordinationem huiusmodi teneatis, seu faciatis in Comitatibus, et terris praedictis solem- *c* pniter publicari, et inviolabiliter observari, praesentibus literis in archivio curiae nostrae perpetuo observandis. Datum Neapolim, per Bartholomeum de Capua, militem, prothonotarium, et magnae curiae nostrae magistrum rationalem: anno Domini millesimo CC. LXXXXIII, die XXVI madii, VII indictione, regnorum nostrorum anno X.

Hugo de Vicinis, miles, Provinciae, et Forcalquerii senescallus, vicario, et iudici Tharasconi, et eorum alteri salutem, et amorem sincerum. Literas sacrae regiae maiestatis Hierusalem, et Siciliae nos de novo recepisse noveritis formam huiusmodi continentes *Carolus* etc. ut supra sunt insertae. Harum igitur literarum nostrarum auctoritate vobis man- *d* damus, et districte praecipimus quatenus formam, et ordinationem regiis literis suprascriptis diligenter attendatis, easque in omnibus, et per omnia observetis, illa quae sunt exequenda ex tenore ipsarum exequi, et observanda observari facere sic diligenter studeatis, quod effectus operum vos comendabilem reputet; pro certo sciturі, quod si in executione, et observantia praesentium negligentes inventi fueritis, vel remissi, talem negligentiam relinquere non intendimus impunitam, et quia brevitas consuevit obscuritatem in negociis generare, ne deffectu exequutionis huiusmodi intentio domini nostri regis penes vos in dubium revocetur, tenore literarum regiarum, de consilio sapientum perpenso, ac de contentis in eis declaratione assumpta, volumus,

et praecipimus, quatenus contractus, et alienatio- *a* nes praefatas vobis de cetero inhibentes possessiones, seu iura, et res per tales fraudes alienatas, seu quae alienabuntur deinceps, sine voluntate dominorum, quorum est requirendus consensus, et de hiis, non dato trezeno, seu laudimio ad manus curiae, et aliorum, quorum interest tamquam ipso iure, et vigore praesentium literarum commissas reducatis, ipsisque in bonis commissis iam dictam curiam gaudere utique faciatis. De alienationibus ante praesens rescriptum in praeiudicium curiae iam factis per vos inquiri cum diligentia volumus, et mandamus, ut super ipsis inquisitione facta solemni, tam super nominibus, et personis alienantium, inquisitionem eamdem sub sigillo nostrae curiae sine morae dispendio nobis transmittere studeatis, ut procura- *b* tor regni viam utiliorem a forma praescriptarum litterarum electa, per officium, vel alium modum curiae expedientem, in praesenti negocio valeat pro parte curiae expediri. Datum Brinoniae die XXVI augusti, VII indictione, anno Domini millesimo CCLXXXX. IIII.

Constitutiones regis Caroli secundi super officialibus curiae.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii Comes Hugoni de Vicinis, militi, marescallo, et nostro senescallo Provinciae, et Forcalquerii, dilecto consiliario, familiari, et *c* fideli suo gratiam suam, et bonam voluntatem. Mentem nostram inter sollicitudines alias haec cura perstimulat, ut reipublicae fructum dispendiis occurrentes, ex quibus non numquam ipsius privatae rei commodum laeditur, statusque vexatur, et eius consultius detrimenta tollamus, quae per quosdam iam quodammodo abusum irrepunt, et fidelibus etiam nostris Comitatuum Provinciae, et Forcalquerii, ad quos regiae benignitatis diriguntur status debitae prosperitatis arrideat, et condicio melior succurrat per hoc, et per eum rei causa publicae, quam privatae, provisio altera per alteram plus valebit. Ecce igitur dispositi fieri hactenus cum in partibus Provinciae fuimus, constitutiones nuper edidimus, et redactas in perpetuum valituras secundo tibi prae- *d* sentibus insertas tibi transmittimus per praesentium portitorem. Tuae igitur fidelitati praecipiendo mandamus quatenus condentis beneplacito complacens, et sancientis te iudicio ad secundum confirmans, statim, receptis praesentibus, constitutiones, et capitula ipsa facias in publicum divulgari, et ad declarationem, certioremque noticiam eorumdem, singulis vigueriis Comitatuum praedictorum, formam, et copiam de verbo ad verbum illorum sub sigillo tuo gratis exhibeas, et sub certa poena, formidabilique tam eis, et singulis aliis indicturus, ut constitutiones, et capitula ipsa observent tenaciter, et contra illa penitus nichil reputent; tuque in exemplum laudabile aliorum illam inviolabiliter serves, et teneas, et intransgressibiliter exequaris sic quod status prudenter exordines, quod unusquisque aliorum officialium praedictorum, tam praesens, quam successive futurus, in assumptione sui ad officium exercendum, prius quam illud incipiat exercere, specialiter iurent tactis sacrosanctis evangeliis ad constitutiones, et capitula tam bonae memoriae patris nostri, et Comitis Raymundi Berengarii, quam praesentia ipsa nostra toto sui officii tempore teneant, et observent, et faciant inviolabiliter observari. Tu autem de executione praesentium fieri facias scripta competentia publica, quorum aliud tibi retineas, et aliud curiam nobis mittas; constitutiones vero, et capitula sunt haec.

Veteris iuris laudabilis sequentes exempla, quae inter privatum, et fiscum specialiter iudex cognitionis examinat, huius constitutionis edicto statuimus, ut de omnibus causis, et litibus quas inter curiam, et fideles nostros Comitatuum Provinciae, et Forcalquerii oriri continget, senescallus, et maior iudex eorumdem Comitatuum, per modum ordinarium, seu extraordinarium, praesente procuratore nostro, cognoscant: ne sub diversis tribunalibus quod contingebat hactenus, curia nostra subeundo iudicia diversa vexetur, et ipsius indempnitatibus, et per delegationem determinati iudicis consulatur. Cognitiones autem praedictarum litium, et causarum coram aliis iudicibus habitas, ipso iure nullas esse volumus, ut coram ipsis incompetentibus iudicibus actitata in ordinario iudicio, vel arbitrali vacatione; et ad aliquam probationis, vel praesumptionis speciem adduci non possit, consuetudine obtenta in contrarium hactenus super huiusmodi praesentis sanctionis vigore sublata, quam in futuris negociis tantum vim volumus obtinere, placeat rationalis consilii tenore perpenso praesentanti nostra inviolabili ordinatione praescribere, ut in singulis terris, possessionibus, redditibus, proventibus, obventionibus, et iuribus aliis quibuscumque dictorum Comitatuum indagatio diligens, et solers inquisicio per viros probatae fidei, et opinionis esse celebretur instanter; quae in tribus inventariis, seu caternis per partes, et membra particulariter, et distincte per res, et species singillatim, et lucide describantur, quorum unus sit semper in camera, et alius penes senescallum Provinciae, tertius penes procuratorem, et officiales nostros super computis ordinatos. Senescallus vero, finito suae administrationis officio, inventarium ipsum cum augmento, et diminutione factis per eum sui officii tempore assignare teneatur in camera, et aliud uniforme per omnia successori; indeque successor thesaurarius, vel staturus super camera Provinciae, de dictis augmento, et diminutione, ubicumque fuerimus, conscientiam nostrae maiestatis informet, ut benefacta probemus, et delictum, aut negligentiam poena debita feriamus. Praesentis nostrae ordinationis edicto praecipimus, ut in qualibet vicaria habeat vicarius caternum unum, et clavarius alium, in quibus omnes res, et pecuniae ad clavarium pertinentes eumdem,

tam de condempnationibus latis, trezenis, poenis quandocumque minutis, bannis, quam aliis quibuscumque redditibus, seu proventibus quomodocumque nuncupentur, et ex quibus causis provenerint particulariter, et distincte cum declarationibus denotentur; habeant similiter dicti vicarii, et clavarii duos caternos consimiles, in quibus totalis exitus, et expensae pecuniariae per ipsum clavarium, cum distinctione causarum, et personarum descriptione quibus soluta fuerit, continenter appareat, ita ut nomine pecuniae, et generales res omnes, et speciales comprehendat, ut tempore rationis, seu computi ab ipso clavario faciendi de introytu, et exitu quaternos dicti viguerii ad concordiam cum quaterno dicti clavarii in computo procedatur. Vigile, atque sollicite solventes, vel reddentes ipsi clavario, ut omnia quae solvet, aut reddet ex quibuscumque sint causis, per manus alterius consistorii, ubi est facienda solutio, scribi procurent solutionem, seu redditionem quam facient, praemisso modo particulariter, et distincte, tam in quaterno viguerii quam clavarii, describi, et post solutionem, singulis quaternis eiusdem tabularii per ordinem subscriptionem apponi: quae scriptio per curiarum nostrarum notarium gratis fiat; nisi aut per clavarium introytu, quam exitu praedicta cautela observetur, de omni eo quod non invenitur in introytu per utrumque caternum, si per culpam, vel negligentiam hoc facere processerit, idem clavarius tamquam substrator nostrae curiae teneatur in precium duplum, et in exitu alia quam praedicta probatio clavarium non absolvat. Solventes vero, aut reddentes ipsi clavario contra dictam formam ab eo quod debent per sic solutum in nullo tenent, quae liberentur, sed si per vicarium, aut tabularium steterit, quominus solventes praedicti, iuxta praedestinatam formam, aut redditionem faciant idem, et tabulariis ad omne dampnum, et interesse ipsis solventibus teneantur: indignum, et grave, quod aliquis minus ydoneus ad receptionem nostrae pecuniae statuatur praesenti ordinatione decrevimus, quod senescallus Provinciae, vel alii officiales nostri, ad quorum spectat officium, nullum officialem, qui pecunias, vel res alias curiae nostrae recipere debeat, ordinare praesumant, nisi per officialem ipsum receptorem pecuniae de indempnitate dictae curiae plene sit cautum per fideiussores ydoneos in Comitatibus nostris Provinciae, et Forcalquerii, convenientem substantiam possidentes, et si contra factum fuerit dampnum, quod proinde curiae praefatae contingeret de bonis, et facultatibus dicti senescalli, vel officialis, qui cautionem recipere debuit, servetur. Huius autem nostrae ordinationis edictum non solum ad futuros officiales extendimus, sed praesentes, ut infra certi temporis spacium, pro locorum distantia, senescallus praesens Provinciae, et officiales alii ad quos spectat officium a singulis clavariis, et aliis receptoribus pecuniae aliarumque rerum curiae nostrae de indempnitate praecii praedistinctam recipiant cautionem. Inordinatam, et ineffrenatam pa-

a riter cautionem notariorum in dictis Comitatibus modo debito limitantes, consulta deliberatione providimus perpetuo tenaciter observandum, quod quilibet notarius creandus in Comitatibus ipsis habeat instrumentum publicum, aut testimoniales literas duorum publicorum notariorum, aut unius in defectu duorum, aut sex proborum virorum ad minus de loco, unde notarius est creandus de fide, et legalitate ipsius, et quod de legitimo matrimonio creatus existat certius attestantes; de sufficientia vero in curia nostra per eum, ad quem pertinere dignoscitur approbetur. Contra praedictam autem formam creatum notarium, quantum ad ipsum officium ab omnibus nostris fidelibus reffutari praecipimus, ut nec in iudiciis, vel contractibus, cuius scriptio ad investi-
b gandam veritatem fides sit publica, possit adduci, sed a iudicibus eorum repelli auctoritate. Clericum nullum ad idem officium adsumi iubemus, assumptumque a ius dicentibus reiici, et omni auctoritate, et potestate eiusdem officii vacuari, ut ex eius scriptura nullum probationis, aut praesumptionis saltem robur possit adhiberi. Et quia turpius eiicitur quam non recipitur hospes, edicendo statuimus, quod quisquis fuerit in notarium promovendus habeat literas testimonales episcopi, vel si locus, ubi eligitur, episcopo careat, alterius, qui per se, vel per alium spiritualiter ibi praesit, quod idem in notarium promovendus non sit clericus, nec idem episcopus, vel alius praesidens eum habeat pro clerico; et si propter testificationis praedictae caute-
c lam aliquis ad idem officium promoveri se expectat, repellatur instanter, et admissus, pro notario publice decernimus eum non haberi. Saepe contingit, ut quamvis ad medelam languoris mittat ipse praeceptiones, inducat inde exterminationes; et status in medicina, vel serurgia praticari praesumat (*sic*) nisi prius de ipsius fide, et legalitate in curia nostra testimonio sufficienti praehabito, in eadem curia per eum ad cuius officium spectare censetur de suae artis peritia ydoneus approbetur. Partecipantes autem contra praesentis nostrae prohibitionis, et determinationis poenam L librarum turonensium multandum fore sancimus nostro erario applicanda. Datum Neapoli per Bartholomeum de Capua militem, Logothetam, et prothonotarium regni Sici-
d liae, anno Domini millesimo CC nonagesimo sexto, die XII iunii, IX indicione, regnorum nostrorum anno XII.

Aliae constitutiones, et reformationes Regis Caroli.

Carolus secundus Rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii Comes senescallo, vicariis bavilis iudicibus, ceterisque officialibus aliis per Comitatus Provinciae, et Forcalquerii constitutis, tam praesentibus, quam futuris fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Olim de subditorum nostrorum in praedictis Comitatibus honesta vita dominica vigilatione

agentes, ut iusta ipsorum, accepta esse hominibus, a
Deo grata, inter alia statuisse meminimus eosdem sùbditos, et xpianos, scilicet circa subscripta, sub interminatione diversarum poenarum, pro diversitate criminum, nostrae curiae applicandarum, modo subscripto videlicet: quod singulis diebus dominicis, et festivis, quos sancta mater Ecclesia solempnia indicit, quilibet ab operibus vetitis prorsus abstineat, nec ipsorum dierum solempnitates alias celebres, celebribus turpibus actibus maculare praesumat; orantes etiam, et mandantes, ut omnes in diebus huiusmodi una saltem persona de domo qualibet ad ecclesiam veneranter accedat, divinum officium ibidem auditura, et mandata ecclesiastica subitura. Sanximus insuper ne aliquis laycus tonsuram, vel rasuram capitis ad formam clericalis coronationis b
deferat, veluti tam iuri, quam honestati repugnans. Ceterum decernentes Iudaeos Xpi blafemos in xpianos habere imperium, et auctoritatem mandandi vetimus, quod nullus iudaeus habere xpianam nutricem Iudaeorum infantium, nec sexus alterius quemlibet servitorem; item detestabile tenentes et pravum, quod quis accipiat nomen Domini nostri Iesu Xpi sanximus periuros omnes secundum diversitatem personarum diversa poena plectendos; insuper indecorum pudicitiae delectati edicimus iubentes, quod nullus in domo secum, vel extra domum tenere praesumat concubinas. Verum quia dignum fore conspicimus, quod obventiones poenarum, quae perveniunt de dictis criminibus cedant in honorem Domini, qui offenditur in pecca- c
tis, sanximus ad beneplacitum nostrum, et vestrum cuilibet praecipiendo mandamus, quatenus quicquid ex praemissis excessibus, et quolibet praemissorum nomine poenae iuxta praedicta nostra statuta debet ad nostram curiam pervenire, religioso viro fratri Petro ordinis praedicatorum elemosinario, et familiari nostro, aut eius procuratori, aut nuncio solvere, et assignare curetis per eum in elemosinis convertendis, et quia praedictum statutum nostrum contra periuros, et concubinarios sic est compendiose contextum, quod ipsius brevitas posset aliquibus nubilum indubietatis ingerere declarando decernimus inter periuros, quod dictum statutum complectitur, contineri periuros esse, qui suis creditoribus pro creditis solvendis iurent ad sancta Dei d
evangelia post lapsum certorum terminorum, in certis locis tenere hostagia contra huiusmodi iuramentum eorum venire praesumunt; inter concubinarios etiam de quibus fecit scriptum capitulum mentionem astringi et contineri volumus omnes, et singulos adulteros, qui semel, vel plures intercipientur, aut contigerit adulterium commisisse, quorum adulteriorum pecuniae poena, si qua deberet, nostrae curiae commodis applicari ad praedictam elemosinam deputentur, et praedicto elemosinario nostro, seu eius procuratori tribuantur. Datum Aquis, anno Domini millesimo CCXCVIII, die XII mensis februarii, XI indictionis regnorum nostrorum, anno XIIII, tempore domini Raymundi de Leto militis, nunc Comitatuum Provinciae, et Forcalquerii senescalli.

De annona extrahenda de Provincia et portanda Niciam.

Carolus secundus Dei gratia Rex Hierusalem, et Siciliae ducatus Apuliae, et Principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis Comes vicario Niciae fideli suo gratiam suam, et bonam voluntatem. Nostrorum fidelium commodo providere volentes, ecce scribimus per alias nostras literas vicario Draguignani ut mercatores, et alios fideles nostros de Nicia, vel aliis partibus convicinis deferentes sibi literas vicariorum terrarum ipsarum, per quas constet dictos vicarios recepisse fideiussoriam cautionem quod victualia extrahenda de vicaria Draguignani non deferantur extra Comitatus praedictos, sed ad terras vicariarum ipsarum pro usu nostrorum fidelium degentium in eisdem, extrahere de dicta vicaria Draguignani victualia opportuna sine aliqua exactione et contradictione permittat. Tuae quoque fidelitati praecipimus quatenus a volentibus extrahere de praedicta vicaria victualia huiusmodi, in praedicta forma, recipias fideiussoriam cautionem, illaque recepta, certifices inde praedictum vicarium Draguignani ut per eum victualium ipsorum extractio, prout sibi praecipimus, ab inde permittatur; circa quod diligentiam opportunam adhibeas, et provideas quod nulla inde extorsio committatur, nec victualia ipsa taliter extrahenda extra terram Provinciae aliquatenus devehatur. Datum Aquis anno Domini millesimo CCCVI, die tertio octobris, V indictione: regnorum nostrorum anno XXII.

Quod avere, seu animalia domus Templi, et aliorum religiosorum defensas possessiones civium Niciae non intrent.

Carolus secundus Dei gratia Rex Hierusalem, et Siciliae ducatus Apuliae, et Principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis Comes vicario, et iudici Niciae praesentibus, et futuris fidelibus suis gratiam, et bonam voluntatem. Habet querela proposita coram nobis pro parte universitatis hominum Niciae nostrorum fidelium, quod avere, seu animalia domus Templi, et aliorum religiosorum locorum ipsarum partium defensas, et possessiones Niciensium civium pascunt, intrant, et dissipant, desolant, et devastant, et quia religiones ipsae a poena banni constituta in talibus eximuntur, non est curae pastoribus, sive custodibus animalium praedictorum quid quantumcumque dampni fecerint aliis animalia memorata, non absque dispendio plurimorum. Nostra igitur exinde provisione petita, volentes in hoc prout de iure valemus opportunum remedium adhibere, fidelitati vestrae praecipimus, et committendo mandamus, ut quia verisimiliter non videtur quod in generali mandato per ipsos religiosos facto pastoribus de animalibus pascendis, eisdem iniunxerint, quod alienum accipiant, sive vastent, si praedicta veritati sunt consona, contra pastores, seu custodes eosdem oppor-

tunum curetis apponere remedium, quod dampna passi conserventur indempnes, ipsosque pastores ad solutionem banni nihilominus, prout iuris extiterit, compellatis. At ubi custodes, seu pastores ipsi solvendo non sint, vel arguantur de culpa domini animalium praedictorum, vos ipsis dampna passis curetis assistere vestri favore praesidii, ad indempnitatem eorum exinde conservandam, ita quod ad vos inde querela non perveniat iterata. Praesentes autem literas, post opportunam inspectionem earum, restitui volumus praesentanti efficaciter in antea valituras. Datum Massiliae per Bartholomeum de Capua, militem, Loghothetam, et prothonotarium regni Siciliae, anno domini millesimo CCC VI, die XIX novembris, V indictionis: regnorum nostrorum anno vigesimo secundo.

De libertatibus hominum olim de Monacho, (1) *nunc habitantium Niciae.*

Carolus secundus Dei gratia Rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis Comes, vicario, et iudici Niciae praesentibus, et futuris fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Pro parte universitatis hominum Niciae nostrorum fidelium contra cives Ianuae habitatores Monachi et qui habitant, seu morantur in Nicia subscripta nobis cuiusdam gravaminis, et novitatis indebitae, qua utimur, capitula sunt oblata. In primis, quod Ianuenses ipsi conventiones hactenus initas inter curiam nostram ex parte una, et primos incolas Monachi, seu Guelfos ex altera, immunitates quidem aliquas continentes dilatare ad alia satagentes, ad praesens interpretantur, et asserunt eos suos esse sequaces, ac debere gaudere immunitate contenta in conventionibus ipsis, qui ex civibus Ianuae per longa praeterita tempora, priusquam conventiones ipsae fuissent sic invicem initae in ipsa civitate Niciae cohabitantes, ut cives, onera publica et pri-

a vata prout et cives alii supportabant, et per hoc sub quodam involucro excusant eosdem ab oneribus memoratis, non absque praeiudicio publico et privato. Et licet habitatores dicti castri Monachi, cum quibus dictae conventiones sunt habitae, certo tunc fuerint numero comprehensi, ad quos conventiones ipsae dignoscuntur extendi, nunc tamen quotquot ad habitandum Niciae veniant dictum quippe numerum excedentes in plures asseruntur de sequacibus Monachi, qui etiam conantur se per conventiones easdem a praefatis muneribus excusare. Quo fit quod et alii qui possessiones stabilium emerunt, et tenent in Nicia, et territorio eius, aut ex dotis causa, vel ex alio titulo quaesiverunt, pro quibus ante sic ad Ianuenses pervenirent eosdem,
b priores eorum patroni, et domini supportabant onera publica et privata, occasione conventionum ipsarum, possessiones ipsas conantur eximere ab oneribus memoratis, et amplius, praetextu conventionum ipsarum Ianuenses ipsi ab eis talliis se excusant, quae sunt in praedicta civitate Niciae pro constructione pontium, reparationeque viarum, ac pro utilitatibus aliis publicis, de quibus et Ianuenses ipsi cives Niciae, praetextu conventionum ipsarum, eam pecuniam, seu pignora repetunt, quam, vel quae ab eis collectores talliarum Niciae receperunt pro certa taxa pecuniae data gratis quondam Raymundo Berengario nato nostro, et pro impositionibus aliis ex certis dictae civitatis necessitatibus et aliis ei collatis graciis dudum factis: quam-
c quam universitate civitatis ipsius suis tunc vicibus congregata, ubi et dicti Ianuenses extabant, promissionibus inde factis, nullus contradixerit eorumdem, repetitionem similem intemptantes pecuniae, pignorumve acceptorum per collectores scriptos a clavario Niciae ad colligendum unum turonensem argenti pro albergo a quolibet foco, quam pecuniam seu pretium pignorum collectores ipsi dicto clavario assignarunt. Et insuper quia circa praedicta Ianuenses ipsi praetendunt certas nostras literas impetratas de observatione conventionum ipsarum, tanta favoris iactantia efferuntur quod plerumque contra cives Niciae verbis utuntur illicitis, et eis tediosis, faustibus aliis adeo sunt infesti, quod necessario et ipsi scandalizantur ad gravia; de quibus facile
d possunt hinc inde dura scandala suscitari. Super quibus omnibus nostrae provisionis implorato remedio, reputantes iniustum quod Ianuenses ipsi quoad personas, vel quoad res alias, scilicet sive plures quam per conventiones exprimuntur easdem eo immunitatis, vel exemptionis beneficio gaudeant, ad quod intellectu sano, et lucido se conventiones huiusmodi non extendunt, cum intentionis nostrae non fuerit, nec tunc sensus extiterit, quod iam dictae conventiones ita cum dictis primis habitatoribus Monachi, sive Guelfis Ianuenses inirentur, quod in praedictorum civium non expressum praeiudicium redundarent. Fidelitati vestrae praesentium tenore praecipimus, et remittendo mandamus, ut conventiones ipsas prout sunt, et clare possunt in-

(1) Qua ratione Ianuenses Monacho, seu, ut veteres appellabant, Portu Herculis Monaeci potiti sint, scire fortasse lectorem iuvabit. Narrationem ab historia alpium maritimarum Petri Iopbredi, adhuc inedita, desumemus:

» Enrico VI (figliuolo di Federico I) pensò a stabilirsi in Occidente, massime nel possesso della Sicilia . . . . . Avendo a questo fine bisogno degli aiuti de' Genovesi acciò più volontieri l'accomodassero delle loro galere, non solamente ne fece istanza per Ottone arcivescovo di Ravenna, Arnaldo Stretto di Piacenza, ed Alberto di Cremona suoi ambasciatori; ma in contraccambio accordò ai medesimi Genovesi quanto seppero dimandare per mezzo d'Ugolino Mallone, ed Idone Piccio, a' quali oltre la confermazione di quanto avevano ottenuto dall' Imperatore Federico suo padre, concesse il poggio di Monaco, che senza dubbio faceva parte del territorio della Turbia, e così essendo allora il luogo della Turbia in spirituale sottoposto al vescovo, e nelle cose civili al vicario e consoli di Nizza, non potè detto Imperatore smembrarlo, per donarlo a' Genovesi, se non come preteso re d'Arles e signor sovrano della Provenza, li di cui padroni immediati non leggiamo essere, come conveniva, chiamati in questo fatto. »

Anno MCLXXXXI, indictione VIII, die II iulii tradita fuit per legatos imperiales consulibus Ianuae possessio Podii, et montis Monachi, et portus eiusdem, at terrae adiacentis territorii ad castrum et burgum aedificandum etc. Instrumentum ipsius traditionis in historia alpium maritimarum descriptum legitur.

telligi, sic dictis habitatoribus Monachi, Ianuensibus, sive Guelfis prout iustum fuerit tenaciter observetis quod ad personas alias, sive plures, aut bona, quam quae continentur in illis directe, vel per obliquum nullatenus permittatis extendi, et ubi Ianuenses ipsi per conventiones easdem a contributionibus memoratis pro dictis possessionibus non dignoscantur exempti, eos conferre cum illis cum civibus Niciae iuxta facultates suas formamque iuris et legem municipalem, debita si expedit coercitione, cogatis. Attento circa id quod de repeticione solutae pecuniae, vel acceptorum pignorum est praetactum, ut si Ianuenses ipsi per conventiones easdem a contributione tali non apparent exclusi, vel scienter ipsi promiserunt, sive solverunt in contributionibus memoratis, repetitionem eis inhibeatis huiusmodi, ut est iuris; illud attencius promissuri, quod Ianuenses contra dictos cives Niciae ad verba, ut praefertur, illicita vel aliis taediosa, ut praedicitur, excedentes, sic a talibus, et si res ita se habeat, opportunis remediis compescatis, quod et ipsi prorsus abstineant, et proinde principiis obstare cuiuslibet materiae scandali, quod nonnunquam levia tediosa verba parturiunt, supputetur. Praesentes autem literas restitui volumus praesentanti efficaciter in antea valituras. Datum Massiliae per Bartholomeum de Capua, militem, Logothetam, et prothonotarium regni Siciliae: anno Domini millesimo ccc vi, die xxix novembris, v indictionis: regnorum nostrorum anno xxii:

Quod nulla persona detineatur in palacio regio Niciae, quae possit fideiubere, et quod iniuste captus pro portis nichil solvat, et captus ipse ad defensiones admittatur: et de arbitris, et regardatoribus eligendis, et de emptione regardariae, et aliis causis.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes universis praesentes literas inspecturis tam praesentibus, quam futuris. Sicut operam daturus est princeps, ne quae contra fas geruntur, improvide firma, et illibata consistant. Sane pro parte universitatis hominum Niciae fidelium nostrorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis concessas ab olim super certis capitulis literas per Robertum primogenitum nostrum, Calabriae ducem, ac in regno Siciliae, et tunc in comitatibus Provinciae, et Forcalquerii vicarium generalem, approbare, ratifficare, et confirmare benignius dignaremur; ipsarum autem literarum continentia seriosius sequitur in haec verba.

Robertus primogenitus illustris Hierusalem, et Siciliae regis, dux Calabriae, et eius in regno Siciliae, et comitatibus Provinciae, et Forcalquerii vicarius generalis vicariis, iudicibus, clavariis, subvicariis, caeterisque aliis officialibus curiae regiae Niciensis, tam praesentibus, quam futuris, devotis
a suis salutem, et dilectionem sinceram. Dum supplicationibus regiorum fidelium devotorum nostrorum benignius auditum impendimus, et exauditionis ianuam aperimus, ipsorum fidem, et devotionem erga dominum genitorem nostrum, et nos fervencius excitamus. Sane pro parte universitatis hominum civitatis Niciae paternorum fidelium, devotorumque nostrorum per eorum sindicos fuit nuper nobis humiliter supplicatum, ut pro honore dicti domini nostri regis genitoris, et nostro, ac utilitate dictae civitatis super certis eorum, quae nobis obtulerunt, capitulis providere benignius dignaremur. Quorum peticionibus, prout infra subiungitur, duximus annuendum. Et quidem, petito primum per eos inhiberi per nos quod aliqua persona non detineatur
b in carcere, vel regio palacio civitatis ipsius, quae possit, seu velit praestare fideiussoriam cautionem, nisi de crimine capitali accusaretur, aut alio unde mors, vel membri abscissio sequeretur, providimus exinde quod id fiat, nisi alia rationabilis causa subsit. Ad supplicem quoque peticionem ipsorum inhibemus expresse quod nullus in dicto palacio civitatis ipsius detemptus iniuste castellano ipsius palacii pro portis carceris eiusdem palacii quicquam solvat, seu solvere teneatur. Caeterum cum per praedictos sindicos extiterit postulatum devotius quod si contingat aliquem capi, et detrudi infra dictum palacium civitatis eiusdem, occasione quacumque captus, ipse libere ad suas iustas defensiones, quas conferre voluerit, admittatur priusquam procedatur
c ad quaestiones per curiam contra eum, et sic extra idem palacium libere sine detentione aliqua, data prius inde ydonea fideiussoria cautione, nisi esset casus unde mors, vel membri abscissio sequeretur, devotioni vestrae mandamus, quod non procedatis ad huiusmodi quaestiones, nisi causa rationabilis aliud suaderet. Volumus insuper, et subiungendo mandamus, quod arbitri, et regardatores, qui ordinantur in civitate praedicta Niciae, statuantur consilio, et tractatu proborum hominum civitatis eiusdem, prout in paternis literis indultis exinde universitati praedictae dicitur contineri. Insinuatum nobis fuit praeterea pro parte dictae universitatis, quod homines civitatis ipsius emerunt centregariam, et ius ipsius centregariae civitatis eiusdem, de vo-
d luntate regiae curiae, certis modis videlicet, et specialiter quantum dictae civitatis homines pro citationibus, et licitationibus, seu incantis, et aliis modis debeant nunciis dictae curiae exibere, prout de praedictis per instrumentum publicum inde factum asseritur fieri posse fidem, quam emptionem, ac omnia, et singula contenta in eodem instrumento dicti sindici petierunt mandari per nos ipsis emptoribus observari. Super quo volumus, et iubemus, quod contenta in eodem instrumento, prout rationabile fuerit, observetur. Supplicato etiam per dictos sindicos civitatis eiusdem, quod cives eiusdem terrae non cogantur accomodare pannos lectorum senescallo dictorum Comitatuum, vel cuicumque alio officiali, cum hoc idem per dictum dominum

genitorem nostrum fuerit ordinatum. Volumus circa a id statutum paternum super hoc editum tenaciter, et intransgressibiliter observari. Ad haec cum supplex fuerit adiecta peticio per eosdem, quod omnis homo bonae famae, qui post sonum campanae per dictam civitatem ambulare sine lumine repertus fuerit, non gravetur indebite, vel maliciose propterea pignoretur; placet nobis, quod consuetum est exinde observari; vobis tamen praecipimus, quod si aliquos probos viros post dictum sonum campanae compereritis sine lumine per terram incedentes, eos vestrum aliquis maliciose non gravet, impetat, vel molestet. Ad illud vero quod universitas ipsa suppliciter depoposcit, quod homines castri Monachi, habitatores Niciae in talliis, quistis, et praestationibus aliis cum eadem universitate tribuant pro pos- b sessionibus, quas emerunt, et quotidie emunt in eadem civitate, ac eius territorio, ac ex dotis causa recipiunt, et specialiter in occurrentibus utilitatibus publicis, et necessitatibus universitatis, seu civitatis eiusdem, volumus, quod ipsis immunitas indulta servetur. Vobis tamen expresse iniungimus, quod ultra immunitatem huiusmodi eis inde concessam, ipsos a dictis talliis, quistis, caeterisque praestationibus excusari nullatenus permittatis. Rursus ipsorum Comitatuum petitio continebat, quod cum dicta civitas Niciae habeat defensum in territorio suo, quod factum est per homines universitatis ipsius, quod non potest, nec debet aliquod avere immitti, Hospitalarii, Templarii, et aliae diversae ecclesiasticae personae immittunt, seu immitti faciunt c ibidem avere ipsorum, ipsum tallando, seu dampnificando defensum, in ipsorum hominum dictae civitatis praeiudicium evidens et iacturam; cumque supplicatum proinde fuerit ibi exinde congruae provisionis remedio subveniri, vobis praedictis vicariis committimus iniungentes, quod circa id opportuno remedio providere curetis, praestando dominis dictae defensae circa tuitionem eius auxilium, et favorem, et alias, prout ad iurisdictionem vestram noveritis pertinere. Deinde quia per eosdem sindicos petebatur, quod quilibet debitor, qui solvendo non fuerit, tradatur curiae in persona, ut ipsum retineat quousque per eum ipsi creditori plenarie satisfiat, vel tradatur personaliter creditori, quamvis petitio ipsa, ut ponitur, eis per nos fuerit denegata, d volumus tamen, quod debitor retineatur iuxta formam iuris, si cedere bonis nolit. Postremo beneplaciti nostri est, et vobis firmiter, et expresse addiciendo mandamus, ut ordinationes editas per venerabilem in Xpo patrem dominum Petrum Dei gratia Arelatensem archiepiscopum, regni Siciliae cancellarium, in Comitatibus supradictis confirmatas per reverendum dominum genitorem nostrum, et vos ipsi servetis, et faciatis illibate servari, nec non omnia, et singula praemissa capitula, prout ad cuiuslibet vestrum officium ea spectare noscuntur. Praesentes autem literas, post earum inspectionem congruam, restitui volumus praesentanti. Datum Aquis, anno Domini millesimo ccc vi, die xii marcii, iiii indictione. Ipsius igitur universitatis in hac parte supplicatione libenter admissa, literas ipsas, et omnia quaecumque continentur in eis, prout videlicet facta, et concessa rite, et provide dignoscuntur, approbamus auctoritate praesentium, et ratificamus ex certa nostra scientia, et de speciali gratia confirmamus, salvis semper nostrae iuribus curiae, et alterius cuiuscumque personae, in cuius approbationis, ratificationis, et confirmationis testimonium praesentes literas fieri, et pendenti maiestatis nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Massiliae, anno Domini millesimo ccc viii, die x februarii, vi indictione: regnorum nostrorum anno xxiiii.

Constitutiones factae per dominum Petrum, quondam archiepiscopum Arelatensem, et regni Siciliae cancellarium.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes venerabili in Xpo patri Petro, eadem gratia, archiepiscopo Arelatensi, cancellario nostri regni Siciliae, familiari nostro, et fideli gratiam, et bonam voluntatem. Sicut efficax est ab homine exire quid, et quo scitur non habere sic confidenter quod inesse sentitur (*sic*). Cum itaque in comitatibus nostris Provinciae, et Forcalquerii quo versus in praesentiarum auditis quam pulchra pro bono praesertim statu fidelium nostrorum, partium earumdem facienda, corrigenda, et emendanda dicetur, nos diligencius attendentes quantas personas nostras virtutum, quantoque meritorum nitore laudabiliter decorantur, ac commensurantes, ymo iam indubitanter experti, quod esset bonum, vehementer, diligenter, atque certi, et intimo, et dilectionis, et devotionis zelo, quem ad nos per vos haberi constat, quod honorem nostrum, et commodum praecordialiter affectatis, fidenter vobis tenore praesentium committimus, et mandamus, ut in faciendis, corrigendis, emendandis illis ad honorem, commodum, ac bonum statum dictorum fidelium omnibus fieri, corrigi, dirigi, et emendari opus habentibus utamini usque ad nostrum beneplacitum, vice nostra. Datum Neapoli per Bartholomeum de Capua, militem, Loghothetam, et prothonotarium regni Siciliae; anno Domini millesimo ccc quarto, die xx marcii, ii indictione: regnorum nostrorum anno xx.

Petrus, miseratione divina sanctae Arelatensis ecclesiae archiepiscopus, regni Siciliae cancellarius, tenore praesentium notum facimus universis, quod serenissimus princeps dominus noster Hierusalem, et Siciliae rex illustris, ordinationes per nos olim cum praelatis pluribus, senescallo, et consilio comitatuum Provinciae, et Forcalquerii pro bono statu fidelium regiorum ipsarum partium editas per suas patentes literas aurea bulla maiestatis regiae communitas, in quibus ipsas ordinationes de verbo ad verbum inseruit, approbavit, et acceptavit

expresse, ac ex certa scientia confirmavit. Quarum a quidem literarum regiarum tenorem ad instantiam Iordani Badati, Raybaudi Olivari sindicorum Niciae, sub nostro sigillo iussimus, ut sequitur, exemplari. Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes universis tenorem praesentium inspecturis tam praesentibus, quam futuris. Ad subditorum nostrorum privata compendia pronis votis libenter attendimus, et quod est eis in commune proficuum cum operosa solertia libentius procuramus, quo fit ut ad utilitatem ipsorum publicam lectis affectibus nostra serenitas studiose promoveat, et iniciatam tam ab aliis eorum prosperi statu materiam ad votivum effectum firmae continuationis adducat. Sane venerabilis pater Petrus Arelatensis b archiepiscopus, regni nostri Siciliae cancellarius, domesticus, consiliarius, et familiaris noster, de conscientia nostri super ipsis instructus cum pluribus praelatis, senescallo et consilio nostro comitatuum nostrorum Provinciae, et Forcalquerii, pro bono statu, et tranquilla quiete subditorum comitatuum eorumdem ordinationes per distincta capitula edidit, quas cupientes firmum, atque perpetuum habere vigorem, per confirmationis nostrae suffragium, prout infra sequitur, providimus roborandas, et ipsorum capitulorum seriem de verbo ad verbum admittendam praesentibus, ut de illorum efficacia nichil latere conscientiam nostram iudicetur, apertius, et pateat evidenter; quorum tenorem per omnia subter annexa series particulariter exprimit, et distincte de- c clarat.

De sacramento praestando per vicarios, bavilos, et iudices Niciae antequam eorum officium exerceant.

Quod vicarii, bavili, iudices, et alii ad administrandam iustitiam ordinati sint circa observationem iusticiae, et ad ius reddendum magis soliciti, cum plus timeri soleat, quod in plurium praesentia est provisum, ordinamus quod amodo praedictorum singuli cum ad locum sibi decretum venerint, praestent priusquam officium sibi iniunctum exerceant, iuxta formam a iure statutam, publice iuramentum; per hoc autem universitatibus iurari debere per eos d non intelligimus, nec ipsis universitatibus, vel aliis personis singularibus super exigendo ab eis iuramento volumus ius novum acquiri.

Quod officiales non recedant infra decem dies post finem eorum officii.

Ne autem impunita ipsorum officialium culpa remaneat, statuimus, ut nullus praedictorum officialium post finem sui officii, et successoris adventum de locis, quae rexisse noscitur, recedere audeat, antequam decem, si per annum, vel viginti, si per biennium administravit, dierum numerus finiatur: et sic proportionaliter plus, vel minus, si maiori, vel minori tempore ministrasse noscatur, ita tamen quod tempus remanendi non arctetur infra octo dierum, vel ultra xxx dierum numerum excedatur, infra quos successor una cum iudice ordinario sibi dato, et alio de locis, in quibus gessit officium, per senescallum Provinciae adiungendo, seu altero eorum, si utriusque copiam habere non posset, querimoniam benigne recipiat propositam contra praecessorem ipsius, vel alias contra ipsum ex officio diligenter inquirat, et si vel per querelae propositionem, vel inquisitionem, ipsum de aliquo crimine notatum reperiat, procedat iuxta delicti qualitatem, et merita probatorum ad condempnationem, vel absolutionem, si de causa liquebit, aut personae retentionem, vel fideiussorum receptionem, ubi de causa non liquet, prout criminis diversitas hoc exposcet. Post tempus vero praedictum elapsum, liceat ei de loco recedere, procuratore dimisso pro causis inchoatis contra ipsum civiliter terminandis. Ut autem nulla fraus circa hoc committatur, a singulis officialibus senescallus recipiat iuramentum, quod praedicta contra suum in officio praecessorem agenda intendant solliciter, antequam assumat alia, per quae possent praemissis impedimentum afferri.

De appellationibus interpositis ad curiam regiam iudicum, praelatorum in temporalibus, et aliorum nobilium.

Quia de appellationibus, quas a sententiis iudicum, praelatorum in temporalibus, baronum, et aliorum nobilium comitatuum Provinciae, et Forcalquerii contingit, equidem emitti uniformis, et generalis definitio, an videlicet ad curiam regiam, vel ad ipsos praelatos, barones, seu nobiles alios appelletur, propter diversitatem conditionis personarum ipsarum, et iurium, quo ipsi diversimode habere se asserunt, dari non potest. Praecipimus singulis officialibus domini nostri regis per comitatus praedictos constitutis, quod contra privilegia, seu consuetudinem legitime, et rationabiliter praescriptam circa appellationes praedictas, ipsos praelatos, barones, et nobiles calumpniose, vel maliciose, seu colore aliquo maliciose quaesito, non turbent, sed secundum tenorem privilegiorum, vel consuetudinis, et debitum, eos de appellationibus ad ipsos interpositis cognoscere, vel iudices dare permittant. Quod si forte super ipsis privilegiis, seu consuetudine dubium inter curiam regiam, et praefatos praelatos, barones, seu nobiles aliquod oriri contingat, ordinamus, et statuimus, ut illud cognito summarie, de plano, sine strepitu, et figura iudicii per senescallum Provinciae, seu delegandum ab eo, vel per alium, ad cuius iurisdictionem pertinere continget, celeriter decidatur; ipsum autem delegatum si per eum cognoscatur, sportulas, stipendia, seu salarium etiam pro expensis, cum de eis curia sibi provideat, a praefatis praelatis, baronibus, seu nobis recipere prohibemus.

Quod officiales privilegia concessa observent, et quod nemo de possessione, seu quasi, eiiciatur. a

Quia privilegia principum decet esse mansura, praesentium serie omnibus officialibus regiis per comitatus Provinciae, et Forcalquerii, districte praecipimus, ut omnia privilegia praelatis, baronibus, castellanis, nobilibus, et aliis quibuscumque per inclitae recordationis dominum Carolum genitorem domini nostri Hierusalem, et Siciliae regis illustris, et comitis comitatuum praedictorum, seu per ipsum dominum nostrum dominum Raymundum Berengarii avum eius, seu praedecessores eorum in comitatibus praedictis, vel altero eorum concessa firma, et illibata conservent, nisi ex causa rationabili, et legitima sit recessum ab eis. Adiicientes, quod neminem de possessione, seu quasi, rerum, iurium, quae pacifice diutius possiderent praelati, et alii praenominati sine causae cognitione eiiciant, neque eis super ea praefati officiales, vel eorum aliquis, causa non cognita, molestiam indebitam inferant, vel gravamen, sed contra eos sic possidentes, vel quasi, curia regia civili experiatur modo, si se ius putat habere. b

Quod deliquentes ad locum maleficii remittantur per curiam regiam praelatis, et baronibus, et aliis iurisdictionem habentibus, et e contra.

Crimina, quae puniri magna ratio suadet, cum reperiri contingat, et ut poena pro ipsis imponenda c in maius cedat exemplum, iure rationabiliter statutum est delinquentes ad locum maleficii remittendos. Statuimus igitur, quod amodo in Comitatibus antedictis curia regia delinquentes, et homines regios in terris, seu locis praelatorum, baronum, vel aliorum iurisdictionem habentium ipsis praelatis, baronibus, et aliis huiusmodi iurisdictionem habentibus, ad requisitionem eorum, et e contra praelati, barones, et caeteri iurisdictionem habentes curiae regiae, cum immediate sibi subiecti delinquentur in casibus, in quibus est facienda remissio, fieri petitur; nisi fuisset in criminis inquisitione praeventum.

De cavalcatis, quae indicari non debent, nisi cum necessitas fuerit. d

Cavalcatae nobilibus, qui eas personaliter praestare tenentur, non indicantur, nisi cum necessitas imminebit, quod dominus, seu senescallus Provinciae arbitrari debet secundum iura, vel consuetudinem approbatam. Ubi autem illi, qui cavalcatas debent, in casu licito vocati fuerint, mostram coram illo, de quo dominus, vel eius senescallus ordinaverint, facere teneantur. Monemus autem praesentis edicti tenore singulos ad cavalcatas astrictos, ut sicut status eorum, et obligatio hoc exposcit, sint muniti equis decenter, et armis, cum propter obligationem, et necessitatem istud eorum deceat honestatem.

De negligentia nobilium iurisdictionem habentium.

Propter praelati, baronis, vel alterius iurisdictionem temporalem habentis negligentiam ad curiam regiam, utpote superiorem, est in eo casu in quo fuit negligens, iurisdictio devolvenda, nullum ex hoc in alio casu, in quo negligentiam non commiserit, praeiudicium generando. Tunc autem potest merito negligens iudicari, cum expresse dixit se nolle iustitiam facere, vel requisitus per regem, et competenti statuto termino, ius reddere non curavit, seu etiam ubi delinquentem, cuius est crimen notorium, vel manifestum, tractat familiariter, et eidem favorem impendit, cum ex hoc criminis particeps valeat iuste censeri.

Quod satisfiat iurisperito de consilio per illum ad cuius instantiam petitur.

Quia super lite, quae inter fiscum, et privatum vertitur, est per iudicem consilium a iurisperito aliquo requirendum, ille ad cuius instanciam petitur, satisfaciat de salario consilium impendenti si neutra partium consenciat, solvat iudex, qui electus est, ut peritus. Ab illo autem consilium peti vetamus ad quem potest per appellationem causa devolvi; quod et inter privatos volumus observari.

Satisfaciat notario de actis illa pars, quae acta recipiet.

Notario satisfaciet pro actis illa pars, quae acta ab ipso recipiet; pro dictis vero, quas facit ad procuratoris fisci instanciam, fisci adversarius nichil dabit, sed, si utroque requirente, notarium extra locum ubi exercet officium ire contingat, solum pro dimidia sumptuum eidem, qui cum fisco litigat, respondebit.

Liceat senescallo causam fiscalem excedentem decem libras committere, non obstante absentia procuratoris fiscalis.

Ne autem propter procuratoris fisci absentiam causas plus debito prorogari contingat, ordinamus, ut iuxta domini nostri regis statutum, videlicet cum litis extimatio infra x librarum quantitatem subsistit, eo non vocato; cum vero quantitas excedit, eo vocato, iudex, coram quo ex sui natura movetur, causa procedat. Procurator vero per se, seu per substitutum ad causam agendam veniat, nec calumpniose se substrahat, ne litem ex hoc plus debito differri contingat. Senescallo autem liceat, non obstante procuratoris contradictione, causam fiscalem, si hoc expedire videbitur committere, ut per aliam examinationem continue intendentem, vel ad loci, de cuius forte finibus agitur, praesentiam attendentem causa citius terminetur.

De latis.

Lata, quae plus consuetudine quam iure scripto debetur, rationabili locorum consuetudini, quam ex locorum diversitate difformiter praecepimus exigi, relinquatur; sic tamen, quod per usum a decem annis citra servatum nullum circa eam exigendam adminiculum praebeatur.

De apparitoribus pro executione sententiarum.

Cum pro executione sententiarum, seu multarum apparitores mittere contingat, unus regulariter, vel duo, si necesse sit, nisi propter resistentiam, et contradictionem illius contra quem mittitur maior numerus necessarius iudicetur, sed attendant iudices, ne circa hoc fraudem comittant, necessitatem, ubi non est, allegantes, cum praeter poenam puniri, quam iniuste gerendo partem incurrunt, ad interesse parti laesae, utpote qui litem suam faciunt, eos teneri praesentis edicti serie declaramus.

Apparitor pro suo salario de XII *denariis sit contentus.*

Apparitor vero pro die quocumque executiones, vel pignorationes faciat duodecim denariorum refforciatorum salario sit contentus; plus autem etiam a pluribus exigens de officio amotus perpetuo duplum illi a quo exegerit restituere compellatur.

Amoveatur bavilus de locis in quibus curia regia proprietatem non habet.

Iuxta domini nostri regis statutum circa hoc alias editum, bavilos de locis in quibus curia regia proprietatem non habet praecipimus amoveri.

Si animalia adventicia, quorum dominus nescitur, inveniantur in terris praelatorum, baronum, et aliorum iurisdictionem habentium, stent antiquae consuetudini.

Circa animalia advena, seu advenientia, quorum scilicet nescitur dominus, stari volumus antiquae consuetudini. Praecipimus, ne super hiis, quae in terris praelatorom baronum, vel aliorum iurisdictionem habentium, reperire contingat, ipsi praelati, et barones per regiam curiam molestentur.

De illo, qui transfert domicilium de uno loco ad alium.

Qui de una civitate, vel castro ad locum alium domicilium transferunt realia, et quae personis pro rebus inducuntur, pro possessionibus, quas habent, in loco unde se transferunt, munera subire coguntur. Domini vero locorum, qui prius inhabitant ius

a sibi bona se transferencium retinendi non habent nisi essent ascriptitii, seu servi vulgariter *angarari*, aut de corpore, vel casalagio homines censerentur, vel nisi bona ipsa essent alias rationabiliter obligatas.

Captus sine culpa pro carcere nichil solvat.

Qui sine culpa captus fuerit, pro iure carceris nichil solvat, ne iniuste afflicto et gravato afflictio, et gravamen addatur.

Mendicantes nulla stabilia, vel immobilia obtinentes in fogagiis nichil solvant.

Mendicantes, qui nulla stabilia, vel immobilia
b obtinent in fogagiis non conferant, nec in focula-riorum numero computentur, cum sit eis potius tribuendum.

Curia fogagia recipiat in locis, in quibus recipere consuevit.

Ipsa vero fogagia curia recipiat in locis, in quibus recipere consuevit, nec sine causae cognitione compellat aliquos ad solvendum, quos in quasi possessione libertatis non solvendi esse constabit. Et si forte aliqui sint, qui se gravari ex fogagiorum receptione in totum, vel in parte querantur, fiat eis iusticia brevis, summarie, et de plano, vocato procuratore fiscali: interim dum causa agitur curia in
c quasi possessione percipiendi, in qua fuit diutius, remanente.

Quod curia regia non recipiat homines praelatorum, et nobilium.

Ne curia regia homines praelatorum, baronum, vel aliorum domicilium non mutantes, sed sub eisdem dominis remanentes, et continue habitantes in homines regios recipiat, ut eos quasi homines regios contra praelatum, baronem, vel alium nobilem tueatur, cum hoc ad iniuriam, et gravamen praelatorum, et aliorum dominorum fieri principaliter videatur: et quod in contrarium factum est revocetur districte iubemus.

d

Quod nuncii praelatorum, ac nobilium euntes ad pignorandum, possint arma portare.

Hiis, qui iurisdictionem talem habent, per quam eis competit personam, vel pignora pro executione capere, liceat infra suum territorium pro executione huius, si aliter eam commode, vel tute exercere non possent, per se, et comparitores suos ad hoc necessarios arma portare.

Quod inquisitiones fiscales breviter terminentur.

Quia quaestiones fiscales, quarum instancia lapsu non perit triennii, plus debito interdum propter ad-

vocatorum maliciam, seu impericiam, dum videlicet iudiciarii ritum ordinis non observant, prorogari contingit in grave dampnum fisci, et subiectorum, qui in causis substancias suas pro magna parte consumunt, quod contra domini nostri regis intentionem, qui more pii, et iusti principis se abundare iudicat locupletibus subiectis utendo, fieri novimus: ordinamus, et statuimus ex potestate praemissa, et ipsius domini regis dispositione esse censemus, ut amodo in causis fiscalibus, sive per fiscum privato, sive per privatum fisco eas moveri contingat, ex necessitate iudiciorum solempnitas non servetur, sed in eis procedatur summarie, et de plano, nec ex praeposteratione, omissione soliti iudiciarii ordinis, qui potius ritum, et solempnitatem, quam substantialia causae respicit, nulli processus, seu sententia censeantur.

Quod quaerimonia delictorum factorum in viis publicis de terra praelatorum, et nobilium fiat senescallo.

Licet delicta in viis publicis, locis religiosis, et sacris, seu divino cultui deputatis, et in personas clericorum, seu religiosorum commissa, tam dominus noster rex, quam praedecessores eiusdem, utputa ad eos, seu eorum iurisdictionem iure regali pertinencia punire consueverunt ab antiquo; quia tamen nonnulli praelati, barones, et nobiles Comitatuum praedictorum, de praemisso, quasi ad eorum cognitionem ea, vel ex eis aliqua debeant pertinere, queruntur, ordinamus ut illi, qui de iure suo coram senescallo Provinciae, vel delegando per eum, quaerimoniam deferre voluerint, vocato procuratore, et advocato fiscali, audiantur summarie, et de plano; servata forma, quae in examinatione, et decisione causarum fiscalium est statuta.

Quod familia praelatorum, et alii clerici debite viventes, gaudeant privilegio clericali.

Quia tamen per aliquos officiales circa personas clericorum, et determinationem itinerum publicorum, calumpnias, et molestias indebitas ipsis praelatis, baronibus, et nobilibus aliis ingeri, relatu multorum, audivimus, praesentis edictionis tenore describimus, praelatos, et quoscumque in sacris ordinibus constitutos, nec non alios simplices clericos non coniugatos, vitam clericalem agentes, et eorum familiam necessariam, et honestam, quae sine fraude, et fictione qualibet praelatorum, et clericorum sumptibus victus, et vestitus continue serviciis ipsorum insistit, clericorum appellatione censeri. Clerici vero extra sacros ordines constituti, qui ad serviendum in taberna publica operas suas locaverint, vel manifeste usuras exercent, aut officio macellarii, lenonis, seu parandis propriis manibus pelles, et coria principaliter vacant, et qui, relicto habitu clericali, gestare arma militaria non verentur, illi etiam, qui nec in modo tonsurae, nec vestimentorum

a forma de clerico quicquam ostendunt, et qui temporalibus, ac inhonestis, quae clericorum professionem adversantur, negociis, divinis officiis praetermissis, intendunt, quantum ad praemissa pertinet clericos non censemus. Praesentem autem declarationem ad praemissum referimus dumtaxat articulum, nec intendimus, ut ad alia ipsis clericis, quoad forum, vel aliter indulta privilegia extendantur, nisi quantum canonica statuta permittunt, nec illos quos expressimus clericos non censendos sine tutela dimittimus, cum ad puniendas eisdem factas offensas, iudices offendentium, et locorum in quibus offensa committitur, et in eorum defectum, si offendens iurisdictioni temporali sub se curia regia ad huiusmodi crimina coercenda non desint, sed
b ipsos potius per spiritualis tuitionis promissum ad meliora vitae, et ad vitandum clericalis professionis obprobrium invitamus.

De viis publicis.

Vias vero publicas iuxta iuris interpretationem edicimus, quae ad mare, flumen publicum, et navigabile, urbem, seu castrum territorium distinctum, et limitatum habens, aut aliam publicam viam, quae militaris interdum exitum habere probantur alias, aut quae videlicet de agro ad ad agrum ducunt, seu de vico ad vicum territorium non habentem, licet earum non extet memoria, carrerias, quae etiam infra civitates, castra, vel burgos, et subur-
c bia constitutae sunt, licet de iure publicae nominentur, quoad praesentem materiam publicarum censemus numero non haberi. Sed qui per viam incedens publicam ex eiusdem viae malicia, seu immundicia, vel ex alia causa iusta per agros vicinos iter continuat facere, publicae viae sequens etiam extra viam publicam non videtur. Si autem pro aliquo in vico, seu agro visitando, seu causa abreviationis viae ab itineris publici conspectu recedat, vel necessitate, aut utilitate cessante secus viam publicam ingrediatur vicinia praedia, dans dampnum in eis, et ubi praesertim per bannerios, seu alios custodes agrorum quomodolibet offendatur, non reputabitur in via publica offensa commissa.

d *De pastoribus rixantibus in via publica gregem custodientibus.*

Si pastores, et gregem iuxta viam publicam custodientes, vel cultores agrorum invicem in via rixentur publica, vel rixantes in agro incidant in eadem, non debent ad curiam iure regali pertinere.

Per praemissa vero, vel aliqua praemissorum detrahere non intendimus, sicut nec possumus, nec debemus iuri, siquidem praelatis, baronibus, universitatibus, vel personis aliis per conventiones, privilegia, aut consuetudinem praescriptam legitime, vel aliter rationabiliter in contrarium esset quaesitum. Hanc igitur ordinationem, quam ad cohibitionem excessuum reformationem provinciae, ac

bonum statum fidelium regiorum, auctoritate regia fecimus, per vos inviolabiliter eadem auctoritate servari mandamus. Datum Aquis, anno eod.: die duodecimo mensis novembris, terciae indictionis.

Confirmatio praedictorum statutorum.

Nos itaque eorumdem subditorum Comitatus Provinciae, et Forcalquerii, sicut specialis, et hereditarii nostri peculii, zelantes commoda, et praedictorum eorum augmenti prosperi affectantes, praemissas ordinationes, et capitula approbantes, et acceptantes; expresse ea integraliter, et in omnibus earum partibus de certa nostra scientia confirmamus, decernentes auctoritate praesentium illa in dictis comitatibus firmum, et perpetuum habere vigorem, ac iniungentes firmiter senescallis ipsorum comitatuum, ac officialibus aliis, ad quorum pertinebit officium, praesentibus, et futuris, quod praefatas ordinationes, et capitula tam in iudiciis, quam extra iudicia, prout res exigit, observent tenaciter, et faciant ab eorum subiectis intransgressibiliter conservari; dignum est enim, ut quod bene provideque statuitur, assertis suffragiis roboretur efficaciter. In cuius rei testimonium, praesentis nostrae apparitionis, acceptationis, confirmationis, iniunctionis, atque decreti scriptum fieri iussimus, et appensione bullae aureae nostrae maiestatis impressae typario communiri. Datum Neapoli per Bartholomeum de Capua, militem, logothetam, et prothonotarium regni Siciliae: anno Domini millesimo ccc. v, die xii septembris, quartae indictionis: regnorum nostrorum anno xxi. In cuius exemplationis, sive transumpti testimonium sigillum nostrum ad instanciam ipsorum sindicorum praesentibus duximus apponendum. Datum Aquis anno Domini millesimo ccc. vi. Decimosexto kalendas aprilis, pontificatus domini Clementis Papae quinti anno primo.

Declaratio statutorum regiorum, ex modificatione eorumdem, super officio notariorum, et creditorum, praesertim usurariorum.

Iohannes Cabassola, miles, iuris civilis professor in comitatibus Provinciae, et Forcalquerii, iudex maior, et domini senescalli eorumdem comitatuum locumtenens vicariis, et iudicibus Aquis, Draguignani, Dignae, Sistaricae Grassae, comitatus Vintimilii salutem, et amorem sincerum. Constitutiones, quas inclitus princeps, dominus noster Carolus primogenitus illustris Hierusalem, et Siciliae Regis, dux Calabriae, ac eius in regno Siciliae, et comitatu Provinciae, et Forcalquerii vicarius generalis nuper edidit pro communi commodo subiectorum, unam in illis inferius specialiter, et expresse, per quam certam formam notariis comitatuum praedictorum tradidit in scriptis continentem linearum numerum, ac etiam dictionum, quam ad nostram noticiam credimus pervenisse, et certum salarium statuit propterea exhibendum. Volens amputare super exactiones inhi-

a bitas, quas notarii ipsi ab olim pro redimendis scripturis facere consueverant, subiectos quam plurimum aggravando, quam sub poena periurii notariis irrefragabiliter observare praecepit. Et quia in observatione literarum, et potissime dictionum, quod nichil ommitterentur; ex hiis ipsis notariis parari iudicium videbatur: de sui fama soliciti super hoc querebantur, super hoc fore dubium asserentes, et difficile per ipsos posse servari pro eo quod reverendus pater divina providencia sanctae Arelatensis Ecclesiae archiepiscopus, ac regni Siciliae cancellarius, qui statuentis mentem novit constitutionem ipsam auctoritate regia suarum literarum serie declaravit, et illam nobis misit sigilli sui impressione fideliter sigillatam, et per universam Provin-
b ciam publicari mandavit, quam reverenter recepimus, et ipsius constitutionis declarationem per praedictum dominum cancellarium nobis missam. Ecce vobis misimus per omnia continentiae infra scriptae praevia cum deliberatione consilii circa moderationem precii, seu salarii pro scripturis tribuendi, inclitus princeps dominus Robertus primogenitus illustris Hierusalem, et Siciliae Regis, Dux Calabriae, ac eius in regno Siciliae, et comitatibus Provinciae, et Forcalquerii vicarius generalis certo modo providet, in qua provisione iuris carta, seu folium certum continet numerum linearum recipiant inhibi notarii quantitatem expressam. Nunc vero notarii, et qui ad observationem ordinationis huiusmodi debeant per iuramentum astringi, et queruntur, ut
c pote de sui fama soliciti, deinceps praesertim, quoad vocem populi sibi parari periurium, cum difficile et grave sit tenere numerum linearum, et maxime dictionum, quod nichil obmittatur ex eis; nam calami, et atramenti mutatio coronaliter, vel angor frequenter ex eis similitudinis scribendi prohibet puritatem circa praemissa salubris providere. Nos igitur, qui mentem novimus statuentis, intendentes prius intentioni servire, quam verbis, praesentium serie declaramus, quod si notarii dictorum, vel etiam ad industriam dummodo proportionabiliter tanto minus praecii recipiant quantum de numero linearum, vel dictionum amittitur, non observent, non ideo debeant censeri periurii, vel si fortassis in duabus lineis tot dictiones, aut in dua-
d bus paginis tot lineas ponere volunt, quot in una ponere debuerunt, recipientes sicut pro una dumtaxat pagina, mentem huius non offendunt; adverbia vero, coniunctiones, praepositiones, interiectiones, vel monossilabas, et nomina, vel cognomina cum sit spatium scripturae, dicimus dictionis vocabulo contineri, vel comprehendi.

Ad haec quia de notis ante praesentem ordinationem receptis, nec tamen in mundum redactis, vel etiam instrumentis nondum partibus assignatis, posset in antea statutum extendi, debeat imposterum dubitari; ecce describimus, quod cum potius ad moderationem debiti, quam ad editionem iuris novi statutum huiusmodi dirigatur, ad scripturas vocatorum instrumentorum, vel actorum, iam factas

etiam, dummodo de praecio satisfactum non fuerit, a
vel sponte conventum, rationabiliter extendi. Vos igitur requirimus, et rogamus, regia nichilominus auctoritate mandante, ut praefatam declarationem, interpretationem observetis, et faciatis inviolabiliter observari, per hoc tamen poenae statuti si quid contra illud sic intellectum committeretur, in nullo intendimus derogare. Quo circa discretioni vestrae expresse mandamus, quatenus statim post receptionem praesentium declarationem praedictam per terram, et loca vobis subdita publice divulgantes, ne aliquis causam ignorantiae praetendere valeat in eadem, et vos servetis eam, et faciatis illam ab aliis observari inviolabiliter; cauti attencius quod de publicatione earum pateat per publicum instrumentum, ut nullum imposterum proinde dubium b
valeat exoriri. Sane quia iure constitutiones praefatas mitterentur, per quas expresse cavetur, ut quandoque debitum, vel pars debiti creditoribus, et praesertim usurariis solveretur, instrumentum originale totius debiti continens quantitatem debitori solventi, creditores restituere teneantur, sufficienti cautela de residuo dicti debiti per debitorem noviter creditori facta, et super hoc periculum immineat creditoribus, qui contractus faciunt sine vitio usurarum, ad quod constituens suum intuitum non direxit, de conscientia, et mandato domini Arelatensis archiepiscopi, et regni Siciliae cancellarii literatorie nobis facto, qui mentem instituentis, ut praemittitur, plene novit constitutionem ipsam, de parte solvet debiti exprimente, serie praesentium c
declaramus videlicet, quod illa ubi pars est debiti persoluta, extendatur dumtaxat quoad usurarios manifestos, vel qui de usura rationabiliter sunt suspecti, et contra quos super hoc est fama communis, qui ex retentione instrumentorum huiusmodi debitores suos soliti sint aggravare, quos nisi constitutionem ipsam servaverint, poenis in eadem adiectis subiacere volumus, et iubemus. Creditores reliquos, qui super usurarum voragine suspecti rationabiliter non habeantur, ubi solum partem aliquam eius debiti receperunt non comprehendi sub illa de praedicti reverendi patris conscientia declarantes, et expressius iniungentes, ut declarationem huiusmodi in forma publica publicetis, et faciatis a vestris subditis inviolabiliter observari: praesentes autem d
literas post convenientem inspectionem earum quantum opportunum fuerit, et earum tenore in vestris curiis regestrato, restitui volumus praesentanti. Datum Aquis, anno Domini millesimo CCC VI, die quinta iunii, IIII indictionis.

STATUTA REGIS ROBERTI.

Statuta, et constitutiones factae per illustrem dominum Robertum Dei gratia primogenitum domini Regis Caroli secundi, ducem Calabriae, et dicti regni vicarium generalem.

Robertus illustris Hierusalem, et Siciliae Regis primogenitus, Calabriae Dux, eiusque in regno Siciliae, ac Comitatibus Provinciae, et Forcalquerii vicarius generalis senescallo, vicariis, bavilis, iudicibus, clavariis, et universis aliis officialibus regiis, et per comitatus eosdem constitutis, tam praesentibus, quam futuris paternis fidelibus, sibique devotis cum sincera dilectione salutem. Nostro tempore laboravit hactenus, nec laborare cessat ipsius, ut praedilecti fideles paterni Comitatuum Provinciae, et Forcalquerii ipsius, dictique domini genitoris nostri, et nostrum peculiare patrimonium, post labores multiplices, pro quo eiusdem patris nostri fideles substinuerunt, officialium transgressionibus, praedisque cessantibus, resumerent quietis, et pacis (*sic*). Adveniente igitur acceptabili tempore, quo noster affectus producatur in actum, eiusdem vicariatus auctoritate, qua fungimur, de salubribus remediis per ordinationes subscriptas duximus providendum.

Quantum, et qualiter recipere debent notarii pro scripturis.

In primis, ne notarii, seu tabelliones publici instrumenta, et acta publica perscribentes immoderate gravent subiectos, et fideles regios, sicut frequenter per nonnullos factum esse comperimus, statuimus, ut ipsi tabelliones, vel notarii pro instrumentis, quae facient, sub hac forma recipiant pro singulis cartis ab una parte integraliter scriptis, in quorum qualibet parte sint XXVI lineae, et singulis lineis sint XIII dictiones, denarios sex dumtaxat. Et ubi essent cartae, et receptiones testium conscriptae, qui ibi plus laborant, recipiant denarios octo pro medio folio ab uno latere scripto, in formam cedularum denarios III, ita tamen quod cedula quaelibet, L lineas habeat. Pro instrumentis autem publicis continentibus pergamenum unum minoris formae, V solidos, mediocris formae, VIII solidos, maioris formae, XII solidos, et ipsum maioris formae contineat lineas LX, et dictiones XXX in singulis lineis praefatis, et sic proportionantur maioris, et mediocris formae, et de continentibus medium, vel quartum pergamenum. Et ad hoc observandum quilibet tabellio per iuramentum astringatur. Qui vero contra iuramentum recipit statutum, ut et suae salutis immemor, violando, duplum restituat parti, quam immoderate gravavit, et ut periurus officio perpetuo sit ipso iure privatus, ut dictum statutum efficax observetur.

Ut iudices, et notarii lucrum actorum non participent.

Ordinamus, ut quilibet iudex ordinarius, vel delegatus in manibus senescalli iurare debeat, quod cum notarius, qui coram eo acta perscribet lucrum, non partecipabit actorum; nichilominus in qualibet vicaria, seu bavilia in loco videlicet ubi iudex, vel vicarius, seu bavilus residere principaliter conve-

nit, constituant per vicarium, seu bavilum, cum a consilio bonorum virorum, tres viros fideles, opinionis probatae, in talibus experti, qui unus, vel duo ex eis si dubium circa observationem praesentis statuti aliquid oriatur illis, suo arbitrio determinent; declarent autem praedicti tres viri et iuramentum manu dicti vicarii vel bavili praebeant, quod quae orientur dubia recte secundum conscientiam determinabunt, postposito odio, vel amore.

De officialibus in loco proprii domicilii non creandis.

Praecipimus etiam, ut iuri convenit, et iam per dictum genitorem nostrum intelleximus ordinatum, ne vicarius, iudex, vel bavilus iurisdictionis exer- b citium habens, aut notarius tabularium tenens amodo creari debeat, cui de vicaria, seu bavilia ipsa, ubi gerit officium, sit origo. Et illos, qui contra praesentem constitutionem nunc in officiis existunt, amoveri iubemus, ipsis, si sufficientes sint, et bene se gesserint, in locis aliis collocandis. Hoc autem statutum extendi volumus ad illas civitates, quibus ex conventione speciali est contrarium ordinatum, ad hoc, quod locus religiosus in locum negociationis converti non debeat.

Ne in cimiteriis forum fiat.

Praecipimus, ut iuxta ordinationem Gregorii papae factam in concilio Lugdunensi (1), cessent in cimite- c riis negociationes, praecipue nundinarum, et fori cuiuscumque tumultus, adiicientes, ut in civitatibus, castris, vel villis, in quibus contrarium fieri consuevit per officiales ipsarum civitatum, et castrorum, ac villarum ipsarum locus alius conveniens huiusmodi deputetur. Qui vero praesentem ordinationem, publicationem, quam in singulis civitatibus, castris, et locis per vicarios, et bavilos iubemus fieri, contra fecerint, dimidia parte mercium, seu rerum, quas causa negociandi ad cimiterium portaverint, sint ipso facto privati, curiae applicanda.

Iudaei, ac infideles officium medicinae non exerceant (2). d

Quia vero ad curam infirmorum tales vocandi sunt, qui non tantum corpori medelam, quantum animae monita debent salutis conferre, districte praecipimus, ut iuxta quod est in sancta Sinodo sacris canonibus institutum, nullus in infirmitate vocare debeat medicum Iudaeum, vel alterum infidelem, vel ab eo, seu eius consilio recipere medicinam, nec per senescallum, vel officialem alium Iudaeo, vel alii a fide devio praticandi iter nec imposterum concedatur. Et si forte alicui antequam concessa causa, decernimus non teneri, revocantes eumdem, quantum de facto processit. Iudaeus vero, qui contra praesentem ordinationem vocatus accesserit, in decem libras refforciatorum poenam incidat nostrae curiae applicandam, quod si solvere nequiverit, corpore eum castigari iubemus; vocans vero fidelis arbitrio iudicis, cuius iurisdictioni subest, puniatur: et etiam nulla sit inter Xp̄ianos, et Iudaeos communio.

De macello Iudaeorum.

Statuimus amodo macellus Iudaeorum sit a macello fidelium separatus, ne carnes a Iudaeis in iudaico more maccatas, et forcatas, eo accepto, quod eis necessarium est; quasi superfluis venditioni expositis, si Xp̄ianus emi contingat, qui quidem indignum, et noluit sacrilegium, seu cruentum omnia ab illis ea, quae per fidelium manus parata sunt, indecenter immunda, ac si inferiores reputationem esse inciperent astricti, si ab ipsis dividit habitus distinctos ostendat (*sic*).

Iudaei signum portare tenentur, ut discernantur a Xp̄ianis.

Statuimus, ut iuxta canonica sancta instituta, Iudaei signum portent notabile, apparens rota, seu circulum in medio vestis superioris, sic quod Iudaei palam possint et per hoc a fidelibus distingui. Qui vero non portaverit, veste superiori sit ipso iure privatus, cuius vestis dimidia curiae, et alia media delatori querenti. Sed per hoc iuri illorum praeiudicium inferre nolumus, quibus ex statuto, vel consuetudine praescripta, sicut in aliquibus locis esse asseritur, vestis huiusmodi consuevit agi.

De notariis eligendis ad inquisitiones faciendas.

Quia quod districte, et specialiter iniungitur, diligentius custoditur, et frequenter negligitur quod cum aliis curis teneretur. Praesentis edicti tenore mandamus, ut in singulis vicariis, seu baviliis, in quibus sunt multi notarii, tabularii per curiam constituti duo, vel unus saltem, et secundum notariorum numerum, et multitudinem vicariae, seu baviliae, ad inquisitiones faciendas, sic quod in aliis curiae processibus, nisi in subsidium, aliis scilicet deficientibus, se occupare non debeant, per vicarium, seu bavilum ordinentur. Considerantes quod ex prorogatione litium, et multiplicatione processuum patet vos nimis expensis aggravari sentimus, ut plurimum negligentia, vel interdum malicia iudicum hoc con-

(1) Hic est canon xxv concilii Lugdunensis secundi, habiti anno 1274. — Verba canonis de hac re concepti ita se habent: » cessent » in Ecclesiis earumque coemeteriis negotiationes, et praecipue nun- » dinarum, ac fori cuiusque tumultus ».

(2) Hoc capitulum et quae sequuntur, de Iudaeis, consona sunt decretis latis a synodo provinciali Biterrensi celebrata anno 1246, aliisque conciliis praecipue in Gallia Narbonensi circa illa tempora habitis. V. Sacrosancta concilia per Labbeum et Cossartium edita, tom. xi, pars 1.

tingat cum vel velut iam iudex inveniatur, qui litem possit, invito iudice, prorogare.

De appellatione causarum, et processuum in actis redigendis (sic).

Statuimus, ut quilibet iudex ordinarius coram senescallo, vel eius locumtenente, delegatus vero coram delegante iuramentum praestet, quod ad abbreviationes causarum, et processum, amotis calumpniosis, et frustratoriis dilationibus, intendet diligenter; specialiter autem ad causas appellationum, quae de condempnationibus pecuniariis factis pro excessibus, seu criminibus, vel in causis civilibus emittuntur, quia in eis frequentius fideles regios gravamina sentire percipimus. Ad tollendam communem prorogationis materiam, sic consulte praecipimus, et duximus providendum, ut videlicet appellans postquam processum causae principalis a iudice, a quo appellatur, acceperit, quam in triginta dies ad longius ad instanciam appellantis teneatur tradere iudex ipse appellationem cum processu iudici, ad quem appellavit infra xxx dies, nisi iudex, a quo appellatur, breviorem ex causa statuerit terminum irrefragabiliter, ac praesenter, et instanter postulet in causa procedi. Oblatio vero appellationis, et processus huiusmodi petitionis, et contestationis litis obtineat vincere, iudex autem appellationis, recepto processu, et appellatione praemissis, utrique parti decem dierum praefigat terminum peremptorium, infra quem utraque pars quidquid de facto intendit priori processu dicere, vel proponere teneatur; sic quod non audiatur ulterius, nisi esset acquisitum noviter, vel de novo ad eius noticiam pervenisset. Sed terminum praedictum decem dierum appellationum iudex ex causa possit semel tantum secundum locorum distantiam minuere, vel augere. Praesens autem statutum quantum ad praefinitionem temporis, quo est processus appellationis oblatio facienda, nolumus ad alias appellationes extendi, praeter quas dominum regem extra Provinciam existentem adire necessario oporteret.

Quod officialibus non residentibus gagia non solvantur.

Ad haec enim intelleximus, quod omnem ordinationem regiam clavarii, officialibus regiis pro tempore, quo ab officiis absque senescalli, vel superioris licentia se absentant, solvunt, cum tamen solvere non deberent. Statuimus, et inhibemus Provinciae rationalibus, qui nunc sunt, vel pro tempore futuro fuerint in ratione thesaurarii, vel clavariorum solutionem gagiorum officialibus factam, non admittant, nisi fide facta, quod praesentes in officio fuerint, vel ex legitima causa eo tempore, pro quo gagia soluta dicuntur (1). Ad fidem autem faciendam de residentia vicarii, si in dubium revocetur, sufficit iuratoria assertio iudicis, et unius notarii curiae; et circa residentiam iudicis, vicarii cum uno ex notariis suis, iuramento stetur, ubi tamen vicarius, iudex, notarius non habeant locumtenentem, quod dispositionem, seu assertionem suppleant eius vices.

Quod serventur statuta domini Arelatensis archiepiscopi, cancellarii.

Ad nostram pervenit noticiam, quod statuta, quae per reverendum patrem dominum Petrum, sanctae Arelatensis ecclesiae archiepiscopum, regni Siciliae cancellarium pro bono statu Provinciae, ordinata, et per celsitudinem regiam confirmata ab officialibus non servantur, iubemus, ut officiales singuli in manus senescalli iurare debeant, se praesentia statuta inviolabiliter observaturos, et in litera commissionis officii de iuramento huiusmodi praestito specialis mentio habeatur. Qui autem praesentia, et praedicta non servaverit, officiis, et honoribus publicis, ut periurii, perpetuo sint privati.

Quod notarii per substitutum sine senescalli licentia non serviant.

Quia cuius personae industria eligitur per se servire tenetur, ne notarius, seu tabularius, qui propter merita personae debent ad officium ipsum assumi, substitutum ponere, vel lucrum, quod ex officio tabularii, seu inquisitionis alicuius scribendae, ipsum vendere valeat, hoc edicto in perpetuum valituro, iubemus. Concedimus siquidem, ut senescallus, vel eo superior possit ad tempus pro necessitatibus curiae aliquem notarium etiam tabularium habentem ad servicia alia curiae evocare, posito idoneo alio loco sui, quamdiu ipsum, ad quod notavit ipsum, servicium diu tenuerit. Notarii vero, qui contra praemissa, vel aliquid praemissorum fecerint, ipso iure officio sint privati.

De instrumentis reddendis per creditores, parte debiti soluta.

Creditorum, et praesertim usurariorum fraudibus obviare volentes, statuimus quandocumque debitum, vel pars debiti solvetur eisdem, ipsi instrumentum originale, in quo tanta debiti quantitas continetur, debitori solventi restituere teneatur, licet etiam instanter hoc debitor non petat. Si tamen ubi pars debiti remaneret, fiat pro ipso debito residuo per debitorem sufficiens creditori cautela. Creditor vero, qui contra huiusmodi statuti tenorem tenuerit, pro qualibet libra ipsius debiti in instrumento contenti curiae solidos x nomine poenae solvat, in quam poenam incidat ipso facto; quod etiam fieri volumus, nisi infra duos menses a tempore publicationis praesentis edicti computandos creditores, qui debitum, vel partem debiti receperint, iuxta praesentis

(1) A codicibus lectio imperfecta exhibetur; supple verbum *abfuerint* et sensum probabilem reddes.

editi statuti formam restituerint instrumentum, vel a solutionem obtulerint reddere, et apud publicam personam deposuerint, ubi non invenerint cui reddant.

Ut haec autem ordinationum nostrarum summa, quam sub dissimulatione transire nolumus, in singulorum noticiam veniat, sic quod nullus ignorantiae causam allegare praesumat, vobis senescalle, auctoritate qua fungimur, districte praecipiendo mandamus, quatenus illos statim per famosas terras, et per loca comitatuum eorundem, ubicumque expedire videritis, publice divulgari faciatis, et deinde tam vos, quam officiales alii praesentes quidem, et successive futuri, sic observetis, et observari faciatis. Ordinationes earumdem, quod non poenarum contentarum in ipsis factis obnoxii, nec paternae, ac bonae voluntatis, ac subditos temerarie b corruptores valeatis iuxta nostrum propositum invenire. In quorum omnium testimonium praesentes fieri iussimus literas nostri sigilli pendentis munimine communiri. Actum Massiliae, et datum ibidem, anno Domini millesimo ccc vi, die vi maii, indictione iiii.

Quod notarii tabellionatus officium exerceant papali, aut regali auctoritate fulciti.

Robertus primogenitus illustris Hierusalem, et Siciliae regis, dux Calabriae, ac eius in regno Siciliae, et comitatu Provinciae vicarius generalis bavilis, et iudicibus comitatus Vinctimilii praesentibus, et futuris salutem, et dilectionem sinceram. Volumus, c et dilectioni vestrae mandamus quatenus, statim receptis praesentibus, inhibeatis expresse sub certa, et formidabili poena pecuniaria notariis publicis dicti comitatus, qui non sunt auctoritate apostolica, vel regia approbati, quod ipsum notariatus officium, seu tabellionatus exercere aliquatenus non praesumant, poenam ipsam ab eis, exinde si contra fecerint pro parte regiae curiae irremissibiliter exacturi. Datum Aquis, anno Domini millesimo ccc vi, die xxi aprilis.

Statuta domini Roberti regis Hierusalem, et Siciliae.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, d ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes senescallis, maioribus iudicibus, vicariis, et clavariis, aliisque officialibus maioribus, et minoribus pro dictis comitatibus constitutis, praesentibus, et futuris, fidelibus suis, gratiam, et salutem, ac bonam voluntatem. Regiminis praesidentes curis sollicitatione continua, et assidua meditatione vigilamus, ut iuxta tradita nobis dispensationis officium subditorum commodis, in quorum prosperitate utique prosperamur iugi quantum nobis ex animo concessum fuerit sollicitudinis studio intendamus; amplectimur quidem voluntarios pro ipsorum quiete labores, noctesque grandes transimus insompnes, ut scandala removeamus ab ipsis, et viam maliciis, prout est nobis possibile, praecludamus. Sane autem comitatibus nostris Provinciae, et Forcalquerii multa invenimus correctione digna, et aliqua pro bono, et pacifico subditorum, et praedictorum comitatuum statu, de novo statuimus, et statuta volumus. Et fidelitati vestrae praecipiendo mandamus, ut infrascripta per nos ordinata vos servetis, et ab aliis servari inviolabiliter faciatis; tu vero, senescalle, omnibus universitatibus, et civitatibus tuae iurisdictioni subiectis per nos statuta ordinata facias manifestare, eaque in archivio nostro Aquensi ad perpetuam rei memoriam conservari.

Quod officiales sint annuales.

Statuimus itaque, et ordinamus, quod vicarii, iudices, et bavili sint annuales, nisi eos providerimus ad tempus longius de certa nostra scientia statuendum; item constituti iam ad vitam debeant amoveri.

Clavarii, et recipientes pecuniam fiscalem ad biennium eligantur.

Clavarii vero, et quicumque alii recipientes fiscalem pecuniam ad biennium eligantur, dummodo fideliter, et bene se gerant, qui equidem priusquam officium exerceant, caveant ydonee curiae de officio proprio exercendo legaliter, et reddendo exinde statutis temporibus debitam rationem, et hoc sub certa poena illius capituli de clavariis continetur, curiae si contra fecerit exsolvenda.

Quod redditus curiae sine vicario, et iudice non vendantur.

Item, super receptione fiscalis pecuniae ordinationes certas ad edictum per clarae memoriae regem inclitum dominum patrem nostrum, quae in archivio nostro Aquensi habentur, observent. Illam transgredientes poenam xxv librarum reforciatorum soluturi non praesumant absque conscientia, et consensu vicariorum, seu bavilorum suorum, et iudicum vendere, eaque curent tum in loco dictae vicariae, et baviliae huiusmodi modo debito facere subastari.

Quod officiales non recedant ante successoris adventum, nisi licenciati.

Item, post officium eorum finitum, de loco, ubi illud gesserunt, non recedant ante successoris adventum, cui mandata pendencia residua quaelibet infra quindenam a die, quo successores eius venerint computandam, assignare, ipsumque successorem de iuribus curiae, et opportunis aliis informare procurent in scriptis sub sigillis eorum. Deinde quoque infra mensem unum a quindena huiusmodi numerandum, debeant coram auditore, seu rationali,

absque vocatione aliqua comparere, ad ponendam *a* de dicto officio rationem debitam, non recessuri donec rationem ipsam posuerint, et compleverint, et reliqua, seu residua omnia solverint thesaurario; nec ante satisfactionem integram ad officium aliud assumantur. Praeterea tamen non omittant rationem ponere terminis alias consuetis, quod si non curaverint adimplere praemissa, perdant dimidium gagiorum unius anni, et teneantur ad poenam in cautione per eos, ut ponitur praedicta, ad arbitrium senescalli, cui cura inde incumbit, et nichilominus ultra poenam ad praedicta cogantur.

In terra proprii domicilii officiales non creentur.

b Item, statuimus, quod nullus in terra originis, vel domicilii proprii, aut uxoris, possit officium gerere; bavilis tamen inferioribus, custodibus palaciorum, et huiusmodi aliis, quibus a curia gagia non dantur, exceptis.

Quod notarii electi ad inquisitiones faciendas per tres menses inibi morentur.

Item, volumus, et ordinamus, quod singulis vicariis, seu baviliis regiis statuantur quatuor notarii, quorum duo tribus mensibus vacent in inquisitionibus faciendis, duobus aliis circa civilia vacaturis, et deinde duo illi, qui inquisitionibus operam dederunt, vacent tribus mensibus aliis circa civilia, et duo illi, qui circa illa vacaverunt, ad faciendas *c* inquisitiones intendant, ita quod vicissim laborent, invicem partiantur de tribus mensibus in tres menses locis, et aliis, ubi erunt notarii pauciores, idem iuxta eorum numerum observetur. Notarii vero inquisitionum debeant, quantum in eis erit, ipsas inquisitiones infra mensem unum ad tardius incipere, et complere; singulisque mensibus nunciare procurent iudicibus praesentia vicarii, sive bavili, et clavarii, vel alterius eorumdem, omnes inquisitiones inchoatas, et perfectas per eos, ipsumque sub praedictorum testimonio requirere non omittant, ut inquisitiones ipsas terminent, et demandent, et qualibet vice in praemissis solvant pro parte curiae solidos L, et nichilominus officio sint privati. Regestrent praeterea ipsi notarii singula, quae per *d* iudicem contingет fieri mandamenta, ne curia perdat latam. Pro scriptura tamen et extractione mandamentorum cuiuslibet nonnisi denarii duo eis dentur. Ubi quoque quatuor fuerint statuti notarii, duo mittentur uno anno, et duo alio, et ita quod duo alii informentur de inquisitionibus per duos alios remanentes.

De ponendis bavilis in locis castellaniae Sedonae, et Barcilloniae ad gagia clavarii.

Item, volumus, et ordinamus, quod ex nunc castellaniae castellanus sit unus tantum, qui locum bavili, et iudicis teneat; Sedonae vero ponatur qui sit bavilus, ita quod clavarius det gagia librarum L per annum, et Barcilloniae idem fiat.

De bavilis ponendis Brinoniae, sancti Maximini, qui etiam clavarius existat in eisdem locis.

Item, in castris Brinoniae, et sancti Maximini unicum ex nunc statui volumus, qui in utroque bavili, et clavarii vicem gerat, et in uno ipsorum locorum per duos menses, et in altero per duos alios, et sic in antea successive usque ad finem anni residentiam facere teneatur.

De bavilis ponendis in locis de Forcineto, Luco, et Tholono ad gagia XVIII denariorum pro die.

Item, Forcineti, et Luci sit ex nunc bavilus unicus, qui locum ferat utriusque, ad gagia XVIII denariorum per diem, Rochabruna sub vicaria Draguiniani de cetero existente; bavilum esse Tholoni, ad XVIII denarios per diem volumus ex nunc habere pro gagiis, quamvis aliquando aliqui forsitan bavili gagia inibi consueverunt habere maiora.

De visitatione facienda per vicarium, bavilum, et iudicem.

Item, statuimus, quod quilibet vicarius, bavilus, iudex, vel eorum alter debeat semel in anno loca, et alia principalia visitare, et qualibet vice, qua hoc deffecerint, gagiorum quadrimestris temporis amissione multentur.

Ut vicarii, et iudices de tribus in tres menses ad cameram quaternum mittant.

Item, statuimus, quod quilibet vicarius, seu bavilus, et iudex debeant de singulis condempnationibus latis, et trezenis, et qualibet alia pecunia ad curiam proventura mittere, quolibet trimensi tempore, senescallo, vel auditori rationum Provinciae, quaternum sigillo curiae sigillatum, et si secus fecerint, decem libras reforciatorum poenae nomine solvent curiae nostrae.

Ut iudices sex parlamenta in anno facere teneantur.

Item, volumus, et ordinamus, quod iudices teneantur facere anno quolibet sex parlamenta ad minus, ita quod inquisitiones inchoatae in primo parlamento terminentur in ipso primo parlamento; inchoatae post primum terminentur in secundo parlamento, et sic singulis, sic tamen quod propterea medio tempore omnes condempnare, vel absolvere prima ratione conveniente casus inciderit. Et omnes debeant caternum ad senescalli praesentiam, et auditorem rationum, ut praemittitur in superiori capitulo, destinare. Inquisitiones, propterea quae per vicarios praesentabuntur eodem modo prac-

scripto infra mensem unum ad tardius, nisi negocii qualitas per tempus prolixius aliud suaderet, a die dictae praesentationis, et requisitionis in antea numerandum, debeant finaliter terminare: si contrafecerint, gagia unius mensis vice qualibet sint privati.

Quod acta appellantibus mox tradantur.

Item, quia quaestiones, determinationes, et decisiones defectu copiae processuum diutius quam debeant retardantur, subiectique proinde gravantur indebitis laboribus, et expensis, ordinamus, et statuimus, quod iudices, et notarii appellantibus infra terminum ad praesentandos se coram iudice appellationum praefixum, seu praefigendum infra mensem non transiverint, acta quaestionum huiusmodi teneantur, et debeant assignare, qui si contra fecerint, iudices vice qualibet sint privati gagiis consuetis unius mensis ad opus curiae retinendis, et notarii ad poenam xx librarum vice qualibet teneantur.

Quantum infra vicariam iudex percipiat pro labore.

Item, ad obviandum gravaminibus subiectorum, ordinamus expresse, quod nullus ex iudicibus particularibus quando ibit per vicariam, seu baviliam suam pro negociis privatorum suorum officium exercendo, praesumat ab eis recipere pro expensis, et quibuslibet aliis ultra quinque solidos refforciatorum per diem; sic etiam quod si pro pluribus vadat privatis, nil ab eis inde amplius habeat, sed omnes contribuant, et in ipsorum quinque solidorum solutione pro rata, quod vadat pro negociis communibus curiae, et privatorum, solvetur ei pro rata per curiam iuxta solitum a privatis.

Quod iudex pro interpositione decreti infra locum principalem vicariae nil accipiat.

Iubemus propterea ne iudex aliquid pro interpositione decreti, donationum insinuatione, et datione tutelae, seu curae, quando propterea principalem locum vicariae non habebit exire, quicquam recipiat; quod si fecerit, poena quadrupli multetur, cuius simplex dampni triplum nostrae curiae solvat. Ubi vero haberet extra locum propterea se transferre, quinque solidos recipiet, ut praescribitur, et non ultra.

Quod officiales arbitria non recipiant.

Interdicimus etiam iudicibus et notariis de caetero arbitria, seu arbitrationes, officio durante, recipere; et si fecerint, unius anni gagia prorsus perdant, editum, seu sententia, quae ex arbitrio, seu arbitratione subiecti protulerunt, cassae sint penitus, atque nullae, sed ad illud iudicibus ipsis expres-

a sius prohibemus, quod pro dictatis iudiciariis actibus, et aliorum huiusmodi quicquam recipere non praesumant.

Quod officiales non recedant ab officiis ante adventum successoris sui.

Item, statuimus quod nullus vicarius, bavilus, iudex, clavarius, notarius, aut officialis quilibet alius infra tempus commissi sibi officii recedat sine licentia senescalli; tunc ad illud redire iuxta statutum inibi terminum per senescallum teneantur. Quod si illicentiatus recesserit, vel licentiatus non redierit iuxta terminum sibi datum, hoc ipso eodem officio sit privatus, nisi aliter morbo evidenti
b excusaretur.

Cartularia notarii mortui solus senescallus concedere potest.

Item, volumus, et ordinamus quod officialis aliquis cartularia, seu prothocolla notarii defuncti non remittat alicui notario, seu concedat absque senescalli licencia speciali.

Quod officiales maiores dietas non recipient.

Item, quod nullus ex officialibus maioribus cum ibit per comitatus Provinciae, et Forcalquerii pro negociis curiae, ultra gagia stabilita recipiat aliquid,
c nec ab altero quam thesaurario ipsa gagia faciat sibi exsolvi.

De visitatione senescalli.

Item, statuimus quod senescallus debeat singulis annis totam visitare Provinciam, nisi eum infirmitas rationabiliter excusaret. Cui quidem senescallo, et maiori iudici, tam praesentibus, quam futuris, plenam tribuimus potestatem contra minores officiales, et quos reperierint secundum iustitiam puniendi, concesso eis nichilominus quod contra diffamatos valeant inquirendo secundum capitula regni nostri edita per clarae memoriae dominum patrem nostrum et puniendo procedere, quando et prout eis videbitur
d expedire.

De poena officialium amotorum pro delicto.

Item, ordinamus, quod officialis amotus ab officio propter male gesta, non possit per senescallum ad illud promoveri, nisi de speciali nostra conscientia, et mandato, sic quod in litera nostra, quae forsitan inde fiet, causa amotionis huiusmodi exprimatur. Ultra hoc autem, si certa crimina alia se infideliter habuerit, per tres menses ad minus detineatur in carcere, et taliter quod, modo debito, per senescallum, et maiorem iudicem debite puniatur. Si vero redditus, sive proventus curiae nostrae occupare, seu usurpare praesumpserit, pro

quolibet denario VIIII curiae nostrae restituat. Si a
autem bona stabilia ipsius curiae sine iure quolibet promiserit per copiam, vel fecerit occupari, detineatur in carcere usque ad nostrae beneplacitum voluntatis, et nichilominus puniatur secundum quantitatem dampni illati in bonis stabilibus, si per fraudem in duplo, si per complicitatem in triplo.

Quod nullus ad officia ordinetur, nisi sit de terra regia oriundus, vel incola existat.

Item, certa, et rationabili causa suadente, statuimus, quod ex nunc nullus, qui non sit oriundus, vel incola de terra nostra, scilicet regni nostri Siciliae, aut comitatuum nostrorum Provinciae, et b
Forcalquerii, et Pedemontis, et in eis bona immobilia possideat secundum commissionem officii committendi, statuatur officialis in regno, vel in quovis comitatuum praedictorum, nisi de certa nostra procederet conscientia, vel aliud per certas nostras literas mandaremus plenam, et expressam de verbo ad verbum facientes de ordinatione huiusmodi mentionem.

De thesaurariis, et rationalibus constituendis.

Item, ordinamus quod in comitatibus ipsis Provinciae, et Forcalquerii sit tantum thesaurarius unus, rationum auditor, cui adiungatur scriptor unus, qui per nos dum praesentes erimus, vel dum c
abierimus per senescallum ordinetur ad adiuvandum auditorem eumdem, et custodiendum archivium. Auditor autem qnaternos rationum sigillet, et sigillatos tradat ipsi notario conservandos.

Qualiter in civilibus, et criminalibus appellari possit.

Item, subditorum utilitatem cupientes, volumus, quod in quaestionibus pecuniariis per curiam faciendis, semel tantum possit ad maiorem iudicem appellari; in criminalibus vero, puta de morte, de membri mutilatione; in quaestionibus de terris, castris baronalibus, et bonis stabilibus aliis, et iurisdicionibus possit ad senescallum appellari, secundum d
eas quae inter privatos vertuntur quaestiones huiusmodi, de hiis cognoscet, easque decidat, adhibito sibi uno ex procuratoribus fisci nostri. Ubi non cognoscetur in causis huiusmodi, etiam ad senescallum ipsum, et unum praelatum eligendum per nos, secunda appellatio emittatur. In hiis autem appellationibus secundis summarie, et de plano, et sine strepitu et figura iudicii procedatur.

Qualiter exceptio dilatoria sit proponenda.

Item, statuimus exceptiones dilatorias, prout ponitur communis iuris etiam regulis iudiciorum in ipso iudicii exordio proponendas, infra triduum a die oblati libelli, in civili casu, vel in criminali debere proponi, in quibus si de eis incontinenti constare non possit, dilatioque requiritur, in qua eis obiicit, sacramento prius, si ad hoc iudex decreverit, praestito, quod non tantum eam, causa differendi iudicii, ipsi comitatur componere, secundum quod eas causas scire, proficere, seque probare confidat, ad probandum eidem octo dierum terminus peremptorius per iudicem, qui de causa cognoscet huiusmodi, assignetur; nisi reus in longinquis partibus probationes se habere iuret, in quo quidem casu considerantur locorum distantia, viarum quantitates, et condiciones personarum, et si in earum probatione reus, deseruit in omnibus expensis, sacramento actoris, cum taxatione iudicis declarandis, ab eo occasione dictae dilationis factis, ipsum de indempnitate conservet.

De iuramento calumpniae in causis praestando.

Item, statuimus, lite legitime contestata, sacramentum de calumpnia ab utraque parte praestitum, praestari iuxta decretales veterum principum sanctiones, quo irremissibiliter suscepto, actor, ut accusator, persona simul, omnia, quae ad probationes faciunt, per se, vel per advocatum suum offerat, et eadem die, vel sequenti ad plus, proponat in scriptis: ulterius nullatenus audiatur, nisi personae minoris, aut mulieris privilegium, vel causa alia superveniens allegetur. Reus principaliter convictus, aut accusatus defensiones omnes sibi de facto competentes in iudicio proponere studeat, simul, et semel in scriptis per se, vel per advocatum suum in praedicto spacio curiae dare procuret, eumdemque terminum ad oblata probanda recipiant ambae partes. Quod si petitores, aut defensores in hiis, in quibus intervenire possint, causae agantur, ea iura procurator alleget, aut defensor illas defensiones apponat, quae praesenti parti competere inde ignoret. Ceterum si ignorantiam forte praetendat, iura sua principalis partis conscientiae poterit reservare, et tantum infra praedictum terminum, quem ambae partes ad probandum acceperunt. Procurator tam ea, quae primo posuit, probet, quam ea, quae per dominum litis postea ad ipsius conscientiam pervenerunt. Terminum, antequam ad probandum in omnibus supradictis, et aliis, quae in dicto termino natura requirit, quantum sine causae periculo rerum dispendio fieri potest per iudices, qui cognitionibus praesident, in causis omnibus abbreviari iubemus; ita tamen, quod iudices in annum a die contestationis litis in antea numerandum, causam ipsam finaliter terminent, et decidant. Quod si forte infra annum causa non fuerit finaliter terminata, volumus quod sicut a iure civili scriptum est causae civiles si infra triennium, criminales infra biennium terminatae non fuerint, pereat causae instantia; sic si infra annum causa terminata non fuerit, ipso anno elapso, instanciae causa pereat, nisi iusta impedimenti

causa intervenerit, quia etiam volumus quaestionis *a* decursum ad iustum impedimentum restitui.

Quod nullus clericus officium aliquod habeat regium.

Item statuimus, quod nullus clericus, sive coniugatus, sive non coniugatus debeat habere, vel possit officium in terris nostris exercere.

Sub cuius rectoris nomine debeant fieri praeconizationes, et per quos excubiae, et executiones, seu personarum captiones.

Et quia saepe bavili vicarii iudices, clavarii, notarii in disceptationem temere ducere non veren- *b* tes, eorum officii potestatem disceptantes de hiis, quae non multum expediunt, et plura sapere, quam oporteat, temerario petentes, dum deberent subditorum excessus corripere, et iura nostra perquirere ad iusticiam ministrare ambiunt, insolenter quaerunt, quae non quaerenda, et ut de fortunis propriis disceptare tam publicum, quam bonum statum virorum fidelium non verentur. Huic morbo obviare volentes consulta deliberatione providimus, ut vicarii bavili praeconizationes eorum nomine fieri faciant, non nomine iudicis, seu officialium aliorum, causa cognita praecedente. De consilio iudicis excubiam, et executiones faciant ipsi, vel eorum familia, malefactores deferant, et carceri mancipent, si eos invenerint delinquentes, a quo non exeant, *c* nisi prius facta inquisitione, et fideiussione ydonea, notarii periculo, quam deliberationem bavilus, vicarius, notarius, et clavarius facere non audeant, nec aliorum incarceratorum, quibuscumque capti criminibus, sed iudex tantum, vel de ipsius conscientia, causa cognita, quae in ipsius pendet officio, sint talia peragenda.

De sentenciis per iudicem cum maturitate proferendis, et ad quem spectat cognitio liberationis carceris.

Item, volumus insuper, quod mandamenta, et sentencias criminales, et civiles, cum ad ipsius iudicis spectat officium tantum, sollicite, et cum maturitate proferant circa inquisitiones, quae per tor- *d* turam, seu terrorem, vel alias, per iudicem sunt complendae, quae solum eius officium iuxta iuris formam pertinere noscuntur. Sollicite se habeant, nec sine causa rationabili diu incarceratos teneant, cum ob custodiam, non ob poenam carceris sit custodia adinventa.

In quibus casibus sit carcerario salarium praestandum.

Sed quia hominum, et regionum varietate difformiter officialium regimen est censendum, cui pro iure, nec pro forefacto non probabili, vel alias pro fideiussione praestanda, vel pro bono regimine officiales praecipiunt, ut infra curiam quis permaneat sub poena, vel banno eidem imposito, nisi in compedibus, vinculis, vel infra carcerem inducatur, pro iure carceris nichil solvat. Cum carcerarii pro talibus laborem non sentiant, quia si eos evadere, seu recedere contingeret non carcerariis, sed carceratis est culpa potius adscribenda.

Cum orietur quaestio inter clavarium, et privatum super sentencia, seu condempnatione iudex cognoscat.

Interdicimus etiam officialibus, ut pro causa non rationabili, et legitima sint talia facienda, volumus etiam, quod cum inter clavarium, et privatum de condempnationibus, et exactionibus quibuscumque dubitatio, seu quaestio orietur, iudex iuxta iuris formam iusticiam ministret. Datum Aquis per M. Matheum Silviarinum de Neapoli, utriusque iuris professorem, locumtenentem prothonotarii, dilectum consiliarium nostrum, et familiarem: anno Domini millesimo ccc xi, die xv maii, indictione octava: regnorum nostrorum anno secundo.

Statuta super reformatione Comitatus Vinctimilii.

Leo de Regio, miles, Comitatuum Provinciae, et Forcalquerii senescallus bavilis, iudicibus, et clavariis comitatus Vinctimilii, et vallis Lantuscae praesentibus et futuris, salutem, et amorem sincerum. Concurrentes, cui spacia, et temporum alternata varietas, sic omnia sursum, et deorsum commiscent, et variant, sic in memoria humanae fragilitatis adnichilant, quod imminentibus novis expedit recensere praeterita, et praesentem noticiam artificiali quadam industria renovare. Sane subscripta capitula, et statuta iam longo tempore edita, per clarae memoriae dominum Carolum secundum, et serenissimum dominum nostrum Robertum Hierusalem, et Siciliae Regem illustrem in ipsorum varietate oblivionis sint hactenus, detrimenta nunc senciant, sed successiva delicti (1) ratione lucescant, et ad noticiam perveniant singulorum, ut nullus de hiis ignorantiae causam praetendere valeat, seu quomodolibet allegare, vobis providimus praesentibus explicanda, quorum tenor per omnia talis est.

Ut vicarii, et iudices a praecessoribus acta habeant in pendenti.

Item, in primis vicarii iudices Comitatuum praedictorum, in quibus tribunalia nostri Regni, novo in ingressu eorum officii, a praecessoribus sub eorum sigillis in scriptis requirant, et recipiant acta residua,

(1) Codices, ut saepe, minus rectam lectionem praebent. — Corrigere sine documentis nefas putavimus. — Forsan loco *delicti edicti* legere posses.

et acta pendentia, quae praecessores non terminaverint, nec non recollegerunt, nec exequuti sunt. Faciendo, inde duobus similibus quaternis continentibus particulariter et distincte dictarum rerum series, prout coram praecessoribus fuerunt iniciata, mandatorum pendencium formas, quarum exequutio in parte processerat; distinguendo illud, quod exequutum est ab eo quod restat ad agendum, et si huiusmodi mandamentorum exequutio in aliquo non praecessit, ipsa mandamenta originalia exequienda recipiant, ac si sibi nominaliter mitterentur. Conficiant inde quaterni quantitates residuorum, et nomina ea debentium, et causas pro quibus debentur, quorum quaternorum unum praecessores successoribus, et alterum e contrario sub sigillis eorum ab intrinseeus sibi tradant, in eorum computo producendos. In quibus caternis sint sigilla notarii actorum, qui fuerint cum eisdem, et prout ad singulos, vel ex officio, vel ex delegante spectaverint. Huiusmodi acta iuxta merita causarum, prout iustae fuerint, remittant, et mandamenta pendencia, sive in parte, sive in toto pendeant, exequantur, pro quibuscumque negociis fuerint curiae, quod etiam privatorum, nisi forte aliqua rationabilis causa obsisteret, vel ei iusta dubietas oriretur; quo casu nos inde statim, si in Provincia praesentes fuerimus, vel si absentes, senescallum Provinciae consulere non omittat, residua quoque instanter, et cum integritate colligat, et recolligi faciat, non quod inde quidquam ad manum eorum perveniat, sed tam illud, quam reliqua fiscalis pecunia, quae per eos undecumque acquisita tam ex proventibus, latis, condempnationibus, seu compositionibus, aut qualitercumque alias percipiatur, successive per clavarios, vel bavilos, prout ad eos quolibet loco spectaverint, cum conscientia, et noticia vicariorum, et iudicum praedictorum. Et similiter formam servabunt in actis sui temporis, nec non in hiis, quae recolligere habebunt, et mandatis, quae recipient infra officii sui tempus terminandis, scilicet recolligendis in scriptis eorum tempore, tam suis successoribus, quam rationali curiae in Provincia in computo consignandis.

Contra iudices.

De hiis etiam, quae sui officii tempore vicarii et iudices supradicti ad mandata nostra, sive senescalli, aut maioris iudicis, vel ad requisitionem officialium aliorum, aut ex sui administratione officii condempnationes, sive proventus, aut qualitercumque alias, curiae nostrae acciperent, a quibus, et ex qua causa, et per quos ea exigi, vel insacari iusserunt, et clavarios, et bavilos recipi fecerunt, rationalem praedictum singulis tribus mensibus sub sigillis eorum informent.

Contra clavarios.

Habeant insuper conscientiam, et noticiam ple-
a nam de toto introitu, et exitu pecuniae, ac rerum quarumlibet aliarum, quae ex quibuscumque redditibus, gabellis, et fructibus, et obventionibus terrae, et bonorum nostrorum, necnon de condempnationibus, composicionibus, et proventibus quibuscumque, aut qualitercumque alias per clavarios, et bavilos ipsos recepta fuerint, et expensa. Et sigilla apponent in caterno introytus, et exitus eorumdem clavariorum, aut bavilorum in forma quae ipsis clavariis, et bavilis infra describitur facienda.

De venditione gabellarum.

Venditionem autem gabellarum, quae per ipsos bavilos, et clavarios fiet, quotiens facta fuerit, et
b eam contigerit augmentari, vicarii, et iudices ipsi faciant, et eorum sigilla apponant in scriptis venditionis huiusmodi semel, et pluries faciendis.

Quod quilibet clavarius inventarium recipiat a praecessore de bonis curiae.

Clavarius in ingressu sui officii requirat, et recipiat in scriptis a praecessore suo, sub eius sigillo, terrae suae iura, redditus, et bona stabilia curiae nostrae, quaecumque in manu praecessoris venerint, residua, et mandata pendencia, quae praecessor officii sui tempore non recollegit, nec est exequutus. Et de hoc fiant quaterni duo consimiles, distincte, et particulariter continentes iura, redditus,
c et bona praedicta cum eorum distractionibus opportunis, quantitates residuorum ipsorum, et nomina ea debentium, et causas pro quibus debentur, mandatorum pendencium formas, quorum exequutio in parte acta fuerit, et quod restat ad recipiendum; et si huiusmodi mandatorum exequutio in aliquo praecessit, originalia exequenda recipiat ac si sibi nominaliter mitterentur.

De ipso inventario fiant quaterni.

Quorum caternorum unus, quilibet eorum praecessoris, et successoris sub sigillo alterius in suo computo producatur, quae quidem mandata pendencia, sive in toto, sive in parte pendeant, exequantur,
d quod nisi rationabilis causa obsisteret, vel ei ad id iusta dubietas oriretur, quo casu nos inde, vel senescallum consulere non omittat.

Recolligenda per clavarium fiant cum discretione inferius annotata.

Residua instanter, et cum integritate recolligat, et totam pecuniam, aliasque res, quas sive ex residuis, sive ex quibuscumque gabellae nominibus, et redditibus nostris, sive de compositionibus, condempnationibus, latis, et aliis proventibus minutis, et grossis receperit, et expenderit, in quaterno suo scribat, de qualibet scilicet terra, vel loco, et componendo particulariter receptiones, et solutio-

nes per annos Domini, menses, et dies, nomina solventium, et recipientium, et causas pro quibus, et ex quibus receptio, et solutio ipsa pervenerit, quantitatem curiae debita, et quam recollegerint, et quae ad recolligendum restabit distinguendo; et super trezenis, laudimiis, et captis, nomina, et cognomina emptorum, et venditorum, res venditas, et quantitates venditionis earum, et quantitatem quistarum, fogagiorum, cavalquatarum, albergae, et aliarum quarumcumque subventionum, et serviciorum omnium nostrae curiae debitorum, quantum scilicet de quolibet per se; et de hiis assignabit in ratione sua quaternos particulariter recollectionis cum nominibus collectorum.

Super procurandis iuribus curiae diligens adhibeatur cautela.

Caeterum super procurandis iuribus, gabellis, et bonis curiae quibuscumque omnem curam, et diligentiam adhibebit, locando in talibus ea quae commode locari poterint. Quae omnia tam praecipiendo, quam procurando, et generaliter suum administrando officium faciat cum noticia, et conscientia, ac consilio vicarii, et iudicis, quorum sigilla tam in praedicto caterno introitus, et exitus rationis clavarii, quam etiam in scriptis, quae de locationibus gabellarum, et aliorum iurium clavarius fecerit, quia plenior cautela curiae, et in magnis testimonium, apponantur.

De hiis, quae clavarii recipient, teneantur assignantibus facere apodixam, et e contra.

Praeterea de omnibus, quae clavarii recipient, faciant sub sigillo suo assignantibus apodixas regestrandas de verbo ad verbum in quaterno uno, quas in sua ratione producet. De hiis autem, quae solverit, recipiet ab eo, cui solutio fiet in forma publica, ydoneas apodixas ultra solidos xx; sed infra, vel usque ad quantitatem eamdem huiusmodi in initium, et exitum particulariter designabit, quia inde stare volumus fidei suae in dictorum vicarii, et iudicis, qui, ut praedicitur, in eodem caterno sigilla eorum apponent, ac fidei etiam examinationis rationalis praedicti, qui proinde examinare habet contra ipsum, causamque, ac circumstancias eius, et ad aequum reducere, si quid inveniatur rationabiliter amputandum. Insuper clavarius ipse in ingressu sui officii recipiat a praecessore suo blada, vina, et alias res nostrae curiae mobiles, quae in manu sua tunc fuerint, et ea in caterno introytus sui ponet per quantitates, qualitates, et species, ac loca et tempora receptionis eorum, facturus de illis competenti tempore utilitatem curiae nostrae, quam potuerit meliorem. Et in computo assignabit quaternos dicto modo compositos, et sigillatos cum apodixis illorum, quibus solutionem fecerit, ac mandatis originalibus, quorum auctori-

a tate id egerit, aut transumpta eorum in formam publicam, si pendeat in futurum, nec non cautelis aliis, si quae ad mandatorum tenorem, aut ex ipsa negociorum substancia statuerit producenda.

Qualiter statuta serventur in locis ubi sunt vicarius, iudex, clavarius; et qualiter unus solus deservit officiis.

In aliis locis, in quibus sunt bavili, iudices et clavarii serventur per eos omnia supradicta, quae de vicariis, iudicibus, et clavariis superius designantur, et ubi clavarii non fuerint, sed unus tantum bavilus, si et clavariae officia gerat, servet ea quae utroque officio praescribuntur, cum noticia, conscien- *b* tia, et consilio iudicis, notarii, qui cum eo fuerint, quorum sigilla in caternis sui introytus, et exitus, ac scripturis, quae pro dicto modo habuerint, apponantur.

Poena non servantium statuta.

Cumque volumus statuta, et capitula praescripta tam per vos, quam per vestrum quemlibet, quam successores vestros inviolabiliter observari, vobis, et vestrum cuilibet, sub poena in praedictis statutis, et capitulis, et edictis, praesentium tenore mandamus, quod statuta, et capitula ipsa vos ponentes in cartulariis curiae, annotetis ea vestro durante officio, prout ad officium cuiuslibet vestrum spe- *c* ctat inviolabiliter observetis, ipsaque vestris in praedictis officiis successoribus, depositionis officiorum vestrorum temporibus assignetis, alterutrum impendentes super ea successivis temporibus observanda, prout poenam praedictam, et maiorem etiam vobis, quae regio sint nostro arbitrio infligenda sine alicuius remissionis gratia, cupitis evitare. Et quia praedicta capitula per nonnullos hucusque fuerunt data, neglecto in praedictas poenas tenoris mandato, quas poenas intendimus statim exigere ab eisdem, sic faciatis, et procuretis omnino, quod huiusmodi statuta, et capitula regia, prout eorum tenor continet fideliter adimplere curetis.

d *De blado extrahendo de Comitatibus Provinciae, et Forcalquerii ad requisitionem vicariae Niciae.*

Robertus primogenitus illustris Hierusalem, et Siciliae regis, Dux Calabriae, ac eius in regno Siciliae, et comitatibus Provinciae, et Forcalquerii, vicarius generalis vicariis, bavilis, iudicibus, caeterisque officialibus per comitatus Provinciae, et Forcalquerii constitutis praesentibus, et futuris salutem et amorem sincerum.

Pro parte universitatis hominum civitatis Niciae regiorum fidelium devotorum nostrorum fuit nuper expositum coram nobis, indultas eis fuisse ab olim a domino reverendo genitore nostro quasdam pa-

tentes literas tenoris per omnia subsequentis. Carolus secundus Dei gratia Rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes vicariis, bavilis, caeterisque officialibus per comitatus Provinciae, et Forcalquerii constitutis, praesentibus, et futuris, gratiam suam, et bonam voluntatem. Supplicationibus pro parte universitatis hominum Niciae, nostrorum fidelium, excellenciae nostrae factis benignius annuentes, volumus, et fidelitati vestrae tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, quatenus ad requisicionem vicarii Niciae praesentis, et successivi, illam scilicet quantitatem bladi extrahi de civitatibus terris, et locis iurisdictioni nostrae subiectis, per homines Niciae, qualibet remota molestia, permittatis; de qua per dictum vicarium dirigendae nobis patentes propterea literae sub sigillo curiae Niciae, quas servabitis pro cautela, expressam faciant mentionem. Per quas utique literas nobis constare volumus, quod ille, vel illi, qui pro exactione ipsius bladi accesserint in curia Niciae ydonee caverint de blado ipso sic extrahendo, apud Niciam deferendo, et delato alio minime transvehendo; prohibitione facta, vel facienda, in contrarium nullatenus obsistente; praesentibus post convenientem inspectionem earum ad cautelam remanentibus praesentantibus, efficaciter in antea, usque ad nostrum beneplacitum, valituris. Datum Aquis in absencia cancellarii regni nostri Siciliae per Magistrum Iacobum Duesa, iuris utriusque professorem, eiusdem cancellarii locumtenentem, anno Domini millesimo cc xc viii, die xxiiii maii, ix indictionis: regnorum nostrorum anno xiiii.

Circa quod ad supplicem peticionem dictae universitatis noviter nobis factam, quod dictum mandatum paternum servari sibi benignius mandaremus, devotioni vestrae praesentium tenore iubemus, quatenus, ipsius mandati forma diligenter attenta, ordinationem regiam in eodem mandato contentam, iuxta ipsarum literarum originalium seriem, et illibate servetis. Praesentes autem literas post earum inspectionem congruam restitui volumus praesentanti. Datum Aquis, anno Domini millesimo ccc vi, quartae indictionis.

Quod castellanus palacii regii iuret in manibus senescalli, quod non recipiet ius portagii a carceratis iniuste.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes, castellanis palacii civitatis Niciae, praesenti, et futuris, fidelibus suis, gratiam suam, et bonam voluntatem. Ut sontes debita poena plectat, providimus, et volumus, vobisque sub obtentu gratiae nostrae firmiter, et expresse praecipimus, quatenus ante ingressum huiusmodi castellaniae officii, praestetis in manibus senescalli praedictorum comitatuum Provinciae, et Forcalquerii corporale ad sancta Dei Evangelia iuramentum, quod ius portagii ab illis tantum carceratis, vel carcerandis, vel aliis, qui fuerint condempnati recipietis; praesentibus post opportunam inspectionem earum remanentibus praesentanti, efficaciter in antea valituris. Datum Massiliae per Magistrum Mathaeum Silviarinum de Neapoli, utriusque iuris professorem, locumtenentem prothonotarii regni Siciliae, in eius absencia, dilectum consiliarium, familiarem, et fidelem nostrum, anno Domini millesimo ccc x, die ultimo ianuarii, viii indictione: regnorum nostrorum anno primo.

Quod nuncii curiae Niciensis non recipiant eorum salarium ultra capitulum Niciae.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes senescallis praedictorum comitatuum Provinciae, et Forcalquerii, vicariis, iudicibus, clavariis, aliisque officialibus Niciae, ad quos spectat, praesentibus, et futuris, fidelibus suis, gratiam suam, et bonam voluntatem. Pro parte universorum hominum civitatis ipsius Niciae, nostrorum fidelium, fuit nobis expositum, quod in iure centregariae curiae nostrae ipsius civitatis quoddam stat capitulum iuxta quod certum datur, seu dari debet salarium praedictae curiae nunciis pro citationibus, incantibus, et aliis exercendis. Iidem vero nuncii eiusdem salarii fines excedere molientes, nequaquam capitulo ipsi parent, super quo nostra provisione petita volumus, et vestrae fidelitati expresse praecipimus, quatenus praetactum iubeatis, et faciatis capitulum intransgressibiliter observari. Et ut transgressores illius poenae formidine compescamus, praecipiendo adiicimus, ut quotiens praefati nuncii circa observantiam eius deliquerint, eos a commissis amoveatis officiis, et pro qualitate delicti censura iusticiae provide procedatis, quam nisi requisita, constitutaque de praemissis poena protuleritis, debita gagia vestra unius mensis, vice qualibet, erario nostrae curiae componatis; praesentibus post opportunam inspectionem earum remanentibus praesentanti, efficaciter in antea valituris. Datum Massiliae per Magistrum Mathaeum Silviarinum de Neapoli, utriusque iuris professorem, locumtenentem prothonotarii regni Siciliae, in eius absencia, dilectum consiliarium, familiarem, et fidelem nostrum: anno Domini millesimo ccc x, ultimo die ianuarii, viii indictione: regnorum nostrorum anno primo.

De libertatibus regni Siciliae concessis hominibus Niciae.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii ac Pedemontis comes, universis praesentes literas inspecturis tam praesentibus, quam futuris. Licet adiectione plenitudo non egeat, nec firmitatem exigat quod est firmum, confirmatur

tamen interdum quod robur obtinet, ut confirmantis a sincera benignitas clareat, vel ut suffragium cautelae abundancioris accedat. Sane pro parte universorum hominum civitatis Niciensis, nostrorum fidelium, praesentatae sunt nobis quaedam paternae literae continentiae subannexae.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis Comes universis praesentes literas inspecturis, tam praesentibus, quam futuris. Qui ad impendendum nostris fidelibus gratias liberales existimus, ad confirmandum utique iam eis provide per nostros progenitores impensas liberalius assentimus. Sane pro parte universitatis hominum civitatis Niciae, fidelium nostrorum, fuit nobis humiliter supplicatum, ut con- b cessas eis iamdudum super certis per clarae memoriae dominum patrem nostrum literas graciosas approbare, ratificare, et confirmare benignius dignaremur, ipsarum autem literarum continencia seriosius sequitur in haec verba.

Carolus Dei gratia Hierusalem, et Siciliae rex, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, almae Romae Senator, et Andegaviae, Provinciae, et Forcalquerii comes, Romani imperii in iusticia vicarius generalis, universis hominibus Niciensibus, dilectis fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Considerantes grata servicia, quae nobis fecistis, et speramus vos, et successores vestros nobis, et nostris haeredibus succedentibus in regno, ac etiam succedentibus in Comitatibus Provinciae, c et Forcalquerii in perpetuum fideliter vos facturos, de speciali gratia vobis concedimus, quod in regno nostro Siciliae utamini eisdem beneficiis, et libertatibus, quibus Ianuenses utuntur, vel utentur etiam in futurum, ex concessione nostra, in mercimoniis, et logiis habendis, et in omnibus aliis pertinentibus ad navigationem, vel ad mercimonia facienda, iurisdictione nostra, quam habemus in vobis, in Provincia, in regno, vel alibi vobis stantibus in omnibus semper salva. Hoc enim vobis concedimus, ut nobis, et nostris haeredibus in perpetuum, et successoribus strictius et amicabilius tam in mari, quam in terra teneamini, et nos, et nostros iuvetis viriliter, et potenter. In cuius rei testimonium praesentes literas fieri, et sigillo maie- d statis nostrae iussimus communiri. Datum in Castris de obsidione Luceriae, ultimo iunii, XII indictione: regni nostri anno quinto.

Ipsius igitur universitatis, in hac parte supplicatione libenter admissa, literas ipsas, et omnia, quae continentur in eis, prout videlicet illis dicti homines usi sunt hactenus, et alias proinde concessa fuisse noscuntur, approbamus auctoritate praesentium, et ratificamus, ex certa nostra scientia, et de speciali gratia confirmamus, salvis semper nostrae iuribus curiae, et alterius cuiuscumque. In cuius approbationis, satisfactionis, et confirmationis testimonium praesentes literas fieri, et pendenti maiestatis nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Massiliae anno Domini millesimo CCC VIII, die X februarii, VI indictione: regnorum nostrorum anno XIII.

Itaque pro praefatis omnibus fuit culmini nostro supplicatum attencius, ut concessioni avitae, paternisque approbationi, ratificationi, et confirmationi praetactis, approbationis, ratificationis, et confirmationis nostrae robur dignaremur adiicere de gratia speciali. Quamvis igitur avita concessio, et paternae approbatio, ratificatio, et confirmatio tanta concedentis, approbantis, ratificantis, et confirmantis auctoritate sint validae, tamen ut avitis, et paternis in hiis vestigia nostra non devient, dictique fideles de novae regalis benignitatis nostrae perprompta securitate degustent, quod utique ipsorum grata plurimum utiliaque fidelitatis, et devotionis obsequia meruerunt hactenus, et continue promerentur, huiusmodi supplicationibus inclinati praelibatam concessionem avitam, prout scilicet illa praefati homines usi sunt hactenus, et alias proinde facta est, approbationem quoque ratificationem, et confirmationem paternas easdem ratas, placitas gerentes, et gratas illis pro abundantiori cautelae suffragio, quae non obest, robur nostrae probationis ratificationis, et confirmationis expressae de nostra certa scientia tenore praesentium adiicimus graciose, fidelitate nostra, nostris aliis, et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis, in cuius rei testimonium praesentes literas fieri, et pendenti maiestatis nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Massiliae per manum Magistri Mathaei Silviarini de Neapoli, utriusque iuris professoris,locumtenentis prothonotarii regni Siciliae, in eius absentia, dilecti consiliarii, familiaris, et fidelis nostri, anno Domini millesimo CCC X, die ultimo ianuarii, VIII indictione: regnorum nostrorum anno primo.

De regardatoribus, et arbitris eligendis, et non tradendis pannis lectorum officialibus.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes vicariis, iudicibus, et clavariis Niciae, praesentibus, et futuris fidelibus suis gratiam, et bonam voluntatem. Pro parte universorum hominum civitatis Niciae, nostrorum fidelium, praesentatae sunt nobis paternae patentes literae nobis directae, continentiae infrascriptae. Carolus secundus Dei gratia Hierusalem, et Siciliae rex, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes vicariis, iudicibus, et clavariis Niciae, praesentibus, et futuris, fidelibus suis, gratiam suam, et bonam voluntatem. Supplicationibus pro parte hominum universitatis Niciae, nostrorum fidelium, excellenciae nostrae factis, benignius annuentes, volumus, et fidelitati vestrae tenore praesentium districte praecipiendo mandamus quatenus memoratos homines, vel ex eis aliquem ad accommodandos pannos lecto-

rum vobis, vel officialibus aliis civitatis eiusdem, nec compellatis, nec compelli faciatis, seu permittatis invitos. Item, volumus, et iubemus, quod cum arbitri, et regardatores in eadem civitate fuerint ordinandi, tam tu, vicarie praesens, quam vos alii successive futuri, tractatu praehabito diligenti, cum aliquibus bonis viris civitatis ipsius, quos ad hoc consulte duxeritis evocandos, arbitros, et regardatores eosdem ordinare curetis, recepto ab eis, de eorum officio ad honorem, et fidelitatem nostram, heredumque nostrorum administrando fideliter corporali ad sancta Dei Evangelia iuramento.

Item, in mandatis adiicimus, ut cum regardariam dictae civitatis per curiam nostram civitatis eiusdem contigerit, id incommutabiliter observetis, et etiam observari faciatis, quod emptores regardariae exercitium regardariae ipsius non habeant, nec aliam potestatem, nisi in recipiendo dumtaxat proventus, et commoda emptores ipsos contingentia, quae provenient ex eadem; et denique tenaciter observato, quod filii, familiares, domestici eorumdem emptorum, ut fraudi obvietur omnimodae, ab exercitio regardariae praedictae penitus excludantur, quodque per emptores ipsos nullus regardator in officio dictae regardariae, sed solum per dictam nostram curiam, modo praemisso, fidelis, et ydoneus deputetur, praesentibus post convenientem inspectionem earum ad cautelam remanentibus praesentanti, efficaciter in antea valituris. Datum Aquis in absentia cancellarii regni nostri Siciliae, per magistrum Iacobum Duesa, utriusque iuris professorem, eiusdem cancellarii locumtenentem, anno Domini millesimo cc xc viii, die xxiiii maii, xi indictione: regnorum nostrorum anno xiiii. Propter quod pro dictis hominibus fuit excellentiae nostrae supplicatum attentius, ut praescriptas paternas literas observari eis adiectione regalis nostri praesidii mandaremus. Nos autem in hiis cum paternis iussionibus concurrentes, ipsorum hominum supplicationibus inclinati, volumus, et fidelitati vestrae mandamus expresse quatenus, praemissarum litterarum forma diligenter attenta, et in omnibus observata, illas iuxta earum continenciam exequamini effective, praesentibus post opportunam inspectionem earum remanentibus praesentanti, efficaciter in antea valituris. Datum Massiliae per magistrum Mathaeum Silviarinum de Neapoli, utriusque iuris professorem, locumtenentem prothonotarii regni Siciliae in eius absentia, dilectum consiliarium, familiarem, et fidelem nostrum, anno Domini millesimo ccc x, die ultimo ianuarii, viii indictione: regnorum nostrorum anno primo.

De non transeundo confines cavalcatarum.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes. Tenore praesentium notum facimus universis earum seriem inspecturis tam praesentibus, quam futuris, quod nos universorum hominum civitatis Niciae, nostrorum, fidelium supplicationibus inclinati, cavalcatae, quam habemus in ipsa civitate Niciae quantitatem, seu numerum, eius limites, praestationis quoque, fines, seu terminos, acceptos placitos gerentes et gratos illos, quatenus regestra nostrae curiae continent, acceptamus, ratificamus, et approbamus, et expresse regalis confirmationis nostrae munimine, de certa nostra scientia, et speciali gratia, roboramus nobis, et heredibus, ac successoribus nostris in praefatis comitatibus Provinciae, et Forcalquerii harum serie servata. Quod si aliquando aliae universitates praedictorum comitatuum cavalcatas huiusmodi ultra debitum fecerint, seu praestiterint, per nos, heredes, et successores nostros id, ut ipsae aliae universitates facere, seu praestare, de gratia Niciensis universitas requiri valeat memorata, nec proinde aliquid ei praeiudicium generetur, fidelitate nostra, nostris aliis, et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis. In cuius rei testimonium praesentes literas fieri, et pendenti maiestatis nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Massiliae per manus Magistri Mathaei Silviarini de Neapoli, utriusque iuris professoris, locumtenentis prothonotarii regni Siciliae, in eius absentia, dilecti consiliarii, familiaris, et fidelis nostri, anno Domini millesimo ccc x, die ultima ianuarii, viii indictione: regnorum nostrorum anno primo.

Quod vinum extraneum non portetur infra civitatem Niciae, vel eius territorium.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes vicariis, et iudicibus Niciae tam praesentibus, quam futuris, fidelibus suis, gratiam suam, et bonam voluntatem. Pro parte universitatis hominum civitatis Niciae, nostrorum fidelium, praesentatae sunt nobis paternae patentes literae nobis directae, continentiae infrascriptae.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes vicariis, et iudicibus Niciae, praesentibus, et futuris, fidelibus suis, gratiam suam, et bonam voluntatem. Pro parte universitatis hominum civitatis Niciensis, nostrorum fidelium, per Raymundum Mellarini iurisperitum, et Iohannem Almarium concives eorum destinatos nuper ad maiestatis nostrae praesentiam, fuit expositum coram nobis, quod cum sit de usu, et observantia in eadem civitate Niciae, et territorio eius a tanto tempore, cuius in contrarium memoria non existit, quod nullus infra civitatem, et territorium eiusdem extraneum vinum immittere audeat, secutum est, quod nonnulli anno praesenti usum, et consuetudinem ipsos violare temere satagentes, vinum ad loca praedicta clandestine, noctis tempore, adduxerunt, in eorumdem hominum grave praeiudicium, et non modicam laesionem, praesertim

quia ipsi in culturis propriis semper blado carentes in vini copia restaurantur. Super quo, provisionis nostrae remedio secundum iusticiam suppliciter implorato, fidelitati vestrae tenore praesentium districte praecipimus, quatenus, praemissis existentibus veris, faciatis dictam consuetudinem inviolabiliter observari, non obstante, quod per aliquos praesenti anno, ut dicitur, fuerit in contrarium attemptatum. Praesentes vero literas, postquam eas inspexeritis, prout et quantum fuerit opportunum, restitui et remanere volumus praesentanti, tam ad vos praesentes, quam alios successive futuros, efficaciter in antea valituras. Datum Aquis, in absencia prothonotarii regni Siciliae, per magistrum Petrum de Ferreriis decanum Aniciensem, cancellarium dicti regni, anno Domini millesimo cc xc vii, die decima octobris, xi indictione: regnorum nostrorum anno xiii. Propter quod fuit pro dictis hominibus excellenciae nostrae supplicatum attencius, ut praescriptas paternas litteras observari eis adiectione regalis nostri praesidii mandaremus; nos autem in hiis cum paternis iussionibus concurrentes, ipsorum hominum supplicationibus inclinati, volumus, et vestrae fidelitati mandamus expresse, quatenus praemissarum literarum forma diligenter attenta, et in omnibus observata, illas iuxta earum continenciam exequamini, effective praesentibus post opportunam inspectionem earum remanentibus praesentanti, efficaciter in antea valituris. Datum Aquis per magistrum Mathaeum Silviarinum de Neapoli, utriusque iuris professorem, locumtenentem prothonotarii regni Siciliae, in eius absencia, dilectum consiliarium, familiarem, et fidelem nostrum, anno Domini millesimo ccc x, die secundo februarii, viii indictione: regnorum nostrorum anno primo.

Quod officiales curiae annuatim mutentur.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes senescallo ipsorum comitatuum Provinciae, et Forcalquerii tam praesenti, quam futuris, fidelibus suis, gratiam suam, et bonam voluntatem. Ad tollendam suspectionis materiam, quam interdum consuevit ingerere diuturnus officialium praesidatus, supplicationibus apud nos nuper effusis propterea pro universis hominibus civitatis Niciae, nostris fidelibus, inclinati, volumus, et fidelitati vestrae praesentium tenore iubemus expressius, quatenus vicarium, et iudicem in eadem civitate statui solitos annuales, et novos singulis revolutionibus annuis de cetero statuatis, usque ad nostri beneplacitum culminis irrevocabile, absque nostra conscientia speciali; praesentibus post opportunam inspectionem earum remanentibus praesentanti, efficaciter in antea valituris. Datum Massiliae per magistrum Mathaeum Silviarinum de Neapoli, iuris utriusque professorem, locumtenentem prothonotarii regni Siciliae, in eius absencia, dilectum consiliarium, familiarem, et fidelem nostrum, anno Domini millesimo ccc x, die ultimo ianuarii, viii indictione: regnorum nostrorum anno primo.

De requisitione facta universitati Niciae per regem super gratia petenda.

Robertus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii, ac Pedemontis comes universis hominibus Niciae, dilectis fidelibus suis, gratiam suam, et bonam voluntatem. Cum instantis veris adveniente grata temperie disponamus partes regni nostri Siciliae, Deo duce, repetere, et iter nostrum prosequi per terram comitatus nostri Pedemontis, quam utique in hiis, quae pro bono, et prospero statu eius disponenda, et dirigenda viderimus, praesentes ibidem intendimus ordinare, comitivam decentem, et honorabilem in ipso viagio habere volentes, ecce nonnullos nobiles, et barones istarum partium, fideles nostros, constitutos in nostra praesencia requisivimus noviter, ut nos extra Provinciam in ipsius prosecutione viagii circa eiusdem comitatus Pedemontis partes, per tempus aliquod comitentur. Qui huiusmodi requisitioni nostrae oblationem, et requisitionem fecerunt cum devotae fidei promptitudine solita, nostris affectibus multum grata; et quia confidenter speramus, et credimus vos necessarium nobis quidem in hac parte subsidium liberaliter praestituros, universitatem vestram attente requirimus, quatenus hiis, de quibus vos Raynaldus de Leto miles, senescallus, et Ricardus Maza maior iudex dictorum comitatuum Provinciae, et Forcalquerii, quos ad vos propterea specialiter mittimus ex parte nostra, super ipso negocio duxerint requirendos, fidem indubiam, et ad ea explenda sic efficacem operam adhibere curetis, quod probata in aliis casibus hactenus vestra fidelitas fructum placidi operis in hoc casu gratanter nobis exhibeat, quem spei nostrae de illa praeteriti temporis ratio pollicetur; nosque nobis proinde ad digna gratiarum rependia tenemur, nec latere volumus nostrae intentionis existere, quod quidquid inde requisiti hac vice faciendum duxeritis non ex debito, sed ex dono, et gratia nobis fiat, nec ullum vobis in futurum proinde praeiudicium generetur. Illud insuper ad agendum praemissa libencius debetis attendere, quod quietus, et pacificus status dictae terrae nostrae Pedemontis ad tranquillum, et bonum statum nostrum, aliorumque locorum istarum partium dignoscitur redundare. Datum Aquis anno Domini millesimo ccc x, die primo februarii, viii indictionis: regnorum nostrorum anno primo.

Qualiter iudices, et notarii dietas percipiant quando pro negociis curiae eos vacare contigerit.

Raymundus de Leto miles, Provinciae, et Forcalquerii senescallus bavilis, iudicibus, clavariis, et notariis curiae comitatuum Provinciae, et For-

calquerii praesentibus, et futuris salutem. Serenissimus princeps dominus noster rex Hierusalem, et Siciliae ineffrenatam exhibitionem sumptuum, qui iudicibus, clavariis, et notariis curiarum suarum dictorum comitatuum exhibentur pro dietis, quas extra eorum tribunalia, pro serviciis curiae faciebant, ex consulta deliberatione providit, et mandavit modificando exhibitionem huiusmodi, quod iudex II solidos, ac clavarius, seu notarii XV denarios coronatorum provincialium haberet, et reciperet pro die. Nunc autem, causa nobis rationabili suadente, et vigore mandati regii, quod habemus, consulte providimus, ut usque ad beneplacitum regium, sive nostrum, ampliata exhibitione huiusmodi, iudex III solidos, denarios VI, ac clavarius, seu notarii solidos II recipiant pro dietis huiusmodi, et hoc quotiens pro evidentibus serviciis curiae utpote faciendis, et decidendis inquisitionibus, aut capiendis hominibus, seu rebus aliis per loca baviliae, ipsos, seu ipsorum aliquem extra ipsorum tribunalia accedere oportebit; de quo clavarius, qui solvet pecuniam pro dietis huiusmodi, teneatur in suo computo evidencia opportunitatis ipsius rationabili demonstrare; mandamus igitur vobis, ut praedictam provisionem nostram de cetero, quantum ad quemlibet vestrum pertinet, observetis, praefata ordinatione regia quoad alia in suis finibus remanente. Datum Grassae die XXII augusti, indictione XII.

Privilegium, quod cives Niciae possint vendere vinum post sonum campanae.

Raynaldus de Leto miles, comitatuum Provinciae, et Forcalquerii senescallus vicario, iudici, et clavario Niciae salutem, et dilectionem sinceram. Officii nostri provisio studiis accuratis invigilat regiorum commoditatibus subiectorum, nec cessat frequenter inquirere quid pro statu reipublicae sit utiliter ordinandum, sed libentius indagat ad quae subditorum ipsorum iusticia saepius nos invitat. Sane pro parte universitatis hominum Niciae nobis extitit humiliter supplicatum, ut, cum olim per regiam curiam in civitate ipsa prohibitio poenalis facta extiterit, quod nullus civium civitatis ipsius vinum suum in tabernis privatis, vel publicis post pulsationem campanae curiae vendere, vel tabernam apertam praesumeret quoquomodo tenere, eisdemque civibus prohibitio huiusmodi plurimum sit dampnosa, reformare eam pro communi eorum commodo dignaremur. Nosque indempnitati ipsorum civium volentes providere, et periculis, quae solent ex huiusmodi tabernis apertis plerumque contingere salubriter obviare, viam mediam eligentes, usque ad regium, sive nostrum beneplacitum, consulta deliberatione providimus, quod in tabernis publicis, seu privatis, ubi tamen vinum per tabernarium venditur, seu vendetur, prohibitio de vino huiusmodi post pulsationem campanae curiae non vendendo in suo robore perseveret. Ubi vero in domibus honestorum virorum non per tabernarios, sed per semet- *a* ipsos, filios, uxores, seu servientes eorum vinum vendi contingat, liceat eis, etiam pulsata campana, et apertis ianuis, vinum ipsum libere volentibus emere, seu bibere ministrare, ita tamen quod, ipsa pulsata campana, nullus in eadem domo comedendo, vel bibendo, vel aliter moram trahat, ne sub praetextu morae licitae contingat ad alia illicita debacchare; tabernarios autem intelligimus, qui ex consuetudine publice vinum vendunt. Datum Grassae die XII iunii, VI indictione.

Emptio centregariae, sive iurium, quae debentur nunciis ratione incantuum per eos factorum.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem *b* millesimo CC LXXXVII, mensis octobris die XV. Noverint universi, et singuli, quod Ricius Grassus, et Berengarius Grassus, et Raymundus Grassus, filii dicti Ricii Grassi, auctoritate, et consensu dicti patris eorum, et confitentes se esse maiores annis XXV, et Iacobus de Massis civis Niciae, omnes, et quilibet eorum in solidum per se, suosque heredes, et successores vendiderunt, et tradiderunt, vel quasi, et cesserunt Riquerio de Riqueriis, domino Raymundo Melarinio iurisperito, Bertrando Cayssio, et Guillelmo de Turretis stipulantibus, et recipientibus nomine, et vice universitatis hominum civitatis Niciae, et ad hoc specialiter constitutis per universitatem praedictam more solito congregatam, omnia iura, omnesque actiones reales, et perso- *c* nales, utiles, et directas, reique persequutorias, qualia, et quantacumque sint, et in quibuscumque rebus, actionibus, et rationibus esse censeantur, vel habere debeant, quae, et quas praenominati Ricius Grassus, et Berengarius Grassus, et Raymundus Grassus, et Iacobus de Massis habent, tenent, et possident, seu quasi, sive habere, tenere, vel possidere visi fuerunt temporibus retroactis usque in praesentem diem et praesentem horam, per se, vel per alios, sive iuribus percipiendi nomine, et ex causa centregariae Niciae, sive nunciorum, quos ponebant, et tenebant in curia Niciae, et ponere, tenere consueverunt, et ob quam causam praenominati Ricius, et eius filii praedicti, et Iacobus, seu centregui, vel nuncii praedicti, aut *d* aliter, vel alii eorum nomine, dantes, et concedentes praedicti venditores, nominibus, et forma, quibus, et qua supra, emptoribus suprascriptis recipientibus, et stipulantibus nomine universitatis hominum Niciae iamdictae plenam, et liberam potestatem apprehendendi, tenendi, et possidendi, et deinde in antea retinendi omnia, et singula supradicta, et consimiles servitutes, seu consuetudines, et iura, et actiones omnes, et singulas pertinentes, vel quae pertinere possent, seu poterant eis temporibus retroactis, quocumque modo, seu causa in omnibus, et singulis praemissis casibus, et aliis quibuscumque facientibus, vel qui interpretare possent circa praedicta. Et acquiciando, seu quiciam et liberam clamando universitatem

praedictam, et omnes, et singulos dictae univer- *a* sitatis in perpetuum ab omnibus, et singulis praestationibus, et exactionibus, servitutibus, seu consuetudinibus antedictis, et dependentibus ab eisdem, et quae circa praemissa dici, et excogitari possent. Et devestientes expresse se ipsos venditores ab omnibus, et singulis iuribus, et actionibus, rationibus, possessionibus omnibus, vel quasi, quae, et quas habebant, vel habere poterant, seu visi habere fuerunt in omnibus, et singulis supradictis pertinentibus ad eosdem, quocumque modo, vel causa pertinere possent rationibus, seu actionibus antedictis, et investientes praenominatos emptores nominibus, quibus supra, ac dantes ipsi venditores, et quilibet eorum emptoribus antedictis stipulantibus, et recipientibus nomine universitatis antedictae *b* plenam, et liberam potestatem apprehendendi, et retinendi possessionem corporalem, ac plenariam rerum, et actionum venditarum per ipsos, sicut superius est expressum, et nichil ulterius solvendi, vel dandi de servitutibus, seu conditionibus antedictis; et constituentes se possidere nomine dictae universitatis per unicam horam tantum, qua hora elapsa, et proprietas rerum omnium praedictarum, actionum, et iurium eorumdem praedictae universitatis Niciae, seu subscriptis emptoribus recipientibus, et stipulantibus eiusdem universitatis nomine sit pleno iure, ac totaliter, et integraliter devoluta. Et confitentes praedicti venditores, et quilibet eorumdem se habuisse, et recepisse ab emptoribus antedictis ementibus, recipientibus nomine dictae universita- *c* tis, et omnium, et singulorum Niciae, centum libras provincialium coronatorum, nomine, et ex causa praedictae venditionis, et iurium, et rationum omnium, et singulorum, de quibus, et secundum quid superius facta est mentio, et renunciantes exceptioni eiusdem pecuniae non habitae, et non receptae, et eiusdem non numeratae, et non traditae, et spei futurae numerationis, et demum omnibus, et singulis ex pacto, et ex certa scientia iuribus, et rationibus, et exceptionibus doli, et sine contradictionibus; et demum omnibus, et singulis iuribus ecclesiasticis, vel civilibus, consuetudinibus, vel statutis, propter quae contra praedictam venditionem, ac etiam omnibus, et singulis suprascriptis, et quibuslibet eorumdem contra- *d* venire possent, seu quibus mediantibus aliquid infringere de eisdem. Promittentes insuper dicti venditores per se, et suos praedictam venditionem, et iura eiusdem, secundum quod superius est facta mentio, salvare, defendere, et defensare praedictis emptoribus recipientibus, et stipulantibus nominibus, quibus supra, ab omni homine, et persona suis propriis sumptibus, et expensis; renunciantes ex certa scientia, legibus dicentibus, quod si res evinceretur primo denunciatio fiat venditori, et promittentes se restituturos omnia dampna, et expensas, et interesse, quae, et quas ipsa universitas substineret quocumque modo placitando, eundo, vel redeundo, vel alio modo faciendo, ita quod praedicta universitas, vel emptores praedicti, nichil venditoribus praedictis, vel eorum successoribus de evictione denunciare teneantur praedictae universitati, seu gerenti vices eiusdem universitatis, aut antedictis emptoribus nomine eiusdem universitatis, vel alteri eorumdem simplici verbo credere de omnibus expensis, dampnis, et interesse factis, habitis ratione evictionis, vel contradictionis venditionis praedictae, si quos sumptus, aut expensas, vel interesse fecerit, substinuerit universitas praedicta, vel eius vicegerentes, sub obligatione omnium bonorum suorum, et iuraverunt. Praeterea dominus Raymundus de Torloco miles, vicarius Niciae praedicta omnia, salvo in omnibus iure curiae, super facto nunciorum curiae, et secundum capitula infrascripta, iuxta formam, et mandatum, seu potestatem sibi concessam a nobili viro domino Philippo de Laveno senescallo Provinciae, et exequendo mandatum eiusdem, secundum quod patet per ipsius litteras domini senescalli, quarum litterarum, et capitulorum exemplaria publicata fuerunt, et lecta in parlamento in praesentia dicti domini vicarii, et domini iudicis, quarum litterarum, et capitulorum tenores infra sequuntur, et ita tamen quod praedicti emptores, seu universitas praedicta non possint, vel debeant uti, vel dicere se habere potestatem, vel posse ponendi nuncios in curia praedicta; sed ipsa curia regia, iuxta tenorem infrascriptorum capitulorum laudavit, approbavit, et confirmavit, consilio dicti domini iudicis, in omnibus, et per omnia, secundum quod scriptum est, et iuxta formam capitulorum infrascriptorum. Confitendo insuper dictus dominus vicarius se habuisse nomine laudimii venditionis praedictae, et pro Raymundo Petro clavario Niciensi, quia absens erat, VII libras, XIIII solidos coronatorum, precio venditionis praedictae, renuncians exceptioni dicti laudimii non habiti, et non recepti. Philippus de Laveno miles, dominus Serrae, comitatuum Provinciae, et Forcalquerii senescallus nobili viro, et discreto vicario Niciensi salutem, et amorem sincerum. Noveritis, quod nos ex nunc, prout ex tunc et conventionem, et ordinationem, quam probi homines Niciae fecerunt cum Ricio Grasso, et filiis suis, et Iacobo de Massis, civibus Niciae, occasione centregariae, nec non compositionem de transactione etiam de proventibus, et exitibus eiusdem, laudamus, ratificamus, ac etiam in omnibus, et per omnia approbamus. Praeterea ex nunc, prout ex tunc, similiter approbamus, ratificamus, et confirmamus pactum, concordiam, et compositionem, quam praedicti probi homines una vobiscum fecerunt super facto nunciorum curiae ad hoc, quod curia melius serviatur in praedictis omnibus, vobis committimus vices nostras. Datum Niciae die XXX mensis iulii.

Haec est ordinatio facta per dominos Riquerium, Bertrandum Cayssium, Raymundum Melarinum iurisperitum, et Guillelmum de Turretis, electos per homines universitatis Niciae super

compositione, tractatu, et concordia habita, et tractata per eosdem nomine dictae universitatis, et de voluntate, et consensu nobilis viri domini Philippi de Laveno Provinciae, et Forcalquerii senescalli, cum domino vicario Niciensi, et Iacobo de Massis, et Rissone Grasso, occasione, et ratione nunciorum curiae regiae, seu centregariae, seu messaiariae nunciorum civitatis Niciae praedictae, sicut de mandato, et licentia dicti domini senescalli, patet plenius per ipsius litteras infrascriptas, quarum tenor superius describitur.

In primis, ordinaverunt, quod quilibet habitator Niciensis det nuncio curiae regiae occasione citationis, seu messaiariae cuilibet personae tres pictas ianuinorum infra civitatem Niciae, et burgum; et dictus nuncius teneatur citare bis, vel ter ipsum, *b* et si in prima, vel secunda citatione coram curia non comparuerit; additur per d. iudicem, quod detur unus ianuinus.

Item, ordinaverunt, quod quilibet extraneus det nuncio curiae praedictae occasione citationis, seu messaiariae tres obolos ianuinorum infra civitatem Niciae, et burgum, et dictus nuncius teneatur citare ipsum bis, vel ter, si in prima, vel secunda citatione coram regia curia non apparuerit: confirmatur.

Item, ordinaverunt, quod quaelibet persona tam extranea, quam civitatis Niciae det nuncio curiae regiae occasione, seu causa sasimenti faciendi duos denarios ianuinorum tantum infra civitatem Niciae, et burgum, et alios duos denarios Ianuenses sa- *c* simentum dissasiri faciendi, et si contigerit dictum nuncium ire usque ad collam Saraynam, et Barrium, et Colletum, vel ad Varum, vel ultra sanctum Pontium in territorio sancti Pontii, VIII denarios ianuinorum tantum.

Item, ordinaverunt, quod si aliquae personae civitatis Niciae, vel eius burgi petierint per curiam se poni in possessione aliquorum bonorum alicuius, per aliquem nuncium curiae Niciae occasione sasimenti, vel in possessionem aliquam personam ponendi, seu alia quacumque causa vel occasione habeat dictus nuncius XII denarios ianuinorum, dum tamen faciat, ut supra dictum est. Additur per dictum d. iudicem, ut si dictus nuncius iverit extra civitatem, et burgos ultra Pallionem, et citra *d* praedictos confines Niciae, aut interdictum aliquod fieri, sive sasimentum, sive etiam rem aliquam dessasiri infra civitatem Niciae, vel burgos eiusdem det ipsi nuncio curiae pro ipso sasimento faciendo, seu possessione, vel interdicto, vel dissasimento II denarios ianuinorum tantum, et extraneus IV denarios tantum ianuinorum. Si vero extra civitatem, vel burgos contingeret ipsos nuncios ire rationibus antedictis, vel causa ponendi aliquem civem Niciae, vel habitatorem in possessionem, seu causa quacumque, seu alia iam iverit usque ad collam Saraynam, vel usque ad sanctum Pontium, vel usque ad Barrium, habeat, vel habere debeat ab ipsis civibus, et habitatoribus VI denarios ia- *a* nuinorum tantum, et ultra dictos confines usque ad Varum, vel usque ad Olivum, et ad Colletum sancti Pontii, et per totum territorium Niciae habeat XII denarios ianuinorum tantum a civibus, et habitatoribus Niciae, et ab extraneis habeat dictus nuncius, seu nuncii curiae habeant usque ad dictos confines collae Olivi, et Barri, et sancti Pontii, IX denarios ianuinorum tantum; ultra praedictos confines habeat dictus nuncius, seu habeant nuncii ab ipsis extraneis XVIII denarios ianuinorum tantum, dummodo nuncius faciat, ut supra dictum est.

Item, ordinaverunt quod nuncius curiae praedictae habeat si contigerit ipsum portare literas per castra vicariae Niciensis, vel alibi per ipsam vicariam, vel aliud servicium, vel messaiariam facere in castris praedictae vicariae pro aliquo habitatore Niciensi, XII denarios pro qualibet dieta; et extranea persona det dicto nuncio XVIII denarios ianuinorum: confirmatur.

Item, ordinaverunt, quod quilibet habitator Niciae possit incantare, seu incantari facere cuicumque sibi placuerit omnes res tam mobiles, quam immobiles, exceptis rebus et possessionibus, in quibus de iure oportebit interponi decretum iudicis auctoritate. Additur per dictum dominum iudicem, quod omnia, quae vendentur per aliquem extraneum, vel occasione alicuius extranei ad incantum incantentur, et incantari debeant, per incantatorem, seu incantatores curiae Niciae, quem, et quos curia duxerit eligendum, seu eligendos; et exinde habeat curia, seu incantator, seu incantatores curiae, nomine dictae curiae, ius suum, secundum quod in praesentibus capitulis declaratum est. Et demum ab omnibus personis, quae aliquid ipsis incantatoribus, seu incantatori curiae Niciae fecerit incantari. Insuper, quod nullus civis Niciae audeat facere incantari aliquam rem alicuius extranei, nisi denunciet incantatori, vel incantatoribus curiae Niciae, cum aliqua fraude, vel machinatione, et si contra faceret per curiam puniatur.

Item, ordinaverunt, quod pro rebus, seu possessionibus, quae, vel quibus incantabuntur per nuncium curiae regiae, dictus nuncius, seu nuncii habeant, et percipiant curiae nomine, seu ipsa curia pro eorum incantu facto, II denarios ianuinorum tantum pro libra usque ad quantitatem XXV librarum ianuinorum infra. Salvum remaneat ius curiae semper in quantitates in capitulo comprehensas, quantumcumque summa excederet dictas XXV libras, videlicet usque ad summam XXV librarum curia semper recipiat duos denarios ianuinorum pro libra pro incantu.

Item, ordinaverunt, quod homines civitatis Niciae non teneantur tenere nuncios curiae regiae, sed ipsa curia teneat, et habeat tantos nuncios quantos tenere voluerit, et sibi placuerit suis sumptibus, pro causis supradictis, salvo eo, quod eis taxatum est per capitula supradicta.

Item, ordinaverunt, quod omnis habitator Niciensis possit uti de signis curiae regiae ostentis,

ut consuetum est per ipsos cives, et habitatores a
Niciae: confirmatur.

Item, ordinaverunt, quod tam pro ponenda aliqua persona civitatis Niciae in possessionem tedialem, quam corporalem, habeat dictus nuncius dictae curiae regiae infra civitatem, et burgum II denarios ianuinorum, et si extra civitatem, XII denarios ianuinorum, et extraneus det dicto nuncio infra civitatem denarios IV ianuinorum, et extra XVIII denarios Ianuinorum: confirmatur.

Item, ordinaverunt, quod curia regia non teneatur habere plancas in Paliono; ymo cives Niciae, seu universitas dictae civitatis teneatur tenere ipsas plancas suis propriis expensis: confirmatur.

Item, ordinaverunt, quod omnes homines civitatis Niciae, seu habitatores eiusdem sint immunes, b
liberi, et franqui ab omnibus aliis servitutibus, in quibus dare consueverunt occasione centregariae; et quod dicti nuncii non habeant, vel habere debeant ab hominibus, seu habitatoribus Niciae, seu extraneis, nisi ea, quae superius sunt ordinata, iure curiae in omnibus semper salvo.

Item, ordinaverunt, quod praeco, seu praecones, et nuncii curiae teneantur cridare vinum per loca consueta civitatis Niciae, pro uno denario ianuinorum. Et si contingeret aliquam personam civitatis Niciae amisisse aliquod animal, vel facere aliquam cridam per loca iam dicta, pro II denariis ianuinorum, et extraneus IV denariis ianuinorum.

Item, ordinaverunt, quod quandocumque fuerit opportunum, seu necessarium facere cridam pro c
bono, et utilitate universitatis praedictae, quod praeco, seu nuncius teneatur facere cridam, et nihil inde habeat, salvo tamen si specialiter tangeret aliquam personam, seu personas specialiter, teneatur solvere, ut superius ordinatum est. Lecta fuerunt dicta capitula etc.

De tabernis; de portis palacii non solvendis, de licentia portandi balistam causa venationis, et certis aliis casibus.

Ugo de Vicinis, miles, Provinciae, et Forcalquerii senescallus iudici, et clavario Niciae salutem, et amorem sincerum. Supplicationes pro parte universitatis hominum de Nicia nobis oblatas, vobis d
mittimus praesentibus interclusas, ma idantes vobis, quatenus dictis supplicationibus diligenter attentis supplicantibus illa, quae per nos ordinata sunt, et provisa pro bono statu dictae curiae super iam dictis supplicationibus, quae per propositiones nostras scriptas in dictorum supplicantium finibus denotatur, servare, et servari facere inviolabiliter studeatis ita, quod dictae civitatis cives nostram sollicitudinem circa hoc sibi profuisse gaudeant, vestrumque intervenisse in eorum debita exequutione diligenter studium recognoscant. Datum Niciae, die VIII ianuarii, anno incarnationis Domini millesimo CC nonagesimo quarto, VIII indictione.

Tenor vero dictarum supplicationum de quibus fit mentio in literis domini senescalli praedicti, et responsionum in fine ipsarum factarum, tales sunt, ut sequitur infra.

Homines nobiles civitatis Niciae sibi requirunt super capitulis infrascriptis de opportuno remedio provideri per excellentiam, et nobilitatem magnifici, et potentis viri domini Ugonis de Vicinis honorabilis militis Provinciae, et Forcalquerii senescalli.

In primis, quod homines inculpati ex quacumque causa iusta, vel iniusta in palacio Niciae detrudantur solvunt XIIII denarios pro portis. = Non fiat deinceps contra non iuste detemptos.

Item, super eo requirunt, quod homines culpati ex causa, ex qua possint committi fideiussoribus, non debeant detrudi in carcerem; cum necessarium saepe contingat. = Istud sit in arbitrio iudicis Niciae, quod iure informet.

Item, super eo, quod omnis homo, pulsata campana curiae, vel non pulsata, dummodo sit bonae famae, et non tabernarius tenens tricariam, possit vendere vinum, panem, et carnes, et caetera necessaria. = Fiat.

Item, super eo, quod, pulsata campana ipsa, possint eiicere aquas mundas, vel immundas in carreriis, seu viis. = Scribatur vicario, et iudici Niciae, ut, vocatis probis hominibus ipsius negocii noticiam habentibus, provideant negocio praescripto.

Item, super eo, quod homines bonae famae, qui reperientur ire post sonum campanae, non aggraventur, nec pignorentur de banno aliquo, seu poena, cum contrarium saepissime contingat. = Super eo utantur officiales bono arbitrio.

Item, super eo, quod quilibet homo possit portare causa venationis, et ludendi ad bassalum balistam suam cum matraciis et viris, et enses, dum exeunt extra civitatem Niciae equitando, vel pedites ex quacumque causa. = Possint bassallare in confinis civitatis Niciae cum viris, et matraciis, et non aliter.

Item, quod, cum in civitate Niciae usitatum sit pro comodo, et utilitate ipsius civitatis panem, qui venditur, ponderari per regardatores ad hoc ordinatos, ipsi regardatores in dampnum, et praeiudicium ipsius civitatis, et hominum eiusdem recipiunt a singulis praenominatis turonensem argenti in qualibet hebdomada, permittentes eosdem pannaterios vendere panem iuxta eorum voluntatem, et sine pondere. = Fiat inquisitio, et debita reformatio, et correctio super hiis per curiam Niciae.

Item, super eo, quod arbitri, et notarii arbitrorum constituantur annis singulis in civitate Niciae, non suspecti, nec de parte, sed iusti, et legales, et idem fiat de regardatoribus, cum multa dampna incurrant, et incurrent, et possent incurrere homines civitatis Niciae. = Fiat iuxta bonum arbitrium vicarii Niciae, qui pro tempore fuerit.

Item, super eo, quod fiat eis teneri macellum, et carnes ibi vendi iuxta id quod alias retroactis temporibus per locum, et longissimum tempus usi-

tatum est. = Fiat iuxta diuturnum, et iuri consonum usum.

Quod nullus incarceratus aliquid solvat pro carceragio, dum tamen in carcere non dormiat.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo ccc xxiii, die sexta iulii, sextae indictionis. Ex tenore scripti huius publici pateat universis, tam praesentibus, quam futuris, quod cum magnifici, et egregii viri domini Raynaldus de Scalleta, miles, Comitatuum Provinciae, et Forcalquerii, senescallus, et dominus Bonifacius Scara magnae regiae curiae magister rationalis, eorumdem Comitatuum, maior, et secundarum appellationum iudex, in civitate Niciae existentes, pro quibusdam agendis curiae, fecerint ad ipsorum praesentiam evocari nonnullos nobiles, et populares civitatis ipsius, et ipsos requisiverint, et monuerint, ut si volunt aliquam quaerimoniam facere, vel exponere de aliquibus officialibus dictae terrae, quod eis palam, vel in occulto dicant, et quaerelas exponant, atque gravamina, si qua eis illata sunt, quam parati sunt, et paratos se offerunt ipsos, et unumquemque benigne audire, et de ipsis, prout ad ipsorum spectat officium, iusticiam ministrare. Quibus quidem propositis incontinenti surrexit Guillelmus Revoerii sindicus universitatis ipsius Niciae, et coram dominis ipsis, praesentibus nobilibus, et popularibus, exposuit, quod Poncius de Secureto carcerarius carceris regii Niciensis exigit, et habere vult a quolibet homine, qui incarceratur, liliatum unum argenti contra ius, et contra consuetudinem diu observatam, et habitam in civitate ipsa; ex eo, quia nullus civis ipsius civitatis, qui in carcere ponitur, et detinetur, nisi dormiat nocte in carcere, pro carceragio quicquam solvere debet. Et continue praefati domini senescallus, et maior iudex fecerunt ad ipsorum praesentiam evocari praedictum Pontium, et quaerimoniam ipsam factam per dictum siudicum exposuerunt eidem, in hominum ipsorum praesencia, ac sindici antedicti. Qui Pontius allegavit ipsam pecuniam exigere ab hominibus, qui ponuntur, et detruduntur in carcere iuxta statutum regium inde factum, videlicet, quod si quis civis, seu quivis alius capiatur, et in carcere detrudatur, si capiatur sine culpa, et in carcere ponatur solvere nihil debet, si autem deliquit, et culpam comisit, et ponatur in carcere, dormiat intus, vel non, debet solvere ius carceris, iuxta formam, et tenorem statuti ipsius, et sic exigit, habet, et percipit ab hominibus carceratis. Et tandem, exposito per ipsos nobiles, et populares, ac sindicum ante dictum coram dominis ipsis, quod capti, et detempti, nisi in nocte in carcere dormiant, solvere nihil debent iuxta ipsorum usum, et consuetudinem, aut habeant culpam, vel non, decreverunt domini antefati, et ipsi Pontio praesenti et audienti expressius praeceperunt, quod deinceps ab aliquibus carceratis nihil exigat, vel extorquere praesumat pro

a iure carceris, nisi in nocte dormierint; quo casu ius carceris possit exigere, et habere, et aliter non, iuxta usum, et consuetudinem dictae terrae de quibus ipsi domini sunt plenius informati. De quibus omnibus praefatus sindicus petiit sibi fieri publicum instrumentum. Actum Niciae in aula regia, in qua vicarii morantur, praesentibus Nicholao de sancto Victore, notario domini senescalli, Barthollino de Bonavia, Benedicto de Sancto Victore, et Ioanne Gaylleto, scutifferis praefati domini senescalli, testibus vocatis, et rogatis. Ego Iacobus de sancto Elpidio, imperiali, ac illustris domini Caroli secundi Dei gratia Hierusalem, et Siciliae regis, bonae memoriae, auctoritate, et nunc curiae Niciae notarius, praedictis interfui, et rogatus haec scripsi,
b et publicavi.

Quod homines Niciae possint legnayrare in territorio Gaudae, et locis circumvicinis.

Philippus de sancto Gineto, miles, regius Comitatuum Provinciae, et Forcalquerii senescallus officialibus regiis civitatis Niciae, praesentibus, et futuris, salutem, et dilectionem sinceram. Pro parte universitatis hominum dictae civitatis fuit nobis nuper expositum querelanter, quod cum ipsi a tempore cuius in contrarium memoria non existit, fuerint, sintque ad praesens in possessione, seu quasi, lignayrandi, seu ligna faciendi quaecumque tam in nemore de Gauda, quam in aliis locis circum-
c vicinis dictae civitatis, dominus de Gauda exponentes ipsos propter sui potenciam in dicta possessione, seu quasi, turbat indebite, et multipliciter inquietat, faciendo eis diversas personales irrogari iniurias, in eorum grave praeiudicium, et iacturam; super quo nostra provisione petita, volumus, et vobis auctoritate regia, qua fungimur, mandamus expresse, quatenus si vocatis, qui vocandi propterea fuerint, vobis constiterit supplicantes fuisse, et esse in dicta possessione, ipsos, tam vos ipsi praesentes, quam vos alii successive futuri officiales praedicti in eadem possessione, seu quasi, iusti favoris praesidio manuteneatis, et defendatis, non permittentes ipsos, seu eorum quemlibet, seu aliquem in dicta possessione, seu quasi, per dictum dominum
d de Gauda, seu per quempiam alium molestatorem illicitum indebite molestari; audentes in contrarium resistere per poenarum impositiones, exactiones earum pro curia si in illas incurrerint, aliaque opportuna, et debita iuris remedia cohibendo; et nihilominus vos praesentes officiales de praedictis iniuriis, quas ipsi exponentes supra illatas asserunt cum diligentia inquiratis. Et si quos per inquisitionem ipsam culpabiles inveneritis exinde, sicut negocii qualitas exigit, mediante iusticia, puniatis. Praesentibus post opportunam inspectionem earum remanentibus praesentanti. Datum in sancto Remigio, per virum nobilem dominum Ioannem Iuvenassio iuris civilis professorem, maiorem dictorum Comitatuum, et secundarum appellationum iudicem; anno

Domini millesimo ccc xxxiii, die primo iunii, primae indictionis.

Tenor subscriptionis ipsarum literarum.

Anno Domini millesimo ccc xxxiii, die xiii mensis iunii, fuerunt praesentes literae praesentatae nobilibus viris dominis Petro de Lambisco militi, vicario, et Iohanni de Forti iudici civitatis Niciae, per nobilem domicellum Iordanum Badati, et Guillelmum Baude de Nicia, sindicos civitatis eiusdem, quibus lectis, et publicatis per me infrascriptum notarium mandato ipsorum dominorum vicarii, et iudicis, ipsi domini officiales responderunt se fore paratos, constito eis de contentis, retroscriptas literas ipsas exequi reverenter, et contenta in ea inviolabiliter observare: quae scripsi ego Franciscus Revelli notarius, et signavi.

Transactio facta inter villam superiorem, et inferiorem civitatis Niciae, de certis differentiis.

Anno Domini millesimo ccc xxvii, die xxvii mensis septembris. Tenore huius praesentis publici instrumenti evidenter cunctis pateat, et sit notum, quod cum quaestionis materia esset orta, et quaestiones, seu controversiae agitatae fuissent, agerentur etiam in praesenti, et agitari fortius dubitaretur verisimiliter in futurum inter homines, cives, et habitatores villae superioris civitatis Niciae ex parte una, et homines, cives, et habitatores villae inferioris civitatis praedictae, ex parte altera, super quibusdam immunitatibus, praerogativis, libertatibus, seu consuetudinibus, quas homines, cives, et habitatores dictae villae superioris, se asserebant habere, et habere debere, et habuisse etiam ab antiquo super grano cuiuscumque generis, leguminibus, fructibus aridis, et pluribus aliis apportandis per terram ad civitatem eamdem, causa vendendi, adducendis, et vendendis in dicta villa superiori ad sestarium lapidis, et non alibi in civitate eadem, et super ipso sestario communi lapideo habendo in dicta villa superiori, et non alibi, prout est hactenus consuetum; et super nundinis, et mercato, et etiam macello faciendis in dicta villa superiori, iuxta consuetudinem diutius observatam. Super quibus immunitatibus, praerogativis, libertatibus, et consuetudinibus homines, cives, et habitatores villae inferioris se asserebant quamplurimum aggravatos, et petebant dictas immunitates, praerogativas, libertates, et consuetudines, aut restringi, aut penitus extirpari. Super qua quidem extirpatione, seu restrictione, ut praemittitur facienda, dicti homines cives, et habitatores villae inferioris offerebant capitula infrascripta.

Tenor capitulorum. Petunt homines Podii maris, quod bladum deportandum de Lombardia, et locis aliis omnibus, exceptis de vicaria Niciae, et bavilia Venciensi, vendi, emi, et deportari possit per quemcumque bladum ipsum deferentem inferius, et superius per civitatem Niciae, ad voluntatem deferentium, ementium, et vendentium, et etiam mensurare pro libito voluntatis, et idem de leguminibus.

Tenor secundi capituli. Item, quod quilibet emere possit ad sestarium lapidis unum saccum annonae, seu bladi, quantum in eo fuerit, et portari facere ad mensurandum quocumque voluerit.

Tenor tertii capituli. Item, quod ficus, nuces, castaneae, pira, poma, et fructus alii quicumque, quocumque nomine nuncupentur, tam sicci, quam recentes, undecumque veniant, portari, vendi, et mensurari possint, et emi, tam superius, quam inferius, ad voluntatem deferentium, ementium, ac vendentium; et hoc idem sit de gallinis, pullis, perdicibus, volatilibus aliis, et omnibus carnibus bestiarum ferarum, carnibus porcinis.

Tenor quarti capituli. Item, quod tomae brocium, quae sunt, et fuerunt tam hominum Niciae, quam locorum aliorum de Turretis, Fallicono, Aspermontis, et aliorum quorumcumque locorum existentium ultra aquam Pallionis, portari, emi, et vendi possint, tam inferius, quam superius, ad voluntatem deferentium, ementium, et vendentium, et quod tomae brocium venientes de villa Franca, Ysia, et Turbia, et aliis locis existentibus citra dictam aquam Palionis superius vendantur, et stent usque ad horam terciae, et postea possint ire ad vendendum per totam terram, tam superius, quam inferius, pro libito voluntatis.

Tenor quinti capituli. Item lac, undecumque veniat portari, vendi, et emi possit ubicumque, tam superius, quam inferius ad voluntatem vendentium.

Tenor sexti capituli. Item, quod pisces precii, seu valoris unius turonensis de o rotundo, et infra vendi, et emi possint inferius ad voluntatem ementium, et vendentium, et ultra valorem dictae quantitatis superius deferantur, salvis tamen privilegiis personis omnibus illis, quibus concessum est, seu in futurum concedetur super emendis piscibus ubicumque in dicta civitate, tam superius, quam inferius, per dominum nostrum regem, et eius haeredes.

Tenor septimi capituli. Item, quod notarius arbitrorum uno anno sit de villa superiori, et alio de villa inferiori, non obstante, quod alias officium ipsum aliter impetraret, et quod pro parte totius universitatis, supplicatum fuerit domino nostro regi, quod sibi placeat ita fieri.

Tenor octavi capituli. Item, quod si contingat aliquam personam aliquando venire ad dictam civitatem cum blado, vel cum annona per terram, hora tarda, postquam vesperae sonatae fuerint, quod possit bladum, seu annonam ponere inferius, ubi voluerit, et postea in crastinum illud portare ad sestarium lapidis teneatur, si sit de vicaria Niciae, bavilia Venciensi, comitatus Vinctimilii, et vallis Lantuscae, et bavilia Thenearum.

Tenor noni capituli. Item, quod in vigilia beatae Mariae medii augusti, dum nundinae incipiuntur,

gentes ire teneantur ad eas pulsato ad terciam, *a*
et non ante, et de tercia, eadem hora possint redire.

Tenor decimi capituli. Item, quod regardatores creandi in civitate praedicta, dum iurabunt officium promittant sub virtute sacramenti, poena vigintiquinque librarum per officiales Niciae imponenda eisdem, omnia, et singula supradicta servare, et non contrafacere, dicere, vel venire, et si contingeret per aliquem eorumdem fieri contrarium, in eo casu quatuor homines, duo villae superioris, et alii duo villae inferioris de ipso contrastu, seu discordia, infra dies octo numerandos a die dicti contrastus, concordare possint, et debeant; quod nisi fecerint ipsi regardatores amittant officium, et solvant poenam praedictam. Super quibus quidem quaestio- *b*
nibus, litibus, et controversiis ortis, et quae oriri possent modo quolibet in futurum inter partes easdem, tam super praedictis immunitatibus, praerogativis, libertatibus, seu consuetudinibus, quam super capitulis antedictis, praedictae partes, videlicet homines, cives, et habitatores villae superioris, et homines, cives, et habitatores villae inferioris congregati, et coadunati omnes in unum in publico parlamento, mandato virorum nobilium dominorum Raymundi de Grassa domini de Cabriis vicarii Niciae, voce praeconia, sono tubae praeeunte, et ad sonum campanae turris veteris, et Bertrandi de Ayrollis iudicis, ibidem in plano palacii, ut moris est et hactenus consuetum congregari universitatem eamdem, considerantes, quod super prae- *c*
dictis quaestionibus, litibus, et controversiis sopiendis, tam homines, cives, et habitatores villae superioris, quam homines, cives, et habitatores villae inferioris, non sine magnis sumptibus, dispendiis per ambaxiatores eorum, adiverant sacram regiam maiestatem, et quod ipsa maiestas regia, quae ex innata sibi liberalitate, et clemencia consuevit prosequi suos fideles subditos favoribus, et consiliis opportunis, eidem universitati direxerat super ipsa concordia facienda suas literas, tenoris et continentiae subsequentis.

Robertus Dei gratia Hierusalem, et Siciliae rex viris providis, et discretis, universis hominibus civitatis Niciae, dilectis fidelibus nostris gratiam, et bonam voluntatem. Super controversiis, quae *d*
sunt inter illos ex vobis, qui habitant superius circa castrum, et alios, qui morantur inferius iuxta burgum, peticiones oblatas nobis pro parte vestra, per ambaxiatores vestros, et nuncios speciales per vos propterea ad nostram nuper praesenciam destinatos, libenter audivimus, et sicut iidem nuncii vestri sciunt, benigne respondimus ad eosdem; super capitulis vero quae dicti nuncii nobis pro parte vestra tradiderunt, de novoque videri, et examinari fecimus diligenter, et ceteris aliis quae in praesentia nostri exponere curaverunt, nulla per nos ipsis responsio facta fuit. Providimus tamen, ac volumus, et fidelitati vestrae mandamus expresse, ut super eisdem controversiis compromittatis in aliquos probos viros de dicta civitate per vos ad id communiter eligendos, qui illas audiant, ac ad honorem, et fidelitatem nostram, bonumque statum, et prosperum vestrum, et civitatis ipsius, prout eis videbitur, terminent et decidant; alias enim tam super praedictis possessionibus per nos decretatis, quam super capitulis de novo, ut praefertur oblatis, providebimus pro ut nobis ex consilio nostro exinde melius visum erit. Datum Neapoli sub annulo nostro secreto, die XI iulii, X indictionis. Et quod etiam ducalis excellencia ostendens viscerosam dilectionem, quam habet erga fideles suos subditos civitatis praedictae, eidem universitati pro concordia antedicta suas direxit litteras continentiae infrascriptae. = Tenor ipsarum litterarum. = Carolus illustris Hierusalem, et Siciliae regis Roberti primogenitus, dux Calabriae, ac eius vicarius generalis universis hominibus civitatis Niciae, fidelibus paternis, suisque salutem, et dilectionem sinceram. Quantum expediat, isto praesertim tempore, fideles paternos, et nostros in solito vinculo unionis persistere, et in pace, pulsis odiis, remanere, ipsa temporis condicio indicat, et negociorum occurrentium qualitas quadam manifesta probatione demonstrat. Propter quod vos requirimus, et hortamur, nichilominus iniungentes, ut vos in solitae unionis vinculo conservantes ad offensiones mutuas insurgere non temptetis, per quas status vester laedi valeat, et incommoda multiplicis minorationis incurrere non absque indignatione paterna regia, atque nostra. Datum Florenciae sub parvo sigillo nostro, die XXVI iulii, X indictionis.

Considerantes etiam dampna, et pericula, quae inter cives civitatis praedictae possent contingere ex divisione, et discordia antedictis, et volentes eisdem dampnis, et futuris periculis totis conatibus obviare, et cupientes quam plurimum ad pacem, et concordiam, et tranquillitatem omnimodam pervenire, et dispendia, sumptus, et anfractus litium evitare, quae incertos, et dubios consueverunt habere exitus, et eventus pariter dampnosos, cupientes etiam mandatis universitati praedictae literatorie factis tam per sacram regiam maiestatem, quam per dominum nostrum ducem super ipsa concordia facienda, humiliter, et fideliter obedire; pro bono pacis, et concordiae, omnes simul unanimiter, et concorditer, nemine discrepante se compromiserunt alte, et basse, et largum compromissum, et firmum fecerunt in nobiles, et sapientes viros dominos Hugonem Michaelis, Iordanum Sardiniae iuris peritos, Danielem Marquesani, Iacobum de Cayrasco, Guillelmum Asserii, et Raymundum Berengarii cives, habitatores, et amicabiles compositores, pacis, et concordiae tractatores, et amicos communes; dantes, et concedentes praedictae partes congregatae in unum, ut praemissum est, in publico parlamento, omnes simul unanimiter, et concorditer, et nemine discrepante, praedictis dominis arbitris, arbitratoribus, et amicabilibus compositoribus, amicis communibus, pacis et

concordiae tractatoribus plenam generalem potestatem, ac etiam largum, et absolutum posse praedictas quaestiones, lites, et controversias audiendi, et examinandi, ac etiam definiendi, et terminandi, et quicquid super ipsis voluerint ordinandi, iuris ordine servato, vel non servato, in parte, vel in solidum praetermisso, stando, vel sedendo, die feriato, vel non feriato, in quibuscumque locis, quibuscumque diebus, et horis, partibus absentibus, et etiam non vocatis, ubicumque voluerint, et quocumque, ac etiam qualitercumque, dando de iure unius partis alteri parti, vel etiam remittendo in solidum, vel in parte sic et prout eisdem videbitur faciendum. Promittentes etiam dictae partes sibi ad invicem, et vicissim, ac etiam omnes simul in dicto parlamento publico congregati unanimiter, et concorditer, nemine discrepante, sub obligatione, et ypotheca omnium bonorum suorum praesentium, et futurorum, michi Petro Medici notario dictae curiae, tamquam personae publicae stipulanti, et recipienti vice, et nomine omnium, et singulorum, quorum interest, seu interesse poterit in futurum, quod ipsi stabunt, observabunt inviolabiliter et perpetuo quicquid per dictos dominos arbitros, arbitratores, et amicabiles compositores, communes amicos pacis et concordiae tractatores, ordinatum, pronunciatum, cognitum, seu sententiatum, definitum, laudatum, seu arbitratum fuerit super quaestionibus, litibus, controversiis, seu altera earumdem, et super incidentibus, et emergentibus ex eisdem, seu altera earumdem, etiamsi inique ordinatum, cognitum, pronunciatum, laudatum, seu arbitratum fuerit per eosdem; promittentes etiam dictae partes sibi ad invicem, et vicissim, et omnes simul, nemine discrepante, unanimiter, et concorditer mihi supradicto notario stipulanti, et recipienti nominibus, quibus supra, et sub ypotheca, et obligatione praedictis, quod ipsi, et eorum quilibet ordinationem, sententiam, cognitionem, lauda, mandamenta, et arbitria praedictorum dominorum, arbitrorum, et amicabilium compositorum proferenda, et promulganda super ipsis litibus, quaestionibus, et controversiis, et super altera earumdem, et super incidentibus, et emergentibus ex eisdem, qualiacumque fuerint, omologabunt, confirmabunt, ratificabunt, et observabunt perpetuo, et non contrafacient, venient, seu dicent, tacite, vel expresse, verbo, vel opere, de iure, vel de facto, per se, vel per aliam interpositam personam, et quod non appellabunt ab ipsis, nec recurrent ad arbitrium boni viri. Volentes, consencientes, et mandantes partes praedictae, et per pactum expressum super hoc appositum, et solemni stipulatione vallatum, quod quaecumque ordinationes fiendae, et quaecumque sententiae, cognitiones, pronunciationes, mandamenta, arbitria, sive lauda proferenda, et promulganda, proferendae, et promulgandae per praedictos dominos arbitros, et arbitratores, et amicabiles compositores, communes amicos, pacis et concordiae tractatores super ipsis quaestionibus,

a

litibus, controversiis, seu altera earumdem, et super incidentibus, et emergentibus ex eisdem habeant, et obtineant vim, et potestatem iudicialis sententiae, et cuiuslibet rei iudicatae, et quod incontinenti in rem transeant iudicatam; et quod ex ipsis praedictis partibus, et utraque ipsarum actio, et exceptio tribuatur. Renunciantes dictae partes omni iuri canonico, et civili scripto, vel non scripto, omnique exceptioni iuris, et facti, per quod, et per quam contra praedicta venire possent, infringere, seu revocare aliqua de praedictis. Volentes etiam dictae partes, quod praesens compromissum vim, et potestatem habeat duorum compromissorum, unius cum poena, et alterius sine poena, ac etiam cuiuslibet transactionis iuratae. Et de praedictis omnibus

b

dictae partes pecierunt sibi fieri publicum instrumentum, quod de pacto expresso possit dictari ad sensum, et dictamen domini iudicis supradicti cum omnibus clausulis opportunis, et necessariis ad valorem, et firmitatem compromissi praedicti. Actum in plano palacii praedicti, in praesentia Petri Lamberti, Guillelmi de Revo scribae, Francisci de Cabriis filii domini Raymundi de Grassa domini de Cabriis vicarii Niciae, Bertrandi Ruffe, et Guillelmi Petri de Lucis, testium rogatorum, ad haec specialiter vocatorum, et mei Petri Medici notarii publici constituti ab illustrissimo domino Roberto rege Hierusalem, et Siciliae, qui rogatus hanc cartam scripsi, et meo signo signavi.

c

Sententia compromissoria.

In nomine domini nostri Ihu Xpi amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo ccc xxvii, die ultimo mensis octobris, undecimae indictionis. Noverint universi praesentes pariter et futuri tenore huius publici instrumenti, quod cum quaestionis materia esset orta, et quaestiones, et controversiae agitatae fuissent, et agitarentur etiam in praesenti inter homines, seu cives, et habitatores villae superioris civitatis Niciae ex parte una, et homines, seu cives, et habitatores villae inferioris civitatis eiusdem ex parte altera super quibusdam immunitatibus, praerogativis, franquesiis, et consuetudinibus, quas homines, cives, et habitatores villae

d

superioris praedictae sibi vendicabant, et se habere debere ab antiquo asserebant in grano, fructibus aridis, et pluribus rebus aliis deferendis, seu apportandis, et vendendis in villa superiori praedicta ad sestarium lapidis, et non alibi in civitate eadem; ac etiam super ipso communi sestario lapidis tenendo in dicta villa superiori, et non alibi, prout hactenus fuit consuetum; et etiam super macello, mercato, et nundinis faciendis in dicta villa superiori, et non alibi, iuxta consuetudinem diutius observatam. Propter quae homines, cives, et habitatores villae inferioris praedictae asserebant, et reputabant se nimium gravatos, et petebant praedictas immunitates, praerogativas, franquesias, et consuetudines restringi, seu etiam extirpari, su-

per qua restrictione, seu extirpatione facienda in a praedictis conferebant decem capitula, quae inferius seriosius denotantur. Cumque super praedictis homines, cives, et habitatores utriusque villae tam inferioris, quam superioris per ambaxiatores suos adivissent sacram Hierusalem, et Siciliae regiam maiestatem, quae quidem maiestas regia circumspecte attendens, et considerans, quod propterea in civitate praedicta inter homines, cives, et habitatores civitatis eiusdem rancores, et discordiae variae, et diversae nascerentur quotidie, ac etiam pullularent in grave dispendio subiectorum suorum, ex innata sibi clementia, et consulta deliberatione providit, licet aliqua capitula maiestati suae oblata per ambaxiatores villae inferioris praedictae decretasset, et super ipsis eisdem suas litteras con- b cessisset, quod dictae controversiae, quaestiones, et rancurae quaecumque inter cives civitatis eiusdem compositione amicabili sopiantur, et finem debitum sortiantur, ut dicti cives vinculo verae dilectionis, et pacis connexi, et alligati in unum sint, et faciant unum corpus, ut coniunctione sincera animorum per ipsos ne dum bene ordinent agenda in civitate eadem, sed etiam tenere valeant inimicos. Et ideo ipsa maiestas regia pietate, et viscerosa charitate, quibus prosequitur cives civitatis iamdictae, eidem universitati suae clementiae litteras destinaverit, pro quibus quidem literis audiendis, et intelligendis, devote fuit ipsa universitas tam villae superioris, quam inferioris mandato virorum nobilium Raymundi de Grassa domini de Cabriis vicarii c Niciae, et Bertrandi de Ayrolis ibidem iudicis, voce praeconia, sono tubae praeeunte, et ad sonum campanae turris veteris, more solito, congregata in publico parlamento, in plano palacii regii, ubi, et prout congregari consuetum est universitatem eamdem; et publicatis, et lectis litteris praedictis tam sacrae regiae maiestatis, quam domini nostri ducis in publico parlamento, et earum tenoribus diligenter, et reverenter auditis per universitatem eamdem, ipsa universitas, homines, videlicet, cives, et habitatores tam villae superioris, quam inferioris in unum, ut praedictum est, congregati in ipso publico parlamento, volentes, et cupientes mandatis, et iussionibus tam sacrae regiae maiestatis, quam ducalibus reverentia, qua convenit, obedire, et parere d totis viribus, cum effectu omnes simul, nemine discrepante, unanimiter, et concorditer compromiserint, et firmum compromissum fecerint in viros nobiles, et prudentes dominum Hugonem Michaelis, Iordanum Sardiniae iurisperitos, Danielem Marquesani, Iacobum de Cayrasco, Guillelmum Asserium, et Raymundum Berengarium cives civitatis eiusdem, de omnibus, et singulis litibus, controversiis, seu quaestionibus quibuscumque, quae iam ortae erant, sperabantur et possent oriri, modo quolibet, inter cives praedictos occasione immunitatum, praerogativarum, libertatum, et consuetudinum praedictarum, et de omnibus incidentibus, seu emergentibus ex eisdem, seu ex aliqua earumdem, tamquam in arbitros, arbitratores, et amicabiles compositores, pacis et concordiae tractatores, et cum omni, et qualibet plenitudine potestatis, prout de ipso compromisso plene constat tenore publici instrumenti scripti manu mei notarii infrascripti, deinde producto ad audienciam magnifici, et potentis viri domini Raymundi de Scalleta militis, comitatuum Provinciae et Forcalquerii senescalli, et nobilis et potentis viri domini Petri de Ultramarinis de Ianua regii consiliarii, et familiaris maioris, et secundarum appellationum iudicis comitatuum praedictorum, existentium in civitate praedicta, tam de dictis litibus, controversiis, quaestionibus ortis inter cives eosdem occasione immunitatum, praerogativarum, et consuetudinum praedictarum, quam etiam de literis destinatis universitati praedictae tam per sacram regiam maiestatem, quam per dominum nostrum ducem, ac etiam de compromisso concorditer facto inter cives eosdem, et de omnibus plenarie informati, et habita deliberatione cum pluribus diligenti, iidem dominus senescallus, et maior iudex volentes, et quam plurimum cupientes, quod tam voluntas regia, quam ducalis effectu laudabilis operis totaliter impleatur, et quod status dictae universitatis sit pacificus, et tranquillus, extirpata discordia, et concordia pullulante, pro communi utilitate, et statu pacifico dictae terrae, fecerunt ad eorum praesenciam evocare arbitros, et arbitratores praedictos, quibus districtissime praeceperunt, et sub virtute per eos, et eorum quemlibet praestiti iuramenti, quod dictis litibus, quaestionibus, controversiis, et causis finem imponant debitum, ipsasque definiant, expediant, et terminare debeant amicabiliter, vel alias, prout eis magis expedire videbitur infra tempus in ipso compromisso contentum, ne propter lapsum dicti temporis dictae quaestiones, lites, et controversiae ulterius remaneant insuspensae. Tandem praedicti arbitri, arbitratores, et amicabiles compositores, pacis et concordiae tractatores volentes tam sacrae regiae maiestatis, quam domini nostri ducis, et etiam dominorum senescalli, et maioris iudicis reverenter mandatis, et iussionibus obedire, et providere salubri statui dictae terrae, auditis, et intellectis litibus, quaestionibus, et controversiis praedictis, visis, et examinatis immunitatibus, praerogativis, et franquesiis, et consuetudinibus auditis, quarum occasione dictae quaestiones inter cives eosdem fuerant suscitatae, et super ipsis omnibus habito cum dictis partibus diligenti consilio, et tractatu, partibus ipsis absentibus, iuxta potestatem eisdem in dicto compromisso specialiter attributam, viam arbitratorum sequentes, et habentes prae oculis solum Deum, pro bono pacis et concordiae, sua mandata, arbitria, lauda, sententias, seu cognitiones per modum inferius designatum protulerunt, videlicet per dominum Iordanum Sardiniae unum ex compromissariis, qui de voluntate, et mandato expresso omnium aliorum compromissariorum, infrascriptas sententias, cognitiones, mandamenta, lauda, et arbitria promulgavit.

Capitula inter villam superiorem, et inferiorem. a

Et primo, voluerunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandato, et arbitrio dederunt, quod, non obstantibus decretationibus factis per regiam maiestatem super quibusdam capitulis eidem oblatis per ambaxiatores villae inferioris, et quibuscumque literis inde concessis, cum super eis mandet ipsa maiestas regia per subscriptas literas concordiam fieri, atque pacem; quod sestarium, seu sestaria lapidis sint, et esse debeant in villa superiori tantummodo, et non in loco alio civitatis eiusdem iuxta ecclesiam beatae Mariae de Platea, prout fuit hactenus consuetum, et quia sic semper ibi fuerat, ubi mensuratur bladum, annona, et legumina, fructus etiam aridi, et conservativi, quae ad dictam b civitatem imposterum deferentur per terram, per modum tamen infrascriptum, et specialiter designatum; ita quod in aliquo loco dictae civitatis non possit teneri sestarium in communi lapideum, seu ligneum, seu alterius materiae cuiuscumque.

Item, voluerunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandato, arbitrio, sive laudo dederunt, quod in dicta villa superiori iuxta dictum sestarium celebretur, et fiat mercatum tantummodo semel in septimana, videlicet in diebus lunae, quia sic etiam est fieri consuetum.

Item, voluerunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandamento, arbitrio, sive laudo dederunt, quod nundinae celebrentur, et fiant tantummodo in villa superiori semel in c anno quolibet per tres dies, incipiendo hora tercia in vigilia dicti festi (1), et finiantur hora tercia diei tercii post dictum festum, ad quas nundinas mercerii, et revenditores carnium salsarum, et caseorum, et aliorum mercimoniorum minutorum teneantur deferre mercimonia, et merces suas, et ipsis nundinis durantibus panis, vinum, seu res aliae vendi, vel emi non debeant per quemcumque extra muros villae superioris, quia etiam sic est fieri consuetum.

Item, voluerunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandamento, arbitrio, sive laudo dederunt, quod macellum omnium carnium, exceptis dumtaxat carnibus porcinis, et carnibus ferarum, sit, et esse debeat, ac etiam te- d neatur in dicta villa superiori iuxta ecclesiam sancti Michaelis, quia sic est fieri consuetum.

Item, voluerunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandato, arbitrio, sive laudo dederunt, quod quandocumque, et quotiescumque fierent taliae universaliter in civitate eadem ex quacumque causa, et in quantitate quacumque, quod homines villae superioris terciam partem dictae taliae solvant, et solvere teneantur, et habitatores dictae villae inferioris residuas duas partes dictae taliae solvant, et solvere teneantur, quia etiam sic fieri est consuetum.

(1) Festum scilicet assumptionis B. M. V.

Tenor capitulorum oblatorum per homines, cives, et habitatores villae inferioris ad restringendas immunitates, praerogativas, et consuetudines antedictas; de quibus supra est facta mentio, dignoscitur esse talis.

Primo, petunt homines Podii maris, quod bladum deportandum a Lombardia, et locis omnibus aliis, excepto de vicaria Niciae, et bavilia Venciensi, vendi, emi, et portari possit quemcumque bladum ipsum deferentem inferius, et superius per civitatem Niciae, ad voluntatem deferentium, emencium, et vendencium, ac etiam mensurare pro libito voluntatis; et idem de leguminibus.

Super quo quidem capitulo praedicti arbitri, arbitratores, et amicabiles compositores, pacis et concordiae tractatores voluerunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandamento, arbitrio, sive laudo dederunt, quod bladum, annona, legumina, et granum generis cuiuscumque, quae ab inde in antea deportabunt, et deportari contigerit ad civitatem praedictam causa vendendi, deportentur, et vendantur tantummodo in villa superiori ad sestarium lapidis de vicaria, et bavilia infrascriptis, scilicet de vicaria Niciensi, et de bavilia Venciensi, de bavilia comitatus Vinctimilii, et vallis Lantuscae, et de bavilia Thenearum; de omnibus vero aliis baviliis, et vicariis bladum, annona, legumina, et granum cuiuslibet generis, quae deportabuntur, et deportari contigerit ab inde in antea ad civitatem praedictam, causa vendendi, possint deportari, emi, et vendi libere, et impune pro voluntate deferentium tam in villa superiori, quam in villa inferiori pro libito voluntatis deferencium, emencium, et vendencium, non obstante consuetudine in contrarium diucius observata in civitate eadem, quae talis erat, videlicet quod distincte annona, et bladum quaelibet, seu legumina, et granum cuiuslibet generis, quae deferebantur per terram causa vendendi ad civitatem praedictam, portari, et vendi debeant in villa superiori ad sestarium lapidis, quae consuetudo moderata, et restricta est, ut superius in praesenti capitulo est descriptum; et ita voluerunt intelligi illud, quod supra in capitulo, in quo fit mentio de sestario lapidis, continetur.

Tenor secundi capituli. Item, quod quilibet emere possit ad sestarium lapidis unum saccum annonae, seu bladi quantumcumque in eo fuerit, et portari facere ad mensurandum quocumque voluerit.

Super quo quidem secundo capitulo praedicti arbitri, arbitratores, et amicabiles compositores, et communes amici voluerunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandamento, laudo, seu arbitrio dederunt, quod fieri possit libere, et impune, prout in ipso secundo capitulo continetur, dummodo non habeant sestarium in communi, ut superius est expressum.

Tenor tertii capituli. Item, quod ficus, nuces, et castaneae, pira, poma, et fructus alii quicum-

que, et quocumque nomine nuncupentur tam sicci, *a* quam recentes, undecumque veniant, portari, vendi, et mensurari possint, et emi, tam superius, quam inferius ad voluntatem deferentium, emencium, et vendencium, et hoc idem sit de gallinis, pullis, perdicibus, volatilibus aliis, et ovis, carnibus bestiarum ferarum, et carnibus porcinis.

Super quo quidem tercio capitulo praedicti domini compromissarii voluerunt, ordinaverunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandamento, arbitrio, seu laudo dederunt, quod fieri possit libere, et impune, sic et prout in ipso tercio capitulo continetur, hoc excepto, retento, et salvo, quod fructus, sicci, seu aridi, et conservativi deferantur, et deferri debeant in villa superiori ad sestarium lapidis, et ibi vendi, et emi *b* tantummodo in diebus lunae, quibus diebus mercatum in dicta villa superiori fieri debet, et teneri, non obstante consuetudine aliqua hucusque in contrarium observata.

Tenor quarti capituli. Item, quod tomae brocium, quae sunt, et fuerunt tam hominum Niciae, quam aliorum locorum de Turretis, Falicono, Aspermonte, et aliorum quorumcumque locorum existentium ultra aquam Pallionis portari, vendi, et emi possint tam inferius, quam superius ad voluntatem deferentium, emencium, et vendencium, et quod tomae, et brocium venientes de Villafranca, Ysia, et Turbia, et aliis locis existentibus citra dictam aquam Pallionis superius vendantur, et stent usque ad horam terciae, et postea possint ire ad venden- *c* dum per totam terram tam superius, quam inferius pro libito voluntatis.

Super quo quidem quarto capitulo praedicti domini compromissarii voluerunt, ordinaverunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandamento dederunt, arbitrio, seu laudo, quod fieri possit libere, et impune, sic et prout in dicto quarto capitulo continetur, non obstante quacumque consuetudine hucusque in contrarium observata.

Tenor quinti capituli. Item, quod lac undecumque veniat portari, vendi, et emi possit ubicumque tam superius, quam inferius ad voluntatem vendencium.

Super quo quidem quinto capitulo dicti domini compromissarii voluerunt, ordinaverunt, cognove- *d* runt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandato, arbitrio, sive laudo dederunt, quod fieri possit libere, et impune, prout in dicto quinto capitulo continetur.

Tenor sexti capituli. Item, quod pisces precii, seu valoris unius turonensis de o rotundo, et infra, vendi, et emi possint inferius ad voluntatem emencium, et vendencium, et ultra valorem dictae quantitatis superius deferantur, salvis tamen privilegiis personis omnibus illis, quibus concessum est, seu in futurum concederetur super emendis piscibus ubicumque in dicta civitate tam superius, quam inferius per dominum nostrum regem, et eius heredes.

Super quo quidem sexto capitulo praedicti domini compromissarii voluerunt, ordinaverunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandamento, arbitrio, seu laudo dederunt, quod ab inde in antea pisces precii, seu valoris viginti denariorum parvorum monetae currentis, et infra, possint vendi, et emi inferius libere, et impune. Pisces vero maioris precii, seu valoris deferantur ad villam superiorem ante capitulum regium, et ibi tantummodo possint vendi, et emi, et non alibi, sub poena statuta, salvis tamen privilegiis supradictis impetratis, vel imposterum impetrandis, non obstante quacumque consuetudine hucusque in contrarium observata.

Tenor capituli septimi. Item, quod notarius arbitrorum, uno anno sit de villa superiori, et alio de villa inferiori, non obstante quod aliquis officium ipsum aliter impetraret; et quod pro parte totius universitatis supplicetur domino nostro regi, quod sibi placeat ita fieri.

Super quo quidem capitulo septimo, praedicti domini compromissarii voluerunt, ordinaverunt, cognoverunt, et sentenciando pronunciaverunt, et pro mandamento, arbitrio, sive laudo dederunt, quod ab inde in antea fiat, et observetur sic, et prout in ipso septimo capitulo continetur.

Tenor octavi capituli. Item, quod si contingat aliquam personam aliquando venire ad dictam civitatem cum blado, vel cum annona per terram, hora tarda, postquam vesperae sonatae fuerint, quod possit bladum, sive annonam ponere inferius, ubi voluerit, et postea in crastinum illud portare ad sestarium lapidis teneatur, si sit de vicaria Niciae, bavilia Venciensi, comitatus Vinctimilii, et vallis Lantuscae, et bavilia Thenearum.

Super quo quidem octavo capitulo praedicti domini compromissarii voluerunt, ordinaverunt, cognoverunt, et sententiando pronunciaverunt, et pro mandamento, arbitrio, sive laudo dederunt, quod venientes ad civitatem praedictam cum blado, annona, et alio grano quocumque de locis, et baviliis supradictis, hora tarda, videlicet post solis occasum, possint libere hospitari in villa inferiori praedicta, cum dictis annona, blado, et grano; et in crastinum teneantur dictam annonam, bladum, et granum integraliter, et sine diminutione portare ad sestarium lapidis, et ibi vendere, sub poena commissionis bladi, et annonae, et grani, et sub poena statuta, non obstante quacumque consuetudine huc usque in contrarium observata.

Tenor noni capituli. Item, quod in vigilia Beatae Mariae medii augusti, dum nundinae incipientur, gentes teneantur ire ad eas, pulsato ad terciam, et non ante, et die tercia, eadem hora possit redire.

Super quo quidem nono capitulo praedicti domini compromissarii, voluerunt, ordinaverunt, cognoverunt, et sententiando pronunciaverunt, et pro mandamento arbitrio, sive laudo dederunt, quod ab inde in antea fiat, et observetur sic et prout

in dicto nono capitulo continetur; ita tamen quod dictae nundinae durent per tres dies, et non amplius, sive minus.

Tenor decimi capituli. Item, quod regardatores creandi in civitate praedicta, dum iurabunt officium, promittant sub virtute sacramenti, et poena xxv librarum per officiales Niciae imponenda eisdem, omnia, et singula supradicta servare, et non contrafacere, dicere, vel venire. Et si contigerit per aliquem eorumdem fieri contrarium, eo casu quatuor homines, duo villae superioris, et alii duo villae inferioris, de ipso dissensu, seu discordia infra dies octo numerandos a die dicti contrastus, concordare possint, et debeant, et nisi fecerint, ipsi regardatores amittant officium, et solvant poenam praedictam.

Super quo quidem decimo capitulo praedicti domini compromissarii voluerunt, ordinaverunt, cognoverunt, et sententiando pronunciaverunt, et pro mandamento, arbitrio, sive laudo dederunt, quod ab inde in antea fiat, et observetur, sic et prout in dicto decimo capitulo continetur.

Item, voluerunt, et ordinaverunt, cognoverunt, et pronuntiando sententiaverunt, et pro mandamento, arbitrio, sive laudo dederunt domini compromissarii antedicti, quod ab inde in antea quandocumque fieri contigerit armata maritima in civitate dicta, quod uno anno eligatur capitaneus de civibus, et habitatoribus villae superioris, et alio anno de civibus, et habitatoribus villae inferioris; salvo, et retento beneplacito sacrae regiae maiestatis, et eius dispositione, et ordinatione in omnibus semper salvis, et quod ipsius sacrae regiae maiestatis voluntas, et beneplacitum sint, et intelligantur excepta in omnibus supradictis, quae usque ad dictum beneplacitum observentur.

Volentes, et ordinantes domini compromissarii antedicti, quod praedicta possint ad sensum domini Bertrandi de Ayrolis iudicis Niciensis dictari, facti substantia non mutata; et quod de praedictis fiant duo consimilia instrumenta, unum videlicet habitatoribus villae superioris, et aliud habitatoribus villae inferioris.

Actum Niciae in plano ante capitulum regium, ante domum Pauli Ambrosii, in praesentia dominorum Iacobi Ruffi, Audiberti de Bariano castellani palacii regii civitatis Niciae militum, Raymundi de Grassa domini de Cabriis vicarii Niciae, Petri Rigueti, Petri Lamberti notariorum dictae curiae regiae Niciensis, et Durandi de Batuto de Massilia, testium rogatorum ad haec specialiter, et vocatorum, et mei Medici, notarii publici constituti ab illustrissimo domino Roberto rege Hierusalem, et Siciliae, qui rogatus hanc cartam scripsi, et meo signo signavi.

Infrascripta consueverunt pertinere, et spectant ad officium regardariae in civitate Niciae.

Et primo, voce praeconia adhibendum est, ut boni et
a legales, qui regardatores vulgariter nuncupantur (1), constituantur in eo loco, primo circumspectio adhibenda est circa creationem officialium nostrorum, ut munde fiat, abiectis praemiis, affectionibus, praecibusque, et aliis quibuscumque. Et videtur, quod dicta creatio magis munde, et absque fraude fiat, si congregato consilio civitatis Niciae omnes officiales iurent ad sancta Dei Evangelia, in praesentia domini vicarii civitatis eiusdem; nominent octo viros bonos de civitate praedicta, et ipsos in scriptis donent dicto domino vicario, expresso prius in dicto iuramento, quod aliquem non nominabunt, pro quo praeces, requisitionem, vel subiectionem habuerint a quacumque persona, seu praemium, donum, vel munus receperint, vel recipere sperent in futurum
b propter dictam nominationem, nec propter aliquam consanguinitatem, affinitatem, vel amicitiam, sed solum, quos utiles, aptos, et sufficientes ad dictam regardariam inter caeteros cives Niciae existimabunt, et vicarius, antequam discedat, consilio, vel saltem eadem die, eligat quatuor de dictis octo, et ipsos faciat iurare.

REGARDARIA.

De macellariis.

Primo, quod omnis macellarius teneatur facere
c macellum de avere vivo, quod habebit in dicta civitate, vel eius territorio, sub poena x solidorum, ut est consuetum.

Item, quod nullus macellarius in botiga aliquod animal dividat, seu spesset, nisi tantummodo in macello Niciae, sub poena x solidorum.

Item, quod nullus macellarius vendat carnes aliquas, nisi fuerint primo per regardatores extimatae, nec plus quam sint extimatae, nisi essent carnes haedi, agni, vel vituli, nisi in tribus diebus nundinarum, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod omnis macellarius teneatur vendere de carnibus per dictos regardatores extimatis cuicumque personae emere volenti, sub poena x so-
d lidorum.

Item, quod omnis macellarius teneatur facere unicuique personae petenti unam peciam carnium, excepto de tertio anquae animalis, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod nullus macellarius scorizet aliqua animalia in aliqua apotheca a festo Pentecostes usque ad festum sancti Michaelis, sub poena x solidorum.

Item, quod nullus macellarius vendat carnes alicui revenditori ante solis ortum, sub poena x solidorum, tam contra macellarium praedictum, quam

(1) Nomen istiusmodi tributum illis, qui in municipiis aedilitio hocce munere funguntur, etiamnum nonnullis locis apud subalpinos servatur. — Italice *riguardatori*.

contra ementem, nisi tempore vindemiarum, et sem- a
per post extimationem regardatorum.

Item, quod nullus macellarius faciat societatem, nisi cum uno alio macellario tantum, sub poena x solidorum, postquam avere erit in territorio civitatis Niciae.

Item, quod nullus macellarius ducat, seu duci faciat aliqua animalia per territorium Niciae, nisi illa, quae interficiet, seu interfici faciet in macello civitatis praedictae, sub poena x solidorum, pro quolibet animali, et illa, quae duxerint, macellentur in unum annum a tempore quo ipsa duxerint.

Item, quod omnis macellarius scindat nervos, seu scindi faciat de spatulis omnium carnium caprarum, et arietum, sub poena x solidorum. b

Item, quod omnis macellarius faciat collum cuiuslibet animalis, seu dimittat longum, sicut auriculam bestiae lanutae est, sub poena x solidorum.

Item, quod nullus macellarius ponat pinguedinem in aliquo animali, nisi propriam ipsius animalis, sub poena x solidorum.

Item, quod nullus macellarius vendat carnes pro aliis, quam sint, videlicet ovem pro ariete, nec pro mutone, agnum pro haedo, et sic de aliis, sub poena LX solidorum, pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod nullus macellarius inflet, seu inflari faciat cum ore aliquam bestiam, sub poena x solidorum, et amissionis animalis pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod nullus macellarius vendat ultra qua- c
tuor droerios per annum, sub poena x solidorum.

Item, quod nulla persona aportet, seu apportari faciat carnes aliquas in macello Niciae, nisi illas, quae interfectae essent, in apothecis dictorum macellariorum, seu in macello praedicto, sub poena x solidorum pro qualibet bestia, et amissionis carnium.

Item, quod nullus macellarius vendat carnes corruptas, sub poena x solidorum, et amissionis carnium.

Item, quod nemo macellariorum inflet carnes cum ore; et quilibet eorum teneat apertas portas eorum apothecarum, ita quod liber sit regardatoribus introitus de die, et de nocte, exercendo eo-
rum officium; et quod unusquisque macellariorum d
teneatur facere cuique emere volenti mediam peciam carnium, sub poena in capitulis regardariae contenta.

De piscatoribus.

Primo, quod nullus piscator intret, seu calet ad spelucam, nisi prout per regardatores praedictos fuerint datae sortes, sive postae, sub poena x solidorum, et refectionis dampni.

Item, quod nullus piscator impediat alium in cala traynorum, sive recium bugiarum, sub poena x solidorum, et refectione dampni dati.

Item, quod piscator portet, seu portari faciat omnes pisces, quorum singuli valeant ultra unum turonensem argenti, ad villam superiorem ante turrim grossam, et ibi vendere, et non alibi, sub poena x solidorum, et amissionis piscium.

Item, quod omnis piscator capiens tonnos a capo sancti Hospicii usque ad punctam Varis, teneatur ipsos portare, seu portari facere ad civitatem Niciae, ad villam superiorem, sicut est consuetum, sub poena x solidorum pro qualibet vice, et amissionis piscium.

Item, quod quaecumque persona extranea, quae portabit pisces per terram ad civitatem Niciae, non audeat ipsos vendere nisi ad villam superiorem ante turrim grossam, sub poena x solidorum pro qualibet vice, et amissionis piscium.

Item, quod dentur per quoscumque piscatores in mari huius civitatis piscantes, et sardinas ad speones capientes, quatuor sardinae pro singulo denario, videlicet XVI ad patacum ad minus, et hoc sub poena x solidorum Ianuensium pro quolibet, et qualibet vice.

De pistoribus, et panateriis.

Item, primo, quod omnis pistor, et panateria ponat pondus in panibus, quod sibi dabitur per regardatores Niciae, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis panis.

Item, quod nullus pistor, seu panateria celet panem regardatoribus quando venient pro ponderando panes, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis panis.

Item, quod nullus pistor, seu panateria faciat panes nigros, sive albos, nisi det tres pro quatuor denariis, sicut est consuetum; non faciat aliquem panem valoris unius vallodii, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis panis.

Item, quod nullus pistor, seu panateria emat, seu emi faciat in civitate Niciae annonam, vel bladum in diebus mercati, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis bladi.

De forneriis.

Item, quod omnis fornerius permittat panem coqui cuilibet panateriae, seu pistori, quantum placuerit panateriae, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

De revenditoribus.

Item, quod omnis revenditor carnium salsarum, candelarum, olei, brocii salsi, et caseorum debeat facere denariatam de qualibet dictarum rerum cuicumque volenti, sub poena x solidorum.

Item, quod nullus revenditor, seu revenditrix candelarum de cepo, et candelarum brandonorum de cera ponat farassonum in eis nisi de cotono,

sub poena x solidorum; nec aliquam mixturam faciat ibi illicitam, sub poena LX solidorum, et amissionis dictarum rerum pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod nullus revenditor emat pisces, vel emi faciat in diebus veneris, vel sabbatinis, nec in quadragesima, vel aliis diebus ieiunalibus in civitate Niciae, donec sit pulsatum ad terciam, sub poena x solidorum, et amissionis piscium pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod nullus revenditor emat, vel emi faciat aliqua volatilia, sive salvaginam extra civitatem Niciae, vel in eius territorio, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis dictarum rerum.

Item, quod omnis revenditor, seu revenditrix debeat tenere balansas cum perno rotundo, sub poena LX solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod nullus revenditor, seu revenditrix emat aygracios, nec amygdalas, seu fructus quoscumque alios ab aliqua persona ignota, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis dictorum fructuum, nisi possent ostendere venditorem.

Item, quod nulla revenditrix fructuum debeat immiscere fructus, qui sibi remanebunt in sero cum recentibus, quos emet, et vendet de mane, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis dictorum fructuum.

Item, quod nullus revenditor, vel alia persona vendat, nisi duos solidos cum dimidio parvae monetae currentis par perdicum, sub poena x solidorum pro quolibet et qualibet vice, et amissionis perdicum.

Item, quod quoad vendentes oleum in ripa maris huius civitatis servetur ordinatio per consilium hactenus facta, videlicet quod ad rationem precii, quo vendunt in grossum, vendere teneantur ad minutum cuicumque emere volenti.

Item, revenditores olei ad minutum teneantur, per tres dies continuos de oleo per eos in ripa maris empto dare, seu vendere cuicumque emere volenti ad precium quo venderetur illud tunc in ipsa ripa.

Item, quod si quis venditor olei ad minutum inceperit vendere unam iarram olei ad certum precium, non possit illud precium augmentare, durante oleo in illa iarra existente, et similiter intelligatur de caseis, et carnibus salsis.

De mercatoribus.

Item, quod nullus mercator, seu alia persona faciat aliquam mixturam illicitam, puta, ordeo, silligine, pulvere, vel similia in aliqua annona, blado, seu legumine, sub poena LX solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis dictarum rerum, si dicta mixtura fuerit probata.

Item, quod nullus mercator, seu alia persona vendat unam rem pro alia, sub poena LX solidorum
a pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis dictarum rerum.

Item, quod omnis mercator, revenditor, mercerius, seu mistralis apportet, seu apportari faciat de mercibus, seu mercaturis suis consuetis ad villam superiorem tempore nundinarum, et ibi teneat tempore consueto dictas res, sub poena LX solidorum.

Item, quod nullus auri faber praesumat, nec audeat operari aliquod argentum de minori ligua, quam sit argentum de vinteno, sub poena LX solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

De ponderibus, et mensuris.

Item, quod nulla persona debeat vendere aliquam
b rem ad aliquam mensuram nisi esset marcata de marco curiae, sub poena LX solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod nulla persona debeat vendere ad aliquod pondus, nisi esset marcatus de marco curiae, sub poena LX solidorum.

De annona, et blado non emendo ultra quatuor sestaria.

Item, primo, quod nulla persona emat ultra quatuor sestaria annonae, vel bladi in die ad sestarium lapidis, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis dictae annonae, vel bladi, vel sicut continetur in capitulo sententiae latae in-
c ter homines villae superioris, et inferioris.

De annona, seu blado apportando ad villam superiorem.

Item, quod omnis persona, quae apportet annonam, seu bladum ad Niciae civitatem, causa vendendi per terram, apportet ad villam superiorem, et illam vendat ad sestarium lapidis iuxta sententiam super hiis latam, sub poena LX solidorum et amissionis bladi, et annonae.

Quod panni de albaysio, et telae vendantur ad aunam.

d Item, quia ut ibidem relatum fuit malicia committitur non modica per revendentes pannos albaysios, et agninos, telasque lineas, et canabacias, quia illos emunt ad mensuram aunae, et revendunt ad mensuram cannae, ordinatum extitit, quod de caetero nullus revenditor, seu revenditrix rerum praedictarum, aut earum alterius audeat, vel praesumat ipsas, aut aliquid ex eis vendere, sive revendere nisi ad mensuram aunae, sub poena x solidorum ianuinorum pro quolibet, et qualibet vice, et confiscationis, sive amissionis ipsarum rerum applicandarum officio regardariae huius civitatis.

De vino non apportando in civitate Niciae, vel eius territorio. a

Item, quod nulla persona audeat apportare vinum extraneum, videlicet non natum in territorio Niciae, per mare, vel per terram ad dictam civitatem, vel eius territorium, sub poena amissionis dicti vini, et vasorum, in quibus apportaretur, et bestiarum, et lignorum, super quibus portaretur.

Alia nova ordinatio super vino.

Audita modernorum regardatorum facta querela, quod certi homines huius civitatis, et praelati faciunt apportare vinum extraneum ad praesentem civitatem, sub certis coloribus dissimulatis, contra b
capitula, et in praeiudicium huiusmodi universitatis, fuit conclusum, quod capitulum regardariae super hoc editum servetur ad unguem cum effectu, et quod regardatores praesentes, et futuri sint ad hoc diligentes, et attenti, et quod quaelibet persona boni nominis et famae possit quoscumque ad hanc civitatem, et eius territorium vinum extraneum apportantes accusare, et habeat poenam commissi.

De eodem super male coquinatu.

Item, fuit ordinatum, quod de caetero facientes male coquinatum, non audeant vendere aliquod vinum, caetera vero victualia vendere possint, nisi c
dumtaxat tempore vindemiarum, et sub poena xxv librarum coronatorum.

De blado, seu annona non extrahenda a civitate Niciae.

Item, primo, quod nulla persona extra vicariam civitatis Niciae audeat extrahere per mare, vel per terram annonam sive bladum de civitate Niciae, vel eius territorio, sub poena lx solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis bladi, et annonae, nisi ad hoc haberet licentiam a curia regia.

De mundicia carreriarum civitatis Niciae. d

Item, primo, quod nulla persona proiiciat aliquam bruturam, ita quod foetor inde proveniat de die in aliqua carreria civitatis praedictae, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod omnis persona mundet, seu mundari faciat, sive ramassari de aestate qualibet die sabbati ante domum suam, quantum durat spatium domus suae, sub poena xii denariorum pro quolibet, et qualibet vice.

Item fuit ordinatum, quod porci non vadant per urbem, et quod regardatores faciant executionem sub poena amissionis porci, et x solidorum.

Item, quod nulla persona faciat bruturam aliquam de portali gabellae, usque ad portale tercenalis, sub poena v solidorum, nec intus, nec extra.

Item, quod nulla persona audeat costolare linum, vel brigolare canapum in aliqua carreria recta civitatis Niciae, post solis ortum, sub poena v solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

De aqua non brutanda.

Item, primo, quod nulla persona aliquam bruturam in aliqua aqua, quae communiter per gentes bibitur, faciat, sub poena x solidorum.

De brutura non facienda in macello.

Item, quod nulla persona faciat aliquam bruturam, nec salet pelles, nec scindat menutas in macello Niciae, sub poena x solidorum.

De lignis non exonerandis nisi in civitate.

Item primo, quod nulla persona, quae apportet ligna ad civitatem Niciae in aliquibus bestiis non audeat exonerare in toto itinere, nisi casus accideret, sed ita ea vendat sicut oneravit in dictis bestiis, sub poena x solidorum, et amissionis lignorum.

De tabernis, et venditoribus vini.

Item, primo, quod tabernarius, et venditor mensuret legaliter dictum vinum implendo mensuras, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

Item, quod nulla persona cuiuscumque condicionis existat, faciat mixturam in vino de aqua, vel de alio vino putrefacto, vel aliter non sano, vel de alia re illicita, sub poena lx solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

Ut unicuique tribuatur mensura, et pondus.

Item, primo quod quilibet venditor mensuret, seu ponderet legaliter res, quas emptoribus vendit, sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice.

De non cavando in camarcio.

Item, quod nulla persona cavet in camarcio, seu in illo intermedio, quod est subtus egredarium portisselli, et circuitus murorum, terram, argillam, vel lapides, sub poena solidorum x pro quolibet, et qualibet vice.

De apportando bladum, seu annonam ad civitatem Niciae.

Item, primo, quod omnis persona, quae emat bladum extra civitatem Niciae causa apportandi ad dictam civitatem ad revendendum, debeat illud apportare ad civitatem Niciae usque ad carnis privium,

vel saltem velociter denunciare regardatoribus quantitates *a* per eos emptas, sub poena x librarum, et amissionis dicti bladi, seu annonae.

De blado non extrahendo de ripa Niciae, nec de portu Olivi.

Item, quod nulla persona audeat aliquod vas maritimum oneratum blado, vel annona, postquam applicuerit in ripa Niciae, seu portu Olivi, illud inde deducere, seu extrahere sine licentia curiae regiae, sub poena amissionis bladi praedicti, seu annonae.

Fiant etiam aliqua capitula iuxta sententiam latam inter villam superiorem, et inferiorem. *b*

Ad conservandum pacificam unitatem inter homines villae superioris, et inferioris, teneantur iurare regardatores creati, et creandi in civitate Niciae sententiam arbitralem latam dudum inter praedictos homines villae superioris, et inferioris, per viros nobiles dominos Ugonem Michaelis, Iordanum Sardinae, iuris peritos, Danielem Marquesanum, Iacobum de Cayrasco, G. Asserii, et Raymundum Berengarii cives Niciae arbitratores electos inter homines supradictos, et scriptam per Petrum Medici notarium, sub poenis in dicta sententia comprehensis, quae poenae ipso facto comittantur sine aliqua sententia, et processu, tam de amissione officii, *c* quam de solvendis xxv libris reforciatorum, prout in dicta sententia latius continetur.

Haec est ordinatio noviter facta per consilium Niciense super cera.

Primo, quod quicumque volens facere operagium de cera nova, vel veteri, possit facere libere, et impune prout sequitur infra. Primo, quod omnis persona volens ipsam artem facere, tenere debeat de brandonis cerae novae, et veteris brandonetos, cirietos, candelas grossas, et parvas per subscriptum modum, quod brandoni cerae novae habeant farassonum cotoni novi, et quod farassonus ipse sit eiusdem grossitudinis, infra quam supra pro mostra, *d* ut melius videatur, et eiusdem valoris, sine aliqua alia mixtione, quod si reperiatur contrarium, sit in poena x solidorum.

Item, quod possit facere brandonos cerae veteris, copertos de cera nova desuper cum farassonis filorum, et quod desuper per monstram farassonus sit de filo, sine aliqua fraude, et sine aliqua mixtione.

Item, fiant de brandonetis, candelis grossis, et menutis, ut supra, de qualibet dictum est.

Item, quod si facientes operagium dictae cerae interrogentur per ementes dicere veritatem, videlicet an sit opus cerae novae, vel veteris, sub poena lx solidorum.

Item, quod si fraus aliqua per eos committatur faciendo dictum opus, incurrant poenam lx solidorum.

De macello porcorum.

Item, super macellandis carnibus porcinis fuit ordinatum, quod servetur modus antiquus in hac civitate continue, ut ibi declaratum fuit, servari consuetum de movendo squinucias, numbros, et scoblatas (*sic*) et vendendo ad minutum precio cuiuslibet librae ad illam rationem, qua carnes illas vendi contigerit ad cauballum, quamdiu vacant interficiendo, spessando, et macellando, sub poena lx solidorum.

De coriateriis, sive unctoribus.

Item, quoad petitionem, et cedulam requisitoriam factam per coriaterios huius civitatis, in ipso consilio porrecta, fuit conclusum unanimiter, et ordinatum, quod quilibet sit in sua libertate artem sabbateriae, et curateriae simul, vel divisim faciendi, tamen legaliter, et sine fraude. Et ad providendum super eiusdem artis opera elegerunt instantiatores Franciscum Calverie in ipso consilio praesentem, et Colinum Picholi cum regardatoribus ad sex menses a die praesenti inchoandos, et ipsi coriaterii de caetero coria, et pelles ungant de assungia porcina, et de caepo, aequa quantitate, et non aliter.

Ordinationes factae super nundinis concessis per dominos Regem et Reginam, de quibus habemus privilegium in die, sive festo beati Andreae in civitate Niciae, currente millesimo ccc liiii *a nativitate Domini, die ultima mensis novembris prout infra sequitur* (1).

De loco mercatorum, et poena transgredientium.

Primo ordinaverunt domini consiliarii civitatis Niciae una cum dominis sindicis dicti loci, quod omnes mercatores, omnes mistrales, sive revenditores stent, et stare debeant in dictis nundinis, in civitate Niciae, in locis et carreriis quae sequuntur; et qui contrafecerit, incidat in poenam pro quolibet, et qualibet vice solidorum x, et in amissione suarum mercium, sive mercanciarum.

Item, ordinaverunt dicti domini consiliarii, et sindici de voluntate, et mandato expresso nobilis viri domini Guigonis Flotae vicarii curiae regiae civitatis praedictae praesentis, et consencientis, quod omnes mercatores draperii, et cuiuscumque conditionis existant, stent, et stare debeant in dictis nundinis

(1) Etsi istiusmodi ordinationes excedunt limites temporis, quibus continentur documenta ad Nicaeensia statuta pertinentia, quae in extensum typis mandare decrevimus, tamen quum arctissime nectantur *capitulis regardariae*, eas praeterire noluimus.

quatuor diebus ad minus, computandis a die dicti a festi beati Andreae, et a tribus sequentibus, videlicet in carreria domini Manuelis Ruyssani usque ad domum Martini de Cayrasco a duabus partibus, et sub poena x solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et in amissione suarum mercium, sive mercantiarum.

Item, ordinaverunt, quod omnes mercatores mercerii cuiuscumque condicionis existant, stent, et stare debeant in dictis nundinis dictis quatuor diebus ad minus, prout supra, videlicet in carreria recta de domo Guillelmi Negrelli usque ad domum Serra a duabus partibus; si vero ipsa carreria non sufficeret eis, quod possint ire usque ad colletum panis, et sub poena praedicta pro quolibet et qualibet vice. b

De mercatoribus carnium salatarum, et caseorum.

Item, quod omnes mercatores, seu vendentes caseos, seu carnes salsas, et omnem graissam, candelas de cepo, pisces salatos, et alia similia, stent, et stare debeant in carreria, videlicet in condamina subterrana de domo Raymundi Gaufridi notarii usque ad domum Nicholay de Armanno a duabus partibus, et sub poena praedicta pro quolibet et qualibet vice.

De specieriis, sive apothecariis. c

Item, quod omnes speciatores vendentes species, et etiam brandonos, et candelas de cera stent, et stare debeant de domo Gregorii de Ursetis usque ad mercatum herbarum a duabus partibus, et sub poena praedicta.

De pelliceriis.

Item, quod omnes pellicerii stent, et stare debeant in carreria, videlicet a domo domini Ioannis Rebuffelli usque ad domum Ioannis Feniculi a duabus partibus, et sub poena praedicta.

De mercatoribus ferri, calibis, acutorum, et caeterorum instrumentorum ferreorum. d

Item, quod omnes mercatores vendentes ferrum, accerium, agutos, payrolos, sartagines, et omnia alia ferramenta laborata, vel non laborata, quaecumque sint, et quocumque nomine nuncupentur, stent, et stare debeant in condamina superiori, videlicet a domo Hugonis Grassi usque ad portale rustici a duabus partibus, et sub poena praedicta.

De loco argentariorum, et aurifabrorum.

Item, quod omnes argentarii, sive aurifabri cuiuscumque gradus existant, stare debeant in carreria recta, videlicet a domo Guillelmi Negrelli usque ad domum Bertrandi de Pavia a duabus partibus, et sub poena praedicta.

De loco mercatorum ensium, et gladiorum, aliorumque armorum.

Item, quod omnes vendentes spadas, cultellos, curacias, vel alias armaturas stare debeant in carreria Francisci Prioris usque ad domum magistri Ioannis Cravi notarii a duabus partibus, et sub poena praedicta.

De loco venditorum vitros, vasa terrea, vel fustea, cordas, bastos, etc.

Item, quod omnes vendentes vitros, pignatas, parasides, cisoria, cordas, bastos, vel cellas, vel alia similia, stent in carreria Fustariae, videlicet a domo haeredum Ioannis de Cayrasco quondam usque ad pontem a duabus partibus, et sub poena praedicta.

De loco malecoquinati, quod est immutabilis.

Item, quod malecoquinatum stet, et stare debeat in loco consueto discurrendo usque ad portale postribuli a duabus partibus, et sub poena praedicta.

De accimatoribus (1) et sartoribus.

Item, accimatores una cum sartoribus stent, et stare debeant in carreria Martini de Cayrasco, videlicet de domo Ioannis de Cayrasco usque ad carreriam draperiorum circum circa a duabus partibus, et sub poena praedicta.

De loco cambiatorum.

Item, cambiatores stare debeant in carreria sancti Iacobi in loco consueto, videlicet a domo domini Poncii de Ferris usque ad domum Ioannis Feniculi a parte illa tantum, et sub poena praedicta.

De loco vendencium pullos, et quaecumque alia volatilia.

Item, mercatum pullorum, gallinarum, perdicum, columborum, et aliorum volatilium, et quarumcumque rerum similium vendantur, et stare debeant in logia iuxta mercatum herbarum et aliorum fructuum, et sub poena praedicta.

De mercato herbarum, aliorumque fructuum.

Item, mercatum herbarum, et aliorum fructuum stet in loco consueto, et sub poena praedicta.

(1) *Accimator*, vocabulum, quod in glossario Ducangii non invenitur, originem repetere posset a verbo italico *azzimare*, videlicet ornare; qui mundum muliebrem, et ornamenta parabant accimatorum nomine venire poterant. Aliis fortasse placebit loco *accimatorum* legere *cimatores*, tonsores scilicet pannorum.

De loco canapaciorum, telarum fili torti, vel simplicis, canapi, lini, ficuum, nucum, leguminum, et similium. a

Item, mercatum canapaciorum, telarum fili torti, vel simplicis, canapi, lini, ficuum, nucum, leguminum, et aliarum rerum similium, stet, et stare debeat in carreria sancti Iacobi, videlicet a domo Raymundi Marquesani usque ad domum Gregorii Ursetis discurrendo usque ad portale piscis et ultra usque ad tercenale.

De loco vendencium roncinos, et quaecumque animalia pedis rotundi.

Item, quod equi, roncini, bestiae mulatinae, b
et omnes aliae bestiae pedis rotundi stent, et stare debeant in dictis nundinis anno isto primo in inferiori villa, videlicet in Saleya (1) a domo Raymundini Marquesani usque ad gravam Palionis, discurrendo per totam gravam Palionis a duabus partibus dictae carreriae sub poena praedicta.

De mutatione loci vendentium animalia antedicta.

Et anno secundo sequenti stare debeant dictae bestiae pedis rotundi tantum in villa superiori, videlicet in plano sancti Michaelis, et subsequentibus de anno in annum, videlicet uno anno in villa inferiori, et secundo anno in villa superiori.

Quod avere minutum stet in grava Palionis.

Item, quod omne avere minutum, cuiuscumque gradus existat, stare debeat anno quolibet in grava Palionis versus partem sancti Augustini, sub poena praedicta.

De averi bovino, et porcino.

Item, quod avere bovinum et porcinum cuiuscumque gradus sit, stare debeat in camarcio subtus barrium macelli discurrendo usque ad gravam sancti Augustini, sub poena praedicta.

De mercatoribus habentibus de diversis mercibus. d

Item, voluerunt, et ordinaverunt dicti domini consiliarii civitatis Niciae, quod si contingeret unum mercatorem habere de diversis mercanciis, et de ipsis facere voluerit unam tabulam, sive unam apothecam tantum, quod hoc facere possit libere, et sine contradictione alicuius, tamen illam tabulam faciet in illo loco, in quo stare deberet pro maiori parte suae mercanciae, et sub poena praedicta.

Quod quicumque venditores in locis sibi assignatis diebus quatuor stare debeant.

Item, voluerunt, et ordinaverunt dicti domini consiliarii, quod omnes mercatores, et venditores extranei et privati cuiuscumque conditionis, et gradus existant, stent, et stare debeant in dictis nundinis cum suis mercaturis, sive mercibus in dictis locis ordinatis, prout supra est plenarie declaratum, quatuor diebus ad minus durantibus dictis nundinis computatis a die festi beati Andreae et tribus diebus sequentibus, et sub poena praedicta.

Item, ordinaverunt dicti domini consiliarii civitatis Niciae, quod omnis habitator villae superioris valeat quascumque res ad suum libitum vendere per totam civitatem, et in quocumque loco sibi placuerit.

Item, voluerunt, et ordinaverunt dicti domini consiliarii de consilio, quod quisque possit, et valeat vendere panem, et vinum per totam terram ad libitum vendentis.

Quae praedicta omnia suprascripta, prout supra sunt plenarie declarata, dicti domini ordinaverunt, et voluerunt esse, et habere nominibus ipsorum, et dictae tocius universitatis Niciae perpetuo rata, et firma observare, et numquam in aliquo contrafacere, dicere, vel venire, non praeiudicando in
c aliquo libertates, privilegia, et conventiones habitas inter villam superiorem, et inferiorem, sed ipsas dicunt, et volunt perpetuo duraturas.

Reformatio nundinarum, quae sunt consuetae fieri in festo beatae Mariae medii augusti.

Primo, ordinaverunt domini consiliarii, et sindici civitatis Niciae, quod omnes mercerii veniant ad dictas nundinas ad villam superiorem, et stare debeant in loco consueto, videlicet de domo domini Ioannis de Revesto usque ad domum Gaufridi Guersi.

De apothecariis, seu speciebus.

Item, speciatores, seu vendentes specias stent de domo domini Francisci Cayssii usque ad domum Raymundi Ricardi.

De pelliceriis, et caligas vendentibus.

Item, pellicerii, causolarii, et pellerii stent de domo Raymundi Ricardi usque ad domum Gregorii Papaterra.

De draperiis, ubi stare debeant.

Item, draperii stent de domo Antonii Grassi usque ad domum heredum Petri Creysentii, et quod

(1) Vicus *Saleya*, vel *Seleya* appellatus, erat illis temporibus Niciae. — Vocabuli huiusmodi etymon non satis perspectum habent rerum Niciensium scriptores. De hoc non aliter ac de caeteris quae tangunt veterem urbis Niciae conditionem, vide quam gallico sermone conscripsit concinnam Niciae historiam cl. vir Ludovicus Durante.

quisque draperius teneatur facere deportari ad dictas nundinas pecias pannorum vi ad minus, diversorum colorum, et diversorum preciorum.

De mercatoribus pannorum cuiuscumque coloris vel valoris.

Item, quod omnes mercatores vendentes pannos albaysos, agninos, besaygninos apportent quisque ad minus pecias duas, et stare debeant in dicta carreria aliorum draperiorum.

De sabateriis.

Item, quod omnes sabaterii stent in carreria sabateriae antiqua, videlicet a domo Petri Creysencii usque ad domum Durandi Tisoni, et ibi facere quilibet possit tabulam competentem iuxta posse suum.

De vendentibus ferramenta.

Item, quod revendentes ferramenta grossa stent in platea superiori ante capitulum regium.

De venditoribus cordarum.

Item, quod corderii, et candelarii stent in capitulo regio usque ad ecclesiam beatae Mariae

De vendentibus ferrum, et vitros.

Item, quod omnes vendentes ferrum, agutos, vitra, urceos, et alia similia, stent de domo Francisci Revelli usque ad turrem domini Francisci Caysii.

De hiis, qui ex diversis mercibus voluerint facere tantum unam tabulam.

Item, ordinaverunt dicti domini consiliarii, quod quandocumque contingat aliquem mercatorem, seu mistralem habere in dictis nundinis de diversis mercaturis, seu mercibus, quod ipsas possit, et valeat tenere in una tabula tantum, et vendere.

De vendentibus pisces.

Item, ordinaverunt, quod pisces vendantur iuxta turrim grossam ante capitulum, sicut hactenus est consuetum.

De fromageriis, et panateriis.

Item, quod fromagerii, et vendentes panem, et fructus stent in portalibus, et in portali ponderis, ac in aliis locis debitis, et consuetis, iuxta arbitrium, et ordinationem regardatorum civitatis Niciae, et etiam sindicorum.

a *De locatione apothecarum, et tabularum.*

Item, ordinaverunt, et voluerunt domini consiliarii praedictae civitatis, quod apothecae, et tabulae debeant locari, et solvi iuxta taxationem, et cognitionem dominorum sindicorum, maxime eo casu, quo non possent partes amicabiliter concordari, et quod dicti sindici possint cogere non volentes locare apothecas, et tabulas in locis superius declaratis.

De libertatibus, et privilegiis non frangendis.

Item, voluerunt, et ordinaverunt praedicti domini
sindici, et consiliarii civitatis Niciae, quod liber-
b tates, franquesiae, privilegia, et conventiones, quae
sunt inter villam superiorem, et inferiorem, non
sint propter praedicta in aliquo diminutae, sed ipsas
volunt esse perpetuo duraturas.

Quod regardatores, et arbitri non tenentur facere rationem particularem.

Nicolaus Spinellus miles, legum doctor, regni Siciliae cancellarius, regalis comitatuum Provinciae,
et Forcalquerii senescallus officialibus curiae reginalis civitatis Niciae praesentibus, et futuris, eorumque cuilibet, ad quos spectat, vel locatenentibus
eorumdem salutem, et dilectionem sinceram. Querelosam expositionem pro parte universitatis homi-
c num civitatis Niciae nobis noviter factam intelleximus, quod licet regardatores, et arbitri, qui ad
nominationem consilii dictae universitatis per vicarium, qui tunc praeest, eliguntur, ac inde pro
parte dictae curiae confirmantur, iurent bene, et
legaliter dicta regardariae, et arbitrariae officia exercere, et sic exercendo partem proventuum curiam
reginalem exinde contingentem dare, et assignare
consueverunt curiae reginali, seu emptoribus iurium
praedictorum absque redditione, seu positione alicuius rationis particularis faciendae de proventibus
memoratis, fueritque sic in pacifica possessione, seu
quasi a tanto tempore citra quod hominis memoria in contrarium non existit; nichilominus tamen
hiis annis proxime lapsis, aliqui officiales dictae
d curiae, seu emptores iurium praefatorum compellere nisi sunt, ymo nunc etiam per consequenciam
exemplare alicui vestrum multifarie moliuntur regardatores, et arbitros memoratos contra consuetum, et debitum in praemissis ad ponendum, et
faciendum de praedictis proventibus particulariter,
et debitam rationem, in eiusdem universitatis grave
dampnum, et praeiudicium, et iacturam. Super
quo nostro remedio benigniter implorato, volumus,
et nostri beneplaciti est, vobisque harum serie expresse praecipimus, et mandamus auctoritate,
qua fungimur reginali, quatenus dictam universitatem, dictosque regardatores, et arbitros, super
praemissis expositis, de cetero contra consuetum
nullatenus molestetis, vel sinatis per quempiam

molestari, quinymo manuteneatis eosdem viriliter, a
et opportunis praesidiis, et favoribus defendatis in illa possessione, seu quasi, in qua fuerunt, ut supra asseritur, temporibus retroactis; dum tamen nominentur, eliganturque, et confirmentur regardatores, et arbitri viri probi, iurentque in manibus officialium exercere, et inde dare partem eidem curiae debitam, ac ipsam in aliquo non fraudare, quorum iuramento ipsa curia contentetur, et eam stare volumus eorum conscientiae, et probitati super praemissis, cum non sit credendum, quod tales probi sint immemores eorum salutis aeternae, quibuscumque ordinationibus, literis, seu mandatis nostris, vel aliis quibuscumque huic forsan contrariis factis, non obstantibus quoquomodo, quas
vigore praesencium revocamus; praesentibus rema- b
nentibus praesentanti. Datum Aquis per virum nobilem dominum Leonardum de Affluento de Scalis iuris civilis professorem, magnae reginalis curiae magistrum rationalem, maiorem, et secundarum appellationum iudicem comitatuum praedictorum, anno Domini millesimo CCCLXXIIII, die XVII octobris, XIII indictionis. Anthoniellus.

Quod arbitri possint vendere patua ad faciendos ponticios.

Anno incarnationis Domini millesimo CCC XXXVIII, die XIIII mensis madii, sextae indictionis. Noverint universi testimonio huius publici instrumenti, quod
cum iniunctum pridie extitisset per viros nobiles, et c
prudentes dominos Raymundum Gaucelini militem, dominum Gravisionis, locumtenentem in civitate Niciae, et locis circumadiacentibus domini Provinciae senescalli, et capitaneum generalem, et vicarium curiae regiae Niciensis, et Mathaeum de .... iudicem curiae supradictae, videlicet Paulo Borgondioni, Petro Alberti, et Guillelmo de Vencia arbitris civitatis praedictae, nec non et Anthonio Bernardi notario eorumdem, ut ab inde in antea nullae personae venderent patua aliqua infra civitatem Niciae ad aedificandum, sive construendum in eis annanuos, nec pontitos, vel talia sine licentia, et conscientia eorumdem sub poena librarum centum. Hinc est quod ipsi dominus vicarius, et iudex,
habita prius informatione plenaria, ut dicebant, d
quod quicumque fuerint arbitri ipsius civitatis habeant liberam potestatem talia vendendi in civitate eadem, et ita facere consueverunt ab antiquo, praefatum mandatum, et poenam superius expressatam, et contentam in ipso mandamento, revocaverunt et penitus annullaverunt, et ipsum mandamentum voluerunt esse ulterius nullius roboris, et valoris, volentes, et concedentes praefato Bonifacio Ricardi, et Guillelmo de Vencia, arbitris supradictis praesentibus, et audientibus, quod in vendendis ipsis patuis utantur in antea modo, et forma, quibus tam ipsi, quam eorum etiam praecessores fuerunt hactenus consueti, iuribus regiis semper salvis, quibus propterea non intendunt praeiudicium aliquod generare tacite, vel expresse, nec illa modo aliquo derogare, qua revocatione sic facta ad instanciam, et requisitionem humilem nobilium virorum domini Raymundi Garnerii iurisperiti, et Iacobi Revoerii domicelli, sindicorum dictae civitatis pro parte villae superioris petierunt eisdem fieri nomine totius universitatis ipsius civitatis publicum instrumentum, et dicti Bonifacius, et Guillelmus, ut arbitri praefatae universitatis, aliud pro se ipsis. Actum Niciae infra introytum primae ianuae hospicii regii, in quo habitat dominus vicarius supradictus infra primam ianuam, praesentibus ad haec testibus convocatis, videlicet discretis viris Guillelmo Alberti clavario dictae curiae, et Petro Thoniacii de Nicia; fecit instrumentum Raymundus Videlli dictae curiae notarius.

Privilegium de hiis qui ponuntur ad bannum per camparios pro dampnis datis in possessionibus civium, et excusantur per dominos possessionum, asserendo eisdem licentiam dedisse, et ideo stetur iuramento domini possessionis super hoc.

Philippus de Sanguineto (1) miles, regius comitatuum Provinciae, et Forcalquerii Senescallus vicariis, iudicibus curiae regiae civitatis Niciae praesentibus, et futuris salutem, et dilectionem sinceram. M. Petrus Audeberti clavarius regius dictae civitatis exposuit coram nobis, quod cum persaepe contingat aliquos de ipsa civitate, et circumstantibus locis deferri debentes per camparios civitatis eiusdem pro ingressibus scilicet et dampnis datis in possessionibus alienis, vel iuxta usum, et consuetudinem ipsius, et a paucis temporibus citra observatum, nonnulli de ipsa civitate, et circumstantibus locis sub quodam astuto velamine eosdem delatos satagunt excusare. Nam dum ab ipsis debentibus dictum bampnum exigitur, et ad solvendum per curiam compelluntur, domini ipsarum possessionum fraudulenter, et callide asserunt praedictis debitoribus bannorum ipsorum praebuisse licentiam intrandi possessiones suas, et ut patriae alludamus vocabulo, abandonum; sic fraudulenter a poenis huiusmodi bannorum se eximentes, et indebite cum ad haec rei veritas non concordet, propter quod regiae curiae, ac locatori iurium regiorum dictorum bannorum in curia dispendium, multiplex dampnum inferre, et de peiori via talibus praeparatur. Super quo, nostra provisione petita, huic morbo taliter duximus obviandum, quod dum tales bampnum committentes in possessionibus alienis ab inde in antea excusari contigerit per dominos possessionum ipsarum dicentes eis licentiam praebuisse talia faciendi, nisi legitime doceatur de licentia me-

(1) Philippo nomen sancti Gineti adiectum legitur in codice cui praecipue fidimus, nec lectionem primo loco mutavimus. — Sed quum in albo senescallorum Provinciae, et Forcalquerii iste, qui munere functus est annis 1331 ad 1338. — 1341 et 1346, nomine *a Sanguineto* semper donetur, postea nomen rectius scripsimus.

morata iam dicta, committentes banna in Nicia, *quod* a curia regia tangitur, non gaudeant excusatione praedicta, sed dumtaxat ad excusationem taleae, seu dampnum datum, ad quod restituendum dominis possessionum huiusmodi tenerentur. Quocirca volumus, et vobis regia auctoritate, qua fungimur, mandamus, quatenus nisi aliud in contrarium fuerit rationabile, quod obsistat, de quo si contingat, nos curetis literatorie informare, in casu, quo reperientur illata in possessionibus supradictis fuisse, et domini earumdem possessionum simpliciter asserent praemissam licentiam tribuisse, non credatis tali simplici assertioni, seu dicto huiusmodi dominorum, praesentibus remanentibus praesentanti, efficaciter in antea valituris. Datum Aquis per virum nobilem dominum Franciscum de Barba iuris civilis b professorem maiorem, et secundarum appellationum iudicem comitatuum praedictorum, anno Domini millesimo CCC XLII, die vicesima mensis martii, X indictionis.

Noviter autem pro parte universitatis hominum dictae civitatis fuit nobis attencius supplicatum, ut consuetum sit, et fuerit temporibus retroactis, et in quasi pacifica possessione existat, quod de talibus licentiis concedendis ipsis delinquentibus, stetur iuramentis dominorum dictarum possessionum, asserentium dictam licentiam contulisse, et quod numquam consueverunt ad aliam probationem compelli, quod si fieret ipsis hominibus gravamen multipliciter generaret, et contra antiquam consuetudinem, de ipsa quasi pacifica possessione in ipso- c rum praeiudicium privarentur de stando iuramentis dominorum dictarum possessionum, dictam contulisse licentiam, ut praefertur, asserentium concedere, et dictam eorum consuetudinem servare dignaremur. Nosque nolentes dictos homines universitatis praedictae contra dictam consuetudinem agravare, et eis novitatem imponere, eorum supplicationibus inclinati, volumus, quod de cetero, prout, et sicut ipsi homines retroacto tempore consueverunt, stetur, et stari debeat iuramentis illorum dominorum possessionum, in quibus delinquentes comperti fuerint, affirmantium dictam licentiam concessisse. Quare vobis praecipiendo mandamus, quatenus ipsos homines ad docendum aliter de licentia memorata, nisi eorum, ut praemittitur, iuramentis, nullatenus d compellatis, ymo emptoribus bannorum sufficiat dictorum praestatio iuramentorum, nisi ipsi domini personae vilis conditionis existerent, et non sit aliud rationabile, quod obsistat; hiis remanentibus praesentanti. Datum Niciae per virum nobilem Franciscum de Barba iuris civilis professorem, maiorem, et secundarum appellationum iudicem comitatuum praedictorum, anno Domini millesimo CCC XLII, die XXVII augusti, X indictionis.

Quod homines Niciae possint imponere gabellas, et tallias.

Philippus de Sanguineto miles, regius comitatuum Provinciae, et Forcalquerii senescallus vicariis, iudicibus, et clavariis regiis civitatis Niciae praesentibus, et futuris, ac eorum cuilibet salutem, et dilectionem. Scire vos facimus, quod constituti noviter in nostra praesentia certi nobiles, et alii probi viri tam de villa superiori, quam inferiori civitatis supradictae, de consilio ipsius civitatis sistentes super quadam dasita imponenda pro eorum libito quibuslibet rebus venalibus pro utilitate communi quasdam ordinationes fecerunt contentas in facto exinde publico instrumento manu Iohannis Alberti notarii publici ad hoc specialiter requisiti, assentientibus nobis, et licentiam eis praebentibus, si et in quantum nobis, et civibus ipsis permittitur ex serie literarum regalium, quas habere super hiis dixerunt, ne deinceps pro negociis quibuscumque oporteat indicere tallias in civitate iamdicta. Supplicato nobis itaque pro parte hominum praedictorum, ut ordinationes ipsas servari mandare benignius dignaremur, nos ipsorum supplicationibus inclinati, vobis praesentium tenore, regia qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus ipsas ordinationes factas, ut praemittitur, per homines supradictos pro utilitate communi, voce praeconia, et sub poena formidabili, vel modo alio, quem videritis expedire, inhibendo, ne aliquid contra ipsas, vel earum aliquam venire audeat, seu aliquid infringere, de eisdem faciatis per quoscumque, cuiuscumque status existant, inviolabiliter observari; audentes aliquid attemptare in contrarium debite compescendo; praesentibus remanentibus praesentanti. Datum Niciae per virum nobilem dominum Iordanum Sardinae iurisperitum de Nicia, locumtenentem maioris iudicis comitatuum praedictorum, anno Domini millesimo CCC XLII, die XXVII augusti, decimae indictioni.

Quod nullus debeat naysare (1) *linum, neque canapum a portali Palionis usque ad mare.*

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo CCC quadragesimo sexto, die prima mensis iunii, XIIII indictionis. Constitutus nobilis, et sapiens vir dominus Daniellus Marquesani de Nicia nomine suo, et nomine nonnullorum proborum virorum de Nicia in praesentia nobilium dominorum Rostagni Perrerii militis, vicarii Niciae, et Bonifacii Spinae locumtenentis viri nobilis domini Mathaei de Leveno iudicis Niciae, pro tribunali sedentibus in curia reginali Niciae, praesentavit eisdem dominis vicario, et viceiudici quasdam literas viri spectabilis Fulconis de Agouto, comitatuum Provinciae, et Forcalquerii, in absentia potentis viri Hugonis domini Baucii, et comitatus Avelini, dictorum comitatuum senescalli vicegerentis, sigillatas sigillo magno cerae rubeae senescalliae Provinciae, et Forcalquerii senescalli, quas legi, et publicari petiit dictus dominus Daniellus, nomine antedicto, in praesentia dictorum domino-

(1) *Naysare* idem ac macerare in aqua.

rum vicarii, et viceiudicis, per me Martinum Raynaudi notarium dictae curiae, quarum quidem literarum tenor est talis, ut ecce. Fulco de Agouto, viri spectabilis Hugonis domini Baucii, comitis Avelini, comitatuum Provinciae, et Forcalquerii senescalli, in eius absentia locumtenens vicario, et iudici curiae reginalis civitatis Niciae, et eorum cuilibet, aut locatenentibus eorumdem, tam praesentibus, quam futuris salutem, et dilectionem sinceram. Pro parte certorum proborum virorum civitatis eiusdem fuit nobis querelanter attencius supplicatum, ut cum quamplures gentes linum, et canapum ponant, et apponi faciant in aqua fluminis Palionis tempore aestivali, quae foetores, et corruptiones reddunt, et inferunt in dampnum non modicum personarum usum habentium versus partes, in qui- b
bus linum, et canabum huiusmodi sic foetide adaquantur, et rei publicae intolerabile detrimentum, dignaremur super hiis providere de remedio opportuno. Quorum supplicationi deflexi, ut morbo huic paretur debita medicina, volumus, et praecipiendo mandamus, quatenus inhibeatis publice, ne aliqua persona a ponte dicti fluminis Palionis inferius usque ad mare in aqua ipsa linum, et canabum immittere, seu apponi facere audeat, sub formidabili poena ulterius quoquomodo, et contrafacientes puniatis taliter, ut querela ab inde in antea nostris auribus non propulset; hiis remanentibus praesentanti. Datum Niciae per virum nobilem dominum Mathaeum de Leveno ibidem iudicem, iuxta ordinationem nostram, locumtenentem maioris iudicis co- c
mitatuum praedictorum, millesimo CCC XLVI, die vicesima sexta maii, XIIII indictionis.

Et dicti domini vicarius, et viceiudex sedentes pro tribunali in dicta curia responderunt, se fore paratos contenta in ipsis literis, sicuti ipsis dominis vicario, et viceiudici praecipitur, et mandatur exequi reverenter, praecipientes dicti dominus vicarius, et viceiudex Petro Dalmacii nuncio, et praeconi publico civitatis Niciae, praesenti, et audienti, ac intelligenti, quatenus incontinenti per civitatem Niciae, et loca consueta, ut moris est, faciat, et divulget praeconizationem subscriptam: videlicet « mandamentum est dominae Iohannae reginae Hierusalem, et Siciliae, et sui vicarii, quod nulla persona cuiuscumque conditionis existat, audeat, vel prae- d
sumat linum, vel canabum immittere, seu apponi facere in aqua Palionis, videlicet a ponte lapideo dicti fluminis Palionis inferius usque ad mare, et sub poena pro quolibet, et qualibet vice, cui contrafecerit, vel veniret, centum solidorum, et amissionis dicti lini, et canabi, quod in ipso flumine apponeretur, seu immitteretur ». Qui quidem nuncius, et praeco publicus yens, et post aliquod intervallum rediens, retulit dictis dominis vicario, et viceiudici, ac mihi subscripto notario, se dictam praeconizationem fecisse, et divulgasse per ipsam civitatem, et loca consueta, ut moris est, sicut supra a praedictis dominis vicario, et viceiudice habuit in mandatis, de quibus omnibus, et singulis a
supradictis dictus dominus Daniellus sibi petiit fieri unum, vel plura publica instrumenta. Actum Niciae, in capitulo reginali, ubi ius unicuique reddi est consuetum, praesentibus testibus ad haec vocatis, et rogatis, Guillelmo Gaufridi, Poncio Fabri, Iacobo Travaqua notariis de Nicia, et pluribus aliis, et mei Martini Raynaudi in comitatibus Provinciae, et Forcalquerii auctoritate regia publici notarii, et nunc dictae curiae notarius, qui requisitus, et rogatus hoc instrumentum publicum ad requisitionem dicti domini Danielis scripsi, et signo meo consueto signavi.

Hic finem imponere edictis Principum et statutis Niciae exscribendis consulto duximus; consistimus scilicet paulo post illa tempora, quibus Robertus tot virtutibus praeclarus, tot meritis, praesertim in iustitia excolenda, et in literis promovendis, cumulatus Provinciam felici imperio regebat. Quae utpote plena antiquitatis, et rerum civilium studiis apprime opportuna in extensum, et absolute typis cudenda curavimus. Caetera, quae ad minus remotam aetatem pertinent, quum usui quandoque esse possint, ne nimii simus, brevioribus titulis, seu rubricis *indicasse sufficiat, ut qui curiosius haec velit inquirere, fontes adire facile possit.*

Privilegia concessa per dominam Iohannam Reginam.

De confirmatione libertatum Niciae.

Quod causae vertentes inter fiscum, et privatum terminentur coram iudicibus ordinariis.

Quod bona, quae tenentur sub dominio curiae regiae, legata personis ecclesiasticis transferantur in personas habiles laycas infra annum et diem.

Quod senescallus, et alii officiales sint oriundi de Comitatibus Provinciae et Forcalquerii.

Statuta domini Ludovici Regis, et Iohannae Reginae.

Quod appellationes determinentur in curia regali.

Quod regalia pertineant ad regem, ut pertinebant tempore regis Roberti.

Quod nullus submittatur dicto unius testis.

Quod carcerarii pro debitis fiscalibus nihil recipiant.

Quod subvicarii nihil recipiant ab illis, quos ducunt ad curiam.

Quod notarii curiae aliquid non recipiant pro inventario conficiendo.

Contra periurantes, et blasfemantes Deum.

Contra commissarios, et iudices delegatos.

Contra commissarios.

Contra notarios instrumenta absolutoria conficientes.

Quod notarii curiae acta originalia, et protocolla suis successoribus dimittant.

Quod iudices processus absolvendo, vel condempnando terminent infra tempus eorum regiminis. a

Quod in processibus criminalibus nomen denunciantis apponatur.

Quod iudices pro decreto nihil recipiant.

Quod clavarii, vel subvicarii pro dietis, occasione exactionis fiscalis pecuniae, vel laboris nihil recipiant.

Quod illi qui sunt per sententiam absoluti non compellantur inviti recipere instrumentum.

Contra incantatores.

Declaratio, quod civitas Niciae, et eius districtus sunt de demanio, et rex promittit illam non alienare.

Quod nuncii curiae debeant portare signa, seu arma curiae. b

De salario carcerarii.

Quod subvicarius nihil recipiat, dum ducit aliquem ad carcerem pro criminibus.

Quod subvicarius nihil exigat a ludentibus ad taxillos.

Quod notarii nihil recipiant pro cancellaturis inquisitionum indebite factarum.

Quod camperii non intrent in vineis, nec possessionibus alienis.

Statuta domini Philippi de Tharento vicarii regii, et reginalis.

Remissio omnium criminum tam capitalium, quam aliorum excessuum. c

De remissione debitorum fiscalium.

Remissio cavalcatarum, et aliorum defectuum.

Confirmatio compositionum factarum per iudices, et commissarios.

Alia remissio de diversis causis.

Quod omnis officialis faciat praeconizari introytum suum.

Quod subvicarius, nec nullus alius possit denunciare nisi ponat nomen denunciantis.

Quod nullus delatus subiiciatur questionibus, et tormentis nisi secundum iura.

Quod in emptione terrarum super fogagiis servetur antiquum statutum.

Quod debita per officiales curiae contracta pro defensione Provinciae per curiam solvantur. d

Quod nullus officialis debeat in se recipere debita privatorum pro curia.

Quod privilegia concessa nobilibus, et universitatibus serveutur.

Quod blada, et caetera viotualia dictorum comitatuum possint deportari de loco ad locum.

Quod privilegia, conventiones, et permutationes serventur.

Quod iura nobilium, et universitatum, occupata per curiam, summarie revocentur.

Quod notarii, et nuncii, ac officiales pro scripturis, et sportulis nil recipiant ultra statutum.

De privilegiis domini Regis Caroli III.

Confirmatio libertatum.

Quod non transportabit rex demanium.

Confirmatio statutorum domini Philippi de Tharento, et Petri de Ferrariis.

De eligendo officiales dictae civitatis, et quod possint arma portare.

Quod consilium de octo possit congregari sine praesentia officialium.

Quod civis Niciae ratione delicti non possit trahi extra civitatem.

Quod notarius teneatur scribere in introitu inquisitionis nomen denunciantis.

Quod notarii curiae non recipiant pro defensionibus, in pede inquisitionis, uisi solidos quinque.

De verbis iniuriosis curia non potest inquirere si fecerint pacem infra octo dies.

De inquisitionum absolutoriarum cancellatione.

De remissione delictorum.

De electione quatuor notariorum curiae ordinariae.

De revis fiendis.

Quod cives non teneantur solvere gabellam gabelloto de vino apportato per mare, vel per terram.

Quod cives et incolae nutrire possint eorum avere in terra gasta.

Quod subvicarius non accedat de nocte, nisi cum eo sint duo camparii.

Quod subvicarius transeuntibus cum uxoribus, vel concubinis nihil dicat.

Contra bannerium vendentem territorium.

De faciendo navigia remorum.

Qualiter amici possunt incarceratos visitare.

De non apportando vinum de extra civitatem.

De non dando subsidium gratiosum, nisi procederet de civium bona voluntate.

Confirmatio eligendi regardatores.

Quod regardatores possint cognoscere de capitulis regardariae.

Alia privilegia dicti Caroli.

Quod universitas Niciae possit eligere quatuor regardatores, quatuor camparios, et super camparios.

Quod civitas Niciae possit tenere consilium de octo sine persona officialium.

Quod nullus civis possit extrahi extra civitatem.

Quod officiales, nec notarius non audeant inquirere sine nomine denunciantis.

De salario notariorum curiae, super processibus criminalibus, et defensionibus.

Quod fieri possit casana in civitate Niciae.

Quod consilium possit eligere quatuor notarios curiae ordinariae.

Quod franchi teneantur contribuere in oneribus civitatis.

Quod averia civium Niciae possint depasci in terris gastis.

Quod officialibus non observantibus capitula, non obediatur. a

Quod quaestiones debeant determinari infra annum.

De confirmatione privilegiorum, et libertatum civitatis Niciae.

Quod civitas Niciae non possit vendi, transportari, seu permutari.

De confirmatione statutorum Comitis Berengarii, Caroli primi, et secundi.

Quod homines Niciae sint franchi in regno Siciliae, Apuliae, et Calabriae.

Quod praeconizationes factae olim in praeiudicium libertatum cancellentur.

Quod non possit inquiri de verbis iniuriosis, dum tamen faciant pacem infra octo dies.

Quod notarius curiae teneatur cancellare gratis inquisitiones, quas decretaverit iudex. b

Quod domini de Agouto non possint habere aliqua officia in civitate Niciae.

Quod comburantur inquisitiones factae contra bannitos.

Quod civitas Niciae solvat tantummodo pro illis focularibus, qui reperiuntur in civitate Niciae.

Quod civitas Niciae, et vicaria possit habere in gabella sestarium salis pro solidis duobus cum dimid. parvor.

Quod homines Niciae possint appellare ad d. vicarium usque ad libras xx coronatorum.

Quod civitas Niciae possit imponere gabellas, sive revas.

Quod homines Niciae nihil solvant gabelloto pro vino apportando extra civitatem. c

Quod subvicarius non accedat de nocte, nisi cum eo sint continue duo camparii.

Quod subvicarius a conducentibus uxores, sive concubinas nil petere possit.

Quod emptores bannorum non possint se concordare cum nutrentibus averia.

Quod cives possint sine licentia curiae facere naves, et fustas infra tercenale.

Quod cives sine licentia curiae possint visitare parentes, et amicos incarceratos.

Quod nullus possit apportare infra civitatem vinum, nec racemos exteros.

Quod cives non teneantur domino ad subsidia, nisi de beneplacito civium. d

Quod obligationes restantes ad dandum, remittantur civitati.

Quod castrum de Sigala sit de vicaria Niciae.

Quod civitas Niciae possit eligere regardatores.

Quod regardatores possint cognoscere de capitulis regardariae.

Transactio, seu sententia lata inter civitatem Niciae, et dominum Abatem, sive monasterium Sancti Pontii, cum modificatione inde subsecuta.

Iura, quae percipit curia in civitate Niciae extracta ab archivio Aquensi.

Et primo de iure rerum maritimalium, et eorum gabella.

De gabella trossellorum, et ballarum.

De gabella salis.

De bannis.

De regardaria, et eius iure.

De iure ponderis.

De iuribus arbitrariae.

De iuribus incantus, et cridae.

De iure cartinorum.

De iure trezenorum.

De iuribus latarum.

De iuribus, et redditibus macelli.

Quod non fiat pignoratio in armis, nec bobus arantibus, nec in bestiis de camino.

Quod non fiat executio in bonis existentibus in camera, qua mulier est in partu.

Quod nulla fiat citatio, nec pignoratio de nocte.

De assisiis fiendis per senescallum.

Quod nullus recipiatur in civem Niciae, nisi primo caveat de trahendo moram ibi.

Praeconizationes gabellae salis civitatis Niciae.

De cavalcata, quam percipit curia a certis castris de vicaria Niciae.

De alberga Sancti Michaëlis, quam percipit curia a dicta vicaria.

Consuetudines quae servantur in civitate Niciae, licet non reperiantur scriptae in aliquo libro.

Privilegia ducalia Sabaudiae.

Quomodo dominus tunc Comes Sabaudiae acquisivit civitatem Niciae, et totam terram novam a montibus citra, et privilegia, ac pacta, et conventiones tunc inhitas inter eum, et dictam civitatem Niciae (1).

Quod dominus non remittet civitatem Niciae, nec eius vicariam.

Quod dominus non possit compellere homines Niciae ad faciendum homagium.

Quod dominus Comes teneatur revocare quamcumque donationem de civitate Niciae.

Quod dominus comes teneatur dare passagium hominibus volentibus dare succursum domino regi Ladislao.

Quod teneatur vetare quoscumque volentes ire contra dictum dominum regem.

Quod dominus teneatur remittere dictam civitatem lapsis tribus annis, solutis sibi prius expensis.

Quod unusquisque conveniatur, et reconveniatur in suo loco, et terra.

Quod homines Niciae possint facere gabellas, et revas, et illas tollere.

Quod curia teneatur in civitate Niciae per maiores officiales.

Quod dominus Comes teneatur concedere marcham (2).

(1) Monumenta huius nobilissimae deditionis in extensum hic subiuncta fuissent nisi Guichenonius diligenter illa referendo inter documenta suae historiae genealogicae regalis domus Sabaudiae (pag. 224 primae editionis) eadem repetendi otium nobis fecisset.

(2) Marcha, et repraesaliae iuxta stilum et consuetudinem Italiae.

De gabella, et praetio salis.

De non facienda tregua cum ducissa Andegaviae, nisi participato consilio civium.

De non impediendo homines Niciae dantes succursum regi Ladislao.

Quod dominus Comes non coercebit homines Niciae et vicariae ire contra regem Ladislaum.

Quod dominus Comes procurabit facere absolvi homines Niciae per dominum nostrum Papam a sententiis excommunicationis et interdicti latis.

Quod dominus Comes teneatur removere Comites Tendae, et Brigae.

Quod extranei apportantes victualia in civitate sint franchi.

Quod iudex Niciae habeat primas appellationes patriae.

Quod dominus Comes teneatur restituere bona ablata.

Contra rebelles.

Quod servitia abbatiae dominus Papa affrancabit dato competenti cambio (1).

Quod fieri possit casana in civitate Niciae.

De mercatoribus destinantibus ballas.

Remissio omnium delictorum.

Quod beneficiati expoliati restituantur toto posse in eorum beneficiis.

Quod civitas Niciae, et eius vicaria ponatur in manibus domini Boly.

Confirmatio praedictae conventionis.

Quod instrumenta priora Iudaeorum sint per ultimum instrumentum cancellata.

Quod nemo possit emere granum in civitate Niciae ultra suam provisionem.

Privilegia concessa per strenuum militem D. Petrum Bausani baylivum Sabaudiae.

De moneta, et eius valore.

Quod dominus Comes non alienabit civitatem Niciae, nec eius vicariam duci Andegaviae, nec alicui alteri.

De cridis, et incantu.

De ripaggio.

Quod iudex in officio faciat personalem residentiam.

De instrumentis exequendis.

Quod iudex appellationum teneatur arctare partes, ut causa in sex menses decidatur.

Quod a quinque libris infra actor non cogatur petitionem offerre.

Quod quaestio infra sex menses sit decisa.

Quod iudex, per quem steterit, quominus omnis quaestio infra dictum tempus decidatur, in expensis partibus condempnetur.

Quod iudex sine denunciatione nullam inquisitionem recipiat.

Contra subvicarios, eiusque socios, et nuncios curiae.

De compromittendo super quibuscumque litibus.

De contractibus celebratis cum adultis.

Quod nunciis referentibus quem non permisisse se pignorari non credatur.

(1) Servitia scilicet debita abbatiae sancti Poncii.

a De non faciendo devetum victualium de loco ad locum.

De confirmatione omnium officiorum.

De verbis iniuriosis non fiat inquisitio si pax fiat in octo dies per partes.

Quod officiales teneantur praestare fideiussores.

Quod quilibet possit tenere boves arantes ad tantum bannum de nocte, sicut de die.

Quod subvicarius non accedat de nocte sine campariis.

Quod subvicarius permittat abire transeuntes cum mulieribus.

Quod emptores bannorum non possint vendere pascua.

Quod bannerii infra sex menses, finito eorum tempore, exigant eorum banna. b

Quod cives possint nutrire animalia in territorio gasto, ita tamen quod non solvatur maius bannum pro capra, quam pro ove.

Quod macellarii, et noyriguerii non emant banna.

Quod cives Niciae ratione consilii extra patriam Provinciae extrahi non possint.

Quod iudex, vel alius officialis gagia habens, nihil recipiat pro decretis, sportulis, aut commissionibus.

Quod iudaei teneantur omnes habitare in una carreria.

Quod Iudaei habeant tabulam macelli separatam.

Quod Iudaei teneantur portare rotam magnam, et latam diversi coloris.

c Quod ab interlocutoria non possit appellari.

Quod solvantur denarii sexdecim pro qualibet carta actorum.

Quod notarius appellationum pro infixandis actis, habeat denarios IV tantum pro qualibet carta.

Tenor litterarum commissionalium d. d. baylivi locumtenentis etc.

Ratificatio et confirmatio praemissorum.

Confirmatio praedictorum privilegiorum facta per dominum Comitem Sabaudiae, cum remissione criminum.

Quod civitas Niciae possit vendere pascayragia, et banditas Niciae.

Quod non statuantur senescalli, nisi de nobilibus Sabaudiae ultra montes.

d

Privilegia concessa per dominum Odonum de Villariis locumtenentem domini Comitis Sabaudiae.

Quod habitantes in villa superiori sint franchi de focagio.

Quod advocati, et procuratores habitent in villa superiori.

Quod dominus provideat de iudice appellationum.

Quod omnes appellationes fiant ad dominum iudicem primarum appellationum.

De salario iudicis ordinarii.

Quod capitaneus, iudex, subvicarius, et socii non sint de civitate.

Contra Raymundum Armani, de fogagiis.
Ratificatio omnium praedictorum privilegiorum.
Quod nullus officialis possit compellere aliquem subditum ad componendum super delictis.
Quod nullus in terra originis, vel domicilii proprii, aut uxoris, possit officium gerere.

Privilegia concessa per dominum Amedeum comitem Sabaudiae (1).

Quod senescallus regens in Nicia vocabitur baylivus.
Quod officiales nullum captum praesumant torquere, nisi prius habita copia processus.
Quod iudex admittat captos ad defendendum.
Quod oppressi habeant recursum ad dominum nostrum, vel alium officialem sumptibus opprimentis.
Quod castellani fideiubeant idonee, et non serviant per substitutum.
De appellationibus admittendis, et recipiendis.
Contra illos de Barcillonia.
De incarcerandis infra castrum.
Quod omnes processus causarum civilium, et criminalium inchoentur, et compleantur in curia ordinaria.
Quod officiales non possint procedere contra clericos primae tonsurae.
Quod officiales non sint oriundi de civitate, exceptis notariis curiae ordinariae.
Quod subvicarius non faciat carcerare privatum in domo sua.
Quod notarii teneantur tutelas, et curas scribere, antequam eorum officium finiatur.
Contra Cathalanos, Florentinos, et ceteros dampnificantes homines Niciae (2).
Quod homines Niciae possint construere galeas, et fustes in darsenali, et de represaliis.
Quod officiales non possint procedere contra aliquem super usuris.
Qualiter debetur solvi lata.
Modificatio capituli de compromittendo.
Transactio facta inter dominum Amedeum ducem Sabaudiae, et dominum Ludovicum regem Hierusalem et Siciliae de et super iure, quod praetendebat habere ipse Rex Ludovicus in civitate Niciae, et tota terra nova.

Privilegia concessa per dominum Ludovicum ducem Sabaudiae.

Remissio iuris ponderis grani, quod percipiebat curia Niciensis.
Remissio banditae de Lauseta.
Ratificatio praedictae remissionis factae per ill. d. Ludovicum ducem Sabaudiae.

(1) Amedeus VIII.
(2) Repraesaliae datae. — Florentini armata trireme pusillam navem Niciensis civis adorti praedam iniustam fecerant; Catalauni pariter Nicienses vexabant.

a Qualiter dominus noster dux restituit omnia privilegia, et libertates dictae civitatis.
Quod dominus gubernator provideat de idoneo subvicario, qui observet privilegia.
Quod dominus gubernator non det alicui salvum conductum, nisi cum consilio de octo.
Quod dominus gubernator non det alicui salvum conductum, nisi vocatis sindicis, et duobus mercatoribus, et ipsis assentientibus.
Quod dominus gubernator provideat dampnificatis a piratis via repraesaliarum iuxta deliberationem magni Consilii huius civitatis.
Quod nullus notarius admittatur ad officium notariatus curiae ordinariae, nisi sit sufficiens, et mansionem fecerit per sex annos.
b Quod vicariae terrae novae possint tenere Consilium generale quotiens necessarium fuerit.
Aliud privilegium magis amplum super eodem.
Quod Iudaei habeant tantum unam tabulam in macello separatam.
Quod Iudaei teneantur portare rotam magnam in loco eminenti.
Quod Iudaei non possint exigere usuras ultra ad rationem XXVII pro centenario.
Quod Iudaei non debeant mutuare alicui pecuniam ad usuram ultra ad rationem de XXVII pro centenario, quam exigere non possint infra annum, et quod interim nullum alium contractum renovare possint.
c Quod Iudaei non debeant exigere a suis debitoribus pro portu, et executionibus literarum, nisi solum id, quod comperietur per eos legitime solutum fuisse.
Quod magister Petrus de Leone non utatur suis commissionibus extentarum ultra formam privilegiorum Niciae.
De restitutione clavium portarum huius civitatis, et quod eligantur custodes ipsarum per consilium de octo, de sex mensibus in sex menses.
Quod consilium de octo possit eligere custodes clavium portarum praesente gubernatore.
Quod universitas Niciae possit compelli facere suos debitores more fiscalium debitorum.
Quod dominus gubernator provideat super itinere facto in Mentono ad conducendum sal.
d Quod civitas Niciae possit imponere gabellas contra Ianuenses.
Quod omnia privilegia, libertates, et conventiones, ac consuetudines observentur.
Privilegium super officio mercantiae.
Declaratio dicti privilegii, et quod sententiae consulum dicti officii mandentur exequi.
Quod gubernator, et alii officiales non permittant appellare aliquem a sententia consulum.
Quod consilium huius civitatis possit eligere duos consules appellationum.
Quod consules officii mercantiae possint exercere eorum officium per unum mensem, ultra sex menses sui officii.

Quod nullus possit admitti ad aliquod officium civitatis Niciae, nec esse de consilio, nisi fecerit mansionem spatio xx annorum. a

Quod clavarius curiae ducalis Niciae non possit stare in ipso officio clavariae, nisi per biennium.

Quod dominus gubernator provideat super accusis bannorum, in quibus apponatur dies dampni commissi.

Quod colligentes banna faciant annotare diem in scriptis, quo fient accusae, alias sint ipso facto nullae.

Remissio tertiae partis regardariae, quam habebat curia, et quod Consilium magnum possit eligere quatuor regardatores.

Qualiter civitas Niciae acquisivit tercenale (1).

Quod nullus civis Niciae, aut vicariae possit ibi b aliquod ducale officium exercere, sive in capite, sive in locumtenentia, bavilis vicariae, et notariis curiae ordinariae exceptis.

Quod omnes causae, tam civiles, quam criminales, incohentur coram iudice ordinario.

Quod officiales Niciae indebitas petitiones non faciant praetextu executionum literarum dominicalium.

Quod Dominicus Provanae non possit esse locumtenens gubernatoris.

Quod notarii curiae nil recipiant ratione scripturarum ultra formam capitulorum civitatis Niciae.

Quod dominus gubernator provideat, ne dominus episcopus Niciensis compellat scindentes ligna in territorio de Drapo per sententiam executionis, c nisi per bannum.

Quod barrachae factae in litore maris diruantur.

Quod quicumque fuerit officialis, locumtenens esse non possit, nec ad ipsum officium redire, nisi lapso quinquennio, et e converso.

Quod quis fuerit in officio sindicatus arbitrariae, seu regardariae non possit ad aliquod officiorum praedictorum redire, nisi lapso quinquennio.

Quod, non obstantibus literis praedictis, intelligatur solum de quatuor annis.

Contra magistrum Ludovicum de Nicia, et Iaquetum Maletti commissarios, quod non exerceant eorum commissiones.

Alia revocatio contra dictum magistrum Ludovicum de Nicia. d

Quod dominus gubernator, et alii officiales non permittant aliquas commissiones exercere ultra formam privilegiorum dictae civitatis.

Quod nullus blada aliqua a civitate Niciae, et patria ducali Provinciae extrahere possit, nec illa emere, nisi pro provisione suae domus, excepta Communitate Niciae.

Quod appellationes vicariae Barcilloniae primitus devolvantur ad iudicem maiorem, et gubernatorem civitatis Niciae.

(1) Platea quaedam, iuxta moenia civitatis, meridiem versus, *tercenale*, cuius saepe mentio facta est, appellabatur.

Quod marchae obtentae per forenses non exigantur in civitate Niciae.

Quod quaelibet persona apportans granum ad hanc civitatem, videlicet a centum sestariis supra sit assecurata a quibuscumque repraesaliiis.

Alia litera super praemissis.

Quod quicumque possit fideiubere non detineatur in carcere, vel in castro, nisi pro crimine capitali; et detentus iniuste nihil solvat.

Quod sigillum iudicaturae curiae ordinariae per notarios eius custodiantur.

Quod gabelloti gabellae salis Niciae non exigant vectigalia, nisi iuxta solitum, et servata forma capitulorum dictae civitatis.

Quod regardatores possint recognoscere mensuras, et pondera gabellae salis Niciae, et illa marcare.

Quod gabelloti gabellae salis Niciae teneant gabellam munitam sale arearum.

Quod dominus gubernator Niciae possit cognoscere de controversiis vertentibus inter gabellotos Niciae, et homines ipsius civitatis.

Quod gabelloti salis non habentes sal arearum in gabella teneantur vendere de alio sale ibidem existente pro pretio illo, quo venditur sal arearium, quod est grossorum trium pro sestario.

Quod Saonenses volentes venire, et mercari in civitate Niciae, habeant salvum conductum.

Litera super constructione conventus ordinis fratrum de observantia.

Declaratio privilegii, quod omnes causae incohentur coram iudice ordinario, et inde per appellationem coram iudice maiori, et postmodum coram domino gubernatore.

Quod advocati, procuratores, et notarii curiae Niciae non possint petere solutionem eorum laboris post annum, nisi fecerint diligentiam.

Quod notarii a tribus florenis infra solum scribant petitiones, responsiones, testium examinationes, sententiam, et appellationem, et si interveniat advocatus, vel procurator, nullam solutionem mercedis assequantur.

Quod causae mercantiles terminentur, vocatis mercatoribus.

Quod sal emptum per gabellatores Niciae debeat totum discarregari in civitate Niciae in dicta gabella, et exoneratum ad locum Mentoni, et alia inde transduci cum barchis, portari possit ad eorum libitum.

Aliud privilegium concessum super gabella salis per illustrissimam dominam nostram ducissam tutricem domini Philiberti ducis Sabaudiae.

Privilegium perpetuum, quod nullus gubernator, aut alius quicumque officiarius Niciae non possit dare salvos conductus aliquibus piratis, et forefactoribus, seu quibusvis aliis criminosis, sine consensu consilii de octo.

Quod nullus admittatur ad cessionem bonorum, nisi secundum formam iuris, et statutorum ducalium.

Ordo servandus per notarios curiae ordinariae ci-

vitatis Niciae super solutionibus scripturarum per eos factarum in dicta curia. a

Ordinatio consilii facta super solutionibus decurionum, sive procuratorum civitatis Niciae.

Reformatio facta super solutione patrociniorum dominorum advocatorum, procuratorumque, ac processuum fiendorum in curiis per notarios, ac solutione instrumentorum.

Statuta facta per magnum consilium civitatis Niciae super sclavis (1).

Nomina locorum totius terrae novae Provinciae subditae domino nostro duci Sabaudiae, et taxatio fogagiorum iuxta rata unumquemque locum tangentem, quae facta fuit tempore, quo dominus tunc comes Sabaudiae acquisivit dictam patriam in suo felici adventu. b

Ordinationes super tabernariis, et vinum vendentibus ad minutum, extractae a libro consilii coperto coreo nigro, fol. 327.

Capitula leydae vini dictae civitatis.

Capitula super leyda grani Niciae.

Taxatio tenenda per panaterios in civitate Niciae.

Capitula super leyda carnis macelli quando venditur ad pondus.

Divisiones banditarum territorii civitatis Niciae.

Ordinatio contra averia intrantia vineas extra banditas.

De terris gastis cultivandis.

Taxatio facta super arte baisiatorum, et sartorum civitatis Niciae.

Ordinatio super bannis possessionum, et vinearum. c

Quomodo sit facienda cessio bonorum.

Privilegium perpetuum, quod nullus habens stipendia a communitate, finito suo tempore, per quatuor annos ad aliud officium non admittatur.

Privilegium, quod burgensis, incola vel habitator veniens contra libertates, conventiones, et bonas consuetudines, sit privatus ab omni commodo, usu, et beneficio ipsius civitatis.

Quod remissiones de homicidiis admitti non debeant, nisi de speciali scitu, et consensu parentum processerint.

Capitulum, quod foemina tradita in matrimonium a patre, matre, vel parentibus, non habeat facultatem petendi quidquam de bonis eorum.

Quod delinquentes in terris tam serenissimi regis Renati, quam districtus Ianuae, qui ad civitatem Niciae confugerint, ad locum perpetrati delicti remitti debeant, pariter officiales dictorum regis, et Ianuensium reciprocum faciant. d

Privilegium, quod consilium magnum huius civitatis Niciae eligere possit proxenetas, sive censales dictae civitatis

Statuta facta per consilium magnum civitatis Niciae super sclavis.

Transactio facta inter communitatem Niciae, et monasterium sancti Poncii super bandita.

Alia transactio inter ipsas partes super ipsa bandita.

(1) *Sclavus* hic loci pro famulo sumitur.

Privilegium concessum nobilibus de Marquesanis, quod possint emere pisces ubicumque voluerint.

Statuta, et ordinationes factae per dominum Amedeum Sabaudiae ducem super regimine politico Niciae.

Quod non admittantur cessiones bonorum, nisi fiant coram officiariis ducalibus.

Quomodo locus Villaefranchae fuit transmutatus, et aedificatus in loco, et portu montis Olivi.

Istiusmodi edicti Caroli II, quod praepostere, ut patet, in codice collocatum invenimus, integrum exemplar lectoribus exhibere e re esse putamus.

Carolus secundus Dei gratia rex Hierusalem, et Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae, Provinciae, et Forcalquerii comes, tenore praesentium notum facimus universis praesentibus, et futuris, quod considerantes portum de Olivo ex sui conditione navigantibus utilem futurumque nobis et terrae nostrae Provinciae fructuosum si aliqua ibi hominum habitatio statuatur, ut declinantes illuc cum eorum vassellis, navigiis, et mercibus securitatem plenam, et habitationes inveniant opportunas, perpenso consilio in portu ipso villam de novo construi vocandam de cetero Villamfrancham, et fabricari decernimus. Ad cuius villae habitationem hominum, et personarum castri de monte Olivo, et eius territorio incolatum proprium re, et verbo transferri volumus, et mandamus; quibus hominibus, et personis castris, et eius territorii in dicta villa habitantibus de speciali gratia concedimus infrascripta; videlicet, quod villam de novo faciendam in portu ipso supra turres, quae ibidem sunt versus montaneam recte per costam, et patuum turribus ipsis contiguum ex parte superiori convenientibus muris claudi, et ecclesiam ibidem construi, in qua divina colantur, et aquam pro eorum usu ad villam ipsam, vel prope eam derivari, et duci de nostro proprio faciemus. Dictos etiam homines postquam ad villam ipsam accesserint ad habitandum, scilicet re vera ibi perpetuo et continue cum familiis suis, omni fraude cessante, francos facimus, et immunes ab omnibus quistis, talliis, alberguis, cavalcatis pecuniariis, et aliis adempris, et praestationibus quibuscumque, exceptis iuribus maris, ripae, et gabellae, quae pro curia nostra illibata serventur, et etiam cavalcatis personalibus, in quibus utique iuribus maris ripae, et gabellae dumtaxat in loco praedicto cum hominum Niciae conditione concurrant. Eximimus insuper eos a servitute centum solidorum ianuinorum, quos quibusdam civibus Niciae annuatim praestare tenentur, cum iam tractari fecerimus, et parati simus civibus ipsis excambium competens inde dare. Volentes adhuc, quod habentes et habituri possessiones in castro, et territorio de monte Olivo, quod amodo Villaefranchae

territorium nuncupetur, tam extranei quam privati a ad contribuendum cum eis in sumptibus, quos per tempora fieri oporteret pro conservatione, seu defensione territorii memorati, si de eo quaestio moveretur modo debito per nostram curiam compellatur. Quodque homines ipsi, quoad consulatum, banna et alia, sint in eisdem iure et statu, quibus ad praesens sunt in castro praedicto, iuribus nostris in omnibus semper salvis. Concedimus quoque quod, ut villa pluribus incolis repleatur, personae aliae a flumine Varis supra versus orientem possint illuc eorum incolatum transferre, quas ad locum ipsum ituras ad habitandum, scilicet re vera perpetuo et continue cum familiis suis, praedicta volumus franquitate et immunitate gaudere; ab eodem vero flumine Varis infra versus Provinciam b nulli liceat ad habitandum illuc ire, nec recipiantur abinde. In cuius rei fidem, et cautelam perpetuam hominum praedictorum praesentes literas nostras eis ex inde fieri iussimus sigilli nostri appensione munitas. Datum Brinoniae per magistros rationales magnae curiae nostrae, anno Domini millesimo CCLXXXXV, die X augusti, VIII indictionis.

Transactio super piscaria hominum de Villafranca.

Liga facta inter dominum ducem Sabaudiae, et dominos Brigae.

Statuta ducalia novae reformationis super creandis sindicis, consilio, regardatoribus, et aliis officiariis civitatis Niciae.

Litera missa gubernatori Niciae a Blanca ducissa Sabaudiae, XVII xbris MCCCCXCII.

FINIS STATVTORVM NICIAE.

LEGGI

DEL CONSOLATO DI GENOVA

DEL MCXLIII

G. B. F. RAGGIO

CHIAVARESE

AL BENIGNO LETTORE

Allorquando l'Italia cominciò quasi per prodigio a rifarsi e riviver tutta ne'secoli XII e XIII, dopo le lunghe traversìe, che avevano quasi in lei trasferito la squallidezza e i perpetui verni del settentrione, è maraviglioso spettacolo vedere come tutte a un dipresso le sue città quasi tocche da un novello sole, si risveglino, si muovano a gara, e rifioriscano di ordini, di costumi, e di leggi. Quindi i tanti statuti municipali, onde non solo i più ragguardevoli Comuni, ma eziandio le grosse terre, ed anche i piccoli borghi a fermar ciascuno le sue consuetudini, e a regolare il governo de' suoi Magistrati si rifornivano. Or di questi particolari statuti il primo esempio che si sappia finora son queste leggi, per cui Genova nel 1143 il reggimento de'suoi consoli politici indirizzava. L'original pergamena si conservava una volta in archivio. Una copia Ms. ne possiede la civica biblioteca Berio, collazionata e corretta minutissimamente con sott'occhi l'originale. Un' altra copia, ma poco esatta, me ne ha favorita il cultissimo avvocato Giuseppe Castellini mio dolce amico; un'altra che può rischiarare alcune lezioni dubbiose si ha nelle preziose memorie MS. di G. B. Cicala possedute e gentilmente imprestatemi dal mio onorevole amico, e delle cose Liguri eruditissimo, l'avvocato Matteo Molfino decurione di Genova, e membro della Deputazione sopra gli studi di Storia Patria. Alla fine della predetta copia avverte il Cicala, che l'originale di queste leggi si ritrovava appresso l'illustrissimo Luca Grimaldo detto il *Bianchino* già stato Doge, e ch'era

in cartina antichissima. Da ciò si potrebbe conghietturare che oltre alla pergamena deposta in archivio alcuni più esemplari in pergamena altresì se ne fosser tirati, e forse tanti quanti erano i Consoli politici o del comune nuovamente eletti pel 1143. Il primo che di queste leggi desse notizia al pubblico, si è, per quel ch'io sappia il patrizio Girolamo Serra di glorioso nome nel suo dotto discorso sulle monete di Genova. Un cenno fuggevole ne fece molti anni appresso il ch. Cav. Ludovico Sauli nella erudita storia della colonia di Galata. Ma innanzi a lui ne aveva parlato più di proposito il ch. Cav. Professore Spotorno nella storia letteraria della Liguria. E rammenta egli alcuni regolamenti fatti da' Pisani in 1146, e 1156, che sono il primo esempio di cotali decreti (municipali) ricordati dal Muratori: ma prosiegue che infin dal 1143 i Genovesi avevano già formato un corpo di leggi relative a' lor Magistrati, e ch'esso le chiamerebbe ordinamenti politici; nè certo più propriamente potevansi nominare. È da osservarsi però che i regolamenti Pisani sovraccitati del 1146, del 1156, e anche del 1186, mostra che fossero disposizioni di singolare argomento pertinenti a doti, nozze, e donativi maritali: e non già un corpo o riunione di leggi, come sono le Genovesi del 1143. Veggasi il padre Guido Grandi nella sua Pistola *de Pandectis*, sulla cui autorità, per quel che ragguarda que' regolamenti Pisani, tutto fondasi il Muratori. Del rimanente una riunione di leggi Pisane si ha bene nell'antico statuto di quella famosa città. Ma questo fu compilato nel 1262; salvochè il padre Grandi (*Epistola citata*) afferma d'averne veduto un codice in membrana un po' più vetusto (*). Adunque queste nostre costituzioni del 1143 sono il più antico corpo di leggi municipali, che si conosca in Italia, e perciò anche in Europa, le quali quanto degne siano di veder la luce ogni uomo che abbia fior di senno il comprenderà, ripensando quanto si debba far caso delle leggi antiche de' popoli, e quanto sia studio sterile in apparenza, ma fecondo in effetto, specialmente ove si tratti di un popolo, ch'abbia grandi e forti cose operato, ed aperte nuove strade, e recati novelli incrementi all'umano intelletto. Nè alle presenti leggi accresce piccolo pregio ch'elle appartengano all'età migliore e più incorrotta del Genovese comune, e molto anche si accostino alla prima formazione dello stato franco e sciolto di quello, la quale per le memorie che ci rimangono, si conosce tra

(*) Innansi alla posta ossia statuto di Verona del 1228 pubblicato dall'arcipr. Carmagnola si legge una sentenza del 1140 data da' Consoli di Verona stessa » secondo la lunghissima e antichissima consuetudine dei re, e duchi, marchesi, ed altri laici principi e cherici, secondo eziandio la Langobardica legge ». Adunque Verona non aveva per anche proprio statuto.

il 1000 e 1080 essere felicemente germogliata, e a maturità e perfezione venuta. Anzi per avventura vi s'appressavano molto più, che dalla data di esse leggi non si ritragga. E di questo già dava indizio non ispregevole la nota scritta a tergo della pergamena originale da mano benchè più recente, non moderna però, la qual diceva latinamente ». Statuti antichissimi politici ed economici che si osservavano in Genova *anche prima* del 1143.» Ma lasciando stare l'autorità di quella cotal nota, si può con buone ragioni la cosa stessa pressochè dimostrare. I Consoli del comune prima d'entrar in carica giuravano secondo una data formola: un'altra lor formola speciale aveano i consoli de' Placiti; ed una sua formola altresì la compagna: i quali formolarii si solevano chiamar brevi o breviarii, e talor giuramenti, o sacramenti. E primamente della formola della compagna fan cenno apertissimo le convenzioni co' marchesi di Savona del 1182: «E nella compagna stessa faremo scrivere e porre che sempre il popolo Genovese a voi marchesi sia tenuto d'osservar questo patto.» (*Raph. de Turr. Cyrolog.*) Similmente le convenzioni coi signori di Passano nel 1211 (antich. della fam. di Pass.); e nel giuramento prestato all'arcivescovo Genovese da Visconti di S. Remo in 1223, il Breviario della compagna (Sanremasca) vien nominato (MS. Berio). Ma non voglio tacere un bel passo delle convenzioni col conte di Ventimiglia del 1157 «E sarò tenuto io Conte al sacramento di questa nuova compagna, e delle altre compagne di Genova, secondo che nel Breve di esse si conterrà.» (Caffar. 1828). Finalmente ne fan parola queste medesime leggi: «Se il sacramento della compagna non avrò fatto, infra questi tre anni console non sarò» (cap. 56). La formola de' consoli de'Placiti è ricordata più d'una volta ne' presenti statuti: nel capit. 24: «di quelle doglianze che verranno recate dinanzi a noi, nè fieno scritte determinatamente nel breve de' consoli de' Placiti, faremo giustizia;» e ne fanno altresì menzione nel capit. 48, ove per l'antefatto al *breve de' consoli de' Placiti* si riferiscono. Quanto poi al formolario, o breve de' consoli del comune, i presenti statuti son desso: il che si accenna al capit. 56; ma si dimostra apertissimo, e s'illustra pel cap. 72: «Questo tutto farò scrivere nel breve a tenor del quale (*ad quod*) i venturi consoli giureranno, in guisa ch'essi stessi sian tenuti d'adempiere il tutto per saramento; e sien tenuti altresì di far giurare il simigliante a' consoli che verranno dopo di loro durante questa presente compagna, nel breve del lor consolato.» Pertanto è chiaro che sì la compagna, e sì 'l consolato del

comune, e sì quello de' Placiti avevano ciascuno una special formola degli obblighi loro; che su quella giuravasi; ch'ella si riformava con aggiugnervi, scemarvi, mutarvi opportunamente ad ogni rinnovamento di magistrati, o di compagna che si facesse. E questi statuti che pubblichiamo altro non sono, se non che il breve o la formola del consolato del comune per l'anno 1143; e nell'anno stesso un altro breve esisteva tutto speciale, e proprio pe' consoli de' Placiti o della giustizia. Nè questa si può dir che fosse una nuova invenzione di quell'anno, perocchè ne' testi preallegati se ne ragiona con tali parole, che solo si convengono a cosa abituale e consueta, come son quelle sovra recate del capit. 72, le quali ben danno a divedere che ciascun consolato aveva per uso il suo breve, e che ciascuna volta si potea dire: questa è la formola del presente consolato o della presente compagna. Senzacchè i nostri annalisti, che sotto il 1143 parlano della nuova legge dell' antefatto, troppo più farebbon parola di quest'altra istituzione, se nuova fosse, di gran lunga più grave ed importante. Adunque è verissimo ciò che afferma la nota sopra recata, la qual si legge sul dorso alla pergamena de' presenti statuti, ch'essi cioè fossero soliti ad osservarsi già prima del 1143; mercecchè sono essi il solito breve de' consoli del comune con quelle variazioni ed aggiunte, che o generalmente, o a quell'anno in ispezieltà paressero convenirsi (*). Or essendo qui sul ragionare di questi brevi, e del correggerli e variarli che si faceva al bisogno, l'argomento stesso mi tira a toccar brevemente d'un particolar magistrato, che appunto era sovra ciò stabilito. Sono gli emendatori de' brevi, che il Giustiniani sotto gli anni 1179, 1190, e 1196 traduce in emendatori della repubblica; i quali di riformare, sopperire, correggere le leggi e gli ordinamenti del comune avevan per carico loro. Sì credo però che nol facessero senza participazione o consiglio, e anche impulsione talvolta de' consoli, o di chi sedeva a regger lo stato. Quindi quelle frasi consolari del far porre nel breve della compagna, del far giurare i consoli venturi nel breve del lor consolato; e le convenzioni co' Lucchesi del 1166, dicono: « Farò giurare gli emendatori de' brevi, i quali *pro tempore* saranno infino a 29 anni, che niuna emendazione facciano nel breve de' consoli maggiori (di Lucca) per cui la detta convenzione

(*) Ad esempio il cap. 48 non può esser prima del 1143, dacchè solo in quest'anno fu stabilita la legge dell'antefatto, sulla quale il detto capitolo tutto si volge. Nè prima del 1143 può essere il cap. 76 sapendosi che l'ambasceria all'imperador Greco fu spedita del 1142. Ed anche parecchi ve n'ha occasionali o temporarii che dir vogliamo, i quali per l'anno 1143 solamente hanno vigore. Tali sono certamente i capitoli 20, 54; 63, ed alcun altro.

o patto si tolga. » (*Raph. de Turri*) (*). Da un luogo notabile di Bartolomeo scrivano sotto il 1228 si ricava che gli eleggeva il consiglio, e si vede in quell'anno con esempio insolito costituito per solo emendatore il podestà Iacopo di Baldovino. Finalmente di questo cotal magistrato truovo memoria in un documento consolare infin dal 1152: « Questo decreto han fatto i presenti consoli, per avere scritto gli emendatori de' brevi, che i consoli dovessero mutare i macelli dal luogo dov'erano, e il terreno aggiudicare al comune. » (Caff. 1828); nel qual testo si riconosce che son mentovati come magistrato consueto e ordinario. Ciò nondimeno la eccessiva sobrietà del primo annalista, e specialmente la mia poca erudizione non mi danno di citarne una ricordazione più antica. Ma lasciando stare di questi emendatori, e quanto antichi e' fossero, che a mio parere deono esser molto, quel che più importa si è che il presente statuto ci sia rimasto così solingo. E veramente è a dolersi forte, che non sien conservati i brevi speciali de' consoli de' Placiti, e della compagna di quell'anno medesimo, o d'altro vicino, nè si rinvengano parecchi altri brevi simili d'anni diversi: che congiunti a questo che abbiamo formerebbero quasi un corpo di leggi, anzichè un frammento, siccome è il presente di per sè solo; e molto addentro ci farebber vedere nelle cose di Genova di quella età (**): ma e' non m'è venuto fatto di poterne avere sentore veruno. E non so quel ch'io mi creda, se la conservazione di questo a preferenza d'ogni altro ne' pubblici archivii vogliasi attribuire a solo benefizio di caso, o forse ad essere stato riputato lavoro più compiuto degli altri, e con più dottrina ornato e condotto a perfezione. Ciò nulla ostante una prima forma rozza di questi brevi l'abbiamo nelle consuetudini del 1056; e nel proemio di quelle si parla di precetti e laudi o decreti del giudice di Genova, a' quali ciascheduno fosse obbligato acconciarsi. Del secolo XII non abbiamo altro che questo breve di 1143 che or pubblichiamo. Del secolo XIII è di poca estensione ma di molto rilievo il breve fatto dal podestà Lazario di Ghirardino, sul quale ordinò che si giurasse in città e in tutto il distretto per estinzione della *rassa* o congiurazione di Guglielmo

(*) Di qua si vede che il breve de' consoli, e gli emendatori de' brevi erano in Lucca del 1166. E in istrumento del 1197 si allega il breve de' consoli Senesi. (Benvoglienti note allo statuto Pistoiese nelle antich. Ital. del Muratori.)

(**) Il breve de' consoli di giustizia rileverebbe singolarmente, perchè darebbe a conoscere quanto il nostro diritto civile del secolo XII convenisse col diritto Romano, e quanto se ne scostasse. Al qual proposito non mi par inutile l'osservare che nelle memorie del Cicala (MS. Molf.) si citano in gran numero cartine de' secoli X, e XI, e di parte del XII, dove non molti si veggono professar legge Longobardica, pochissimi Salica, i più legge Romana. Da ciò, e non pur da ciò, potrebbe conghietturarsi, che i popoli delle nostre marine, e forse generalmente delle marine Italiane meno che gli altri si mescolassero colle nuove famiglie settentrionali.

di mare; e si ritruova ne' MS. migliori de' vecchi annalisti. Nel 1229 il già lodato podestà Iacopo di Baldovino eletto per solo emendatore compilò diligentemente gli statuti di Genova, e in libri li distinse e ordinò (*Bart. scriba*). Ho qualche lume che si conservi questa compilazione: ella non m'è però caduta mai fra le mani. Certamente si conserva del secolo XIV lo statuto del 1363, che dopo la morte di Simon Boccanegra sotto il Doge Gabriele Adorno fu compilato. Nell'esemplare che mi ha favorito l'ornatissimo avvocato Giuseppe Castellini delle presenti leggi, dichiara il copista d'aver egli avuto per le mani il predetto statuto distinto in 173 capitoli su pergamena di fogli 52. Da ultimo, non volendo passar oltre i cominciamenti del secolo XV, possiede questa civica biblioteca Berio Ms. le bellissime e copiose leggi del 1413 distese sotto il dogato di Giorgio Adorno, e d'amor di giustizia, e di politica sapienza ripiene (*). Ma non giovano le belle, e buone leggi, quando sono in dissesto gli ordini dello stato. Nel 1100 gli ordini secondo i tempi eran buoni, i costumi onesti ed umani, un' efficacia mirabile di religione, una virtù, un coraggio, un' attività senza pari, una bontà universal di giudizio, attributo de' tempi migliori, che precede e val meglio d'una fastosa letteratura: e niuna semenza di politiche fazioni che affliggesse il comune. La materia insomma v'era ottima ed acconcia ad ogni gran cosa. Le ire che surgevano d'ora in ora tra le famiglie procedevano da una un po' baldanzosa scioltezza, che ne' primi cominciamenti non era gran fatto pericolosa. In processo di tempo nella città cresciuta di ricchezze e di nuove genti noi portiamo opinione che senza mutazione de' vecchi ordini un nuovo a quelli aggiunto si richiedesse, per sopravvedere, correggere e perseverare: il qual se si fosse introdotto, niun sa fin dove potesse ascendere la grandezza de' Genovesi. Que' nostri antichi di civil senno abbondavano; ma questi cotali provvedimenti più li dà una divina fortuna, che senno umano. Intrattanto noi non senza ragione desideriamo le memorie, gli statuti, le leggi, più che d'altre, di quell'età gloriosa.

(*) Un grosso volume degli statuti del comune di Genova fu compilato in V libri nel 1418. Si conserva Ms. nella biblioteca dell'illustre patrizio Paolo Torriglia in Chiavari.

STATVTA

CONSVLATVS IANVENSIS

ANNI MCXLIII

In · nomine · domini · amen.

I. A (1) proxima uentura die purificationis sancte Marie usque ad annum unum.

II. Nos consules electi pro communi. laudabimus et operabimur honorem nostri. archiepiscopatus. et nostre Matris ecclesie. et nostre ciuitatis. de mobile et immobile. cum lamentatione rationabiliter. et sine lamentatione. ubi de communibus rebus esse cognouerimus.

III. Nos non minuemus honorem nostre ciuitatis. neque proficum. nec honorem nostre Matris ecclesie nobis scientibus.

IV. Nos non minuemus iusticiam alicuius nostri conciuis pro communi. neque iusticiam communis pro aliquo nostro conciue. sed equaliter eam obseruabimus et tenebimus. pro ut melius rationabiliter bona fide esse cognouerimus. excepto. si aliquis noster conciuis laudem de pecunia supra commune habuerit. et ipse in aliquo crimine. uel deueto ceciderit. pro quo pecuniam dare teneatur. tunc excusabimus laudem illam. in ipso crimine uel deueto.

V. De (2) aliis uero sit in nostro arbitrio. pro ut melius cognouerimus esse utile nostre ciuitati bona fide. Et de illis lamentationibus que uenerint ante nos de hominibus nostre compange. quas fecerint contra homines ultra gestam. et ultra iugum nostrum. et ultra Roboretum. et de discordiis que
a fuerint inter unam plebem et alteram. nostri archiepiscopatus de communibus rebus plebium. uel que pertineant ad commune nostre ciuitatis. unde lamentatio ante nos uenerit. siue de hominibus nostre compange qui habuerint aliquam contentionem cum communi nostre ciuitatis. unde lamentatio ante nos uenerit. non (1) dimittemus pro aliqua causa. quin infra. xv. dies secundum nostrum sensum. sine malo ingenio et sine fraude. palam iudicemus iusticiam utriusque partis. et operemur. nisi iusto dī impedimento uel pro nostra obliuione. uel per parabolam illius cui facta fuerit iniuria remanserit. exceptis illis causis que subtus scripte. et determinate sunt in hoc brevi. quas secundum quod determinatim scripte sunt obseruabimus.

b VI. Et si quis ultra gestam. et ultra iugum. et ultra Roboretum. lamentationem fecerit de homine nostrae compange. nos non minuemus iusticiam homini nostre compange.

VII. Et in ante ibimus ad faciendam uindictam. et retinendam iusticiam et honorem nostri archiepiscopatus. et nostre Matris ecclesie. et aliarum nostrarum ecclesiarum. et clericorum. et hominum nostre compange. et senum. et orphanorum. et uiduarum. et pupillorum. et mulierum nostre ciuitatis. a portu ueneris usque ad portum Monachi. et a uultabio. et a monte alto. et a savignone usque ad mare. et amplius in nostro arbitrio. nisi pro communi utilitate nostre ciuitatis remanserit. aut per parabolam illius cui iniuria facta fuerit.

c VIII. Feudum quod tenetur in nostra ciuitate quiete. per xxx annos adiuuabimus illos qui tenent.

(1) Per facilitare le citazioni abbiamo aggiunto i numeri, secondo che usò nel pubblicare lo statuto di Pistoia il Muratori.

(2) Se qui ed altrove pare la distinzion de'capitoli meno accurata, ciò nasce dall'aver noi ritenuti scrupolosamente gli a capo, quali erano nella copia Berio, collazionata anche in ciò diligentemente coll'original pergamena.

(1) Nella pergamena *nos*; ma vi son le vestigia dell'*s* corretta in *n*: così annota chi collazionava la copia Berio. Il Cicala (MS. Molfino) ha *nos*, la copia Castellini *non*, ch'è lezione certissima.

racionabiliter tenere illud. et illud quod interea *a* fuerit adquisitum. in laude nostra - - - -

IX. Et si aliquis homo de nostra companga per se. uel pel per suum missum nos inuitauerit. ut camus ad Ecclesiam S. Laurentii. seu S. Syri. aut S. Marie de castro. ibimus. si cognouerimus esse necessitatem ei propter quem inuitati erimus. nisi pro iusto dī impedimento. uel pro nostra obliuione. aut pro utilitate communis Ianue. uel per parabolam illius pro quo inuitati erimus remanserit.

X. Si aliquis homo uel femina specialiter et meditatiue in homine nostre compange homicidium fecerit. uel in illis qui non fuerint uocati. uel quos cognouerimus non esse utiles intrare in nostram compangam. uel in clerico siue in minore qui habitant in nostra companga. homicidam illum exilia- *b* bimus bona fide. et omnia bona illius que inuenire poterimus diripiemus. et deuastabimus. et patri et matri. uel filiis uel filiabus. aut fratribus. siue sororibus. aut propinquioribus parentibus illius qui fuerit occisus. qui se voluerint intromittere. laudabimus et affirmabimus (1) omnes proprietates illius qui homicidium fecerit. Et si noluerint se intromittere illis. laudabimus ad ecclesiam S. Laurentii. et laudabimus et operabimur. si homicida ille habuerit filios uel filias. ut non sint eius hereditarii. excepto si mulier fecerit homicidium in uiro suo. aut uir in uxore sua. tunc filii defuncti uel defuncte. non sint propter hoc minus hereditarii eius.

XI. Et si homicidium occultum fuerit factum. in homine nostre compange. uel in eis qui non fue- *c* rint uocati. uel quos cognouerimus non esse idoneos intrare in nostram compangam. et pater. aut fratres. aut auunculus. siue nepos. seu consanguineus germanus. uel consanguineus secundus interfecti. alicui homini crimen illud obicere uoluerint. arbitrio illius uel illorum libere conceditur. ut quantum illi mittere uoluerint. tantum mittat ille cui homicidium oppositum fuerit. si tantum habuerit. Si autem non habuerit. quantum habuerit. tantum mittat ille. qui crimen obicere uoluerit. Si autem ille cui crimen opponitur per bataliam se defendere noluerit. tamquam de homicidio palam facto penam sustineat. Si uero ille qui incriminatus fuerit mundus de ea pungna exierit. ille qui crimen obiecit. penam homicidii paciatur. et personam illius qui *d* uictus fuerit. in laude nostra exiliabimus. Et si fuerit filius familias qui illud homicidium fecerit. exiliabimus eum. et de facienda uindicta sit in nostro arbitrio.

XII. Si de ciuitate ad deuastandum bona hominis alicuius qui fecerit homicidium exierimus. in nostro arbitrio sit. ut de bonis illius qui fecerit homicidium tantum accipiamus quantum pro illa deuastatione expenderimus.

XIII. Si quis Ianuensis ab aliquo ex nobis specialiter et nominatim uocatus. uel a pluribus publice uocatus uel appellatus fuerit intrare in nostram compangam. et infra. XL dies postquam fuerit uocatus non introierit. non illi debiti erimus. et personam eius et lamentationes eius. per hos. III. annos non recipiemus. excepto si commune Ianuae aduersum eum aliquam mouerit actionem in qua actione uel in quo iure eum audiemus. et iusticiam inde bona fide laudabimus. et consulem eum uel clauarium nō eligemus. et legatum in aliquam partem mandabimus. nec aduocatorem in placito eum quod iudicare debeamus suscipiemus. neque aliquod officium de communi illi dabimus. et faciemus similiter iurare consules post nos intraturos. et quod ipsi alios consules post se intraturos hoc idem iurare faciant. et laudabimus populo ut personam eius qui de communi compagna non fuerit et pecuniam suam per mare non portet. Si uero aliquis personam eius uel pecuniam eius portauerit nobis scientibus. faciemus uindictam de eo bona fide. in nostro arbitrio. Et qui inuitatus fuerit intrare in compangam. et noluerit ut dictum est et habuerit discordiam cum homine nostre compange. et nos hoc sciemus. laudabimus. ut nullus homo nostre compange det illi consilium uel auxilium de illa discordia. et laudabimus populo quod det consilium homini nostre compange.

XIV. Non recipiemus pro singulari placito iudicando. neque aliqua persona pro nobis. nobis scientibus. nec requiremus, nec requirere faciemus. plus quam tres sol. ualens.

XV. Si qua persona nostre compange. uocauerit personas usque XII. per testes a Roboreto. usque ad gestam. et a iugo. ad mare. de placitis illis que iudicare debeamus. bona fide constringemus eos sub iure iurando dicere uerum. si potuerimus. et si cognouerimus eos esse utiles ad placitum illud. nisi remanserit per parabolam illius qui uocauerit illos. et sit in nostro arbitrio ad suscipiendum amplius pro dicto numero. Qui uero per nos iurare noluerint dampnum quod pars illa que uocauerit illos passa fuerit. laudabimus quod ipsi restituant illud.

XVI. Si aliquos testes inuitauerimus ut ueritatem iurent et iurare noluerint de facienda uindicta sit in nostro arbitrio et in sacris ordinibus constitutos sic (1) postulat ratio constringemus. Qui si iurare noluerint. faciemus inde uindictam ut supra dictum est. in nostro arbitrio.

XVII. Si aliquis homo habitans in ciuitate. uel in burgo. uel in castro. specialiter et meditatiue in aliquo loco fecerit assaltum. uel facere fecerit. super aliquem hominem nostre compange. unde ueritatem racionabiliter cognoscamus. et lamentatio de illo assaltu coram nobis facta fuerit. laudabimus. et dabimus de bonis illius. uel illorum qui assaltum fecerint. illi super quem factus erit usque in lib. c. si cognouerimus rationabiliter quod assaltus. et posse. et persona talis sit cui hec uindicta conueniat.

(1) Nella pergamena è svanita l'*a* dell'*affirmabimus*; tuttavia dalla doppia *ff* risulta. Il Cicala dice *firmabimus*. La copia Castellini *confirmabimus*.

(1) Anche la copia Castellini ha *sic*. Ottimamente il Cicala *sicut*.

nisi remanserit per parabolam illius uel eorum cui uel quibus iniuria uel assaltus factus erit. Si uero assaltus et persona talis non fuerit. moderabimus. et diminuemus penam secundum quod melius et racionabilius nobis uisum fuerit. Si autem filius familias qui sit a. xx. ann. in sursum que etas sit cognoscenda in nostro arbitrio. assaltum. fecerit medietatem uindicte in patrem faciemus. Si fuerit filius familias uel non a. xx. annis in iusum. de minuenda pena sit in nostro arbitrio.

XVIII. De supradictis uindictis auferemus illis uel illi qui assaltum fecerint. ad commune ciuitatis ualens terciam partem de hoc quod fecerimus dare illis uel illi cui assaltus factus fuerit. si in bonis illius uel illorum tantum inuenerimus. et de hoc neque per parabolam illius cui iniuria facta fuerit neque pro aliqua causa nichil omnino reddemus. Et si in bonis illius uel illorum tantum non inuenerimus. peiorabimus eum uel illos in bonis suis ualens tantum. quantum illis. uel illi auferre deberamus. si inuenerimus. Si uero de assaltu facto ut supra dictum est. lamentatio coram nobis facta non fuerit. et in nostro arbitrio illum qui assaltum fecerit. c. lib. habere cognouerimus. xx. lib. illi auferemus. et in commune ciuitatis dabimus. qui si plus. uel minus habuerit. de moderanda pena. sit in nostro arbitrio. et si fuerit filius familias qui assaltum fecerit de quo querimonia coram nobis non fuerit facta. et fuerit a. xx. annis in sursum. etas cuius in nostro sit cognoscenda arbitrio. predictam uindictam librarum. xx. in patrem faciemus. si filius familias fuerit uel non a. xx. annis in iusum. de moderanda pena sit in nostro arbitrio.

XIX. Non faciemus communem exercitum banditum nec incipiemus guerram nouam. neque faciemus deuetum. neque collectam de terra. nisi cum consilio maioris partis consiliatorum in numero personarum. qui fuerint uocati per campanam ad consilium et fuerint in consilio. Neque faciemus collectam de mari. nisi pro guerra maris. et hoc in laude maioris partis consiliatorum ut dictum est. et si fecerimus collectam ut supra dictum est. non dimittemus ad unum. nisi ut ad alium.

XX. Nos persoluemus per totum nostrum consulatum. reliquam medietatem de moneta. et de hoc non teneamur sacramento de non soluenda usura. Et de facienda collecta pro ea solutione sit in nostro arbitrio. Postquam autem moneta soluta fuerit. dehinc in antea non permittemus eam laborari per totam istam compangam.

XXI. De illis lamentationibus que fuerint facte ante nos. si ille qui fecit reclamationem uoluerit illam dimittere. et alter super quem facta erit reclamatio uoluerit ut finiatur. per debitum debemus difinire illam. nisi per parabolam utriusque remanserit.

XXII. Ego solus non faciam iurare aliquem uocatum testem in ciuitate uel in burgo. uel in castro nec requiram eum de eo sacramento quod iurauerit. nisi sim cum altero consule socio meo. aut

a extra ciuitatem pro aliqua re que pertineat ad consulatum missus fuero.

XXIII. Et si fecerimus deuetum ut dictum est. uel si inuenerimus aliquem hominem in deueto. de equali culpa equalem uindictam et equale iudicium faciemus.

XXIV. De illis lamentationibus que ante nos uenerint et determinatim non fuerint scripte in breui consulum de placitis. faciemus iusticiam bona fide si uero homines fuerint habitantes a Roboreto usque ad gestam. et a iugo usque ad mare.

XXV. Si discordia aliqua fuerit inter nos de re que pertinet ad consulatum. quicquid maior pars nostrorum inde confirmauerit concedemus.

XXVI. Si de aliqua turri causa preliandi aliquid b eiectum fuerit sine licentia consulum. et in ueritate cognouerimus quod pro illa iactatione aliquis mortuus fuerit. nos aut turrim destruemus aut illis uel illi cuius turris fuerit mille solidos auferemus.

XXVII. Si autem de iactatione illa homicidium non fuerit. pro unaquaque die qua iactatio fuerit. lib. xx. auferemus illi uel illis quorum uel cuius turris fuerit si poterimus. Et si tantum auferre non poterimus. duo solaria turris destruemus pro unaquaque die qua iactatio facta fuerit. si altitudo turris ultra duo solaria fuerit.

XXVIII. Si cognouerimus quod aliquis homo sine licentia nostra portabit. uel portare fecerit arma causa preliandi infra terminos illos in quibus sumus constricti. per campanam uenire ad parlamentum et habuerit ualens. L. lib. uel amplius. tollemus ei c libras. x. si inuenerimus. Si uero fuerit filius familias qui hoc fecerit. et habuerit a. xx. annis in sursum cuius etas in nostro sit cognoscenda arbitrio. auferemus patri lib. x. si habuerit ut dictum est lib. L. uel amplius. Quas si non inuenerimus. peiorabimus bona illius si sit sue potestatis. si uero fuerit filius familias peiorabimus bona patris ualens lib. x. in nostro arbitrio. Si autem minus. L. lib. habuerit. sed amplius quam decem. c. sol. ei tollemus.

XXIX. A decem uero in iusum. sit in nostro arbitrio. Si uero minoris etatis erit. siue fuerit filius familias. siue non. de minuenda pena sit in nostro arbitrio. Si cognouerimus autem quod ex successione patris uel matris ad filium familias. ualens sol. c. d peruenire non possit etiam si ad presens paternam uel maternam successionem intrare deberet. de moderanda pena sit in nostro arbitro. Et si predictos terminos causa preliandi. sine licentia consulum exierit. de facienda uindicta sit in nostro arbitrio.

XXX. Si quis homo liber in seruitio domini alicuius manens. sine licentia ipsius domini ut dictum est. arma (1) . . . . . portauerit. sol. xx. ei tollemus si inuenerimus. Si autem non inuenerimus et personam eius habere poterimus. iurare faciemus illum.

(1) Fra le parole *arma* e *portauerit* è una piccola casella con lettere isvanite: forse volea dir *uetita*; oppure è un pentimento. Così postillano latinamente i correttori della copia Berio. Ma il Cicala legge: *arma duxerit uel portauerit*; la qual lezione mi piace assai, salvochè il verbo *duxerit* non è per avventura quel preciso dell'originale.

quod non habitet in nostro Episcopatu (1) per to- a
tum nostrum consulatum. Si seruus fuerit. tollemus domino ipsius sol. xx. si inuenerimus.

XXXI. Si quis homo nostre ciuitatis habitator a IIII. annis. in sursum. cultellum uel lesnonem. quem cognoscamus non esse portandum uel spatam uel lanceam. sine licentia nostra. nisi causa exeundi foras. portauerit. tollemus ei sol. xx. si inuenerimus. Si fuerit filius familias sol. xx. tollemus patri. si inuenerimus. Et si non inuenerimus. peiorabimus eum in bonis suis sol. xx.

XXXII. Si pro honore et utilitate ciuitatis uoluerimus aliquem hominem de nostra compagna semel in anno mittere. aut nobiscum ducere cum expensis communis. et cum emendatione dampni si con-
tigerit illi usque ad portum ueneris. et albiganum. b
atque bargalium seu uoltabium. et ipse uenire noluerit absque precio. auferemus illi sol. xx. nisi impeditus sit tali impedimento quod iustum esse cognoscamus.

XXXIII. Si pro uero cognouerimus quod aliquis homo habitans a Roboreto usque ad gestam. merces uetitas a nobis. et contrarias nostris mercibus. de extraneis hominibus. infra terminos illos quos palam determinauerimus .... (2) ..... tollemus ei decenum. uel eis si plures fuerint qui adduxerint de suo proprio. de tanto quantum ualet pecunia extranei quam adduxerit.

XXXIV. Si scierimus quod aliquis homo nostri districti pro minorando honore nostre Matris ecclesie. et nostri archiepiscopatus. iuerit uel miserit. de c
facienda uindicta sit in nostro arbitrio.

XXXV. Si cognouerimus quod aliquis homo de nostra ciuitate habeat discordiam cum aliquo homine nostre compagne. et in nostra laude de hoc stare noluerit. in tantum uidelicet. quod in nostro consulatu scandalum inde non sit. de facienda uindicta sit in nostro arbitrio.

XXXVI. Nulli Ianuensi tollemus pecuniam aliquo ingenio pro communi. nisi pro capitulo quod in proximo scriptum est de discordia ciuium. aut illi qui confessus fuerit per se. aut conuictus per testes. et si probationem ei dare non poterimus. tunc sacramento illius credatur.

XXXVII. Quantum de suprascriptis penis determinatis acceperimus. nullo modo reddemus. d

XXXVIII. Si duo ex nobis ab aliis duobus discordati fuerint. concordabimus eligere unum hominem quem cognoscamus utilem ad difiniendum illud negotium. illum de quo cognoscamus. quod illud negotium placitatum non habeat. et cuius sensum de hoc negocio non cognoscamus et illi parti concedemus cum qua ipse concordatus fuerit.

XXXIX. Si galea. uel aliquod lignum armatum fuerit uel fuit pro communi. quod ueniat in nostro consulatu. et discordia inter illos homines orta fuerit. faciemus inde iusticiam.

XL. Si consules de placitis aliquam uindictam que pertineat ad consulatum suum facere uoluerint. secundum quod determinatum est in breui suo. et nos inuitauerint ad exercendam uindictam illam cum eis erimus. et de illa uindicta in ante ibimus bona fide sine fraude et malo ingenio. tamquam si per nos illam facere deberemus nisi per parabolam maioris partis illorum remanserit. Et si consilium a nobis de facienda uindicta illa quesierint bona fide consilium dabimus illis quale nos ipsi acciperemus. si illam uindictam facere deberemus.

XLI. Nulli guardatori dabimus de communibus rebus per mensem nisi sol. (1) v..

XLII. Si discordia inter nos et consules de placitis de aliqua causa fuerit. de qua teneri credamur. per sacramentum consulatus. concordabimur eligere unum hominem bona fide. ut scriptum est in capitulo. Si duo ex nobis ab aliis discordati fuerint.

XLIII. Si aliquis miserit scandalas in domibus a sancto Thoma usque ad Sarsanum. faciemus inde uindictam in nostro arbitrio. Sententias quas dederimus si per totum nostrum consulatum cognouerimus esse reuocandas aut meliorandas palam reuocabimus et meliorabimus eas.

XLIV. De incendiis et gastis et furtis et rapinis et de assaltibus factis unde lamentatio ante nos uenerit a roboreto usque ad Gestam et a iugo usque ad mare faciemus inde iusticiam uel uindictam bona fide in nostro arbitrio. nisi licentia illius remanserit qui reclamationem fecerit. saluis capitulis supra determinatis. excepto de illis assaltibus et iniuriis que ante consules placitorum facte fuerint. q'n (2) fuerint pro placitis.

XLV. Si aliquis homo absens de placito quod iudicare debuissemus. si ipse praesens adesset et a nobis uocatus fuerit et in nostro consulatu non uenerit. laudabimus ut uocationem illam uenturi consules firmam habeant. tamquam si per eos uocatus fuisset.

XLVI. Et si de bisantiis de Gibello contentio orta fuerit faciemus inde iusticiam.

XLVII. Si aliquam legationem facere uoluerimus ultra portum pisanum uel ultra Nitiam. uel ultra Lombardiam. non dabimus legato per legationem plus nisi quantum maior pars consiliatorum in numero personarum qui fuerint ad consilium concordata fuerit. et hoc faciemus priusquam concordemur que sit persona et antequam legatus sit electus.

XLVIII. De scriptura (3) facta ante matrimonium

(1) *Archiepiscopatu* ha il Cicala: lo credo errore, perchè non sarebbe sfuggita ai correttori diligentissimi della copia Berio una siffatta lezione. Per la ragion poi dell'*episcopatu*, quando era Genova da dieci anni arcivescovado, vedi le mie illustrazioni.

(2) Nella pergamena dopo *determinauerimus* è una casellina con lettere consumate. I correttori della copia Berio chiosano: forse *adduxerit*, che dà senso giusto.

(1) Dopo *sol* non si legge sia nel Cicala, sia nella copia Castellini numero alcuno. La copia Berio ha V.. con due puntini.

(2) La copia Berio diceva *que*: i correttori emendano *que non*, ma notano che la membrana ha *q'n*. Io leggea *quando*. Riscontrai poscia il Cicala, che legge *quando* egli altresì.

(3) In luogo delle parole *De scriptura facta ante matrimonium*, ha il Cicala: *De femina tradita in matrimonium*, credo men bene. Nella copia Castellini è lacuna.

et de tercia et de antefacto. ita faciemus sicut determinate scriptum est in breui consulum placitorum. a

XLIX. Si quis homicidium fecerit de homine nostre compagne. et a p (1) . . . . quinque annis exiliatus fuit a consulibus. non consentiemus eum habitare a sancto martino de muris (2) usque ad gestam.

L. Non iudicabimus nos ipsi neque pecuniam nostram neque patris (3) neque matrem neque filium. neque res eorum excepto antefacto et tercia sicut scriptum est in breui consulum placitorum exceptis rebus communis Ianuae in quibus partem habere credimus.

LI. Nos faciemus iurare si maiori parti ex nobis uisum fuerit illos qui habent turres quod faciant b ipsas turres diminuere usque ad annos. XI. ad illam mensuram de qua maior pars consulum et consiliatorum in numero personarum qui ad consilium fuerint concordauerint.

LII. Omnes uindictas quas supra diximus esse faciendas in patres pro filiis familias in ipsos filios faciemus si tantum habuerint. Si uero non habuerint tantum quantum pena fuerit. hoc quod habuerint tollemus si poterimus. et superfluum de patribus accipiemus. Si autem de filio nichil habere poterimus quamuis habeat. totum de patre accipiemus. uel in bonis suis quantum ualet pena in nostro arbitrio illum uel illos peiorabimus.

LIII. Si pro aliqua uindicta uel iusticia quam sotii mei debeant facere uel laudare ab eis discor- c datus fuero. Ego bona fide sine fraude et malo ingenio ero cum eis ad complendam eandem iusticiam uel uindictam . . . (4) . . . quis contra eos inde (5) rebellis fuerit. nisi per parabolam illorum remanserit.

LIV. In hoc anno non pignorabimus ex communibus rebus ultra nostrum consulatum nisi per licentiam maioris partis consiliatorum qui per campanam ad consilium uocati fuerint. et ad consilium fuerint.

LV. Si capitulum quod sit contrarium alii capitulo in isto breui inuenerimus hoc quod maior pars consiliatorum in numero personarum qui fuerint ad consilium decreuerint tenebimus.

LVI. Et si tenor aliquo sacramento quo non pos- d sim omnibus Ianuensibus illis qui fuerint de compagna iusticiam complere et honorem et utilitatem tocius communis Ianuae operari ac sacramentum compagne non fecero infra istos tres annos consul

(1) I correttori della copia Beria dicono: forse *proximis*. Il Cicala legge *preteritis*.

(2) La copia Berio prima della correzione diceva *de maris*; i correttori emendarono *de . . . ris*. Il Cicala (MS. Molf.), e la copia Castellini leggono d'accordo *de muris*; la qual lezione, confermata anche da quella benchè goffa *de maris*, è certissima.

(3) Il Cicala (MS. Molf.), e la copia Castellini dicono *patrem*; e così aveva prima della correzione la copia Berio. Tuttavia chi corresse *patris* certo lo lesse.

(4) Il Cicala non ha niun troncamento, e legge dopo *uindictam*, *si quis*.

(5) *Tunc* in luogo d'*inde* ha il Cicala. Lo credo errore.

non ero. excepto si sum (1) uassallus alicuius persone contra quam honorem communis Ianue non exceptaui. consulibus sociis palam manifestabo. et de ea guerra aut lite postea iudex non ero.

LVII. Si ego infra hos. III. annos consul fuero. ego bona fide uxorem meam iurare faciam coram consulibus sociis meis usque ad dies quindecim. quod non accipiat seruitium de aliqua re que pertinet ad consulatum ultra quod ualeat tres solidos. quod si iurare noluerit accipiam de dote sua lib. quinquaginta si potero aut inuenero.

LVIII. Si receperimus hominem in habitaculo huius ciuitatis faciemus eum iurare ut in perpetuum sit habitator huius ciuitatis et quod ueniat Ianuam ad habitandum cum uxore et filiis qui secum steterint in familia sua si habuerit et cum mobilia. et hoc quod erit perpetuus habitator huius ciuitatis. secundum consuetudinem aliorum ciuium sine fraude. excepto marchione. et comite. et exceptis illis qui habitant a Clauari usque ad portum ueneris. Et si inuenerimus ullum habitatorem quem suscipiamus fraudem facere in predicto habitaculo non erimus debiti illi.

LIX. Nos publice prohibemus ut nullus homo noster uel alienus adducat merces in nostro districto que sint contrarie nostris mercibus. quas accipiat ab homine qui habitet a plumbino usque ad portum ueneris. exceptis operibus siluaticis et garnimentis.

LX. Si fuerit extraneus qui adduxerit. faciemus eum iurare si poterimus ut reducat easdem merces ultra buronum et amplius non adducat eas in nostro districto per totum nostrum consulatum. Et si iurare noluerit retinebimus merces si habere poterimus. Sin autem faciemus inde uindictam in nostro arbitrio.

LXI. Si fuerit homo nostri destrioti. tollemus ei quartum si inuenerimus.

LXII. Si fecerimus deuetum. non dabimus licentiam alicui ut uadat uel mittat in locum illum de quo deuetum factum fuerit. nisi licentia maioris partis consulum qui Ianue fuerint.

LXIII. Nos non habebimus in hoc anno inter nos et consules de placitis pro feudo consulatus de communibus rebus nisi feudum de bancis et scariis qui sunt inter bucam . . . (2) . . . et de stateria et barile olei. et habebimus bisantios de galeis exceptis illis galeis que fuerint ordinate pro communi.

LXIV. Et non dabimus clauario pro feudo clauarie de communibus rebus nisi quantum unus ex nobis habuerit pro feudo suo.

LXV. Scribani uero in nostro sint arbitrio.

LXVI. De usura de terra non erimus districti per sacramentum iudicare in nostro consulatu nisi solummodo capitale salua solutione monete.

(1) Chi ha collazionato la copia Berio in una sua postilla si mostra dubbioso tra *sum*, *fuero* e *fuerim*; nondimeno prescieglie *sum*. La copia Castellini ha *fui*: *sum* il Cicala.

(2) I correttori della copia Berio dicono in postilla: forse dopo *bucam* s'ha a leggere *bovis* o *de bove*, lezione ottima; il Cicala ha *bucam bancis*, pessima; e invece d'*inter* *intra* pregevole.

LXVII. Capitale unde proclamatio ante nos ue- *a* nerit. de hominibus quibus districti erimus totum reddere faciemus. si inueneri mus. et si iustum esse cognouerimus.

LXVIII. Turres ultra octoginta pedes in nostro consulatu edificare non concedemus et si quis edificauerit, uindictam inde faciemus. xx. solid. per pedem et quas ultra octoginta pedes esse cognouerimus. destruere faciemus.

LXIX. Nos sigillo plumbeo cartam non sigillabimus neque sigillare faciemus. nisi maior pars de nobis consulibus in hoc consenserit qui Ianue fuerint.

LXX. Si aliqua persona proclamationem ante nos fecerit. quod aduocatores aut aduocatorem habere non possit in placito quod iudicare debeamus. aut dixerit quod aduocatores habeat sed sufficienter ha- *b* bere non possit de equandis partibus in nostro erit arbitrio. Et si aliquem aduocatorem alicui parti iungere uoluerimus et per nos eam partem bona fide adiuuare noluerit. eum aduocatorem per totum nostrum consulatum ante nos placitare non permittemus.

LXXI. De danda etate maioribus. xx. annorum sit in nostro arbitrio.

LXXII. A proxima uentura die purificationis sce Marie usque ad annum unum. si ego consul inuenero ullum hominem per testes qui fuerint recipiendi ad tam magnum crimen probandum. uel qui per suam confessionem manifestauerit quod falset monetam Ianuensem aut qui eam falsatam habeat. seu falsare faciat. siue ad falsandam eam consentiat. *c* uel cuius consilio falsetur. omnes res hominis illius mobiles et immobiles ad commune Ianue laudabo. et res eius ubicumque inuenero ita ut adquirere possim ad commune Ianue accipiam. et amplius non reddam. nec alicui alteri persone pro illo. et publice in parlamento laudabo ut persona eius perpetuo exilietur. et si personam eius habere potero manum eius truncare faciam. Et hoc totum de eodem homine uidelicet falsatore monete in breui scribere faciam ad quod uenturi consules iurabunt. ita quod ipsi teneantur per sacramentum hoc totum adimplere et similiter teneantur quod consules illos qui post eos infra istam presentem compagnam uenerint. hoc idem faciant in breui sui consulatus iurare.

LXXIII. Ego consul hec omnia adimplebo. sine fraude et malo ingenio in bona fide.

LXXIV. Nos erimus districti sacramento populo Lucensium et populo Pisanorum et populo Terdonensium sicut conuentiones inter nos et illos scripte sunt.

LXXV. Nos saluabimus conuentum (1) de moneta hominibus illis qui eam comparauerunt.

LXXVI. Conuentiones illas inter Imperatorem constantinopolitanum et Ianuenses quas (2) legati fecerunt aut fecerint quas Consules de communi qui modo sunt scriptas et determinatas nobis dederint. adimplebimus. ita determinatim ut eas per scriptum nobis dederint.

LXXVII. Nos non dimittemus pro amore neque pro timore. neque pro odio. neque pro parentela. neque pro alia causa quin adimpleamus. hoc quod supra determinatum est. sicut determinatum est bona fide sine fraude et malo ingenio si potuerimus saluo nostro usu nisi quantum pro iusto (3) di̅ impedimento uel pro obliuione remanserit.

ANNO . MILL. .C. XL. III.

(1) La copia Berio ha *conuenium*; ma i correttori esattissimi annotano: meglio *conuentum*. La copia Castellini concorda colla prima lezione, colla seconda il Cicala.

(2) Queste cinque voci, *quas legati fecerunt aut fecerint*, nella pergamena autentica erano aggiunte sopra le parole *et ianuenses quas consules*, e di diverso carattere. Ma elle si truovano in tutte le copie, e le appoggia la storia. Non debbo tacere però, che chi collazionava la copia Berio le giudicò di carattere più recente.

(3) I correttori della copia Berio chiosano: *Di̅ (domini vel dei dei potius detenti)*. Io leggo *dei* qui ed altrove,

ILLUSTRAZIONI

In nomine domini — Lo statuto di Verona del 1228 pubblicato dal Campagnola, incomincia: *hec est posta communis ciuitatis uerone, in nomine patris et filii et spiritus sancti. amen.* Balordamente e peggio lo statuto di Pistoia del 1197 o in quel torno: *in nomine sancte et indiuidue trinitatis. amen. anno ab eius natiuitate millesimo etc.* Ma lasciando di ciò, piacemi notare principalmente un'altra differenza tra il detto statuto Pistoiese ed il nostro; che quello incomincia a onor di Dio, e dell'Imperatore Arrigo (VI), e in progresso riconosce l'autorità de' messi imperiali per imporre gabelle: laddove il nostro mai non s'impaccia d'Imperadore; nè vuole altro auspizio che il nome di Dio.

I. *A proxima uentura die* — Scrive il Caffaro all'anno 1102: « venendo le prossime calende di febbraio si cominciò una compagna di IV anni e di IV consoli: » e più chiaramente mons. Giustiniani all'anno 2230: « perseverò (Rodolfo di Villa) in l'ufficio insino alla festa della purificazione della Madonna, ch'era la fine e 'l compimento dell'anno, e rese il suo ufficio con laude. » Il che sembra indicare che l'anno in Genova cominciava allora dall'incarnazione. — In appresso nel tempo che Genova ebbe i capitani del popolo, essi capitani soleano mutarsi nella festa di S. Simone e Giuda patroni della città, come apparisce da nostri annali. Monsignor Giustiniani all'anno 1270 fa congetturar l'origine di questa usanza: e agli anni 1291, 1294, 1499 ne arreca parecchi esempi.

Usque ad annum unum — Prima del 1122 i consoli solevano durare in carica diversi anni di seguito, siccome il Caffaro nel passo sopra citato, e in altri luoghi dimostra. Ma nel predetto anno s'abbreviò il tempo del consolato: « molti ambivano e cercavano esser fatti consoli, (dice monsignor Giustiniani sotto l'anno di 1124); e fu determinato per il consiglio, che il consolato non dovesse durare più che un anno. E si mise in pratica questa determinazione e decreto l'anno di 1122. »

II. *Consules electi* — Corrisponde al *consules designati* de' latini, e vuol dire ch'erano creati, ma non ancora installati — Capi veri ed attivi del governo erano i consoli del

a comune nel secolo XII, e rettori, e signori s' appellavano. Essi presedendo al consiglio promoveano le deliberazioni, facevano d'accordo col consiglio stesso trattati e convenzioni, guidavano per lo più le spedizioni e le guerre, chiamavano il general parlamento, facevan decreti con larghissima autorità, amministravano l'entrate del comune, ed esercitavano la potestà giudiziaria. Però, quanto s'appartiene a quest'ultimo incarico, essi ne furono in parte sgravati, quando nel 1130 con savissimo divisamento si crearono i consoli de' Placiti; a' , quali fu commesso di giudicare de'piati civili, e delle liti di proprietà. Ma siccome la potestà giudiciaria era in fonte ne' consoli dello stato, perciò di quelle controversie e querele che non fossero nel breve, o diremmo instruzione de' consoli di giustizia descritte, competeva a' consoli del comune pigliare informazione e diffinirle. (Vedi le

b presenti leggi cap. 24.) Le cause criminali poi, quelle specialmente che avevano in loro una certa gravità, e che implicavano violenza, di essi consoli del comune rimaser proprie del tutto, essendo considerato ogni delitto, siccom' è veramente, una certa aggressione contra lo stato; tanto più in una repubblica, e in una repubblica nuova e ristretta. Or qui è da considerare che quest'autorità giudiziaria presso i popoli dove la bisogna dello stato non è ancor sottilmente notomizzata, si reputa come attributo principalissimo del sovrano, o di chi sta in luogo di quello, avvisando gli uomini che la fine di chi soprastà, sia quella di far giustizia. Quindi i suffetti degli Ebrei, e de' Cartaginesi, e ne' secoli bassi le giudicature della Sardegna. Quest'osservazione ci serve d'un filo per inoltrarci verso i principii del consolato di Genova. Nel 1080 si truovano quattro consoli (vedi Giu-

c stin., Roccatagl., Cicala); e s'intitolano essi stessi: « consoli, rettori, e signori *quanto a giurisdizione* della città. » Nelle consuetudini del 1056 si vede essere i giudici in Genova molto potenti, (Cicala, e Roccatagl.). E nel 1039 troviamo Iterio e Villielmo, che il doppio titolo di consoli e giudici s'attribuiscono. (Cicala MS. Molf.). Egli si conosce da ciò che le imprese eroiche del secolo XI ravvivarono le memorie romane, e il nome de' consoli, che non s' era

mai perduto del tutto in Italia fu accolto e fatto risplendere *a* di nuova gloria sulle nostre marine.

Honorem nostri archiepiscopatus — *Onori* secondo il Ducange sta in varii significati negli scrittori del medio Evo: fra gli altri, *honores* invece di feudi ad ogni passo: e *honores* talvolta per significare qualsivoglia possessione: e *honor* per territorio, distretto. In un senso molto singolare lo adopera il Caffaro, anno 1100: « oltre all'onore de' consoli, de' nocchieri, e degli uomini dabbene », cioè oltre il loro premio, e la parte del bottino di Cesarea. Da quegli antichi onori è venuta a noi la graziosa voce *onorario*.

Nostri archiepiscopatus — Il primo ch'ebbe il titolo d'arcivescovo in Genova fu Siro nel 1133. Questo avvenne per grazia di papa Innocenzo II, il quale avendo nell'anno stesso accomodate le differenze tra Genova e Pisa, particolarmente quella vivissima per la consecrazione de' vescovi *b* di Corsica, e così fermata la pace tra i due gloriosi comuni, coronò con quella orrevolezza il suo benefizio.

Cum lamentatione et sine — Intende dire, che quantunque lagnanza o querela non fosse fatta, nondimeno trattandosi di pubblici interessi, i consoli di proprio movimento ne piglieran cognizione, e procederanno.

III. *Nostre civitatis.* — Lasciando il divario, che passava in que' tempi tra *civitas*, e *castra castella* e *vici*, si può ricercare in che differissero *civitas* e *commune*. *Commune*, *communitas* per l'università degli abitatori d'una terra o città, che per concessione del signore o del re vivono insieme stretti da giuramento vicendevolmente e da certe leggi, scrive il Ducange. Ora io dico che *commune* racchiude un'idea complessiva degli uomini riuniti insieme, e degli ordini e leggi ond'e' son vincolati; e *civitas* un' idea com- *c* plessiva altresì degli uomini insieme riuniti, e del luogo, che fa in qualche guisa di loro abitazioni una sola. Così molte volte entrambi i vocaboli insieme congiunti, compiono l'uno l'idea dell'altre. Nel capo 5 ad esempio leggiamo: « delle cose che pertengono al comun di nostra città; » e nelle convenzioni coll' imperador di Costantinopoli, 1157, noto una progression di vocaboli molto esquisita, se non elegante: « *ego amicus de murta ... genuensis transmissus... ab omni multitudine communitatis ciuitatis ganue (ianue)* » come se dicesse: « da tutta la moltitudine che vive insieme a comune nella città di Genova ». — Anche è degna da osservarsi la differenza di *commune* e *respublica*. Comune non sonava nel medio evo quel medesimo appunto che la voce corrispondente tra i greci antichi; nè indicava uno statuto con forme libere perfetto e da se, ma considerato *d* qual membro d'uno stato maggiore, e tra noi dell'imperio. L'imperio solo si potea rivendicare propriamente il titolo di repubblica. Questa distinzione è importante, quanto luttuosa e infelice. I semi del Ghibellinismo erano in essa.

Nostre matris ecclesie — La chiesa di S. Lorenzo fu dichiarata matrice per decreto de' consoli nel 1134 (Cicala MS. molf.); il qual decreto sarebbe da consultarsi in fonte, perchè secondo che riferisce il Cicala, i consoli vi destinarono porzion di legati e d'entrate canonicali alla fabbrica della suddetta chiesa; il che presuppongo sarà stato con partecipazione dell'arcivescovo, e col buon voler de' canonici. Tuttavia mi sembra notabile un decreto de' consoli su questa materia. Taccio intorno all'antichità della chiesa di S. Lorenzo, e all'ignorarsi il tempo della sua fondazione, intorno alle reliquie di S. Siro trasferitevi negli ultimi 15 o 16 anni del secolo x, per assicurarle dai subiti sbarchi dei Saraceni, e intorno alla sua facciata maravigliosa fabbricata nell'anno 1100, perchè son particolari notissimi a tutti.

IV. *Iustitiam nostri conciuis pro communi* — Par notabile quest'autorità arbitrale e mediatrice esercitata fra il comune e i particolari cittadini da' consoli dello stato, quasicchè rilevassero da una potestà superiore, siccome rilevavano i conti e marchesi prima di loro.

Pro communi — Del senso vero e proprio della voce *commune* s'è detto di sopra: similmente che comune chiamavasi Genova, e così l'altre città libere d'allora, perchè in nome almeno riconoscevan l'imperio. È il vero che i nostri comuni di mano in mano che si svincolavano si presero qualche fiata il titolo di repubblica, e alfine se l'appropriarono. La prima volta ch'io m'abbia veduto questo nome ne' nostri attribuito a Genova si è nel Caffaro, non sotto il 1147 come scrive il Ratti, sì sotto il 1155, *rempublicam ianuensium*, e di nuovo sotto il 1156. *De augmentatione reipublicae ianuensis*. È notabile l'epoca, cioè quando Genova si fortificava di salde mura contro a Federigo I, e quando propriamente si fermavano convenzioni coll'imperadore de' greci.

Laudem de pecunia — Laude o laudo è spiegato sentenza d'arbitro; ma spesso si ritruova nelle nostre antiche scritture, per decreto, dichiarazione, sentenza de'magistrati, e specialmente de' consoli. Qua pertanto par che significhi, sentenza o dichiarazione di credito; e in sostanza credito sulla comunità riconosciuto da' magistrati, e proveniente da imprestiti, pensioni, e simili. Se questo cotal creditore cadesse in violazion di divieto, o in qualche delitto, il pubblico intendeva scusare sul detto credito la multa applicata al colpevole.

V. *In nostro arbitrio.* — Questa formola frequentissima ne' presenti statuti, ed in altre cotali carte di quell'età, mostra lo scarso numero delle leggi, per cui molto bisognava lasciare all'equità di chi giudicava. E questo par che sia o difetto o virtù de' popoli che accoppiano tuttavia con una certa buona rozzezza la forza, e quasi ancora olezzano di natura.

De hominibus ... contra homines — Questo passo per una certa correlazione mi richiama un altro delle convenzioni de' marchesi di Savona, anno 1182: *nec pro compagna tenebitur (tenebimur) stare in placito causa (causae*, o forse *consulum) Ianuae*, *nisi pro Ian. (Ianuensi*, o *Ianuensibus)*. (Raph. della Torre nella cirologia, dove i bellissimi documenti sono sparsi di troppi errori). Il senso è che non vogliono quei marchesi esser tenuti a piatire in Genova, se non per le liti, che involgano interessi d'alcun Genovese. E nelle convenzioni coi signori di Passano: « nè altro gravame si possa imporvi salvochè se un cittadino genovese querelasse voi e gli uomini vostri (cioè i loro fedeli), sian tenuti rispondere e sottostare a' consoli Genovesi. » Questo accresceva la consolar dignità, ed era un prezioso diritto pe' cittadini.

Nostre compange — In varii significati trovasi adoperata questa voce nelle scritture de' nostri antichi, i quali sensi però tutti nascono dalla prima forza del vocabolo stesso. *Companga* o *compagna* pertanto non altro viene a dire universalmente, che composizione, unione, e dirò così, una

coagmentazione compatta di molte cose in un corpo; il che sia detto senza volere per questo entrar giudice fra l'etimologia latina e la germanica, a ciascuna delle quali intendo lasciare illesi e salvi i proprii diritti. Quindi significa:

1.° L'associazion di molte persone della città e del distretto, ed anche in appresso, per privilegio, di parecchie fuor del distretto, le quali avevan diritto, voce e azion nel governo: ed in questo senso equivale in parte al *civitas* de' latini, dico in parte, perocchè presso i Romani chi non partecipava a quel nome era servo o straniero; e chi n'era fuori non s'obbligava a parteciparne: il che in Genova succedeva altrimente. In fatti le presenti leggi parlano in più luoghi del chiamare alcun uomo nella compagna, di quei Genovesi che si ricusassero d'entrarvi, di quelli che chiamati non vi fossero, nè ad entrarvi paressero idonei. E nel giuramento de' primi consoli di S. Remo (MS. Berio) colà stabiliti dall'arcivescovo Siro nell'anno appunto 1143, si promette, che se alcuno abitatore di quel luogo non osserverà il loro precetto di entrare nella compagna, (quella intendendosi di S. Remo) qualor siavi chiamato, e tra quindici giorni nol vorrà fare, essi ne prenderanno ammenda, secondo l'arbitrio loro. E questo è il senso della parola più politico e principale.

2.° *Compagna* vale propriamente l'associazione predetta, ma in un senso più definito, in quanto vincolata più strettamente con certe condizioni e obbligazioni, e per un tempo dato, verbigrazia di tre o di quattr'anni, si giurava da' cittadini. « Una compagna di tre anni, e di 6 consoli fu cominciata. » *(Caff.* 1099*)*. « E i consoli giurar fecero una nuova compagna, e consoli del comune e de' Placiti eleggere de' migliori della città. » *(Caff.* 1157*)*. E in una carta del 1223, dove Corrado da Castello e Guglielmo Visconte promettono all'arcivescovo di governare S. Remo a certe condizioni determinate, si legge: « la qual compagna a ciascuno farò giurare con buona fede, secondo il consueto costume. » (MS. Berio). E nel giuramento de' marchesi di Savona 1182: « giuriamo la compagna presente di Genova, e giureremo quella che ha da entrare dopo di questa, e le altre che saranno quindi innanzi *pro tempore.* » *(Raph. de Turri)*.

3.° Par che significhi talvolta più particolarmente la durata fissa della detta giurata associazione: eccone esempio cavato dal patto de' consoli del comune cogli uomini della *rassa* o giura, anno 1162: « ne' singoli consolati per tutta questa compagna, e le prossime due compagne seguenti contribuiranno al comune tanto, quanto fia la loro possibilità. » *(Caff.* 1828*)*.

4.° Sembra che in queste leggi indichi eziandio il distretto della città: « se alcuno . . . avrà fatto omicidio . . . . contra un cherico, o un minore che abitino nella nostra compagna ecc. » (*Cap.* 10).

5.° Significa il breve, o diremmo la carta, dov'erano scritte le condizioni, i patti, le obbligazioni della compagna, e al cui tenore s'aveva a giurare. Così il patto de' consoli coi marchesi di Savona del 1182: « e nella compagna stessa faremo scrivere e registrare che il popolo di Genova sempre a voi marchesi sia tenuto d'osservar questo patto. » *(Raph. de Turri)*.

6.° *Compagne* significa eziandio le otto parti o quartieri della città, ordinatevi sette nel 1130, e l'ottava nel 1134, che alcuni goffamente chiaman *Campagne*. Ma questo cotal

a senso di data recente non cade mai nel presente statuto, perchè la division per quartieri di molto rilievo era quanto alle attribuzioni de' consoli de' Placiti, di nullo quanto a' consoli del comune.

7.° Finalmente si trova compagne per coorti, o compagnie di soldati: « alla dimane (i consoli nell'esercito d'Almeria) ordinarono 12 compagne con 12 vessilli, ed erano in ciascuna compagna 1000 uomini armati. » *(Caff.* 1147 *append.)*. Nel qual senso in queste leggi non occorre nè anche, perchè poco s'impacciano di militari faccende. — Il ben comprendere quel che fosse la compagna Genovese nel primo senso, dal qual partono, e nel quale a un dipresso ritornano i quattro significati seguenti, è di somma importanza per lo studio della patria storia. Io ne ho ragionato con una certa ampiezza in un mio discorso manoscritto sulle
b presenti leggi, e parte sulle condizioni e le forme del nostro comune infino a tutto il secolo XII.

XV dies — Questo fa conoscere che i nostri antichi non dormivano sulle cause, nè amministravano a gocciole a gocciole la giustizia.

Per parabolam — *Parabola*, parola: ma vale spesso dichiarazione, e in ispezie dichiarazione di desistere da una petizione o querela.

VI. *Non minuemus iustitiam* — *Iustitia*, gius, diritto che altri ha in qualche cosa (Ducange). Così Federigo primo, quando confermava in feudo a' Genovesi tutta la regione tra Porto Venere, Monaco, e il Giogo, salvava però la giustizia, cioè i diritti de' marchesi e de' conti. Qua dunque promettono i consoli, ch'eziandio qualora intervenisse accusa d'alcuno fuor del distretto contra qualch'uomo della com-
c pagna, i diritti dell'uom di compagna sarebbero sempre rispettati e serbati intieri.

VII. *Ad faciendam uindictam* — *Vindicta* indica spesso la riparazione e 'l rifacimento de' danni eseguito per via di giustizia, e conviene assai con quel che i Longobardi dicevano *composizione*. Così viene a dir qua, che i consoli procederanno per prendere riparazione, e conservare i diritti, e le rendite del loro arcivescovado. Vuolsi notare che gli obblighi de' consoli verso la chiesa hanno sempre la precedenza.

Nostri archiepiscopatus — Veggansi le leggi longobardiche di Lodovico Pio, e di Lodovico II imperatori; tra le altre questa: « si odano diligentemente le giustizie (le ragioni, o le cause) delle chiese, delle vedove, degli orfani, e de' pupilli ». *(Ad leg. langob. Lud. II additam* 2. *cap.* 28*)*.
d A queste consuona il seguente titolo delle costituzioni del regno siciliano, molto posteriori al nostro statuto: « a' pupilli, vedove, orfani, e poveri si dieno avvocati e pugili *gratis*, per difendere le loro cause ». *(Constit. regn. sicul. l.* 1. *tit.* 33*)*. Il nostro breve aggiunge i cherici e gli uomini della compagna.

Nostre Matris ecclesie et aliarum — Vuol dire la metropolitana, e le altre chiese di Genova. (Vedi le note al cap. III.)

A portu ueneris — Il castello di Porto Venere fu edificato da' Genovesi nel 1113, ed una bella lapide sulla porta di quella terra una volta sì illustre, ed or venuta in miserabile decadenza, dice ancora: *colonia ianuensis* MCXIII. — Voltaggio ebbero i Genovesi per compera dal marchese Alberto di Gavi in 1121, nel qual anno ci avvertono gli an-

nalisti, che si passò da' nostri il giogo con grand'esercito. a — Montaldo fu espugnato da' Genovesi nel 1128; e per la terra stessa si convennero colla comunità di Tortona nel 1144. — In Savignone par che verso il 1180 avesser dominio i Tortonesi (*L. Costa chart. Derton.*), e si deduce da Bartolomeo Scriba che del 1242 a Guglielmo Spinola fosse soggetto.

Ad portum monachi — Ecco intorno a Monaco una curiosa notizia, che per quel ch'io mi sappia non è conosciuta: « in 1198 Ottone Guaracco, e Fulcone da Castello consoli concedono in livello a Guglielmo Ficomataro la terra ch'è nel poggio di Monaco ». Così il Cicala. Ma nel 1198 non v' ebbe consoli del comune, e tra quei del civile non son nominati i due sopraddetti. Forse vuol dire uomini consolari; oppure converrà leggere nel 1191, nel qual anno fu console de' placiti Ottone Guaraco, e i Genovesi ottennero d'incastellare il poggio di Monaco da Enrico VI. b Quanto al Ficomatario egli insieme col prefato Ottone sedette nel 1201 console del civile.

Et amplius — La chiesa di S. Lorenzo godeva possessioni ed emolumenti in regioni lontane; e a' cittadini genovesi si procacciavano fuori i più diritti e prerogative che si potesse.

VIII. *Feudum* — Si può intendere ad un tempo e largamente per possessioni, e per feudi propriamente detti, e per feudi di borsa o di camera, ch'erano certe pensioni annuali pagate dal fisco, che stavano in luogo di tenute o poderi, e portavano al pensionato quei doveri medesimi che i feudi proprii ai feudatarii. Di simili pensioni si fa motto sovente nelle nostre memorie; specialmente di quelle che dai conti di Lavagna, e dai signori di Passano eran godute. c Intanto questa legge fa conoscere perchè le investizioni a tempo si facessero al più andare per 29 anni, perchè cioè i possessi temporariii col compiersi degli anni 30 non diventasser perpetui. Qui cade bene ricordare una legge di Aistolfo re: « qualunque Langobardo possiede una cosa qualch'ella sia per 30 anni, possegga eziandio per innanzi, anche contra le molestie de' custodi de' luoghi venerabili ». (*Leg. Aist. cap.* 9). Ma la nostra legge discende da una fonte più antica e veneranda, cioè dalla famosa prescrizion teodosiana, che fu chiamata sicurtà del genere umano: « siccome le azioni speciali *in rem*, così quelle *ad universitatem*, e le personali, oltre lo spazio di 30 anni non si estendano ecc. » (*Cod. theodos. lib.* 4. *tit.* 14. Vedi anche il cod. di Giustin. lib. 7. tit. 39).

In laude nostra — Con nostro consenso e decreto. Si d conservano di questi decreti a maniera di convenzioni coi marchesi del Carretto, coi conti di Lavagna, coi signori di Passano, ed altri, in cui si concedono feudi (camerali) o pensioni per signorie cedute al comune, e per servigi fatti, o per obbligare i servigi futuri; ed anche talvolta si davano in feudo case in Genova per abitarvi, o terreno per fabbricarvi, o in luogo delle case dovute una pensione in danari.

IX. *Ad ecclesiam S. Laurentii* — Vuol dire per quel che mi paia, che i consoli se fossero stati invitati da uno della compagna a riunirsi per udire alcuna sua comunicazione, o dichiarazione di grande rilievo o per esso o per la città, eglino dovevan prestarsi alla sua richiesta. È noto poi che le chiese erano in certo modo pei Genovesi e le altre città libere di quei tempi ciò che era ab antico la curia e i templi, dove si radunava il senato romano.

X. *Specialiter* — *Specialiter* vale espressamente, propriamente e precisamente. Sembra pertanto che *facere homicidium specialiter* venga a dire *commettere omicidio propriamente detto*, e con tutte le circostanze che a costituir quella spezie di delitto voglion concorrere: perciò aggiungesi *meditatiue*, con avvertenza, e a caso pensato. *Specialitas* si si trova anche per dire *persona*, dal qual significato sottilmente si potrebbe dedurre che quello *specialiter* valesse personalmente. Nulladimeno la prima interpretazione mi par la più vera.

Non fuerint uocati — Notisi come non tutti in Genova eran della compagna, ma conveniva esservi chiamato da' consoli, e tenuto utile suggetto per quella.

Vel in clerico siue in minore — Tre condizioni di persone son noverate e distinte: 1.° gli uomini della compagna, 2.° gli esclusi dalla compagna per non essere stimati degni e capaci, 3.° i cherici ed i minori. Di qui si vede che i cherici non si annoveravano tra gli uomini della compagna, non perchè non fosser degni ed idonei, ma perchè atteso l'uffizio loro non potevano portarne i pesi. Così i minori a cagion dell'età. Di qui si argomenta eziandio che la compagna non era un patriziato.

Laudabimus ad ecclesiam S. Laurentii — Del fervore de' magistrati genovesi nel secolo XII per la lor chiesa diletta di S. Lorenzo parlano molte scritture e convenzioni notissime di quell'età, e in varii luoghi queste medesime leggi.

Filii defuncti uel defuncte — « Se la moglie uccide il marito, sia uccisa ella; e i suoi beni, s'ella non ha figliuoli, restino a' parenti del morto ». (*Leg. Roth. cap.* 204). Osservo generalmente che le disposizioni contra l'omicidio contenute in questo e nel seguente capitolo son quasi l'estratto ed il succo di parecchie longobardiche; sì vi si riduce a chiarezza e ragione ciò che in quelle ha di confuso, di contradditorio, e di strano. Imperciocchè movendo quei barbari da un principio gaglioffissimo, che la vita del cittadino sia cosa estimabile ed equivalente ad un prezzo, e mirando a uno scopo troppo basso e insufficiente, vuolsi dire a riparare il danno, e racquetar le faide, o nimicizie tra le famiglie, pareva che non apprendessero, o niente stimassero l'orribilità intrinseca dell'omicidio, e l'esemplarità e l'intendimento morale, che vogliono aver le pene; il che nasceva da stolidità feroce, e nuova ferocia e stolidità partoriva. Quindi erano provenute le vecchie composizioni, in cui le umane vite erano freddissimamente a più o meno centinaia di soldi, secondo i gradi e la condizione, tassate. Poscia però i diversi legislatori s'aggravarono con mano più severa sui micidiali, e si vennero da quell'ordine di perversa computisteria dipartendo. Tuttavia sempre nel barbarismo abbondavano. I nostri valendosi delle leggi che erano in uso, le ripurgarono dalle stranezze, e piegaronle, non so se per avvertenza, o perchè le circostanze stesse ve li portassero, allo spirito delle antiche istituzioni romane. Stabilirono contra gli omicidi quella pena, che quanto alle cose estrinseche giudicarono più grave ed esemplare, cioè la devastazione, la privazione de' beni e l'esilio, salve però sempre le lor persone. La pena di morte si adoperò radissime fiate per istraordinario provvedimento, non contra i

colpevoli di qualche delitto, ma contra quei che del delitto fan professione, e che propriamente appelliam malfattori. (Vedi il Caff. sotto 1163). Così credo io che si procedesse nel xii secolo, e finchè il consolato del comune ebbe vita.

XI. *Si homicidium occultum* — Questa legge consuona con parecchie longobardiche, specialmente con una di Liutprando (lib. 6. cap. 65.), e più ancora col capo 2.º delle leggi longobardiche d'Enrico II; ma temperandone l'eccessivo rigore, e togliendone via la goffa pruova dell'acqua bollente. Quanto a' calunniatori derivasi ella dal codice di Giustiniano: « chiunque intenta un'accusa sappia che la licenza del mentire non passeragli impunita; giacchè a' calunniatori simiglianza di supplizio (il taglione) si aspetta ». *(Cod. iustin. lib.* 9. *tit.* 46*)*. E conviene anche col capo 13 dell'editto di Teodorico re; se non che dove questo ordina, che il reo e l'accusatore siano parimenti tenuti sotto custodia, il nostro breve statuisce in quella vece di metter su una cauzione in danari.

Per battaliam — Fa dolore il veder qui consagrare in forma di pruova giudiziaria il costume detestabile del duello. Ma già questo costume più là che barbaro avea messe radici per tutta Europa; ed anche oggi questa età d'incivilimento ve lo sostiene, se non come giudizio di Dio, almen sotto specie d'uno stupido onore. Nientedimeno appresso de' nostri antichi se ne vede l'uso molto ristretto. Nel secolo xi la carta delle consuetudini genovesi di 1056 assai fa conoscere, che i nostri non amavan punto quella pruova bestiale, nè la legge d'Ottone II, che l'aveva in Italia promossa. Nel secolo xii questo breve ammette il duello per un sol caso: anzi crederei, che fosse piuttosto nelle leggi scritte, e come un sommo ius, che nei costumi vivi e nella pratica giudiziaria. Merita d'esser letta a tale proposito in Oberto cancelliere scrittore contemporaneo la storia mirabilmente drammatica del 1160; avvertendo che intorno a que' fatti, dove dice mons. Giustiniani meno chiaramente ch'erano tra' primarii cittadini sei disfide mortali, conviene intendere, che tali accuse avean proposte gli uni contro degli altri, per diffinir le quali lo stretto diritto richiedeva sei duelli giuridici. I consoli pertanto s'infinsero di volere che i duelli, secondochè il rigoroso diritto prescriveva, avessero effetto; e la turbazione e lo sgomento grande, che quindi nacque, mostrano assai come quel modo fosse insolito e straordinario. Gli annalisti, che a notar queste cose sono assai diligenti, non credo che parlino d'altri duelli, che di due solamente. L'uno in campo di Sarzano nel 1235, il quale nemmen pare giuridico, ma piuttosto una rissa, e forse a braccia e senz' armi. L'altro nel 1232, e questo fu certamente giuridico, e per caso appunto d'omicidio occulto, in che solamente l'ammettono queste leggi. Ma il podestà forestiero che l'ordinò, più seguì per avventura la sua scienza legale, che gli antichi esempli de' consoli genovesi. Osservo che mons. Giustiniani ricordando un tal fatto nomina le leggi longobarde, ma non ne fa punto menzione l'annalista originale.

Non voglio qui pretermettere una considerazione che non è tanto estranea quanto può parere ad alcuno. I costumi in Italia si mescolarono di bene e di male nel mille, ma tuttavia con un movimento al bene, e un risvegliarsi de' sopiti spiriti maraviglioso: furono buoni, e ad un tempo miti ed eroici nel mille cento: intristirono nel mille dugento: inferocirono sul finire del secolo stesso, e nel mille trecento,

a in quell'atto medesimo che con un procedimento tutto contrario germogliavano le lettere e le arti a ingentilire gl' ingegni.

Pungna — Ecco a un dipresso la *punga* di Dante (Inf. c. X.)

XII. *Quantum pro illa devastatione expenderimus* — Notinsi le spese per l'esecuzion di sentenza scontate sopra 'l colpevole.

XIII. *Intrare in nostram compangam* — Se altri qui mi richiedesse qual sia stata l'origine della genovese compagna, sarebbe questo un quesito bellissimo; al qual tuttavia non si potrebbe rispondere pienamente per mancanza di documenti. Osserverò non ostante che infino al 1122 tanto durava ciascuna compagna, quanto ciascun consolato: inoltre essere stati i consoli per sè più amministratori della città e
b della giustizia, che comandanti d'eserciti, od ammiragli, giacchè duce dell'oste era una carica distinta, che a' consoli e non consoli si poteva affidare. Ciò posto, io credo di ravvisare nella compagna il germe sopravvivuto degli ordini municipali romani, che prese nel x e in tutto l'xi secolo vigore, accrescimento e independenza. I consoli corrispondono coi magistrati (i *duumviri*, o i *quatuorviri*), il consiglio coll'ordine decurionale, gli uomini di compagna co' semplici cittadini, la rinnovazione della compagna colle nuove creazioni de' magistrati. Ma questi ordini municipali in una città devastata, assoggettata, e dichiarata *vico* da' Longobardi (641 o in quel torno), mal possono mostrarsi in luce, dove appena appar più vivere la città. Tuttavia l'antico elemento italico in lei durava con poca mistura di barbarico sangue, come s'argomenta dal gran numero detto altrove
c delle professioni di legge romana. Intorno al 935 rifioria Genova, e forse ritrattava già l'armi, quando le arrecarono desolazione e scempio i Saraceni. Nulla di manco del 958 il privilegio del re Berengario e Adalberto conceduto alle istanze de' Genovesi, per mantenerli più ben affetti e fedeli, dimostra con ciò stesso ch'essi facevano corpo insieme, e amministravano da per sè le loro comuni faccende; oltrechè conferma ad essi le lor consuetudini e una larga independenza. Nel 967 una cartina di donazione a S. Stefano nomina le mura di Genova, e che il monasterio era fuor della cinta (Cicala MS. molf.). Nel 990 Giovanni vescovo e il giudice Vuaraco intervengono ad un giuditio e ad un quasi duello (ivi). Nel 1008 il detto vescovo in cartina nomina la consuetudine di questa patria (ivi). Nel 1016 e 1017 i Genovesi fan lega co' Pisani, liberan Luna da' Saraceni, de-
d bellano Musatto in Sardegna, e poi guerreggiano tra di loro: tutto quel secolo è chiaro de' lor fatti eroici. Nel 1039 in un documento, ove intervengono parecchi giudici, figurano pe' primi tra loro Villielmo console e giudice del signor re, e Iterio console e giudice del sacro palazzo; anzi in capo a detta carta consoli solamente s'appellano (Cicala), mostra che per essere dotti in legge avessero quel titolo di giudici o di scavini (vedi il Savigny), e per altra parte fossero dalla città eletti a suoi consoli, della qual carica più s'onorano. Nel 1056 i *boni viri* son mentovati; i giudici lodano o vogliam dire decretano le consuetudini di Genova; e il giudice genovese (pare che voglia dir console, e così forse i giudici nominati prima) può con suoi precetti e decreti obbligar chicchessia, e costringe le vicine pievi e borghi alle guardie della città (Cicala). Nel 1080 quattro magistrati mu-

nicipali sedevano in Genova con piena giurisdizione, e consoli, signori, e reggitori s' intitolavano. Per tal guisa l'elemento italico in Genova fu svegliato dai Saraceni. Veggendosi dai re d' Italia e dagl' imperadori lasciato indifeso, diè di piglio all'armi, e maneggiatole con religioso ardore, e con antica virtù, levò la sua curia municipale da squallida ch'era ed avvilita a stato illustre e sovrano, e vide il suo vescovo e i suoi magistrati, dacchè provvedevan del tutto alla patria, divenuti come padri di famiglia, e quasi senza volerlo, capi e signori di quella. Allora per mezzo de' suoi consoli chiamò tutti intorno all'ubbidienza, e i più notabili di qual sia legge ad associarsegli, entrando a parte de' carichi e de' vantaggi. Chi ricusasse di giurar fede, abbandonato ed esecrato si rimarrebbe. Anche i principi, marchesi e conti delle regioni e delle isole circostanti attirò a sè. E in diversi luoghi per isnervare i feudatarii mise mano a crear di cotali associazioni municipali, che alla maggiore si conformassero, e da lei dipendessero; in alcuni altri edificò castelli, fondò colonie; e coi giuramenti della compagna e dell'abitato in Genova strinse le membra, e crebbe il corpo della città. Queste mi paiono le origini, e i progressi della genovese compagna. Le sue vie cominciate tutte alla romana meritavano d'esser poi più fedelmente seguite.

Per hos tres annos — E perchè mai per tre anni, e non per quattro e per cinque? Anche a' capitoli LVI e LVII ricorre la formola stessa: e più chiaramente nel cap. LXXII i consoli de' due anni seguenti s' inchiudon tutti *entro questa presente compagna*. Da tutto ciò può dedursi che di tre in tre anni si rinnovasse la compagna, quasi in quel modo che si rinnovava il censo in Roma ogni cinque. Conseguita che da principio i consolati e le compagne camminaron del pari; cioè dal 1099 si cominciò una compagna ed un consolato, e l'uno e l'altra duraron tre anni infino a tutto il 1101. Dal 1102 a tutto il 1121 corsero 5 consolati e 5 compagne di quattr'anni ciascuna; tuttocchè dell'ultimo consolato una fu bensì l'elezione, ma degli otto eletti quattro sedettero pe' primi due anni, e quattro pe' due susseguenti. Dal 1122 al 1142 inclusivamente corsero 21 consolati, ma non altrettante compagne. Supponendo che il presente breve fosse fatto per obbligare i consoli del 1143 e non del 1144, come altrove si chiarirà, e che la compagna regolare di 3 anni infin dal 1122 si stabilisse, sarebbero corse da quest'anno a tutto il predetto 1142 sette compagne precise. E chi volesse cominciare dal 1099, avrebbe secondo questi computi 29 intere compagne fino a tutto il 1190, sul finir del qual anno fu chiamato il primo podestà forestiero. Osservo per ultimo che siccome ogni consolato aveva il suo breve (vedi l' introd. e queste leggi cap. LXXII), conveniva perciò rinnovare i brevi de' consoli sì del comune e sì de' placiti ciascun anno, e invece ogni tre anni quello della compagna.

Excepto si commune Ianue — Simile è un articolo del giuramento de' visconti di S. Remo prestato all'arcivescovo nel 1223, dove si statuisce che se alcuno chiamato a far compagna, e vuol dire ad entrare nella compagna di S. Remo, ch'era un'imitazione di quella di Genova, si ricuserà, niuna giustizia farassegli, e solo si udranno contra esso le altrui querele, cosicchè alla vendetta della giustizia era sottoposto, e privato del patrocinio: vi si aggiugne una pena pecuniaria infino alla somma di cento soldi. Ma il nostro breve tanto più antico non esce de' termini d'una specie di scomunicazione civile.

Personam eius — Con questo a chi ricusasse d'entrare nella comune compagna s' impediscono i traffichi. Ma perchè tanta detestazione e severità contro de' ricusanti? La ragion si era, che chi dinegava di prestare il giuramento della compagna, mostrava per ciò stesso d'esser tenuto da qualch' altro giuramento contrario. Ciò interveniva per una maniera di compagne o associazioni illegittime, che rasse o giure si nominavano, in cui molti stringendosi tra loro con certe obbligazioni, si giuravan fede e vicendevole aiuto. Elle si stesero talvolta eziandio per le riviere. Vorrei farle conoscere, ma non ho spazio. Due notabili esempi n'accennerò: ciò sono la rassa terribile di Guglielmo di Mare del 1227 descritta da Bartolomeo Scriba, e dal Giustiniani; e una più antica contra Filippo di Lamberto, colla quale patteggiarono i consoli stessi del 1162, e accettarono da partecipi di quella il giuramento della compagna condizionato. Tra gli altri patti fu, che quantunque non potesser di poi, poste certe cagioni, far parte della compagna, dovesser però *recipere racionem et portari per mare*, cioè fosse loro amministrata giustizia, e avesser liberi i traffichi e il navigare (Caff. 1828). Ma già tutti i documenti bellissimi spettanti a quella rassa, meriterebbero d'essere commentati.

Nullus homo det illi consilium — *Consilium* per favore e consenso, scrive il Ducange. Si vuol impedire a' ricusanti quello a che maggiormente tendevano, ciò eran sette e aderenze, e segregarli da tutto il popolo. Con ciò si compie contra questi civili scismi quella mirabile scomunicazione civile, che sopra s'è detto.

XIV. *Ualens* — Ecco il *valsente* de'nostri buoni autori. Notinsi in quel massimo di tre soldi le spese per lite limitate, e certo modiche, anche calcolato il valore de' soldi d'allora.

XV. *Gestam* — Qua s'indicano i confini del distretto proprio di Genova, vuolsi dire il Giogo, il mare, Gesta, e Roboreto. Il Giogo e il mare non arrecano difficoltà. Quanto a Gesta e a Roboreto io credo certo di dar nel segno ravvisando il primo nel fiumicello Laestra, quasi la Gestra, che scorre tra Cogoleto ed Ivrea, ma molto più presso a Cogoleto: l'altro poi in un grosso villaggio, che tra Zoagli e Chiavari si distende, e risulta da varie carte che Roboreto (Rovereto) chiamavasi allora, come chiamasi anche oggidì. Determinato così il distretto proprio di Genova nel 1143, la materia stessa m'invita a notare alcuni altri confini alla dilunga delle riviere, ch'esprimano in tempi più antichi lo stato di quelle. A ponente stendeasi la marca di Savona dal Laestra, e anteriormente crederei, secondo c'ha il Monti, dal Leirone insino a Finale, o alla Capra Zoppa, avendo forse, come altri altro, così Genova acquistato su quella il terreno di Cogoleto. Indi seguiva la Marca o contado d'Albenga, che m'avviso doversi produrre dalla Pietra al fiume di Taggia o a un dipresso. Un vestigio se ne vede ancora in 1146, nel qual anno convenendosi Albinganesi con Pisani promettono di salvarli dalla Pietra ad Uneglia. (Cicala). Dall'Arma in poi il contado di Vintimiglia. (Vedi le convenzioni coi march. di Savona di 1140, e Durandi Piem. Cispad.) — Infine a cominciare dalla Turbia il contado di Nizza. A oriente sono le cose più avviluppate. Il contado

Lavaniense par quasi accennato in sentenza data da Oberto marchese in val di Lavagna nel 994. (Cicala MS. Molf.): e vi si determina il luogo, cioè dinanzi alla chiesa della Pieve di S. Stefano, per licenza del vescovo Genovese Giovanni, il che mi dà sospetto, che voglia indicare un dominio del nostro vescovo in quelle parti. I confini del contado predetto ho ragion di credere che fossero da una banda Rovereto, o forse il rivo che lo dimezza, e Sestri dall'altra. Sotto 1089 allega il Cicala una donazione di terre fatta da Ingo a un suo nipote *infra* (dentro) *marchiam ianuensem, in loco rapalli in peragallo* (così pare scritto ma sarebbe forse Zoalio?) *in confine lauaniensi;* e nel 1167 parecchi conti di Lavagna si obbligano di salvar Lucchesi da Sigestro a Rovereto. (Geneal. fam. Scorz.) — Più oltre un Gerardo *comes Livanti* si nomina da Lorenzo diacono nel poema sulla spedizione Pisana contra Maiorica del 1114. Ma già fino a' confini di Levanto doveva essere antica anche civilmente la dipendenza da Genova; e da Levanto stesso par che cominciasse una volta il contado Lunense. Veggasi il diploma di Federigo I a favore d'Opizzo Malaspina (anno 1164), che può dar molto lume pe' confini antichi di Genova, Lavagna, e Luni nella Riviera orientale. (Murat. antich. Estensi).

XVI. *In sacris ordinibus* — V'è legge di Lotario I, che i sacerdoti non si richieggano a testimoni in secolari faccende; ma se fosse al tutto necessario per iscoprire la verità, il vescovo provvegga del modo com'essi possano esaminarsi. E un'altra dell'imperadore Arrigo II, dove discorre che dietro il testo di varie leggi che non parevan concordi, si dubitava se dovessero sì o no costringersi i cherici al giuramento. Egli ad ogni modo ordina che niun vescovo, nè prete, nè cherico, nè abate, nè monaco, nè santimoniale (monaca), in qualsivoglia controversia nè civile nè criminale non si costringa a prendere per qualsiasi maniera il giuramento: ma sì debbano delegar quest'uffizio a'loro idonei avvocati. *(Leg. Langob. Loth. I, cap.* 101, *et Henr. II, cap.* 1 *).* Lo statuto di Pistoia compilato poco prima del 1200 impone al podestà, e a'consoli maggiori, che proteggano le chiese e i lor beni, sì veramente che il vescovo e il capitolo promettano di stare in giudizio co'laici; e dieno licenza a'detti magistrati di costringere tutti i cherici al foro secolare. (Murat. antich. Ital.). Lo statuto poi di Verona del 1228 concorda quasi col nostro; aggiunge però che gli uomini religiosi, se piacerà al magistrato, non saranno astretti a giurare, anzi eglino avran fede, testificando semplicemente, come se avesser giurato. *(Compagn. lib.* 7, *civ. II, ver. c.* 71 *).* Il nostro breve del 1143 taglia in mezzo la quistione risolutamente, e senza temperamento veruno. Intanto avendo la penna su questa materia, mi sovvien d'accennare alcune sentenze date da'consoli Genovesi, e d'argomento non disparato. Nel 1116 deciser lite a favore del monastero di S. Fruttuoso; e un'altra nel 1160. In 1144 fu sentenziato da'consoli del civile a vantaggio dell'arcivescovo per certe decime che Ingo di Sorba possedeva in Rapallo: e oltracciò che a lui spettasse metà di Roccatagliata e di Monte Cornaglio: nel 1149 gli diedero sentenza altresì favorevole per certe terre di Modolico contra Rolando avvocato, Guglielmo Pevere ed altri. E i consoli (del comune siccome credo) condannarono Giovanni Barca, e Guglielmo Barca per aver danneggiato i molini dell'arcivescovo. Ciò fu del 1140, nel qual anno Guglielmo Barca stesso sedette console del comune. (Cicala MS. Mulf.; vedi anche sopra le note al cap. 2).

XVII. *Si aliquis homo habitans* — Qui ed altrove si distingue assai chiaramente tra i semplici abitatori di Genova, e gli uomini della compagna di Genova. Ma la compagna era ella dunque una nobiltà? Per me, dico, ch'ella era una scelta associazione di notabili, soggetta a rinnovarsi continuamente, non già un ordine di patrizii. Nobili propriamente detti, siccome furono senza dubbio in queste parti, prima della costituzion del comune, così restavano anche dappoi. Ma ell'era un'estrinseca nobiltà ristretta ne'lor dominii, feudi, e possedimenti, ed anche in riguardo al regno d'Italia o all'imperio, ma non rispetto al comune. Il silenzio assoluto di queste leggi, che ragguardano specialmente il politico, pare una pruova diffinitiva. È il vero che quella estrinseca nobiltà volle poco appresso prevalere eziandio nel comune, e intrinseca divenire allo stato. Quindi i dolori, e il ghibellinismo, che mirava a rinfeudare ogni cosa, e le fazioni nobili e popolari, e le famiglie più principali e potenti segregate dal governo con grave indebolimento della repubblica, e finalmente l'unione del 1528 son gli ulteriori procedimenti di quella prima quistione.

In ciuitate uel in burgo uel in castro — Non s'intenda in qualche città o borgo, o castello, ma sì nella città propriamente detta, nel borgo di Prè, e nel luogo che anch' oggi chiamiamo Castello, nella cui chiesa di S. Maria è accennato di sopra al cap. IX, che si ragunavano talvolta i consoli a trattar le faccende. La formola stessa è ripetuta di sotto al cap. XXII, dove l'esposto significato salta agli occhi apertissimo, e così nella dichiarazione degli ufficii del cintraco o banditor Genovese. (Anno 1142).

In sursum ... in iusum — Di qua il *suso* e *giuso*, che per istroncamento diciamo su e giù. Ed è quello *iusum* men barbaro che non paia, dacchè il Muratori trovollo adoperato da S. Agostino.

Etas sit cognoscenda in nostro arbitrio — Si statuisce poi subito pe'giovani in età minor d'anni 20 una diminuzione di pena. Non si vuol però che i consoli se ne rimettano ad altri, ma che essi stessi piglino conoscenza se i giovani passino o non passino quell'età, e che solo valga in ciò come in altro la lor decisione — Anche paiono notabili quelle parole, *filius familias qui sit a* xx *annis in sursum*, le quali danno indizio che tra noi l'età magiorenne legittima fossero i 25 anni, come presso i Romani.

In patrem — I figliuoli di famiglia soggiacciono al potere, e quasi son proprietà de'genitori; perciò le pene pecuniarie che non posson quelli pagare si scontano sui padri loro: dura legge, ma necessaria veniva, non volendosi lasciare il fatto impunito, nè per altra parte cambiar la pena pecuniaria in afflittiva della persona, chè certo a'padri stessi sarebbe riuscito discaro. Aggiugni che i delitti de'figliuoli puniti ne'padri pertenendo ad assalti, risse e violenze, che generalmente nascevano allora dalle animosità ed emulazioni di famiglia a famiglia, ragionevolmente si reputavano a mala direzione de'genitori. Le constitutioni Sicule consuonano a questa ed altrettali leggi del presente breve, nell'atto stesso che contraddicono. « Permettasi a'padri di pagare le multe de'lor figliuoli, non pagando le quali non sarebbero essi figliuoli suggetti a pena corporale. Nulladimeno non vi sieno costretti contra lor voglia. » *(Const. R. Sicul. l.* 1, *tit.* 54 *).*

XVIII. *Peiorabimus eum* — È una specie di guasto, o devastazione, con cui si pagavano di forza sui beni di quelli che non isborsavano la multa dovuta: con tal divario però, che la peggiorazione era una occupazione ed un guasto parziale, laddove la devastazione era un guasto generale, indirizzata eziandio a rendere i colpevoli più esecrati ed infami.

Il nostro comune surgeva sopra un terreno già occupato dai Longobardi, che a disgregare le parti d'un tutto avevano avuto più d'ogni altra barbarica nazione un'efficacia maravigliosa. Da questa fonte nasceva ne' singoli cittadini un restringer se in se medesimi, e non dirò una independenza, ma se m'è lecito così esprimermi, una personalità smisurata. Quindi, per tacer d'altro, i feudi, che recavano a star da se sì le terre, sì le persone; quindi ancora le giustizie e le punizioni più gravi si eseguivano per invasion tumultuosa, e per devastazione di beni, e spesso coll'intervento del popolo chiamato a parlamento; insomma a modo piuttosto di guerra che di gastigo. Quindi finalmente, per istringere più i nodi della società rallentati, era venuta in sussidio l'associazione della compagna.

XIX. *Communem exercitum banditum* — *Esercito bandito*, che si domandava anche *erebanno* era una guerra o spedizione intimata per pubblico bando, in guisa che a'sudditi o vassalli ne nasceva stretto dovere di concorrere armati e formarsi in esercito, al che se mancavano eran soggetti presso i barbari alla multa detta parimente *heribanno*; presso i nostri talvolta alla diminuzione de' diritti civili e all'infamia, come si dimostra per lo divieto promulgato in occasione della spedizion di Tortosa, anno 1147 (vedi il Caff. del 1828). Del rimanente questo che comune esercito bandito s'appella qui, è, se non erro, quel medesimo che ha nome d'esercito generale in Bartol. Scriba, anni 1225, 1242 e 1251. A ciò ha qualche relazione il convegno di Guglielmo marchese di Monferrato del 1150, in cui giura la compagna di Genova, e che andrebbe negli eserciti, purchè non fosser minori di 10 mila uomini (Cicala MS. Molfino).

Deuetum — I divieti erano proibizioni talvolta d'assentarsi, o di navigare a sua posta ne' tempi di generale spedizione; talvolta d'andare o navigare e mercanteggiare in certe contrade o città, nè da quelle similmente venire, o gli uomini di quelle ricevere: talora di non introdur certe merci: tal altra di non introdurre od esportare, nè in certi luoghi sbarcare, o quindi salpare, senza il debito omaggio al porto di Genova; i quali ordini tutti miravano o a proteggere il patrio commercio, o a salvare i diritti e i dazii che a Genova appartenevano, o a costringere i cittadini a servire la patria, o a punire e danneggiare le terre ribellanti e nemiche: nel che parte rimovendo da quelle pe' suddetti divieti tutti i cittadini e vassalli del comune, parte quanti più potevano principi e città libere, per mezzo di convenzioni stipulate con loro, venivano a dare una immagine di quel terribile blocco politico che a' nostri giorni vedemmo. Il Muratori allega due molto antichi esempli di consimili divieti: l'uno del 983 d'Ottone II imperatore contra i Veneziani; l'altro del doge di Venezia contra i Bellunesi e tutta la marca di Trivigi del 993 (Annali).

Collectam — Questa era una contribuzione che si raccoglieva di tempo in tempo, o per certe occasioni si esigeva sui sudditi. Si chiamavano anche collate; ma da' nostri par
a che sempre collette si nominassero. Distinguevansi in varie forme, collette di terra, e collette di mare, ossia sulle navi; ed anche l'arcivescovo aveva una volta sulle navi il diritto d'una particolare colletta. Quelle dette di terra o eran sugli uomini, e sembra che sieno una medesima cosa con le collette per fuochi, o eran sui beni, e queste o sui mobili, o sugli immobili. Taccio più altre maniere; ma qui non vuol farsi un trattato. Quanto al nome alcun erudito vuol che nasca dall'essere una forma d' imposizione sulle cose che si segano e a fascicoli o manipoli soglion legarsi (Cancian. leg. barbar. tom. I.): mi pare una sottigliezza soverchia. Probabilmente si chiamaron così dall'andarsi raccogliendo uomo per uomo; e più probabilmente ancora è vocabolo ecclesiastico e biblico trasferito a uso civile.

Per campanam ad consilium — Le presenti leggi par-
b lando del consiglio, alle volte esprimono, alle volte tacciono questo rito della campana, il che non credo che sia fatto a caso. Certo negli annalisti si truova nominato spesso il consiglio semplicemente, e spesso coi varii aggiunti di grande, pieno, comune, pubblico, generale, e massimo (vedi singolarmente Bartol. Scriba); e par che distinguano i consiglieri proprii, dai vocati al consiglio. Oltre a ciò Gio. Battista Cicala nota parecchie volte il numero de'consiglieri intervenuti alle deliberazioni, e vi si vede una differenza smisurata dall'uno al dieci. E si rinforzava sovente il Consiglio con un certo numero d'uomini, il più delle volte 6 per compagna, *electi ad brevia*, che volea dire tirati a sorte. Il consiglio si nominava anche senato, e senatori i consiglieri (vedi Caff. 1163, e Oberto Cancell. 1164, 1171). A chiamarlo solennemente oltre al tocco della campana, ezian-
c dio s'usava il suon del corno, e la viva voce del cintraco o banditore. Da quanto s'è detto risulta, che ci aveano consigli maggiori e minori. Nulladimeno non v'era per anche quello della credenza o del segreto, che fu creato primieramente nell'anno 1281. Vien qui molto a proposito un fatto che sotto 1184, e non tra 1187 e 1188, com'ha per error di memoria il Federici, si legge in Ottobone Scriba, che cioè i consoli e i maggiori o notabili del Porto Maurizio vennero in Genova a dimandar perdono gittandosi ai piè de' consoli e de' nobili della città. Qui per nobili son tanto chiaramente designati i consiglieri, che non mi par possibile dubitarne; e quindi si mostra perchè in processo di tempo gli otto consiglieri dati al podestà nobili si appellassero. Fatto sta che in tempi più vecchi *ordo* e *nobiles* erano voci usate per indicare il senato delle città d' Italia (vedi
d Savigny cap. 5 . . .), e il nostro consiglio era appunto il senato di Genova. Il nodo della quistione intorno al patriziato o non patriziato Genovese imperante o no nel secolo XII, sta qua s'io ben veggo; cioè se la carica di consigliere fosse o non fosse ereditaria. Io lascio ad altri il diffinirlo. Intanto la prima patente d'ereditaria nobiltà ch' io mi conosca sono le convenzioni coi conti di Lavagna del 1198 (Geneal. Scorz. e Ravasch.): ed è di tanta importanza, che fa desiderar di vedere la pergamena. Giorgio Stella il quale fiorì nella fine del XIV secolo, e sul cominciare del XV, scrive che Genova da bella prima non avea nobili, ma che i nobili venner da quelli ch'avean sostenuto i magistrati (lib. 1. cap. 10.). Oberto Foglietta nel secolo XVI trattò la quistione con troppo studio di parte. Ma il senator Federici ove distingue (Scrutinio MS.) i nobili feudatarii da molte antiche

famiglie, che divenute chiare *per lo governo e maneggio* continuo della repubblica, anch'esse poi furon per nobili reputate, assai dà a divedere ch'elle infin quando non eran nobili la repubblica ressero e maneggiarono. a

XX. *Reliquam medietatem de moneta* — Avean comperato dal comune di poter battere moneta nel 1141 i seguenti personaggi: Lanfranco Pevere console poi dello stato nel 1143, Boninfante Demecotta, Ansaldo Doria, Guglielmo Filardo, Fabiano, Rubaldo Alberico, Ingo della Volta, Ugo Borgaro, Oberto Embriaco, Rubaldo Guercio, Borromeo Tornello, e Guglielmo Pezolo, che sedette poi console de' Placiti nel 1142 (vedi Cicala MS. Molfino). Aveano in sostanza ottenuta la vestizione e cessione della moneta, con gli emolumenti e profitti di quella, per un grosso imprestito da essi fatto al comune. Anche nella convenzione tra papa Clemente III, e i Romani, quel senato si riserba per patto b espresso il terzo della moneta, affine di pagarsi su quello d'anno in anno dei danari sborsati per sostenere la guerra, 1188 (Baronio). I suddetti personaggi però (suppongo che altra più recente vestizione non fosse avvenuta), oltre andar di mano in mano rimborsando la pecunia imprestata, ne riscotevano anche l'usura. Or per tutto lo spazio di 1143 parve d'obbligare i consoli che altre usure da questa in fuori non si pagassero. Questa mi sembra la vera interpretazione del presente capitolo.

Laborari — Le costituzioni Sicule citate dal Ducange han come segue: *Nullus in regno nostro laboret aurum, quod per libras de puro auro minus habeat quam octo uncias.* Perciò *eam (monetam) laborari*, significa *eam confici, fabricari.*

XXIV. *In breui consulum de placitis* — I consoli de'placiti erano stati creati per aiutare e sgravare nelle decisioni c delle cause i consoli del comune. Perciò il diritto di giudicare era in questi originario e indefinito; in quelli per derivazione e limitato. Anche nel 1170 i consoli stessi del comune commisero a parecchi ragguardevoli personaggi, che dovessero diffinire in lor nome le controversie tra quei di Castello, e gli Avvocati; e questi fecero per potere più liberamente attendere alla guerra contra i Pisani (Obert. Cancell.).

XXVI. *Turrim destruemus* — Intendevano di punire il delitto, e insieme impedire che non avesse a rinnovarsi. Anche queste distruzioni, siccome quelle che son romorose, parevano molto esemplari. Perciò a' rei de' più gravi delitti si gittavano a terra le case, dando a divedere che si voleva del tutto schiantare il colpevole dalla città.

XXVIII. *Infra terminos illos* — Quell'*infra terminos* potrebbe intendersi in due maniere, o i termini della città, d da' quali dovevano al parlamento concorrer le genti, o i limiti precisi, e il luogo stesso del parlamento. Questo secondo senso pare al tutto da preferirsi, perchè non è da supporre che la legge cerchi un giro di parlare oscuro, quando erano ovvie le voci apertissime; e la pena è grave assai (vedi sotto cap. XXXI); oltracciò consuona questo senso con un decreto del 1165 mentovato da Oberto cancelliero, che ciascuno dovesse venire a S. Lorenzo sicuramente e senz'armi; e le leggi del re Pipino statuiscono: « Niuno al mallo (cioè a' giudizii solenni de' conti col concorso del popolo), o al placito (a' giudizii ordinari de'conti) porti arme, cioè scudo e lancia » (leg. langob. Pip. cap. 42). Nullaostante alle volte con licenza ed anche per ordine de'consoli o del podestà si veniva a' parlamenti con l'arme; e ciò per far valere ragione e prestar forza a' decreti de'magistrati (V. Bartol. Scriba, 1241).

Per campanam — Oltre il tocco della campana, anche il cintraco andava attorno chiamando il popolo a parlamento o concione per la città, borgo, e castello. — Mi sia qui lecita intorno a questo cintraco o cintrago Genovese una nota. Il documento sugli ufficii e benefizii che a lui appartenevano fu pubblicato da Rafael della Torre, dal Muratori, e nel Caffaro del 1828. Ma in Rafael della Torre e nel Muratori è compiuto; nel Caffaro del 1828 è guasto e mutilato. In compenso però vi si stabilisce la vera data, che è senza dubbio 1142, e non 1190. Il Muratori poi che ripubblicava un documento già da Rafael della Torre pubblicato, non so perchè siasi fatto scrupolo di citarlo. Le immunità del cintraco son dichiarate nelle leggi del 1413; nel qual tempo non era un sol cintraco, ma eran tre. E nel 1383 eran due, come da una nota degli immuni apparisce (Geneal. fam. Scorza). È notabile che spesse volte ne'parlamenti egli giurava sull'anima e a nome di tutto il popolo: il qual rito di giurar sull'anima del popolo troviamo ch'avea vigore in Savona del 1197 (Monti), laonde è da credere che avesse parimente il suo cintraco quella città; e fuor di dubbio sì il rito predetto, e sì il suo cintraco avea nel 1202 la città di Noli tanto cara e fedele a' Genovesi (convenz. di detto anno). Aggiungo un'osservazione sul carico imposto a quel di Genova di girare per la città quando infuriasse il vento di tramontana, e gridare *guardisi al fuoco.* Un ingegnosissimo scrittor recente e benemerito della Liguria pone il dubbio se da ciò possa dedursi che case di legno fossero in Genova e risolve pel no. Ma d'una terra, de' Grigioni mi pare, narra il Cellini, che una guardia gridava tutta notte di cautelarsi dal fuoco perchè appunto v'eran le case di legno: e case in gran parte di materia combustibile erano del 1106 in Venezia (Dandolo cronaca). Finalmente il Cicala reca una curiosa notizia nostrale del 1229. In cartina di S. Siro, in atti di . . . *de sancto michaele* notaio, si leggono queste parole: *Domus supra dictam terram optima de muro lignaminis castanee* (Cicala MS. Molfino).

Parlamentum — Il parlamento, ch'eziandio concione, e colloquio si truova chiamato, era l'assemblea del popolo, convocato da' consoli del comune o dal podestà; una volta, cioè del 1164, essendo la città gravemente turbata, par che l'arcivescovo in difetto de' consoli che non osavano, lo convocasse. Ordinariamente prima di chiamar parlamento soleva tenersi un consiglio: *Inito statim consilio et facta cum uelocitate concione* (*ob cancel.* 1170), e simili sono frasi frequenti negli annalisti. Qui occorrerebbero varie quistioni assai gravi: se ne' parlamenti avesser luogo di diritto, e regolarmente altri che gli uomini, ch'eran partecipi, e perseveravano nella genovese compagna. In 1150 il marchese di Monferrato promise d'aver abitacolo in Genova: ottenendo però di potersi dimorar fuori quando volesse, e che nulla ostante potesse, trovandosi in Genova, andare nei parlamenti (Cicala MS. Molfino). Questo è un lume, benchè non tanto che basti, specialmente non avendo sott'occhio la convenzione testuale. Di poi sarebbe da ricercarsi se il popolo ne' parlamenti deliberasse, e si prendessero i suoi suffragii; o se si chiamasse solamente da' magistrati per aggiugnere pubblicità, e solennità a' loro decreti, per informarlo, esor-

tarlo a concorrere, tirarlo ad approvare in corpo, obbligarlo, e della sua cooperazione e forza valersi. Io la penserei a questa seconda maniera, dico rispetto a'tempi dell'antico comune prima che venissero le mutazioni violente dello stato, o che traripasse il popolare elemento. A dir le ragioni che mi muovono, qua non ha luogo. Finalmente lungo esame richiederebbe la materia delle elezioni. Quando nel 1190 si determinò di prendere un podestà forestiero in luogo de'consoli, fu solo il consiglio a prendere quella gravissima deliberazione; e dal solo consiglio si facea quindi innanzi l'elezione de' podestà senza che v'intervenisse il parlamento. Sì per opposito il parlamento interveniva nella elezione de'consoli. Ma quale e quanta parte v'avesse è quistione difficile a sciorsi. Che molto v' influissero i consoli sedenti non può negarsi: le frasi « E fecero nuovo consolato in Genova » (Caffaro 1147) « e fecero elegger consoli de' migliori della città » (id. 1157), e simili lo dimostrano. Un documento prezioso di 1151 (Caff. 1828) dà a conoscere che la detta elezione si faceva a più gradi, e che v'erano elettori de' consoli, ed elettori degli elettori. Non so se la elezione dell'arcivescovo descritta nel Caffaro, anno 1163, possa dar qualche lume. La elezione del doge Gabriele Adorno nel 1363 truovo che fu fatta a sei gradi, e il primo grado fu che venti elettori vennero eletti da tutto il popolo. Ma il secolo XIV non può guari dar regola pel XII nè per memorie a quello spettanti si può risolvere, se in questo alle elezioni consolari concorresse veramente il popolo co' suoi suffragii, o se piuttosto per acclamazione approvasse. Io non procedo più avanti in queste ed altrettali quistioni, perchè a dilucidarle non è sufficiente una nota.

Sue potestatis — Notinsi queste voci *sue potestatis*, *filius familias*, che sono del gius romano.

XXX. *Manens* — Anche nelle convenzioni coi conti di Lavagna, anno 1166, si nominan questi *manenti*, promettendo i Genovesi che « non isforzeranno nè loro, nè i loro eredi, nè anche i loro manenti, quanto alla possessione dei conti ecc. » (*Raph. de Turr.*). Questi statuti nominandoli li definiscono: « uomini liberi che stanno al servigio di qualche signore »: però spesse fiate molto tenean del servile (V. il Ducange e il Canciani leg. langob.). Le convenzioni preallegate mostrano ch'ei si curassero particolarmente de'poderi de' loro padroni. Or il nome *manente*, che noi Genovesi abbiamo per significare un fittaiuolo di campi, nasce evidentemente da quello antico.

In nostro episcopatu — Dice il Ducange: *Episcopatus uenete regiones appellantur in statutis uenetis.* Pel distretto di Genova io il credo spesso adoperato da' nostri. Così nel giuramento de' conti di Lavagna, anno 1145: « facendo ragione a tutti gli uomini della città di Genova, e dello episcopato » (Caff. 1828). E la legge dell'antefatto promulgata in quest'anno stesso 1143, dice: « niuna femmina del genovese *episcopato* quinci innanzi abbia la terza ecc. » (ivi). Osservisi, che vi si dice *episcopato* quando era già Genova arcivescovado: il che conferma di più, che il vocabolo non vi si adopera nel suo proprio senso, sì in quello particolare posto di sopra; e parte è un indizio tra molti di un grande potere esercitato da più antichi vescovi in città, e fuor di città.

XXXI. *Lesnonem* — *Lesnonem* una gran lesina, il che vien a dire stilo sottile. Pare che il coltello, e il lesinone
a fossero armi al tutto vietate: la lancia e la spada vietate in città, ma non fuori e in viaggio: e notisi l'età di 14 anni richiesta nel portatore di dette armi, per applicargli la pena legale.

Exeundi foras — Perchè in tal caso chi va armato si presume che il faccia per difendersi, non per offendere. Arreco una legge consimile di Carlo Magno: « armi non si portino infra patria, cioè scudi, lance, loriche. E se alcuno sarà faidoso, si discuta la cosa, e si costringa alla pace » (leg. langob. Car. Magn. cap. 20).

Merces uetitas — In questo erano severissimi i Genovesi. Quindi quella condizione ripetuta ne' diversi convegni con Savonesi, Albinganesi ecc. di dover tenere i divieti di Genova, e punire i violatori. Quindi nel 1196 un parlamento chiamato a bella posta pel divieto rotto dal figliuolo d'Idon
b Mallone, e corsogli a bruciar la casa, perch'egli resisteva al podestà. e costretto esso stesso a consegnare in pubblica concione le merci, ch'egli aveva illecitamente, e quasi violentemente sbarcate (Ottobono Scriba). Alla presente legge può riferirsi un articolo delle convenzioni coi signori di Passano, anno 1211: « abbiano i vostri uomini (cioè i vostri fedeli) piena libertà di portare in Genova vino, olio, e le altre merci, e di venderle come i cittadini di Genova, nè possano caricarsi d'alcun gravame, o dazio, se non come i cittadini di Genova, e gli uomini della compagna di Genova » (Antich. famigl. Passan.).

XXXIII. *De extraneis hominibus* — Per dilucidare queste cotali quistioni era molto in uso il giuramento. Così Carlo re di Sicilia (1801) permette a' Genovesi estrazione di grani, e vettovaglie, giurando il padrone e tre altri di portarle a
c Genova (*ex lib.* I *iur.*). E quelli di Ovada e di Rossiglione (1385) son dichiarati franchi per le cose che portano a Genova dai loro luoghi: e starsene al loro giuramento se sien loro, o non sieno (ivi).

Pecunia extranei — *Pecunia* in senso generico per merce e sostanza qua si adopera e altrove.

XXXIV. *Nostri archiepiscopatus* — L'arcivescovo riscoteva collette in sulle navi: dominava in S. Remo. Aveva grandissimo numero di cittadini, e distrettuali, e massime de' personaggi primarii, che rilevavan da lui, e li giuravano fedeltà (V. il Cicala sec. XII *passim*). I conti stessi di Lavagna, e i marchesi Malaspina avevan con lui vassallaggio (V. convenzione de' conti di Lavagna 1166, e la geneal. Scorz. ecc., e gli annalisti, 1172). Era insomma gran principe, e gran signore, ma senz'armi. Il comune e nel di-
d stretto e fuori lo difendeva. Per altra parte esercitava l'arcivescovo un'autorità salutare e paterna sopra il comune. Nel 1102 Tancredi principe antiocheno prometteva che se stuoli od armate genovesi gli arrecassero alcun danno, esso ricorrerebbe a Genova, e la sentenza del vescovo e de'consoli aspetterebbe (Ughelli) Nel 1143 il signore di Mompellieri avendo ricuperata quella città per opera de' Genovesi, mandava l'arcivescovo, e i consoli ringraziando (Caffaro e Giustin.) Nel 1150 quelli cui fu data a tenere Tortosa per 25 anni, giuravano di consegnarla in detto termine a' consoli del comune, o agl'inviati loro; e se consolato non fosse, all'arcivescovo genovese (Caff. 1828). Nel 1154 i consoli nuovamente eletti ricusavan la carica: tra l'arcivescovo e il popolo gl'indussero ad accettarla (Caffaro). Nel 1164 ho notato più sopra che i consoli non osando chiamar parla-

mento per l'elezione dei lor successori, l'arcivescovo levossi a
egli a convocarlo (Obert. cancell.). Nel 1231, e 1237 s'intromise, e diffinì le quistioni insorte per l'elezione del podestà (Bartol. Scriba). Nel 1169 ristorò la pace fra'cittadini (Obert. Cancell.): il simile nel 1147, e le controversie in lui e ne' consoli furon rimesse (Caffaro). Nel 1151 l'arcivescovo e i consoli dello stato fecero interdizione a Filippo di Lamberto che alle cariche non potesse aspirare (Caff. 1828). E nel 1157 Amico di Murta spedito ambasciadore a Costantinopoli si dichiara trasmesso ed avente il mandato dall'arcivescovo, dai consoli, e da tutta la moltitudine della genovese comunità (ivi). Altri cotali esempi m'abbonderebbero, ma questi son più che bastanti per dimostrare che l'arcivescovo si consultava ne' casi importanti, e che considerandolo come un capo nato ed un padre, si riconosceva in esso un diritto eminente e straordinario di provvedere alla b
patria.

XXXV. *Habeat discordiam* — In questo breve assai volte non tanto son notabili le cose che ci sono, quanto quelle che non ci sono. E qui singolarmente che non si faccia menzione alcuna di delitti d'alto tradimento o di fellonia è notabilissimo. Traditori della patria non ebbe, nè si pensò che potesse aver Genova nel secolo XII, tanto il bene e l'interesse de' singoli cittadini si riduceva a un medesimo con quel di tutto il comune. Sì v'erano discordie e gelosie tra famiglie e famiglie. Queste dapprima turbavano, ma non ne pericolava lo stato: col crescere poi la città, e aumentarsi di ricchezze e d'abitatori, diventò pericoloso quel che non era; e i feudi v'erano, che rendevano i privati principi, e interrompevano il territorio. Io penso che una profonda ricerca su i modi che si dovevan tenere per impedire che i c
mali che dipoi vennero non venissero sarebbe di grande importanza. Certo l'introduzione del podestà non fu il caso; perchè uno o due cittadini potenti, che mossa a proposito una buona tempesta sopraffacessero quell'uom forestiero, restavano e restaron diffatti arbitri della patria.

Scandalum inde non rit — Nelle leggi barbariche si truova sovente *scandalum perpetrare committere incitare* in significato di far risse, riotte, tumulti, e incitar altri a farle. (Vedi leg. Rothar. cap. 35 e seguenti; e leg. Liutpr. lib. 6, cap. 82); e nelle leggi di Rotario cap. 381 si ordina che se una donna libera *in scandalum concurrerit, ubi uiri litigant*, e sarà rimasa ferita o morta, abbiasi a comporre, vale a dire pagar l'ammenda dal colpevole, come se ciò fosse accaduto al fratello di lei.

XXXVI. *Nulli ianuensi* — Tutto questo capitolo è un'ar- d
madura di gran pregio, per le proprietà e la sicurezza de' cittadini; nè v'ha duelli o goffe purgazioni a guastarlo.

Nisi pro capitulo — Accenna al precedente capitolo XXXV, dove si lascia in arbitrio de'consoli di punire e multar colui, che avendo discordia con alcun uomo della compagna, con pericolo di scandali e risse, non voglia rimettersi al giudizio de' consoli stessi.

Sacramento illius credatur — Che i nostri maggiori in quell'età fosser molto religiosi osservatori del giuramento, ci ha fatti in gran numero che il dimostrano. Un saggio se ne può avere riscontrando la storia delle due rasse o giure che altrove ho nominate, e in che modo elle furon disciolte. Veggasi il Caffaro del 1828 sotto 1151, e Bartolomeo scriba, annalista copioso di belle e curiose notizie sotto 1227. A questo tratto mi sovvien cosa, che mi tira un po'fuor di strada. È un passo d'Antonio Genovesi, non da par suo (lezioni di commercio), dov'egli fondato sur una legge d'Ottone II rappresenta per poco tutti gli Italiani del secolo X, come spergiuri. Io non son qua per difendere quel secolo nè in Italia nè fuori; ma la legge d'Ottone nient'altro può dimostrare, se non che in Italia era in vigore sul giuramento una legge anteriore che si credette nociva; e ch'ella produceva di quei disordini che avrebbe prodotto e produrrebbe in qualunque altro secolo e nazione di questo mondo, cioè che dove innumerevoli giuravano, e a spergiurare si profittava, anche c'erano i tristi che spergiuravano. A buon conto furono gl'Italiani stessi, che cercarono rimedio al male, pregando Ottone di tor via quella legge: ed egli ne diede loro una peggiore. Un libro sulle false imputazioni sopportate dagl'Italiani potrebbe riuscire bellissimo; ma essi che non han troppo la vanità di stimarsi e predicarsi l'ottima delle nazioni, anche son facili a lasciarsi tagliare i panni addosso, e tagliarseli.

XXXVIII. *Si duo ex nobis ab aliis duobus* — Quattro consoli del comune sedettero nel 1143, e sono Bonsegnor Mallone, Guglielmo Porco, Guglielmo della Volta, e Lanfranco Pevere, tutte famiglie d'antico splendore, tra le quali i Peveri, e quei della Volta erano consolari infino dal 1080; e i primi tennero anche dominio in Capo Corso. In ispazio di tempo cambiaron tutte cognome, giacchè i Malloni e quei della Volta si chiamaron Cattanei, i Porci divennero de'Salvaghi, formando il primo albergo della città nel principio del secolo XIII, i Peveri de' Gentili. Quanto a'nostri consoli di bonsegnor Mallone non trovo altre memorie che di quest'anno. Guglielmo Porco sedette console tre volte da 1126 a 1155, nel qual ultimo anno fu in ogni cosa con singolar sapienza, fortezza e gloria governata la patria. Guglielmo della Volta fu console dello stato dal 1123 al 1143 sette volte, e segnatamente nel 1127 anno assai chiaro per quel che si narra, (e fors'anche si favoleggia. ma non dal Caffaro nostro) delle vittorie del comune sopra i Pisani. Quanto a Lanfranco Pevere convien distinguere almeno tre illustri personaggi di tal nome e famiglia nel secolo XII. L'uno è padre di Guglielmo Pevere, ed era morto del 1139, come apparisce da instrumento di vendita, citato nelle memorie sue dal Cicala. È forse quel medesimo che infino dal 1100 ottenne privilegi al comune in Gerusalemme (Federici Scrutinio). Il secondo è il console nostro del 1143. Egli pare che fosse morto del 1169, giacchè tra varii personaggi che pagavano in detto anno laudemio all'arcivescovo, e Guglielmo Pevere per la terra di Castelletto, e i figliuoli di Lanfranco Pevere per la Domoculta. (Cicala MS.) Il terzo vien nominato nel 1170, come uno degli arbitri a decidere le differenze tra le fazioni. (Feder. Scrut.) Sedette poi console tre volte dal 1183 al 1190, e fu con infelice augurio ucciso a tradimento nell'atto di rassegnare la carica al primo podestà forestiero. Ma il secondo che solo al nostro suggetto appartiene fu console secondo il Cicala e il Federici sino dal 1136, benchè taciuto dal Caffaro; e il Federici aggiugne che da detto anno a 1167 sedette console dodici volte. Nel 1143 stipulò convenzioni col comune Pisano (Cicala), ed essendo il signore di Mompellieri rimesso al dominio di quella città per opera de'Genovesi, il nostro console ottenne dal detto principe utili ed onorevoli concessioni per Genova insieme e per Pisa. (Caff. 1828).

Oltre a ciò fece convenzione nell'anno stesso col conte di a S. Egidio (Cicala MS.), dove son da notare tra le famiglie di S. Egidio che v'intervennero, Bernardi, Rocca, Negri, Guerci, e Salvâghi. Taccio le azioni di Lanfranco Pevere degli altri anni, bastandomi dire generalmente ch'egli fu senza dubbio uno de' maggiori cittadini dell'età sua.

Concordabimus eligere—Questo terzo che doveva eleggersi per comporre le due parti de' consoli discordanti si chiamava *intermezzo*. Ciò mostrano le convenzioni coi conti di Lavagna, « anno 1157: noi faremo compagna e consolato in Lavagna sotto gli ordini della maggior parte de' consoli del comune di Genova, o di quella parte, che avrà vinto per l'intermezzo. » E più sotto: « e faremo guerra . . . secondochè . . . la maggior parte de' consoli del comune di Genova, o quella parte, che per l'intermezzo avrà vinto ci ordinerà. » (Caffaro 1828). Le regole poi statuite dal nostro b breve per la retta elezione dell'intermezzo, quanto sien provvide, e quanto senso inchiudano di giustizia sel vede ciascuno.

XXXIX. *Si galea* — Il senso di questo capitolo è a parer mio che le dissensioni insurte sui legni armati dal pubblico doveano esser giudicate dai consoli del comune, e da que' consoli che sedevano al ritorno in porto dei detti legni.

XL. *Si consules de placitis* — Qui si parla di condanne de' consoli de' placiti da eseguirsi per via della forza; e perciò i consoli dello stato, nelle cui mani stava la forza pubblica, promettono la loro assistenza. Nondimeno questo doveva assai di rado avvenire, perciocchè i consoli di giustizia molto andavano per le vie di conciliazione, e l'elogio ch'essi a ciascuno dessero suo diritto amichevolmente è quasi perpetuo ne' nostri annali. c

XLI. *Nulli guardatori* — Erano guardie e quasi littori a servigio del comune e de' magistrati. Un Oberto guardatore è citato per testimone in cartina del 1145, e un altro col nome d'Alberto, se forse non è quel medesimo, in altra cartina del 1155 (Cicala MS. molf.). È da notarsi che sì nell'una, e sì nell'altra intervengono di gran personaggi, tra gli altri Filippo di Lamberto, Guglielmo Porco e Vincenzo Porco, il che fa conghietturare, che quel mestiere non fosse tenuto vile nella estimazione degli uomini. E in sentenza del podestà Enrico Bonvicino a favor de' signori di Passano, anno 1230, si legge: « presenti e chiamati per testimoni Giovanni de Pezano e Rogerio giudici, e Arenebaldo notaio, e Pietro di Recco, e Bruno guardatori del comune, e Oberto di Langasco scriba ». (Antich. fam. di Passan.) Racconta Bartolomeo scrivano d sotto l'anno 1230, che il podestà essendosi ostinato a voler che certi pirati si giustiziassero contro il genio del popolo, i guardatori adoperandosi insieme co' militi, e cogli otto nobili per estrarre i prigionieri furono ingiuriati e sospinti.

XLII. *Inter nos et consules de placitis* — Poco dianzi nel cap. XXXVIII, e più sotto nel cap. LIII si provvede affine di mantenere in buona concordia e unione tra loro i consoli del comune: qui e nel capit. XL a tener concordi e uniti i consoli del comune e quelli de' placiti.

XLIII. *Miserit scandala in domibus* — Di questo vocabolo *scandali* per risse e azzuffamenti s'è già detto di sopra. Or il presente capitolo è contra chi suscitasse, o commettesse di questi cotali scandali, o menasse le mani tra il fabbricato e la frequenza della città. E in quanto dice da S. Tommaso a Sarzano è da osservare che non tutto questo lungo tratto era cinto di mura a quel tempo, che anzi ell'erano d'un circuito assai più ristretto (vedi Giustin. sotto il 1139). Ma la continuazione delle abitazioni si stendeva bene insino a termini sopraddetti.

Esse reuocandas aut meliorandas — Questo poter che hanno i consoli di rivocare o moderare le proprie sentenze è molto notabile e straordinario, e tiene d'un reggimento quasi direi di famiglia. Sopperiva all'appello.

XLIV. *De furtis* — Abbiam detto di sopra, e qua ripetiamo che spesse volte in queste leggi è molto eloquente il silenzio. Perciocchè dalla cura che vi si adopera affin di prevenire o punire l'uso delle armi vietate, i pericoli e i disturbi delle torri in città, le discordie, gli assalti, le uccisioni fra' cittadini, le scisme dalla comune compagna e simili, si argomenta che questi erano i mali de' Genovesi in quell'età di spiriti bellicosi, e d'animosa e sciolta virtù; laddove il trovarci una parola appena di ladronecci e di furti è buono indizio che di questa infermità Genova poco patisse; e la severità estrema onde si vede questi cotali delitti punire nel 1163, di che gli annalisti fanno speciale memoria, assai vale a confermare, per l'orrore stesso che cagionavano, la lor novità. Non vi si fa parola di delitti atroci, nè di brutti e nefandi; e ciò significa i sani costumi d'allora: Non vi si ricordano delitti di religione; e ciò dimostra la purità e integrità dello spirito religioso: non vi si fa cenno di superstizioni e fattucchierie; e questo silenzio è sapiente: non v'è niuna di quelle stranezze e gaglioffaggini, che son tanto frequenti nelle leggi longobarde, e in molti vecchi statuti; e ciò dimostra il giudizio intero de' nostri maggiori.

Excepto de assaltibus .... ante consules placitorum — Vuol dire, per quel che paia, che non varrà la disdetta dell'offeso ad arrestare il processo contra chi si fosse renduto colpevole d'ingiurie e d'assalti al cospetto de' consoli de' placiti, nell'atto che si discutessero le cause dinanzi a loro. Questo capitolo io crederei ch'accennasse a qualche scandalo di tal fatta accaduto forse non molto prima. Fatto sta che di queste leggi statuite per casi particolari parecchi esempi si trovano tra le barbariche; fra le altre la seguente de' Longobardi: « se alcuno pungerà o percoterà una donna libera sedente ecc...... componga al mondualdo di quella donna 80 soldi ». Ma questa è legge gaglioffissima, la predetta genovese è sapiente. Essa par che accenni un poco al cap. IX delle leggi di Guido, o Guidone imperadore, dove si statuisce pena contra chi scagliasse parole villane o minacciose verso i giudici sedenti *pro-tribunali*, o chiamasseli menzogneri, o per cagione di simile contesa qualcuno uccidesse.

XLVI. *Bisantii de gibelio* — Questo passo non trovo come si possa schiarire altrimente, che con due avvenimenti degli anni posteriori. L'uno del 1153, sotto il qual anno i consoli del comune, preso il parere de' consiglieri, diedero in feudo per 29 anni la terra di Gibelletto ed altri possessi in quelle parti a un Guglielmo Embriaco per annuo prezzo di 270 bisanzi, e d'un pallio all'altare di S. Lorenzo in valuta di bisanzi dieci. L'altro fatto è dell'anno 1146, sotto il quale abbiamo una laude di quei consoli del comune contra i figliuoli del quondam Nicola Embriaco, dicendo che tutti i beni di esso Nicola erano ricaduti per diritto al comune, perchè Guglielmo Embriaco e gli eredi non avevano

mantenuto i patti di restituire in termine di 20 anni le terre a
e i redditi che tenevano nella Soria. Ma questa causa gravissima fu dopo lungo dibattimento, e col parer del consiglio aggiustata (Caff. 1828). Ora il presente capitolo appartiene, cred'io, alle pretese del comune contra gli Embriaci, e già mostra i mali umori, che poi scoppiarono tre anni appresso nella lite del 1146.

XLVII. *Ultra portum Pisanum uel ultra Nitiam uel ultra Lombardiam* — Questi, ben si vede, non sono confini di dominio, ma di vicinanza, e dentro a' quali si avea co' popoli più stretta attinenza e più frequenti trattati. E di vero co' Pisani era il comune in pace ed amicizia (V. cap. LXXIV); con Lucchesi avea convenzioni; il simile con Tortonesi (ivi); a' Milanesi avea mandato soccorsi per la guerra di Como nel 1127; ed era il nostro vescovo suffraganeo di quell'arcivescovo ancora dieci anni addietro. Ma molto prima cioè b
infin dal 1109 nella convenzione col conte di S. Egidio potente signore in Soria aveano i Genovesi ottenuto privilegi e franchigie non solo per sè, sì anche per Savonesi, Nolesi e Albinganesi, e più largamente per gli abitanti delle riviere da Nizza a Porto Venere, ed anche esteso i privilegi stessi a tutti i Lombardi che fossero alleati loro. Il qual trattato dimostra certo una grande influenza de' Genovesi a quei tempi in tutta l' Italia settentrionale, e che singolarmente tenevano in loro clientela i popoli del littorale dal Varo alla Magra. Nel 1114 e 1115 nacquero gravi cagioni di futura discordia; perchè Pisa levò il capo per la vinta Maiorca, e fiero sdegno concepì contra Genova che non l' avea voluta soccorrere in quella impresa; e Nizza congiungendosi strettamente coi Pisani s'allargò molto dai nostri. Ma nel 1143 la decenne pace ristorava tra gli abitanti di c
queste contrade l'antica unione fraterna. Intanto le cose qui ragionate m'han tornato a mente d'aver già letto che nelle convenzioni di 1104 col re Baldovino i Genovesi fecero escludere dal commercio del regno di Gerusalemme quei di Savona e di Noli, dai quali erano allor separati. Ma le convenzioni del principe Tancredi del 1102 chiamano anzi quei di Savona e di Noli a parte dei privilegi e delle franchigie insieme co' Genovesi: il simile le summentovate del 1109 col conte di S. Egidio. Com'è dunque credibile che sieno stati esclusi in 1104? Il fatto sta che le convenzioni con Baldovino, che diconsi del 1104, son quelle stesse pubblicate senza data nel Caffaro del 1828; ed elle esprimono per appunto non esclusione, ma comunanza. L'autor di quest'errore fu il padre Semini nelle memorie del commercio di Genova (MS. imprestatomi gentilmente dall'ab. Sbertoli), il qual d
padre forse incespò nella parola *commercium*, che in quei documenti non vale commercio, ma dazi ed imposte. Da lui credo che il tolse un gran valentuomo d'illustre ricordanza, e il pubblicò (Memor. accad. di Gen.). Ad ogni modo importava rettificare il fatto, perchè l'accomunar che fa Genova a sè quelle città, mostra l'antico suo predominio sulle riviere.

Nitiam — Oltre alle cose accennate intorno a Nizza nella nota precedente, siami lecito d'aggiungere più innanzi alcune altre notizie, che potran forse dilucidare qualche punto di patria storia. Nizza pertanto era molto congiunta con Pisa. Ora tra Pisa e Genova essendo riaccesa la guerra, i nostri con Raimondo Berlenghieri conte di Provenza si convennero nel 1165 *(lib. 1. iur. pandett. Sbertoli)*; indi nel 1166 Grimaldo de' Grimaldi ammiraglio de' Genovesi andò a' suoi servigi contro di Nizza; ed era quella città condotta agli estremi, quando per la disgraziata morte del predetto conte fu salva *(Durante Hist. de Nice)*. Un più gran disegno meditarono i Genovesi nel 1174; nel qual anno strettisi con Raimondo conte di Tolosa, fecero una convenzione con esso, che gli avrebbe renduti pressochè signori della Provenza *(Raph. de turri*, e *lib. 1. iurium)*. Tra le altre cose cedea loro le sue ragioni sul poggio di Monaco, e sulla Turbia, e donava metà di Nizza, promettendo altresì che sarebbe suffraganeo di Genova quel vescovado. Ma sulla fortuna di Tolosa già prevalea troppo quella degli Aragonesi, sicchè le disegnate imprese marittime non ebber luogo. Pertanto in potere d'Alfonso I re d'Aragona cadde Nizza nel 1176 (Durante), col qual principe il nostro comune, navigando a seconda de' venti, fece convenzioni utili a sè, e dannose a' Pisani nel 1177 *(lib. 1. iur.)*; e nella conferma de' privilegi che fece il re Alfonso a' Nizzardi nel 1188 intervennero con Ottone conte di Vintimiglia due nostri gran cittadini, Lanfranco Pevere e Angerio Vento (forse Ogerio console del comune in quell'anno. Vedi il documento rapportato dal Papon, e dal cap. Durante). Dalle cose discorse già si mostra impossibile quel che narra mons. Giustiniani, e dietro a lui Oberto Foglietta, che i Nizzardi si dessero al comune di Genova nel 1182. Ogni uomo erra: e il Giustiniani, benchè diligentissimo, intendendo volgarizzare l'antico annalista francese, perchè Ottobone Scriba non altro dice, se non che andando una gentil donzella genovese a Nizza per isposa d'un de' Richieri, quei della Lengueglia la pigliarono in sulla strada; indi sentendo i Genovesi pronti a farne aspra vendetta s'arresero nelle man loro; ed al vero abbiamo dal Roccatagliata e dal Cicala, che nel 1182 furono nella Lengueglia repressi i conti, e ordinatavi la genovese compagna. Di poi nel 1191 ottenne il comune da Enrico VI imperadore di potere incastellare il poggio di Monaco, il che nel 1215 venne eseguito. Nell'anno stesso a dì 6 luglio essendosi la fazion de' Badati insignorita di Nizza (Durante), nel mese poi di novembre convenne co' Genovesi per la detta città di far oste e cavalcata, di dar la colletta del mare, e giurar la genovese compagna; e andatovi Oberto Spinola, il castello ove solean dimorar gli Aragonesi distrusse. Osserva oltracciò Ogerio Pane sotto l'anno stesso che in prima *(antea)* erano i Nizzardi ribelli, e parla d'un imbasciatore spedito colà da' Pisani (Caff. e continuatori MS. Berio); il che dà ragione delle ostilità contra i nostri narrate dal capitano Durante. È il vero che l'Antepellicano vescovo di Nizza nominato dal Giustiniani è un personaggio immaginario, ma Ogerio Pane nomina Miron Bado o Badato, e il vescovo d'Antibo personaggi certissimi e storici: nè fa che gli amanuensi abbiano alterato l'antipolitano episcopo in an pelicano episcopo, al che mons. Giustiniani aggiunse malamente *di Nizza*, com' anche quanto al Badato il Miro in Muro, e il *nitiensis ciuis* in *uincentiis ciuis* contraffecero. Perciocchè nè cotali abbagli de' copisti, nè quello più grave del Giustiniani possono a un annalista informatissimo e contemporaneo, che cita l'atto originale e pubblico, scemar fede. Così a devozione di Genova venne la città di Nizza nel 1215; indi nel 1229 quando già il conte Raimondo di Provenza la minacciava, ella si diede con nuovo atto alla signoria del nostro comune *(lib. 1. iur. Pandette Sbertoli)*.

Venuto poscia il detto conte con grande esercito, la fazion *a* dominante de' Badati, Richieri e Barattieri spedì a Genova per soccorso. Ma la stagione era sinistra (in novembre); e molti Nizzardi s' intendevano col Provenzale. Otto galee vi andaron da Genova, e v' introdussero alquante truppe che non bastarono; e Nizza fu di Raimondo (Bart. scriba). Finalmente nel 1388, quando si consultava in quella nobil città di darsi ad un principe, molta inclinazione v'era per Genova, benchè scaduta assai dall'antica potenza; ma fu prescelta la casa felicissima di Savoia, che doveva a poco a poco sotto il suo glorioso scettro raunar tutti i Liguri.

Priusquam concordemus que sit persona — Ciò si statuisce, affinchè nell'assegnamento della pensione non avesse luogo il favore. Questa pensione che ottenevano gli ambasciadori all'estero dovea spesso far renitenti i cittadini ad andare per servigio pubblico senza pensione a' luoghi vicini *b* delle due riviere e de' gioghi. Ma perchè il comune giudicava, che questi ultimi dovessero contentarsi d'essere rimborsati de' danni e delle spese, senz'altro onorario, dovette statuirsi il cap. XXXII contra l'ingorde lor pretensioni.

XLVIII. *De tertia et de antefacto* — Era corso in Genova un nuovo costume, che le donne vedove ottenessero la terza parte dei beni de' lor mariti, il quale venne abolito in quest'anno 1143. Nulladimeno si statuì che le donne secondo la consuetudine antica della città, potessero aver l'antefatto, ch'era un assegnamento o donativo fatto ad esse da' lor consorti. Ma perchè la legge non s'eludesse fu ordinato a un medesimo tempo, che l'antefatto potesse arrivare fino a lire 100, e non più (vedi il Varagg. il Giustin. e specialmente il decreto testuale nel Caff. del 1828). In seguenza di questa legge varii esempli si truovano di cotali antefatti nel fogliazzo *c* de' notai (MS. Berio), anni 1158 e 1159, tra gli altri questo: « io Ferrario Pelle dono a Isabella mia moglie a titolo d'antefatto tanto che vaglia lire 100 in ciò che posseggo a Stropa ». Non mi par da tacere che negli statuti di Pisa compilati nel 1262 è una rubrica *de antefactis*, in un capitolo della quale si dice: « questi due capitoli abbiano luogo ne' matrimonii avvenire, cioè a cominciar dall'anno del Signore 1156 di VIII innanzi a calen. di febbraio, indiz. IV » (G. Grandi *epist. de pandectis*). Appar da ciò che l'antefatto s'usasse anche in Pisa infin dall'anno 1156; ed in Genova prima un buon pezzo del 1143. I Longobardi solevano assegnare in dono alle lor donne la meta, o methio, o mephio, e il morgincap o morgengab, quella prima che le nozze si celebrassero, questo alla dimane dopo consumato il matrimonio (*leg. Rothar. cap.* 178, *e leg. Liutpr. lib.* 2, *d* *cap.* 1). Il nostro antefatto, ch'era la consuetudine antica della città parte teneva luogo di quelle mete e di que' leggiadrissimi morgengabbi; e parte derivava da troppo miglior fonte, vuolsi dire dalla donazione *ante nuptias* del diritto romano (*digesti lib.* 24, *tit.* 1, *leg.* 27); la quale nel codice è dichiarata valere anche fatta dopo le nozze, quasi non *ante nuptias*, ma *propter nuptias* (*Cod. Just. lib.* 5, *tit.* 3). Il vocabolo *antefactum* mi pare che all'*ante nuptias* consuoni.

XLIX. *S. martinus de muris* — S'è detto di sopra al capit. XV, che dove questo breve rammenta Roboreto e Gesta, vuole accennare il distretto di Genova, confinato a ponente dal tenere di Varazze, dove in quel secolo i marchesi di Ponzone signoreggiavano, e a Levante dai dominii de' conti di Lavagna. Pertanto questo San Martino *de muris* vuol cercarsi presso a poco tra Zoagli e Chiavari. Sorge sopra Chiavari adossandosi da ponente sulla valle di Levi o Lievi la chiesa di Maxena a S. Martino intitolata; e di Maxena si fa menzione più e più volte nelle antiche carte ricordate dal Cicala, e specialmente in due del 1129 e del 1090. Ora io m'avviso di non dilungarmi dal vero giudicando, che in questo S. Martino *de muris* siasi voluto esprimere appunto S. Martino di Maxena, latinizzando il vocabolo. Similmente gli annalisti sogliono chiamare *de curia* la illustre famiglia della corte; e nelle tavole degli immuni dalle gabelle, 1383, per esprimere i Bianchi ragguardevole ramo de' conti di Lavagna, si registrano *Albi de Flisco*. (Geneal. degli Scorz. ed altri conti di Lavagna 1191). *Pietra tetta* e *Pietra coperta* luogo della riviera di levante si truova scritto a un modo ed all'altro. Ed è curioso un verso del panegirista di Berengario: *tu ponens etiam curtum femorale Iohannes*, parla di Giovan *Bracacurta*.

Dietro le precedenti osservazioni può per avventura dichiararsi un notabil passo delle convenzioni con Albenga del 1252, dove si stabilisce che il podestà, il giudice, e lo scrivano di detta città debbano essere di Genova, *et oriundi ianua et agosta usque devam*: così leggesi nella cirologia di Rafael della Torre, ma è passo storpiato, siccome molti altri di quei rilevantissimi documenti. Il libro degli statuti d'Albenga, Asti 1519, ha così: *et oriundi in ianua, vel a gesta usque ad Evam*. *Gesta* è detto altrove ch'abbia ad essere il fiumicello Laestra: *Eva* parrebbe che fosse Levi, o Leivi, e forse il torrente che per la valle di Leivi discendendo, mette in mare a ponente di Chiavari.

L. *Excepto antefacto usque tercia* — Di qui e dal cap. XLVIII si vede che il giudicare le liti ragguardanti la terza e l'antefatto s'aspettava parte a' consoli de' Placiti, e parte a quei del comune; ma dacchè il breve dei consoli dei Placiti è infelicemente perduto noi non sapremmo diffinire fin dove si estendesse in ciò la giurisdizione degli uni e degli altri. Anche quanto appartiene alla *terza*, che so io s'ella toccasse alle donne in libera proprietà o in solo usufrutto? (Vedi le leggi d'Aistolfo cap. 5).

Exceptis rebus communis ianue — Ciò sono quei proventi pubblici, che facevan parte del loro feudo a pension consolare. (Vedi il cap. 63). I consoli volevano poter tutelare per se stessi i loro dritti. *Saluo nostro usu*, è formola consegrata nella conclusione del presente statuto.

LIV. *Non pignorabimus* — Il torre de' grossi imprestiti, e impegnar per molti anni a' creditori or queste or quelle entrate della repubblica parea che potesse dissanguare lo stato, e ridurre il governo in tal condizione da non poter più procedere oltre, nè maneggiarsi. Con la presente legge si vuol ovviare a questo male, obbligandosi i consoli a non impegnar delle cose del pubblico oltre l'anno del lor consolato; ma si lascian però aperto un varco a poterlo fare col parer del consiglio, giacchè vedevano, che spesse volte un anno è forza che porti tutto a un tratto il peso proprio e quello di molti anni seguenti. Ciò partorì che in queste pignorazioni tante si fecero quante si fossero fatte mai, essendo raro che i consigli numerosi vietino le spese anche enormi. Testimone l'anno 1149, in che il fiore delle pubbliche rendite s'impegnò a un tratto per quindici anni. (Vedi il Caff. di 1828). Quindi nel 1155 fu mestieri d'un più gagliardo provvedi-

mento; e i consoli fecero prendere il giuramento solenne a nome del popolo, che gl' introiti pubblici, ch'essi avevano riscattati non si potrebbero per innanzi impegnare oltre l'anno de' consoli, che facessero la scritta d'obbligazione. (Ivi). Tuttavia non s'impedirono per questo i debiti pubblici; che anzi i tempi torbidi sopravvenuti, e le guerre terribili co' Pisani e co' Veneziani li moltiplicarono fuor d'ogni modo. Questo fe' surgere il Banco di S. Giorgio; il quale non che molte delle pubbliche rendite, ma dominii ragguardevolissimi, e tra gli altri la Corsica in sè ridusse: tanto che nel secolo XVI il segretario Fiorentino ravvisò in quello uno stato dentro a uno stato, e che potrebbe col tempo tutta occupar la repubblica.

LV. *Quod sit contrarium* — Se il parer del consiglio si richiedeva nel caso di due capitoli del breve contradditorj, anche si può argomentare che dal parere del consiglio avesse tutto il breve forza di legge.

LVI. *Non exceptaui* — Due anni appresso, cioè nel 1145 si volle provvedere da que' consoli più efficacemente, avendo essi ordinato in pubblico parlamento, che niun Genovese, il quale fosse vassallo di così assoluta potestà, ch' egli non avesse eccettuato l'onore del comune di Genova, non potesse per alcuna constituzione alcun pubblico uffizio esercitare. (Vedi il Caff. del 1828, dove in luogo d'*acceptaverit* si vuol correggere senza dubbio *exceptaverit*). Di queste eccettuazioni recheremo alcun altro esempio: verbi grazia i conti di Lavagna nel giuramento di fedeltà al comune di Genova, 1166, eccettuano la lealtà dovuta all'imperadore, ed anche al Genovese arcivescovo: e i marchesi del Carretto nel 1214 fan cessione a Genova del Dego (*deus*), Carretto, Cairo, Ronco di Maglio, metà di Carcare, e di Buzile, e altri luoghi: e il comune infeuda i detti luoghi a quei marchesi medesimi, astringendoli però come siegue: « nè da loro (dagli uomini dei detti luoghi dall'età di 15 ai 70 anni) potrete esiggere o ricevere fedeltà, nè voi, nè persona qualsiasi a nome vostro, se non salvando ed eccettuando la fedeltà, che i detti uomini al comune di Genova hanno giurato. » (*Raph. de Turri*).

Palam manifestabo — Per ciò che ragguarda il manifestare gli obblighi presi, un luogo bellissimo occorre nelle convenzioni de' conti di Lavagna anno 1157. Questi conti promettono tra le altre cose, che s'eglino son tenuti da qualche saramento o patto, per cui non possano bene osservare tutti gli articoli allor convenuti tra essi e il comune, procacceranno di farsi sciorre da quei saramenti in tutto luglio: « il che se fare non si potesse infra i primi otto dì del prossimo agosto manifesteremo la cosa alla maggior parte de'consoli del comune di Genova, e qualmente siamo in ciò vincolati. E faremo agli uomini, vassalli, e masnade nostre giurar la compagna (Lavagnina) » con quel che segue, che non appartiene più alla materia di questa nota.

LVII. *Seruitium* — Qui *servitium* significa *dono*, *presente*: e quella frase *usque ad dies* XV vuol dire *in termine di* 15 *dì* dopo essere il marito entrato console. La legge poi è curiosissima; e non so qual più dovesse noiare a quelle signore, se la strana comparsa, o l'esser così colte a sospetto, o la dote pericolante, o il non potersi abbellire dello splendor consolare. Io credo che di questa legge non sonasse lor bene una sillaba. Fuor di baia alle ambizioni e alle malie donnesche non istava male un tal freno; nè addormentati erano i nostri antichi.

LVIII. *Mobilia* — Questa voce è tuttavia del nostro dialetto: e per certo una volta esso dialetto anche nel trattar le pubbliche faccende si praticava. Ce ne ha pruove irrecusabili nel secolo XV, la lettera di Biagio Assereto alla repubblica del 1435, (Federici lettera Sciopp.), e una proposta molto grave e sentenziosa fatta in pubblico consiglio del 1443 (MS. Berio). Ne' secoli precedenti non mancano di buoni indizii: un volume di poesie Genovesi del secolo XIII, parecchie delle quali sulle vittorie della repubblica, altre indirizzate a' cittadini primarii, (MS. Molfino del qual parla il ch. cav. Spotorno Stor. Lett. Lig.); e la traduzione fatta per ordine del console di Caffa nel 1383 delle convensioni del 1180 con Iancasio signor di Sorcati, e coll'imperatore de' Tartari, scritte in lingua Ugaresca; la qual traduzione fu per cura del dotto barone Silvestro de Sacy pubblicata. (*MS. de la biblioth. du roi tom.* 11). Quest'uso del volgar Genovese vuol aver molto nociuto all'incremento dell'eloquenza e delle buone lettere nella nostra città.

Excepto Marchione — Non credo che sia qua fuor di luogo una nota il più che si possa concisa dei diversi signori e dominii, che intorno al distretto di Genova si spargevano. Nè voglio assegnare le cose com' erano per appunto del 1143, ma così in generale in quel secolo, e parte nel susseguente. E per la prima si mostra da occaso Nizza, che in que' tempi si reggeva liberamente a comune; indi tornò a devozione de' conti di Provenza: ed essi conti avean pure alcune altre castella su quei confini. Sovra di Monaco pretendean tutti; e i Genovesi che vi pretendevano più degli altri, acquistandovi le ragioni di tutti, v'apparecchiarono, nè sel pensavano, un forte nido ai Grimaldi. Seguitano i conti Guerra di Vintimiglia molto forti e fieri e sleali in quell'età; e quasi in mezzo agli stati loro il dominio dell'arcivescovo di Genova sopra S. Remo. Appresso i conti Quaranta di Lengueglia e Garlenda e i signori Casanova pei lor feudi in Lengueglia stessa, e Garlenda, e nel Castellaro. Indi i marchesi Taggiaferro di Clavesana, che tra gli altri loro dominii Taggia, Andora, Porto-Maurizio, Diano occupavano. In que' dintorni stessi i marchesi di Ceva divenuti signori dell'Arma; e i Doria di parte d'Andora, e d'Oneglia, e Loano. Appresso i marchesi del Carretto potentissimi dal Capo di Mele ad Albizzola; e in questo lungo tratto i ragguardevoli comuni d'Albenga, Noli, e Savona. Albizzola del 1191 doveva essere in potere dei marchesi del Carretto, giacchè Odon del Carretto in vendita fatta al comun di Savona la eccettua; (Cicala MS. Molfino); ma più anticamente risulta dalla vendita stessa ch'ella era del marchese di Monferrato. Del 1209 n'avean parte i marchesi di Ponzone: e del 1309 Odoardo Spinola cede le ragioni ch'avea sopra Albizzola e Quigliano al comune di Genova. Seguono i Marchesi predetti di Ponzone signori di Varazze; la qual terra si vede in processo di tempo divisa a brani fra tanti diversi padroni, che non fu mai per avventura un simile strazio. Quivi intorno par che avesse ab antico qualche dominio l'abazia del Tiglietto. Di qua convien fare un lungo salto, e tralasciando i possessi dell'abazia di S. Fruttuoso in Capo di Monte, e le sue più larghe pretese, e ragioni, e proventi tra Camogli e Sestri di levante, ed altrove, trasportarci infino a' conti di Lavagna, tra quali di gran potenza e fama furono i Fieschi. Signoreggiarono in Lavagna stessa e contorni, in Sestri, e su procedendo in Varese,

val di Taro, e fino in Pontremoli. Anche a ponente dell'En- a tella si porsero con loro possedimenti fino a Rapallo, e dall'altra banda fino a Brugnato e alla Magra. Confinavan con essi i signori di Passano, che tra le altre lor terre in Moneglia in Materana, Frascaro, Corrodano, Passano, Levanto avevan dominii. Per quivi stesso ed anche più in qua i marchesi Malaspina cotanto potenti signori di Lunigiana. Lascio i signori di Lagneto e Celasco, i signori di Rivatta, i signori di Vezzano, i signori di Trebbiano, e i vescovi di Brugnato, e di Luni, e i Marchesi di Massa, e il comune di Lucca. Finalmente i Pisani lungo il mare s'avanzavano di qua dalla Magra, ed ebbero Lerici nelle man loro, venuto poscia a quelle più forti de' Genovesi. Dico in generale che nell'antico contado Lunense apparisce per questi tempi una gran confusione. Perocchè una volta vi signoreggiavano il vescovo di Luni e gli Estensi. Indi ritiratisene questi, e b perdendovi quelli ogni dì, sottentrano e s'avviluppano con molto intricate variazioni e cambiamenti i Malaspina, i De Passano, i Pisani, i Fieschi con più altri da meno, e su tutti acquistando sempre i Genovesi. Più infra terra poi erano, secondo ch' è accennato, i conti predetti di Lavagna; e i Malaspina in Lunigiana, e nel Piacentino, e nel Tortonese, e più dappresso anche in Fontanabuona; i Tortonesi che si reggevano a comune; i marchesi di Parodi; i marchesi di Gavi; i marchesi del Bosco, che giungevano fino alla Stella di cui possedevano parte, e infin sopra al giogo di Voltri; i marchesi predetti di Ponzone; i marchesi d'Incisa; i marchesi di Ceva; i marchesi del Carretto summominati; i signori di Garessio; i signori di Pornassio; i conti di Badalucco; quelli del Maro; quelli di Sospitello o Sospello; i marchesi di Monferrato fatti grandissimi dall'imperador Barbarossa; e c i conti da ultimo di Provenza. Finalmente in faccia e sul mare la Corsica nella quale il nostro comune già prevalea risolutamente; e la Sardegna co'suoi giudicati, che cagione di fiera contesa tra Genova e Pisa stava in forse a qual delle due dovesse ubbidire.

Marchione et comite — Può voler dire qual siasi marchese e conte; e può un marchese ed un conte particolare. Ma siccome colle parole seguenti esprimesi nel nostro breve la riviera orientale, è molto verisimile, che dove dice *marchione et comite* voglia indicar la riviera occidentale; e però par da intendere il marchese di Savona, e il conte di Vintimiglia; tanto più che nel 1140 erasi fatta stretta lega col marchese di Savona, e il conte di Vintimiglia era stato vinto e debellato: e nel 1148 il marchese di Savona giurò appunto l'abitacolo di Genova per tre mesi dell'anno (*Raph.* d *de Turri*). Qui pertanto credo che si dichiarino esenti da questa legge dell'abitacolo fermo in città il conte e marchese suddetti da una banda, e i conti di Lavagna e i signori di Passano cogli uomini loro dall'altra. È il vero che nelle diverse convenzioni con questi ed altri marchesi, conti, e signori, se non s'obbligarono a dimorare in Genova stabilmente e continuamente, si cercò almeno di farveli stare quella maggior parte dell'anno che si potesse. La sapienza civile del secolo XII col piegare i signori d'intorno a giurar la compagna e l'abitacolo, coll'ottener vendita e cessione de'lor diritti di signoria, e coll'affrancare ora questo luogo ed or quello, stabilendovi delle minori compagne a simiglianza e devozione di quella di Genova, siccome nelle compagne di Passano, Lavagna, S. Remo, Lengueglia e altrettali si vede fatto, s'indirizzava bel bello a diboscare il feudalismo, a riunire e addimesticare, dove quello per sua natura superbo e dissociatore insalvatichiva, divideva, e suddivideva ogni cosa, a ritrarre i modi dell'antica Roma, e buone, ed ampie radici mettere in terra ferma. Ma i gran cittadini di Genova, che anch'eglino in qualità di feudatarii e principi furon lasciati ingombrar le riviere, ammettendo così una piaga insanabile e un principio mortifero nello stato, quindi le famiglie potentissime, e nella cresciuta ed arricchita città le ire e le gelosie tra le famiglie stesse, alle quali nel 1190 non si trovò quel freno e quella censura che conveniva, aggiugni la nominale autorità dell'imperio che come le altre parole vote era al bene inutile e non al male, tutte queste cagioni insieme produssero il Ghibellinismo, e le fazioni nobili e popolari, per cui l'ottime sementi del millecento non rendettero a pezza que' frutti, che se ne doveano impromettere. Ciò non impedì veramente le mirabili imprese navali, nè gli acquisti oltramarini: ma il comune porgendosi tutto fuori, fece come quei mercadanti, che investendo ogni aver loro nella pecunia e ne' traffichi vanno esposti ciascun dì a un colpo della fortuna.

A clauari — In queste leggi, e in altre carte antiche si truova *clauaris*, negli annalisti *clauarum*. Di Chiavari che ora è città piccola, ma fiorente si fa menzione infin dal 1127 in carta citata da G. B. Cicala, dove Ingo de Sorba di Rapallo, Martino Raggio de Costa, i figliuoli di Pagano di Chiavari, Guiniso e Solverado di Chiavari son nominati come paganti livello a S. Siro per terre in Lavagna. Nel 1162 troviam consoli in Chiavari Anselmo de Costa e Giovan de Serra (Cicala MS. Molf.). Del 1164 Oberto Chierico legò alla chiesa di S. Pietro de Clavari, ora S. Pier delle canne, una libbra d'olio *annue in eternum*, e fece parimente un lascito al ponte di Lavagna (fogliat. notar.). Nel 1167 fu fabbricato il castello di Chiavari (*ob cancell.*). Avendo, per quanto credo, i Genovesi occupato il terreno sui conti di Lavagna, che forse il cedettero per amore o timore dopo le convenzioni del 1166. Nel 1172 venne d'accordo con essi conti Opizzo Malaspina, e occupato il borgo di Chiavari pose l'assedio al castello; ma funne ben tosto cacciato via; dov' è notabile quel *borgo di Chiavari* nel 1172, chè così Oberto cancelliere l'appella. Nel 1177 e 1178 fu risoluto che il suolo di detto luogo era tra certi limiti del comune, e quindi si ordinò di venderlo alla spicciolata e a piccol prezzo, per attirarvi abitatori, e per fabbricare, o a dir meglio accrescere col ripartimento di tre caroggi o strade il borgo di Chiavari, come si fece in effetto (*lib. I. iur.* e vedi alcune scritture pubbliche concernenti la comunità di Lavagna, Genova 1661). Questo borgo pare che dalla sua forma si chiamasse altresì Borgolungo, giacchè il nome di Chiavari si stendeva più largamente. Nel 1193 Bardone arciprete di Lavagna ottenne privilegio da papa Celestino III, che la cappella da esso arciprete edificata già prima in Chiavari (debb' essere S. Gio. Battista) fosse soggetta per diritto parrocchiale ad essa pieve di Lavagna (vedi scritture pubbliche sovracitate). Da così umili principii ebbe quella terra grande e rapido accrescimento, e per la sua bellissima collocazione, e per l'amore de' Genovesi, che incontro a' conti di Lavagna se ne valevano per un freno. Quella ragguardevol parte di Chiavari, che appellasi Rupinaro vuolsi da taluni aver questo nome per essere stata rovinata da' Catalani nel 1335,

benchè dovette esser piuttosto nel 1331 (Giustiniani). Ma *a* io trovo in cartina di S. Siro ricordarsi un Lanfranchino *de Clavaro*, e sue terre a *Ruinà* infino dal 1204 (Cicala MS. Molfino).

LIX. *Publice prohibebimus* — Delle merci contrarie è già detto di sopra. Insomma non si vuole che i Pisani introducano e facciano introdurre le merci loro in quel di Genova, e le vendano a danno de' nazionali, nè similmente del pubblico erario, godendosi l'esenzioni che ai sudditi e amici cari del comune, e non a loro appartenevano.

A Plumbino — I Pisani ottenner di poi nel 1193 diploma imperiale da Enrico VI, che niuno avesse facoltà di edificar fortezze da Corvo alle foci dell'Arno tra il monte e il mare; e che essi avesser diritto sul lido da Porto Venere a Civitavecchia, per farvi lor mercature e galee.

Operibus siluaticis — *Operibus siluaticis*, lavori di pel- *b* licce, e *garnimentis*, che forse vuol essere *garniamentis*, ornamenti e guarniture di robe o vesti (V. il Ducange). Che di preziose pellicce molto si sfoggiasse per que' tempi in Italia può leggersi nel Muratori (Ann. 1102).

LX. *Faciemus eum iurare* — Vedi sopra le note al capitolo XXXIII.

Buronum — È per me luogo incerto. Osservo però che nella tavola peutingeriana dopo Luna è *Boron*, poi *in Alpe Pennino*, poi *ad Monilia*, e tra *Alpe Pennino* e *Monilia* son notate 13 migliaia di passi. Quel Boron consonerebbe quasi per appunto col nostro Burono, nè quanto alla posizione locale parrebbe disconvenirsi. L'ab. Oderico stima probabile che quel Boron venga a dire la Vara; e la Vara perciò sarebbe anche il Burono del nostro statuto. Ma una difficoltà s'attraversa; ed è che nel diploma di Carlo Crasso a favore *c* dell'abazia di Brugnato, che leggesi nell'Ughelli, due volte si nomina *Varra fluvius*. Se un tal documento è genuino, poco sarebbe probabile, che la Vara, dicendosi Vara infino dall'881, si chiamasse poi Burono da' nostri nel 1143. Aggiungo che un luogo appellato Boarone trovasi nominato dopo Serra Maggiore, e Zignago in vendita del 1276 fatta da Nicolò Fiesco al comune (*lib.* I. *iur.* ma io non cito il testo, sì una pandetta o compendio, che il sig. abate Sbertoli studiosissimo delle cose patrie m'ha gentilmente imprestato). Quel che sia di ciò, il Burono vuol pur essere un luogo, e forse meglio un fossato o torrente, non molto di lungi alla Magra.

LXIII. *Pro feudo consulatus* — La pensione o l'onorario che dir si debba. È cosa da notarsi primamente che i consoli non fosser contenti dell'onore, ma si godessero anche *d* un buon onorario, come sopra s'è veduto che sel godevano altresì gl' inviati all'estero. Di poi che fosse loro assegnata perciò una parte de' pubblici dazi; e sembra oltre a questo dalle parole *in hoc anno* che fosse variabile da un anno all' altro. Da ultimo è curioso ch'essi abbiano l'assegnamento in comune, e non pur tra loro, ma coi consoli de' placiti parimente; e che non solo un console de' placiti si agguagli nella pensione a un console del comune, ma similmente un chiavaro ad un console.

Bucam bouis — Monsignor Giustiniani ha le seguenti parole all'anno 1162: « E i consoli...... per utilità della rep. comperarono molte stanzie in la riva del mare dal fossato di Bocca di Bo insino al fossato della chiesa di S. Sepolcro,.... e fecero da un fossato all'altro una via nuova, e fecero un scalo per la comodità delle navi, e buttarono un ponte per la comodità della chiesa del S. Sepolcro, così nominata allora, ed oggi si chiama per opinion mia S. Giovanni ». Veggasi anche il Caffaro all'anno sopraddetto 1162.

Bisantios — Moneta famosa di Costantinopoli; e ce n' era d'oro e d'argento. Correvano in Italia, almeno nella parte meridionale, infino dall'851. Coll'andar del tempo v'ebbe anche bisanzi saracinati, bisanzi di Cipro, d'Alessandria, di Rodi, ecc. (Vedi il Conte Carli 3.a dissert.).

LXIV. *Clavario* — Clavari o chiavari eran quelli che avean le chiavi o la custodia dell'erario e dell'archivio pubblico. Talvolta, almeno presso altri popoli, erano incaricati eziandio di riconoscere quattro volte l'anno *omnes libras et alia pondera numeraliorum speciatorum et merceriorum* ». (Ducange) Anche gli otto nobili instituiti nel 1196, e dati per consiglio al podestà, singolarmente per le finanze del comune, si veggono talvolta con nome poco diverso da clavari appellati clavigeri (Bart. scriba, 1247 e 1248). La carica de' clavari molto si confà con quella de' romani questori.

LXV. *Scribam* — Vuol dire che il fissar la pensione agli scrivani stia in arbitrio de' consoli del comune. Quindi si conferma che queste pensioni de' magistrati e ufficiali pubblici eran variabili. Gli scrivani del comune e il cancelliero furono instituiti insieme coi chiavari nel 1122, nell'anno stesso cioè in cui si cominciarono i consoli annuali, e in che probabilmente si fissò la durata d'un triennio per ciascuna compagna.

LXVI. *Usura de terra* — Questo, e il seguente capitolo son malagevoli. Tuttavia si può far congettura del senso loro. Più sopra nel cap. XIX si fa menzione della colletta di terra e della colletta di mare, e si statuisce che la colletta di mare non si farà, se non per guerra marittima. Qua pertanto è verisimile che *usura de terra* vogli significare la rendita sulle impretazioni fatte per guerra o altra occorrenza terrestre. Di queste rendite o usure aveano giurato i consoli non pagar per quest'anno, salvochè a coloro, cui era impegnata la zecca (V. le note al cap. XX). A questo cotal giuramento ed eccezione accenna il primo dei due presenti capitoli; e le parole *per sacramentum* si vorran forse intendere a cagione, in grazia del nostro giuramento. Nel secondo capitolo poi si promette che quei creditori dello stato, i quali ricorressero per essere rintegrati del lor capitale, saranno per quanto si potrà, e giustizia vorrà soddisfatti. Pare insomma, che si fosse voluto costringere i nuovi consoli a curarsi d'estinguere i debiti pubblici, vietando di pagar l' usura o la rendita. Certo non crederei che qua si dovesse intendere d'usure e d' imprestiti fra' privati, su che avrebbon dovuto giudicare i consoli de' placiti, non quei del comune.

LXVII. *Unde proclamatio* — *Proclamatio* indica una querela o petizione che altri fa in via di giustizia, per raddomandare la roba sua; e più largamente per aver suo diritto e per ottenere riparazione di danni e cessazione d'offese. Così all'anno 1155 il Caffaro introducendo l'ambasciador Genovese a parlare dinanzi a papa Adriano, che teneva concilio in Benevento, adopera proclamazione e querimonia come voci sinonime.

LXVIII. *Turres* — Una fiera maladizione erano a que'tempi queste torri per le città. Gli autori del presente statuto vi corrono all'assalto tre volte. Mirano a distruggerle, o rau-

miliarle per gastigo ne' capitoli XXVI e XXVII, a sbassarle a
per provvisione nel capitolo LI, e ad impedir le nuove di levar la testa tropp'alta in questo capitolo 68. In conformità della presente legge troviamo nel fogliazzo de' notai, anno 1160: « io Alberico prometto a te Lanfranco Bacerno che compierò la tua torre vicin del mare infino all'altezza di 80 piedi. » Nulladimeno nel 1196 il podestà Drudo Marcellino dovette farne rabassare parecchie, « le quali i cittadini aveano fatto costrurre contra il lecito, e la costituzione della comunità; onde i consoli e i podestà passati erano corsi in colpa di giuramento violato. » (Ottob. Scriba) — In questo passo, là dove dice l'annalista, *contra . . . constitutionem communitatis* non so se voglia rammentare l'antico breve dei consoli del comune, così nominandolo, o alcuna legge speciale ed apposita intorno alle torri.

LXIX. *Sigillo plumbeo* — Si obbliga ciascun console di b
non accordar convenzioni, privilegi e simili, col pubblico suggello convalidati di sua particolare autorità, ma sì col consenso della maggior parte de' consoli; perchè nella maggior parte de' consoli concorde in un dato punto stava la potestà efficace del consolato. Il che si truova espresso in parecchie convenzioni, dov'altri promette di volersi rimettere e prestare ubbidienza non mica a ciascun console, sì alla maggior parte unanime de' consoli stessi. (Vedi le note al capitolo XXXVIII). Quanto al sigillo di piombo non accade ch' io dica esser quello che specialmente usavano i comuni italiani, lasciando che i papi talora, e più spesso gl'imperadori e anche i re l'usassero non solo di piombo, ma d'oro frequentemente, e radissime fiate d'argento. Solo il doge di Venezia pare che anche sigilli d'oro adoperasse; e la rep. di Firenze negli ultimi suoi tempi suggellò con cera di color c
verde. L'autorità del sigillo fu somma presso i nostri comuni nel secolo XII, giacchè da se solo sopperiva a tutte l'altre diplomatiche formalità. (Fumagalli tom. II). — La figura espressa nel sigillo Genovese fin dal tempo di queste leggi parmi che fosse il griffo; almeno un passo di mons Giustiniani sotto l'anno 1139 m' induce a conghietturarlo. Indi verso la metà del secolo XIII uscì fuori il sigillo simbolico del griffo della volpe e del gallo, o meglio dell'aquila, di che parla il Muratori. Credo sia quel medesimo accennato dai chiari cav. Cibrario e Promis (sigilli Real Cas. Sav.); il quale però ove non quello, ma un altro più antico fosse, sarebbe al tutto cosa preziosa.

LXX. *De equandis partibus* — Adunque i giudici non pure si curavano di far essi giustizia, ma che anche ciascuna delle parti fosse sufficientemente, e al par dell'altra d
difesa. Questa legge ottima potria sospettarsi, che nascesse dall'uso pessimo delle battaglie giuridiche, nelle quali l'egualità delle difese era di troppa necessità. In tal caso dalle battaglie con armi qua si trasporterebbe a quelle meno crudeli di testi e parole. Ma c'è meglio, giacchè questa è legge Romana limpida e schietta. Ella consuona in prima con la seguente dei Digesti: « dovrà (il proconsole) concedere avvocati a' richiedenti, il più a femmine, o pupilli, o persone deboli per altra guisa . . . Ma se alcuno dica, lui per la potenza dell'avversario non ritrovare avvocato, egualmente converrà procacciargliene ecc. » (Digest. lib. 1, tit. 16, leg. 9). Ed è poi quasi tolta a verbo da questa del codice: « ufficio sia del giudicante, che de' causidici si faccia eguale distribuzione, e si adegui alle parti l'aiuto loro, e del pari proceda la divisione. Che se alcuno essendo avvisato dal giudice, egli con iscusa che non tenga, si ricuserà d'assistere ad una qualsiasi delle parti, sia rimosso dal foro, e sappia che non potrassegli rendere la facoltà d'agire mai più. (*Cod. Iust. lib.* 2, *tit.* 16, *leg.* 7).

LXXI. *De danda aetate* — Le leggi Longobarde dichiarano i giovani maggiori a 19 anni; e minori finchè non han compiuti li 18. Le costituzioni sicule consentono, ponendo per età maggiore i 18 compiuti. Le nostre leggi più saviamente richieggono a poter dare l'età i pieni anni venti. Ma che è questo dare l'età? È ella forse frase sinonima con quella già spiegata altrove dell'*agnoscere etatem?* Non crederei. Nel diritto Romano i giovani risolutamente eran maggiori a 25 anni. Ma tra i 20 e 25 poteva darsi loro *ueniam etatis. (Cod. Theod. lib.* 2, *tit.* 17, *e cod. Iustin. lib.* 2, *tit.* 45 *).* Io penso che questa ordinazione Romana avesse vigore appo i nostri, e che la frase del dare *etatem* non altro significhi, se non che stava in arbitrio de' consoli del comune di concedere la maggiorità passati i 20 anni, età ferma, e innanzi alla legittima de' 25. L'*agnoscere etatem* poi, ch'era parimenti della competenza de' consoli, sembra che corrisponda colla pruova che secondo il detto codice Teodosiano, e Giustiniano doveasi dare de' compiuti 20 anni a' magistrati, acciocchè valesse il perdono dell'età impetrato dagl'imperadori. Nel nostro breve questa cotal conoscenza è chiaramente espressa dove si tratta di dovere a' giovani mal fermi scemare alcuna pena. Ma parmi che nel presente capitolo *de danda etate* implicitamente s'intenda.

LXXII. *A proxima uentura die* — A che la ripetizione di queste parole esordiali, quasicchè il breve ricominciasse? Da ciò nasce, cred' io, che la legge o decreto contra i falsatori della moneta s'è inserito qui per intero, in forma di giuramento consolare. E forse era decreto recente.

Monetam ianuensem — Non fo qui pensiero d' entrare a parlar della moneta Genovese, essendo materia già trattata da uomini eruditissimi, specialmente dall'illustre patrizio signor marchese Girolamo Serra ch'io m'onoro di nominare. Osserverò solamente che denari Pavesi e Brunetti, fu per avventura una medesima cosa, e par che da vecchi a nuovi e nuovissimi stia solo il divario. Certo danari Brunetti si truovano menzionati nella convenzione tra i consoli Genovesi, e il signor Cocornino di Cocorno del 1080 (Cicala MS. e Caff. 1828): e il luogo del Caffaro sotto 1102 può volgarizzarsi ottimamente: « nel primo anno di questo consolato la moneta de' danari Pavesi vecchi ebbe fine; ed un' altra d'un nuovo conio di Brunetti (o leggendo *noua moneta* in luogo di *noue monete*, ed un' altra nuova moneta di Brunetti) fu cominciata. » Così i danari Brunetti nominati del 1080 sarebbero i Brunetti, o Bruni o Pavesi vecchi; quelli del 1102 i Brunetti, o Bruni, o Pavesi nuovi; e quelli del 1115 i Brunettini, o Pavesi novissimi. Nel 1139 poi dietro il privilegio conceduto e spedito dal re Corrado III infino dal precedente anno 1138, si abolì del tutto lo stampo Pavese, e cominciossi la moneta propria di Genova, la quale col nome impressovi del re Corrado continuò 500 anni appunto, vuolsi dire infino al 1638, od anzi 1639, se non erra il Cicala.

Omnes res — Questa è la pena più grave che nelle presenti leggi si stabilisca, cioè taglio di mano, esilio, e generale confiscazione; perciocchè trattandosi di dar corso

alla moneta di Genova, ch'era da pochi anni incominciata, a e che aveva a gareggiare con altre più antiche e più conosciute, troppo importava all'utile e all'onore della città, che s'impedisse di falsificarla. Di fatti lo statuto di Pistoia pubblicato dal Muratori è in questa parte molto più mite, dacchè Pistoia non aveva, per quel che paia, moneta propria. È tuttavia da osservare che per le parole usate dal nostro breve si considera questo eccesso piuttosto come possibile, che come verisimile in Genova; e parte si rassicurano i cittadini dal terrore d'essere dalla calunnia con nome di giustizia colpiti, donde nasce negli animi o ferocia o avvilimento. Arreco una legge di Lodovico Pio, da cui la presente in parte deriva: « chi avrà battuto falsa moneta perda la mano: chi avrà acconsentito a tale delitto, s'è uomo libero componga 60 soldi, se è servo riceva 60 colpi ») *Leg. Langob. Ludov. Pii cap.* 27). b

LXXIII. *Ego consul* — Brevi parole dirò qui sul consolato generalmente. E' si truova stabilmente fermato in Genova infino dal 1080. Ma prima e poi ci manca la serie de' consoli, perchè i nostri fortissimi antenati nel secolo XI operavano, non iscrivevano, e sempre uomini tutti movimento ed azione allignarono in questi lidi: forti, quando le occasioni lor danno; industria quando i tempi non li chiamano è il lor riposo. Per altro una bella pagina di storia delle prodezze loro negli ultimi anni dell'XI secolo, è la facciata di S. Lorenzo fabbricata nel 1100. Dal 1099 in poi abbiamo la serie de' consoli per intero negli annalisti. Nel 1122 fu il consolato per decreto del consiglio ridotto ad un anno. Nel 1130 per isgravare di troppo carico i consoli del comune, quelli de' placiti si crearono. I consoli del comune o *pro communi*, anche s'appellano del regime, della signoria, dello c stato, e della repubblica, e consoli maggiori talvolta. I consoli de' placiti o de' piati, anche delle cause forensi, della ragione, del civile, della giustizia. Il consolato del comune fu sospeso nel 1190, eleggendosi pel seguente anno il primo podestà forestiero; e quanto a' consoli del civile si mutò in parte l'antica consuetudine, per cui risedevano ad amministrar giustizia nel palazzo dell'arcivescovo. Nel 1192 da capo si fecero i consoli del comune. Nel 1194 si sospeser di nuovo, e sottentrò in lor vece il podestà. Nel 1201 furono di nuovo i consoli del comune, a' quali succedette podestà nel 1202. Tornano in campo i consoli del comune nel 1207, e continuano infino a tutto il 1216, salvochè in 1211 ad un podestà forestiero cedetter luogo. Col 1216 caddero i consoli detti, per più non risorgere; e quelli de' placiti furon sospesi, chiamandosi insieme col forestiero podestà dottori fore- d stieri in lor luogo. Ricompaiono dopo lungo sonno nel 1247, ma per vegliare brev'ora: dacchè nel 1250 non par che più fossero; nè da indi innanzi occorre più menzione di loro, essendo così perito al tutto in Genova il consolato. Nel secolo XII questo nome si diffondeva da Genova ai luoghi del suo distretto e della sua signoria: e tra 1134 e 1200 consoli troviamo non solo in S. Remo, Lengueglia, Albenga, Savona, Lavagna ecc., ma eziandio in Chiavari, Rapallo, Albaro, Bisagno, S. Pier d'Arena, Sesto, Pegli, Voltri, e in molti altri luoghi (Cicala MS. Molfino). Un picciol elogio del consolato genovese, e del secolo in che specialmente fiorì m'avea qui gittato la penna: ma nel caccio fuori, temendo non forse la nota paia lunga a taluno, o troppo simile ad oratoria.

LXXIV. *Nos erimus districti sacramento* — Tra Genovesi e Pisani s'era fermata la pace per opera d'Innocenzo II infin del 1133. Ma non credo sia quel trattato, che qui accennasi nel nostro breve; anzi e l'essere accennato nel breve stesso, e le proprie parole che vi si usano, mi danno a pensare che fosse cosa recente. Ed al vero d'una convenzione coi Pisani nel 1143 fa menzione il Cicala. Coi Tortonesi, o per meglio dire col vescovo di Tortona un certo convegno s'era già concluso nel 1127 (Roccat. e Iur. lib. 1); ma nè a quel convegno dee mirare il presente capitolo. Alcuni documenti del 1144 riguardanti un trattato tra Genovesi e Tortonesi per la terra di Montaldo si adducono nei libri *iurium* (lib. 1 del qual cito una pandetta o compendio ch'ho per le mani). Or dalle presenti leggi s'argomenta, che qualche stipulazione doveva essere precorsa fra i due comuni infin dall'anno antecedente 1143; e l'esser ella notata dopo l'altre due co' Lucchesi e Pisani m'induce altresì a conghietturare, ch'ella fosse la più recente. Perciò anche quella coi Lucchesi, ch'è notata la prima, conghietturo che vada per tempo dinanzi all'altre. Ma di questa convenzione io non truovo orma veruna, fuorchè in queste leggi; e benchè sia molto verisimile per la posizione di Lucca, e per le sue frequenti nimicizie con Pisa, ch'ella avesse de'trattati con Genova assai prima del 1143, tuttavia non so ch'altri se ne conservino innanzi a quelli del 1159 e 1166, pubblicati da Rafael della Torre. Certo con quest'ultimo singolarmente si fecer poscia i Lucchesi tanto stretti alleati di Genova, che non so quanto mancasse a esser sudditi.

LXXV. *Saluabimus conuentum* — È verisimile che durasse la vestizione della moneta fatta nel 1141, della quale più sopra s'è detto. Un'altra ne fu fatta nel 1150 a Ogerio e Guglielmo Venti, Caffaro, Lanfranco Pevere, Oberto Torre e altri undici personaggi (Cicala). Di poi nel consolato glorioso del 1155 la moneta si riscattò (Giustin.).

Comparauerunt — *Comparare* è il nostro comperare: ma qui vale prendere in pegno e a sconto di credito. Di qua poi le nostre compere di S. Giorgio. Le cause e le origini rimote di quella banca, che nel suo genere fu un gran ritrovato e un modello, s'hanno a ricercare nelle imprestazioni, che si facevano al pubblico nel millecento: nè le credo ancora bastantemente illustrate.

LXXVI. *Conuentiones illas* — Questa contrattazione è memorabile, essendo essa il primo anello delle relazioni d'amicizia tra i Greci imperadori e i Genovesi, dalle quali doveano col tempo dipendere in gran parte le sorti di quell' imperio, e tanta potenza crearsene a'Genovesi in tutto l'arcipelago, in tutta l'Asia minore, e dall'Ellesponto infino al Tanai; e con ciò i fiorenti traffichi, le maravigliose colonie, le smisurate ricchezze, e gli sdegni implacabili de'Veneziani. Que' gran beni, e que'gran mali negli anni 1142 e 1143, e nel trattato che qui s'accenna ebber principio. — Giacchè m'è accaduto di nominar le colonie, dirò che Genova per creare e migliorare i suoi commerci fuori, incominciò dai piccioli possessi, infeudandoli a tempo: continuò colle corporazioni di suoi cittadini, privilegiate dai governi sul cui territorio abitavano: queste mi pare che molto si rassomigliassero agli antichi conventi de' cittadini Romani sparsi per negoziare nelle provincie, e alle scuole de' Greci, e de'Germani in Roma, tanto nominate nel medio evo. A perfezionare le dette corporazioni concorse la instituzione ammirabile

de' consolati fuori, che fu ed è una sorgente di civiltà, e *a* di reciprochi benefizi tra le nazioni. Finalmente colla formazione delle colonie grosse e memorande si compiè l'opera del genovese commercio, e se ne diede lezione a chi poi seppe giovarsene. I nostri maggiori si può dire con verità che furono utili al mondo.

LXXVI. *Imperatorem constantinopolitanum* — Questi era il magnanimo Caloianni (Giovanni Comneno), che procacciava di rendersi amici gli stati e principi d'occidente, per poter con più sicurtà far valere l'armi sue nell'oriente. Che le trattative fossero già molto innoltrate con esso, e vicine a concludersi negli ultimi tempi del 1142 si può da questo capitolo argomentare. Sembra però che intervenisse alcuna cagion di ritardo; indi Giovanni si morì nell'aprile del 1143, trovandosi allora nella Cilicia; e le convenzioni che per lui potevan fare a proposito, forse non potevano per Manuello *b* suo figliuolo e successore astuto, doppio, maligno, che odiava e temeva gli occidentali, nè in altro mise giammai studio maggiore, che in muovergli a dissensione e guerra gli uni contro gli altri (V. Niceta Choniat.). Perciò niente più si conchiuse. In ispazio di tempo quando nel 1155, e nel 1157 Manuello stava più che mai pensoso per la potenza di Federigo I, ed avrà quindi consentito a' Genovesi quelle condizioni che più bramavano, essendo essi per avventura molto mal soddisfatti della superbia di Federigo, e attirati dalle grandiose speranze dell'oriente, allora si conclusero le convenzioni strettissime tra il greco Cesare e i Genovesi, senza nominarvi nè eccettuarvi il Barbarossa; ed altra convenzione fermossi nel tempo stesso, cioè nel 1157 col principe che sedeva di mezzo tra la Liguria e 'l greco imperio, vuolsi dire con Guglielmo re di Sicilia; e ho già detto *c* che il Caffaro sotto l'anno 1155, in che si conchiuse il primo trattato in Genova coll'ambasciatore di Manuello, e cominciossi la cerchia delle mura contra le minacce di Federigo adornò primamente il comune di Genova col titolo di repubblica. Ma già infin dal 1142 e 1143 era quel convegno greco-ligure pensato e disposto, e del nome e della podestà dell'imperador d'occidente non si faceva in questo breve menzione veruna.

Et ianuenses — Con queste convenzioni i Genovesi tendevano a quell'alto fine, a che li chiamava la provvidenza, d'aprire ai popoli d'occidente le strade di tutti i mari, il che doveva esser fonte di vera e durevole civiltà. Perciocchè abbreviandosi il mondo agli uomini, gl'ingegni umani s'abbreviano, e dilatandosi quello, si dilatano. Quindi, se m'è lecito allegar poeti, il grande Omero volendo rappresentare *d* in atto la sapienza trascelse l'errante Ulisse; e l'Alighieri mostrò questo Ulisse medesimo, che non sa vivere senza l'esperienza dell'incognito mondo: e descrisse poi egli in sè stesso l'uomo che dalla morta valle sprigionatosi ritruova luce, sapienza e vita col tutto cercar l'universo. Agli italiani, quando i Barbari corsero devastando la bellissima terra loro, lasciaron liberi i campi del mare, non sapendo quel che valesse, nè come dividerselo. Altri Barbari poi infestandoli dal mare stesso, ve li chiamarono a dar pruove dell'antica virtù: dico dell'antica virtù romana, che, come ragiona un uomo sapientissimo ch'onora presentemente tutta l'Italia, nelle tradizioni e forme di civiltà lasciateci da quel vero gran popolo stava racchiusa, e che fu per una insopportabile tribolazione svegliata. Ottone Frisigense la vedeva in tutti gl' italiani: il Caffaro con più ragione ne'nostri. Così per un ammirabile provvedimento di Dio, che in mezzo alle tenebre crea la luce, dalle devastazioni d'Attila nacque Venezia, e da quelle de' Saraceni Genova e Pisa. La prima epoca storica del comune di Genova quasi in culla è maravigliosa cosa che appunto sia il saccheggio datole da' Saraceni nel 935, o in quel torno. Un ottant'anni appresso già i nostri si mostravan terribili sulla Corsica e la Sardegna. Nel 1088 portavano strage nell'Affrica. Nel 1093 correvano sopra Tortosa qual ch'ella siasi di Soria o di Spagna, ma credo più questa che quella. Le crociate gli tirarono risolutamente a levante, e li fecer potenti nella Soria. Nel 1142 e 1143 dirizzaron gli sguardi al Bosforo e al Ponto Eusino. Rimasti delusi si rivolsero a ponente, e colle memorande imprese del 1146, 47 e 48 contra Minorica, Almeria, e Tortosa illustraron l'armi loro, e poser piede in Ispagna. Ma poco andò che le convenzioni coll'imperador Manuello concluse nel 1155 e 1157 recarono ad effetto i disegni del 1142 e 43 aprendo a'Genovesi primamente l' Ellesponto ed il Bosforo, e quindi il mar nero e quel della Tana. Di qua la potenza sul greco imperio, e i consolati; e le colonie, e i traffichi su tutti quei lidi, che li fecero comunicare coll'Indie. Quindi la cupida ricerca dell' India estrema, che partorì il tentativo tanto grande quanto infelice del Vivaldi e del Doria intorno al 1280, e le scoperte d'Antonio di Noli nel 1441, e dopo esser caduta coll' imperio greco la grandezza de' Genovesi in quelle contrade, e chiuse loro le vie dell'oriente, la miracolosa idea fissa di Cristoforo Colombo, che lo fece scopritor dell'America. Da ciò si argomenta che le scoperte de' liguri nocchieri, e quella specialmente divina del nuovo mondo, non sono glorie cotanto personali, che non v'abbia in gran parte diritto ed azione la patria di quelli; anzi io non crederei d'errare imprese chiamandole del comune di Genova, perciocchè nelle sue spedizioni e vittorie marittime, e nelle sue mirabili instituzioni, e relazioni commerciali coll'oriente ebber radice.

Legati — Oberto della Torre, e Guglielmo Barca erano gli ambasciadori spediti a Caloianni nel 1142. Il primo fu personaggio di singolar valore e autorità; e sedette console del comune in diversi anni che tutti riuscirono felicissimi. Nel 1133, in cui si conchiuse la pace co' Pisani e Genova ebbe arcivescovado, e i conti di Lavagna furono soggiogati; nel 1140, in cui si fece lega co' marchesi di Savona, e il conte di Vintimiglia fu debellato, ed esso e il contado suo costretti a giurar fedeltà; finalmente nel 1147 glorioso in casa per le sopite discordie e la civil pace reintegrata, gloriosissimo fuori per la memorabile spedizione d'Almeria della quale fu Oberto stesso gran parte; ed anche nel precedente anno 1146 era stato comandante insieme col console Caffaro dell'altra ardita e fortunata impresa contra Minorica. Guglielmo Barca poi sedette console de' Placiti nel 1137, quindi console del comune insieme con Oberto della Torre nel 1140, nel qual anno come dianzi è detto fu soggiogato il conte di Vintimiglia; e convien dire che in quella spedizione avesse la famiglia Barca qualche influenza o merito singolare; perciocchè nelle convenzioni d'alleanza coi marchesi di Savona si statuisce che nella parte de' possedimenti del conte, la qual toccherebbe ai marchesi debbano essi instituire un grosso feudo a favore di Giovanni Barca, il quale era stretto congiunto del console Guglielmo, e per quel ch'io creda, fra-

tello. *(Raph. de Turri)*. Una notizia riportata dall'avv. Cotalasso sotto l'anno 1513 mi fa sospettare che dalle parti d'Albenga fosse oriunda quella famiglia.

LXXVII. *Saluo nostro usu* — È una formola. Forse vuol dire, che i consoli per le obbligazioni sopra giurate non intendono che si scemi o alteri per verun modo il diritto e il potere che le patrie consuetudini attribuivano al consolato. Fors'anco accennano ai pubblici redditi, e dazii, e diritti, che dovean godere per feudo della lor carica. Questo senso acquista autorità dal privilegio di Boamondo Principe d'Antiochia del 1098, ove si dona a' Genovesi chiesa, fondaco e case, senz'alcun uso e consuetudine: e più sotto s'aggiugne: « rilascio a voi tutti gli usi e consuetudini e rettitudini che gli altri uomini dierono o per innanzi daranno (correggo *dabunt* in luogo di *dabant*) in Antiochia e in tutta sua pertinenza. » (Ughelli) — MCXLIII — Questa data lascia dubbioso, se il presente breve fosse scritto per obbligare i consoli del 1143, o quelli del 1144: e il dubbio nasce da ciò, che i consoli d'un anno sedevano ancora per tutto il gennaio dell'anno appresso. Nulladimeno per quel ch'altrove s'è ragionato, che il presente breve fosse fatto pel cominciare d'una nuova compagna, e che ormai la compagna di 3 in 3 anni regolarmente si rinnovasse, credo che si possa facilmente risolvere la quistione. Il Caffaro scrive che nel finire del 1157 si fece nuova compagna per 1158. Questo importa 5 intere compagne dal 1143 inclusivamente infino a tutto il 1157: concludesi pertanto che 1143 sia stato l'anno primo d'una nuova compagna, e che però i consoli del 1144 giurarono le leggi che qui s'illustrano.

Essendo pervenuto al fine del mio qualsiasi lavoro, mi sia lecito conchiudere con alcune brevissime osservazioni sulla esterior forma, e quasi sul colorito di questi statuti. La lingua latina v'è qual correa del secolo XII, purgata però de'villani insulti alla retta inflessione, o alla ragion gramaticale, che s'incontrano ad ogni passo in molte scritture di quell'età. Lo stile v'è chiaro e conciso: anche grave; non vi si vedranno modi frivoli, nè contorti, non oziosi perchè, non uscite rettoriche od ascetiche e quasi da chiostro, non loquaci preamboli. Mostra insomma che chi gli scrisse comprendeva di dover fare ordinamenti semplici, ma decorosi ed utili, e tali che non disdicessero ad un'eroica città.

IMPOSICIO

OFFICII GAZARIE

LVDOVICVS SAVLI

CANDIDO LECTORI

Non solum veteris Genuensis reipublicae, sed etiam totius Italicae historiae praestantissimam partem eam esse semper existimavimus, quae ad commercia cum Oriente pertinet. Non enim civium et fratrum simultates, non populorum bella eandem terram incolentium, et nimium saepe non tam pro se suisque, quam pro alienigenis principibus inter se pugnantium, sed industriae, sollertiae eximiaeque virtutis ob utilem et prope divinam causam perhibet exempla. Intestinae Italorum discordiae iniquas animorum perturbationes, indeque efferatam barbariem alebant, ex Orientalibus vero expeditionibus complurium regionum cognitio, multarum gentium commixtio, antiquitatis scientiae urbanitatisque reliquiae, et cultioris vitae genus prodierunt.

Cuius rei beneficium Genuensibus etiam plurimum deberi non est qui neget. Vix Berengarii imperatoris edicto iure proprio suisque magistratibus usi sunt, illico a Saracenorum populationibus patriam tueri, paulo post navigia extruere, et cum Hispanis icto foedere longinquas excursiones tentare, in Sardinia et Corsica terras occupare coeperunt. Quum autem et populorum et principum ad Palestinam a barbaris vindicandam

mirabilis prorsus concursus fuit, illi et susceptis armis pugnare, et quidquid ingenii opus erat ad hostilium urbium oppugnationem alacri animo adhibere, ad vehendas armatorum copias, et ne commeatibus intercluderentur, pelago naves committere visi sunt. Fuit hoc, post Alexandrum Macedonem, maximum maiorum nostrorum facinus, quo stetit ne Europa rudis et ferox semper, sed humanitatis particeps, cultiorque evaderet. Strenuus miles Genuensis erat, callidus et prudens, in navalibus rebus strenuissimus et prae ceteris audax; nec parsimoniae laude carebat, quo factum est ut, militari gloria et commercii fructibus simul coniunctis, ea gens magnas opes congereret, ingentes classes extrueret, urbem mirificis aedificiis ornaret, totamque rempublicam inter maritimas Italiae civitates illustrem redderet.

Non expedit nunc omnia referre, quibus Genuenses cum in Hispaniae, tum in Africae litoribus ad commercii frequentiam, et utilitatem pervenerint. Necessitudo inter eos et Hispanos seu Catalaunos intercedebat, antequam hasce duas gentes ab Orientis commercio se se invicem prohibendi invasisset prava libido, et ex amicis inimicas faceret. Scimus etiam cum Tuneti et Tripolis toparchis amicitiae foedera iunxisse, ab iisdemque amplissima iura fuisse consecutos.

Sed haec parvi momenti habebantur; multo magis illis cordi erat cum Asiaticis regionibus et rerum et hominum commeatus sibi comparare et confirmare. Ex iis enim et gemmas, et ligna, et aromata pretiosissima, et fructuum incredibilem varietatem exportare poterant, quae in Europam invecta in pergrandem pecuniae vim facile erat commutare.

Ad huiusmodi commercia tres praesertim patebant viae; Ægypti nempe, Syriae et Euxini.

A Calingis, et Taprobane, aliisque longinquis oris Indorum, Arabum, et Sabaeorum naves mercatoriae prope maris Erythraei litus vela dabant, suarum regionum fructus usque ad Arabicum sinum ferebant, qui postea ad Berenicis castrum et inde per camelos, terra, Alexandriam vehebantur, ubi illarum mercium maximum erat emporium. Quo namque tempore Genuensium naves ad ostia Nili appellere inceperint haud bene compertum habemus. Sed quum eorum fortuna maxime creverit, de consulum, quos vocant, institutione et iuribus cum Melitae, Cretae, et Cypri insulis pacti sunt: iam ab anno MCCIV Genuensem con-

sulem Alexandriae invenimus, et extant tabulae foederis icti anno MCCXC cum Melek Elmanzor Ægypti sultano. Tunc Saracenorum sermonis magister institutus est Genuae, quo facilius Ligures negotiatores cum Saracenis convenirent.

Syriae commercium alebatur ab iis qui a Persico sinu Euphratis flumen retrorsum navigabant usque ad terras Aleppo proximas, unde vel ad Seleuciam, per Orontis vallem, merces exportabant, vel ad Issam Ciliciae urbem, quam totius Christiani nominis emporium praedicat Marcus Polus. Quidam Britanni mercatores, ope navium, quae vaporis vi fluminis aquam contra profluentem non extimescunt, eandem viam hodie aggrediuntur. Sic fortuna iuvet eos! ditissimis illis regionibus redeat comitas, et populorum frequentia, et ita privatorum industria mirificum opus perficiat, cui principum ignavia ne cogitare quidem ausa est. Huiusce commercii totidem quasi alveos fuisse Caesaream, Ptolemaiden, Tyrum et Berytum facile liquet. Post sacrum bellum, cuius pars magna fuerunt, Genuenses a Latinis principibus, qui eos portus usurpaverant, mercandi facultatem, ibique loca, et ius consules instituendi, tamquam auxiliorum praemium, consecuti sunt. Nec maritimis oris contenti cum Antiochiae duce, cum Armeniae rege aliarumque novarum ditionum dominis ita se gesserunt, ut libere per interiora terrae mercandi suisque civibus ius dicendi copiam quoque obtinuerint.

Tertium iter ad Asiae commercia patebat per Hellespontum, Propontidem, Bosphorum Thracium et Euxinum. Hac transibant non solum merces quae ex Bythinia, ex Paphlagonia, e Sarmatia et a Getis proveniebant, verum etiam quae a remotioribus terris iuxta Indum flumen, usque ad Bactrianam et Sogdianam regionem, deinde per Oxum, cuius aquas tunc temporis in mare Caspium influxisse constat, et a mari Caspio vel iuxta Cyrum et Phasim per Iberiam et Colchidem, vel iuxta Rha, quod nunc Volga dicitur, et Tanaim ad paludes Maeoticas et tandem in Euxinum vehebantur. Ut suis mercatoribus huiusce viae emolumentum praeberetur, utque ceterae gentes ab eadem arcerentur maximus fuit Genuensis reipublicae conatus. Quomodo iam sub Emmanuele Comneno Byzantium irreperent Genuenses; quomodo insuper foedere iuncto cum Michaele Paleologo, post dirutum Francorum imperium, ad eandem urbem rediissent et prope eam novas sedes et privilegia quam plurima

impetravissent; quomodo inter pericula et crebros hostium impetus eas servavissent usque ad Byzantii totiusque imperii Graecorum excidium, iam alias abunde exposuimus. Haec colonia quae Galatae vel Peyrae dicebatur omnium Euxini commerciorum claustrum et fulcimentum fuit; eorumdem tamen praecipua sedes Chersonesus Taurica quae et Gazaria tunc vocabatur.

Statim ac per Bosphori fauces navigationem ab omni foenore et metu expeditam adepti sunt, Genuenses illuc se contulerunt. Eorum adventum scriptores referunt ad annum MCCLXVI et Baldum de Auria vel Antonium ab Horto primos fuisse Caphae habitatores tradunt. Viginti sex circiter annos ante Tartari eam regionem occupaverant. Forsitan cum eorum regibus foedus pepigerunt; cuius rei Nicephorus Gregoras Byzantinus historicus testimonium perhibere videtur. Antiquissimum tamen istiusmodi pactorum exemplar illud est, quod pertinet ad annum MCCCLXXXIII a clarissimo Sylvestro Sacyo editum. Tauricae ubertatem summopere laudant veteres et recentiores scriptores; quantum vero commerciis ea regio valeret iam vidimus. Quamobrem nihil mirum si Genuenses, ad augendas ibi proprias sedes, easque ab hostium insidiis aut iniuriis palam illatis muniendas, totis viribus contenderint. Brevi quinque oppidis in Taurica potiti sunt, Capha nempe, antiquitus Theodosia, quae tamquam totius Gazariae coloniae caput habebatur, Soldaia, Cerco, Tamano et Cembalo, qui portus Symbolorum a Strabone et a Plinio vocatur. Consules Caphae eligebantur Genuae eadem ratione, qua duces totius reipublicae; eorum dignitas quam plurimi habita est, ut facile coniici potest ex eo quod Georgius Adurnus, pro summo in patriam studio abdicata principis potestate, consul Caphae creatus est. Eorum auctoritas varia pro temporum varietate; consul enim modo soli civitati, modo universae Tauricae coloniae, modo cunctis Euxini consulatibus praeerat. Homines qui de pace et bello et de summa re consulerent, Massarii qui vectigalia administrarent, consuli adsidebant. Quod ad ius civile attinet, statuta Caphae eadem ac Genuae fuerunt. Si quid novi tamen aut temporum ratio aut locorum adiuncta postulavissent, Caphae statuebantur, vel per consulem eiusque consilium, vel per syndicos et legatos illuc aliquoties e patria missos. Eiusmodi decreta legis vicem pro tempore obtinebant, sed legis vi non pollebant, nisi prius respublica sanxisset. Multae quoque leges ab

ipsa republica ferebantur et praesertim ab officio, qui Gazariae magistratus nuncupabatur, nomine videlicet a locupletissima omnium colonia deducto. Sic leges legibus inserebantur, ut in more positum illius aetatis, institutoque Genuensium erat, et sic cunctas, quae a tam multifaria officina prodibant, simul congerere extra vires hominum esse putamus. Seminius tamen, ubi de Orientis commerciis disserit, cuiusdam codicis Gazariae mentionem facit; scribebat is dum adhuc reipublicae documenta maxima cura adservabantur. Complura post eum dementia plebis dispersit, complura Lutetiam Parisiorum velut victoriae pretium exeunte saeculo XVIII Galli adportarunt. Nunc codicis, de quo Seminius, iactura dolenda est.

Codex quem nunc edimus diu in sancti Georgii tabulario delituisse videtur; supra memorato codice vetustiorem credimus, et eius auctoritati magnam fidem tribuendam non dubitamus, quia scilicet in sancti Georgii aedibus Gazariae magistratus sedebat. Ex hoc eruere facillime poteris, candide lector, quidquid sapientissimi illi viri caverint tum de navium constructione, et de earum defensionibus, cum de classium itineribus, deque ceteris aliis praeceptis, quae in exercendis commerciis Genuensium tam ad orientem quam ad occidentem propagatis servanda essent.

Dabamus Augustae Taurinorum v kal. martii MDCCCXXXV.

IMPOSICIO

OFFICII GAZARIE

In nomine Domini amen.

Anno dominice natiuitatis MCCCXIII. die XXVI. nouembris.

Presentata fuit scriptura infrascripti tenoris domino abbati populi et sapientibus uigintiquatuor siue consilio eorum de quibus infra fiet mencio per infrascriptos sapientes siue per septem ex ipsis.

Sapientes infrascripti scilicet
Iacobus de Bernensia prior
Gabriel de Tiba
Symon de Monterubeo
Coradus Cathaneus
Matheus de Planis
D. Petrus de Ugolinis iudex
Ansaldus Maniauacha
Obertus Campanarius.

Electi et ordinati super hiis que agenda uideantur occasione Gazarie dicunt et declarant uobis dominis abbati populi et sapientibus uigintiquatuor quod ipsi pluries et pluries hoc anno infra se ipsos et cum aliis bonis hominibus ciuitatis Ianue racionati fuerunt et examinauerunt ea que agenda uidentur super predictis.

Et quia reperierunt mare maius totum plenum cursalibus et ad ea que essent eorum iudicio facienda opus esse magnam summam peccunie recuperari et homines Ianue esse ad presens inordinatos ualde ac paratos ad committendum talia uel deteriora quam hinc retro comiserint nisi adhibeatur remedium et ad ipsum inueniendum remedium magnam prouissionem ac forciam esse et necessariam idcircho uidetur eis quod per uos elligerentur et deputarentur octo sapientes uel tot quot nobis uiderentur et qui intenderent et intendere bona fide
a et toto eorum posse ad ea que essent seu uiderentur facienda esse occaxione Tane Caffe Gazarie maris maioris et illarum parcium et tam pro ambaxata illuc mittenda quam pro ordinacione ipsarum parcium et occaxione nauigacionis hominum Ianue et districtus ad partes orientis et specialiter cum galleis seu super galleis et occasione inueniendi et recuperandi peccuniam pro predictis exequendis et furniendis.

Et ad hoc ut per aliquem uel aliquos cras uel post cras non possit dici quod ea que per predictos fierent non uallerent et quod in hiis que facere seu facere uellent non fuisset forma alicuius capituli ciuitatis Ianue obseruata statuatur ordinetur ac etiam firmetur per uos ex nunc prout ex tunc quod quicquid per ipsos sapientes ad predi-
b cta per uos elligendos et deputandos siue per duas partes eorum in predictis et circha predicta et quodlibet predictorum et inde descendentibus et pendentibus a predictis uel aliquo eorum factum tractatum seu ordinatum fuerit debeat attendi compleri et obseruari et firmum haberi et teneri per potestatem et quenlibet magistratum ciuitatis Ianue et districtus et per quenlibet Ianuensem ac si per totum comune et populum Ianue cum omni solempnitate tam iuris quam capitulorum ciuitatis Ianue factum tractatum seu ordinatum esset sub illis penis seu sindicamentis de quibus in presentibus tractatibus seu ordinamentis fiet mencio et quod aliqua dicens uel opponens in contrarium non audiatur uel audiri debeat statuto uel capitulo
c seu ordinamento aliquo condicto uel condendo non obstante quacumque uerborum ligacione generalli uel speciali ligato seu uallato eciam si in eo contineretur aliquo capitulo generalli uel speciali non obstante.

Et quod cum ipsis esse debeat ad tractandum a
et scribendum ea que notanda et scribenda occurrerint unus de canzellariis comunis Ianue, ille uidelicet quem ipsi eligendi per eos ut supra uoluerint.

Et quod debeant habere aliquam cameram siue aliquem secretum locum in uno ex palaciis comunis in quo uel in qua conueniant simul tociens in septimana quociens eis expedire uissum fuerit.

Die uigessima sexta nouembris predicta.

Consilium uiginti quatuor sapientum constitutorum per comune Ianue super regimine quocumque ordine et gubernacione ciuitatis Ianue et super omnibus que pertinent seu pertinere uidentur ad bo- b
num statum ciuitatis riperie et districtus Ianue et in quo interfuerunt dominus abbas populi et uiginti ex dictis xxiiii auditis et intellectis omnibus et singulis supradictis uulgarizatis coram ipsis per supradictum D. Petrum de Hugollinis iurisperitum presentibus pro maiori parte predictis octo superius nominatis et eciam auditis dilligenter hiis que dictus D. Petrus actenus dixit in presencia predicti consilii.

Considerans ipsum conscilium in quantum maxime tangunt comune et mercatores et mercanciam Ianue omnia et singula supradicta et eciam facta Trapesonde Persie et Turchie et tocius maris maioris et illarum parcium et qui D. abbas et omnes predicti uiginti ex dictis xxiiii. concordes fuerunt c
et sunt ellegit et deputat dictum conscilium supradictos octo sapientes ad intendendum tractandum statuendum firmandum ordinandum et deliberandum et faciendum in predictis omnibus et singulis et quolibet predictorum seu connexis prout eis uel maiori parti eorum uidebitur in omnibus et per omnia secundum quod in supradicta scriptura continetur. Statuens ordinans et decernens dictum conscilium ex certa sciencia cum deliberatione solempni ex nunc prout ex tunc ad cautellam et ad omnem cauilationem tollendam quod omnia et singula que per ipsos octo sapientes uel maiorem partem eorum qualitercumque tractata statuta firmata seu deliberata fuerint super predictis et quolibet predictorum et dependentibus seu descendentibus et d
conexis a predictis et quolibet predictorum seu aliquo eorum ualida sint et firma et plenissimam obtineant firmitatem sine eo quod ad aliquod aliud conscilium redducantur. Non obstante et quod in hiis que in predictis uel occaxione predictorum uel alicuius eorum ipsi uel maior pars tractauerint statuerint fecerint firmauerint seu deliberauerint seu in aliquibus uel aliquo eorum non obseruauerint capitula seu statuta comunis Ianue uel quod in hiis uel aliquo eorum fecerint tractauerint seu statuerint contra formam ipsorum capitulorum uel alicuius eorum et ad maiorem huius rei firmitatem dictum consilium dat et concedit dictis octo sapientibus seu maiori parti eorum in omnibus et singulis supradictis omnem potestatem et bayliam plenam quam totum comune Ianue et ipsum consilium habet et ex nunc prout ex tunc ipsum consilium approbat et confirmat omnia et singula que per ipsos octo sapientes uel maiorem partem eorum tractata statuta firmata seu deliberata qualitercumque fuerint super predictis et quolibet predictorum seu dependentium a predictis uel aliquo predictorum.

Statuens ordinans et decernens dictum consilium quod dominus potestas qui nunc est et pro tempore fuerit et eius iudices et quilibet magistratus et officiales Ianue et extra Ianuam presentes et futuri et alie etiam singulares persone debeant et teneantur precise non obstante aliqua allegatione excusatione uel iure que opponerentur contra ea que facta tractata seu ordinata fuerint ut supra per aliquam uel aliquas personas quibus opponentibus uel contradicentibus totaliter denegetur auditus attendere et obseruare et executioni mandare omnia et singula que per ipsos octo seu maiorem partem facta tractata firmata seu ordinata fuerint in predictis omnibus et singulis et quolibet predictorum seu aliquibus eorum sub illis penis et sindicamentis que in ordinamentis ipsorum uel maioris partis continebuntur non obstante aliquo capitulo contractu statuto seu ordinamento condito uel condendo quacumque uerborum ligatione ligato etiamsi in eis uel aliquo eorum contineretur aliquo alio capitulo statuto uel ordinamento non obstante. Et predicta omnia et ea que tractauerint fecerint firmauerint seu ordinauerint dicti octo uel maior pars in predictis seu occaxione predictorum uel alicuius eorum sint abrogatoria et derrogatoria omnibus aliis capitulis statutis et ordinamentis comunis Ianue factis et fiendis.

Baylia officii Gazarie.

Cum facta et negocia maris maioris et Gazarie inter cetera negocia tangant comune et uniuersos et singulos ciues et districtuales comunis Ianue considerantes quod per consilium uiginti quatuor sapientum prouissum fuit in constituendo certos sapientes qui super predictis negociis superesse debeant maris maioris et Gazarie dando et concedendo eisdem largam bayliam et potestatem tractandi et ordinandi super dictis negociis dependentibus et emergentibus ex ipsis prout continetur in actis publicis scriptis in officio dictorum uiginti quatuor ex scriptura publica scripta manu Lanfranchi de Vallario notarii canzellarii comunis Ianue mcccxiii. die xxvi. nouembris. Idcircho pro maiori roboritate et firmitate dicte baylie statuimus et ordinamus quod omnia et singula statuta et ordinata per dictum conscilium xxiiii. sapientum in dando et concedendo et statnendo dictam bayliam et prout continetur in dicta baylia et omnia et singula dicte baylie firma sint et tanquam firma et intacta obseruari debeant et attendi et omnia et singula que

decreta statuta seu ordinata fuerint per dictos sapientes ex uigore et ex potestate dicte baylie et auctoritate presentis capituli firma sint et esse debeant et obseruari per dominum potestatem Ianue et quenlibet magistratum seu rectorem comunis Ianue non obstante quocumque capitulo uel ordinamento comunis Ianue generali uel speciali quocumque ligamine ligato eciamsi in eo contineretur aliquo alio capitulo non obstante. Et que ut supra statuta sunt in personas predictorum octo nominatorum in actis publicis scriptis in officio dictorum uiginti IIII. die predicta XXVI. nouembris locum habeant in successoribus eorum tam presentibus quam futuris. Statuentes et declarantes ad omnem ambiguitatem tollendam quod predicti primi octo potuerunt sibi successores in dicto officio subrogare et *b* presentes qui modo sunt et eciam futuros et qui pro tempore fuerint in ipso oficio posse subrogare sibi ipsis in ipso oficio successores per modum ordinatum per dictos primos octo et de qua ordinacione est scriptura scripta in actis dictorum octo manu Lanfranchi de Vallario notarii hoc anno die decima aprilis. Ad que omnia et singula exequenda teneatur dominus potestas Ianue qui est et pro tempore fuerit ad denunciacionem predictorum sapientum siue maioris partis eorum alioquin sindicetur in libris quingentis ianuynorum.

Die uigesima quinta ianuarii.

Dominus Audinus Lanzauegia iudex et uicarius *c* domini Guadagneschi de Guadagnis de Arecio potestatis Ianue in presencia domini Lanfranchi de Corsio abbatis populi ianuensis ex ordinacione octo constitutorum per comune Ianue super factis maris maioris et Gazarie et Persie et nauigandi ultra Sciciliam rexit conscilium maius et ante sexdecim sapientum ad conscilium more solito uocatorum ad quod uocati fuerunt conestabulli et consules arcium noui et ueteres et in quo fuerunt multi nobilles et popullares in magna quantitate super uerbis que dixit in dicto conscilio dominus Petrus de Ugolinis iurisperitus unus ex octo constitutis super facto nauigandi ultra Sciciliam et super factis maris maioris Gazarie et Persie et nauigandi ultra Sciciliam de uoluntate aliorum septem ex dictis octo et ex *d* ordinacione aliorum octo. Et data partita per dominum abbatem populi ad sedendum et leuandum fuit summa dicti conscilii secundum sentenciam et conscilium domini Conradi de Auria qui consulit quod dicti octo habeant omnem potestatem et bayliam super facto nauigandi quam totum comune habet et quod per ipsos octo uel maiorem partem elligantur quadringenti boni uiri inter nobilles et populares qui iurent de dando per se et totam eorum sequellam et dent dictis octo omnem forciam posse et bailiam et auxilium cum armis et sine armis super omnibus et singulis ad eorum oficium pertinentibus et quod presens consilium iuret de dando forciam et auxilium dictis octo semper ad *a* eorum requisicionem et super omnibus predictis et quod tempus apponatur quantum eorum baylia durare debeat.

Et clericus Cintracus comunis Ianue in ipso consilio in animabus dictorum dominorum uicarii abbatis et consilii et aliorum omnium existencium in dicto conscilio et de uoluntate ipsorum iurauit tactis scripturis ad sancta Dei euangelia quod ipsi semper ad requisitionem dictorum octo dabunt forciam auxilium et fauorem ad complenda et execucioni mandanda omnia et singula que fecerunt et facient ratione officii et eorum que eis sunt comissa.

Addicio baylie officii Gazarie.

Corroborantes et confirmantes ea omnia et singula que facta statuta tractata et ordinata fuerunt circha officium dictorum octo tam per conscilium sapientum uiginti quatuor qui tunc erant quam emendatores capitulorum anni proxime preteriti in capitulo quod est in magno uolumine sub rubrica de obseruacione eorum que facta et ordinata sunt etcet. et incipit « cum facta et negocia maris maioris etc. » Et etiam sapientes qui hinc retro fuerunt in dicto officio quousque in ipso persistent et quicumque alii pro tempore in dicto officio secundum formam tractatus eorum fuerint ordinati habeant et habere debeant in hiis et super hiis omnibus et singulis et circa ea omnia et singula que facienda tractanda statuenda ordinanda declaranda interpretanda corrigenda emendanda seu exequenda occurrerint super factis nauigandi et maris maioris et illarum parcium et eciam tam circha constructiones reparaciones et ordinaciones quorumcumque uassorum nauigabilium et armamentorum et onerum suorum quam circha quecumque descendencia emergencia seu dependencia ab eis seu ab ipsis conexa et in inueniendo et recuperando peccuniam per quemcumque modum eis seu maiori parti eorum uidebitur et inuentam et recuperatam expendendo prout credant conuenire illam potestatem et bayliam quam totum comune habet seu habere posset et quod omnia et singula que per ipsos seu maiorem partem eorum in predictis et circha predicta et quolibet predictorum et in emergentibus dependentibus descendentibus seu connexis facta tractata declarata interpetrata correcta seu emendata fuerint precisse debeant obseruari et execucioni mandari per dominum potestatem comunis Ianue et per quemcumque rectorem seu officialem dicti comunis ac si per totum comune cum obseruacione cuiuscumque capituli de hiis loquentis solempnissime facta essent postquam eidem per ipsos octo seu maiorem partem ipsorum denunciatum fuerit et hoc infra illud tempus de quo in ipsa denunciacione continebitur sub illis penis seu sindicamentis de quibus continetur in tractatibus seu ordinamentis eorum uel in denunciacione predicta non obstante aliquo tractatu capitulo seu ordina-

mento condito uel condendo quacumque uerborum ligacione generali uel speciali ligato eciamsi in eo contineretur aliquo alio capitulo non obstante uel uerba hiis similia et sit presens capitulum omnibus aliis in quibus contrarium in aliquo statuatur quantum ad predicta et quodlibet predictorum abrogatorium et derogatorium ac precissum et pre omnibus aliis antecedentibus uel subsequentibus debeat obseruari.

De ellectione officialium dicti officii.

Millesimo trecentessimo quartodecimo die decima aprilis.

Item tractant statuunt et ordinant quod officium ipsorum octo quantum in personis eorum duret et durare debeat usque ad medium madium proxime uenturum et quod eis in dicto officio succedant infrascripti uidelicet Obertus de Tolomeo Francischus de Francischis Obertus Ferrandus Philipus de Viualdis Nicolaus de Pagana Leo Pillauicinus Murualdus Pellegrinus Benedictus Lomellinus qui acceptare iurare et exercere dictum officium compellantur et compelli debeant et ipsum officium exercere incipiant per se ipsos a dicto medio madio proxime uenturo in antea ipsa die comprehensa sed a die xv presentis mensis aprilis ipsa die non comprehensa in antea morentur cum ipsis octo ueteribus seu cum maiori parte eorum in dicto officio usque ad dictum medium madium adhoc ut ipsi noui facilius instruantur de hiis que agenda fuerint a dicto autem medio madio proxime uenturo in antea supra nominati octo noui siue de nouo ellecti permaneant et durent in dicto officio per menses sex tunc proxime uenturos cum potestate et baylia in omnibus et omnia quam habent presentes octo tam super predictis tractatibus et ordinamentis quam super hiis omnibus et singulis super quibus potestas et baylia octo presencium extenditur et ante finem dictorum sex mensium per mensem elligantur et elligi debeant alii octo per predictos octo cum eadem potestate et baylia qui iurasse (*sic*) debeant ante principium dictorum sex mensium et sic fiat et fieri debeat successiue de sex mensibus in sex menses quousque aliud per conscilium maius et ante extiterit ordinatum et quandocumque aliquem uel aliquos ex presentibus octo uel ex aliis elligendis ut supra defficere uel abesse contigerit iuxta et racionabilli causa dum non absit in fraudem deserendi presens officium alii possint et debeant loco illius et illorum qui deficerent uel abessent elligere et subrogare qui eodem modo compellantur et compelli debeant ut dictum est de ipsis elligendis ut supra.

Quod qui fuerit in ipso officio non possit elligi in eo uel in aliquod aliud usque ad annum.

Item quod quicumque fuerit in ipso officio non possit nec debeat quousque in eo fuerit nec postea usque ad annum compelli uel cogi aliquo modo inuictus ad aliquod officium ordinarium uel extraordinarium per aliquem magistratum ciuitatis Ianue uel districtus nec in eodem possit elligi usque ad annos duos computandos a die qua cessauerit a presenti officio.

Quod dicti officiales elligant sibi ipsis successores in ipso officio.

Item quod dicti octo ellecti de nouo et eciam elligendi successiue teneantur et debeant sibi ipsis elligere pro dicto officio unum ex canzellariis comunis Ianue ad scribendum et notandum ea que scribenda et notanda ocurrerint sed non illum qui modo est in dicto officio et ad ipsum officium suscipiendum et exercendum compellatur et compelli debeat precisse modo simili ut dictum est de ipsis officialibus.

MCCCXIIII. die XXVIIII. aprilis.

Item cum propter condiciones preliorum et sedicionum que fuerunt in ciuitate diebus proxime preteritis predicti officiales officiare nequiuerint prolongant terminos quos ordinauerant hoc eodem anno die decima presentis mensis aprilis ut infra quia ubi in dicto ordinamento prefixerunt terminum usque ad kalendas madii prolongant ipsum terminum usque ad medium madium et ubi prefixerunt terminam usque ad diem quintam decimam aprilis prolongant ipsum terminum usque ad kalendas madii et sic declarant intelligendi et esse debere in ordinamento predicto et in qualibet parte ipsius (1).

Ordo factus super mensuris galearum de Romania et Syria.

In nomine Domini amen MCCCXXXIII. die XXII. ianuarii.

Officium octo sapientum constitutorum per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris uisis et dilligenter examinatis addicionibus correctionibus et emendacionibus ac eciam quibusdam tractatibus nouis factis super mensuris galearum subtilium debencium nauigare in Romaniam et in Syriam et ultra Scicilie insulam et de inde reddire Ianuam. Per dominos.

Sologrus de Nigro
Galuanum Embronum et
Manuelem de Bonauer.

Tres ex illis quatuor deputatis et ordinatis MCCCXXXII. die XXVII iunii per dictos octo seu per maiorem partem ipsorum qui tunc erant in dicto officio ad corrigendum emendandum diminuendum et ad addendum in ipsis mensuris prout eis melius uiderentur et postmodum ad reddducendum coram dictis octo ea que in predictis fecissent et super predictis omnibus et infrascriptis habita dilligenti et ma-

(1) Hic in codice extant quatuor pagellae sine scriptura.

tura deliberacione ac eciam conscilio mercatorum a et patronorum et magistrorum Assie et comitorum ex potestate et baylia eisdem siue maiori parti eorum per comune Ianue concessis et attributis infrascriptos tractatus et statuta et ordinamenta et quelibet et quodlibet eorum et omnia et singula infrascripta coram ipsis lecta et uulgarizzata per me Boniffacium De Uia notarium approbant affirmant statuunt et ordinant prout inferius per omnia continetur attendi fieri et obseruari debere super mensuris dictarum galearum subtillium. Aliis uero tractatibus seu articullis in ipsis tractatibus contentis et de quibus infra fit mencio in suo robore permanentibus. Resecantes pro tempore futuro alios tractatus et ordinamenta quoscumque et quecumque super facto galearum uel nauigandi condi- b tos uel condita preter infrascripta et infrascriptas tenor autem ipsorum talis est.

De mensuris galearum de Romania et Syria.

Et primo incipiunt tractatus facti super mensuris dictarum galearum que armata nauigare debeant ad partes Romanie Syrie et ultra Sciciliam.

Tractant statuunt et ordinant quod galee que nunc fiunt et fieri contingerit de cetero pro nauigando armate ad partes Romanie Syrie et ultra Sciciliam et de dictis locis uersus occidentem et que dicuntur galee subtilles sint et esse debeant de mensuris infrascriptis.

Primo in longitudine de roda in rodam cubitis c siue brachiis quinquaginta quatuor in longitudine per carenam cubitis siue brachiis quadraginta quinque in plano et in altitudine de palmo medio palmis undecim et quarte tres unius palmi.

In altitudine de parmis tribus in medio palmi sexdecim et tertia unius palmi.

In altitudine de palmis sex in medio palmi decem et nouem.

Item alta in medio ad lenciam rectam palmi octo et tercia.

Item aperiat in illo loco palmi uiginti et quarta.

Item de popa uenienda uersus prodam cubitis nouem in altitudine de parmis tribus parmi nouem et dimidia.

Item a cubitis decem et octo in altitudine de d palmis tribus aperiat palmi quindecim.

Item de proda ueniendo uersus popam in altitudine de palmis tribus aperiat palmi nouem et quarta.

Item a cubitis decem et octo in altitudine de palmis tribus aperiat palmi quatuordecim et quarte tres.

Quod quilibet possit facere galeam de minoribus mensuris.

Si tamen aliqua persona uoluerit facere seu fieri facere aliquam galeam subtillem siue de subtillibus minorem de dictis mensuris ipsam fieri faciat et illi duo de quibus infra dicetur prout eis melius uidebitur dummodo non possint ipsam galeam seu supradictas mensuras uel aliquam ex ipsis mensuris accrescere aliquo modo minuere tamen possint ipsam galeam dicti duo siue ipsas mensuras non obstantibus supradictis uel hiis que infra dicentur si fuerit de uoluntate illius uel illorum qui ipsam galeam fieri requisierit seu requisierint que galea sit facta scilicet de supradictis mensuris uel minor prout uissum fuerit dictis duobus licenter nauigare possint armata duci et miti et ultra Sciciliam sine metu alicuius pene dum obseruetur prout infra dicetur.

Quod quilibet ex dictis galeis habeat portam petentarii ut infra.

Et habeat quelibet ex dictis galeis subtilibus portam petentarii a latis decem et septem uersus popam nitidis incipiendo a lata mastra de uersus popam ita quod schandolarium sit et esse debeat usque ad portam dicti petentarii comprehendendo dictam portam.

Et non possit nec debeat dicta porta claudi uel transmutari seu clausa uel transmutata haberi aliquo modo uel ingenio quum semper distet a dicta lata mastra prout supra dictum est alioquin dominus siue patronus ipsius gallee in libris centum ianuynorum condempnetur.

Quod sint duo ad mensurandum dictas galeas.

Item quod sint et esse debeant duo sapientes illi uidelicet qni elligentur seu ellecti fuerint per octo sapientes constitutos super factis nauigandi et maris maioris seu maiorem partem ipsorum seu per maiorem partem eorum qui pro tempore fuerint et durent in eorum officio per tantum tempus per quantum predictis octo seu maiori parti eorum uissum fuerit et habeant pro eorum salario et consistat officium dictorum duorum in hiis que supradicta sunt et infra dicentur.

Quod galee mensurentur in schariis leuatis pontellis.

Item quod galee que fient secundum mensuras supradictas mensurentur existentes adhuc in schariis leuatis tamen pontellis scilicet per illos qui ad predictam mensuracionem deputati fuerint nec uarari possint uel debeant nisi primo patronus prestiterit illam securitatem de libris mille de qua infra dicetur.

Quod pro qualibet galea et ligno maioribus cubitis XXXXVIII *soluantur libre* VI *mensuratoribus.*

Item quod pro qualibet galea et ligno de teriis que et quod fiat de cubitis quadraginta octo et abinde supra de roda in rodam soluantur et solui

debeant mensuratoribus libre sex ianuynorum sicut a
pro aliis lignis soluitur.

De non imponendo galeam nisi intra hos confines.

Item quod aliqua persona cuiuscumque status sexus seu condicionis existat non audeat nec presumat per se nec per alium facere uel construere seu fieri uel construi facere nec eciam imponere seu imponi facere aliquam galeam in aliqua parte seu loco que seu qui sit a capite Albarii usque Coruum seu a Coruo usque a capite Albarii uel a Columbaria de Sancto Andrea de Sexto usque ad Monachum seu a Monacho usque ad Columbariam sub pena librarum mille ianuynorum que pena exigatur et exigi possit et debeat a domino ipsius ga- b
lee uel ab eo qui prefuerit eidem.

Quod aliquis non imponat galeam nisi fecerit ut infra.

Quicumque autem uellit facere uel construere uel imponere uel fieri uel construi uel imponi facere aliquam galeam de subtillibus ac faciat uel fieri faciat in aliqua parte uel loco que uel qui sit a capite Albarii usque ad Columbariam de Sancto Andrea de Sexto et non extra dictos confines sed eam incipere uel imponere uel incipi uel imponi facere non audeat nec presumat nisi primo se presentauerit coram dictis duobus ellectis seu elligendis ut supra uel coram eorum successoribus in ipso c
officio et eis declarauerit quod ipsam galeam imponere facere seu construere uel imponi construi seu fieri facere uult et nisi in scriptis dederit nomen magistri Assie quem uellit esse caput operis ipsius galee ac eciam nomen scribe galee qui debebit esse in uidendo seu scribendo iornatas magistrorum laborancium in ipsa galea et in uetando ipsos magistros et in emendo et preparando ea que necessaria fuerint pro ipsa galea construenda et tunc dare et soluere debeat ille qui dictam galeam fieri facere uoluerit ut supra in bono bancho seu in bona persona de quibus dictum officium sit contentum libras sex ianuynorum pro qualibet galea pro solucione facienda dictis duobus et canzellario dicti officii de eorum sallario de quo infra dicetur a qui- d
bus banco siue persona primo habeat et apportet dictis duobus appodixiam per quam appareat quod soluerit quantitatem predictam ut supra et aliter imponi et incipi fieri seu construi non possit ipsa galea sub pena de qua supra in proximo articullo dictum est. Quibus sic peractis ut supra dictus magister Assie caput operis facto per eum deposito de libris centum ianuynorum secundum quod infra proxime dicetur et habita ab eis duobus licencia licenter nomine dictorum duorum et pro ipsis et ad mandatum eorum imponere laborare et construere et imponi laborari et construi facere possit ipsam galeam secundum tamen mensuras supradictas et secundum quod ipsi duo precipient et disponent et non aliter nec nomine illius qui ipsam galeam fieri facere uoluerit.

Quod aliquis magister Assie non imponat galeam nisi sub infrascripta forma.

Item quod aliquis magister Assie caput operis non audeat nec presumat imponere facere seu construere aliquam galeam nisi primo se presentauerit coram dictis duobus ellectis seu elligendis ut supra uel coram eorum successoribus in ipso officio et nisi ab eis habuerit licenciam seu mandatum imponendi faciendi seu construendi ipsam galeam et nisi primo penes dictos duos seu eorum successores deposuerit libras centum ianuynorum que stent et stare debeant penes ipsos uel in eo loco de quo eis uissum fuerit in deposito sine aliqua excepcione quousque gallea quam incipere uoluerit fuerit perfecta uel perfecta uideatur ipsis duobus seu eorum successoribus sub pena librarum centum ianuynorum.

Quod si magister Assie non obseruauerit tractatus officii cadat ad penam librarum centum ianuynorum.

norum. Quando autem ipsa galea facta fuerit uel eciam antea si dictis duobus uel eorum successoribus uissum fuerit uel si declarauerint ipsum magistrum non obseruasse ea que in presentibus tractatibus continentur dicte libre centum postea in perpetuum ipsi magistro uel alii pro eo restitui non possint nec debeant sed de ipsis fieri debeat prout infra dicetur de aliis penis que ex uigore presencium tractatuum exigentur et ultra hoc magister predictus priuatus sit ipso iure ab officio exercendi artem nauium gallearum et lignorum usque ad quinquenium incipiendo a die declaracionis facte per predictos duos seu eorum successores ita quod si infra dictum quinquenium inuentus fuerit exercere ipsam artem debeat condempnari et compelli ad soluendum libras uiginti quinque ianuynorum pro qualibet uice per dominum potestatem Ianue qui est et pro tempore fuerit et per quemcumque gerentem officium potestatis de quibus libris xxv ianuynorum fiat et fieri debeat prout infra dicetur de aliis penis.

De non laborando in aliqua galea nisi habita apodixia dictorum duorum.

Item quod aliqua persona non audeat nec presumat laborare in aliqua galea quam de nouo imponi fieri uel construi contingat nisi primo magister Assie caput operis ipsius galee habuerit et ostenderit apodixiam dictorum duorum uel eorum successorum in qua contineatur quod dictus magister caput operis obseruauerit ut supra dictum est de dicto deposito et quod licenter in ipsa galea laborari possit et hoc sub pena librarum uiginti quinque ianuynorum pro quolibet et qualibet uice et ultra quod sit priuatus ipso iure ab officio et arte sua usque ad annos duos tunc proxime uenturos

infra quos ipsam artem nullo modo exercere possit uel debeat publice uel priuatim et si contrafacere fuerit inuentus puniatur et exigatur in libris decem ianuynorum pro qualibet uice.

Quod si galea fuerit maior mensuris galearum de Romania sit ipsorum duorum sub forma infrascripta.

Item quod si de cetero contingat aliquam galeam imponi fieri uel construi de nouo a Columbaria usque ad caput Albarii nomine dictorum duorum sapientum ellectorum et elligendorum ut supra facto deposito de quo supra dictum est per illum magistrum caput operis qui prefuerit in ipsa galea facienda et postea dicta galea reperiatur maior b
mensuris supradictis scilicet si imposita fuerit tamquam una de subtillibus et reperiatur maior mensuris supra ordinatis pro galeis subtillibus sit tunc ipsa galea libere dictorum duorum sapientum qui duo sapientes expensas factas pro ipsa galea facienda et quicquid solutum uel expensum fuerit in ipsa galea seu occaxione ipsius satisfacere et restituere teneantur illi ad cuius requisicionem ipsi duo sapientes illam fieri fecerint siue illi qui dixerit ipsis duobus sapientibus se uelle fieri facere dictam galeam et nomen dicti magistri eis dederint quas expensas et auarias restituere eidem teneantur in peccunia numerata statim facta mensuracione per quam appareat ipsam galeam esse maiorem mensuris supradictis secundum quod supra dictum est et c
nichilominus ipsa galea in perpetuum nauigare duci uel mitti non possit si imposita fuerit pro una de subtillibus ad partes Romanie Syrie siue ultra Sciciliam quam mensuracionem facere fieri teneatur dominus potestas Ianue qui nunc est seu pro tempore fuerit et quicumque officium potestatis habuerit ad requisicionem cuiuscumque persone suo officio ac eciam nichilominus ultra predicta teneantur in dicto casu dicti duo sapientes dare et soluere in peccunia numerata illi qui dixerit ipsam galeam fieri debere ut supra dictum est pro singulis libris centum ianuynorum expensis seu solutis in ipsa galea facienda occasione ipsius libras decem et nichilominus dicta galea in qua contrafactum fuerit uel non obseruatum ut supra aliquo tempore d
non possit nec debeat uarari et si quis contrafecerit in predictis uel aliquo predictorum incidat in penam de libris quingentis que ab eo exigantur.

Quod si denunciauerint D. potestati galeam esse maiorem mensuris quod tunc nullam penam incurrant.

Si tamen antequam ipsa galea uarata fuerit in mari manifestatum seu dictum fuerit per dictos duos sapientes uel alterum eorum domino potestati Ianue qui nunc est seu pro tempore fuerit seu tenenti officium potestatis Ianue ipsam galeam maiorem esse in suo statu mensuris supra ordinatis

a nullam penam incurrant propterea predicti duo non obstantibus hiis uel aliquo eorum que continentur in presentibus tractatibus nec eo casu ipsa galea remaneat ipsis duobus sed illi persone restituatur et dimittatur qui ipsam galeam fieri requisiuerit absque eo quod ipsi persone fiat restitutio aliqua expensarum tamen ipsa galea sic maior numquam nauigare duci uel mitti possit uel debeat si facta fuerit pro una de subtillibus in Romaniam uel Syriam uel ultra Sciciliam.

Quod ad officium ipsorum spectent omnia supradicta.

Item quod ad officium dictorum duorum sapientum spectent omnia et singula de quibus supra facta est mencio et que in presentibus tractatibus continentur scilicet quatenus in eis uel aliquo eorum fit mencio de mensuris ipsarum galearum et de construccione earum et quocienscumque aliqua persona coram ipsis duobus sapientibus dixerit se uelle imponere facere uel construere seu imponi fieri uel construi facere aliquam galeam de supradictis mensuris et ipsam galeam requisierit per se fieri teneantur scribere seu scribi facere nomen illius persone et facere sibi dari in scriptis ab ipsa persona nomen illius scribe quem ipsa persona uellit elligere seu habere ut presit ad emendum et parandum ea que necessaria fuerint pro ipsa galea facienda et nomen magistri Assie que ipsa persona uellit esse caput operis dicte galee et postea recepta per eos apodixia ab ipsa persona que uellit dictam galeam fieri facere per quam appareat per ipsam personam factam esse solucionem de predictis libris sex ianuynorum in bono bancho seu persona ut supra dictum est pro sallario dictorum duorum sapientum et canzellarii ut supra dictum est teneantur antequam ad aliud procedant requirere et recipere a dicto magistro Assie qui ab ipsa persona nominatus fuerit ut supra libras centum ianuynorum de quibus ut infra dicetur et ut supra dictum est in presentibus tractatibus.

Quod dicti duo recipiant iuramentum a magistro Assie de faciendo infrascripta.

Item teneantur et debeant dicti duo sapientes recipere iuramentum a dicto magistro Assie de faciendo et fieri faciendo ipsam galeam nomine ipsorum duorum et non nomine alterius persone de mensuris supradictis scilicet in suo statu et de obseruando mandata dictorum duorum ellectorum et elligendorum in dicto officio ac eciam presentes tractatus et de exercendo officium suum bene et legaliter bona fide et sine fraude et illi duo qui huc usque fuerunt in dicto officio et illi qui pro tempore fuerint teneantur et debeant facere racionem quantum ascendit summa librarum sex per eos perceptarum pro qualibet galea et solutis ex ipsis libris sex pro qualibet galea libra una siue

soldis xx dicto canzellario et receptis in se libris a
quinquaginta in anno pro eorum salario scilicet pro quolibet eorum ressiduum reddant illis a quibus dictas libras sex habuerunt per soldum et per libram et finito termino illorum duorum qui nunc sunt in dicto officio simili modo fiat et obseruetur ut supra per eorum successores et si illo tempore quo fuerint in officio non fient tot galee quod ex ipsis libris VI. habeant complementum eorum sallarii solumodo habeant pro qualibet galea que illo anno fiet libras VI. et dictus canzellarius nichilominus habeat dictos soldos uiginti et si ultra eorum salarium habuerint fiat et obseruetur ut supra.

Quod dicti duo teneantur denunciare domino potestati contrafacientes infra terciam diem. b

Et predicta teneantur dicti duo declarare domino potestati et officio dictorum octo et obseruare ut supra infra terciam diem postquam intellexerint contrafactum esse predictis uel alicui predictorum sub pena supradicta.

Et teneantur dicti duo sapientes non dare licenciam alicui de uarando aliquam galeam nisi prius ille qui uoluerit uarari galleam idonee cauerit officio octo sapientum de libris mille pro dicta galea sub pena librarum centum pro quolibet dictorum duorum sapientum et sub pena librarum mille pro quolibet qui fecerit fieri dictam galeam et si ipsam aliter uarari fecerit nisi primo prestitis securitatibus de dictis libris mille ut supra. c

Quod dicti duo faciant iurare scribam galee.

Item teneantur et debeant facere iurare corporaliter tactis scripturis dictum scribam de obseruando eorum mandata et de emendo et parando ad ipsam galeam faciendam bona fide et sine fraude quecumque necessaria fuerint pro ipsa galea facienda expensis propriis illius persone que ipsam galeam facere requisierit.

Quod dicti duo debeant dare licenciam dicto magistro Assie.

Item teneantur et debeant dicti duo sapientes d
obseruare ut supra concedere et dare licenciam dicto magistro Assie quod dictam galeam imponat et faciat et imponi et fieri faciat nomine ipsorum de mensuris predictis in ipso statu expensis tam illius persone que fieri facere uoluerit precipiendo eidem qui ipsam galeam fieri facere uoluerit quod ipsam galeam fieri faciat secundum ordinem et districcione presencium tractatuum et non aliter.

Quod dicti duo teneantur mensurare galeam ad minus semel in ebdomada.

Item teneantur et debeant dicti duo sapientes sepe uidere sepe mensurare uideri seu mensurari facere et inquirere bona fide per omnem uiam per quam melius poterunt et specialiter semel in septimana et quocienscumque eis uidebitur si dicta galea laboratur et construitur de mensuris predictis secundum ordinem presencium tractatuum et facere et curare per aliam uiam de qua eis uissum fuerit quod ipsa galea fiat de dictis mensuris secundum districcionem predictam et non aliter.

Quod dicti duo licencient illam personam que ipsam galeam fieri facere uoluerit.

Item teneantur et debeant dicti duo sapientes licenciare illam personam que ipsam galeam fieri facere uoluerit quando dicta galea mensurabitur si ipsa persona tunc presens fuerit et dictam mensuracionem secrete faceret seu fieri faceret sine licencia uel sciencia illius persone que ipsam requisierit fieri facere.

Quod dicti duo debeant restituere depositum dicto magistro Assie.

Item teneantur et debeant dicti duo sapientes uarata in mari dicta galea et completa secundum formam presencium tractatuum et obseruatis presentibus tractatibus per dictum magistrum Assie caput operis ipsi magistro restituere seu restitui facere supradictas libras centum ianuynorum non tamen possit uarari sine sciencia et mandato dictorum duorum sapientum sed si per ipsum magistrum non fuissent obseruata ea que obseruari debuerint ex forma presencium tractatuum fiat de ipsis libris centum ut supra dictum est et infra dicetur.

Quod dicti duo declarent in scriptis domino potestati personas sibi contrafacientes.

Item teneantur et debeant dicti duo sapientes declarare in scriptis siue in cedulla una illam personam et illas personas de qua et de quibus eis uideatur et credatur quod contrafecerit seu contrafecerint ad ea que continentur in presentibus tractatibus uel non obseruauerit seu non obseruauerint ea que continentur in presentibus tractatibus domino potestati Ianue qui est seu pro tempore fuerit seu illi qui officium potestatis tenuerit declarando in ipsis scriptis seu in ipsa cedula id in quo fuerit contrafactum uel non obseruatum ut continetur in presentibus tractatibus et quantitates et pena que per ipsum dominum potestatem seu tenentem eius officium fuerint exigende.

Quod D. potestas teneatur exequi cedullam infra dies octo.

Qui dominus potestas seu tenens eius officium teneatur et debeat sub debito iuramenti recepta dicta cedulla seu scriptura infra octo dies tunc

proximos omni excepcione cessante et omni apelacione remota ac sublato quolibet impedimento mandare execucioni precisse dictam cedullam seu scripturam et exigere illas penas et quantitates pecunie de quibus continebitur in dicta cedulla seu scriptura ab illa persona seu personis quam seu quas declaratum fuerit in ipsa cedulla seu scriptura contrafecisse uel non obseruasse ut supra et ad axigendas dictas penas et quantitates teneatur ipse D. potestas et quicumque eius officium tenens suo officio et per omnem uiam et modum per quam et per quem melius fieri possint penas multas imponendo et pignora auferendo et distrahy faciendo ac personas et bona capiendo et forestando et aliis quibuscumque modis seu remediis de quibus eis uissum fuerit.

Quod possit subrogare unum si contingeret alium nauigare.

Item quod si contingerit alterum ex dictis duobus sapientibus nauigare seu recedere de Ianua et districtu causa mercandi uel alia iusta et rationabili causa non in fraude deserendi dictum officium uel ipsos ambos infirmitate impediri uel morte defficere possit unus et duo loco illius seu illorum elligi per officium ipsorum octo constitutorum super factis nauigandi et maris maioris si tunc fuerint et si tunc non fuerint uel non essent per octo tractatorum mercancie et hoc tociens quociens opus fuerit qui duo durent in ipso officio usque ad annum unum et plus et minus secundum placitum dictorum sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris uel ut supra tractatorum mercancie ex nunc autem elligunt et ellectos confirmant

Solegrum de Nigro

Petrum Abracinum

alias ellectos per dictum officium dictorum octo qui nunc erant.

Quorum duorum uterque habeat et habere debeat ad rationem in anno libras quinquaginta ianuynorum pro suo sallario de dictis libris sex prius soldis uiginti pro canzellario secundum quod supra ordinatum est soluendis pro qualibet galea facienda de nouo ut supra dictum est et ipsum sallarium habeat uterque dictorum duorum pro rata temporis quod seruiuerit in dicto officio et non aliter et simile salarium habeat et habere debeat quicumque ex casu aliquo subrogatus fuerit in locum alterius eorum ut supra dictum est et semper intelligantur esse quantum ad ipsos tractatus eisdem duobus et qui nunc sunt et pro tempore fuerint.

Quod dicti duo compellantur per D. potestatem ad suscipiendum eorum officium.

Item quod dicti duo sapientes supra nominati et quicumque alius seu alii loco eorum seu alterius eorum ut supra dictum est subrogatus fuerit seu
a subrogati fuerint secundum formam presentium tractatuum compellantur et compelli debeant per dominum potestatem qui est seu pro tempore fuerit et per quemcumque qui officium potestatis tenuerit ad suscipiendum dictum officium quibuscumque modis et remediis poterunt preterquam si excusationem haberent per aliquod capitulum. Qui duo sapientes ellecti ut supra iurent et iurare debeant et iurare compellantur de exercendo dictum officium et ea que comissa eis sint uigore presentium tractatuum bona fide sine fraude et de non excusando se nisi excusationem haberent per aliquod capitulum et de non recedendo a dicto officio seu de ciuitate Ianue et districtu nisi forte nauigare uellent seu uellet de Ianua et districtu recedere causa na-
b uigandi et legacionis uel alia iusta et racionabili causa.

Quod dictis duobus credatur et dicto et assercioni eorum stetur.

Item quod dictis duobus qui nunc sunt et pro tempore fuerint in dicto officio credatur et credi debeat et dicto et assercioni eorum stetur et stari debeat de nomine persone que fieri requisierit aliquam galeam secundum formam presentium tractatuum et de nomine magistri qui ellectus fuerit pro capite operis et de qua persona scribe qui constitutus fuerit per ipsam personam requirentem fieri dictam galleam uel dicto scribe seu dicto magistri
c uel hiis qui laborauerunt in ipsa galea.

Quod potestas et quilibet magistratus Ianue obseruent et faciant obseruari presentes tractatus.

Item quod D. potestas qui nunc est et pro tempore fuerit et quicumque tenuerit officium potestatis per se et iudices suos et eciam quilibet magistratus Ianue et districtus qui de hoc fuerit per officium dictorum octo requisitus teneatur et debeat obseruare et facere obseruari quantum in eo et circha supradictos tractatus et omnia et singula que continentur in eis alioquin possit et debeat sindicari in libris quingentis ianuynorum pro qualibet uice qua contrafactum fuerit.

d Item quod pro qualibet galea grossa uel subtilli antequam nauiget uel ducatur uel mitatur extra Ianuam uel districtum uel de portu Ianue extrahatur prestetur et prestari debeat si prestita non est per patronum ipsius galee uel per illum seu illos qui preerit seu preerunt seu preesse debebit uel debebunt in ipsa galea ydonea seu fideiussoria caucio de libris mille ianuynorum in quam fideiussoriam dentur quinque fideiussores uidelicet quilibet de libris ducentis ianuynorum ita quod pro maiori quantitate nullus recipiatur et prestetur et fiat dicta fideiussoria caucio persone publice recipienti officio publico et nomine et uice comunis Ianue et officii predictorum sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris et nomine et uice tra-

ctatorum mercancie et que fideiussoria caucio approbetur per illos qui ad predicta deputati fuerint et contineatur in ipsa fideiussoria caucione quod patronus siue qui ipsam galeam extraxerit seu extrahere uoluerit de portu Ianue promittat solempniter cum ydonea fideiussione notario publico stipulante et recipiente solempniter ut supra obseruare presentes tractatus et ea que continentur in ipsis et in quolibet eorum et alios tractatus et ordinamenta de quibus infra dicetur et mandata domini potestatis Ianue qui pro tempore fuerit et cuiuslibet qui tenuerit officium potestatis Ianue que caucio finiatur statim cum ipsa galea in portu Ianue reddierit nisi ad ipsam caucionem foret contrafactum et si extra Ianuam uel districtum contra formam supra conprehensam extracta ducta uel missa fuerit incidat et incidisse intelligatur patronus ipsius seu qui pro patrono habitus fuerit in penam librarum mille ianuynorum pro quolibet et qualibet galea in qua seu de qua contrafactum fuerit.

Item quod per presentem tractatum uel per ea que continentur superius non preiudicetur quin pro singulis galeis fiant et prestentur securitates sicut infra continebitur.

Quod pro qualibet galea antequam uaretur caueatur de libris mille.

Item tractant et ordinant quod dicte galee non possint uarari de scario nisi primo patronus cuiuslibet galearum ipsarum cauerit dicto officio dictorum octo de libris mille ianuynorum ut predictum est.

De hiis qui debent esse in qualibet galea de Romania uel Syria.

In nomine Domini amen. MCCCXXX. die XXIIII sept.

Officium octo sapientum constitutorum per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris existente in officio legitimo numero officialium ipsius officii et ipsi officiales concorditer et quorum officialium nomina sunt hec.

Francischus de Gualnerio prior
Lanfrancus Lecauellus
Enricus Lecauellus
Andalo de Sauignonis
Petrus Belmustus
Ingetus de Traui
Gauinus de Camilla.

Visis et dilligenter examinatis tractatibus et statutis nauigandi qui et que actenus locum habuerunt et uisis et dilligenter examinatis addicionibus correctionibus et emendacionibus ac eciam quibusdam tractatibus de nouo factis super galeis subtilibus debentibus nauigare in Romaniam Syriam uel ultra Sciciliam et de Romania Syria et de ultra Sciciliam uersus Ianuam.

a Per dominos Sologrus de Nigro et Georgium de Mari deputatos et ordinatos per dictos octo seu per maiorem partem ipsorum ad uidendum corrigendum et examinandum dictos tractatus et in ipsis addendum et minuendum et postmodum ad redducendum in scriptis ea que in scriptis fecissent coram dictis octo et super predictis habita diligenti et matura deliberacione ex potestate et baylia eisdem octo seu maiori parti eorum per comune Ianue atributa et omni modo iure et forma quibus infrascripta melius ualere possint.

Quod in qualibet galea itura Romaniam uel Syriam sint infrascripta arma et necessaria.

b Tractant statuunt ordinant et declarant quod in qualibet galea de subtillibus que nauigare debeat in Romaniam Syriam uel ultra Sciciliam et de Romania Syria uel de ultra Sciciliam uersus Ianuam sint et esse debeant infrascripta ad minus eundo nauigando et reddeundo et quod omnia et singula infrascripta debeant inuiolabilliter obseruari uidelicet

Comitus unus bonus et sufficiens cum armis suis scilicet coracia de proba collareto de ferro ceruelleria de proba spata bona scuto pauexio curtello de latere et guantis de ferro.

Scriba unus bonus et sufficiens cum armis suis eodem modo ut dictum est de comito.

Nauclerii uero dictarum galearum et cuiuslibet earum et quilibet eorum habeant et habere debeant *c* et teneantur arma infrascripta eorum propria uidelicet cerueleriam bonam collaretum de ferro spatam unam et gradium de latere.

Balistrarii duodecim boni et sufficientes pro qualibet galea quorum balistrariorum duodecim octo sint ex marinariis seu uogeriis dicte galee qui balistrarii octo teneantur et debeant habere et portare secum in diota galea balistram unam de streua bonam et sufficientem pro quolibet cum duabus bonis cordis ultra magistram et crocho et carchassio. Qui octo balistrarii concordari debeant pro balistrariis quamuis sint de numero uogeriorum siue marinariorum et sint boni et sufficientes ad exercendum balistram in cognicione capitanei gallearum et eius conscilii. Qui capitaneus quam cicius comode *d* poterit fieri teneatur et debeat facere inquisicionem de predictis et de predictis relacionem facere dicto officio in redditu galearum in Ianuam si in ipsis reddierit et si in ipsis non reddierit per suas literas sigillatas sigillo suo. Et teneantur et debeant dicti balistrarii octo et alii quatuor de quibus infra dicetur semper de nocte per totam eorum guaytam essendo ad postam siue ad ancollam habere et tenere unam ex dictis balistris in coperta penes ipsos et crochum cinctum et carchassium cum ueretonis uiginti quinque ex illis galee in qua fuerit et patronus dicte gallee teneatur et debeat dictos ueretonos eis assignare. Reliquos uero quatuor balistrarios teneatur et debeat patronus cuiuscumque galee habere bonos et sufficientes qui non tenean-

tur ad aliquod seruicium facere nisi seruicium ba- *a* listre tantum. Qui uero IIII. teneantur guaytare quilibet guaytam suam in modum ut dictum est superius de aliis octo balistrariis et qui balistrarii IIII. et quilibet eorum teneantur et debeant habere balistras duas bonas et sufficientes cum duabus cordis et magistra pro qualibet balistra coraciam unam de media proba ceruelleriam unam de proba collaretum de ferro spatam unam et gradium de latere et teneatur et debeat patronus predictus sic facere quod predicti comitus scriba nauclerii et balistrarii habeant et habere debeant ipsi et quilibet ipsorum eorum arma supradicta sub pena pro quolibet comito scriba nauclerio et balistrario qui non haberet omnia arma predicta ut supra ordinata tam in eundo quam in reddeundo librarum *b* quinque ianuynorum quam penam soluere teneatur et debeat quilibet patronus de suo proprio.

MCCCCXXXXIIII die . . . . .

Emendatum est et additum per officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris quod quilibet patronus gallearum de Romania et Syria et aliarum euncium ultra Scicíliam et Maioricam teneatur et debeat super qualibet gallea ducere decem balistrarios qui non uogent et non minus seu pauciores in modum et cum balistris armis et aliis prout ordinatum est supra de quatuor de quibus supra fit mencio sub pena predicta.

Item uogerii seu marinarii usque ad concurren- *c* tem numerum hominum centum septuaginta sex computatis naucleriis seneschalcho et supradictis balistrariis octo inter quos homines centum septuaginta sex non numerentur nec esse intelligantur supradicti balistrarii IIII. et qui balistrarii quatuor approbentur per dictum capitaneum et si in ipsis reperierit aliquos defectus exigatur a quolibet patrono pro quolibet balistrario deficiente tam in eundo quam in reddeundo libras triginta ianuynorum et de armis et balistris deffícientibus ipsis balistrariis soldos centum pro quolibet balistrario.

Item sint et esse debeant in dictis galeis et qualibet ipsarum in toto uiagio arma infrascripta tam in eundo quam in reddeundo et que arma ponantur et poni debeant in una capsia fienda per dictum *d* patronum infra spacium a compagna senescalchi marinariorum uersus popam ubi uoluerit reseruato semper loco capsie siue bancharii pro armis mercatorum de quo infra dicetur in capitulo de armis mercatorum uidelicet

Coracie centum sexaginta inter quas sint coracie sexaginta de media proba.
Collarii centum sexaginta.
Pauexii centum septuaginta.
Ceruellerie centum septuaginta.
Roncolle ferrate duodecim.
Balistre duodecim bone et sufficientes cum duabus cordis et magistra ultra illas balistras de quibus superius fit mencio.
Crochi boni uiginti.
Fanarii sex.
Stropi dozene tres.
Veretoni boni et soldati duo millia.
Veretoni boni non soldati tria millia.
Marrapichi seu iussarma sex cum manicho de ligno.
Carchasii boni uiginti.
Lanzie bone XXIIII.
Veruii boni dozene VIII.
Reme et terzolli semper ad minus in toto dicto uiagio centum octuaginta quinque.
Rampegolli cum catenis de ferro duo.
Lancie guascuate (*sic*) bone dozene sex.
Bolzonum unum de ferro longum parmis II. ferrum ad minus et asta pro dicto bolzono que maneat semper in corsia.

Et si in aliqua ex dictis galeis defficerent predicta uel aliquod predictorum in toto ipso uiagio scilicet eundo nauigando uel reddeundo patronus seu patroni qui ipsi galee preerint qui contrafecerint incidant et incidisse intelligantur ipso facto in penis infrascriptis tociens quociens contrafactum fuerit uel non fuerit obseruatum tam in eundo quam in reddeundo uidelicet

Pro quolibet homine qui defficeret in lib. XXV.
Pro qualibet coracia in lib. V.
Pro qualibet ceruelleria in lib. I.
Pro quolibet ueretono in sol. I.
Pro quolibet ueruo in sol. V.
Pro qualibet lancia longa seu iussarma in sol. V.
Pro quolibet paueyxe in lib. I.
Pro quolibet collareto in sol. V.
Pro quolibet rampegollo et catena in lib. II.
Pro quolibet remo seu terzollo in sol. XV.
Pro qualibet balistra in lib. V.
Pro qualibet roncolla in sol. V.
Pro quolibet crocho in sol V.
Pro quolibet carchassio in sol. II.
Pro quolibet bolzono in lib. I.
Pro quolibet marrapicho seu iussarma in lib. I.

Et si dicti comitus scriba nauclerii et balistrarii non habuerint in toto uiagio tam in eundo quam in reddeundo arma et ea que superius dicta sunt incidant et incidisse intelligantur in penam librarum quinque ianuynorum pro quolibet et qualibet uice et tociens quociens fuerit contrafactum soluendarum seu retinendarum per patronum de eorum sallario non obstante sed pocius firma existente pena anteposita in patrono pro deffectibus dictorum comiti scribe nauclerii et balistrariorum.

Quod quilibet mercator portet arma sufficiencia pro se et uno seruitore.

Et quilibet mercator ianuensis seu districtualis uel qui pro ianuensi distringatur uel appelletur qui super aliqua ex dictis galeis nauigauerit teneatur et debeat in toto uiagio tam in eundo quam in reddeundo habere et portare secum arma bona et sufficiencia ad complementum pro se et uno ser-

uitore si seruitorem habuerit et ueretonos bonos et a soldatos quinquaginta in uno carchassio. et hoc sub pena librarum decem ianuynorum pro quolibet et qualibet uice in quam penam incidat tociens quociens fuerit contrafactum.

De spaciis debentibus manere expeditis in qualibet ex dictis galeis.

Item teneatur et debeat dictus patronus et quecumque alia persona que preerit ipsi gallee facere et curare quod in ipsa gallea ex quo de portu Ianue uel de aliqua parte riperie recesserit et nauigare inceperint habeant et sint in toto ipso uiagio tam in eundo quam in reddeundo loca expedita et spacia infrascripta et per modum infrascriptum sub b pena librarum quinquaginta ianuynorum pro qualibet uice uidelicet a porta petentarii siue senescalchi uersus popam in schandollario sub bancho uel supra banchum secundum quod dicetur infra in capitulo quod incipit « Item quod aliqne merces panaticha sarcia uel arnisia ».

Item de uersus prodam a lata mastra cui arembatur arbor galee comprehendendo ipsam latam uersus popam liberum et expeditum remanere debeat supra banchum usque ad septimam latam inclusiue et a dicta lata septima uersus popam compillentur ponantur et ordinentur scuta siue pauixii dicte galee ita quod alia ibi poni uel teneri non possint.

Item quod a porta petentarii siue senescalchi c uersus prodam supra banchum sint et esse debeant nitide et expedite late sex que dicuntur esse plathee quinque et ibi reponantur et stent biscotum compagne naucleriorum et alia massaricia minuta necessaria dicte gallee ita quod alia non ponantur nec stent.

Quod in qualibet galea ex subtillibus predictis sint cantaria LXXV. *de biscoto.*

Item habeat et habere debeat quelibet ex ipsis galeis subtillibus que nauigare debuerit infra et ultra dictos confines antequam recedat de Portu Veneris seu de aliquo loco riperiarum Ianue pro usu marinariorum et illorum qui erunt ad soldum d cantaria septuaginta quinque de biscoto ad cantarium Ianue et totidem in reddeundo uersus Ianuam de partibus Romanie seu maris maioris seu de uersus Syriam antequam recedat de Constantinopoli et si aliunde de ultra Sciciliam uenerit seu uenire debuerit antequam recedat de loco in quo honerabitur seu honerata fuerit et ultra quod quando aplicuerit in Neapoli uel in Scicilia teneantur et debeant dicte gallee ultra dicta cantaria emere et habere in dicta gallea tantum biscotum quantum comestum fuerit ex dictis cantariis LXXV. ponendo quod comestum sit ex ipsis cantariis septuaginta quinque cantaria duo et libre quinquaginta in qualibet die et hoc fiat et fieri debeat in presencia et conscien-cia inquisitorum dicte galee sub pena librarum quinquaginta ianuinorum pro quolibet contrafaciente et qualibet uice.

Quod in qualibet ex dictis galeis sit una ueges uel due metretarum duodecim.

Item sit et esse debeat in ipsis galeis et qualibet ipsarum in toto ipso uiagio tam in eundo quam in reddeundo semper quando nauigare debuerit infra et ultra dictos confines a kalendis septembris usque ad kalendas martii ueges siue butis una plena aqua de metretis siue mezarolis duodecim uel due que sint dicte capacitatis dictarum metretarum duodecim et si nauigauerit seu nauigare debuerit a kalendis marcii usque ad kalendas septembris habeat et habere debeat semper butem unam siue uegetem de metretis XII. siue duas dicte capacitatis metretarum duodecim.

Quod quelibet ex dictis galeis habeat tria ferra marchata affixa.

Quoniam per capitulum antiquum in quo cauebatur de incenta (1) gallearum subtillium nauigancium ultra Sciciliam et de ultra Sciciliam ueniencium Ianuam deberet esse semper nitida ab aqua non obseruabatur mens tractatuum factorum super honere galearum nec eciam uerba ipsorum tractatuum et ualde utille sit tam mercatoribus quam patronis quod gallee predicte sint bene abilles ad nauigandum et id quod occulate semper intueri potest facilius noscitur quam quod intrinsecus latet idcircho pro bono publico et tam mercatorum quam patronorum statutum et ordinatum est quod aliqua galea de subtillibus de quibus supra dictum est non nauiget ultra Sciciliam eundo nec de ultra Sciciliam ueniendo uersus Ianuam honerata siue cum honere aliquo quin habeat tria ferra marcata affixa de foris a quolibet latere ipsius galee uidelicet unum in medio aliud ad latam mastram deuersus popam et aliud ad latam iuui deuersus prodam recta linea habendo respectum ad dictum ferrum medium que ferra ipsi galee imposita sint et imponi debeant per duos ordinatos super mensuris galearum et quod ferrum medianum distare debeat a mento subtano trencharini per palmos tres et sextam partem unius palmi de canna. Et quilibet patronus et qui preerit alicui ex dictis galeis solicite curet non habere honeratam ipsam galeam in tantum quod omnia dicta ferra non sint et stent in toto dicto uiagio tam in eundo quam in reddeundo nitida ab aqua ita quod super aquam sint et appareant ferra predicta in toto uiagio.

Saluo et reseruato quod si aliquis patronus uellet galleam suam magis ad popam uel ad prodam possit hoc licenter facere dummodo dictum ferrum

(1) Hanc vocem apud Ducangium non invenies. Videtur idem valere ac *constructio*.

medianum semper stet nitidum ut supra dictum est aliud uero dictorum duorum ferrorum tantum suspendat et distent ab aqua quantum alliud stabit sub aqua in prouissione illorum duorum de quibus infra dicetur.

De non extrahendo de Ianua aliquam galeam quae non sit ferrata et mensurata.

Item non possit nec debeat aliquis patronus ex dictis galeis serpare de portu Ianue seu de aliquo loco riperiarum Ianue nisi prius dicta eius galea sit mensurata et ferrata per mensuratores ordinatos seu ordinandos per dictos octo seu maiorem partem ipsorum qui mensuratores teneantur et debeant dare mensuras de ferraturis cuiuslibet gallee inquisitoribus dicte galee et inquisitores teneantur ipsas accipere et secum portare et cercham facere in locis ordinatis et postea ipsas mensuras consignare oficio mercancie de Peyra et dictum officium reddat et consignet dictas mensuras aliis inquisitoribus ordinandis per ipsum officium de Peyra in redditu dictarum galearum qui inquisitores de Ianua teneantur et debeant facere dilligentem inquisicionem tam de ferris si fuerint ubi debuerint quam de aliis que continentur in presentibus tractatibus uidelicet in recessu Portus Veneris in recessu Messane in aplicacione Peyre et in aliis locis ubi eis uidebitur et eodem modo fiat in recessu de Peyra in recessu Messane et in aplicacione Ianue per inquisitores ordinandos in Peyra in redditu galearum.

De non ponendo in scandollario aliquas merces panaticha uel arnisia.

Item quod alique merces panaticha sarcia uel arnisia gallee poni non possint uel debeant in ipsa galea de subtillibus debente nauigare ultra Scicilliam uel inde reddire a porta petentarii uersus popam siue in ipso scandollario sub bancho uel supra banchum preter aurum argentum cambium perlas coracias marinariorum ceruellerias collaretos balistras et quadrellos cum suo furnimento et allia quecumque arma necessaria pro ipsa galea et arnisia mercatorum preter arma quae in ea portentur uenalia seu tanquam merces sub pena librarum ducentarum ianuynorum pro quolibet patrono seu habito pro patrono cuiuslibet galee in qua contrafactum fuerit et pro qualibet uice et ultra sub pena librarum quinque ianuynorum pro quolibet cantario mercium.

Quod quilibet patronus det in scriptis dicto officio nomina suorum mercatorum.

Et teneatur patronus cuiuslibet ex dictis galleis nauigaturis ultra Sciciliam et de ultra Sciciliam uersus Ianuam et qui ipsi galee preerit antequam cum ipsa galea de portu Ianue uel de aliqua parte riperie recedat dare in scriptis officio octo sapien-
a tum ordinatorum super factis nauigandi et maris maioris omnia nomina mercatorum nauigare debentium in ipso uiagio in sua galea et per officium predictum debeant elligi duo ex dictis mercatoribus quos meliores esse cognouerit qui duo debeant habere curam in toto ipso uiagio uidendi et recognoscendi si ferra dicte gallee de quibus supra dictum est seu infra dicetur stabunt nitida super aquam et si spacia ordinata in ipsa galea erunt et remanserunt expedicta secundum formam presentium tractatuum et eciam si in dicta galea fuerunt arma et alia que in ipsa esse debent ex prouissione presentium tractatuum qui dicti duo mercatores eodem tempore debeant uidere et recognoscere dicta ferra uidelicet unus ipsorum a parte destra et alius
b a sinistra et de predictis teneatur patronus facere fieri inquisicionem per dictos duos in omnibus locis specifficatis in presentibus tractatibus sub pena librarum xx. v. pro quolibet et qualibet uice et ultra teneatur dictus patronus permittere inquirere et facere cercham dictis cerchatoribus ordinatis supradicto modo in quolibet loco in quo dictis cerchatoribus uidebitur et placuerit.

Quod quilibet patronus faciat depositum dicto capitaneo ut infra.

Item quod quilibet patronus dictarum galearum et cuiuslibet ipsarum teneatur et debeat antequam de Ianua recedat seu de districtu deponere penes
c dictum capitaneum florenos auri uigintiquinque et ultra facere depositum de libris quinquaginta ianuynorum in auro petris preciossis perlis uel argento de obseruandis mandatis et ordinacionibus dicti capitanei. Et nichilominus possit dictus capitaneus condempnare omnes et singulos contrafacientes et execucioni mandare secundum bayliam eidem per dictum officium ordinatam.

Quod cerchatores faciant cercham in Portu Veneris.

Et debeant dicti duo de predictis facere specialem cercham et examinacionem in Portu Veneris
d antequam galea inde recedat inquirendo et examinando et uidendo ad occullum ita quod non stent sacramento patroni scribe uel alicuius alterius persone saluo quod de biscoto stare possint sacramento patroni scribe et petentarii si in dicta galea sint ea que esse debent secundum formam presentium tractatuum et si dicta galea est spaciossa secundum quod esse debet et si dicta ferra nitida fuerint super aquam et illud inde faciant in portu Messane et postea in Clarencia uel a Clarencia usque in Peyram ubi eis uidebitur.

Qui duo sub pena eis per dictum officium imponenda scilicet de libris centum ianuynorum pro quolibet teneantur iurare tactis scripturis predicto officio sapientum uel scribe ipsius officii predictum

eorum officium bona fide exercere et facere et ob- a
seruare predicta et infrascripta eis commissa.

Et cum dicti duo aplicuerint in Peyram uel alter ipsorum debeant uel debeat protestari et scribi facere in officio mercancie Peyre expensis patroni ipsius gallee si dicta galea in toto uiagio habuerit ferra nitida super aquam et si in ipsa fuerint et steterint loca expedita sicut debent et si in ipsa galea fuerint uel non fuerint arma et alia que in ipsa galea esse debent secundum formam presencium tractatuum et faciant scribi quenlibet defectum nominatim nichilominus dicti duo sub eorum iuramento et sub dicta pena mitere teneantur dictis octo literas eorum sigillis sigillatas sicut uiderint et inuenerint et si per patronos galearum fuerit obseruatum in totum ut supra an ne et deffe- b
ctus per ordinem.

Quod aliquis patronus non portet aliquem debitorem dicti officii.

Item quod aliquis patronus seu dominus alicuius ex dictis galeis non possit nec debeat portare seu portari facere seu permitere tam in eundo quam in reddeundo in galea sua seu cui preerit aliquem debitorem dicti officii dictorum octo seu aliquem declaratum per dictum officium seu forestatum occaxione ipsius sub pena eius et tocius quantitatis pecunie quam dare deberet dicto officio seu eius quantitatis in qua declaratus seu forestatus esset et hec teneatur inquirere et scire dictus patro- c
nus a dicto officio et de predictis facere dilligentem inquisicionem sub pena supradicta.

Quod quilibet patronus teneatur dare in scriptis officio mercancie Peyre mercatores suos.

Item quod quilibet patronus dicte galee teneatur et debeat in redditu quem Ianuam fecerit exemplum supradicte scripture sumpte de actis dicti officii et signate cum subscripcione et signo scribe seu notarii dicti officii presentare in Ianua officio dictorum octo infra dies octo postquam Ianuam aplicuerit et secundum quod in ipsa scriptura continebitur credatur et intelligatur esse uerum et nisi dicta scriptura dicto officio presentabitur non re- d
stituatur ipsi patrono depositum per eum factum pro obseruacione presencium tractatuum quod exemplum si non presentauerit infra dictum tempus dicto officio intelligatur et presumatur ipsum patronum non obseruasse presentes tractatus.

In redditu uero quem dicta galea facere uoluerit Ianuam curet patronus ipsius dare in scriptis officio mercanciae Peyre omnia nomina mercatorum tunc uenturorum in sua gallea quod officium et officiales ipsius sub pena librarum centum elligere debeant et teneantur ex ipsis mercatoribus duos meliores et sufficienciores quos cognouerint qui habeant curam omnium supra et infrascriptorum in toto ipso uiagio. Qui duo sic ellecti iurent tactis scripturis coram ipso officio sub pena librarum centum pro quolibet ipsorum facere predictum eorum officium bona fide et sine fraude et facere cercham et examinacionem de predictis que pertinent ad ipsorum officium quando dicta gallea cum omni suo honere et furnimento parata ad nauigandum serpari debent et postea in alio loco uel locis ubi eis uidebitur et quando fuerit in portu Messane similiter faciat dictam cercham et quilibet ex dictis patronis teneatur et debeat facere fieri cercham de predictis contentis in dicto capitulo dictis cerchatoribus antequam gallea transeat portum de Constantinopoli Messanam et ubicumque uidebitur ipsis cerchatoribus.

Quod cerchatores faciant scribi defectus in ipso.

Et teneantur dicti duo postquam Ianuam aplicuerint de dicto uiagio uel alter ipsorum infra octo dies se presentare coram dicto officio et refferre sapientibus ipsius officii et scribi facere in actis dicti officii defectus omnes quos inuenerint dictam galleam habuisse in toto dicto uiagio super comissis cure et prouidencie ipsorum duorum sub pena librarum centum ianuynorum pro quolibet ipsorum et circha predicta credatur et plena fides adhibeatur dicto et rellacioni ipsorum duorum uel illius ex ipsis qui Ianuam ueniret si alius forte tunc Ianuam de dicto uiagio non ueniret.

Et si dicti duo uenerint seu declarauerint per publicam scripturam uel per literas eorum uel per assercionem ipsorum quod per ipsum patronum seu per illum qui in ipsa gallea prefuerit non fuerint obseruata ea quae obseruari debuerunt secundum formam supra et infra speciffìcatam incidat et incidisse intelligatur ipso iure in penas appositas in suis casibus seu articullis per tractatus presentes.

Quod si cerchatores contrafecerint incidant in penas ut supra.

Et si dicti duo officium non fecerint sicut supra dictum est ipsi duo uel ille ex eis qui ut supra non fecerint incidant et incidat in illam penam ac penas in quas ipse patronus et dicti mercatores si per eos denunciati essent reperirentur incidisse seu quam et quas reperti fuerint per dictos octo constitutos super factis nauigandi et maris maioris qui erunt pro tempore incidisse ipse patronus uel aliquis de ipsis mercatoribus uel aliis qui fuerint super ipsa galea.

De deposito librarum cc *ianuynorum fiendo per patronum.*

Et ut patroni gallearum timidiores sint et melius obseruent ea que obseruari debent secundum formam presencium tractatuum teneantur et debeant sub pena librarum mille ianuynorum pro quolibet antequam gallea in qua iturus est in uiagium re-

cedat de portu Ianue uel de aliqua parte riperie Ianue facere depositum de libris ducentis ianuynorum in bono et sufficienti bancho seu in bona et sufficienti persona de qua dictum officium dictorum octo sit contentum et que libre ducente scribantur pure sine aliqua condicione uel excepcione dicto officio cum apodixia scripta manu dicti bancherii seu persone. Ita quod dicte libre cc. sint et esse intelligantur dicti officii dictorum octo et de ipsis facere possit dictum officium quod est seu pro tempore fuerit ad eius uoluntatem. a

Teneatur tamen dictum officium et officiales ipsius sub debito iuramenti si per dictum patronum obseruata fuerint in toto uiagio tam in eundo quam in reddeundo omnia que obseruari debent secundum formam presentium tractatuum restituere eidem patrono in toto depositum predictum. b

De nauigando cum ferris nitidis ab aqua cum galeis de Romania.

Et si aliquis patronus uel patroni alicuius galee non nauigauerit totum uiagium tam in eundo quam in reddeundo cum ferris nitidis ab aqua totum dictum depositum librarum ducentarum exigatur et exigi debeat per dictos octo et si nauigauerit in eundo et reddeundo cum ferris nitidis et non habuerit per totum uiagium omnia alia spacia superius ordinata exigantur a dicto patrono de dicto deposito libre centum eciam si solum in uno spacio uel in pluribus peccauerit et si in aliquo alio contrafieret seu obseruatum non esset per ipsum patronum seu ipsos condempnetur et condempnari debeat et exigi cum effectu modo supradicto non obstantibus aliquibus. c

De retinendo ex dicto deposito si contrafecerit in spaciis.

Et si deffectus aliquis alius fuisset in aliis retineatur ex dicto deposito tanta quantitas quantam ascenderent pene apposite propter talles deffectus per prefactos tractatus reliquum dicti depositi restituatur ipsi patrono.

Quod depositum stet ad risicum patroni. d

Et semper stet et sit dictum depositum in dicto bancho seu in predictis personis risicho et fortuna ipsius patroni.

mcccxxxxi. die vi septembris.

Emendatum est per officium in quo interfuit sufficiens numerus quod patronus intelligatur incidisse in dictam penam librarum ducentarum ianuynorum tociens quociens honerauerit et exhonerauerit ipso patrono seu eius galea non nauigantibus nitida a ferris.

De non uendendo aliquam galeam uel lignum de teriis alicui extraneo.

Item quod aliquis ciuis Ianue uel districtualis uel qui pro ciue uel districtuali habeatur dicatur uel reputetur non audeat nec presumat uendere uel aliquo titulo alienare uel aliquo modo transferre per se uel interpositam personam in aliquam extraneam personam corpus collegium uel uniuersitatem aliquam galeam uel aliquod lignum de teriis nisi habita licencia ab octo sapientibus constitutis super factis nauigandi et maris maioris seu maiori parte ipsorum si tunc fuerint et si tunc non fuerint ab octo tractatoribus mercancie seu maiori parte uel ab illis qui ad predictam licenciam concedendam deputarentur sub pena librarum quingentarum ianuynorum pro quolibet et qualibet uice.

Quod aliqua galea non nauiget solla ad partes Romanie uel Syrie uel ultra Maioricam.

Item quod aliquis ianuensis uel districtualis Ianue uel qui pro ianuensi distinguatur seu appelletur non audeat nec presumat per se uel interpositam personam ducere uel mitere ad nauigandum unam de dictis galeis subtilibus solam cum mercibus uel sine mercibus de portu Ianue nec de aliqua parte uel loco que uel qui sit a Coruo usque Monachum nec etiam de aliquo alio loco qui sit circha Sciciliam nec in ea nauigare ad partes Romanie uel Syrie uel aliquem alium locum qui sit ultra Sciciliam seu qui sit ultra Maioricam uersus occidentem sed sint et esse debeant galee due ad minus armate ut supra dictum est tam in eundo ultra dictam insulam Maiorice uersus occidentem quam in redeundo de aliquo loco qui sit ultra dictam insulam Sciciliae siue ultra insulam predictam Maiorice sub pena librarum quingentarum ianuynorum pro qualibet galea et qualibet uice qua contrafactum fuerit quam penam soluere debeat patronus seu qui pro patrono habitus fuerit uel eius fideiussores et sub pena librarum centum ianuynorum pro quolibet mercatore qui super ipsa sola galea contra predicta nauigauerit.

Et non possit nec debeat una separare ab alia siue ab aliis ultra unum meliare nisi casus in hoc euenerit.

Possit tamen licenter inter mare maius una galea de subtilibus sola de Constantinopoli uel Peyra ire et in Constantinopolim uel Peyram reddire sine metu alicuius pene obseruando in aliis ut supra dictum est et infra dicetur.

Saluo quod si aliqua ex dictis galeis subtilibus uelet de Constantinopoli uel Peyra ire in mare maius et ibidem esset aliqua galea subtilis una uel plures que similiter illuc uelent proficisci teneatur galea illa et alias expectare per duos dies et insimul ire ut supra usque ad eum locum ad quem insimul ire poterunt.

Et si forte galea illa uel ille que expectata uel

expectate fuerint non fuerint expedite infra duos dies predictos teneatur dare et soluere illi que ipsam expectauerit pro dampno et expensis dictorum duorum dierum libras quinquaginta ianuynorum et licenter possit recedere sine metu alicuius pene. Ita tamen quod si fuerint due galee que ire uoluerint in mare maius possint sine eo quod alias expectare teneantur intrare in mare maius.

Qui dicti duo dies incipient currere postquam fuerit denunciatum per patronum illius galee que parata erit in suum iter proficisci.

Et eodem modo obseruetur si de aliquibus partibus maris maioris uenire uellent in Peyram seu Constantinopolim seu uersus Peyram seu Constantinopolim et e conuerso de Romania hoc est de Constantinopoli siue Peyra uersus Ianuam siue uersus occidentem sed ueniendo sint et esse debeant ad minus galee due armate sub dictis penis.

Quod potestas ianuensis teneatur accipere a patronis galearum securitates de libris mille et prohibere ne aliqua galea nauiget solla uersus occidentem.

Potestas tamen ianuensium in imperio Romanie conuersancium uel eius locum tenens teneatur et debeat recipere ydoneam securitatem a quolibet patrono cuiuslibet galee subtillis que extra Ianuam honerata fuisset in redditu quem facere debebit antequam de Constantinopoli siue Peyra recedat de libris mille ianuynorum de obseruando ut supra et etiam prohibeat et prohibere teneatur et debeat suo posse ne aliqua galea solla de subtillibus inde recedat pro ueniendo uersus occidentem a Constantinopoli autem siue a Bucha Avei uersus Ciprum seu uersus Armaniam et uersus partes illas possit una gallea de subtillibus solla nauigare et inde recedere licenter et sine pena dummodo in aliis obseruetur que supra dicta sunt et infra dicentur.

Quod scribe galearum teneantur dare in scriptis nomina et prenomina habencium partem in ipsa galea.

Et ad euitandas fraudes que consueuerunt fieri in honerando galeas subtilles nauigantes ultra Siciliam uel grossas nauigantes ad partes Frandrie ultra id quod in eis potest immitti et uehy secundum formam presentium tractatuum teneatur et debeat quilibet patronus cuiuslibet ex ipsis galleis qui expediet seu expedire uoluerit aliquam de dictis galleis in Ianuam et quilibet scriba et subscriba ipsius gallee qui super ea nauigare debuerit in ipso uiagio iurare ad sancta Dei euangelia tangendo corporaliter scripturas in presencia octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris qui tunc fuerint seu maioris partis seu scribe ipsius officii uel si tunc non essent in presencia octo tractatorum mercancie seu illius uel illorum qui super expedicione galearum constitutus uel constituti fuerint actendere et obseruare et attendi et obseruari facere quantum in quolibet eorum sint eciam que dicta sunt et dicentur infra de honere dictarum galearum in presentibus tractatibus et dare in scriptis et dent et dare debeant seu aliquis eorum det illis officialibus qui constituti fuerint super expedicione ipsarum galearum seu super securitatum suarum uel eorum notario nomina et prenomina omnium et singulorum habencium partem in ipsa galea qui nauigare debuerint super ea in dicto uiagio qui omnes antequam expediatur ipsa galea iddem iuramentum prestent et prestare debeant nec possit nec debeat scriba uel subscriba aliquis alicuius de predictis portari uel nauigari nec de officio scribanie uel subscribanie se intromittere nec eius scripturis fides adhibeatur nec adhiberi debeat in fauorem patroni nisi ut supra iurauerit.

Quod galee de Romania nauigent insimul in conseruaticho.

Item quod omnes gallee de subtillibus que nauigare debebunt uersus partes Romanie in quibuscumque passagiis nauigent et nauigare debeant insimul in conserua et cum capitaneo in eis et super eis elligendo ut infra dicetur usque in Constantinopolim seu Peyram nec aliqua uel alique ipsarum recedat uel recedant ab aliis nec sine aliis nauigent nisi secundum mandatum et ordinationes dicti capitanei sub pena librarum mille ianuynorum pro qualibet galea de qua contrafieret aufferenda a patrono ipsius seu ab eo qui pro patrono habitus fuerit et ab eius fideiussoribus.

Quod galee iture uersus Cyprum nauigent in conseruaticho cum illis de Romania.

Et omnes gallee de subtillibus iture uersus partes Cypri uel ultra mare nauigare debeant et nauigent cum galleis de subtillibus de Romania si que tunc ad partes Romanie nauigare debebunt et in conseruaticho earum nec ab eis recedant quousque uenerint in contrata maruasie et sub eodem capitaneo sint sub pena ut supra proxime comprehensa.

De capitaneo et scriba elligendis.

Ellectio capitanei fiat et fieri debeat in hunc modum quia antequam ipse gallee subtilles recedant de portu Ianue octo qui pro tempore fuerint super factis nauigandi et maris maioris seu maior pars ipsorum si tunc fuerint et si non fuerint tractatores mercancie qui erunt teneantur et debeant elligere et ordinare ex illis qui nauigare debebunt super ipsis galleis unum bonum et ydoneum capitaneum et ipsam ellectionem presentent conscilio duodecim sapientum constitutorum super negociis comunis Ianue qui ipsam sine alia examinacione approbent et confirment si dictis octo uel maiori parti ipsorum uidebitur. Qui capitaneus sic ellectus ut

supra presit predictis omnibus galleis et omnibus *a* et singulis hominibus nauigantibus super eis et super qualibet earum cum plena baylia et potestate de mero et mixto imperio postquam de portu Darsino recesserint usque in Peyram uel Constantinopolim in eundo tantum.

Quod capitaneus vadat et veniat in galeis.

Item quod dicte gallee habeant et habere debeant dictum capitaneum qui uadat et ueniat in dictis galleis qui dictus capitaneus et eius scriba qui sit de collegio notariorum Ianue elligantur et eligi debeant et nominari per dictum officium Gazarie et quod dictus dominus capitaneus habeat et habere debeat domicellos duos et unum choquum trombatores duo et unum nacharatum et quod dictus dominus capitaneus et eius scriba approbentur et approbari debeant per dominum ducem et eius conscilium qui capitaneus teneatur et debeat habere predictos cum eo in eundo et reddeundo sub pena librarum xxv ianuynorum pro quolibet homine predictorum. *b*

De sallario capitanei et scribe librarum ccc.

Item quod dictus dominus capitaneus habeat et habere debeat pro suo sallario scribe domicellorum cochi trombatorum nacharati et expensis fiendis in toto capitaneatu tam in eundo quam in reddeundo pro se et scriba et domicellis et cocho libras trecentas ianuynorum de quibus libris trecentis ianuynorum dictus dominus capitaneus predictis teneatur facere expensas. *c*

Item quod dictus scriba dicti domini capitanei habeat et habere debeat pro eius sallario ab ipso domino capitaneo libras quinquaginta ianuynorum ex quibus libris quinquaginta ianuynorum se debeat uestire cum dicto domino capitaneo de una ueste eiusdem colloris et ualloris.

Quod patroni dictarum galearum dare debeant dictas libras trecentas.

Item quod patroni dictarum galearum teneantur dicto domino capitaneo et debeant dare dictas libras trecentas ianuynorum. *d*

Quod capitaneus habeat IIII. *consiliarios.*

Item quod dictus D. capitaneus habeat et habere debeat consciliarios IIII quos consulere debeat elligendos in ciuitate Ianue per officium Gazarie in eundo et in Peyram. In reddeundo elligendos per officium mercancie Peyre et in Tana per officium mercancie Tane et in Trapesonda per conscilium dominorum uiginti quatuor Trapesonde. Et ipsos consciliarios teneatur et debeat requirere a predictis officiis sub pena librarum ducentarum ianuynorum.

Quod patroni galearum predictarum portent banderiam ad armam domini capitanei.

Item quod quilibet patronus teneatur et debeat portare publice super bandam in sua gallea unam banderiam ad arma dicti D. capitanei in quibuslibet passagiis Romanie sub pena librarum decem ianuynorum pro quolibet et qualibet uice expensis propriis ipsorum patronorum.

De elligendo capitaneum iturum in Tanam.

Item quod dictus D. capitaneus teneatur et debeat postquam fuerit in Peyra elligere et nominare cum suis IIII consiliariis ad eundum in Tana super galleis ituris in Tanam pro capitaneo unum quem crediderit utilliorem esse cum illa potestate et baylia de qua uidebitur domino capitaneo predicto et dictis suis IIII consciliariis et habeat et habere debeat cum eo quatuor consciliarios meliores quos crediderit in dictis galleis ut supra dictum de domino capitaneo primo elligendo.

Quod baylia dicti domini capitanei duret usque ad aduentum dictarum galearum in Ianua.

Item quod baylia dicti domini capitanei elligendi ut supra per officium Gazarie duret solummodo et durare debeat usque ad aduentum dictarum galearum in Ianua.

De iuramento capitanei et eius scribe.

Item quod dominus capitaneus et eius scriba teneantur et debeant iurare ad sancta Dei euangelia tactis corporaliter scripturis coram dicto officio Gazarie de eorum officium bene et legaliter exercendo et de obseruando et obseruari faciendo tractatus et ordinamenta eidem D. Capitaneo danda et ordinanda in scriptis sub pena et penis librarum mille pro capitaneo et pro scriba librarum centum.

Item quod non possit nec debeat elligi nec esse capitaneus dictarum galearum nec hominum aliquis patronus uel particeps alicuius ex dictis galeis sed potestas pro comuni Ianue in imperio romanie constitutus possit et debeat esse capitaneus non obstante quod partem haberet in aliqua ex dictis galeis et ut supra dictum est de potestate quod sit capitaneus non habeat locum quando per comune Ianue et expensis comunis mitentur capitanei in dictis galeis.

Quod capitaneus teneatur uidere occulata fide.

Qui capitaneus quomodocumque ellectus teneatur et debeat suo iuramento occulata fide uidere et inquirere si ea que dicta sunt superius de balistrariis fuerint in omnibus obseruata et quod dictos balistrarios uideat tendere et trare faciat cum balistris suis et predicta fiant in Portu Veneris si fieri po-

terint et si fieri non poterunt fiant in primo loco a
ubi postea accipiatur de die et defectus quos in-
uenerit in predictis teneatur et debeat dictus ca-
pitaneus nottificare et publicare dictis inquisitori-
bus illius seu illarum gallearum in qua seu in qui-
bus erunt dicti balistrarii in quibus deffectus in-
uenerit et dictis inquisitoribus precipere sub eorum
iuramento et pena in eis commissa quod predictos
deffectus et omnes alios quos inuenerint nottificent
dicto officio dictorum octo.

Et ut supra dictum est fiat et fieri debeat in quolibet passagio gallearum subtillium et tam in eundo quam in reddeundo.

Item teneantur dicti duo eorum iuramento eorum officium bene et legaliter exercere secundum formam tractatuum dicti officii. b

Ad que omnia et singula supradicta teneatur quilibet patronus sub pena securitatum prestitarum seu prestandarum per ipsum dicto officio et ad predicta dicte securitates teneantur in omnibus et per omnia.

De non accipiendo naulum de mercibus aleyatis seu prohicitis.

Item quod aliquis patronus alicuius gallee uel ligni non possit nec debeat modo aliquo accipere uel accipi facere per se uel interpositam personam aliquod naulum uel pagamentum de aliqua mercancia seu mercimonia cuiuscumque generis uel modi uel nominis appelletur quam ipse alleiet seu c
exoneret uel aleiari uel exonerari faceret de sua gallea seu ligno de quo uel de qua esset patronus seu dominus dum ipse res seu merces honerate essent in ipsa sua gallea seu que exonerarentur seu exoneraretur ex ipsa gallea a mercatoribus ipsius gallee uel habentibus raubam in ipsa gallea seu ligno nec ab aliqua alia persona pro aliquo ipsorum mercatorum sub pena de duobus tria eius quod ipse patronus uel alius pro eo acciperet seu accepisset occaxione dicte raube ad que omnia et singula sit et esse intelligatur obligatus depositus factus officio Gazarie et securitates prestite per ipsum patronum ipsi officio Gazarie saluo quod si aliquis mercator sponte et ex sua libera uoluntate uellet exonerare seu exonerari facere de dicta d
gallea seu ligno raubam siue merces seu mercimonia ipsius ille tallis mercator possit soluere naulum de sua rauba sane tamen intellecto quod patronus dicte gallee nec ipse mercator possit accipere aliquod pagamentum seu restolacionem aliquam ab aliis mercatoribus pro dicta exoneracione quam dicta de causa fecisset sub pena pro dicto patrono et mercatore qui accepisset uel capi fecisset per se uel interpositam personam aliquod pagamentum pro dicta exoneratione facta ut supra eius et tocius quod reperiretur accepisse ab aliquo dicta occaxione.

Quod galee iture Cyprum faciant suos cerchatores.

Item quod galee que ibunt ad partes Syrie et Cypri teneantur et debeant elligere duos mercatores qui sint cerchatores eo modo et forma quo et qua continetur in capitulo de galeis de Romania. Et teneatur dominus potestas Cypri uel eius locum tenens cum suis sex consciliariis in redditu quem ipse gallee fecerint Ianuam uel ad partes occidentis seruare formam contentam in capitulo de galleis de Romania et sub dicta pena.

Quod qui non contribuit ad compagnam non comedat ad mensam mercatorum.

Item quod aliqua persona que non sit mercator et que non contribuat ad compagnam mercatorum sicut alii mercatores non possit modo aliquo comedere ad mensam mercatorum nisi primo soluat ipse seu alius pro eo ad compagnam sicut alii mercatores soluerint possit tamen comedere ad dictam mensam patronus ipso soluente partem suam compagne sicut singula mercatores et similiter scriba ipso soluente medium scotum et comitus et subcomitus absque eo quod soluant aliquod schotum subscriba uero possit comedere ad secundam mensam cum seruitoribus absque schoto et si quis alius seu alii quam dicti comederent ad dictam mensam teneatur patronus soluere pro ipso seu ipsis sub pena librarum decem ianuynorum pro quolibet comedente et qualibet uice exigendarum per dictum patronum a patrono seu patronis.

Quod aliquis mercator non possit tenere ad mensam mercatorum ultra seruitores duos

Item quod aliquis mercator seu aliqua alia persona non possit nec debeat habere seu tenere ad mensam seu expensis mercatorum ultra seruitores duos et si ab inde supra habuerit et ipsos tenuerit ad comedendum expensis mercatorum soluat et soluere teneatur ille qui dictos seruitores habuerit a duobus supra terciam partem schoti unius mercatoris pro quolibet seruitore quem habuerit a duobus supra.

In nomine Domini amen.
MCCCXXXIIII. die XXV octobris.

Officium octo sapientum constitutorum per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris existente in ipso officio legitimo numero officialium ipsius officii et ipsi officiales concorditer uolentes prouidere bono et utillitati ciuitatis et comunis Ianue ac eciam mercatorum et patronorum gallearum iturarum hinc antea Deo dante ad partes Romanie et Cypri et ultra Siciliam habito coloquio et conscilio cum multis mercatoribus et aliis bonis uiris dicte ciuitatis ex potestate et baylia eisdem per dictum comune atributa et omni modo iure

et forma quibus infrascripta melius uallere possint a tractant statuunt ordinant et declarant ut infra uidelicet quod aliqua persona de ciuitate Ianue uel districtu seu que pro Ianuensi distringatur seu appelletur seu gaudeat aliquo beneficio priuillegio conuencione seu immunitate ciuitatis seu comunis Ianue cuiuscumque condicionis existat et ubicumque habitet non audeat uel presumat mitere ducere mitti seu duci facere aliquam galleam seu aliquas galleas de subtillibus ad mensuras per dictum officium ordinatas seu ordinandas ad partes Romanie Cypri seu ultra Siciliam nisi per duo passagia tantum siue bis in unoquoque anno uidelicet in unum passagium incipiendum a kalendis februarii usque ad kalendas marcii eiusdem millesimi et aliud passagium incipiendum a medio mense augusti usque b ad medium mensem septembris eiusdem millesimi. Et hoc sub pena librarum mille ianuynorum pro quolibet patrono domino seu ductore cuiuslibet gallee et qualibet uice.

MCCCXXXV. die X ianuarii.

Additum est in presenti tractatu et intelligatur quod dicte gallee serpentur et serpari debeant de Ianua et districtu uidelicet ille de passagio februarii infra kalendas marcii et ille de passagio septembris infra dies quindecim septembris.

De non ueniendo contra ordinamenta officii.

Item quod aliqui mercatores comiti subcomiti scribe subscribe nauclerii marinarii uogerii stipendiarii seu alique alie persone cuiuscumque condicionis existant non audeant uel presumant modo aliquo qui dici uel excogitari possit ire nauigare mitere seu mitti facere portare seu portari facere in aliqua ex galleis que contra formam presentis et aliorum tractatuum dicti officii nauigauerit aliquas merces seu mercancias, seu mercimonia seu aliquas alias res quocumque nomine appellentur sub pena librarum ducentarum pro quolibet mercatore et librarum quinquaginta pro quolibet comito et pro quolibet subcomito et pro quolibet scriba et subscriba et librarum decem pro quolibet nauclerio et librarum quinque pro quolibet marinario uogerio seu alio stipendiario seu aliqua alia persona.

Quod mercator possit portare capsonum unum.

Item quod in dictis galleis possit portari per mercatores capsonum unum pro armis in quo possint stare duo paria armorum cum capelleto.

De portando uella tria cotonina in galeis de Romania.

Item quod omnes et singuli patroni domini seu ductores dictarum gallearum et cuiuslibet ipsarum teneantur et debeant portare seu portari facere in dictis galleis et qualibet ipsarum in passagio incipiendo in medio mense augusti uella tria de cotono ad minus bona et sufficiencia uidelicet artimonum terzarollum et papafigum uidelicet papafigum de goa (1) XXXII in XXXV.

De capsia armorum.

Item quod capsia pro armis possit fieri deuersus bandam drictam prope portam fogoni amutata dicte gallee.

Deuetum rerum et mercium subtillium.

Millesimo trecentesimo trigesimo nono die quinta nouembris.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus ipsorum officialium nomina quorum sunt hec.

D. Meliado Gentillis prior
D. Belengerius de Gualterio
D. Philipus de Sauignonis
D. Octauianus Grillus
D. Symon de Pomario
D. Enricus Bonuini
D. Leo de Vezano.

De mandato beneplacito et uoluntate magnifici c et potentis uiri domini Symonis Buchanigre Dei gratia Ianue ducis et populi deffensoris pro bono et utillitate ciuium et mercatorum Ianue tractauit statuit ordinauit et prohibuit ut infra.

Primo quod aliquis ianuensis seu qui pro ianuense distringatur uel appelletur non possit nec debeat de aliquo loco uel terra parcium occidentalium uidelicet a Barcellona eundo per staeriam (2) usque ad Partiuento de Calabria ipsis locis comprehensis ac eciam comprehensis insulis Scicilie Maioricarum et Euize et omnibus aliis insulis et locis existentibus a dictis insulis Maioricarum Euize uel altera earum usque ad insulam Scicilie ad partes Romanie seu maris maioris uel e conuerso de dictis partibus Romanie uel maris maioris ad aliquam terram d uel locum dictarum parcium occidentalium mitere uel portare uel portari facere super aliqua cocha tarida naue seu ligno seu aliquo alio uasse nauigabilli res aliquas uel merces ex mercibus infrascriptis uel hiis simillibus in uallore eundo ad dictas partes Romanie uidelicet tellis preter canabacys cendatis stamignis pelliparia allcuius maneriei saffrano ambra corallo pannis francigenis uel lombardischis nisi forte dicti panni essent precii librarum decem ianuynorum uel ab inde infra pro qualibet pecia et pannis aliis quibuscumque ultramontanis nisi essent dicti panni precii uel minoris et ueniendo de dictis partibus Romanie ad dictas par-

(1) V. Ducangium.
(2) Sic in codice lege sturium.

tes occidentalles aliquas res uel merces ex merci- a
bus infrascriptis uel hiis simillibus in uallore ui-
delicet speciebus cuiuscumque maneriei bochayranis
bochasinis seta cuiuscumque maneriey pannis de
auro uel de seta uel mixtim de auro et de seta
cendatis uariis ermerinis leticiis brazille lacha en-
dicho incenso preterquam in galeis et super galeis
armatis et que ordinate fuerint per dictum officium
dictorum octo ad eundum ad dictas partes Romanie
et quod non possit nec debeat de aliqua terra uel
loco parcium Syrie uidelicet a Rodo usque ad Lay-
tuum (*sic*) ipsis locis comprehensis et eciam com-
prehensa tota insula Cypri ad aliquem locum uel
terram dictarum parcium Romanie mitere uel por-
tare uel portari facere super aliqua uel in aliqua
gallea armata cocha ligno naue uel alio quolibet b
uase nauigabilli aliquas res uel merces ex merci-
bus suprascriptis que res uel merces ex predictis
uenirent seu misse uel delate fuissent ad ipsas par-
tes Syrie de aliquo loco uel terra dictarum parcium
occidentalium exceptis pannis cuiuscumque mane-
riei et quod non possit mitere uel portare uel por-
tari facere de dictis partibus Syrie ad dictas par-
tes occidentales in aliqua et super aliqua galea co-
cha ligno naue uel alio quolibet uase nauigabilli
res aliquas uel merces ex mercibus suprascriptis
que res uel merces ad dictas partes Syrie misse
uel portate seu delate fuissent de dictis partibus
Romanie uel maris maioris sub pena librarum quin-
gentarum ianuynorum in quam penam incidat et
incidisse intelligatur quilibet patronus cuiuslibet c
gallee nauis coche taride et cuiuslibet alterius li-
gni uel uasis qui contra predicta uel aliquod pre-
dictorum fecerit et ultra sub pena soldorum quin-
que ianuinorum pro qualibet libra precii seu uali-
menti rerum seu mercium in quibus contra aliquod
predictorum factum fuerit.

De non portando res subtilles ad partes Syrie nisi super galeis armatis.

MCCCXXXI die VI septembris.

Officium octo sapientum constitutorum super fa-
ctis nauigandi et maris maioris pro saluamento re-
rum mercium mercatorum emendauit non obstan- d
tibus aliquibus decretis huic obuiantibus et de nouo
decreuit quod merces subtilles prohibite per decre-
tum predictum quod incipit Primo quod aliquis
ianuensis etc. non audeant uel presument mitti
uel deferri de partibus Ianue uel de aliquo loco
ad partes Syrie uel de partibus Syrie ad partes
Ianue super aliqua galea que non sit armata de
longo nec super aliqua naui cocha uel ligno que
non sit duarum copertarum uel abinde supra sub
pena contenta in dicto tractatu.

Item quod aliqua persona ianuensis seu que pro ianuensi appelletur uel distringatur ut supra non possit nec debeat ire personaliter uel nauigare in aliqua uel super aliqua gallea cocha ligno uel aliquo alio uasse nauigabilli alicuius forensis uel extranei preterquam cum uictualibus nec super ipsis aliquas res uel merces grossas uel subtilles preterquam uiotualia ut supra mitere uel portare uel portari facere de aliquo loco uel terra parcium occidentalium predictarum ad aliquam terram dictarum parcinm Syrie uel Romanie uel maris maioris nec e conuerso de dictis partibus Syrie Romanie uel maris maioris ad dictas partes occidentales sub dicta pena librarum centum ianuynorum pro quolibet contrafaciente et soldorum quinque ianuynorum pro qualibet libra precii seu ualimenti ipsarum rerum seu mercium et sub pena de libris quinquaginta usque in quingentis ianuynorum pro quolibet mercatore eunte et personaliter nauigante super dictis uassibus extraneorum in arbitrio et prouissione dicti officii dictorum octo exceptis ianuensibus stipendiariis seu qui ad soldum et pro soldo ipsarum gallearum nauium et lignorum ipsorum extraneorum ire uellent quibus liceat non obstantibus predictis super ipsis uasibus extraneorum personaliter ad soldum ipsorum extraneorum ire et nauigare et liceat tunc secum portare res et merces proprias ipsorum marinariorum tantum et non alterius persone ianuensis seu forensis uel extranee dum tamen dictum soldum non accipiat uel fingat accipere in fraudem uel ob fraudem aliquam aliquorum ex predictis de quo stabitur consciencie seu declaracioni et arbitrio dicti officii dictorum dominorum octo et consciencie seu declaracioni et arbitrio officii Peyre sapientum inquisitorum super predictis ordinati iuxta formam tractatus dicti officii octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris.

MCCCIIII. die XVII marcii.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus ipsorum uidelicet.

D. Octauianus Grillus prior
D. Benedictus de Casanoua
D. Melianus Ricius
D. Leo de Vezano
D. Babillanus Gentillis
D. Enricus Bonuini
D. Berengerius de Gualterio
D. Bartholomeus Rampegolus.

Volens prouidere super fiendo in Peyra officium inquisitorum super deueto predicto et obseruacione ipsorum que continentur in dicto deueto tractauit et ordinauit et statuit quod officium mercancie Peyre incontinenti habito presenti deueto facere debeat et exequi omnia et singula que continentur in presenti deueto et in predictis omnibus et singulis exequendis habeat dictum officium mercancie totum illud posse quod habet officium Gazarie.

MCCCXXXX. die XXXI. augusti.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus ipsorum officialium emendauit in capitulo predicto quod incipit « Primo quod aliquis ianuensis etc. » Quod ubi dicit nisi forte dicti panni essent precii librarum decem uel ab inde infra dicat librarum duodecim uel ab inde infra.

De naulis galearum.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit legitimus et sufficiens numerus ipsorum officialium ipsius officii de consciencia mandato et beneplacito magnifici uiri domini Simonis Buchanigre Ianue ducis et deffensoris populi ciuitatis Ianue et districtus nec non conscilii sui tractauit statuit et ordinauit quod patroni gallearum Romanie habeant et habere debeant naula infrascripta.

Primo de Ianua in Peyram pro qualibet balla lib. VII.

Item de Ianua in Trapesonda Tana uel Caffa uel ad partes Gazarie pro qualibet balla lib. VIII.

Item de Trapesonda Tana uel Caffa uel de partibus Gazarie Ianuam pro quolibet cantario lib. II. sol. X.

Item de Trapesonda Tana uel Caffa uel de partibus Gazarie in Peyra uolentibus in Peyra remanere pro quolibet cantario lib. I. sol. V.

Item de Peyra Ianuam pro quolibet cantario lib. II.

Item de Trapesonda et Tana Ianuam pro quolibet centanario sete lib. II. sol. X.

Item de predictis locis Tane et Trapesonde Peyram uolentibus ibi remanere pro quolibet centanario sete lib. I. sol. V.

Item de Peyra Ianuam pro quolibet centanario sete lib. II.

MCCCXXXX. die XXVI. madii (1).

Additum est per dictum officium dictorum dominorum octo ut infra uidelicet de Peyra in Ianuam pro quolibet cantario cere lib. I.

Item de Peyra in Ianuam pro quolibet cantario coriorum sol. XVI.

Item de Peyra in Ianuam pro quolibet cantario aluminis sol. VIII.

Et elleuentur quando merces subtilles deficerent predicta coria cera et alumen.

De galeis de Romania nauigandis et reddeundis insimul.

Item quod dicte gallee ire debeant insimul ad partes Romanie et de inde ad partes Ianue reddire insimul et quod naula dictarum gallearum sint et
a esse debeant comunia inter patronos ipsarum gallearum et diuidi debeant inter ipsos patronos dictarum gallearum sub pena librarum mille ianuynorum.

De temporibus ordinatis galeis de Romania.

Item quod dicte galee postquam applicuerint in locis infrascriptis stare debeant et moram facere in ipsis locis per tempora infrascripta et non ultra uidelicet postquam fuerint et aplicuerint in Peyram per octo dies et non ultra sub pena librarum D.

Item in reddeundo de intra mare maius ad Peyram differre ibi tantum et non ultra per dies decem sub pena librarum quingentarum.

b Item quod mercator postquam reddierit in Peyra super dictis galleis de intra mare maius teneatur respondere patrono suo infra dies quatuor computato die aplicacionis utrum uellit raubam suam Ianuam deferre aut ipsam dimittere in Peyra.

Item in Trapesonda in itinere differre ibi diebus decem et non ultra sub pena librarum quingentarum.

Item in Tana in itinere differre ibi diebus decem et non ultra sub pena predicta.

De eo quod debet capi a mercatoribus schaporatis.

MCCCXXXXI. die VI. septembris.

c Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris uolens prouidere ut infra statuit firmauit et ordinauit quod aliquis patronus alicuius galee de Romania seu passagii Romanie non audeat uel presumet accipere uel accipi facere a mercatore scapollo cum cassono armorum eius scrinnazo et uno famulo uel duobus nisi libras quindecim ianuynorum sub pena librarum uiginti quinque ianuynorum.

Quod patroni gallearum de Romania patronizent ipsas galleas et possint accipere ab extraneis naulum quod uolunt.

Item quod patroni dictarum gallearum teneantur et debeant dictas galleas armare et patronizare
d et in ipsis galleis ire et nauigare et cum ipsis et in ipsis ad partes Ianue reddire sub pena librarum ducentarum et quod patroni ipsarum gallearum teneantur et debeant primo elleuare totam raubam Ianuensium antequam extraneorum et quod possint accipere ab extraneis illud naullum quod uolunt ita tamen quod non possint accipere ab eis minus quam a Ianuensibus et si esset rauba mercatorum ianuensium que esset ultra carricum dictarum gallearum teneantur et debeant dicti patroni leuare dictam raubam pro rata coequando ipsos mercatores de dicta rauba sub dicta pena librarum quingentarum pro qualibet gallea.

(1) Sic in codice. Forsitan amanuensis erravit in anni indicatione.

De deposito librarum quingentarum. a

Item quod patroni dictarum gallearum teneantur et debeant facere depositum in uno bono et ydoneo bancho in arbitrio dicti officii pro qualibet gallea de libris quingentis ianuynorum que scribantur et scribi debeant in cartulario banci super dictum officium seu massarios dicti officii nomine et uice ipsius officii absque aliqua excepcione de serpando cum ipsis galeis de Ianua et riperiis infra tempora predicta ordinata per dictum officium.

De obseruandis tractatibus officii Gazarie.

Item quod predicti patroni teneantur et debeant obseruare et obseruari facere tractatus et ordina- b
menta officii Gazarie sub penis comprehensis in tractatibus officii Gazarie in quas penas incidant et eorum securitates per ipsum patronum prestande officio predicto.

De non portando aliquem extraneum in ipsis galeis.

Item quod aliqui ianuenses ciues Ianue seu qui pro Ianuensibus distringantur non audeant uel presumant portare uel portari facere in eorum nauigiis de partibus occidentalibus ad partes orientales aliquem extraneum nisi usque Peyram tantum ipso extraneo soluente omnes drictus prout soluunt Ia-
nuenses et aliter ipsos portare seu portari facere c
non ualeant sub pena librarum trecentarum exigenda a quolibet patrono pro quolibet extraneo pro qualibet uice.

Item non possint nec debeant aliqui ianuenses seu qui pro Ianuensibus distringantur nec audeant uel presumant portare seu portari facere in eorum nauigiis de partibus orientalibus ad partes occidentales aliquem extraneum qui non soluat drictus sicut soluunt mercatores ianuenses excepto in toto agro pelago (1) et gulfo Veneciarum comprehensis confinibus columnarum que sunt domini regis Roberti sub pena librarum quingentarum ianuinorum.

Quod Ianuenses non ducant in eorum calauanis aliquos extraneos.

Item quod aliqui ianuenses seu qui pro Ianuensibus distringantur non audeant uel presumant ducere cum ipsis in eorum callauanis aliquos extraneos de Trapesonda in Taurisium exceptis Grecis sub pena librarum quingentarum pro quolibet et qualibet uice.

Item quod seruitores et calamaihi utentes beneficiis Ianuensium non audeant uel presumant ire cum aliquibus extraneis seu cum eis stare sub pena priuacionis beneficiorum Ianuensium saluo quod cum Venetis et Grecis.

(1) Arcipelago.

De non tenendo aliquem extraneum in domo.

Item quod aliqui ianuenses siue ciues Ianue seu qui pro Ianuensibus appellentur non audeant uel presument tenere seu teneri facere in eorum habitationibus siue domibus quibus habitent Ianuenses aliquem extraneum pallam uel secrete ipsis existentibus in Taurixio et Soldania sub pena librarum quingentarum ianuynorum pro quolibet et qualibet uice exigenda per consules Ianuensium Taurixii cuius condempnacionis medietas perueniat in comune Ianuensium Taurixii et alia medietas operi portus et moduli Ianue et intelligantur uti posse et debere beneficio Ianuensium illi talles qui examinati fuerint per potestatem Peyre siue Cypri siue consules maris maioris et approbati primo per eorum conscilium et ostensuri ultra per apodixiam bullatam bullo comergiorum ianuensium ipsos soluisse comergia Ianuensium tamquam Ianuenses et approbentur et approbari debeant pro Ianuensibus illi tantum qui temporibus preteritis fuerint Ianuenses et beneficio Ianuensium gaudiuerint ita quod de nouo ciues ianuenses de cetero facere non possint exceptis illis qui se facerent burgenses in terris Ianuensium et in ipsis terris se aborgensarent sub pena librarum ducentarum que aplicetur et aplicari debeat pro dimidia operi portus Ianue et pro alia dimidia comuni illius loci in quo condempnacio fieret.

Ordinacio Taurixii.

Item quod consul Taurisii debeat stare in regimine consulatus per menses sex propter euitandas expensas que fiunt in elligendo consulem de nouo non obstantibus aliquibus capitulis facientibus mencionem quod consules constituti per diuersas mondi partes non possint stare in consulatu nisi mensibus tribus uel aliquibus aliis capitulis obuiantibus presenti tractatui et quod dictus dominus consul possit regere conscilium cum sexdecim duodecim uel circha ex xxiiii. constitutis in Taurixio quando dicti uiginti quatuor ibidem defficerent ita quod non possit derrogari uel minui ordinamentis factis in Taurixio nisi forte de conscilio uiginti quatuor merca-
d torum ianuensium ibidem existencium.

Item quod aliquis bazariotus calamaihi uel aliquis alius qui priuatus fuerit a beneficio Ianuensium in Taurixio non possit restitui per consulem et conscilium suorum uiginti quatuor usque ad terminum datum et assignatum in priuacione predicta sub pena librarum ducentarum ianuynorum pro quolibet et qualibet uice.

Item quod per dictum dominum consulem Taurixii et conscilium suorum uigintiquatuor seu predictorum ex dictis xxiiii. fiat et fieri debeat officium mercancie ad iniciandum dictum officium seu ad incipiendum ipsum officium et ipso officio incepto duret et durare debeat usque ad quatuor menses et ante ipsum tempus quatuor mensium per dies

octo officiales ipsius officii faciant alios officiales nouos et ita fiat et fieri debeat per dictum officium successiue.

Item quod aliquis ianuensis seu qui pro ianuense distringatur non audeat uel presumet emere aliquas res uel merces in imperio Persie uel aliqua parte ipsius imperii ad tempus nisi de mensibus IIII. tantum pro illa quantitate tantum quam haberet in Taurisio uel in Soldania uel in camino sub pena librarum uiginti pro quolibet centanario tocius sue implicite que aplicetur et aplicari debeat pro dimidia operi portus et moduli et pro alia dimidia comuni Ianue Taurisii que condempnacio exigatur et exigi debeat per consulem Taurisii.

Item quod aliquis ianuensis seu qui pro ianuensi distringatur non audeat uel presumet emere aliquas res uel merces ad dictum tempus quatuor mensium sine licencia et mandato dicti D. consulis et officii mercancie Taurisii et quod quilibet mercator postquam implicauerit teneatur et debeat ostendere conscilio et officio mercancie quod habeat in imperio in rebus que uenerint deuersus marinam uel in pecunia tantum quantum implicauerit et hoc infra dies quatuor inceptos die qua dictam raubam emerit et ultra teneatur et debeat ante unam diem qua dictam raubam exire de Taurisio debebit teneatur manifestare dicto domino consuli et officio mercancie et numerum et quantitatem dicte raube sub pena uiginti pro centanario.

Item quod dictus dominus consul et officium mercancie Taurixii prouideant et debeant prouidere in eo et super eo quod habere debent ponderatores et censarii ita quod aliquo modo aliquis non audeat uel presumet eis dare uel promittere pallam uel secrete ultra illud quod ordinatum fuerit ipsos habere per dictum officium mercancie et dominum consulem sub illa pena quam imponent dicti D. consul et officium.

Item quod dictus D. consul Taurixii cum dictis uiginti quatuor seu dictis XVI. uel duodecim uel circha ut dictum est ut supra habeat plenam potestatem et bayliam exercendi suum officium in toto imperio Persie.

Quod mercatores ianuenses in Persia non faciant societatem uel empcionem cum extraneis.

Item quod mercatores ianuenses in imperio Persie non possint exercere negocia uel aliquam habere societatem uel facere aliquam empcionem comunem cum aliquibus extraneis habitantibus in imperio Persie sub pena librarum uiginti pro quolibet centanario.

Quod aliquis mercator non ducat secum seruitorem aliquem uel scribam extraneum.

Item quod aliquis mercator ianuensis non possit cum eo ducere aliquem seruitorem scribam uel nuncium extraneum qui habeat ultra Bissancios duo

a millia sub pena librarum quingentarum que aplicetur ut infra.

De non accipiendo aliquas bestias ad logerium.

Item quod aliquis ianuensis seu qui pro ianuense distringatur non audeat uel presumet in Trapesonda uel imperio Persie accipere uel accipi facere ad logerium uel alio modo aliquas bestias causa deferrendi seu deferri faciendi in imperio Persie aliquas saumas sub pena librarum trecentarum ianuynorum pro quolibet ianuense et qualibet uice sed dominus consul Trapesonde cum conscilio suorum sex elligant et elligere debeant tres bonos uiros ad infrascripta. Qui tres sic ellecti teneantur et debeant cum iuramento per eos corporaliter prestito acci-
b pere ad logerium de bestiis que erunt in Trapesonda usque ad sufficienciam raube siue saumarum Ianue pro deferendo eas uel in imperio Taurixii et statare precium logerii et eas bestias et muihilicos ipsarum bestiarum diuidere inter mercatores ianuenses pro rata raube siue saumarum prout ipsis tribus uidebitur. Qui tres sic ellecti teneantur et debeant sacramentum defferre cuilibet mercatori ianuensi de manifestando eisdem totam raubam quam mitere debent in callauana illa et ultra debeant uidere in magaseno dictam raubam. Eodem modo consul Taurisii cum officio mercancie elligere debeant dictos tres in modum predictum.

De non mitendo raubam super aliquibus bestiis exceptis infrascriptis.

c Item quod aliquis ianuensis non audeat uel presumet mitere seu defferre aliquas saumas uel raubam super aliquibus bestiis exceptis gamellis nisi solumodo super illis que accepte fuerint per tres ellectos in Trapesonda et tres ellectos in Taurisio in modum supradictum sub pena librarum quinquaginta ianuynorum pro qualibet bestia non obstantibus aliquibus promissionibus uel obligationibus habitis uel factis temporibus preteritis inter muihilicos et mercatores ianuenses uel aliquem alium ianuensem que pene omnes imposite ut supra perueniant et peruenire debeant pro dimidia operi portus et moduli et pro alia dimidia illi loco Ianue qui predictas penas uel aliquam ipsarum exi-
d gent et teneatur quilibet magistratus Ianue in quacumque mondi parte constitutus coram quo predicta notifficata fuerint predicta effectui mandari tam per detempcionem personarum quam per exaccionem peccunie sub pena librarum quingentarum in quibus possit et debeat sindicari et condempnari.

Quod quilibet scriba comitus et subcomitus gaelearum de Romania se presentent coram officio Gazarie.

In nomine Domini amen.

Millesimo trecentessimo quadragessimo primo die sexta septembris.

Officium octo sapientum constitutorum super fa-

etis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus ipsorum officialium et ipsi officiales concorditer ad obuiandum fraudibus que fieri consueuerunt in spaciis galearum et aliorum que obseruari requiruntur in galeis de Romania secundum formam tractatuum et ordinamentorum loquentium de predictis pro saluamento mercatorum rerum et mercium presenti decreto duxit statuendum et decernendum. Videlicet quia dictum officium tractauit statuit et decreuit quod quilibet scriba comitus et subcomitus cuiuslibet galee iture ad partes Romanie teneantur et debeant antequam nauigent de portu Ianue se personaliter presentare coram officio Gazarie et ibidem iurare ad sancta Dei euangelia quod toto eorum posse manutenebunt et defendent quod spacia et cetera alia ordinata per officium in galeis Romaniam nauigaturis nitida et spaciossa erunt et stabunt secundum formam tractatuum et ordinamentorum dicti officii et quod dicte galee nauigabunt nitide ab aqua secundum formam tractatuum et ordinamentorum officii prefacti tam in eundo quam reddeundo et quod notifficabunt et protestabuntur patrono seu domino illius tallis galee nauigare debentis ut supra si spacia predicta non erunt nitida et galea predicta nitida non nauigaverit ab aqua et alia non obseruauerit que obseruare tenetur secundum formam tractatuum et ordinamentorum dicti officii quod patronum denunciabunt officio mercancie Peyre quando Peyram aplicuerint et officio Gazarie cum Ianue fuerint. Ad que omnia et singula predicti scriba comitus et subcomitus obseruare et se presentare teneantur sub pena librarum decem ianuynorum pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerint.

De literis scribendis officio mercancie Peyre continentibus nomina cerchatorum galearum.

Item tractauit statuit et decreuit quod officium Gazarie Ianue deinceps scribere debeat per eius literas officio mercancie Peyre nomina et prenomina omnium et singulorum cerchatorum qui de cetero constituentur ad cerchandum galeas Romanie et attendet et obseruet et obseruari faciat dictum officium mercancie Peyre ut infra.

Videlicet quod cum galee que de cetero nauigare debebunt ad partes Romanie Peyram aplicuerint dictum officium mercancie per literas citari faciat dictos cerchatores constitutos in Ianua per officium Gazarie et eos sub eorum iuramento interrogare separatim si spacia ordinata per officium Gazarie fuerint nitida et si galea illa nauigauit nitida a ferris et alia obseruata fuerunt secundum formam tractatuum et ordinamentorum dicti officii et hoc facto subsequenter dictum officium mercancie Peyre citari personaliter faciat quatuor usque in sex mercatores qui non sint ex eis mercatoribus cuiuslibet galee ipsarum galearum et ab eis recipiat sacramentum et interrogentur separatim prout

a interrogati fuerunt cerchatores predicti et eo modo et forma prout interrogati fuerunt et si se concordauerint ad unum bene quidem et condempnetur patronus prout contrafecerit arbitrio dicti officii mercancie Peyre, si uero non concordarentur condempnentur dicti cerchatores arbitrio dicti officii mercancie. In cerchatoribus autem fiendis per officium mercancie Peyre obseruetur et fiat prout actenus obseruatum fuit.

Ordo gallearum de Frandria.

MCCCXXXX. die XV. februarii.

Officium octo sapientum constitutorum super fa-
b ctis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus ipsorum officialium, scilicet ex ipsis octo infrascripti.

Nomina quorum sunt hec:
Bartholomeus Rampegollus prior
Babillanus Gentillis
Belengerius de Gualterio
Enricus Bonuini
Octauianus Grillus
Leo de Vezano
Benedictus de Cassanoua
et Melianus Ricius.

De mensuris ipsarum galearum.

c Volens prouidere salubriter super mensuris galearum de Frandria que Deo dante isto pasagio uenturo ad ipsas partes nauigare debent et que de cetero nauigabunt et oneri ac eciam armamento ipsarum galearum tractauit statuit et decreuit quod dicte galee sint et de cetero esse debeant de mensuris infrascriptis.

Primo in longitudine de roda in rodam goa LIIII.
Item in altitudine parmi medii par. XIIII.
Item in altitudine parmorum trium par. XI.
Item aperiat in altitudine parmorum trium par. XVIII, et tertia.
Item aperiat in bucha par. XXIIII.
Item in goa VIII. deuersus popam par. XI.
Item in goa XVIII. deuersus popam par. XVII.
d Item in goa VIII. deuersus prodam par. X. et $\frac{iii}{ii}$
Item in goa XVIII. deuersus prodam par. XVI. et $\frac{iiii}{iii}$

De ferrando dictas galeas.

MCCCXXXX. die XXIII. iunii.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus ipsorum officialium et ipsi officiales concorditer statuit decreuit et ordinavit quod gallee que facte sunt secundum mensuras ordinatas galleis de Frandria de quibus fit mencio in actis dicti officii MCCCXXXVIIII. et eciam alie quecumque galee que de cetero impo-

nebuntur et fient ad mensuras predictas nauigare [a] debentes ad partes Frandrie debeant et teneantur ferrari per ferratores ad heo deputatos per dictum officium seu ordinandos uel deputandos in forma infrascripta.

Videlicet quod apponatur et affixetur ferrum unum marchatum in medio ad latam mastram deuersus popam quod distare debeat a mento subtano trencarini per parmos quatuor et terciam partem alterius parmi de cane. Et quilibet patronus qui preerit alicui ex dictis galeis solicitet et curet non habere honeratam ipsam galeam in tantum quod dictum ferrum totum non sit et stet in toto dicto uiagio nitidum ab aqua tam in eundo quam in reddeundo ita quod super aquam sit et appareat ferrum predictum in toto uiagio sub pena librarum [b] trecentarum Ianue pro quolibet et qualibet uice qua contrafieret seu contrafactum esset ut supra exigenda totaliter cum effectu a contrafacientibus per dictum officium.

Emenda ferrorum predictorum.

MCCCXXXX, die octaui iullii.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus officialium ipsius officii cognoscens galleas ipsas ferrari debere ad formam decreti seu statuti predicti non esse abile pro ipsis galeis uolens eisdem galeis et super ipsis [c] prouidere de nouo omni modo iure et forma quibus melius potest tractauit statuit et decreuit quod ubi dicit per palmos quatuor et terciam partem alterius parmi de cana dicatur palmi quatuor tantum sine eo quod apponatur tertia pars alterius parmi de cana et isto modo debeant ferrari dicte galee sequendo de aliis dictum decretum de hiis loquens.

Saluo et reseruato quod si aliquis patronus uelet galeam suam magis ad popam uel ad prodam possit licenter hoc facere dummodo dictum ferrum medianum semper stet nitidum ut supra dictum est.

De deposito librarum quingentarum fiendo per patronum. [d]

Et ut patroni dictarum galearum timidiores sint et melius obseruent ea que obseruari debent secundum formam presencium tractatuum teneatur quilibet patronus sub pena librarum mille ianuynorum antequam gallea in qua iturus est in uiagium recedat de portu Ianue uel aliqua parte riperie facere depositum de libris quingentis Ianue uidelicet in bonis et ydoneis personis non bancheriis de quibus uidebitur dictis octo uel maiori parti de libris trecentis et in alio bono et ydoneo bancho de libris ducentis ianuynorum ad uoluntatem dictorum octo uel maioris partis eorum. Et que libre ducente Ianue scribantur pure et sine aliqua contradicione uel excepcione dicto oficio ita quod sint et esse intelligantur dicti officii et de ipsis facere possit dictum officium ad uoluntatem suam et simili modo fiat et sit depositum dictarum librarum trecentarum.

Et de ydoneitate bancherii et dictarum personarum sit in arbitrio dictorum octo uel maioris partis pronunciare utrum sint ydonei an ne si tamen dictus patronus uellet facere totum depositum librarum quingentarum predictarum possit hoc facere.

De restituendo dictum depositum patrono.

Teneatur tamen dictum oficium dictorum octo si per dictum patronum obseruata fuerint in toto uiagio predicto tam in eundo quam in reddeundo omnia que obseruari debent secundum formam presencium tractatuum restituere eidem patrono in totum dictum depositum.

Et si aliquis patronus uel patroni alicuius ex dictis galeis non nauigauerit per totum uiagium tam in eundo quam in reddeundo cum ferris nitidis ab aqua totum dictum depositum librarum quingentarum exigatur et exigi debeat per dictos octo.

Quod aliqua galea non uadat solla ad partes Frandrie.

Nec possit ad dictas partes de aliquo loco duci uel mitti aliqua galea solla nec eciam inde reddire solla sed sint ad minus due gallee de supradictis mensuris uel minoribus sub pena librarum mille Ianue pro patrono cuiuslibet galee de qua contrafieret et sint armate prout infra dicetur nec una debeat separare ab alia ultra unum miliare nisi casus in hoc acciderit et eciam ultra Gadex non possit aliqua ex dictis galeis sub dicta pena ire solla sed esse debeant due ad minus per totum uiagium tam in eundo quam in reddeundo.

De conseruaticho faciendo.

Et si forte quando de Ianua alique galee erunt parate pro eundo ad dictas partes et aliqui seu aliquis pro una galea uel pluribus requireret ab eis conseruaticum teneantur et debeant patroni ipsarum gallearum tunc paratarum expectare galeam uel galeas pro qua uel pro quibus conseruaticum requiretur in eundo per dies octo sub pena librarum ducentarum.

De deposito librarum quingentarum fiendo pro dicto conseruaticho.

Teneatur tamen patronus cuiuslibet galee pro qua conseruaticum requisierit facere depositum de libris ducentis Ianue in ydoneo banco illa die qua dictum conseruaticum requisierit et ipsam seu ipsas expectare per dies octo tantum et si dictum depositum fecerit et non fuerit parata ad recedendum

cum dictis galeis infra dictos dies octo sit dictum a
depositum dictorum patronorum a quibus conseruaticum requisitum fuerit et eis dare debeat per depositarium predictum et postquam patroni aliquarum gallearum expectauerint aliquam galeam per octo dies pro faciendo ei conseruaticum requisitum non teneatur postea ad faciendum conseruaticum alii galee pro dicto uiagio.

De armamento galearum de Frandria.

Item tractant statuunt et ordinant quod in qualibet galea itura in Frandriam seu ad partes Anglie uel ultra aquas mortuas et que non sint de mensuris supra ordinatis pro galeis grossis seu de minoribus mensuris esse debeant infrascripta b
ad minus in eundo et reddeundo. Videlicet comitus unus bonus et sufficiens cum armis suis scilicet coracia de proba — Collareto de ferro — Ceruelleria de proba — Spata bona scuto panixio — Curtello de latere et guantis de ferro — Scriba unus bonus et sufficiens cum armis suis eodem modo ut dictum est de comito.

Naucleri uero dictarum galearum et cuiuslibet earum habeant et habere debeant et teneantur arma infrascripta eorum propria uidelicet ceruelleriam bonam — Collaretum de ferro. Spatam unam et gradium de latere. Balistrarii duodecim boni et sufficientes pro qualibet galea quorum balistrariorum duodecim octo sint ex marinariis seu uogeriis dicte galee qui balistrarii octo teneantur et debeant ha- c
bere et portare secum in dicta galea balistram unam de streua bonam et sufficientem pro qualibet cum duabus cordis bonis ultra magistram et crocho et carchasio. Qui octo balistrarii concordari debeant pro balistrariis quamuis sint de numero uogeriorum siue marinariorum et sint boni et sufficientes ad exercendum balistram in cognicione capitanei galearum et eius conscilii. Qui capitaneus quam cicius comode poterit fieri teneatur et debeat facere inquisicionem de predictis et de predictis facere relacionem dicto officio in redditu galearum in Ianuam si in ipsis reddierit, et si in ipsis non reddierit per suas literas sigillatas sigillo suo et teneantur et debeant dicti balistrarii octo et alii IIII de quibus infra dicetur semper de nocte per totam d
eorum guaytam eundo ad postam siue ad ancollam habere et tenere unam ex dictis balistris in coperta penes ipsos et crochum cinctum et carchassium cum ueretonis uiginti quinque ex illis galee in qua fuerit. Et patronus dicte galee teneatur et debeat dictos ueretonos eis assignare. Reliquos uero quatuor balistrarios teneatur et debeat patronus cuiuscumque galee habere bonos et sufficientes qui non teneantur ad aliquod seruicium facere nisi seruicium balistre tantum. Qui uero quatuor teneantur guaytare quilibet guaytam suam in modum ut dictum est superius de aliis octo balistrariis et balistrarii quatuor et quilibet eorum teneantur et debeant habere balistras duas bonas et sufficientes cum duabus cordis et magistra pro qualibet balistra coraciam unam de media proba ceruelleriam unam de proba collarium de ferro spatam unam et gradium de latere et teneatur et debeat patronus predictus sic facere quod predicti comitus scriba nauclerii et balistrarii habeant et habere debeant ipsi et quilibet ipsorum eorum arma supradicta sub pena pro quolibet comito scriba nauclerio et balistrario qui non haberet omnia arma predicta ut supra ordinata tam in eundo quam in reddeundo librarum quinque Ianue quam penam soluere teneatur et debeat quilibet patronus de suo proprio.

Item uogerii seu marinarii usque ad concurrentem numerum hominum centum septuaginta sex computatis naucleriis senescalco et supradictis balistrariis octo inter quos homines centum septuaginta sex non numerentur nec esse intelligantur supradicti balistrarii quatuor et qui balistrarii quatuor approbentur per dictum capitaneum et si in ipsis reperierit aliquos defectus exigatur a quolibet patrono pro quolibet balistrario deficiente tam in eundo quam in reddeundo libras triginta Ianue et de armis et balistris defficientibus ipsis balistrariis solidos centum pro quolibet balistrario.

Item sint et esse debeant in dictis galeis et qualibet ipsarum in toto uiagio arma infrascripta tam in eundo quam in reddeundo et que arma ponantur et poni debeant in una capsia fienda per dictum patronum infra spacium a compagna senescalchi marinariorum uersus popam ubi uoluerit reseruato loco capsie sine bancharii pro armis mercatorum de quo infra dicetur in capitulo de armis mercatorum.

Videlicet coracie centum sexaginta inter quas sint coracie sexaginta de media proba. Collarii centum sexaginta pavexii centum septuaginta ceruellerie centum septuaginta roncolle ferrate duodecim balistre duodecim bone et sufficientes cum duabus cordis et magistra ultra illas balistras de quibus superius fit mencio.

Chrochi boni uiginti. Carchassi boni uiginti. Reme et terzolli semper ad minus in toto dicto uiagio centum octuaginta quinque. Fanarii sex. Veretoni boni et soldati duo milia lanzie bone XXIIII. Stropi duodenas tres. Verui boni duodenas VIII. Veretoni boni non soldati tria milia Rampegolli cum catenis de ferro duo. Marapichi seu iussarma sex cum manicho de ligno. Lanzie guascurte bone duodenas sex. Bolzonum unum de ferro longum parmi II. ferrum ad minus et asta pro dicto bolzono que maneat semper in corsia.

De condempnacionibus fiendis propter defectus ipsarum galearum.

Et si in aliqua ex dictis galeis defficerent predicta uel aliquod predictorum in toto ipso uiagio scilicet eundo nauigando uel reddeundo patronus seu patroni qui ipsi galee preerint qui contrafecerint incidant et incidisse intelligantur ipso facto in

penis infrascriptis tociens quotiens contrafactum fuerit uel non fuerit obseruatum tam in eundo quam in reddeundo. Videlicet

Pro quolibet homine qui defficeret in lib. xxv.
Pro qualibet coracia in lib. v.
Pro qualibet cerueleria in lib. I.
Pro quolibet ueretono in sol. I.
Pro quolibet ueruo in sol. v.
Pro quolibet marapicho seu iussarma in sol. v.
Pro quolibet panezio in lib. I.
Pro quolibet collareto in sol. v.
Pro quolibet rampegollo et catena in lib. II.
Pro quolibet remo seu terzollo in sol. xv.
Pro qualibet balistra in lib. v.
Pro qualibet roncolla in sol v.
Pro quolibet crocho in sol. v.
Pro quolibet carchassio in sol. II.
Pro quolibet bolzono in lib. I.
Pro qualibet lanza longa seu fussarma in lib. I.

Et si dicti comitus scriba naucleriі et balistrarii non habuerint in toto uiagio tam in eundo quam in reddeundo arma et ea que superius dicta sunt incidant et incidisse intelligantur in penam librarum quinque Ianue pro quolibet et qualibet uice et tociens quociens fuerit contrafactum soluendarum seu retinendarum per patronum de eorum salario non obstante sed pocius firma existente pena anteposita in patrono pro deffectibus dictorum comiti scribe naucleriі et balistrariorum.

Quod mercator secum portet arma sufficiencia pro se et uno seruitore.

Et quilibet mercator Ianue seu districtualis uel qui pro ianuense distringatur uel appelletur qui super aliqua ex dictis galeis nauigauerit teneatur et debeat in toto uiagio tam in eundo quam in reddeundo habere et portare secum arma bona et sufficiencia ad complementum pro se et uno seruitore si seruitorem habuerit et ueretonos bonos et soldatos quinquaginta in uno carchassio et hoc sub pena librarum decem Ianue pro quolibet et qualibet uice in quam penam incidat totiens quociens fuerit contrafactum.

De capitaneo eligendo pro eundo in Frandriam.

Et habeant et habere debeant dicte galee antequam recedant de portu Ianue pro eundo in uiagium unum bonum et sufficientem capitaneum eligendum per officium sapientum ordinatorum super factis nauigandi et maris maioris cui obedire debeant omnes nauigantes in ipsis in toto ipso uiagio et quod habeant in toto ipso uiagio inter ipsos nauigantes iurisdictionem et merum et mixtum imperium et similiter in reddeundo in quibuslibet duabus galeis debeat esse unus capitaneus qui elligatur per mercatores uenturos in dictis galeis. Qui habeant simili modo iurisdicionem et bayliam et potestatem in uniuersos reddeuntes in dictis galeis

a et habeat dictus capitaneus curam et solicitudinem quod predicte galee et patroni ipsarum obseruent infrascripta quod simul uadant dicte galee due in toto ipso uiagio, Capitaneus autem predictus qui ad suscipiendum dictum officium compelli possit prestito corporali iuramento teneatur in presencia dictorum sapientum iurare predictum officium exercere bene et legaliter.

Verum tamen si dicto officio uidebitur quod dicta galea siue patronus ipsius obseruauerit ea que obseruari debent secundum formam presencium tractatuum restituatur ipsi patrono dictum depositum in toto si in toto obseruauerit alioquin retineatur dictum depositum per ipsum officium in tanto et pro tanto quod ascenderet uel ascenderent pena
b uel pene in quibus incidisset dictus patronus ex forma presencium tractatuum et stet et sit dictum depositum periculo patroni et non officii et si patronus uellet totum depositum facere in ydoneo bancho hoc possit facere.

Quod galee grosse possint nauigare armate et disarmate usque Sciciliam et Tripolim.

Galee uero grosse hoc est ille que sunt de maioribus mensuris quam sint mensure subtillium siue sint de illis que hinc retro facte fuerunt seu de illis que secundum mensuras supra ordinatas super galeis grossis nauigare duci et mitti possint armate et disarmate usque in Sciciliam et usque ad Tri-
c polim de Barbaria sed non ab inde ultra uersus occidentem sit preterquam ad partes Frandrie ad quas partes nullo modo nauigare possint. Ad partes uero aquarum mortuarum nauigare possint excepto cum cargiis obseruando tamen ea et prestando illas fideiussiones de quibus continetur in presentibus tractatibus.

Quod galee reducte ad modum lignorum de bandis possint nauigare ultra Sciciliam.

Ultra autem Sciciliam sic nauigare duci uel mitti debeant possint nauigare duci uel mitti dummodo reducantur ad modum lignorum de bandis siue ad nauarescham et sic in toto ipso uiagio nauigent eundo et reddeundo et securitates ordinatas pre-
d stent et dummodo non nauigent super aliqua earum ad soldum nec ad seruicium ipsius ultra homines sexaginta quinque computando in ipsis sexaginta quinque hominibus comitum et naucleriοs scribam et subscribam et quoscumque alios officiarios et famulos eorum quo casu quelibet persona super ipsis galeis sine metu pene nauigare possit.

Quod aliqua persona non ducat aliquam galeam grossam ultra Siciliam nisi ut supra.

Sed si aliqua persona ducere uel mitere atentaret aliquam galeam grossam uel que sit maior mensuris ordinatis pro subtillibus uel super ea nauigare de aliquo loco ultra Sciciliam incidat et incidisse in-

telligatur in penam in presentibus tractatibus infra
ordinatam que auferratur et auferri debeat a quo-
libet qui preerit ipsi galee seu ab eius fideiussori-
bus et nichilominus in penam librarum mille ia-
nuynorum pro qualibet ex dictis galeis in qua seu
de qua contrafieret et in amissione naulorum que
propterea recepta fuissent uel recipi deberent. Et
quilibet mercator qui super ipsa galea aliter quam
supra prouissum est nauigaret uel merces aliquas
miteret incidat in penam soldorum quinque ianuy-
norum pro qualibet libra ualimenti rerum seu mer-
cium quas super ea miteret seu deferri faceret sed
in Frandriam seu ad partes Frandrie uel Anglie
nauigare duci uel mitti non possint alique galee
que sint de maioribus mensuris quam sunt ille que
supra ordinate sunt pro grossis galeis sub pena li-
brarum mille Ianue pro qualibet galea.

De armamento galearum principatus Scicilie et Tunexi.

Item quod quilibet patronus cuiuslibet galee ar-
mate grosse uel subtillis que deinceps nauigabit ad
partes Neapolis principatus Scicilie uel Tunexim
debeat habere expeditum scandollarium galee tam
desuper bancum quam desubter bancum uidelicet
a mento subtano porte fogoni pupe ipsius galee
usque ad ipsam pupam sine eo quod in dicto loco
sint uel esse possint alique merces sed ibidem stare
debeant arnisia mercatorum et arma ipsorum et
compagna mercatorum et similiter deuersus prodam
debeat habere in dicta galea aliquod spacium unde
possint stare arma ipsius galee et sartia eiusdem et
si aliquis patronus ut supra non obseruauerit con-
dempnetur et condempnatus esse intelligatur in
libris ducentis Ianue pro quolibet et qualibet uice
et ut supra obseruetur in eundo tantum sub pena
predicta. Et qui patronus habere debeat in dicta
galea tam in eundo quam in redeundo arma infra-
scripta sub penis ordinatis contra patronos non ha-
bentes arma prout superius est expressum. Videlicet

Coracias centum ferri.
Collaretos centum ferri.
Ceruellerias centum uiginti.
Schuta centum uiginti.
Balistras cum duabus cordis pro qualibet ultra ma-
gistram uiginti.
Quadrellos de bonis quinque millia inter quos sint
duo milia illius bonitatis cuius erant quadrelli quos
comune Ianue fecit fieri in cecha.
Carchassios uiginti.
Crochos uiginti.
Lancias longas decem et octo.
Verrugorum duodenas quinque.
Lanciarum clauarinarum duodenas duas.

De non naulizando aliquam galeam de Romania nisi de mensuris ordinatis.

Item quod aliqua persona non audeat nec pre-
a sumat naulizare uel conducere aliquam galeam ar-
matam pro eundo seu nauigando ad partes Roma-
nie uel Syrie uel ultra Sciciliam nec aliquas res
uel merces immittere seu immitti uel uehy facere
super aliqua galea armata nisi fuerit de mensuris
ordinatis pro subtillibus seu factam secundum for-
mam traditam in presentibus tractatibus pro ipsis
galeis subtillibus et nisi fuerit facta mandato et uo-
luntate illorum duorum que ad ipsas galeas fieri
faciendas ordinati fuerint et nisi patronus uel qui
pro patrono habitus fuerit habeat et ostenderit apo-
dixiam factam de mandato dictorum duorum in qua
contineatur sicut dicta galea quam naulizare seu
conducere uoluerit seu in qua res et merces im-
mittere seu immitti et uehy facere uoluerit sit de
b mensuris predictis et facta de mandato et uoluntate
predictorum duorum et hoc sub pena librarum mille
ianuynorum pro quolibet conducente seu naulizante
contra predicta et qualibet uice et sub pena sol-
dorum quinque Ianue pro qualibet libra ualimenti
rerum seu mercium que immisse uel inuente fue-
rint contra predicta soluendarum per illum seu il-
los cuius seu quorum ipse res uel merces fuerint
siue super quem seu quos in cartulario dicte galee.

Quod securitates teneantur ad omnes tractatus officii.

Item quod domini seu patroni galearum nauium
cocharum taridarum lignorum de bandis et aliorum
lignorum nauigabilium qui prestabunt fideiussiones
c seu securitates ex forma presencium tractatuum et
omnes fideiussores et securitates ipsorum quas pre-
stiterint teneantur et sint obligati per illas promis-
siones et obligaciones quas fecerint de omnibus et
singulis que in presentibus tractatibus continentur
quantum ad quoslibet eorum pertinet ac si specia-
liter ipsas promissiones et obligaciones per predi-
ctos fecissent et presentes tractatus seu ordinamenta
de uerbo ad uerbum expressi seu expressa fuissent.

De securitatibus perpetuis.

Ut ea que in presentibus tractatibus continentur
melius et efficacius obseruentur et fiant statutum
et ordinatum fuit per tractatores mercancie qui tunc
d erant et postea firmatum per dominum uicarium et
per ancianos qui tunc erant MCCCXIII. die XVIIII.
februarii ut infra uidelicet quod omnes et singuli
domini seu patroni galearum et quorumlibet ligno-
rum nauigabilium de teriis que nunc sunt et de
cetero fuerint in portu Ianue teneantur et debeant
prestare ydoneas securitates de quantitatibus infra-
scriptis illi seu illis qui ad recipiendum securita-
tes nauigancium deputatus seu deputati fuerint si
ipsas non praestiterint tales uidelicet que obtineant
uim laudum seu instrumentorum obtinencium uim
laudum et sentenciarum et hoc incontinenti cum
habuerint uel habebunt aliquam galeam uel lignum
de teriis.

Scilicet de non permitendo ipsas galeas uel ligna

de teriis nauigabilia aliquo tempore duci uel extrahi palam uel priuatim de die uel de nocte furtiue uel non furtiue per uim uel sine ui nec aliquo alio modo de portu Ianue nisi prestitis illis securitatibus que prestari debent et debuerint secundum formam presencium tractatuum uidelicet pro qualibet galea de libris mille Ianuynorum.

Et pro quolibet ligno nauigabili de teriis si fuerit de remis sexaginta usque in centum de libris sexcentis Ianue et si fuerit de remis uiginti usque in sexaginta de libris trecentis Ianue et intelligatur quantum ad presentem articullum esse galea si fuerit de remis centum uel abinde supra.

Et durent ipse securitates que ex uigore presentis articulli sunt prestande non obstante quod de ipsis galeis uel lignis fieret alienatio uel transmutacio quousque per illum uel illos in quem uel in quos fieret alienacio uel transmutacio prestita fuerit similis securitas et non obstante eciam eo quod dicitur quod durare debeant solummodo quousque reddierint in portum Ianue uel alibi ubicumque contrarium contineatur.

De securitatibus super factis nauigandi.

Item quod omnes et singuli Ianuenses et districtuales Ianue et qui pro Ianuensibus distringantur dicantur seu appellentur qui ducere uel mitere ad nauigandum uoluerint de portu Ianue uel de aliqua parte districtus Ianue uel de aliquo loco qui sit a Coruo usque Monachum aliquam nauem cocham et taridam galeam uel lignum cohopertum uel de teriis teneantur et debeant antequam discedant de portu Ianue si de portu Ianue discedere uoluerit et si de aliquo loco qui sit a Coruo usque Monachum antequam de ipso discedant prestare idoneas securitates de quantitatibus infrascriptis de non offendendo cum ipsis uel cum hominibus qui in eis erunt aliquem uel aliquos Venetos seu Pissanos uel aliquem uel aliquos qui sint amici uel de amicicia comunis Ianue de non afferendo alicui predictorum rapinam iniuriam uiolenciam uel grauamen ad quemcumque locum uadant uel de quocumque loco ueniant et de non comitendo aliquid per quod comune Ianue possit in aliquam brigam peruenire uel in guerram seu dampnum incurrere et de non eundo ad stipendium uel soldum uel in seruicium alicuius regis principis uel baronis uel comunitatis alicuius uel alicuius alterius corporis collegii uel uniuersitatis contra aliquem seu aliquos qui non sint inimici comunis Ianue et de non inuadendo aliquam terram seu locum cuiuscumque sit ipsa terra uel locus sine expressa licencia consilii generalis comunis Ianue ad quod sint et esse debeant consciliarii ad minus centum quinquaginta qui inde se absoluant ad lapillos albos et nigros et de attendendis et obseruandis omnibus et singulis que attendenda et obseruanda sunt ex uigore tractatuum nauigandi siue supradictorum et infrascriptorum sub pena securitatum per cos et quem-

a libet eorum prestitarum et de hoc se et sua debeant obligare illi uel illis qui ad predicta deputatus uel deputati fuerint seu notario publico stipulanti et recipienti nomine et uice dicti comunis et officii supradictorum octo constitutorum super factis nauigandi et maris maioris et officii octo tractatorum mercancie et utriusque ex dictis officiis que securitates recipiantur taliter quod obtineant firmitatem laudum et sentenciarum seu instrumenti uim laudis obtinentis et predictas securitates prestare debeant sub pena tante quantitatis pecunie de quanta securitates prestare debuerant ut supra et infra dicetur in quam penam ex nunc sit condempnatus qui ut supra non obseruauerit et perinde procedi possit et debeat contra eum uel eos qui *b* dictas securitates non prestiterint et contra eorum bona sicut posset si eas prestitisset nec predictis hoc est contra predicta aliquis se opponat. Videlicet

Pro qualibet naui siue cocha de tribus uel de duabus copertis de libris mille Ianue.

Pro qualibet galea armata de libris quinque millibus Ianue.

Pro qualibet galea non armata de libris mille ianuynorum.

Tali modo quod non possit recipi aliquis in fideiussorem seu securitatem de istis libris mille ianuynorum ultra quantitatem librarum ducentarum Ianue tali modo et forma quod si acciderit quod dicta galea postquam disarmata recesserit de portu Ianue armari in aliqua parte dicti fideiussores *c* teneantur et sint obligati ad omnia que continentur in tractatibus presentibus de libris quingentis Ianue pro qualibet et ipse principalis similiter sit obligatus in dicto casu in tanto quantum ascendent summe ipsorum fideiussorum ad dictam rationem.

Pro qualibet tarida uel alio ligno coperto de libris trecentis Ianue.

Pro qolibet ligno de teriis minori quam galea armata de libris duobus millibus Ianue.

Pro non armato de libris quingentis Ianue.

Tali modo quod non possit recipi aliquis in fideiussorem uel securitatem de istis libris quingentis Ianue ultra quantitatem librarum ducentarum tali modo et forma quod si acciderit quod dictum *d* lignum postquam dissarmatum recesserit de portu Ianue armetur in aliqua parte dicti fideiussores obligati sint et teneantur ad omnia que continentur in tractatibus presentibus pro libris octingentis Ianue scilicet ille qui fideiusserit de libris ducentis et illi qui fideiusserint de libris centum pro libris quadringentis Ianue pro quolibet. Et ipse principalis similiter sit obligatus in dicto casu in tanto quantum ascendent summe ipsorum fideiussorum ad dictam rationem.

Et semper intelligantur securitates prestite seu prestande ex uigore supradicti articulli uel infrapositorum durare per totum ipsum uiagium siue pro toto ipso uiagio tam eundo quam reddeundo et siue mutatum fuerit semel uel pluries uiagium

sine non quousque redierint in portum Ianue et a
ibi disarmate fuerint et exonerate non obstante quod transmutetur patronus uel comitus uel quod inde fierit alienatio uel transmutatio.

De examinando securitates.

Item quod scriba qui recipiet securitates a patronis et maxime galearum non expediat ipsos patronos nec aliquem eorum nisi primo examinate fuerint ipse securitates per priorem officii supradictorum octo si habere poterit cum uno ex sociis dicti officii ad minus uel duos ex illis de dicto officio si prior haberi non poterit ad minus et quod non intelligatur quod aliquis patronus obseruauerit ea que debet seu debebunt ex forma presencium b
tractatuum nisi primo securitates examinate fuerint ut supra dictum est.

Quod quilibet teneatur prestare securitatem in quocumque loco possibili.

Item quod licet in presentibus tractatibus appositi sint certi confines siue termini infra quos illi qui armauerint uel armari fecerint uel de ipsis confinibus extraxerint seu extrahi fecerint aliquam nauim cocham taridam galeam uel aliquod aliud lignum de teriis uel de bandis habent ipsos tractatus et ordinamenta obseruare nichilominus extendatur in quantum possibillis sit ad quoscumque alios Ianuenses et districtuales Ianue seu qui pro c
Ianuensibus distringuntur uel appellantur undecumque eos nauigare uel ubicumque armare eos uel armari facere contingat et perinde ab eis obseruentur et obseruari debeant et sub penis in ipsis comprehensis in omnibus et per omnia in quantum uidelicet ut supra dictum est sit possibillis.

De procedendo contra contrafacientes.

Ut autem predicta omnia et singula melius et efficacius obseruentur octo sapientes qui fuerint pro tempore in dicto officio scilicet super factis nauigandi et maris maioris et si ipsum officium tunc non esset tractatoribus mercancie teneantur ac debeant uinculo sacramenti quod prestent et prestare d
debeant in principio siue in introitu ad dictum officium procedere contra omnes et singulos quos crediderint uel intellexerint uel eis uerissimiliter uisum fuerit uel nouerint non obseruasse per omnia ut supra uel contrafecisse in aliquo et ipsos ponere seu poni facere in cedullis et saculis et inde extrahere seu extrahi facere cum penis appositis iuxta formam presencium tractatuum seu ordinamentorum et omnia facere in omnibus et per omnia secundum quod faciunt et facere tenentur octo sapientes constituti super raubariis et uiolenciis et secundum formam capituli de raubariis prout ad presentem articulum aptari possit et de predictis non requiratur per potestatem seu tenentem officium potestatis Ianue uel per aliquem alium magistratum aliqua alia fides uel probatio sed hiis omnibus et singulis stetur et credatur et stari et credi debeat dicto et assercioni seu denunciacioni ipsorum octo sapientum seu dictorum tractatorum mercancie ut supra uel maioris partis eorum et dominus potestas comunis Ianue qui pro tempore fuerit et quicumque officium potestatis habuerit teneatur et debeat ad dictum seu denunciationem eorum ut supra dictorum seu maioris partis eorum procedere contra nominatos in cedulis et contra quemlibet eorum et contra bona et fideiussores ipsorum et cuiuslibet eorum sicut procedere tenetur et debet contra denunciatos per octo sapientes de raubariis tam in exigendo penas et forestando et procedendo contra receptatores forestatorum quam in omnibus aliis preterquam in dirrupcione domorum seu destruccione possessionum non tamen fiat preiudicium per predicta uel aliquod predictorum uxoribus uel aliis creditoribus scilicet qui pociora iura habuerint.

Quod pene et condempnaciones deueniant in officium.

Pene autem et condempnaciones que exigentur ex uigore presencium tractatuum deueniant in officium predictum dictorum octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris si tunc fuerint et si non in officium tractatorum mercancie uel massariorum ipsorum officiorum qui ipsas diuidant in hunc modum uidelicet quod de ipsis dent et dari faciant sextam partem accusatori si notus fuerit uel habere uoluerit et residuum totum remaneat pro expendendo sicut uidebitur predictis sapientibus in hiis que occasione eorum officii facienda imminebunt. Si autem accusator uel denunciator non adfuerit uel notus non fuerit uel dictam partem habere noluerit retineant eam eodem modo ut dictum est.

Quod de ipsis penis fiat introytus et exitus.

Semper tamen de ipsis penis et condempnacionibus fiat et fieri debeat introytus et exitus per illos ad quos peruenerint ut de ipsis quandocumque opus fuerit possit fieri et uideri racio et computacio. Et si potestas comunis seu tenens officium potestatis ut supra non obseruauerit uel in aliquo contrafecerit sindicetur et sindicari debeat pro qualibet uice in libris ducentis Ianue.

De capsieta fienda in palacio.

Item quod fiat et fieri debeat una capsieta de duabus clauaturis que ponatur et stet in palacio domini potestatis in qua ponantur et poni possint appodixie siue cedulle contra illos qui non obseruauerint ut supra sicut fit contra commitentes rapinas uel uiolencias et prior ipsorum sapientum

octo seu tractatorum mercancie ut supra teneat unam de dictis clauibus ipsius capsiete et eorum scriba alteram et qualibet septimana uel ad plus quilibet quindecim diebus eam debeant aperire et legere cedulas siue apodixias si que in ea fuerint posite et si quos culpabiles contra predicta uel aliquod predictorum reperierint ut supra procedant contra eos et procedi faciant ut dictum est supra.

De non portando in galeis aliquem forestatum per officium.

Item dicti octo sapientes constituti per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris tractant et ordinant ut infra.

Videlicet quod si aliquis forestatus est uel de cetero forestari contingat ex ordinacione tractatuum uel ad instanciam ipsorum uel predecessorum suorum uel maioris partis uel per denunciacionem ipsorum uel per officium ipsorum seu maioris partis ipsorum patrem haberet siue esset in potestate patris siue non et contra ipsum sic forestatum seu contra eius bona procedi deberet ex ordinacione predictorum octo facta uel facienda quod de bonis paternis eidem sic tunc forestato debeat tantum assignari quantum ipse filius haberet si suus pater ab intestato decessisset computata persona patris uel persona duorum filiorum et in ipso tanto siue in ipsis bonis pro dicta parte proinde fiant et fieri debeant quilibet processus tam deuastacionis et derupcionis quam publicacionis et capcionis et detempcionis qui fierent si ab inicio fuissent in bonis dicti filii et ut supra tractant statuunt et ordinant fieri et obseruari debere non obstante aliquo capitulo statuto uel ordinamento nec iure seu lege aliqua et quod aliquis opponens uel allegans contra predicta uel in contrarium non audiatur nec audiri debeat.

De faciendo partem filio forestato.

Item tractant et ordinant quod aliquis patronus alicuius nauis coche galee ligni de teriis de bandis seu oneris uel alicuius ligni seu uasis nauigabilis uel qui preerit alicui ipsorum lignorum uel uasorum nauigabilium non audeat uel presumat portare uel aducere in aliquo ipsorum uasorum nauigabilium aliquem uel aliquos forestatum uel forestatos occaxione officii dictorum octo seu qui forestabitur de cetero seu aliquem uel aliquos declaratum seu declaratos per officium dictorum octo siue per ipsos octo uel maiorem partem quod inciderit in aliquam penam seu penas pro eo quod non obseruauerint tractatus preteritos uel futuros et si quis ipsorum patronorum ut supra per omnia non obseruauerit seu in aliquo contrafecerit statuunt et ordinant dicti octo quod ille patronus dicti uasis nauigabilis seu qui preerit ipsi uasi teneatur et debeat soluere dicto officio in pecunia numerata tantam quantitatem pecuniae quantam ille quem dictus patronus portauerit uel reddurerit dare tenebitur seu tenetur dicto officio allegacione seu excusacione quibuslibet pretermissis.

Quod securitates durent usque ad menses sex.

Millesimo trecentesimo decimo septimo. die uigessima prima nouembris.

Octo sapientes constituti per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris seu maior pars eorum quorum nomina sunt hec.

Gabriel Marocellus
Daniel Falamonica
Iacobus de Valencia
Guillelmus Caffarinus
Petrus de Goano.

Ex potestate et baylia eis attributa ex officio ipsorum et omni modo et forma quibus melius possunt uolentes aliqua immutare seu addere tractatibus et ordinamentis supradictis et specialiter illi articulo siue ordinamento ex dictis tractatibus qui sic incipit «Item quod omnes et singuli Ianuenses et districtuales Ianue et qui pro Ianuensibus dicuntur seu appellantur qui ducere uel mittere ad nauigandum noluerint etc.» statuunt et ordinant quod securitates nauigandi que date siue prestite fuerint secundum formam supradicti articuli siue tractatus pro aliquo ligno quod nauigare debeat de Ianua usque ad portum Pissanum uel ab inde citra uel usque Niciam uel ab inde citra durent et durare debeant et intelligantur et sint obligate a die que fuerint prestite usque ad menses sex tunc proxime uenturos nec compelli possit uel debeat aliquis patronus alicuius ligni nauigantis seu nauigare debentis in dictis uiagiis uel aliquo eorum pro eo quod reddiisset Ianuam cum dicto ligno et postea recedderet de Ianua pro eundo in dictis uiagiis ad prestandum cauciones nauigandi nisi de sex in sex mensibus nec propterea intelligantur incidisse patroni in aliquas penas non obstantibus hiis que in supradictis tractatibus continentur.

De mitendo presentes tractatus potestati Peyre.

Item quod presentes tractatus et ordinamenta mittantur et mitti debeant publicata siue signata potestati Ianuensium in Peyra potestati Cypri quando illic potestas erit et consuli Ianue in Caffa consuli Ianue in Trapesonda uel Simisso et Sicilie et ad diuersas mondi partes prout uidebitur predictis sapientibus octo uel tractatoribus mercancie ut supra ne aliquis propter ignoranciam excusetur (1).

(1) Hic in codice sunt quatuor pagellae sine scriptura.

Ordinamentum factum in galeis nauigaturis ad aquas mortuas.

Millesimo trecentesimo decimo septimo. die quartadecima octobris.

Octo sapientes constituti per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris seu maior pars eorum quorum nomina sunt hec.

Leonardus de Poncte prior
Babillanus Saluaticus
Anthonius de Marinis
Luchinus de Viualdis
Marzochus Pinellus
Ioannes Passara
Symon Brondus.

Volentes ex potestate et baylia eis ex dicto eorum officio concessa et atributa prouidere securitati et saluamento galearum et lignorum nauigancium et nauigare debencium de Ianua ad aquas mortuas et de aquis mortuis debentium uenire Ianuam et rerum et mercium que deferuntur per mare de Ianua uel districtu ad aquas mortuas et torsellorum rerum et mercium que de aquis mortuis aducuntur siue deferuntur Ianuam per mare statuunt et ordinant ut infra

Videlicet quod a kalendis nouembris proxime uenturis in antea aliquis Ianuensis uel districtualis Ianue uel qui pro Ianuensi habeatur distringatur uel appelletur per se uel aliquam aliam personam pro eo non debeat nec possit ducere uel mittere uel duci uel mitti facere de Ianua uel de aliqua parte Riperie Ianue scilicet a Coruo usque Monachum ad aquas mortuas nec de aquis mortuis ducere seu duci uel mitti facere cum rebus et mercibus et torsellis uel sine aliquam galeam armatam que non sit de mensuris ordinatis super galeis euntibus et nauigantibus de Ianua in Romaniam uel de minoribus mensuris et quod aliqua galea armata que non sit de mensuris galearum subtillium nauigantium de Ianua in Romaniam nec debeat nec possit a dictis kalendis nouembris proxime uenturis in antea ire uel nauigare de Ianua ad aquas mortuas nec de aquis mortuis uenire Ianuam cum rebus et mercibus uel sine sub pena de libris quingentis Ianue pro qualibet galea et qualibet uice.

Item quod una galea sola armata ex dictis galeis subtillibus non possit nec debeat nauigare seu duci uel mitti ad nauigandum cum mercibus uel sine mercibus de portu Ianue nec de aliqua parte uel loco que uel qui sit de Coruo usque Monachum nec de aliquo alio loco ad Aquas mortuas nec de aquis mortuis uenire Ianuam sed sint ad minus due uel una cum uno ligno de remis octuaginta usque in centum nec aliquod lignum armatum solum similiter ire uel nauigare possit uel debeat uel de districtu Ianue seu de aliquo alio loco ad dictum locum Aquarum mortuarum cum rebus et mercibus uel sine nec deinde reddire Ianuam sed sit ad minus unum lignum cum una ex dictis ga-

a leis subtillibus armatis et hoc sub pena de libris quingentis Ianue pro qualibet galea et qualibet uice qua contra fuerit factum et sub pena de libris trecentis Ianue pro quolibet ligno et qualibet uice qua fuerit contrafactum quam penam soluere debeat patronus illius galee uel ligni quod uel que contrafecerit seu ille qui pro patrono habitus fuerit uel eius fideiussores et sub pena de libris centum ianuynorum pro quolibet mercatore qui super ipsa galea sola uel ligno solo nauigauerit siue Ianuam uenerit et quod una ab altera in toto dicto uiagio recedere non possit ultra unum milliare nisi per fortunam temporis sub pena supradicta librarum quingentarum ianuynorum.

Item statuunt et ordinant quod in qualibet ex
b dictis galeis subtillibus que debent ire uel nauigare in dictum uiagium sint et esse debeant in dicto uiagio toto tam in eundo quam in reddeundo infrascripta.

Videlicet homines centum sexaginta boni et sufficientes ad soldum ipsius galee computatis patrono scriba et petentario et uogeriis quorum hominum quatuor quinte partes sint Ianuenses uel de districtu Ianue.

Coyracie cxx.
Ceruelerie centum triginta.
Collareti ferri centum uiginti.
Scuta centum sexaginta.
Roncore octo.
Balistre cum duabus cordis ultra magistram tri-
c ginta.
Crochi boni et sufficientes uiginti.
Carchassii triginta.
Quadrelli quatuor millia inter quos sint duo millia de bonis siue illius bonitatis cuius erant illi quos comune fecit fieri in cecha.
Lancie longe uiginti.
Lanciarum clauarinarum duodene tres.
Verrucorum duodene sex.
Remi boni pro uogando ad minus centum triginta.
Rampegoli duo cum catenis.

In quolibet uero ligno tam in eundo quam in reddeundo in toto dicto uiagio esse debent infrascripta uidelicet.

Tot homines ad soldum ipsius ligni ultra suum
d armamentum quot erit tercia pars ipsius armamenti ad soldum ipsius ligni boni et sufficientes quorum hominum quatuor quinte partes sint de Ianua uel de districtu

Item Coracie octuaginta.
Collareti ferri octuaginta.
Scuta centum uiginti.
Roncolle sex.
Balistre cum duabus cordis pro qualibet balistra ultra magistram uiginti.
Crochi uiginti.
Carchassi uiginti.
Quadrelli tres millia inter quos sint de bonis uidelicet illius bonitatis cuius erant illi quos comune fecit fieri in cecha mille quingenti.

Lancie longe sexdecim.
Lanciarum clauarinarum dozene due.
Verucorum dozene quatuor.
Remi boni pro uogando ad minus centum decem.
Rampegolli duo cum catenis.

Et si in aliqua galea uel ligno ex predictis defficerent supradicta uel aliquod supradictorum in toto dicto uiagio in eundo uel reddeundo patronus siue patroni qui preerit seu preerint ipsi galee uel ligno in quo siue qua fuerit contrafactum incidat et incidant et incidisse intelligantur in penis infrascriptis tociens quocies fuerit contrafactum siue in eundo siue in reddeundo uidelicet

Pro quolibet homine qui defficeret in lib. xxv. ian.
Pro qualibet coracia que defficeret in lib. v. ian.
Pro qualibet cerueleria in lib. L. ian.
Pro quolibet quadrello in sol. I. ian.
Pro quolibet ueruo in sol. v. ian.
Pro qualibet lancia longa siue clauarina in sol. v. ian.
Pro quolibet collareto ferri in sol. v. ian.
Pro quolibet scuto in lib. I. ian.
Pro quolibet remo in lib. I. ian.
Pro quolibet rampegollo cum catena in lib. II. ian.
Pro qualibet balistra in lib. v. ian.
Pro qualibet roncolla in sol. v. ian.
Pro quolibet crocho in sol. v. ian.
Pro quolibet carchassio in sol. II. ian.

Item statuunt et ordinant quod in qualibet ex dictis galeis et lignis ex quo de portu Ianue uel de aliqua parte riperie Ianue recesserit sint et esse debeant in toto dicto uiagio tam in eundo quam in reddeundo loca infrascripta expedita et per modum infrascriptum.

Videlicet a porta petentarii usque ad pupam totum scandorarium expeditum ita quod in ipso scandorario uidelicet super bancho non ponantur nec stent alique res uenales uel alique alie res uel merces nisi solummodo arma galee et arnixia mercatorum et distet dicta porta petentarii a pupa per latas decem et palmos septem sicut habent et habere consueverunt alie galee.

Item deuersus prodam a lata cui arembatur arbor galee uersus prodam remaneant et remanere debeant late quatuor que dicuntur placie libere et expedite supra banchum pro ibi ponendo et collocando uella et sartias galee et aliqua alia in toto dicto uiagio ibi poni uel stare non debeant.

Item statuunt et ordinant quod in aliqua ex dictis galeis uel lignis non possint nec debeant portari uel defferri seu aduci in coperta siue super coperta alique res seu merces.

Et ut patroni galearum et lignorum predictorum et predictarum melius obseruent ea que obseruare debent secundum formam presencium tractatuum teneatur quilibet patronus cuiuslibet galee sub pena de libris mille Ianue et quilibet patronus cuiuslibet ligni sub pena de libris sexcentis Ianue antequam galea uel lignum in qua uel quo secutus erit in uiagium supradictum recedat de portu Ianue uel de aliqua parte riperie Ianue facere pre-

a dicto officio dictorum octo scilicet pro qualibet galea depositum de libris trecentis Ianue uidelicet de libris centum quinquaginta in bonis et ydoneis personis non bancheriis de quibus uidebitur dictis octo uel maiori parti eorum et de libris centum quinquaginta Ianue in aliquo bono et ydoneo bancho ad uoluntatem dictorum octo uel maioris partis eorum et que libre centum quinquaginta scribantur pure sine aliqua condicione uel excepcione dicto officio ita quod sint et esse intelligantur dicti officii et de ipsis dictum officium semper facere possit ad suam uoluntatem et pro quolibet ligno similiter fiat depositum de libris ducentis Ianue uidelicet de libris centum in bonis et ydoneis personis de quibus uidebitur dictis octo uel maiori parti
b eorum et de libris centum in aliquo bono et ydoneo bancho Ianue que scribantur pure sine aliqua condicione uel excepcione dicto officio dictorum octo ad faciendum ex ipsis ad eorum uoluntatem.

Et si forte aliqua galea uel lignum non habuerit in toto uiagio supradicto tam in eundo quam in reddeundo spacia superius ordinata et quilibet eorum expedita prout superius dictum est uel apportauerit seu aduxerit in coperta siue super coperta aliquas res uel merces seu aliquem torsellum uel in aliqua alia re siue rebus ex supradictis pecauerit uel non obseruauerit ut supra exigantur a domino seu patrono ipsius galee uel ligni que uel quod contrafecerit in aliquo ex predictis libre centum ex dicto deposito siue dicti depositi.

c Et si aliquis deffectus non fuerit inuentus in ipsa galea uel ligno in toto uiagio in eundo uel reddeundo restituatur ipsi patrono per quem presentes tractatus fuerint obseruati totum dictum depositum.

Item statuunt et ordinant quod omnes Ianuenses uel qui pro Ianuensibus teneantur uel appellentur uel qui gaudeant beneficio Ianuensium teneantur et debeant per se uel nuncios seu factores suos omnes cargias et res et merces quas uehy seu portari facere uoluerit per mare ad aquas mortuas et omnes torsellos res et merces quas defferri et mitti facere uoluerint Ianuam de aquis mortuis teneantur et debeant portari defferri et aduci facere in predictis galeis et lignis ianuensibus que fecerint supradictum depositum dicto officio dictorum octo et non aliqua
d alia galea uel ligno modo aliquo qui dici uel excogitari possit debeant ipse cargie res et merces et torselli mitti uel adduci et hoc sub pena de soldis quinque Ianue pro quolibet cantario rerum et mercium et de soldis quadraginta Ianue pro quolibet torsello.

Coria uero et alumen bombecium et guaudum et rozia non obstantibus supradictis possint portari adduci in aliis galeis grossis uel lignis quam in supradictis sine metu alicuius pene.

Supradicta uero non preiudicent nec preiudicare intelligantur galee Zacharie belli nec galee Ianini de portu ueneris que modo sunt parate ad eundum ad aquas mortuas nec aliis galeis que modo sunt in aquis mortuis quantum quod presenti uiagio

scilicet postquam ipse reddierint Ianuam teneantur a et sint obligate ad omnia et singula supradicta uidelicet quelibet earum postquam reddierint Ianuam.

MCCCXVII. die VIIII nouembris.

Octo sapientes constituti per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris seu maior pars eorum ex potestate et baylia eis ex officio eorum atributa uolentes aliqua mutare in statutis seu ordinamentis superius proxime factis super galeis ire debentibus de Ianua ad aquas mortuas statuunt et ordinant super capitulo seu statuto quod incipit « Item quod una galea sola armata ex dictis galeis subtilibus non possit nec debeat nauigare etc. addunt et mutant et addendo et mutando statuunt et b ordinant quod non obstantibus hiis que in dicto articulo siue statuto continentur quolibet anno siue tempore una galea sola ex dictis subtillibus armata et furnita prout in supradictis tractatibus continetur a kalendis nouembris usque ad kalendas aprilis possit ire et nauigare de Ianua ad aquas mortuas et de inde infra dictum tempus reddire Ianuam et a dictis kalendis aprilis usque ad kalendas nouembris esse debeant due uel una cum uno ligno armato prout in supradictis tractatibus continetur.

Item in alio statuto siue poncto dictorum tractatuum et quod incipit « Item quod deuersus prodam cui arembatur arbor etc. ubi dicit in dicto capitulo deuersus pupam statuunt et ordinant quod dimitantur due late deuersus portam a lata cui c arembatur arbor (1).

Deuetum Alexandrie (2).

MCCCXVI. die XVIIII. marcii.

Quia parum prodessent iura nisi essent qui ipsa tuerentur ad compescendum impiorum quorumdam improbitatem quos auaricie et cupiditatis cecitas exorbitat idcirco octo sapientes constituti super officio nauigandi et maris maioris siue septem ex eis quorum nomina sunt hec.

Amicetus Tartaro prior
Manfredus de Marinis
Pilauicinus Pilauicinus
Franciscus Lomelinus
Manuel Bancherius
Guillelmus de Podio
Manuel de Bonauer
Albertus de Biato.

Volentes utilitati nauigancium et nauigandi salubriter prouidere ex potestate et baylia eorum officii et omni iure modo et forma quibus melius potuerunt et possunt tractant statuunt et ordinant ut infra.

(1) Hic in codice extant sex pagellae sine scriptura.

(2) Hoc capitulum fidem qua Genuenses pacta inita cum imperatoribus Byzantinis servari curarent plane demonstrat; discimus ex eodem prohibuisse teterrimum Mamelucorum commercium quod tunc temporis aliarum gentium mercatores exercebant quamvis a S. Pontifice damnaretur.

Primo uidelicet quod aliqua persona de ciuitate Ianue uel districtu seu de aliqua parte ex riperiis Ianue uel que pro Ianuense appeletur seu distringatur uel gaudeat aliquibus immunitatibus priuilegiis seu beneficiis tamquam Ianuensis cuiuscumque condicionis seu status sit non possit nec debeat modo aliquo qui dici uel excogitari possit defferre seu defferri facere mitere seu mitti facere ferrum factum uel infectum lignamina facta uel infecta berzeum neruum sagitas quadrellos balistras uel aliquod aliud genus armorum neque mumulicos siue mumulichas mares uel feminas neque aliquos Saracenos Turcos uel infidelles in Alexandriam de ultra mare uel ad aliquem alium locum subditum Soldano Babilonie neque super mittendo uel mitti faciendo defferendo seu defferri faciendo aliquid ex predictis uel aliquibus seu aliquo de predictis ineat uel faciat iniri uel contrahy faciat aliquem contractum uel mutuum siue cambium in ipso uiagio.

Item quod aliqua persona non possit uel debeat aliquos mumuluchos mares uel feminas Sarracenos uel alios infideles intus mare maius uel in imperio Romanie portare ducere uel duci facere in aliqua galea naui cocha uel aliquo alio ligno nauigabili de uno loco ad alium exceptis ambaxiatoribus et eorum familiis ad quos presens clausula se non extendat et intelligantur esse de familia dictorum ambaxatorum illi quos consul de Caffa et sex consiliarii eius uel maior pars ellegerint et dixerint et non alii.

Item quod potestas Peyre qui nunc est et pro tempore fuerit et consul Caffe qui nunc est et pro tempore fuerit et quilibet eorum teneantur et debeant prohibere et facere prohiberi totis uiribus quod in aliqua galea naui cocha uel alio ligno nauigabili non onerentur nec ponantur mumulchi mares uel femine Sarraceni seu sclaui contra formam predictam nec ferrum factum uel infectum frecias seu sagitas lignamina facta uel infecta uel aliqua alia arma contra formam predictam et de hiis accipere bonam et ydoneam securitatem tam a patronis quam a mercatoribus de quibus appareret uel crederetur seu uerisimille esset uel appareret d uelle seu posse facere contra predicta uel aliquod predictorum uidelicet consul Caffe in Caffa et in iurisdicione sua et potestas Peyre in Peyra et iurisdicione sua et de predictis non faciendis et obseruandis teneatur quilibet dictorum potestatis et consulis quolibet mense publice fieri facere cridam uidelicet potestas Peyre per Peyram et consul Caffe per Caffam et eciam teneatur potestas Peyre qui pro tempore fuerit accipere ydoneam satisdacionem a quolibet patrono cuiuslibet nauis galee coche et cuiuslibet alterius ligni que uel quod intraret mare maius pro eundo ultra giro de obseruandis omnibus et singulis supradictis quam satisdacionem quilibet patronus prestare teneatur ad mandatum siue requisicionem potestatis predicti et si quis patronus

dictam satisdacionem prestare noluerit uel non prestiterit requisitus incidat et incidere intelligatur in penas in quas incideret si contrafaceret presenti tractatui in aliquo et si dictus potestas dictam satisdacionem non requisierit et fieri non fecerit intelligatur contrafecisse presenti tractatui et infrascriptam penam incidat et committat. *a*

Item quod in predictis uel aliquo predictorum non possit nec debeat per aliquam personam fraus committi uel fieri.

Item quod aliquis super premissis uel aliquo predictorum non possit aliquod cambium empcionem uendicionem permutacionem mutuum seu aliquem alium contractum facere uel celebrare seu fieri facere uel celebrari et si secus fieret sit talis contractus et obligacio ipso iure nullus et nulla et *b* nullius efficacie uel ualoris et inutilis in agendo et excipiendo nec de tali uel super tali contractu audiatur uel audiri possit uel debeat aliqua persona per aliquem magistratum Ianue uel districtus seu consulem uel rectorem Ianue alicuius loci.

Et intelligatur contractus factus et obligacio facta contra predicta uel aliquod nedum de quo uel qua constaret secundum probaciones iuris comunis seu capitulorum Ianue imo eciam ille et illa de quo et qua per officium dictorum octo demum dictum seu declaratum fuerit esse contra predicta uel aliquod predictorum quod dictum seu declaracio dictorum octo quantum ad predicta habeatur pro plena probacione contra quam non possit admitti probacio in contrarium. *c*

Si quis autem contra predicta uel aliquod predictorum fecerit puniatur ut infra et ab eo aufferatur ut infra.

Videlicet pro quolibet momulucho seu alio quouis homine masculo quem detulerit misserit uel portauerit mitti defferri seu portari fecerit per se uel submissam personam uel submissas personas seu aliquo modo tractauerit uel tractari fecerit seu consenserit uel consentiri fecerit seu permiserit uel permitti fecerit seu dederit conscilium auxilium fauorem uel operam seu dari fecerit aliquo modo uel ingenio quod mittantur portentur uel deferantur dirrecto uel per oblicum in Alexandriam predictam uel alia loca de quibus predictum est seu de quo uel pro quo in aliquo de predictis contrafecerit *d* seu predicta omnia non obseruauerit exigantur ab ipsa persona per dominum potestatem Ianue libre centum Ianue et pro qualibet momulucha seu alia quauis femina libre quinquaginta Ianue.

Pro quolibet ferro facto uel infecto armis friciis equo uel equis lignamine facto uel infecto bricio neruo sagitis quadrellis balistis seu quibusuis aliis armis uel ferramentis pice canabo nouo commisso uel non commisso et canabo ueteri exigantur et exigi debeant cum effectu per dictum dominum potestatem Ianue ab ipsa persona soldos quindecim Ianue pro qualibet libra ualimenti eius quod illuc portauerit misserit seu detullerit uel deferri fecerit ut supra seu aliquo modo tractauerit seu tractari fecerit seu consenserit seu consentiri fecerit seu permiserit uel permitti fecerit seu dederit conscilium auxilium uel fauorem seu operam uel dari fecerit aliquo modo uel ingenio quod portentur mittantur seu defferantur seu pro quo uel de quo in aliquo de predictis contrafecerit seu predicta omnia non obseruauerit.

Quod ualimentum extimetur et intelligatur per octo qui pro tempore fuerint in dicto officio nauigandi et maris maioris uel per maiorem partem eorum secundum extimacionem eius loci in quo plus ualuerit ita quod arbitrium et extimatio dictorum octo pro uera et legitima probatione habeatur.

Et quilibet patronus nauis galee seu coche seu cuiuslibet alterius ligni que uel quod ad dictas partes iuerit exigantur et exigi debeant soldi decem Ianue pro libra ualimenti nauis galee coche seu cuiuslibet alterius ligni uel barche et nauli quod inde habebitur et sarcie corredi et apparatus ipsius et quilibet comitus in libris centum Ianue et quilibet marinarius nauis galee coche et cuiuslibet alterius ligni nauigabilis in libris decem ianuynorum et quilibet nauclerius in libris quinquaginta Ianue cum qua seu quo contrafactum fuerit uel non obseruatum ut supra.

Potestas autem Peyre si predicta sibi imposita et commissa ex uigore presentis tractatus non obseruauerit puniatur et aufferratur ab eo qualibet uice qua contrafecerit uel non obseruauerit usque in libris duobus millibus Ianue et consul Caffa si predicta non obseruauerit sibi imposita et commissa ex uigore presentis tractatus puniatur et aufferatur qualibet uice qua contrafecerit uel non obseruauerit usque in libris duobus millibus ianuynorum.

Et intelligatur quilibet in predictis et quolibet seu aliquo predictorum contrafecisse et non obseruasse qui per octo qui in dicto officio pro tempore erunt uel maiorem partem ipsorum extractus fuerit in cedula uel cedullis et datus uel denunciatus domino potestati dicto officio durante et eo finito officii mercancie.

Qui dominus potestas sine aliqua alia condempnatione uel solempnitate processus teneatur suo officio a quolibet in cedulla uel cedullis sic extracta et a fideiussoribus eius exigere omnes quantitates illas pecuniarum de quibus in cedula uel cedulis continebitur et prout in cedula uel cedulis continebitur nulla excepcione uel defensione audita infra dies quindecim postquam cedula extracta fuerit et contra personas denunciatas et eorum fideiussores et bona ad exactionem dictarum penarum infra dictum tempus procedere et si de bonis inuenire non posset que bona ipse dominus potestas suo officio dilligenter inquirere teneatur unde possent dicte pene exigi uel haberi teneatur illas personas sic denunciatas et eorum fideiussores a quibus pene predicte exigi non possent bannire et forestare infra alios dies quindecim de quibus fore-

stacionibus et banno exire non possint nisi primo a
ipse pene fuerint integraliter solute.

Que denunciaciones et declaraciones habeantur et haberi debeant quantum ad predicta et quodlibet predictorum pro probacione plenissima nec contra ipsas admittatur uel admitti possit probacio aliqua in contrarium.

Qui octo durante eorum officio et eo finito sapientes mercancie contra omnes et singulos quos audiuerint intellexerint crediderint uel eis uissum fuerit procedere teneantur eorum iuramento et officio et cedullas contra omnes et singulos contrahere in presencia domini potestatis quos cognouerint crediderint uel eis uel maiori parti eorum uissum fuerit uerissimiliter fecisse contra predicta uel aliquod predictorum. b

Dicte autem pene et quantitates que exigentur ut supra aplicentur ut infra.

Predicta omnia et singula teneatur et debeat dominus potestas Ianue et quilibet magistratus ciuitatis Ianue et districtus presentes et futuri obseruare et facere obseruari precisse non obstante aliquo alio deueto uel capitulo generali uel speciali quacumque uerborum ligacione seu solempnitate uallato eciam si in eo contineretur aliquo alio capitulo non obstante sed sit presens capitulum et deuetum abrogatorium et derrogatorium omnibus aliis deuetis capitulis statutis et ordinamentis condictis uel condendis in eo quod presenti deueto seu capitulo obuiarent uel contradicerent uel eius effectum uel execucionem impedirent et si potestas predicta omnia c et singula non obseruauerit seu contrafecerit in predictis uel aliquo predictorum possit et debeat sindicari in libris mille ianuynorum et si deinde usque ad mensem postquam fuerit condempnatus et requisitus a dictis octo uel maiori parte eorum iterum non obseruauerit omnia et singula supradicta iterum in aliis libris mille ianuynorum debeat sindicari infra dies quindecim tunc proxime uenturos per sindicatores constitutos et constituendos ad sindicandum dominum potestatem secundum formam capituli de robariis et sic obseruetur et fiat de mense in mensem usque ad finem sui regiminis ita quod tociens quociens contrafecerit in predictis seu aliquo predictorum seu predicta et quodlibet predictorum non obseruauerit de mense in mensem in d supradictam penam sindicatores ut supra dictum est incidat et debeat sindicari et dicti octo iuramento teneantur ipsum potestatem dictis sindicatoribus dicta ex causa ellectis accusare quociens contrafecerit uel non obseruauerit uel eis uisum fuerit ipsum contrafecisse uel non obseruasse omnia et singula supradicta uel aliquod predictorum et si alii ipsorum octo uisum fuerit ipsum contrafecisse uel ut supra non obseruasse teneatur id sociis suis denunciare.

MCCCXVII. die XXX. decembris.

Octo sapientes constituti per comune Ianue super factis maris maioris siue maior pars statuunt et ordinant et tractant quod nulla persona in portu Ianue uel aliqua parte riperie a Coruo usque Monachum audeat onerare lignamina facta uel infecta bercium neruum atque mumulucos mares uel feminas uel alia uetita per dictos tractatus super aliqua galea naui uel aliquo alio ligno sine expressa licencia dictorum octo uel maioris partis ipsorum sub pena arbitrio ipsorum imponenda et nichilominus teneantur dicti octo et debeant eorum officio inquirere procedere et facere quod nullus portet aliqua ex predictis ad aliquam terram subditam soldano Babilonie.

Deuetum Ispanie et Barbarie.

Millesimo trecentesimo quadragesimo die decima septima marcii.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuerunt omnes ipsi octo nomina quorum sunt hec

D. Octauianus Grillus prior
Melianus Ricius
Babillanus Gentillis
Belengerius de Gualterio
Benedictus de Cassanoua
Leo de Vezano.
Enricus Bonuini et
Bartholomeus Rampegollus.

Volens obuiare maliciis peccatorum et prouidere saluti ciuium Ianue ad bonum statum ciuitatis Ianue et ad augumentum S. matris Ecclesie tractauit statuit et prohibuit per modum deueti quod aliqua persona Ianue seu qui Ianuensium beneficio gaudeat uel qui pro ianuense reputetur non possit nec debeat modo aliquo qui dici uel excogitari possit defferre seu defferri facere mitere seu mitti facere ferrum factum uel infectum lignamina facta uel infecta berzerium neruum sagitas quadrellos balistras uel aliquod aliud genus armorum neque mumulcos uel mumulcas mares uel feminas neque aliquos Sarracenos Turcos uel infideles ad aliquas partes sarracenas uel Sarracenorum parcium occidentalium uel orientalium.

Item quod in predictis uel aliquo predictorum non possit nec debeat per aliquam personam fraus committi uel fieri.

Item quod aliquis super premissis uel aliquo predictorum non possit aliquod cambium empcionem uendicionem permutacionem mutuum seu aliquem alium contractum facere uel celebrare seu fieri facere uel celebrari et si secus fieret sit talis contractus et obligacio ipso iure nullus et nulla et nullius efficacie seu ualoris et inutillis in agendo et excipiendo nec de tali uel super talli contractu audiatur uel audiri possit uel debeat aliqua persona per aliquem magistratum Ianue uel districtus seu consulem uel rectorem Ianue alicuius loci.

Et intelligatur contractus factus et obligacio facta contra predicta uel aliquod nedum de quo uel

qua constaret secundum probaciones iuris comunis a
seu capitulorum Ianue imo eciam ille et illa de quo et qua per officium dictorum octo dictum seu declaratum fuerit esse contra predicta uel aliquod predictorum quod dictum seu declaracio dictorum octo quantum ad predicta habeatur pro plena probacione contra quam non possit admitti probacio in contrarium.

Si quis autem contra predicta uel aliquod predictorum fecerit puniatur ut infra et ab eo aufferatur ut infra.

Videlicet pro quolibet mumuluco seu alio quouis homine masculo quem detullerit miserit uel portauerit mitti ferri seu portari fecerit per se uel submissam personam uel submissas personas seu aliquo modo tractauerit uel tractari fecerit seu con- b
senserit uel consentiri fecerit seu permiserit uel permitti fecerit seu dederit conscilium auxilium fauorem uel operam seu dari fecerit aliquo modo uel ingenio quod mitantur portentur uel ferrantur directo uel per oblicum in Alexandriam predictam uel alia loca de quibus predictum est seu de quo uel pro quo in aliquo de predictis contrafecerit seu predicta omnia non obseruauerit exigantur ab ipsa persona per dominum potestatem Ianue libre centum ianuynorum et pro qualibet mumulucha seu alia quauis femina libre quinquaginta ianuynorum.

Pro quolibet ferro facto uel infecto armis friciis equo uel equis lignamine facto uel infecto bricio neruo sagitis quadrellis balistris seu quibusuis aliis armis uel ferramentis pice canabo nouo commisso c
uel non commisso et canabo ueteri exigantur et exigi debeant cum effectu per dictum dominum potestatem Ianue ab ipsa persona soldos quindecim Ianue pro qualibet libra ualimenti eius quod illuc portauerit misserit seu detullerit uel deferri fecerit ut supra seu aliquo modo tractauerit seu tractari fecerit seu consenserit seu consentiri fecerit seu permisserit uel permitti fecerit seu dederit conscilium auxilium uel fauorem seu operam uel dari fecerit aliquo modo uel ingenio quod portentur mittantur seu defferantur seu pro quo uel de quo in aliquo de predictis contrafecerit seu predicta omnia non obseruauerit.

Quod ualimentum extimetur et intelligatur per octo qui pro tempore fuerint in dicto officio na- d
uigandi et maris maioris uel maiorem partem eorum secundum extimacionem eius loci in quo plus ualuerit ita quod arbitrium et extimacio dictorum octo pro uera et legitima probacione habeatur (1).

In nomine Domini amen.

MCCCXVI. die XVIII. marcii.

Ordo de Caffa.

Octo sapientes constituti per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris siue septem ex eis pro bono utilitate et securitate mercatorum ire et uti debencium in mari maiori et ut locus de Caffa cicius et uelocius rehedifficetur melioretur et fortifficetur cuius loci hedifficacio et melioracio ac fortifficacio est honor comunis et securitas omnium utencium et uti uolencium in mari maiori tractant statuunt et ordinant ut infra debere inuiolabiliter obseruari.

Quod quilibet patronus teneatur ire ad Caffa et ibi morari per diem unum ad minus.

Primo uidelicet quod quilibet ianuensis et qui pro ianuense distringatur seu appelletur uel qui beneficio ianuensis gaudeat seu gaudere consueuit dominus seu patronus alicuius galee ligni uel barche seu alterius ligni nauigabillis seu qui in aliquo dictorum lignorum partem habuerit qui iuerit in mare maiori seu in mare maius intrauerit cum ipso ligno uel galea et quod mitti uel duci debeat ultra Caffa uersus orientem teneatur et debeat ire ad Caffa et ibi stare per diem unum ad minus sub penis infrascriptis.

Videlicet sub pena pro quolibet patrono cuiuslibet galee armate perperorum trecentorum auri et pro qualibet disarmata perperorum centum et sub pena pro quolibet patrono cuiuslibet ligni portate modiorum quadringentorum usque in mille perperorum centum et a mille supra perperorum ducentorum et pro quolibet ligno portate modiorum a quadringentis infra perperorum quinquaginta in quas penas incidat quilibet patronus cuiuslibet galee et ligni qui contrafecerit ut supra uel non obseruauerit qualibet uice qua contrafecerit.

Quod quilibet patronus ueniens deuersus Tanam teneatur ire Caffa et ibi stare ut supra.

Item quod quilibet patronus cuiuslibet galee seu ligni nauigabillis uenientis deuersus mare Tane et uolentis uenire in Romaniam teneatur et debeat cum ipsa galea et ligno similiter uenire ad Caffa et stare ibi per diem unam ad minus sub dictis penis.

De non accipiendo a patronis pro comergio nisi ut infra.

Item quod aliquo modo uel ingenio non possint uel debeant per aliquem consulem in Caffa uel per aliquam aliam personam capi uel exigi a dominis seu patronis dictarum galearum seu lignorum nauigabilium in Caffa pro comergio uel aliqua dacita uel mutuo ultra quantitates infrascriptas uidelicet

Pro quolibet ligno portate a modiis mille supra perperi duo.

Et portate modiorum quingentorum usque in mille perperus unus.

Et portate a modiis quingentis infra medius perperus.

(1) Hic sunt duo pagellae sine scriptura.

Et pro qualibet galea armata perperi duo.
a
Et pro quolibet mercatore habente in ratione sua perperos mille uel ab inde supra exigatur perperus unus et dimidius et a mercatore habente perperos a D. usque in mille perperus unus et a mercatore habente a perperis centum usque in quingentis perperus medius.

De non soluendo dictum comergium nisi semel in anno.

Et predicta possint exigi siue exonerentur ligna siue non sed qui semel soluerit ut supra uno et eodem anno soluere non debeat nisi semel in anno.

b *Quod ligna soluant in Caffa secundum ordinem.*

Sed si aliqua galea uel lignum aliquod ex dictis lignis nauigabilibus exonerabitur in Caffa tunc soluatur secundum ordinem de Caffa et intelligatur quod lignum non sit exoneratum nisi due partes honeris ligni fuerint exonerate et si lignum uel galea exonerabitur pro duabus partibus in Caffa ut supra non exigatur aliquid ab exonerante occaxione predictis nisi secundum ordinem de Caffa.

De recipiendo securitates a dominis uasorum nauigabilium.

Et ut predicta omnia et singula melius et efficacius obseruentur teneatur et debeat potestas ianuensis in imperio Romanie recipere iuramentum et securitates ydoneas a quibuscumque dominis et patronis galee et aliorum lignorum nauigabilium et ipsi patroni teneantur et debeant ipsi potestati prestare ydoneas securitates de attendendo et obseruando ut supra et contra non faciendo uel ueniendo et hoc antequam intrent in mare maius siue uadant ultra giro sub penis contentis in primo articulo qui incipit - Primo uidelicet etc.
c

De non portando mercaciones in Solcati.

Item quod aliquis ianuensis uel qui pro ianuense distringatur seu appelletur uel beneficio ianuensis gaudeat uel usus sit gaudere non possit nec debeat per se uel alium portare uel portari facere mercaciones aliquas in Solcati possit tamen quilibet ire illuc et stare per dies octo tantum et infra ipsos dies octo emere et acquirere mercaciones quas de ipso loco infra dictos dies octo teneantur et debeant fecisse extrahi et si quis contrafecerit incidat et incidisse intelligatur in penam quarte partis ualimenti mercacionum in quibus contrafactum fuerit que pena aplicetur ad opera de Caffa ut dictum est et ultra sub pena pro persona que ultra dies octo steterit in dicto loco perperorum centum auri.
d

De non uendendo uel emendo mercaciones in Soldaya.

Item quod aliquis ianuensis uel qui pro ianuense distringatur seu appelletur uel beneficio ianuensis gaudeat uel gaudere consueuerit non debeat emere uendere acquirere uel alienare uel in aliquem transferre per se uel per aliam personam aliquas mercaciones in Soldaia sub dicta pena et ultra quod aliquis ultra dies tres non possit stare in Soldaia eciam sine faciendo mercaciones ibi sub pena perperorum centum auri pro quolibet contrafaciente et qualibet uice.

De non deuiando aquam aqueductus episcopi Erminiorum.

Item tractant statuunt et ordinant quod aliquis ianuensis uel qui pro ianuense distringatur seu appelletur seu beneficio aliquo ianuensium gaudeat uel gaudere usus sit uel habitator Caffa non audeat uel presumat aliquo modo uel causa qui dici uel excogitari possit deuiare aquam in totum uel in partem quam per conductum reuerendus episcopus Erminiorum ordinauit et promisit in remedium anime sue ducere in Caffa ab aqueductu nec de ipsa aqua capere uel capi facere per aliquem modum nisi in Caffa et in locis ordinatis de Caffa sub pena balicatorum asperorum pro quolibet et qualibet uice trium millium et nichilominus aqueductus redducatur in locum et aqueductum ordinatum et solitum quam penam consul de Caffa expendere teneatur et debeat in operibus utilioribus de Caffa tantum.

Approbacio facta per dictum officium de instrumento facto dicto domino episcopo per consules de Caffa.

Et ad maiorem firmitatem et ut melius obseruentur ea que consul Ianue in Caffa et consul uniuersitatis de Caffa promisit et conuenit dicto domino episcopo pro facto dicte aque dicti octo ex potestate eis concessa per comune Ianue approbant et confirmant instrumentum factum per dictos consules et sindicum dicto episcopo statuentes et ordinantes quod per consulem de Caffa uel conscilium non possit nec debeat dictum instrumentum uel aliquod ex hiis que in eo continentur infringi tolli uel mutari.

De cisternis fiendis in Caffa.

Item tractant statuunt et ordinant quod in Caffa fiant cisterne in illis partibus de quibus melius uidebitur conscilio et uniuersitati hominum de Caffa et quod consul ianuensis de Caffa et ipsum conscilium faciant ipsas cisternas incipere fieri de pecunia que superest de precio terraticorum si qua superest.

De sex elligendis.

Item statuunt et ordinant quod consul ianuensis in Caffa teneatur et debeat elligere et elligi facere sex bonos et legales mercatores qui non habeant domos in Caffa et secundum quod ipsi sex mercatores uel maior pars consuluerint de spacio dimittendo deuersus marinam faciat et obseruet dictus consul et execucioni mandet precisse.

De spacio permanendo prope muros de Caffa.

Item statuunt et ordinant quod prope muros de Caffa per brachia centum semper remaneat uacuum et expeditum ita quod in dicto spacio nullum hedificium fiat nec consul patiatur fieri et si quod hedificium est infra dictum spacium teneatur et debeat consul de Caffa presencialiter facere tolli dirrui et remoueri.

De non siuernando in Tana.

Item quod aliquis ianuensis uel qui pro ianuensi distringatur uel appelletur seu beneficio ianuensis gaudeat non audeat uel presumat aliquo modo uel ingenio yemare seu siuernare in Tana seu habere tenere uel acquirere in Tana aliquam habitacionem uel domum seu habitaculum et si quis contrafecerit ipso iure incidat et incidisse intelligatur et condempnatus sit in perperis auri quingentis auri pro quolibet et qualibet uice.

De penis exigendis a contrafacientibus.

Quas penas omnes et singulas teneantur et debeant potestas ianuensis in Peyra et consul ianuensis in Caffa exigere a patronis galearum et lignorum contrafaciencium statim cum audiuerint seu intellexerint uel eis seu alteri eorumdem potestatis et consulis uidebitur aliquem uel aliquos contrafecisse seu ut supra non obseruasse et penas quas consul de Caffa exigerit faciat poni in uirtutem clauigerorum de Caffa qui quantitates quas exegerint teneantur et debeant expendere et conuertere in operibus de Caffa magis necessariis et utillioribus pro fortifficacione de Caffa. Et simili modo potestas Ianuensium in Peyra faciat et in operibus de Peyra utillioribus pro Peyra faciat expendere quantitates predictas quas exigerit sed pena semel soluta postea pro eodem facto non soluatur et si potestas et consul predicti dictas penas non exegerint a quibuslibet contrafacientibus teneantur et debeant octo constituti super factis nauigandi et maris maioris iura exigere a dictis potestate et consule in eo quod quilibet eorum non exegerit a contrafacientibus qui ad dictas partes reddierint postea uidelicet potestas Peyre ab illis qui reddierint in Peyram et consul de Caffa ab illis qui reddierint in Caffa et in predictis dicti octo contra dictos potestatem et consulem teneantur et debeant iure ad exaccionem procedere
a in eo et secundum id quod crediderint uel eis uidebitur siue maiori parti contrafactum esse per dictos potestatem et consulem uel alterum eorum seu non exactum ut supra aut in aliquo contrafactum in predictis uel aliquo predictorum per dictos potestatem et consulem uel alterum eorum.

De non exhonerando merces in riperia Soldaye usque ad Caffa.

Millesimo trecentesimo sexto decimo die uigesimo sexto marcii.

Item statuunt et ordinant quod aliquis ianuensis uel qui pro ianuense distringatur seu appelletur
b uel qui aliquo beneficio ianuensis usus sit non permitat de aliquo ligno nauigabilli cui preerit uel in quo erint exonerare seu exonerari facere uel exonerari permitere in aliqua parte riperie que est a Soldaya usque ad Caffa aliquas res uel mercaciones sub pena perperorum centum auri pro quolibet et qualibet uice.

Deuetum de non eundo in Zagora.

Millesimo trecentesimo sexto decimo die XXII. marcii.

Conscilium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris et qui omnes
c octo preter unus fuerunt presentes et concordes.

Viso quodam tractatu facto per quosdam sapientes ad hec ellectos et deputatos per dictos octo sapientes super factis et negociis perdencium et dampnifficatorum per imperatorem de Zogara et subditos siue gentem ipsius domini imperatoris et qui tractatus firmatus fuit per conscilium dictorum octo sapientum Gazarie MCCCXV. die XX. marcii.

Viso et cognito quod nobilis uir Bernabos de Monyardino ciuis Ianue ambaxator et sindicus comunis Ianue accessit pro parte dicti comunis ad dominum Fedixclauum (1) Dei gracia imperatorem et dominatorem Burgarie ad requirendum emendacionem de dampnis illactis Ianuensibus in terris subditis dicto domino imperatori tam in Mauocastro
d quam alibi et eciam ad requirendum iusticiam de maleficiis prefactis perpetratis atque comissis. Cognito eciam quod dictam emendam satisfacionem et iusticiam dictus ambaxator comunis Ianue pro parte dicti comunis non potuit obtinere.

Cognito eciam quod dictus dominus imperator nobilem uirum Constancium Rubeum ambaxatorem dicti domini imperatoris a comuni Ianue destinauit ad respondendum ambaxate misse per dictum Bernabouem pro parte dicti comunis Ianue ad dominum imperatorem prefactum qui Constancius Rubeus ambaxator et nuncius domini imperatoris predicti potestatem complendi et faciendi ea que per

(1) Suyestilau.

dictum Bernabouem ambaxatorem comunis Ianue *a* fuerunt requisita se dixit et asseruit non habere. Cui Constantino pro parte comunis Ianue responsum extitit quod per comune Ianue ambaxator uel nuncius ipsius comunis miteretur in Peyram ad quem locum dictus D. imperator mitere ambaxatorem et nuncium suum posset ad conueniendum de dampnis et iniuriis supradictis cum nuncio siue ambaxatore comunis Ianue qui in primo tempore si uere tunc proximo esset ibidem de predictis sufficienter instructus et plenius informatus.

Ad quem locum Peyre discretus uir Gregorius Furmentus ambaxator et nuncius comunis Ianue dictis occaxione extitit destinatus qui Georgius supradictus in Peyra ambaxatorem uel nuncium domini imperatoris predicti pluribus mensibus expe- *b* ctauit nullus tamen ipsius D. imperatoris ambaxator uel nuncius comparuit siue uenit. Et quod propterea dictus Georgius ambaxator comunis Ianue iuxta formam dicti tractatus pro parte dicti comunis Ianue fecit siue fieri mandauit et fecit denunciaciones et cridas quod nulla persona Ianue uel que pro ianuensi distringeretur uel appellaretur burgensis uel alia auderet ire uel mittere per se uel alium ad aliquam terram siue locum subditam uel subditum dicto domino imperatori res aliquas seu merces et quod nulla persona de Ianua uel districtu uel que pro ianuense distringatur uel appelletur in aliqua terra uel loco subdita uel subdito dicto domino imperatori stare uel morari deberet sed inde deberet recedere et expediuisse dictum imperium in- *c* fra quadraginta dies tunc proximos.

Et quod ipse ambaxator nomine comunis de predictis deuetum fecit siue imposuit generale iuxta formam dicti tractatus prout de hiis cridis denunciacionibus et deueto apparet.

Idcircho dictum conscilium pro necessitate utilitate et euidenti comodo nauigancium et dampnifficatorum in dictis partibus

Ex uigore cuiuslibet baylie et potestatis ipsius conscilii et eorum officii omni iure modo et forma quibus melius potuit

Statuit decreuit firmauit ac eciam ordinauit quod nulla persona de Ianua uel districtu uel que pro ianuensi distringatur uel appelletur audeat uel presumat ire per mare uel per terram ad aliquam *d* terram siue locum subditum uel subditam dicto domino imperatori de Zagora uel res aliquas siue merces quocumque nomine censeantur et in quocumque consistant per se uel alium ad aliquam terram siue locum subditam uel subditum dicto D. imperatori mitere uel defferre publice uel occulte quocumque colore quesito.

Et quod nulla persona ianuensis uel que pro ianuensi distringatur uel appelletur audeat uel presumat morari uel stare in aliqua terra uel loco subdita uel subdito dicto D. imperatori sub pena librarum quingentarum pro quolibet qui contrafecerit et ultra sub pena librarum sex pro quolibet perpero siue pro ualimento cuiuslibet perperi in quo siue de quo fuerit contrafactum.

Item tractat et ordinat quod omnes et singuli Ianuenses et districtuales Ianue siue qui pro Ianuensibus distringuntur uel appellantur qui hinc retro contrafecerunt cridis denunciacionibus et deueto predictis factis per dictum Gregorium Furmentum tunc ambaxatorem comunis Ianue uel imposterum contrafacient uel contrafecisse reperte fuerint hiis que continentur in dictis cridis denunciacionibus siue deueto uel hiis que continentur in presenti ordinacione incidisse intelligantur et incidant cum effectu in dictam penam librarum quingentarum et ultra L. VI. pro quolibet perpero ut dictum est supra.

Item statuit et ordinauit quod dictus D. imperator et subditi sui impune possint puniri offendi molestari grauari in personis et rebus et quod occaxione alicuius iniurie offensionis spoliationis uel dampni non possit aliquis ianuensis uel qui pro ianuense distringatur uel appelletur uel eciam quicumque alius inquietari grauari exigi uel molestari realiter uel personaliter ciuiliter uel criminaliter ordinarie uel extraordinarie eciam per officium robarie uel per quemcumque alium magistratum uel officialem seu officiales comunis Ianue (1).

De securitatibus recipiendis per potestatem Peyre a patronis nauigantibus ultra Giro siue in mari maiori.

Item statuit et ordinauit quod patronus seu patroni cuiuslibet galee nauis uel ligni et cuiuslibet alterius ligni seu uasis nauigabilis teneantur et debeant prestare bonam et ydoneam securitatem siue caupcionem potestati Peyre qui nunc est et pro tempore fuerit antequam recedant de Peyra siue Constantinopoli siue de portu siue portibus Constantinopolis siue Giro pro eundo siue nauigando ultra Giro seu in mare maius de non eundo portando uel defferendo personas uel res aliquas ad aliquem locum uel terram subditum uel subditam dicto D. imperatori et de seruando presens deuetum siue presentem ordinacionem de perperis quingentis auri pro quolibet ligno nauigabilli portate modiorum a quingentis infra de perperis trecentis auri et si quis contrafecerit eundo ultra Giro cum aliquo ligno nauigabilli nisi prius prestitis securitatibus de dictis quantitatibus incidat in penarum predictarum quantitates et ultra in penis predictis.

(1) Lectionem codicis secuti sumus quamvis Furmentum modo Gregorium modo Georgium appellet. Hisce iurgiis inter Genuenses et Bulgaros finem fecit pactam initum Peyrae die 27 maii 1387. V. *Notice des MS. de la Bibliothèque du Roi*, *vol. XI*, *pag.* 65, et *Mémoire de l'Institut Royal de France. Académie des inscriptions et belles lettres*, *tom. VII*, *pag.* 229.

De aliquod lignum in partibus Romanie non uendendo.

Item quod nulla persona ianuensis uel que pro ianuense distringatur uel appelletur audeat uel presumat uendere uel alio titulo alienare galeam nauim uel lignum barcham uel aliud uax nauigabile alicui persone non ianuensi in aliquibus partibus imperii Romanie uel maris maioris sub aliqua fraude uel dolo rompendi dictum deuetum uel faciendi contra predicta uel aliquod predictorum sub penis quantitatum de quibus cauciones prestari debent ut supra et intelligatur quilibet qui uendiderit uel alienauerit lignum nauigabile contrafecisse si postea recuperauerit ipsum lignum in totum uel in parte si in ipso ligno portatus fuerit uel adductus aliquis uel alique merces uel res portate uel adducte contra formam dicti deueti incidisse in penas quantitatum de quibus prestari debent securitates ut supra et ultra in penas ordinatas ut supra.

De non eundo ad Sinopolim (1).

Item quod nulla persona cum aliqua galea naui ligno uel barca audeat uel presumat ire ad locum Susopoli sub pena predicta sub pena librarum quingentarum Ianue pro qualibet persona et qualibet uice.

Quod aliquis notarius non scribat aliquod instrumentum obligacionis de eundo ad terras domini imperatoris.

Item statuit et ordinauit quod nullus scriba siue notarius audeat uel presumat scribere uel conficere aliquod instrumentum de aliquo contractu uel obligacione ex quo contractu uel obligacione aliquis teneatur uel obligetur ire mittere uel defferre personas res seu merces aliquas per mare siue per terram in aliquam terram siue locum subditam uel subditum dicto D. imperatori cum aliquo ligno nauigabili uel sine sub pena librarum ducentarum Ianue.

Quod ad denunciacionem dampnificatorum potestas Peyre et ceteri consules in illis partibus teneantur procedere.

Item statuit decreuit et ordinauit quod potestas Peyre consul Ianue in Caffa et consul Ianue in Trapesonda qui nunc sunt et pro tempore fuerint teneantur et debeant ad denunciacionem siue simplicem notificacionem cuiuslibet ex perdentibus et damnifficatis siue cuiuslibet procuratoris eorum uel alicuius eorum receptis probacionibus quas habere poterit procedere summarie et de plano et sine strepitu et figura iudicii ad exaccionem dictarum penarum contra quamcumque personam ianuensem
a uel que pro ianuense distringatur quam sibi uissum fuerit uel crediderit comisisse uel contrafecisse presenti deueto siue presenti ordinacioni.

De penis exigendis.

Et ut dicta pena et pene melius et facilius exigi possint statuit et ordinat dictum conscilium quod per dictum conscilium et officiales dicti officii qui nunc sunt et pro tempore fuerint procedi possit et debeat ad exaccionem dicte pene siue dictarum penarum in omnibus et per omnia iuxta formam tractatus et ordinamentorum dicti officii Gazarie et prout dictum officium penas exigit ab hiis qui contrafaciunt ipsi officio Gazarie.
b Quas penas omnes supradictas teneantur exigere dicti potestas et consules et quilibet ipsorum ab hiis qui uenerint contra presens deuetum ad notifficacionem uerbalem eorum et cuiuslibet eorum de quibus dictum est ut supra et eciam ad notifficacionem cuiuslibet alterius persone quam dictorum perdencium uel alicuius eorum uel procuratoris eorum uel alicuius ipsorum alioquin a dictis potestate et consulibus et quolibet eorum exigatur et exigi debeat per officium dictorum octo eorum officio durante et ipsorum officio expirante per octo tractatores mercancie tanta quantitas quanta exigi debuisset ab eo uel ab illis qui contrafecerint presenti deueto et ordinacioni et intelligantur exigere debuisse dictos potestatem et consules et quemlibet eorum quos et quam dicti octo uel dicti tra- c
ctatores mercancie uel maior pars ipsorum crediderint uel crediderit uel eis seu maiori parti ipsorum uisum fuerit exigere debuisse.

Millesimo trecentessimo sextodecimo die uicesimo sexto marcii.

Iacobus Ferrerius cintracus (1) comunis retulit se hodie de mandato domini potestatis Ianue uoluntate et ordinacione predictorum octo predictos tractatus statuta et ordinamenta factos et facta die XVIII. marcii et die XVIIII. marcii et die XXII. marcii presentis mensis preconasse et publicasse per ciuitatem Ianue.
d Paulus Lanfrancus.

In nomine domini amen.

MCCCXVI. die XXX. augusti.

Sapientes constituti per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris et quorum nomina sunt hec
Guidetus Agogna prior
Nicolaus Squarzaficus
Symon Botinus
Rizardus Picamilius

(1) Sic in codice. Lat. *Apollonia*. Ital. *Sissopoli*.

(1) Praeco.

Petrus de Goano *a*
Iacobus de Mari Andree
Ioannes de Marcho et
Sorleonus Cataneus.

Ex potestate et baylia officii predictorum per dictum comune atributis per capitulum speciale ciuitatis Ianue quod est sub rubrica de baylia octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris et incipit = corroborantes et confirmantes etc. et cuius capituli tenor inferius uidelicet in fine uidebitur.

Volentes declarare in presenti scriptura reddigere ea que facienda sint per consulem dante domino iturum presencialiter ad partes Caffa quando fuerit in regimine suo et eciam antequam de Ianua recedat per successores ipsius in dicto officio ha- *b* bito de infrascriptis colloquio et tractatu cum sapientibus Ianue et specialiter cum infrascriptis quorum nomina sunt hec.

D. Petrus de Vgolinis
Philipus de Viualdis
Iacobus de Bernensia
Conradus Cataneus
Octobonus Vignosus
Franchinus Lomellinus.

De sallario consulis de Caffa.

Et uiso capitulo ciuitatis Ianue quod est sub rubrica de potestatibus et consulibus ianuensibus qui uadunt per diuersas mondi partes et de eorum of- *c* ficio et incipit = Statuimus et ordinamus quod per illos qui etc. Tractant statuunt et ordinant et declarant quod cum nemo cogatur suis stipendiis militare consul predictus et quicumque alii successores ipsius in dicto officio habeant et habere debeant pro suo sallario ad rationem asperorum ducentorum pro sua scutella et aliorum asperorum ducentorum pro quatuor suis domicellis qui sint seruientes eius quolibet mense quo in dicto officio steterit et quo dictos IIII. domicellos seruientes tenuerit de pecunia comunis de Caffa secundum modum consuetum et quod procuret et procurent habere a comergiariis quamdiu in dicto officio consulatus permanserint quod tamen esse non possit aliquo modo uel ingenio ultra annum uel franchita- *d* tem de mercimoniis suis uel asperos mille quolibet mense quo fuerint in dicto officio sicut hinc retro alii consules habere consueuerunt et non aliud nisi prout infra dicetur.

Quod consul predictus prestet securitatem de libris mille.

Teneatur tamen et debeat et successores sui in dicto officio similiter teneantur et debeant antequam de Ianua recedat et recedant pro exercendo dictum officium prestare ydoneam caucionem que uim laudum et sentenciarum obtineat de libris mille Ianue dicto officio nauigandi et maris maioris de faciendo eorum officium bene et legaliter et bona fide officio predicto de hiis que in dicto consulatu uel occaxione ipsius consulatus gesserit seu fecerit et gesserint seu fecerint in cognicione dicti officii nauigandi et maris maioris et de soluendo usque in dictam summam librarum mille si et quando et prout dicto officio nauigandi et maris maioris uisum fuerit sed non recipiatur aliquis in fideiussorem pro ipso consule uel pro aliquo eius successore in maiori summa librarum ducentarum quinquaginta et sint tales ipsius fideiussores de quibus dictum officium contentetur.

De non concedendo literas dicto consuli nisi cauerit.

Et nisi ut supra cauerit et cauerint non habeat nec habeant literas de dicto consulatu nec eciam habeantur nec reputentur consules nec pro consulibus.

Quod scriba consulis de Caffa caueat de libris trecentis.

Scriba eciam prestet eodem modo ydoneam caupcionem de libris trecentis ianuynorum nec aliter literas de ipsa scribania habeat et nisi ut supra cauerit non habeatur nec reputetur nec sit scriba nec pro scriba in dicto officio consulatus.

Et debeat et teneatur ad dictum officium ire et accedere tali tempore quod possit dictum officium exercere per illud tempus ad quod ellectus fuerit et hoc in primis galeis que ibunt ad partes illas dum tamen a tempore motus ipsarum sit tantum tempus quod uideatur sufficiens pro eundo et aplicando ad ipsum locum de Caffa et si ut supra non iuerit alius loco eius ad dictum officium elligatur per illos ad quos ellectio pertinebit.

Quod consul cum fuerit in Caffa coadunet parlamentum.

Quando autem dante domino consul iturus in Caffa illuc aplicuerit teneatur et debeat quam cicius poterit coadunari parlamentum et in eo legi et uulgarizari literas consulatus sui et ea que sibi iniuncta fuerint legenda et publicanda et suum regimen incipere exercere secundum quod melius crediderit conuenire et prout infra dicetur.

De conuocando XXIIII. *consiliarios ante introytum consulis.*

Item teneatur et debeat prima die sui introytus et eius successores in dicto oficio similiter teneantur et debeant prima die sui introytus conuocare seu conuocari facere illos XXIIII. consciliarios quos ibi inuenerit et inuenerint fuisse ante suum introytum et ipsos iurare facere de elligendo bene et legaliter ac bona fide alios XXIIII. consciliarios pro toto

anno ipsius consulis nec permitere ipsos recedere *a* de aliquo loco in quo includantur quousque ellegerint dictos xxiiii. consciliarios quos elligere teneantur et debeant secrete ad apodisias siue ad breuia ita quod quicumque plures uoces ex ipsis habuerit siue in quem plures ex ipsis apodisiis siue breuibus conuenerint sit de dictis xxiiii. nouis consciliariis.

De iuramento faciendo per xxiiii.

Quorum uiginti quatuor consciliariorum electione ut supra facta compellantur et compelli debeant per ipsum consulem iurare de faciendo eorum officium bene et legaliter iuxta posse ipsorum ac eciam bona fide et sine fraude nulla excepcione uel defensione admissa.

De elligendo sex per uiginti quatuor.

Dicti autem uiginti quatuor consciliarii ut supra ellecti compellantur per ipsum consulem iurare de elligendo et elligant de se ipsis sex ad apodisias siue breuia illos uidelicet quos crediderint meliores et magis ydoneos similiter pro toto qui sint et esse dicantur illi sex de quibus infra dicetur et de quibus fit mencio in capitulis uel tractatibus de hiis loquentibus quorum sex facta ut supra ellectione compellantur iurare per ipsum consulem et iurent de exercendo eorum officium bene et legaliter bona fide per totum tempus predictum.

Quod non possit esse de dictis xxiiii *uel de dictis sex aliquis qui fuerit in ipso officio antea per annum.*

Non tamen possit esse de dictis uiginti quatuor uel de dictis sex aliquis qui in ipso officio fuerit antea per annum imo qui fuerit de ipsis uiginti quatuor consciliariis uno anno cessare debeat per annum unum continue ita quod de dictis uiginti quatuor consciliariis esse non possit et qui fuerit de ipsis sex cessare debeat per duos annos ita quod ex ipsis sex interim esse non possit nec debeat.

Quod non possit esse de dictis xxiiii. *aliquis burgensis de Caffa et de dictis sex ultra unum.*

Nec possit esse uel elligi de ipsis uiginti quatuor consciliariis ultra iiii. de burgensibus Caffe et de dictis sex ultra burgensem unum et semper sint et esse debeant pro dimidia de populo et pro altera dimidia de nobilibus.

Sed si quis de dictis sex uel ex dictis uiginti-quatuor consciliariis quandoque absens fuerit uel iusta causa impeditus per dictos sex uel per illos ex ipsis sex qui haberi poterint eligatur ad breuia et subrogetur loco illius qui absens fuerit uel interesse non poterit et semper cum iuramento de elligendo et subrogando meliorem donec absens uel impeditus reddierit.

Quod consul non debeat interesse dictis ellectionibus.

Consul uero non debeat interesse dictis electionibus nec alicui earum siue fieri debeat de ipsis uiginti iiii. consciliariis siue de ipsis sex siue de aliquo subrogando in locum absentis uel impediti iusta de causa.

Quod non fiat subrogacio alicui nobili nisi de nobili et e conuerso de populari.

b Nec fiat nec fieri debeat subrogacio alicui nobili nisi de alio nobilli et alicui populari nisi de homine qui sit de populo.

Quod consul de Caffa non se intromitat de ellectione aliorum officialium.

Item quod consul dante domino iturus specialiter ad Caffa et alii successores eius in dicto officio se non intromittant aliquo modo de ellectione aliorum officialium quorum officialium officium exerceri debeat in Caffa sed elligantur et elligi debeant singulis iiii. mensibus per xxiiii. consciliarios suos dum tamen non elligant aliquem ex se ipsis nec aliquem qui sit minor annis triginta in aliquo ex *c* dictis officiis et consul infra tres dies computandos a die ellectionis facte de ipsis officialibus teneatur et debeat recipere iuramentum et bonas securitates et ydoneas de tanta quantitate quanta sufficere uideatur ab ipsis officialibus sic ellectis de faciendo et exercendo bene et legaliter ac bona fide officium eorum et de attendendo et obseruando que debuerint et de restituendo que restituere debuerint ratione officii eorum cui et quibus debuerint.

Quod consul non habeat bayliam mittendi rectorem in terra uel loco qui sit ultra Caffa.

d Nec potestatem uel bayliam habeant elligendi et constituendi uel mittendi aliquem consulem uel rectorem in aliqua terra uel loco que uel qui sit extra Caffa sed homines Ianue qui erunt in terris uel locis illis per se ipsos et de se ipsis elligant consulem uel rectorem sicut eis uel maiori parti eorum uidebitur ita quod stare possit in dicto officio per tres menses et non ultra et in fine dictorum trium mensium alius elligatur pro aliis tribus mensibus et non ultra et sic fiat et obseruetur semper successiue nec aliter possit esse uel elligi consul uel rector in aliquo ex ipsis locis qui sit extra Caffa saluo quod consul ianuensis in Caffa possit constituere consulem in Solcati.

De iuramento prestando per dictos consules prima die eorum regiminum.

Dictus eciam consul de Caffa et eius successores in dicto officio et omnes et singuli consules et rectores qui constituentur in quacumque alia parte teneantur et debeant prima die qua incipere debebunt eorum regimen exercere iurare et iurent attendere et obseruare in omnibus et per omnia capitula statuta et ordinamenta comunis Ianue et ius reddere cuilibet persone et iusticiam facere secundum formam dictorum capitulorum statutorum et ordinamentorum saluo quod in hiis in quibus capitula non sunt obseruent et faciant secundum leges romanas et intelligantur esse et sint capitula ea omnia que in presenti tractatu continentur et etiam capitula illa que sunt in curiis predictorum saluis semper in omnibus que infra dicentur.

Quod dicti consules teneantur difinire questiones uertentes coram eis summarie et de plano.

Videlicet quod quicumque fuerit consul in Caffa et in aliis diuersis mondi partibus teneatur et debeat in omnibus et singulis questionibus civilibus et pecuniariis que orientur inter aliquas personas Ianue seu inter aliquas personas que distringantur seu distringi debeant sub examine predictorum uel alicuius eorum occasione alicuius pecunie seu rerum procedere ad cognicionem et deffinicionem dictarum questionum et cuiuslibet earum summarie et de plano sine libello seu declaracione et sine pignore bandi et sine strepitu et qualibet figura iudicii et sine remedio appellacionis et cuiuslibet consultacionis hoc modo uidelicet quod partes que questionem habebunt elligant et elligere compellantur duos uel quatuor de bonis hominibus Ianue qui erunt in illo loco uel terra in qua erit questio qui examinent diligenter dictas questiones et cum conscilio eorum uel maioris partis ipsorum questiones ipsas deffiniant terminent et pronuncient et deffinicionem terminacionem et pronunciacionem dicti consules et rectores execucioni mandent et si dicti mediatores ellecti non fuerint in concordia iterum partes elligant et addant cum eis unum mediatorem tantum et si partes non fuerint de hoc in concordia elligatur dictus mediator per consulem uel rectorem et suos sex consciliarios et secundum quod consultum deffinitum et pronunciatum fuerit in modum predictum fiat et obseruetur per partes in omnibus ac eciam execucioni mandetur sine aliqua appellacione uel consultacione uel eciam excepcione teneantur tamen et debeant ipsi consules et rectores compellere illos qui ut supra fuerint ellecti a partibus et etiam mediatores ad cognoscendum consulendum et deffiniendum questionem seu questiones super qua seu quibus ellecti fuerint et hoc summarie et breuiter ut supra dictum est.

Saluo quod ad consulendum et examinandum aliquam questionem non possit elligi mediator per
a consulem uel rectorem et suos sex aliquis qui attineat alicui ex partibus usque in tercium gradum secundum decreta distingunt nisi specialiter ad hoc elligeretur uel uocaretur de uoluntate et consensu ambarum partium.

Et saluo quod in instrumentis uim laudum obtinentibus obseruetur in omnibus et per omnia capitulum de laudibus et sentenciis execucioni mandandis.

Et saluo eciam quod si super aliqua questione inueniretur aliquod pericullum comunis Ianue quod eis exiberetur ante deffinitiuam questionem per ipsos quod terminari et deffinire possit ipsa questio per dictos consules et rectores et dictos suos consciliarios dictum capitulum in terminacione et deffi-
b nicione dicte questionis obseruetur procedendo tamen summarie et breuiter ut superius dictum est.

Quod consul de Caffa possit consulatus officium exercere per annum tantum.

Praeterea quicumque fuerit consul in Caffa possit consulatus officium exercere per annum unum tantum incipiendum a die qua inceperit ipsum officium exercere et non per maius tempus non obstante quod contineretur in litteris suis uel alia scriptura quod eciam ultra annum deberet esse consul quousque ei miteretur successor uel alia uerba hiis similia in quo casu si aliqua litera uel scriptura fieret pro maiori tempore anni unius in
c eo quod continetur et maius tempus unius anni sit cassa irrita et nullius ualoris nec talis consul possit uel debeat aliquo modo ultra dictum annum officium predictum exercere et si ultra dictum annum in predicto officio remanserit processus omnes quos a dicto tempore in antea fecerit sint ipso iure nulli et nullius ualoris et eciam teneantur et debeant omnes et singuli ianuenses eidem tali consuli in aliquo non obedire et non habere ipsum pro consule nec possit aliquid habere a dicto tempore in antea pro sallario suo uel domicellorum suorum et si quid habuerit restituat illud et nichilominus condempnetur et condempnari debeat in libris quingentis Ianue que per potestatem Ianue exigantur a quolibet qui contrafecerit.

d Et si forte intra terminum dicti regiminis seu dicti anni non uenerit successor qui mitatur per comune Ianue ad dictum locum de Caffa teneatur et debeat ipse consul antea per dies tres quam eius terminus finiatur congregare conscilium suorum xxiiii. et cum dictis consciliariis et de eorum conscilio elligat et ordinet alium consulem successorem suum qui elligatur per ipsos consciliarios ad breuia secrete. Ita quod qui habuerit plures uoces numero in breuibus sit et esse debeat consul in dicto loco et in dicto regimine et dictum officium exercere debeat cum mero et mixto imperio in modum et formam prout superius et inferius continetur per menses tres tunc proximos tantum et non ultra nec aliter et cum sallario supradicto et si infra dictum ter-

minum non uenerit successor predictus tunc elligatur a
eodem modo alius consul pro aliis tribus mensibus tantum et sic semper successiue obseruetur. Si tamen successor consul miteretur per comune in eo casu ille missus incipiat suum officium exercere die qua illuc aplicuerit non obstante quod non esset finitus terminus dictorum trium mensium nec possit esse uel elligi consul uel rector aliquo modo in ipsa sequenti ellectione aliquis pater filius seu frater illius qui finiret uel compleret tunc dictum officium taliter quod qui fuerit consul in dicto loco de Caffa non possit finito suo tempore esse uel elligi consul uel rector ianuensis in eodem loco a die exitus sui regiminis uel officii usque ad annos duos tunc proximos ut sic cesset ad minus per duos annos. b

Quod consul de Caffa faciat negocia spectancia ad comune conscilio dictorum XXIIII.

Item quod quicumque fuerit consul in Caffa teneatur et debeat omnia negocia comunis et ad comune spectancia siue ad comunitatem mercatorum et ianuensium existencium ueniencium et utencium in dicto loco uel terra facere exercere ordinare uel complere cum conscilio et de conscilio supradictorum uiginti quatuor consciliariorum ita quod semper sint ad conscilium dicti consciliarii XXIIII. si erunt in terra ut supra dictum est et secundum quod per ipsos consciliarios uel duas partes ipsorum in concordia consultum seu ordinatum fuerit obserue- c
tur et fiat et non aliter saluo quod dictus consul cum conscilio supradictorum sex possit ea omnia que per ipsos sex fieri possunt ex forma capituli uel eciam ex ordinacione dicti conscilii dictorum XXIIII. Et saluo quod in deuetis et colletis obseruetur prout infra dicetur sub pena librarum centum ianuynorum pro quolibet et qualibet uice.

Quod consul de Caffa non possit colligere uel imponere colletam nisi ut infra.

Item quod quicumque fuerit consul in Caffa siue rector non possit nec debeat facere ordinare uel statuere deuetum aliquod uel collectam siue exactionem aliquam siue mutuum quocumque nomine d
censeatur imponere statuere colligere uel colligi uel exigi facere de aliqua quantitate pecunie siue rerum nisi prius hoc exposuerit conscilio dictorum uiginti quatuor consciliariorum et secundum quod super dicto deueto et collecta fuerit per ipsos consciliarios consultum et ordinatum fiat et obseruetur uidelicet si tres partes ipsorum consciliariorum inde fuerint in concordia absoluendo se super hiis ad lapillos albos et nigros secrete et non aliter et si obtentum fuerit inter eos ut supra quod fiat deuetum uel colleta imponatur duret solummodo et colligatur per mensem unum tantum et non ultra et in fine dicti mensis teneatur et debeat dictus consul interim congregare dictum conscilium et in ipso exponere si placet quod obseruetur dictum deuetum uel quod duret dicta collecta et si consciliarii eodem modo concordes fuerint absoluendo se ad lapillos albos et nigros quod obseruetur deuetum per dictos consciliarios ut supra non duret nec obseruetur deuetum nec dicta dacita collecta uel exactio aliquo modo imponatur uel colligatur et si quis contrafecerit inde puniri debeat arbitrio dictorum sapientum constitutorum seu constituendorum in dicto officio nauigandi et maris maioris.

Quod dictus consul non possit facere aliquod deuetum occasione aliqua ipsi uel eius attinenti pertinenti.

Non tamen possit nec debeat fieri uel ordinari deuetum aliquod per ipsum consulem uel per dictum conscilium pro aliquo facto uel causa pertinenti ad ipsum consulem uel ad patrem uel ad filium uel ad fratrem uel ad socrum ipsius uel in quo ipsi uel aliquis ipsorum habeat facere uel eciam ad aliquem habentem iura cessa ab eis uel ab aliquo eorum et hoc durante officio siue regimine ipsius consulis et si deuetum ipsum fieret non obseruetur per aliquem sed sit ipso iure cassum.

Quod cum dicti XXIIII. *fuerint ellecti elligant ex se ipsis duos clauigerios ad breuia.*

Item quod quicumque fuerit consul in Caffa procuret et faciat quod incontinenti cum ellecti fuerint consciliarii elligantur per ipsos consciliarios ad breuia secrete ex ipsis consciliariis duo clauigerii qui recipiant custodiant et soluant et expendant totam pecuniam et alia que pertinebunt ad comune dicti loci de qua et de quibus nichil soluant uel expendant aliquo modo nisi secundum quod per dictum conscilium ordinatum fuerit et non aliter in quo dicti consciliarii se absoluant secrete ad lapillos albos et nigros et due partes lapillorum ad minus sint albe et si aliquid expenderint uel soluerint aliter quam supra dictum est hoc sit de sua propria pecunia et super ipsos scribatur et ab eis exigatur pro comuni per consulem dicti loci uel per potestatem Ianue si ad eius noticiam hoc peruenerit.

Quod dicti clavigerii teneantur facere rationem eorum successoribus.

Qui clauigerii stent in dicto oficio per menses duos tantum in uno anno et infra annum unum non possint esse clauigeri in eodem loco et in fine dictorum duorum mensium faciant et facere teneantur racionem suam de acceptis et datis per eos et de omnibus negociis sue clauigerie per ordinem integraliter in dicto conscilio et reddita dicta racione alii duo clauigerii in ipso conscilio ex ipsis consciliariis elligantur pro aliis duobus mensibus

et sic semper obseruetur de duobus mensibus in duos menses.

Quod consul non possit expendere pecuniam spectantem ad dictum comune nisi secundum ordinacionem dictorum XXIIII.

Item quod quicumque fuerit consul in Caffa non possit uel debeat expendere accipere dare uel concedere alicui persone uel in aliquos usus siue opera aliquam quantitatem pecunie uel rerum ad comune dicti loci pertinencium nisi secundum quod per conscilium uiginti quatuor consciliariorum fuerit ordinatum exponendo uoluntates eorum ad lapillos albos et nigros secrete et nisi due partes lapillorum ad minus fuerint albe et si aliquis contrafecerit non possit postea hoc exponi conscilio nec eciam per conscilium possit aliquid fieri super soluendo uel dando alicui persone aliquam pecunie quantitatem quam ipse consul uel alius incepisset expendere uel dare in aliquos usus uel opera uel incepisset laborerium facere uel fieri facere nisi primo hoc per conscilium ut supra foret ordinatum sed illud super ipsum consulem adscribatur et de suo proprio illud soluere teneatur et si quis contrafecerit uel ut supra non obseruauerit ex nunc prout ex tunc reputetur et adiudicetur raubaria uiolencia rapina et per dictum officium nauigandi et maris maioris puniri debeat sine aliqua denunciacione.

Nec possit dari uel concedi baylia uel licencia ipsi consuli uel alii eciam per ipsos XXIIII. consciliarios de expendendo uel errogando aliquam quantitatem paruam uel magnam pecunie nisi speciffícetur inter ipsos uiginti quatuor causa pro qua ipse expense uel errogacio fieri debeant.

Quod dicti sex consciliarii elligant duos ministros et eciam suos successores in dicto officio.

Item quod quicumque fuerit consul in Caffa elligi faciat de tribus mensibus in tres menses duos ministros per suos sex consciliarios ad breuia secrete et qui fuerit minister tribus mensibus non possit esse in dicto officio infra annum unum proximum finito suo tempore et similiter elligi faciat per eosdem sex consciliarios de sex mensibus in sex menses duos sindicatores ministrorum siue super ministris qui iurent et iurare compellantur dictum officium bene et legaliter exercere quo iuramento per eos prestito inquirant per omnem modum per quem melius possint si repererint ipsos ministros in aliquo contrafecisse uel non obseruasse que obseruare eis iniuncta fuerint. Et si acciderit quod dicti sindicatores sindicent ipsos ministros uel aliquem eorum consul qui pro tempore fuerit teneatur incontinenti exigere seu exigi facere ab ipsis ministris et quolibet eorum prout sindicati fuerint sine spe aliqua recuperacionis.

a *Quod de officialibus dicti loci non se intromittant datores officiorum ciuitatis Ianue.*

Item quod de officialibus dicti loci de Caffa nullo modo se intromittant seu intromittere debeant datores officiorum ciuitatis Ianue nisi de consule et scriba et si secus facerent non ualeat quod fecerint quantum in hoc.

Quod aliquis ianuensis non possit uel debeat colligere aliquam collectam in aliqua parte Gazarie uel de Caffa.

Item quod aliquis ianuensis uel qui pro ianuense distringatur uel appelletur non possit uel debeat
b deinceps colligere exigere emere uel acquirere per se uel per interpositam personam aliquod comergium uel aliquem dacitum uel aliquam exactionem in aliqua parte Gazarie uel Caffa et teneantur et debeant omnes et singuli consules constituti et constituendi in ipsis partibus uel in aliqua earum prohibere et facere cum effectu quod aliquis ianuensis uel qui pro ianuense distringatur uel appelletur non exigat colligat uel accipiat per se uel per interpositam personam aliquod comergium uel aliquam exaccionem uel dacitum et si quis contrafecerit ille consul qui fuerit in illo loco in quo contrafactum fuerit compellere incontinenti illum ianuensem ad restituendum illi qui soluerit comergium dacitam uel exaccionem illi id quod soluisset uel exactum
c esset et ultra condempnetur quilibet contrafaciens in libris ducentis Ianue qualibet uice et si ipse consul non obseruauerit ut supra potestas teneatur iuramento auferre ab ipso consule qui ut supra non obseruasset libras ducentas Ianue et ultra compellere illum qui comergium uel dacitam siue exaccionem exigerit uel acceperit ad restituendum pro quolibet aspero balicato quem propterea habuisset denarios octo illi qui ipsum comergium uel dacitam soluisset et ultra condempnare eum qui contrafecerit ut supra.

Saluo quod non sint nec esse intelligantur ianuenses quantum ad istum articulum filii quondam Boniffacii de Orto.

d *Quod aliquis consul uel ianuensis non possit habere uel tenere cecham in Caffa in aliqua parte Gazarie.*

Item quod aliquis consul uel aliquis ianuensis uel qui pro ianuensi distringatur uel appeletur non possit nec debeat in Caffa nec in aliqua parte Gazarie cecham habere uel tenere nec monetam aliquam auri uel argenti uel rami uel argenti et rami mixtam facere uel fieri facere nec per se uel alium aliquam partem habere in aliqua cecha uel laborerio siue fabricacione alicuius monete sub pena et banno librarum quingentarum Ianue pro quolibet et qualibet uice que a quolibet contrafaciente pro comuni integraliter et sine aliqua

denunciacione exigatur per dominum potestatem et eius iudices et per ipsum consulem de Caffa.

Quod non possit esse scriba dicti consulatus aliquis qui non sit de numero notariorum Ianue.

Item quod in curia consulatus de Caffa non possit nec debeat esse scriba uel officium scribanie facere uel exercere uel partem aliquam habere in ipso officio scribanie aliquis qui non sit notarius et de numero notariorum collegii Ianue et scriptus in matricula notariorum et si quis contrafecerit ipso iure sit et esse intelligatur condempnatus in libris centum ianuinorum et consul ille qui permiserit aliquem esse scribam uel officium scribanie facere uel exercere in ipsa curia ex nunc sit condempnatus in libris ducentis ianuinorum que sine diminucione eodem modo exigantur et exigi debeant ab ipso consule qui contrafecerit possit tamen ille notarius qui erit scriba in ipsa curia de Caffa tenere secum in dicto officio subscribam quem uoluerit dum tamen sit oriundus de Ianua uel districtu uel de ianuensi et hoc ad suas expensas et certum soldum et non ad partem ipso notario de collegio predicto uel alio notario de dicto collegio semper stante de scriba maiore in dicto officio.

Quod consul de Caffa teneatur prohibere quod aliquis notarius qui non sit de Ianua uel districtu non componat aliquod instrumentum.

Item quod quicumque fuerit consul de Caffa teneatur prohibere et facere cum effectu quod aliquis notarius qui sit aliunde natus quam de Ianua riperia uel districtu non possit aliquo modo uel debeat componere testare uel scribere instrumentum inter Ianuensem et Ianuensem nec inter Ianuensem et extraneum uel extraneos si in ipsis partibus erit aliquis notarius qui sit oriundus de Ianua uel de districtu et si quis notarius contrafecerit ipso iure intelligatur condempnatus et sit in libris uigintiquinque ianuynorum pro quolibet et qualibet uice et ipse consul qui passus fuerit contra predicta sit similiter et esse intelligatur condempnatus pro quolibet et qualibet uice in libris ducentis ianuynorum.

De sallariis accipiendis per scribam dicti consulatus de rebus que uendentur in callega.

Item quod quicumque fuerit scriba in Caffa hoc est in curia consulatus de Caffa et alii teneantur et debeant obseruare et atendere super solutionibus recipiendis per ipsos pro se et pro plateriis de rebus que incalligabuntur siue uendentur in publica calega ut infra et non ultra uidelicet de rebus arnisii uel massariciorum de quolibet centenario precii siue de quibuslibet centum asperis qui de ipsis rebus arnisii uel massaritiorum processerint asperos quatuor et non ultra et hoc uerum si callega ascenderit minus de asperis duobus milibus et si ascen-
a derit in maiori summa de illa maiori summa accipiant unum per centum tantum et non ultra de quibus asperis medietas sit notarii et altera medietas plazeriorum qui notarius et plazerii teneantur et debeant propterea scribere et incallegare et precium recuperare et omnia facere que pro ipsa callega facienda occurrerint.

De aliis autem rebus et mercibus que non sint arnisia et massaritia uel que non comprehendantur sub appellacione arnisii uel massaricii et que uendentur in callega habeant et habere debeant unum tantum pro centanario et non ultra sed si ponerentur ad callegam et non uenderentur habeant quartam pro centanario et non ultra.

Et de nauibus cochis galeis et aliis lignis naui-
b gabilibus que vendentur in callega accipiant tot asperos qui ualeant perperos tres auri ad sagium Constantinopolis et non ultra pro qualibet et quolibet de quibus habeat consul pro brandono medietatem et non aliud et scriba et placerii aliam medietatem.

De sallario instrumentorum et aliarum scripturarum.

Item quod de instrumentis et aliis scripturis accipiant ad plus ipsi scribe ut infra et non ultra uidelicet.

De reclamacione seu accusacione quam aliquis faciat coram consule asperum unum.
c De ellectione mediatorum asperum pro parte.
De ellectione tercii asperum unum similiter a qualibet parte.
De titulis duobus uel uno asperum unum.
De recepcione testium asperos duos usque in IIII. pro quolibet teste arbitrio consulis.
De sentencia si fuerit de asperis mille uel ab inde infra asperos tres a qualibet parte et si fuerit de maiori summa asperos quinque usque in decem a qualibet parte arbitrio consulis et hoc quod dictum est de sentencia locum habeat si partes ipse uel una earum uoluerit quod scribatur et non aliter.
De peticione execucionis cum securitate uel sine asperos duos.
d De responsione ad execucionem asperum unum.
De litera consulis asperum unum usque in IIII arbitrio consulis.
De testamento asperos quindecim usque in sexaginta arbitrio consulis.
De codicillo eodem modo.
De cura asperos IIII.
De preconizacione et de citacione propinquorum asperos II.
De inuentario asperos quatuor usque in sexaginta arbitrio consulis.
De instrumento accomendacionis asperos tres.
De instrumento societatis asperos octo usque uiginti arbitrio consulis.
De instrumento procuracionis asperos IIII.

De compromisso asperos tres a qualibet parte asperos III.

De instrumento naulizacionis asperos quindecim usque in sexaginta inter omnes partes arbitrio consulis.

De instrumento cambii uel mutui asperos tres.

De instrumento uendicionis sclavi siue sclaue unius uel plurium asperos quinque et si fuerit de ligno nauigabili uel de domo uel pluribus asperos quindecim usque in quadraginta arbitrio consulis.

De instrumento locacionis asperos sex.

De instrumento emancipacionis uel franchitatis asperos decem.

De instrumento docium usque in asperos XV.

De instrumento solucionis uel donacionis asperos quatuor.

Et de aliis instrumentis et scripturis ad eamdem rationem prout melius considerari possit arbitrio consulis.

Quod consul de Caffa teneatur in presencia duorum ex sex consciliariis predictis accipere res et bona defonctorum ab intestato.

Item quod quicumque fuerit consul de Caffa teneatur et debeat accipere bona fide et sine fraude in presencia sciencia et conscilio duorum de suis sex ad minus bona et res omnes defonctorum ab intestato in sua iurisdicione et eciam illorum qui decesserint in iurisditione condito testamento si non ordinauerint in cuius uirtute bona sua peruenire debeant que res et bona scribantur et scribi debeant bene ordinate manu publica per ordinem in presencia predictorum in actis curie ipsius et postmodum per ipsum consulem in publica calega uendantur et precium infra mensem transmittatur Ianuam per unum uel plures de melioribus mercatoribus Ianuam uenientibus in potestatem et uirtutem illius consulis placitorum de cuius iurisdicione fuerit defonctus uidelicet consulis burgi si defonctus stabat in aliqua de quatuor compagnis deuersus burgum uel consulis ciuitatis si defonctus stabat in aliqua de compagnis deuersus ciuitatem uel consulis foritanorum si forensis erat de ultra deuam et ultra gestam pro faciendo de ipsis rebus et bonis secundum quod fieri debebit iuxta formam capitulorum ciuitatis ad risicum tamen et fortunam rerum et sint implicite in auro uel argento cera uel pipere uel cambio ad soluendum in Ianua saluum in terra quam implicitam uel cambium facere teneatur ipse consul cum conscilio et de conscilio et sciencia suorum sex consciliariorum et non aliter saluo si inuenirentur in bonis ipsorum defonctorum alique res uel merces que uiderentur dicto consuli et dictis sex uel maiori parti eorum bone et conuenientes pro adducendo uel mittendo Ianuam tunc non uendantur dicte res sed Ianuam mittantur ut dictum est de precio et si forte infra predictum mensem unum non erit in Caffa nauis cocha galea uel aliud lignum ueniens tunc siue in dicto casu *a* mitantur ipse res et bona ut supra dictum est in prima naue galea uel ligno post ipsum tempus Ianuam uenienti faciendo semper ut dictum est scribi bene et ordinate in actis suis quidquid super dictis bonis et rebus factum fuerit et si ut supra non obseruauerit ipse consul ex nunc prout ex tunc reputabitur et iudicabitur raubaria uiolencia et rapina.

De iure reddendo burgensibus recipere debentibus a defonctis.

Si tamen aliqui burgenses de Caffa aliquid recipere debuerint in bonis illius qui ibi decesserit tunc ipse consul qui ibi erit possit et debeat ipsis burgensibus et cuilibet ipsorum ius suum reddere *b* ita tamen quod ille ex eis qui debebit aliquid recipere de bonis defoncti prestet et prestare debeat idoneam securitatem et caucionem ipsi consuli de restituendo habentibus pociora iura et de contribuendo cum habentibus equalia iura si qui apparuerint ita tamen quod non possit fideiussoor recipi qui non sit Ianuensis uel qui non possit constringi per consulem dicti loci qui ibi pro tempore fuerit.

Quod consul de Caffa non possit cessare uel remouere in officio censarie nisi ut infra.

Item quod quicumque fuerit consul de Caffa non possit constituere cessare uel remouere in officio *c* uel de officio censarie uel torcimanie nisi cum conscilio et de conscilio consciliariorum suorum qui inde se absoluant ad lapillos albos et nigros bene et secrete sub pena librarum quinquaginta pro quolibet et qualibet uice.

Quod consul de Caffa teneatur non absoluere nec reuocare condempnaciones quas fecerit.

Item quod quicumque fuerit consul in Caffa teneatur non absoluere nec reuocare nec requirere modo aliquo condempnaciones quas fecerit nec aliquam earum et si absoluerit reuocauerit uel recuperauerit aliquam ex ipsis condempnationibus in aliqua quantitate uel in totum de suo proprio sol- *d* uere teneatur comuni Ianue et ipsam quantitatem a quolibet contrafaciente potestas Ianue exigere teneatur et debeat et ultra tantam quantitatem quanta fuerit condempnacio absoluta reuocata uel reparata.

Quod dictus consul teneatur non accipere munus ab aliquo.

Et similiter teneatur non accipere petere nec exigere ab aliqua persona per se nec per alium aliquod munus donum uel seruicium nisi forte exculentum vel poculentum quod non excedat ualorem soldorum decem et si contrafecerit teneatur potestas Ianue exigere quadruplum eius quod per

se uel alium habuerit uel acceperit contra formam predictam.

Quod consul predictus teneatur in redditu suo infra mensem reddere racionem de condempnacionibus constitutis super examinandis.

Item teneatur ipse consul in redditu suo infra mensem ultra que supradicta sunt bene et dilligenter et legaliter rationem reddere de condempnacionibus bannis et forestationibus introytibus redditibus et exitibus comunis constitutis super rationibus comunis examinandis et uixitatoribus qui reddierint antequam approbent rationem ipsorum debeant conferre cum duobus uel quatuor de melioribus mercatoribus qui reddierint de loco a quibus duobus uel IIII recipiatur iuramentum de ueritate dicenda super ratione quam dictus consul reddiderit.

Et si forte de crimine uel assaltu seu delicto imposito contra aliquam personam coram ipso consule consul ipse uindictam non impleuerit sicut uideatur honori communis Ianue conuenire potestas Ianue nichilominus teneatur et debeat uindictam ipsam facere et complere sicut ei melius uidebitur secundum formam capitulorum ciuitatis Ianue.

Insuper forestaciones et condempnaciones ipsius consulis factas pro maleficio uel debito uel pro iniuria pro risiis sine appellationis remedio potestas Ianue firmas et ratas habere teneatur et debeat et ipsas attendi et obseruari facere ac exigi.

Quod consul in Caffa non debeat facere scripturam aliquam alicui quod habeatur pro Ianuense nisi ut infra.

Item quod quicumque fuerit consul in Caffa teneatur et debeat nullum instrumentum uel literam aut scriptum facere uel fieri facere alicui quod habeatur uel tractetur pro Ianuense uel tamquam Ianuensis uel quod sit Ianuensis nisi forte manifeste per fide dignos iuramento duorum uel trium apparuerit quod sit oriundus de Ianua riperia uel districtu uel quod pater eius fuerit Ianuensis et ille qui hoc requireret actenus se tractauerit et habuerit pro Ianuense et si quis contrafecerit condempnetur pro quolibet et qualibet uice in libris centum ianuynorum et scriba qui inde instrumentum scripturam uel literam fecerit condempnetur pro quolibet et qualibet uice in libris uigintiquinque Ianue et nihilominus instrumentum litera uel scriptura quod uel que contra predicta fieret nullius ualoris sit uel efficacie.

Teneatur eciam iuramento quod non efficietur uassallus imperatoris uel domini uel imperatricis uel domine de Caffa quamdiu in ipso consulatus officio fuerit nec a die exitus officii usque ad annum unum tunc proxime uenturum et quod infra dictum tempus aliquod beneficium annuale non recipiat nec scripturam pactum uel promissionem de

a recipiendo nisi ut supra dictum est pro suo sallario et si contrafecerit amitat suum sallarium et ultra condempnetur pro qualibet uice in libris ducentis Ianue et ab inde usque ad annos decem non possit nec debeat habere aliquod officium honorem uel beneficium a comuni Ianue.

Quod aliquis Ianuensis non armet aliquod lignum pro ire in cursum.

Item quod non permitat aliquem Ianuensem uel qui pro Ianuensi distringatur uel appelletur armare aliquod lignum de teriis siue remis pro eundo in cursum uel de quo sit fama quod in cursum armetur sine licencia et mandato potestatis comunis

b abbatis populi et conscilio gubernatorum ciuitatis Ianue et si ipse consul contrafecerit condempnetur et condempnari debeat in libris quingentis Ianue pro quolibet et qualibet uice et ut ipse non possit se per ignoranciam excusare teneatur et debeat toto posse non permitere armari aliquod lignum de teriis siue remis per aliquem Ianuensem uel qui pro Ianuensi distringatur uel appelletur nisi prius habuerit ab armatore ydoneas securitates de libris mille Ianue quod cum dicto ligno seu per aliquem uel aliquos qui fuerint in dicto ligno non fiat aliqua offensio alicui persone que non sit manifeste inimica comunis Ianue et si ipse consul contrafecerit condempnetur et condempnari debeat in quantitate supradicta.

c Teneatur quoque ipse consul cum conscilio IIII de melioribus mercatoribus Ianue qui fuerint in Caffa inquirere bene et diligenter rationem de omnibus que pertinent et pertinuerunt ad predecessores suos et illam quam cicius poterit Ianuam destinare potestati comunis et dicto officio nauigandi ut super ea possint dilligenter uidere et examinare et inquirere rationem de expensis et aliis que fecerint ipsi consules non obstante quod in redditu suo rationem reddiderint.

Quod quando consul uoluerit locare aliquam rem dicti comunis ipsam debeat locare in publica callega.

d Item teneatur ipse consul si quando rem aliquam comunis uel introytum locare uoluerit facere illam in publica callega palam facta incantari et plus offerenti publice dari debeat et quod ante per diem unam quam callega fiat de domibus sine apothecis faciat expedire domos siue apothecas quas ponere uoluerit ad callegam et habere claues in sua potestate exceptis illis domibus uel apothecis in quibus habitant burgenses nec possit locare alicui nisi esset terraticum pro hedifficando et habitando ad maius tempus annorum quinque nec exigere uel recipere nec exigi uel recipi facere per se nec per alium pensionem nisi anni sui regiminis licet ad maius tempus locatio facta foret et si contrafecerit habeatur pro raubaria.

Nec eciam possit uel debeat prohibere quod mercatores Ianue non possint emere uendere et de pecunia ipsorum facere ad libitum ipsorum mercatorum et ne faciant de suis mercationibus prout eis melius uideatur.

Quod consul teneat penes se sigillum de Caffa.

Item teneatur et debeat ipse consul tenere penes se sigillum comunis de Caffa et illud non dimittere scribis suis et si contrafecerit ipso iure sit condempnatus in libris xxv Ianue pro qualibet uice.

Quod si aliquis censarius fecerit aliquam falsitatem consul teneatur eum remouere ab officio.

Item si aliquis censarius fuerit inculpatus fecisse aliquam falsitatem in officio suo et denunciatum fuerit ipsi consuli et inuentus fuerit in culpa teneatur dictus consul ipsum censarium ab officio remouere et condempnare secundum criminis qualitatem nec amplius aliquo tempore possit esse consciliarius et si dictus censarius non fuerit Ianuensis nec pro Ianuensi habitus teneatur et debeat dictus consul prohibere et facere cum effectu quod inter Ianuenses non utatur aliquo tempore officio censarie.

Quod consul antequam recedat de Ianua prestet securitates de libris tribus millibus.

Item quod quicumque fuerit consul de Caffa teneatur et debeat antequam recedat de Ianua prestare bonas et ydoneas securitates de libris tribus millibus Ianue quod super bonis et rebus defunctorum specialiter et eciam in omnibus aliis et singulis supradictis et hiis omnibus que ad ipsius officium pertinebunt atendet et obseruabit omnia et singula supradicta et contra in aliquo non faciet uel ueniet.

Quod scriba consulis prestet securitates de libris quingentis Ianue.

Et quilibet scriba teneatur et debeat antequam recedat de Ianua prestare similiter clauigeris comunis ydoneas securitates de libris quingentis Ianue de obseruandis et attendendis omnibus et singulis predictis et aliis que ad eorum officium pertinebunt seu spectabunt et si consul contrafecerit uel ut supra non obseruauerit condempnetur et condempnari debeat in libris quingentis Ianue et scriba et subscriba si ut supra non obseruauerit in libris centum Ianue.

Quod consul non debeat expendere pecuniam dicti comunis pro aliquo pasto.

Nec possit ipse consul nec debeat expendere de pecunia nec de bonis uel redditibus comunis pro
a pastis uel brandonis uel uestibus nec eciam pro aliis expensis non ordinatis et non utilibus et necessariis comuni et si ipsas fecerit de suo proprio eas faciat et per comune non restituantur ei.

Quod consules illarum parcium teneantur ad obseruanciam premissorum.

Alii eciam consules illarum parcium et scribe simili modo teneantur et debeant ad obseruacionem omnium predictorum et sub eisdem penis saluo de securitatibus prestandis in Ianua.

Quod consul in Caffa exigat condempnaciones per eum et eius predecessores factas.

b

Item quod quicumque fuerit consul in Caffa teneatur et debeat exigere omnes condempnaciones quas fecerit tempore consulatus sui et eciam illas omnes quas factas a predecessore suo inuenerit bona fide et iuxta posse et ipsas exactas consignare seu facere consignari clauigeris qui ibi fuerint pro tempore ut de ipsis fiant ille expense que et sicut hinc retro de condempnacionibus factis per alios consules fieri consueuerunt cum conscilio tamen et de conscilio suorum xxiiii consciliariorum.

Quod scriba consulis scribat introytum et exitum consulis et clauigeriorum.

c Item quod quicumque fuerit scriba consulis de Caffa teneatur et debeat scribere et scribat per ordinem totum introytum et exitum consulis sui et clauigeriorum qui fuerint suo anno in Caffa ac eciam condempnaciones et forestaciones que dicto tempore facte fuerint et tam exactas quam non exactas et ipsum introytum et exitum ac eciam ipsas forestaciones et condempnaciones aducat Ianuam uel mittat finito anno predicto consignandum et consignandas dicto officio nauigandi et maris maioris sub pena securitatis que per eum prestita fuerit.

Et ut ipse scriba uel consul causam ignorancie pretendere non possint teneatur et debeat ipse consul exemplum omnium predictorum portare secum et ipsum facere legi et publicari inter Ianuenses
d de Caffa in primo parlamento quod fecerit in quo iuret et iurare debeat de obseruando in omnibus et per omnia ut in ipsis ordinamentis continetur non obstante aliquo capitulo uel ordinamento generali uel speciali quacumque uerborum ligacione ligato eciam si in eo contineretur aliquo alio capitulo uel ordinamento non obstante et quod faciat simili modo iurare successorem suum in dicto officio cui presentes tractatus et ordinamenta dimitat et sic fiat et fieri debeat successiue per omnes consules qui pro tempore fuerint ibi et hoc sub pena librarum ducentarum Ianue pro quolibet ut supra non obseruante.

Si tamen consul contra formam supradictam iuerit ad exercendum dictum officium et in anno sequenti

remanserit ibi pro consule processus quos faciet a
sint ipso iure nulli et nullius ualoris seu momenti et nullus Ianuensis teneatur ei in aliquo obedire nec ille consul qui contrafecerit possit habere aliquid pro suo sallario et si quid habuerit illud restituat et nichilominus condempnetur in libris quingentis Ianue.

Et antequam recedat de Ianua teneatur et debeat in presencia gubernatorum iurare post securitates prestitas ut supra per ipsum de atendendo et obseruando ut supra bona fide et iuxta posse.

Quod dictus scriba non sigillet aliquas literas nisi ut infra.

Item teneantur et debeant omnes scribe et sub- b
scribe comunis et specialiter ille qui tenebit sigillum comunis non scribere nec sigillare aliquas literas alicui consuli nec alicui scribe de Caffa nisi primo uiderit quod iurauerit et cauerit ut supra et si quis contrafecerit ipso iure sit condempnatus in libris centum Ianue.

Quod potestas teneatur exigere a contrafacientibus dictas penas.

Et potestas Ianue teneatur et debeat predictas penas exigere a quolibet contrafaciente et ubi non est specialis pena adiecta in predictis intelligatur et sit pena apposita a libris uiginti quinque usque in centum arbitrio potestatis et si ipse potestas ut c
supra non obseruauerit sindicetur et sindicari debeat qualibet uice in libris trecentis Ianue.

Tenor autem baylie predictorum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris ut infra sequitur.

Baylia octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris.

Baylia dicti officii nauigandi et maris maioris.

Corroborantes et confirmantes ea omnia et singula que facta statuta et ordinata fuerunt circha officium dictorum octo tam per conscilium sapientum xxiiii qui tunc erant quam emendatores capitulorum anni proxime preteriti in capitulo quod est d
in magno uolumine sub rubrica « de obseruacione eorum que facta et ordinata sunt etc. » Et incipit « cum facta et negocia maris maioris etc. » et eciam per sapientes qui hinc retro fuerunt in dicto officio.

Statuimus et ordinamus quod illi octo qui nunc predicto presunt officio quousque in ipso officio persistent et quicumque alii qui pro tempore in dicto officio secundum formam tractatuum eorum fuerint ordinati habeant et habere debeant in hiis et super hiis et circha ea omnia et singula que facienda tractanda statuenda ordinanda declaranda interpretanda corrigenda emendanda seu exequenda occurrerint super factis nauigandi et maris maioris et illarum parcium et eciam circa constituciones reparaciones et ordinaciones quorumcumque uassorum nauigabilium et armamentorum et onerum suorum quam circha quecumque descendencia emergencia seu dependencia ab eis seu ab ipsis conexa et inueniendo et expendendo pecuniam per quemcumque modum eis seu maiori parti eorum uidebitur et inuentam et recuperatam expendendo prout credant conuenire illam potestatem et bayliam quam totum comune Ianue habet seu habere posset et quod omnia et singula que per ipsos seu maiorem partem eorum in predictis et circha predicta et quodlibet predictorum et in emergentibus dependentibus descendentibus seu conexis facta tractata declarata interpretata correcta seu emendata fuerint precisse debeant obseruari et execucioni mandari per dominum potestatem comunis Ianue et per rectorem quemcumque seu officialem dicti comunis ac si per totum comune cum obseruacione cuiuscumque capituli de hiis loquentis solempnissime facta essent postquam eidem per ipsos seu maiorem partem ipsorum denunciatum fuerit et hoc infra illud tempus de quo in ipsa denunciacione continebitur sub illis penis seu sindicamentis de quibus continebitur in tractatibus seu ordinamentis eorum uel in denunciacione predicta uon obstante aliquo capitulo tractatu seu ordinamento condito uel condendo quacumque uerborum ligacione generali uel speciali ligato eciam si in eo contineretur aliquo alio capitulo non obstante uel uerba hiis similia et sit presens capitulum omnibus aliis in quibus terminum in aliquo statuatur quantumcumque ad predicta et quodlibet predictorum abrogatorium et derrogatorium ac precissum et pre omnibus aliis antecedentibus uel subsequentibus debeat obseruari.

Certus ordo de Caffa.

Millesimo trecentesimo sextodecimo die trigesima augusti.

Sapientes infrascripti constituti et ordinati per comune Ianue super factis nauigandi et maris maioris quorum nomina sunt hec.

Guidetus Agogna prior
Nicolaus Squarzaficus.
Symon Botinus
Rizardus Pichamilius
Petrus de Goano
Iacobus de Mari Andree
Iohannes de Marcho
Sorleonus Cataneus.–

Ex potestate et baylia officii predictorum et omni modo iure et forma quo et qua infrascripta melius ualere possunt habito inde conscilio et coloquio cum aliquibus sapientibus uolentes prouidere utilitati terre mercatorum et aliorum bonorum uirorum negociancium et frequentancium in terra de Caffa tractant statuunt et ordinant ut infra.

Videlicet quod consul iturus dante domino ad a locum predictum de Caffa procuret et procurare debeat per omnem modum per quem melius possit recuperare illam terram que est intra muros de Caffa per quemcumque possideatur et que est in contracta ubi solebat esse peliparia et ipsam uendere in publica callega cum conscilio et de conscilio suorum sex et plus ceteris offerentibus ipsam traddere et consignare paulatim siue sigillatim diuidendo eam ad minus per octo habitaciones non obstante quod aliqui in ipsa terra seu territorio aliqua hedifficia construxerint cum ipsam construcionem fecisse dicantur spretis mandatis et inhibicionibus factis olim per sindicos comunis Ianue permittat tamen et faciat remoueri et exportari hedifficia facta super ipsa terra per illos qui b ipsa fieri fecerint.

Et eodem modo procuret recuperare et recuperet totam aliam terram que sit intra dictos muros que non sit uendita per sindicos comunis uel que non sit concessa ecclesie et conuentui fratrum minorum de Caffa super qua frater Ieronymus dicitur construxisse quamdam domum ad modum ecclesie et qua moratur et ipsam aliam terram preter superius exceptatam similiter uendere in publica calega cum conscilio et de conscilio suorum sex secundum quod melius et utilius crediderint conuenire.

Saluo quod illa terra que est intra ipsos muros et que ordinata est pro carreriis seu carrubus et pro platheis et ripalinaris nullo modo uendi debeat. c

Et saluo similiter quod illa terra que deputata est pro hospitali et pro domo in qua morentur persone que debent seruire infirmis dicti hospitalis et terra deputata in podio pro beguinis et terra super qua ab antiquo sunt duo ecclesie Ermineorum integre et una dirrupta et alie due ecclesie Grecorum non debeant uendi nec incallegari.

Et saluo eciam quod terra que deputata est seu erat fratribus predicatoribus de Caffa et que est murata et intra muros suos eis remaneat.

De preciis autem que processerint ex supra dictis uendicionibus et callegis fiat et fieri debeat sicut alias ordinatum fuit de preciis que peruenirent in uirtutem dictorum sindicorum.

Item procuret et procurare debeat recuperare ac d eciam omnino recuperet et teneat et possideat nomine comunis eciam extra muros de Caffa totam illam terram que est infra confines de Caffa per quemcumque teneatur uel possideatur.

Saluo quod terra aliqua que sit infra dictos confines et super qua sit et esse consueuerit ab antiquo aliqua ecclesia Grecorum Ermineorum uel Rossorum et ermitoria solita dictarum ecclesiarum non se debeat dictus consul intromittere nec eciam de tanta terra super qua possint construi et hedifficari domus pro habitacione ipsorum presbyterorum et familie ipsorum tantum quanta uidebitur consciliariis consulis seu maiori parti eorum.

Item quod ipse consul non obstante quod alias in contrarium fuerit ordinatum possit et debeat exponere conscilio suorum uiginti quatuor quam cicius comode poterit si dicto conscilio uidetur et placet quod locari possit ad libellum siue ad terraticum perpetuum paulatim et separatim illa terra que est ab illo loco in quo consueuit esse palacium Sadoni eundo uersus Bissanne usque in mare et a dicto palacio reddeundo uersus ecclesiam que consueuit appellari ecclesia sancte Marie usque ad fossatum factum extra murum de Caffa et usque ad fossatum ueterem uersus dictam ecclesiam sancte Marie Grecis Erminiis et aliis Cristianis qui non sunt Ianuenses uel dicti seu appellati Ianuenses et si dicto conscilio placuerit et uissum fuerit pro meliori hoc facere possit dictus consul cum conscilio et de conscilio suorum sex pro maiori pensione siue terratico que siue quod inde haberi possit dimitendo precisse et omni modo centum cubitos de palmis tribus de canna pro quolibet circum circha muros de Caffa de uacuo in quo uacuo nulla habitacio fiat uel fieri patiatur et si qua est tollatur inde penitus.

Et pecunia que ex ipsis pensionibus seu terraticis percipietur singulis annis perueniat et peruenire debeat in uirtutem clauigerorum dicti loci qui clauigeri expendere debeant dictam pensionem siue terraticum pro uno anno tantam prout dictis XXIIII. melius uidebitur pertinere ad utilitatem de Caffa ita quod tres partes ad lapillos albos et nigros ad minus ex dictis XXIIII. inde sint concordes.

Item quod tota terra uacua que est extra Caffa uersus uiam de Solcati eundo uidelicet a fossato ueteri quod consueuit esse a balneo Paloani uersus ecclesiam sancte Marie et ab inde infra usque in mare remaneat et stet perpetuo uacua libera et expedita pro comuni ita quod in ipsa uel aliqua parte ipsius nulla possit fieri habitacio uel hedifficium uel impedimentum sed remaneat sic libera et expedita pro usu et necessitate bazani milii furmenti lignorum et aliarum rerum.

Item quod consul predictus cum conscilio et de conscilio suorum XXIIII. consciliariorum faciat fieri macellum in Caffa magnitudinis necessarie supra palos in mari uidelicet ante fondicum comunis a capite deuersum murum terre uel in alio loco sicut eis melius uidebitur et fiat expensis comunis et detur ad pensionem pro comuni de Caffa que pensio conuertatur in solutionem expensarum que fient in dicto macello construendo usque ad integram satisfacionem et solutis expensis ab inde antea conuertatur in expensis necessariis et utilitate dicti comunis et semper colligatur pro clauigeris dicti comunis.

Item super deueto facto de non eundo uel stando in Solcati quia illud deuetum nimis arduum et graue uidetur ita obseruandum statuunt et ordinant quod dictum deuetum obseruetur saluo quod uinum et fructus possint portari ad uendendum in Solcati per modum antiquum et consuetum et saluo quod burgenses qui uoluerint stare in Solcati per mo-

dum consuetum ibi stare possint obseruando deuetum in omnibus aliis et quod alii Ianuenses pro emendis coriis et aliis rebus possint stare in Solcati ad suam uoluntatem dum tamen uarios (1) setam et res et merces subtilles et infra dies octo post empcionem uel acquisicionem faciant adduci in Caffa obseruando semper in omnibus aliis deuetum predictum et semper intelligatur quod dicti Ianuenses et burgenses ueniant in Caffa ad standum et ad omnia faciendum ad mandatum et uoluntatem consulis et conscilii sui. a

Item quia ordinatum fuit quod illi Ianuenses qui emerent terram in Caffa deberent hedifficasse infra menses decem et octo et dicitur quod multi emerunt terram qui non hedifficauerunt nec hedifficant sed solummodo posuerunt unum solum stopa uel b duos et aliam terram clauserunt uel de muris uel de lignamine uel fraschis quod posset esse quia non potuerunt habere copiam de magistris et rebus necessariis ad hedifficandum statuunt et ordinant firmiter obseruandum quod omnes illi qui emerunt de terra predicta uel habentes ab eis iura debeant hedifficasse effectualiter totam dictam terram usque per totum annum de MCCCXXX. et ab inde in antea terra non hedifficata recuperetur per consulem pro comuni pro dimidia precii pro quo uendita fuit sicut in primo tractatu continebatur et ipsam recuperatam iterum cum conscilio et de conscilio suorum sex consciliariorum vendat in publica calega pro comuni et plus offerrentibus traddat et de precio satisfiat illis qui primo emerant c secundum formam predictam et residuum conuertatur et diuidatur in solucione illorum Ianuensium qui recipere debent a comuni pro satisfacione possessionum quas primo habebant in Caffa secundum quod estimate fuerunt.

Item quod habeantur et haberi procurentur in ciuitate Ianue arma infrascripta que mittantur et mitti debeant per octo sapientes quam citius fieri poterit ad Caffa per bonum et fidellem nuncium qui ipsa consignet clauigeris dicti loci successiue ipsa consignent inter se ipsos et inde faciant fieri scripturam publicam et eam bene et dilligenter custodiant ut tempore necessitatis haberi possint ad seruicium et deffensionem predictam et frequentancium in dicto loco uidelicet. d

Balistre LXXII. septuaginta due.
Crochi LXXII. septuaginta duo.
Carchasii LXXII. septuaginta duo.
Ceruelerie C. centum.
Coracie C. centum.
Colareti C. centum.
Schuta C. bona et incoyrata.
Lanzie longe L. quinquaginta.
Lanzie clauarine L. quinquaginta.
Quadrelli XX. in XXV. uiginti mill. usque in uiginti quinque mill. (2).

(1) *Vai, pellicce.*
(2) Hic in codice extant quatuor pagellae sine scriptura.

Tractatus marinariorum

Millesimo trecentesimo trigesimo nono die decimo decembris.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuerunt infrascripti
Dominus Enricus Bonuini prior
Dominus Meliado Gentillis
Dominus Benedictus de Cassanoua
Dominus Belengerius de Gualterio
Dominus Leo de Vezano
Dominus Philipus de Sauignonis
Dominus Bartholomeus Rampegolus
Dominus Octauianus Grillus.

De mandato et uoluntate magnifici domini domini Simonis Buchanigre Dei gracia Ianuensium ducis et populi defensoris.

Visis tractatibus dicti officii correctionibus et addicionibus factis temporibus retroactis uolens de nouo componere tractatus et ordinamenta ad bonum utillitatem et paciffIcum statum ciuitatis Ianue et mercatorum tractauit statuit ordinauit et decreuit ut infra.

De non armando aliquam galeam sine baylia officii.

Primo quod aliqua persona de ciuitate Ianue uel districtu seu que pro ianuensi distringatur uel appelletur seu que gaudeat aliquo beneficio priuillegio conuencione uel immunitate ciuitatis uel districtus comunis Ianue non audeat uel presumat modo aliquo qui dici uel excogitari possit armare seu armari facere in ciuitate Ianue uel districtu aliquam galeam seu lignum de teriis seu accipere homines ad soldum seu tenere seu teneri facere banchum pro ipsis armandis seu dare seu mutuare aliquos denarios seu pecunias aliquibus marinariis uogeriis seu stipendiariis absque expressa licencia apodixia seu mandato seu preconizacione dicti officii et hoc sub pena librarum ducentarum pro quolibet patrono et librarum centum pro quolibet comito subcomito et pro quolibet scriba et subscriba et quacumque alia persona predictis contrafaciente et ultra quod aliquis contrafaciens ad predicta seu aliquod predictorum seu tractatibus dicti officii non possit nec debeat audiri in iudicio uel extra de aliquo iure suo per aliquem magistratum Ianue et districtus sub pena sindicacionis librarum centum pro quolibet magistratu contrafaciente postquam ei denunciatum fuerit in quibus libris centum possit et debeat quilibet magistratus Ianue contrafaciens sindicari per sindicatores comunis.

MCCCXXXXI. die VI. septembris.

Emendatum est per officium et additum et correctum quod ubi dicitur in proximo tractatu qui

incipit « Primo quod aliqua persona » dicatur et a
intelligatur » extranea persona seu non ciuis uel aduena.

De pactis factis in Ianua inter patronos et marinarios obseruandis.

Item quod omnia pacta et conuenciones fienda et fiende inter patronos ex una parte et marinarios ex altera in ciuitate Ianue uel in aliquo loco districtus Ianue quando ipsi marinarii se concordabunt debeant inuiolabiliter obseruari inter eos non obstantibus hiis que infra dicentur et quod scriba galee ligni coche et cuiuslibet uasis nauigabilis teneatur hoc scribere et ponere in rubrica cartularii coche ligni et cuiuslibet uasis nauigabilis. b

Quod scribe galearum non accipiant pro auariis marinariorum nisi ut infra.

Item quod scribe galearum non possint accipere pro auariis marinariorum nisi ad racionem denariorum duodecim pro quolibet mense temporis ad quod se concordauerit et non ultra.

De cartulario deponendo penes officium.

Item quod quandocumque aliqua nauis cocha seu aliud quodcumque uax nauigabile nauigare debuerit de extra portum Ianue uel de aliqua parte districtus antequam exiat Ianuam uel locum in quo ar- c metur patronus teneatur et debeat facere fieri et scribi duo cartularia in quibus contineantur pacta et conuenciones que habita et habite fuerint cum ipsis marinariis et quantitates quas receperint et de ipsis duobus cartulariis qui sint eiusdem tenoris aportet et dimitat unum penes scribam dicti officii et alterum in se remaneat ut in redditu sciri possit quid cum ipsis marinariis erit faciendum et hoc sub pena librarum centum Ianue pro qualibet galea cocha et uase nauigabili aplicanda pro dimidia dicto officio et pro alia dimidia operi portus et affirmetur et affirmari debeat ipse cartularius qui remanere debebit penes ipsum officium per comitum siue nauclerium et scribam scilicet quod sit uerus et legalis.

De unciis triginta bischoti dandis omni die cuilibet marinario.

Item quod quilibet patronus ianuensis seu qui priuilegio uel immunitate Ianuensium gaudeat alicuius galee teneatur et debeat dare uel dari facere cuilibet suo marinario ad minus uncias triginta bischoti quolibet die et hoc sub pena librarum centum Ianue et ultra teneatur ad restitucionem biscoti quod defficeret patronus ad dandum marinario suo usque ad pondus predictum quolibet die deffectus biscoti restituendi ut supra et pena librarum centum exigenda a quolibet patrono contrafaciente de quo stetur et stari debeat cognitioni dicti officii.

De non accipiendo marinarios nisi ad mensem de diebus triginta.

Item quod quilibet patronus ianuensis seu qui pro ianuense distringatur non audeat uel presumat accipere uel accipi facere aliquem marinarium seu stipendiarium nisi ad annum de mensibus duodecim ita quod mensis non computetur nisi pro diebus triginta tantum uel ad mensem de diebus triginta sub pena librarum uiginti quinque Ianue usque in libris quingentis arbitrio dicti officii et quod per patronum et marinarios stetur et stare debeat pactis factis et firmatis in Ianua inter ipsos non obstantibus aliquibus aliis pactis et ordinamentis factis extra Ianuam et districtum postquam galea nauis lignum uel aliud uax nauigabile de portu Ianue nauigauerit.

De deposito marinariorum fiendo per patronum.

Item quod quilibet patronus ianuensis seu qui pro ianuense distringatur seu qui gaudeat immunitate uel priuillegio ianuensis teneatur et debeat facere depositum in una bona persona uel duabus a libris centum usque in libris quingentis in arbitrio dicti officii antequam galea nauis lignum uel aliud uax nauiget de portu Ianue pro satisfaciendo marinariis ipsius patroni de eorum soldo quod eisdem restaret ad soluendum seu quod eisdem fuisset retentum occaxione alicuius lasse seu iniuste uel inrationabilis uel non rationabilis cause et hoc sub pena librarum centum usque in quingentis in arbitrio dicti officii.

De non schaporando aliquem marinarium nisi ut infra.

Item quod patronus predictus non possit uel debeat per se uel alium licenciare uel schaporare aliquem marinarium suum uel stipendiarium per totum tempus ad quod concordatus est si bene et legaliter seruiet patrono suo predicto et sine deffectu nec in aliquo loco excepto quam in Pissis Neapoli Trapana Messana Panormo Nicia Marsilia Maiorica Peyra et Famagosta et si quis patronus contrafecerit teneatur et debeat dare cuilibet marinario schaporato alibi quam in dictis locis stipendium pro tot diebus pro quot concordatus fuisset quibus uenire posset ad unum dictorum locorum magis proximum illi loco in quo licenciatus et schaporatus fuisset et ultra idem patronus teneatur eidem marinario dare et soluere soldum unum Ianue pro cibo et poctu et pro expensis pro quolibet die dictorum dierum ut supra.

Saluo et reseruato si marinarius ille qui foret licenciatus esset rixossus uel inobediens patrono suo

de quo stetur et stari debeat sacramento nauclerii a
uel scribe uel comitis uel mercatorum existencium in uasse galea uel ligno si mercatores essent et in arbitrio et cognicione et ordinacione dicti officii et saluo eciam si patronus inueniretur alibi quam in predictis locis superius expressis causa refficiendi uel realtandi cocham galeam uel aliud uax seu occaxione siuerni uel alicuius alterius fortuyti casus quibus non possit nauigare uel de ipso loco recedere quod tunc ipsis casibus reseruatis ut supra non obstantibus hiis que superius dicta sunt licitum sit patrono licenciare et scaporare illum uel illos ex eis marinariis quos uoluerit soluendo cuilibet marinario scaporato soldum unum pro quolibet die pro tot diebus quibus uenire posset ad unum dictorum locorum racionabiliter magis pro- b
ximum et ultra omne id et totum quod eidem marinario restaret ad soluendum seu ad habendum usque ad illum diem quo licenciatus fuisset et non se extendat presens tractatus qui incipit « Item quod patronus predictus etc. » nisi solummodo in uassibus qui armabuntur in portu Ianue uel districtu.

Et saluo eciam quod per presentes tractatus non derrogetur ius patroni quin consequatur solucionem a marinariis restantibus eidem ad soluendum postquam reddierint portum Ianue seu uiagium finierint seu dissarmauerint seu illum locum districtus Ianue in quo patronus armauerit.

Quod marinarius teneatur sequi uiagium ligni super quo nauigare debebit. c

Item quod omnes et singuli marinarii seu soldum accipientes teneantur et debeant sequi uiagium galee et cuiuscumque alterius uasis nauigabilis et si de ipso uiagio remanserint uel aliquis eorum remanserit habeantur et haberi debeant pro fugitiuis et teneantur ad restitucionem tocius stipendii et mutui quod habuissent et ultra ad racionem de duobus tria tocius dicti stipendii et mutui quod habuissent et de hoc stetur et stari debeat scripture cartularii dicte galee saluo quod si antequam galea nauis uel lignum recederet de portu Ianue uel alibi in loco districtus in quo armaretur marinarius aliquis uellet de ipso uiagio remanere d
teneatur et debeat suo patrono restituere omne id et totum quod ab eo patrono occaxione dicti uiagii habuisset et ultra soldos duos Ianue pro qualibet libra tocius stipendii et mutui quam restitucionem teneatur et debeat facere antequam de dictis locis galea nauis uel lignum nauiget aliter habeatur pro fugitiuo.

Quod scriba teneatur scribere infra quod tempus recedere debebit lignum et hoc notifficare marinariis.

Item quod quilibet scriba cuiuslibet uasis nauigabillis teneatur et debeat aponere in rubrica cartularii sui et scribere et notare in scriptis infra quod tempus recedere et nauigare debebit et dictum tempus cuilibet marinario notifficare et legere uulgari sermone sub pena librarum uiginti quinque usque in libris quingentis in arbitrio dicti officii et si infra dictum tempus non recedet liceat cuilibet marinario ipso termino elapso et elapsis quindecim diebus incipiendis a die finiti primi termini restituere si uoluerit absque metu alicuius pene mutuum et soldum quod accepisset occaxione illius uiagii antequam galea nauis uel cocha recedat uel nauiget aliter si non obseruauerit et soldum siue mutuum non restituerit ante recessum galee nauis uel ligni habeatur pro fugitiuo et teneatur ad restitucionem dicti mutui et stipendii et ultra ad racionem de duobus tria tocius stipendii et mutui.

Quod marinarius teneatur sequi patronum.

Item quod quilibet marinarius et soldum accipiens sit et esse debeat obediens patrono suo et ipsum teneatur et debeat sequi ad quascumque partes ire uoluerit dum eidem bene soluatur ab eo de eius stipendio et si contrafecerit habeatur pro fugitiuo et teneatur ad restitucionem tocius stipendii quod habuisset a patrono pro ipso uiagio et ultra ad racionem de duobus tria saluo quod aliquis marinarius non sequatur suum patronum in cursum uel deuetum de quo stetur et stari debeat pronunciacioni et sentencie dicti officii Gazarie et saluo eciam quod quilibet marinarius postquam seruiuerit soldum et mutuum quod accepisset a patrono teneatur et debeat prestolari patronum suum usque ad dies quindecim ad sibi reficiendum et de nouo dandum soldum siue stipendium ipsis patrono et marinariis cum uase existentibus in loco in quo posset sibi satisfacere reficere seu de nouo soldum dare quibus diebus quindecim transactis existentibus in loco predicto acto et congruo ad soluendum uel eidem uel eisdem non reffectum suum soldum seu de nouo sibi solutum sit licitum eisdem sine metu alicuius pene a seruicio dicti patroni recedere.

Quod quilibet marinarius et calafactus tenatur laborare guaytare et facere secundum quod ei impositum fuerit.

Item quod quilibet marinarius et soldum accipiens et quilibet magister calafactus seu laborator teneatur et debeat guaytare et laborare et facere secundum quod ei impositum et preceptum fuerit per patronum suum seu officiales eiusdem et non possit aliquis descendere nec dormire in terra sine licencia patroni et si quis contrafecrit aufferratur eidem contrafacienti et ab ipso a soldo uno usque in soldos quinque secundum quod uidebitur patrono quorum medietas sit dicti officii Gazarie et reliqua dimidia sit operis portus et moduli et teneatur de predictis patronus et eius scriba racionem reddere dicto officio et peccuniam que exinde procedet in

uirtutem dicti offici ponere et consignare infra dies a quindecim a die aduentus ipsius in Ianuam quem fecerit de predicto uiagio sub pena librarum uiginti quinque Ianue et ultra quilibet calafactus magister assie seu laborator qui non fuerit continue et cotidie ad laborandum in galea cocha uel ligno sui patroni seu domini a quo soldum seu stipendium uel peccuniam occaxione operis uel magisterii accepisset quando necesse erit et ei impositum fuerit per patronum uel eius scribam uel officiales amitat iornatam illam in qua non fuerit uel non fuisset ad laborandum scilicet ad eamdem racionem pro rata eius quod habet in mense uel in anno et ultra quod quilibet magister qui non fuerit inuentus dormisse in cocha galea uel ligno facta cercha et crida per trombetam eciam facta quod nullus au- b deat dormire in terram sed dormiat quilibet in galea eciam amitat iornatam et eidem retineatur per patronum ad racionem predictam que iornate tam magistrorum quam marinariorum sint in totum dicti patroni.

Quod aliquis marinarius non audeat facere rissam uel rumorem.

Item quod quilibet marinarius seu soldum accipiens cuiuscumque condicionis existat non audeat uel presumet facere aliquam brigam uel rumorem in aliquo uase et quod liceat patrono dictos marinarios cadellare et mediare et specialiter correctione necessaria et debita et conuenienti. c

Quod patronus possit ducere ligatum illum qui rissam fecerit.

Item quod aliquis marinarius seu soldum accipiens cuiuscumque condicionis existat non audeat uel presumet facere rissam uel rumorem in aliqua cocha ligno uel galea de qua uel quo soldum acceperit cuius rei causa si percuteret uel uulneraret aliquem ex quo amittat membrum uel eum interficeret quod tunc patronus possit et teneatur et debeat ipsum ducere ligatum et immuselatum sub bona et fida custodia et ipsum personaliter tradere et consignare in uirtutem domini ducis uel potestatis uel iudicis malleficiorum seu in uirtutem il- d lius magistratus qui pro Ianuensibus constitutus esset magis sibi proximi.

De non inferendo iniuriam uel uiolenciam in aliquem patronum.

Item quod aliqui comiti subcomiti scribe subscribe nauclerii uogerii marinarii seu stipendiarii non possint uel debeant audeant uel presument modo aliquo facere uel inferre insultum iniuriam uel uiolenciam in aliquem eorum patronum dominum seu ductorem galee coche nauis ligni seu alterius uasis nauigabilis nec ipsum uel ipsos dimitere seu relinquere ex ipsis contra ipsius patroni uoluntatem nec ipsum ipsis galeis cochis uel uasibus expoliare seu eisdem eas auferre nec facere contra ipsos patronos coniuriam uel conspiracionem sub pena capitis que si fecerint et probari poterunt per ydoneas probaciones procedatur et procedi debeat contra ipsos contrafacientes per dictum dominum ducem seu eius potestatem seu iudicem malleficiorum ad dictam penam capitis si personaliter haberi poterint et si haberi non poterint ponantur in banno et forestacione de ciuitate Ianue et districtu de qua et quo exire non possint nisi primo soluerint quilibet ipsorum comuni Ianue libras mille Ianue et ultra secundum formam capitulorum loquencium de predictis et ultra sint et habeantur pro fugitiuis pro toto ipso uiagio.

De non extrahendo aliquod lignum quod non sit ferratum.

Item quod aliquis patronus Ianue seu qui pro ianuense distringatur uel appelletur seu qui gaudeat immunitate priuilegio uel conuencione Ianuensium non audeat uel presumet extrahere uel extrahi facere de portu Ianue uel districtu Ianue aliquam cocham nauem lignum galeam uel aliud uax nauigabille cuiuscumque honeris existat nisi primo eis apposita fuerint ferrea ordinanda per dictum officium secundum formam tractatuum ordinandorum per dictum officium et uoluit dictum officium quod predicti tractatus cridentur in locis infrascriptis.

Primo in Banchis
In contracta Fossatelli
In sancto Donato
In plathea Moduli
In platea sancti Georgii.

Iacobus Ferrerius cintracus comunis Ianue retulit se cridasse et preconasse ut supra in locis suprascriptis in omnibus et per omnia prout in dictis tractatibus continetur.

MCCCXXXXI. die XIII. martii.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus.

Tractat statuit et ordinat quod si contingerit quod aliquis marinarius seu stipendiarius alicuius uassis nauigabilis deberet refficere seu restituere causa sui stipendii mutui uel soldi quod habuisset a domino seu patrono dicti uassis ab una die usque in tres dies uel ab inde infra uel e conuerso dominus seu patronus dicti uassis deberet seu teneretur refficere seu restituere alicui marinario seu stipendiario occaxione alicuius stipendii mutui uel soldi alicuius uassis ab uno die usque in tres ut supra uel ab inde infra quod tunc patronus a marinario seu stipendiario uel marinarius a patrono ad aliquam restitucionem fiendam propterea non teneantur in aliquo presens autem decretum locum non habeat

in aliquo si restitucio excederet ultra dictos dies tres sed sit quilibet in suo iure.

Ordo ferrandi ligna.

Millesimo trecentesimo quadragesimo die decimo septimo martii.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuerunt infrascripti qui sunt maior pars officialium dicti officii nomina quorum sunt hec

Bartholomeus Rampegollus
Babillanus Gentillis
Belengerius de Gualterio
Octauianus Grillus
Leo de Vezano
Benedictus de Cassanoua.

Tractauit statuit et decreuit quod aliqua persona ianuensis uel que pro ianuensi distringatur uel appelletur uel que gaudeat aliquo beneficio priuilegio conuencione uel immunitate Ianuensium non audeat uel presumat extrahere uel extrahi facere de portu Ianue uel de aliquo loco districtus Ianue qui sit a Coruo usque Monachum aliquam cocham lignum uel galeam uel aliquod aliud uax nauigabile copertum nisi primo in eis apposita fuerint et apponantur ferrea in eis affixa et marchata scilicet a quolibet latere unum per illos qui deputati sunt ad predicta per dictum officium sub penis infrascriptis uidelicet

Pro quolibet cocha trium copertarum librarum mille lib. M.

Pro qualibet cocha duarum copertarum librarum quingentarum lib. D.

Pro quolibet ligno nauigabilli unius coperte panfulo galea exceptis de Syria Romania et Frandria librarum ducentarum lib. CC.

Item tractauit statuit et decreuit quod predicte coche ligna et galee exceptis predictis quando ferrari debebunt per illos qui deputati sunt ad ferrandum mensurentur et mensurari debeant in sua altitudine et ferrentur ut infra.

Videlicet quod quelibet cocha trium copertarum mensuretur in sua altitudine computato orlo ipsius coche et detur eidem coche orlum parmorum sex et sic mensurata ferretur et ferrari debeat ita quod tercia pars tocius dicte altitudinis et tercia pars unius palmi cuiuslibet decene remaneat super aquam et ad illam mensuram afixentur duo ferrea scilicet unum a quolibet latere ad medium dicte coche.

Item quod quelibet cocha duarum copertarum ferretur et mensuretur in forma predicta dando eidem coche orlum de palmis quinque.

Item ferrentur alia ligna de teriis et de orlo ad quintam partem ita quod quinta pars de uiuo remaneat supra aquam non computatis in ipsis galeis de Romania Syria uel Frandria.

a MCCCXXXXI. die XXII. iunii.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus ipsorum officialium et ipsi officiales concorditer pro bono comodo utilitate et congruo tam patronorum cocharum et quorumlibet uasorum Saunensium nauigabilium quam eciam mercatorum et mercium existencium euncium seu nauigancium super ipsis et in ipsis et ipsorum quolibet uolens aliqua emutare seu innouare ac eciam corrigere et emendare in facto apponendi ferrea cochis uasis nauigabilibus et maxime Saonensium capitulo seu decreto condito per dictum officium MCCCXXXX. die XVII. martii quod in-
b cipit « Item tractat statuit et decreuit quod predicte coche ligna et galee etc. » statuit decreuit et ordinauit ac eciam correxit et emendauit pro cochis seu nauibus Saonnensium apponantur et apponi debeant ferrea affixa et marchata ita quod tercia pars tocius altitudinis dicte coche seu cocharum Saonensium in qua ponuntur seu posita erunt uel essent dicta ferrea remaneant super aquam computato orlo uiuo quod orlum sit et esse debeat parmorum quinque cochis duarum copertarum et parmorum sex cochis trium copertarum et ad illam mensuram et modum et formam affixentur duo ferrea cuilibet coche Saonnensi scilicet unum a quolibet latere ad medium dicte coche seu dictarum cocharum Saonnensium tantum et per modum superius denotatum ferren-
c tur et ferrari debeant coche Saonnenses tantum alia uero uasa nauigabilia ferrentur et ferrari debeant ad modum et formam in primo decreto seu statuto facto per dictum officium MCCCXXXX. die XVII. martii denotato seu contento.

Exemplatum presens decretum et correctio per me Ioannem Preamoleum de Leuanto notarium et canzellarium comunis Ianue scribam officii Gazarie de actis dicti officii scriptis supradictis millesimo et die de libro diuersorum negociorum.

Quod quilibet patronus teneatur dare in scriptis mercatores debentes nauigare super suo ligno.

Item quod quilibet patronus cuiuslibet nauis co-
d che et ligni teneatur dare dicto officio in scriptis mercatores suos ex quibus possint elligi duo ad uidendum et perquirendum si uassa nauigabunt cum ferreis nitidis ab aqua in toto uiagio tam in eundo quam in reddeundo et si non haberent mercatores teneantur dare in scriptis dicto officio illos qui non sint ad stipendium dicti patroni si uero omnes essent ad stipendium patroni tunc debeant nominare scribam et comitum si comitum haberent siue nauclerium si nauclerium haberent qui sub iuramento per eos dicto officio corporaliter prestito sint et esse debeant inquisitores dictorum uasorum ut supra et si dicta uassa deberent onerari alibi quam in Ianua quod consul ianuensis existens in eo loco in quo dictum uax onerari deberet debeat elligere cer-

chatores predictos ipso consule obseruante et ob- a
seruare debente ordinem predictum prout supra
scriptum est si uero non esset ibi consul quod tunc
patronus met debeat eligere duos ex mercatoribus
suis magis digniores fide si mercatores haberent si
autem mercatores non haberent elligere debeant
cerchatores nauclerium uel comitum et scribam
qui sub eorum sacramento perquirere debeant si
uax nauigabit nitidum a ferreis qui uero patronus
debeat habere literas a dicto consule quod fuit fer-
ratus cum nominibus cerchatorum suorum ellecto-
rum per dictum consulem transmittendas per eum
officio Gazarie et simili modo teneatur scribere pa-
tronus si ipsos cerchatores ellegerit cum nominibus
ipsorum et in quo loco ellegerit qui cerchatores
predicti teneantur et debeant solicite et diligenter b
perquirere si uassa predicta nauigabunt nitida ut
supra et scribere officio seu rescribere prout inue-
nerint sciuerint uel nouerint infra dies octo post-
quam Ianuam uenerint uel infra ipsum tempus of-
ficio mercancie Peyre a die qua Peyram applicue-
rint et hoc sub pena librarum centum pro quolibet
dictorum cerchatorum.

De non nauigando cum ligno cuius ferrea non sint nitida ab aqua.

MCCCXXXX. die XVIII. augusti.

Officium octo sapientum constitutorum super fa- c
ctis nauigandi et maris maioris in quo officio in-
terfuit suficiens et legitimus numerus ipsorum of-
ficialium nomina quorum sunt hec.

Daniel Iota prior
Manuel Sapana
Araonus de Viualdis
Symon de Sancto Sisto
Thomas de Mari
Iacobus Turchus et
Iustinus Passius.

Volens dictum officium indempnitati ciuium et
mercatorum et omnium quorumcumque nauigan-
cium salubriter prouidere statuit tractauit et de-
creuit quod aliquis patronus ianuensis seu qui pro
ianuensi distringatur seu qui gaudeat aliquo bene- d
ficio capitulo seu immunitate ianuensium seu du-
ctor alicuius uasis nauigabilis non audeat uel pre-
sumet nauigare cum aliquo uasse nauigabili quod
non sit nitidum a ferreis suis ab aqua nec ducere
ad nauigandum dictum uax nec ipsum uax naui-
gare non nitidum a dictis ferreis ab aqua sub pe-
nis infrascriptis uidelicet

Pro quolibet uase seu cocha trium copertarum librarum mille Ianue.

Pro qualibet cocha duarum copertarum librarum quingentarum Ianue.

Pro quolibet ligno seu uase unius coperte librarum ducentarum Ianue.

MCCCXXXXI. die sexta septembris.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo interfuit suficiens et legitimus numerus ipsorum officialium et ipsi officiales concorditer uisis tractatu predicto de nauigando cum ferreis nitidis et contentis in eo correcto diligenter per officium predictum emendauit tractauit et emendando decreuit quod qui de cetero nauigabit cum ferreis non nitidis ab aqua incidat et incidisse intelligatur in penas infrascriptas pro quolibet et qualibet uice scilicet honeracionis et exhoneracionis cuiuslibet uiagii non obstantibus penis predictis in dicto proximo tractatu comprehensis qui tractatus incipit « uolens dictum officium indempnitati etc. »

Videlicet quod pro qualibet coperta cuiuslibet uasis nauigabilis non nauigantis nitidi a ferreis ut supra premittitur librarum ducentarum ianuynorum lib. cc. ian.

Millesimo CCCXXXXII. die III. septembris.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit suficiens et legitimus numerus ipsorum officialium ex potestate et baylia eidem officio attributa tractauit statuit et ordinauit quod aliquis marinarius nauclerius comitus uel alius socius seu stipendiarius non possit aliquo modo restituere denarios quos habuisset ab aliquo patrono domino seu aliquo alio officiali uel quouis alio nisi ex causis infrascriptis uidelicet casu infirmitatis euidentis mortis transducionis uxoris de qua probetur coram aliquo magistratu Ianue detencionis carceris ad instanciam alicuius occasione alicuius debiti de quo debito appareat instrumentum seu publica scriptura aliter si dictam restitucionem facere uoluerit antequam nauis galea uel lignum recedat de portu Ianue restituat simplum seu capitalem et ultra soldos quinque pro qualibet libra eius quod habuisset a patrono uel domino galee nauis uel ligni et si dictam restitucionem facere recusauerit et uiagium non fuerit sequtus habeatur pro fugitiuo secundum formam tractatuum et ordinamentorum officii Gazarie.

Officium octo sapientum Gazarie.

Nicolaus Beltramus notarius et cancellarius comunis Ianue.

MCCCXXXXII. die IIII. septembris.

Franciscus de Fontemoroso cintracus comunis Ianue retulit se hodie mandato dicti officii proclamasse et cridasse ut superius continetur.

Missa est crida in bancis et ad modulum.

MCCCXXXXIII. die XVI. septembris.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris in quo officio interfuit sufficiens et legitimus numerus ipsorum officialium et ipsi officiales concorditer. Volentes prouidere saluacioni et securitati mercatorum et mercanciarum nauigancium et euncium in galleis et super galleis de Romania et Syria habito conscilio discretorum et expertorum uirorum super mensuris gallearum de Romania et Syria et habentes respectum ad galleam quam nuper construi et fieri fecit Dominicus Spinula de Sancto Lucha secundum quod dictum officium mandauit et que gallea uidetur esse de mensuris bonis pulcris et habere pulcrum et tutum modum pro nauigando et que gallea mensurata et uisa fuit per aliquos ex officialibus dicti officii et alios expertos marinarios et in factis gallearum decreuerunt statuerunt et corrigendo et emendando mensuris gallearum de Romania et Syria ordinauerunt et declarauerunt quod omnes et singule gallee que de cetero fient et fieri contingerit pro nauigando armate ad partes Romanie et Syrie et ultra Sciciliam et de dictis locis uersus occidentem et que dicuntur gallee subtiles fieri et esse debeant de mensuris infrascriptis.

Videlicet in longitudine de roda in rodam de godis siue blachiis quinquaginta quatuor.

Item per carenam in longitudine de blachiis siue cubitis quadraginta quinque.

Item de plano ad lenzam rectam de parmo $\frac{1}{2}$ aperiat parmos undecim et quarte tres.

Item in altitudine de parmis tribus in medio parmos sexdecim et terciam partem unius parmi.

Item in altitudine de parmis sex in medio aperiat parmos decem et octo.

Item in medio ad lenzam rectam parmos octo et terciam partem unius parmi.

Item in bocha aperiat parmos uiginti et quartam unam.

Item de popa ueniendo uersus prodam in godis quatuor et dimidio parmos sex.

Item de popa ueniendo uersus prodam in godis nouem et altitudine de parmis tribus aperiat parmos nouem et dimidium.

Item in godis decem et octo de popa uersus prodam in altitudine de parmis tribus aperiat parmos quindecim.

Item de proda in goa IIII. $\frac{1}{2}$ in altitudine de parmis tribus parmos quinque et quarte tres.

Item de proda ueniendo uersus popam in altitudine de parmis tribus aperiat parmos nouem et quartam partem unius parmi.

Item in godis decem et octo in altitudine de parmis tribus aperiat parmos quatuordecim et quarte tres.

Statuentes ordinantes et decernentes quod fieri debeant ad popam et ad prodam bene auiate et quod habeant dicte gallee et quelibet ipsarum portam seneschalchi numerando de lata mastra de popa eundo uersus prodam ad latas decem et septem et scandolarium de popa usque ad dictam portam.

Item quod apponatur et apponi debeat a serris de pede usque ad serram ubi imbanchatur in medio per longitudinem de popa usque ad prodam dicte gallee in medio unam serram amoriatam.

Item statuerunt decreuerunt et ordinauerunt quod quelibet ex dictis galeis ferretur et ferrari debeat ad ballas ducentas septuaginta quinque grossas siue cantaria mille.

MCCCXXXXIIII. die III. septembris.

Officium octo sapientum constitutorum super factis nauigandi et maris maioris emendauit ad mensuras dictarum galearum ubi dicitur in tractatu mensurarum de Romania quod aperiant in bocha parmi XX. et 4.ti emendauit quod aperiat parmos XX. $\frac{1}{2}$

Rubrice tractatuum officiorum Gazarie nauigandi et maris maioris.

Quod si galea fuerit maior mensuris galearum de Romania sit ipsorum duorum sub certa forma. a

Quod si denuntiauerint domino potestati galeam esse maiorem mensuris quod tunc nullam penam incurrant.

Quod ad officium ipsorum spectent omnia supradicta.

Quod dicti duo teneantur recipere iuramentum a magistro Assie et de libris sex soluendis dictis duobus et soldis xx. soluendis canzellario officii pro qualibet galea.

Quod dicti duo teneantur denuntiare domino potestati contrafacientes intra terciam diem.

Quod dicti duo faciant iurare scribam galee.

Quod dicti duo debeant dare licentiam magistro Assie. b

Quod dicti duo teneantur mensurare galeam ad minus semel in ebdomada.

Quod dicti duo debeant licenciare illam personam que ipsam galeam fieri facere uoluerit.

Quod dicti duo debeant restituere depositum dicto magistro Assie.

Quod dicti duo teneantur declarare in scriptis domino potestatis personas sibi contrafacientes.

Quod dominus potestas teneatur exequi cedulam intra dies octo.

Quod possit subrogare unum si contigeret alium nauigare.

Quod dicti duo compellantur per dominum potestatem ad suscipiendum eius officium.

Quod dictis duobus credatur et stetur dicto et assercioni eorum. c

Quod potestas et quilibet magistratus teneatur obseruare et facere obseruari presentes tractatus.

Quod pro qualibet galea antequam uaretur de scario caueatur de libris mille Ianue.

Quod in qualibet galea itura Romaniam uel Syriam sint infrascripta arma et necessaria.

Quod quilibet mercator teneatur portare pro se et famulo arma sufficientia.

Quod in qualibet galea sint loca expedicta.

Quod in qualibet galea de subtilibus sint cantaria LXXV de biscoto.

Quod in qualibet galea de subtilibus sit ueges una uel due capacitatis metretarum duodecim.

Quod quelibet ex dictis galeis habeat tria ferrea marchata affixa. d

Quod aliquis patronus ex dictis galeis non extrahat galeam nisi primo ferrata et mensurata fuerit per dictos mensuratores.

Quod alique merces panaticha uel arnisia poni non possint in scandollario ipsius galee.

Quod quilibet patronus debeat facere depositum capitaneo de florenis XXV.

Quod quilibet patronus debeat dare in scriptis officio nomina mercatorum suorum.

Quod cercatores debeant facere specialem cercham in Portu Veneris.

Quod aliquis patronus non portet aliquem debitorem dicti officii.

Quod patronus teneatur dare in scriptis mercatores suos officio mercancie Peyre.

Quod cerchatores faciant scribi defectus in officio.

Quod dicti cerchatores si contrafecerint incidant in penas quas patronus incidere deberet.

De deposito librarum ducentarum Ianue fiendo per patronum.

De nauigando cum ferris nitidis ab aqua cum galeis de Romania.

De retinendo ex dicto deposito si contrafecerit in spaciis.

Quod depositum stet ad periculum patroni.

De non uendendo aliquam galeam uel lignum de teriis alicui extraneo.

Quod aliqua galea non nauiget solla ad partes Romanie uel Syrie uel ultra Maioricam.

Quod potestas ianuensium in Peyra teneatur accipere a patronis galearum securitates de libris mille et prohibere ne aliqua galea nauiget solla uersus occidentem.

Quod scribe galearum teneantur dare in scriptis nomina et prenomina habencium partem in ipsa galea.

Quod galee de Romania nauigent insimul in conserua.

Quod galee iture uersus Cyprum nauigent in conseruaticho cum illis de Romania.

De capitaneo et scriba elligendis.

Quod capitaneus uadat et ueniat in galeis.

De sallario capitanei et scribe librarum trecentarum.

Quod patroni galearum de Romania dare debeant dictas libras trecentas.

Quod capitaneus habeat quatuor consiliatores.

Quod patroni galearum Romanie portent banderiam ad armam domini capitanei.

De elligendo capitaneum iturum in tanam.

Quod baylia domini capitanei duret usque ad aduentum galearum in Ianua.

De iuramento capitanei et eius scribe.

Quod capitaneus teneatur uidere occulata fide.

De non accipiendo naulum de mercibus alleiatis seu prohycitis.

Quod galee iture Ciprum faciant suos cerchatores.

Quod qui non contribuit ad compagnam non comedat ad mensam mercatorum.

Quod aliquis mercator non possit tenere ad mensam mercatorum ultra duos seruitores.

De non ueniendo contra ordinamenta officii.

Quod mercator possit portare capsonum unum.

De portando uella tria cotonina in galeis de Romania.

De capsia armorum.

Deuetum rerum et mercium subtilium.

De non portando res subtiles ad partes Syrie nisi supra galeis armatis.

De naulis galearum.

De galeis de Romania nauigandis et reddeundis insimul.

De temporibus ordinatis galeis de Romania.

De eo quod debet capi a merchatoribus scaporatis.

Quod patroni galearum de Romania patronizent ipsas galeas et possint accipere ab extraneo naulum quod uolunt.

De deposito librarum quingentarum.

De obseruandis tractatibus officii Gazarie.

De non portando aliquem extraneum in ipsis galeis.

Quod ianuenses non ducant in eorum calanania aliquos extraneos.

De non tenendo aliquem extraneum in domo.

Ordinacio Taurixii.

Quod mercatores ianuenses non habeant societatem in imperio Persie cum aliquo extraneo.

De non ducendo aliquem seruitorem extraneum seu scribam.

De non accipiendo ad logerium aliquas bestias.

De non mitendo aliquas saumas.

Quod quilibet scriba comitus et subcomitus galearum de Romania se presentent coram officio.

Quod officium Gazarie scribat literas officio mercancie Peyre continentes nomina cercatorum galearum.

Ordo gallearum de Frandria.

De mensuris galearum de Frandria.

De ferrando dictas galeas.

Emenda ferrorum predictorum.

De deposito librarum quingentarum fiendo per patronum.

De restituendo depositum patronis.

Quod aliqua galea non uadat solla ad partes Frandrie.

De conseruaticho faciendo.

De deposito librarum ducentarum pro conseruaticho.

De armamento galearum de Frandria.

De condempnacionibus fiendis propter deffectus ipsarum galearum.

Quod mercator secum portet arma sufficiencia pro se et uno seruitore.

De capitaneo elligendo pro eundo in Frandriam.

Quod galee grosse possint nauigare armate et disarmate usque Sciciliam et usque Tripolim.

Quod galee reducte ad modum lignorum de bandis possint nauigare ultra Sciciliam.

Quod aliqua persona non attentet ducere uel mitere ultra Sciciliam aliquam galeam grossam nisi ut supra.

De armamento galearum principatus Scicilie et Tunexi.

De non naulizando aliquam galeam in Romania nisi de mensuris ordinatis.

Quod securitates teneantur ad omnes tractatus officii.

De securitatibus perpetuis.

De securitatibus super factis nauigandi.

De examinando securitates.

Quod quilibet teneatur prestare securitatem in quocumque loco possibili.

De procedendo contra contrafacientes.

a Quod pene et condempnaciones deueniant in officium.

Quod de penis et condempnacionibus fiat introytus et exitus.

De capsieta fienda in palacio.

De non portando in galeis aliquem forestatum pro officio.

De faciendo partem filio forestato per patrem.

Quod securitates durent usque ad menses sex.

Quod presentes tractatus mitantur publicati et signati per diuersas mondi partes.

Ordinamentum factum in galeis uel super galeis nauigaturis ad aquas mortuas.

Deuetum Alexandrie.

Deuetum Ispanie et Barbarie.

b Ordinamentum factum in negociis de Caffa.

Primo de eundo cum galeis ad Caffa et stare ibi per diem unum.

Quod ligna ueniencia deuersus mare tane in Romaniam similiter uenire teneantur ad Caffa.

De non accipiendo pro comergio nisi ut infra.

De non soluendo comergium nisi semel in anno.

Quod ligna soluant in Caffa secundum ordinem.

De recipiendo securitates per potestatem Peyre a quibuscumque dominis uassorum nauigabilium.

De non portando mercaciones in Solchati.

De non uendendo uel emendo aliquas mercaciones in Soldaya.

De non deuiando aquam aqueductus episcopi erminiorum.

c Approbatio facta per consules de Caffa de dicto D. episcopo.

De cisternis fiendis in Caffa.

De sex eligendis.

De uacuo permanendo prope muros de Caffa.

De non siuernando in tana.

De penis exigendis a contrafacientibus.

De non exonerando aliquas merces in riperia de Soldaya usque ad Caffa.

De non eundo ad aliquam terram de Zagora.

De recipiendo securitates de perperis quingentis per potestatem Peyre a patronis nauigantibus ultra giro siue in mare maiori.

De non alienando aliquam galeam in partibus Romanie.

d De non eundo ad Susopolim.

Quod aliquis notarius non audeat scribere aliquod instrumentum obligationis de eundo ad terras Domini imperatoris.

Quod ad denunciationem dampnificatorum potestas Peyre et ceteri consules in illis partibus teneantur procedere.

De penis exigendis.

De sallario consulis de Caffa.

Quod consul prestet securitatem de libris mille.

De non concedendo literas dicto consuli nisi cauerit.

Quod scriba consulis de Caffa caueat de libris trecentis.

Quod consul cum fuerit in Caffa coadunet parlamentum.

De conuocando uiginti quatuor consiliarios ante introytum consulis. *a*

De iuramento faciendo per uiginti quatuor.

De elligendo sex per uiginti quatuor.

Quod non possit esse de dictis uiginti quatuor uel de dictis sex aliquis qui fuerit in ipso officio antea per annum.

Quod non possit esse de dictis uiginti quatuor aliquis burgensis Caffe et de dictis sex ultra unum.

Quod consul non debeat interesse dictis ellectionibus.

Quod non fiat subrogatio alicui nobili nisi de nobili et e conuerso de populari.

Quod consul non se intromitat de electione aliorum officialium.

Quod consul non habeat bayliam mittendi rectorem in terra uel loco qui sit ultra Caffa. *b*

De iuramento prestando per dictos consules prima die earum regiminum.

Quod dicti consules teneantur diffinire questiones uertentes coram eis summarie et de plano.

Quod consul de Caffa possit consulatus officium exercere per annum unum tantum.

Quod consul in Caffa teneatur facere negotia spectantia ad comune cum consilio dictorum xxIIII.

Quod consul de Caffa non possit imponere uel colligere aliquam colletam siue exactionem nisi hoc exposito dictis uiginti quatuor.

Quod dictus consul non possit facere aliquod deuetum aliqua occaxione ipsi uel eius attinenti pertinenti.

Quod cum dicti uiginti quatuor fuerint ellecti elligant ex se ipsis duos clauigerios ad breuia.

Quod dicti clauigerii teneantur facere rationem successoribus suis.

Quod consul non possit expendere pecuniam spectantem ad dictum comune nisi secundum ordinacionem dictorum xxIIII.

Quod dicti sex consiliarii elligant duos ministros et eciam suos successores in dicto officio.

Quod de officialibus dicti loci de Caffa non se intromittant dattores officiorum ciuitatis Ianue.

Quod aliquis ianuensis non possit uel debeat colligere aliquam collectam in aliqua parte Gazarie uel de Caffa.

Quod aliquis consul uel ianuensis non possit habere uel tenere cecham in Caffa in aliqua parte Gazarie. *d*

Quod non possit esse scriba dicti consulatus aliquis qui non sit de numero notariorum Ianue.

Quod consul de Caffa teneatur prohibere quod aliquis notarius qui non sit de Ianua uel districtu non componat aliquod instrumentum.

De sallariis accipiendis per scribam dicti consulatus de rebus que uenduntur in calega.

De sallario instrumentorum et aliarum scripturarum.

Quod consul de Caffa teneatur in presencia duorum ex sex consiliariis predictis accipere res et bona defonctorum ab intestato.

De iure reddendo burgensibus recipere debentibus a defonctis.

Quod consul de Caffa non possit cessare uel remouere in officio censarie nisi ut infra.

Quod consul de Caffa teneatur non absoluere nec reuocare condempnaciones quas fecerit.

Quod dictus consul teneatur non accipere munus ab aliquo.

Quod consul predictus teneatur in redditu suo infra mensem reddere rationem de condempnationibus constitutis super examinandis.

Quod consul in Caffa non debeat facere scripturam aliquam alicui qui habeatur pro ianuensi nisi ut infra.

Quod aliquis ianuensis non armet aliquod lignum pro ire in cursum.

Quod consul quando uoluerit locare aliquam rem dicti comunis ipsam debeat locare in publica calega.

Quod consul teneat penes se sigillum de Caffa.

Quod si aliquis censarius fecerit aliquam falsitatem consul teneatur eum remouere ab officio.

Quod consul antequam recedat de Ianua prestet securitates de libris tribus millibus.

Quod scriba consulis prestare debeat securitates de libris quingentis Ianue.

Quod consul non debeat expendere pecuniam dicti comunis pro aliquo pasto.

Quod consul illarum parcium teneatur ad obseruanciam premissorum.

c Quod dictus consul teneatur exigere condempnaciones quas fecerit.

Quod scriba consulis scribat introytum et exitum consulis et clauigeriorum.

Quod aliquis scriba non sigillet aliquam literam nisi ut infra.

Quod potestas Ianue teneatur exigere a contrafacientibus dictas penas.

Baylia officii predicti nauigandi et maris maioris.

Certus ordo de Caffa.

Tractatus marinariorum.

Primo de non armando aliquam galeam sine baylia officii.

De pactis factis in Ianua intra patronos et marinarios obseruandis.

Quod scribe galearum non accipiant pro auariis marinariorum nisi soldum unum.

De cartulario deponendo penes officium.

De unciis triginta bischoti dandis omni die cuilibet marinario.

De non accipiendo marinarios nisi ad mensem de diebus triginta.

De deposito marinariorum fiendo per patronum.

De non schaporando aliquem marinarium nisi ut infra.

Quod marinarius teneatur sequi uiagium ligni super quo nauigare debebit.

Quod scriba teneatur scribere intra quod tempus recedere debebit lignum et hoc marinariis notifficare.

Quod marinarius teneatur sequi patronum.

Quod quilibet marinarius et calafactus teneatur laborare guaytare et facere secundum quod ei per patronum impositum fuerit.

Quod aliquis marinarius non faciat rissam uel rumorem.

Quod patronus possit ducere ligatum illum qui rissam fecerit.

a De non inferendo iniuriam uel uiolenciam in aliquem patronum.

De non extrahendo aliquem lignum quod non sit ferratum.

Ordo ferrandi ligna.

Quod quilibet patronus teneatur dare in scriptis mercatores debentes nauigare super suo ligno.

De non nauigando cum aliquo ligno cuius ferrea non sint nitida ab aqua.

FINIS IMPOSICIONIS OFFICII GAZARIE.

STATVTA ET PRIVILEGIA

CIVITATIS TAVRINENSIS

FRIDERICVS SCLOPIS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Nec tibi iniucundum, amice lector, nec nobis ineptum fore putamus quaedam de origine et vicissitudinibus nobilissimae urbis praefari; et patriae charitas historiae veritati nihil detrahet.

Taurini a Liguribus deducti, ad alpium radices consederunt; inquit enim Strabo, *ab altera vergente in Italiam parte, ex montibus praedictis, Taurini, gens Ligustica, reliquique Ligures habitant* (1). Et Plinius hanc sententiam confirmat dum ponit ab alpium radicibus Augustam Taurinorum, *antiqua Ligurum stirpe* (2). Sunt quos iuvat divinationibus, ne dicam fabulis, in detegenda civitatum origine indulgere; nos autem in incerto plane vagari pudet. Missas inde faciemus abstrusiores disputationes quibus nonnulli vel ab Ægyptio Phaetonte initium urbis Taurinorum ducunt, vel illam saltem septem saeculis ante Romam conditam exstitisse aiunt. Consultum satis urbis nostrae decori arbitramur quum certum sit secundo bello Punico illam incolarum armis et

(1) Geographia lib. IV.
(2) Hist. natural. lib. III, cap. 17.

animis conspicuam fuisse; testis nobis est Livius, *Taurinorum unam urbem, caput gentis eius, quia volentes in amicitiam non veniebant, Annibalem vi expugnasse* (1). Nec facilis de nostratibus victoria Poeno duci fuit, scribit namque Lucius Cincius Alimentus, apud Livium, ex ipso audisse Annibale, postquam Rhodanum transierit, triginta sex millia hominum, ingentemque numerum equorum et aliorum iumentorum amisisse in Taurinis (2); Polybii et Plutarchi testimonia fidem Livianae narrationi addunt. Hinc bellicam fortitudinem et externi imperii impatientiam a maioribus nostris hereditario iure accepisse gloriamur. Ius civium Romanorum Taurinis a C. I. Caesare datum fuisse ex Dione habemus (3). Verum et gentes illis proximae in Romanos aliquando aestuabant, ita ut tantum Augusti tempore, ut ex inscriptione e trophaeo alpium patet (4), gentes alpinae omnes quae a mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium populi Romani redactae sint.

Augustae nomen, quo vel ab ipsius Augusti aetate urbs Taurinorum honestatur, abunde demonstrat, eam honoratissimam in transpadana regione fuisse. De ordine et institutis municipii Taurinensis non hic porro fusius agemus, quum satis compertum sit unam veluti formam omnia italica municipia sub Romano imperio retinuisse.

Maxentium a Constantino in Taurinis pugna prostratum fuisse notissimum est; memorant historici Taurinorum exercitum Maxentium secutum, specie terribilem fuisse, clibanariis praesertim militibus operimento ferri equis atque hominibus pariter obseptis.

Quarto Ecclesiae saeculo, Syricio Romano Pontifice (5), habita est Augustae Taurinorum sollemnis Episcoporum synodus. Plures Galliarum, et Italiae, ut creditur, praesules una scilicet convenerant ut controversiis inter Gallos Episcopos de primatu ortis finis imponeretur.

Barbarorum experta est imperium subalpina regio, non aliter ac caeterae superioris Italiae partes. Et primum in alpibus, quae a Gallis Liguriam dividunt, frequentiora praesidia fuerunt, quae Gothi quondam multi et fortissimi viri cum coniugibus simul ac liberis strenue tueban-

(1) Historiar. lib. XXI, cap. 39.
(2) L. C, cap. 38.
(3) Lib. XLI.
(4) Plin. histor. natur. lib. III, cap. 20.
(5) A. CCCXCVII ut creditur.

tur; mitior Gothorum indoles non parum gratiae apud subiectum populum novo regi parabat. Sed irruentibus postea Longobardis, species requietis evanuit, et dire nostri vexati sunt donec illa gens ad meliora studia conversa sub Authari, eiusque successoribus iustum regnum est consecuta. Inter praecipuas urbes regni Longobardici Augusta Taurinorum recensebatur, et quum post Clephi mortem triginta sex duces superiorem Italiam obtinerent, Agilulphus Taurinorum dux erat, qui postmodum Theudelindae Reginae matrimonio iunctus, a Longobardis in Regem adscitus fuit. Aliorum Taurinensium ducum (1), qui illi successerunt, nomina invenimus apud scriptores, numero sane paucos, qui de rebus Longobardicis diligenter memoriam nobis tradiderunt.

Francorum armis et institutis Longobardorum regno labefactato, Ecclesiarum praesules in partem civilis iurisdictionis vocati, imperium affectare interdum non dubitarunt; inde cives invidia exardescere; inde crebras reipublicae conversiones moliri. Ad finem vergente saeculo IX magna inter incolas et Amulum Taurinensem Episcopum discordia oritur; Amulus ex triennali exilio ad sedem reversus nostrae civitatis, ut narrat Chronicon Novaliciense, *turres et muros perversitate sua destruxit* (2). Non tamen urbis et agri Taurinensis principatum Episcopi tenuerunt, et dissimili prorsus hac in re conditione cives nostri usi sunt a caeteris superioris Italiae civitatibus. Primo quidem post eversos Longobardos ducatus, comites, Francorum iure, urbi et agro praefuerunt; istorum seriem historicis documentis et critices subsidiis nuper illustravit Caesar Balbus, v. c.; sodalis meus, ad cuius libellum qui haec studia apprime colunt libenter se referent (3). Adelaides Olderici Magnifredi filia Odonis

(1) Vt Arioaldus, Garibaldus, Ragumbertus. V. Paul. Diacon. histor. Longobard. passim.

(2) Rerum Ital. script. tom. II, p. 2, col. 763.

(3) V. *Dei titoli e della potenza dei conti, duchi e marchesi dell'Italia settentrionale e in particolare dei conti di Torino. Lezione del Conte Cesare Balbo* apud acta R. Academiae Taurin. tom. XXXVIII. Nomina porro Taurinensium comitum sunt haec:

Ratbertus — An. DCCCXXVII.
Suppo — An. DCCCLXXVIII. — DCCCLXXX.
Adelbertus comes et marchio an. CM circa.
Berengarius comes et marchio annos inter DCCCCXIX — DCCCCL.
Arduinus Glabrio DCCCCLXVI.
Magnifredus I inter ann. DCCCCLXXV et M.
Oldericus Magnifredi inter an. MI et MXXXV.

comitis Maurianensis uxor, subalpinae regionis dominium augustae Sabaudiae domui tradidit. Sed mox turbata est respublica, et ut verbis utar historici, qui tumultus novaque hominum in libertatem studia ipse vidit *magna et inaudita confusio facta est Italiae propter coniurationes quas fecerat populus. Coniuraverant enim omnes valvassores Italiae, et gregarii milites adversus dominos suos, et omnes minores contra maiores, ut non paterentur aliquid inultum sibi accidere a dominis suis supra voluntatem ipsorum* (1).

Fremitus nempe hic erat fortunae, seu potius primum exemplum conatus, quo gentes ab incomposito et iam fatiscente regimine ad ordinem et iustitiam nitebantur. Fatentur quippe et ipsi historici partibus dominorum Italiae tunc addicti, inferiores milites *superiorum iniqua dominatione plus solito oppressos fuisse* (2). Taurinenses post varia rerum discrimina, Amedeo III in Cypro insula vita functo, ab avita fide desciscunt, eos impellente Carolo Episcopo, cui Fridericus I, alieni largus Caesar, anno MCLIX districtum civitatis Taurinensis donabat; cives novum principem detrectabant, novisque rebus adversi et incerti in contrarias saepe partes agebantur (3).

Inde factum est, ut nihil laude dignum cives nostri gesserint in bello quod pacem Constantiensem praecessit, et tantum anno MCCXXVI societati Lombardorum accesserint. Paulo post in potestatem comitis Sabaudiae, Amedei IV, iterum concesserunt, disiuncta deinde in duas stirpes augusta domo, civitas Taurinorum illi paruit, quae a Thoma II orta principum Achaiae titulo insigniebatur, donec sub Amedeo VIII Sabaudiae duce, Sabaudiae et Pedemontii ditiones in unum corpus iterum coaluerunt. Privilegia et statuta, quae nunc primum in lucem edimus, eo maioris momenti sunt quod, quum Augusta Taurinorum principum sedes plerumque fuerit, praestantissima illa habebantur. Nec raro accidit, ut gravissima negotia quae universam subalpinam regionem spectarent, apud municipii Taurinensis Ordinem agerentur. De hisce prorsus iudicium ferre tuum erit, candide lector. Vnum sufficiat addi-


(1) Wippo in vita Conradi rer. Germanic. tom. III, pag. 480 edit. a Struvio.

(2) Rer. francic. tom. III, pag. 479.

(3) Notizie dell'antico Piemonte traspadano di Iacopo Durandi par. I, o sia la Marca di Torino. Docum. IX, pag. 157 et passim.

disse, singulari diligentia nos effecisse, ut verissime exscriberetur, et typis mandaretur codex statutorum Taurinensium, qui in R. Grammatophylacio adservatur. Rationem codicis cum fide sequuti sumus, etsi quaedam placita praepostere collocata inveniuntur; sed tua sollertia, amice lector, nec difficulter, in commodum ordinem varia capita legendo rediges, et interea vetus exemplar manebit. Statuta, sane ampliora, memorati codicis contulimus cum apographo aliquorum capitum ab accuratissimo palaeographo (1) iamdiu exarato ex municipali codice *libro della catena* nuncupato. Moris scilicet apud nostrates fuit ad extremos usque superioris saeculi annos, in ipso civicae curiae vestibulo municipii statutorum codicem scamno catena affixum in propatulo habere: optimo sane consilio, si exinde dignoscerent cives, leges omnibus obviam esse debere, et ad eas veluti ad tutissimum praesidium aditum cuique liberrime patere. Vale. Dabam Aug. Taurin. an. rep. sal. MDCCCXXXV pridie kal. april.

(1) Xaverius Nasi.



Numus Philippi Achayae Principis Taurini cusus Saec. XIII.

STATVTA ET PRIVILEGIA

CIVITATIS TAVRINENSIS

(I)

Authenticum concessionis pedagii, vini, uvarum, et aceti per illustrem et magnificum principem Achayae, dominum Iacobum de Sabaudia concessae Communitati Thaurini, de anno Domini MCCCXLI, *die* XVII *mensis septembris, quod continet in effectu capitula sex.*

In Christi nomine amen. Anno eiusdem nativitatis MCCCXLVII, indictione XV, die XVII mensis augusti, Thaurini in domo Communis, ubi ius redditur, praesentibus testibus Nicholino Malcavalerii, et Ardizono Aynardo civibus Thaurini, vocatis; discretus vir nobilis Angelerius de Pedemonte, iudex civitatis Thaurini praecepit mihi infrascripto, quatenus quoddam publicum instrumentum in quadam membrana descriptum transcriberem, et in hanc publicam formam redigerem, ut de caetero vim, et robur obtineat perpetui, et publici instrumenti; tenor cuius talis est.

Anno Domini MCCCXLI, indictione nona, die decimo septimo mensis septembris, in castro portae Phibelonis (1) civitatis Thaurini, praesentibus dominis Gullliermo de Montebelo domino Alpignani, Georgino de Plozascho vicario Thaurini, Angelerio de Pedemonte iudice generali Pedemontium, Benevenuto de Cremenia de Novaria iudice Thaurini, Rizardo Provana condomino Panchalerii, Henrieto Malcaldo de Mon-
a techalerio, et Iohanne de Portis de Pinerolio clavario dictae civitatis, testibus ad haec vocatis.

Illustris, et magnificus vir dominus Iacobus de Sabaudia princeps Achayae, dominus civitatis Thaurini, plena et matura deliberatione praehabita, ex certa scientia, per se, haeredes, et successores suos concessit infrascriptis sapientibus, et civibus civitatis praedictae, videlicet dominis Anthonio Alpini, Mapheo de Pedemonte, iurisperitis, Valfredo de Ruere, Anthonio Bechuto, Francischo Banacho, Iohanni Piscagno, et Nicholino de Malcavaleriis, habentibus plenam, et generalem bailiam, et posse a generali credencia dictae civitatis factum die quindecimo mensis octobris MCCCXL ad omnia, et singula suprascripta, et infrascripta celebranda, in-
b hienda, et firmanda cum ipso domino principe, ac mihi notario infrascripto, ut publicae personae, stipulanti, recipienti vice, et nomine Communis, et universitatis Thaurini, quod dictum Commune habeat plenum posse, et liberam facultatem imponendi, ordinandi, levandi, exigendi, et colligendi ad opus, et utilitatem praedicti Communis pro duabus partibus, et eiusdem domini principis, et haeredum suorum pro tercia parte, usque ad tempus viginti annorum inchoandorum in festo sancti Michaëlis proxime venturo, pedagium, gabellagium, seu dacium in quolibet vino forensi, quod non esset, seu non fuerit natum in posse, seu territorio ipsius civitatis, et super puscha, aceto, uvis, et quocumque vino puro, vel misto, quod, et quae duci, vel
c portari contingat per quamvis personam, cuiuscumque conditionis existat, et per quemcumque modum de foris, seu de extra fines, seu territorium dictae civitatis, et districtus ad ipsam civitatem,

(1) Porta Phipelona seu Fibellona quae proxima Pado flumini, nunc Padi appellatur.

vel suburbia, seu Gruglaschum (1), vel ad aliqua a
loca, sive habitationes finis, vel poderii civitatis praedictae, aut quod, vel quae ducetur, vel portabitur qualitercumque per fines, territorium, vel iurisdictionem eiusdem civitatis infra dictum tempus viginti annorum, tali videlicet modo, quod praedictum Commune, et universitas Thaurini, seu credentia eiusdem civitatis, aut sapientes ab eadem credentia super hoc deputati, seu deputandi, durantibus praedictis viginti annis, super impositione, levatione, exactione, et collectura dicti pedagii, gabellagii, seu dacii, et super omnibus, et singulis, et emergentibus ex eisdem, possint capitula statuere, ordinare poenas, et mulctas imponere, quantitatem eiusdem pedagii, seu dacii, quandocumque, et quotiescumque eis placebit, augere, b
minuere, et mutare, dummodo non excedat solutio eiusdem pedagii, seu dacii quantitatem duodecim solidorum viannensium pro quolibet sextario eiusdem vini puri, vel mixti, nec esse possit minor quatuor solidorum viannensium pro eodem sextario, et sic intelligatur pro rata de vino curlis, et somata uvarum; hoc enim intelligatur de vino, quod restaret, et consumaretur in finibus Thaurini, et iurisdictionis. Super vino vero, quod transiret ultra fines Thaurini, veniendo de extra dictos fines, possit dictum gabellagium vini ordinari per credenciam Thaurini ad eorum liberam voluntatem, prout eis videbitur ordinandum, cum consensu, et auctoritate vicarii, et iudicis, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint in Thaurino, habendo de illis c
dominus princeps praedictus terciam partem, ut de alio superius est expressum. Collectorem etiam, et collectores possint eligere, mutare, et removere, prout, et sicut semel, et pluries ad communem utilitatem civium Thaurini pro duabus partibus, et dicti domini principis pro tercia parte eis videbitur expedire. Qui collectores Communis tam Communi praedicto de duabus partibus obventionum eiusdem pedagii, seu dacii dicti vini, et uvarum, quam clavario, seu clavariis domini principis in Thaurino de tercia parte rationem, et satisfactionem de recepto, quandocumque fuerint requisiti, singulis duobus mensibus reddere teneantur, et aliquomodo exigi, seu solvi, vel capi non possit, nec debeat per collectores praedictos, aut aliam quamcumque d
personam, tercia pars dicti domini principis eiusdem pedagii, seu dacii suprascripti absque solutione duarum partium Communis praedicti, et e converso. Ita siquidem quod, finito tempore dictorum viginti annorum, finiatur, et finita sit in totum impositio, exactio pedagii, et dacii supradicti, et sic ipsum dacium, seu pedagium dicti vini, et uvarum cassum, et vanum, ulteriusque imponi, seu levari non possit, nec debeat, nisi aliter de novo maior credentia Thaurini super hoc disponeret, et specialiter ordinaret; hoc expresso, acto, et firmiter ordinato in contractu praesenti, quod per dictum dominum principem, vel eius haeredes, aut aliquos eorum officiales per dictum Commune Thaurini, seu per aliam quamvis personam non possit, nec debeat, durantibus dictis viginti annis, dari, vel concedi licencia, seu parabola, aut aliter quovis modo pati aportandi, seu aportari faciendi vinum, puscham, seu uvas, aut acetum contra capitula inde facienda, absque solutione pedagii, seu dacii super hoc ordinati, seu ordinandi, etiam pro tercia parte ad ipsum dominum principem contingente, nec aliquid aliud facere, seu pati, tacite, vel expresse, directe, vel indirecte contra concessionem, et contractum praesentes, nec contra aliqua capitula, seu statuta super iis facta, et de caetero facienda ex parte dicti Communis, ut superius declaratur; et si factum foret, aut data esset dicta licentia, seu parabola, non valeat, sed nullius existat valoris penitus, et momenti. Liceat etiam omnibus civibus, et habitatoribus dictae civitatis vinum, uvas, vasa, boves, bestias, et currus omnium aportancium ipsum ipsum vinum, vel uvas, seu cum quibus aportarent, absque solutione pedagii, seu dacii super hoc ordinandi ut supra, et contra capitula praedicta, auctoritate propria capere, et detinere, arrestare, destruere, interficere, et anichilare absque alicuius poenae incursione; ita quod alii similia facere non attemptent; caeteris capitulis, et statutis circa predicta faciendis in suo robore duraturis. Praesertim vero rectores societatis, et sapientes dictae societatis civitatis Thaurini, vice, et nomine Communis, et universitatis Thaurini, auctoritate in hac parte eis, ut supra concessa, et attributa, dictam terciam partem dicti pedagii, dacii, seu gabellagii vini, et uvarum, et omnium obventionum eiusdem dicto domino principi praesenti, et recipienti pro se, et suis haeredibus consenserunt, et ex certa scientia concesserunt, usque ad dictum tempus viginti annorum, et per modum, et formam superius denotatas. Quibus omnibus sic peractis, dictus dominus princeps pro se, et suis successoribus ex una parte, et dicti rectores, et sapientes, nomine, et vice dicti Communis, ex parte alia, solempnibus stipulationibus inde intervenientibus, et sub obligatione omnium bonorum eiusdem domini principis, et Communis praedicti dampnorum, expensarum, et interesse restitutione, praemissa omnia, et singula attendere, et bona fide servare, ac eis non contrafacere, vel venire, de iure, vel de facto, nec contrafacienti consentire sibi invicem, videlicet una pars alteri, et altera alteri, nominibus antedictis promiserunt, et ad sancta Dei evangelia, tactis scripturis corporaliter, iuraverunt, praesertim dominus princeps, quod praedicta omnia, et singula attendet, et observabit, attendi, et observari inviolabiliter faciet per eius officiales, durante tempore viginti annorum praedicto, non obstantibus aliquibus privilegiis, concessionibus, capitulis, consuetudinibus, immunitatibus, pactis, conventionibus, mandamentis datis, factis, indultis, concessis, obtentis, vel

(1) Gruglaschum, italice *Grugliasco*, oppidum est in ditione Taurinensium iamdiu positum, distat tertio ab urbe lapide, occasum versus.

de caetero dandis, concedendis, vel faciendis, quovis nomine censeantur. Renunciantes dicti dominus princeps, rectores, sapientes supranominati eorum propriis nominibus, ac nomine, et vice Communis, et universitatis dictae civitatis Thaurini, ex certa scientia exceptioni non factarum dictarum concessionum, pactionum, et promissionum, reique non sic gestae, doli mali, condictioni sine causa, vel ex iniusta causa, in factum actioni, et alii iuri canonico, et civili, consuetudinario, et municipali, quo mediante dictae partes contra praemissa, vel aliquod praemissorum de iure, vel de facto venire possent, vel se tueri; et de praedictis dictae partes iusserunt per me notarium infrascriptum fieri unum, et plura publica instrumenta ad opus partium suprascriptarum.

Et ego Micheletus Nasaporis de Pinayrolio publicus imperiali auctoritate notarius, praedictis omnibus, et singulis praesens fui, et hanc cartam rogatus tradidi, signumque meum apposui consuetum.

Et ego Anthonius Malcavalerius de Thaurino publicus imperiali auctoritate notarius, et scriba curiae Thaurini, praedictum instrumentum de mandato domini iudicis, et ad instantiam domini fratris Bartolomei Beamondi massarii (1) dicti Communis Thaurini authenticavi, et in publicam formam transcripsi, ut de caetero vim, et robur obtineat publici, et perpetui instrumenti; et me subscripsi, et signavi in testimonium praemissorum.

(II)

Ratificatio daciorum, et gabellarum quarumcumque civitatis Thaurini, videlicet super vino extraneo, et aliis quibuscumque, facta per illustrem, et magnificum dominum Iacobum de Sabaudia de anno MCCCLXIII, *die* XVIII *novembris.*

Noverint universi, et singuli praesentes literas inspecturi, quod nos Iacobus de Sabaudia princeps Achayae attendentes fidem sinceram, et incorruptum amorem, quem dilecti fideles nostri, Commune, et cives civitatis nostrae Thaurini ad nos habuerunt hactenus, et habent adhuc continue, incessanter; considerantes itaque onera, quae dicti Commune, et cives libenti animo supportant in contributione subsidii per ipsos, et alias communitates terrae nostrae gratiose collati pro solvendis nostris debitis, ac aliis nostris gravibus oneribus supportandis, et volentes cum eisdem, ut praedicta favoribus substinere valeant in iis, quae possumus benigne agere, ut tenemur, eisdem nostris

a Communi, et civibus nostris fidelibus supradictis, et etiam sapientibus per ipsos ad infrascripta peragenda specialiter deputandis, ordinandis, tenore praesentium, in quantum nobis licet, per nos, et nostros damus, et concedimus plenam licentiam, et liberam facultatem constituendi, statuendi, ordinandi, et imponendi in ipsa nostra civitate, eiusque suburbiis, iurisdictioneque, territorio, et districtu dacia, et gabellas quascumque, videlicet super vino forensi, et extraneo, et aliis quibuscumque rebus persolvendis, et sumendis duobus millibus florenis auri mutuandis per ipsos Commune, et cives inter se se assignatis de subsidio supradicto, duraturas, et duratura donec mutuantibus de praedictis duobus millibus florenis fuerit integre satis-
b factum; quodque super praedictis datiis, et gabellis ipsum Commune, et cives, et deputandi ab eis possint, et valeant, cum auctoritate tamen, et consensu nostrorum vicarii, et iudicis dicti loci ordinamenta, et statuta facere, condere, et ordinare, iuri tamen consona, secundum facti qualitatem, et quae iurisdictioni nostrae non derogent ullo modo. Quae quidem statuta, et ordinamenta super dictis gabellis, et dacitis per dictos Commune, et cives, aut deputandos ab eis facienda, et ordinanda, ut praemittitur, ex nunc, prout ex tunc laudamus, approbamus, et solempniter confirmamus valitura, et duratura dumtaxat, donec supradictis mutuantibus de praedictis duobus millibus florenis fuerit integre satisfactum. Mandantes vicario,
c et iudici nostris nostrae civitatis praedictae, quatenus concessionem nostram huiusmodi, et omnia alia, et singula supradicta, prout superius est expressum, cum effectu observent, et ab omnibus faciant inviolabiliter observari; in cuius rei testimonium praesentes fieri iussimus, et nostri sigilli appensione muniri. Dat. Pinayrolii die XVIII novembris, anno Domini MCCCLXIII, indictione prima.

(III)

Literae magnifici consilii illustris domini Sabaudiae comitis citra montes residentis, super gabellis, datiis vini transeuntis per fines Thaurini, de
d *anno Domini* MCCCLXXIII, *die* XXIIII *mensis aprilis.*

Consilium illustris domini nostri Sabaudiae Comitis citra montes residens nobilibus, et sapientibus viris domino vicario, et iudici, sapientibus, et consilio Communitatis civitatis Thaurini salutem. Supplicationibus pro parte Communitatis vestrae nobis oblatis, et earum tenore considerato, volentes vobis gratiam nomine dicti domini nostri facere iuxta posse super dictis supplicationibus, et primo quod datium, seu pedagium vini transeuntis per fines Thaurini possitis minuere, et augere usque ad solidos viginti pro qualibet carata, et hoc usque ad beneplacitum dicti domini nostri; item de gratia remittimus, et quittamus singularibus

(1) *Massarii* munus tum custodiam aerarii civitatis, tum aedilitiam potestatem complectebatur. Ex decreto civitatis Taurinensis diei 17 iunii anni 1333, uti ex schedis Nasii, diligentissimi palaeographi, qui haec ex authenticis documentis depromsit, apparet, statutum fuerat munus praedictum conferri non posse nisi viris religiosis, aut alienigenis. Plerumque illud obibant monachi Humiliati, vel ordinis S. Benedicti.

personis dictae civitatis omnes poenas, quas incurrerunt, vel commiserunt pro praeceptis eis factis, et non observatis pro exactione talearum, et omnium realium onerum dictae civitatis hactenus impositorum, mandantes vobis vicario, et iudici, et clavario dictae civitatis, et vestrum cuilibet, quatenus dictas singulares personas a praedictis poenis, et bampnis, ut supra commissis, de libris curiae Thaurini aboleatis, et canzeletis totaliter, et eos pro praedictis poenis ulterius non molestetis. Item accusationes, et processus in curia nostra formatos contra nonnullas singulares personas dictae civitatis pro eo quod, die ultima decembris, die ultima ianuarii, die quinta, et sexta ianuarii, ludere debuerunt ad ludum prohibitum taxillorum de die, sive de nocte, de gratia speciali usque ad octo dies post proximum adventum praefati domini nostri Comitis suspendimus in eo statu, quo nunc sunt. Vobis mandantes, quatenus dictas singulares personas pro praedictis nullatenus molestetis usque ad terminum supradictum. Datum Thaurini, die XXIIII mensis aprilis, anno Domini currente MCCCLXXIII, cum appositione sigilli domini Bartholomei de Cignino militis, domino canzelario absente.

a

b

Expedita in Consilio, praesentibus dominis
Bartholomeo de Cignino
Stephano de Balma, et
Henrico de Gorzano militibus, et consiliariis.

(IV)

Literae illustris principis Amedei de Sabaudia concessionis gabellarum super quibuscumque rebus mobilibus, merchandiis, etc. datae Pinayrolii die XV *mensis februarii de anno Domini* MCCCLXXVIII.

Amedeus de Sabaudia, princeps Achayae dilectis fidelibus nostris, consilio, et Communi civitatis Thaurini nostrae salutem. Ad supplicationem vestri parte humiliter super hoc nobis factam, oneribusque substinendis, et supportandis occasione, et praetextu taxi, per vos nobis gratiose nuper concessi, attentis, quae supportare vobis grave ymo difficile reputamus, nisi nostri vobis liberalitas in aliquo subveniet, certisque considerationibus, et ex causis, nos ad haec moventibus, vobis per praesentes auctoritatem, licentiam concedimus, et plenariam potestatem in civitate praedicta, territorio, et finibus, et districtu super quibuscumque rebus, bonis mobilibus, et merchandiis quibuscumque, quae ibidem vendentur, ducentur, portabuntur, extrahentur, et introducentur, gabellas congruas, et rationabiles imponendi, impositasque, et imponendas habendi, tenendi, levandi, et recuperandi a quibuscumque, et illas in utilitatem dictae Communitatis, et in exonerationem onerum supportandorum, per eamdem convertendi, et implicandi, prout vobis magis noveritis expedire, hominibus tamen districtualibus, et subiectis illustris principis domini nostri domini Amedei comitis Sabaudiae praesentibus, et futuris, ipsorumque, et cuiuslibet rebus, bonis, et merchandiis penitus exceptatis; super quibus gabellas praedictas, aut aliquam ex eis imponere, et exigere non possitis, nisi tantum pro rebus, et merchandiis, quas in dicta civitate, finibus, et districtu ement, aut vendent; pro quibus, et ipsarum praetextu ab eisdem, prout a caeteris exigere, et levare rationabiliter valeatis. Praesentibus, quamdiu vobis placuerit, nostraeque voluntatis fuerit, et non ulterius, valituris. Datum Pinayrolii, die decimaquinta mensis februarii, anno Domini MCCCLXXVIII.

Per dominum, relatione dominorum
Bartholomei de Cignino
Ay. Bonivardi
Amedei Simeonis, et
Amedei Gaydoneti.

(V)

Literae illustris domini Amedei de Sabaudia, principis Achayae, etc. prorogationis gabellarum civitatis Thaurini de anno Domini MCCCLXXXXIII, *die* XXV *mensis septembris.*

Nos Amedeus de Sabaudia princeps Achayae, etc. Notum facimus universis praesentes inspecturis, quod nos, supplicationibus pro parte fidelium nostrorum

c

Communitatis hominum, et universitatis civitatis nostrae Thaurini humiliter nobis factis, in hac parte benigniter inclinati, et dictis nostris civibus volentes in nobis possibilibus, et sibi utilibus, et fructiferis gratiose complacere, maxime attentis variis oneribus, quae dicti Commune, et homines tam pro fortificatione, et reparatione fortiliciorum dictae nostrae civitatis, quam aliis, habent multipliciter supportare, et in auxilium ipsorum onerum supportandorum, eorum gabellas per ipsos Commune, et homines in dicta nostra civitate auctoritate nostra dudum impositas, et nunc ad manus ipsorum existentes per duos annos proximos, et continuos, die proximi festi beati Michaëlis inchoandos, et eadem finiendos, dictis duobus annis lapsis primitus, et completis, ex nostra certa scientia prorogamus, et de novo concedimus per praesentes.

d

Item eidem Communi, hominibus, et universitati concedimus, tenore praesentium, et largimur auctoritatem plenariam, et bayliam, ac omnimodam facultatem imponendi, et inducendi in dicta nostra civitate, et ipsius poderio, cum auctoritate tamen et consensu vicarii, et iudicis nostrorum dictae civitatis, alias novas gabellas, tales quales voluerunt, exigendas per ipsos nostros cives, vel deputandos ab eis, et levandas una cum aliis prioribus gabellis, durante dumtaxat tempore dictae prorogationis, convertendas, et implicandas ad opus fortificationum dictae nostrae civitatis, et aliorum onerum ipsorum nostrorum civium supportandorum, et

Communitatis, prius tamen capitulo dictae novae a gabellae imponendae per nos, si in iis partibus fuerimus, alias, nobis absentibus, per illustrem dominum Aymonem de Sabaudia, avunculum, et locumtenentem nostrum, seu per Consilium nostrum a diversis examinato, et confirmato. Vicario, et iudice, et caeteris officiariis dictae nostrae civitatis, aliisque officiariis fidelibus, et subditis nostris quibuscumque, ad quos pertinet, et pertinebit, harum serie mandantes expresse, quatenus has nostras prorogationis, et concessionis literas teneant, attendant, et observent iuxta ipsarum continentiam, et effectum, et faciant ab omnibus inviolabiliter observari, nichil in contrarium quomodolibet attemptando. Datum Pinayrolii, die xxv mensis septembris, anno Domini MCCCLXXXXIIII. b

Per dominum, relatione domini
Iohannis de Brayda canzelarii.

(VI)

Confirmatio antiquarum gabellarum, cum potestate imponendi alias de novo, facta per illustrem dominum Amedeum de Sabaudia principem Achayae, etc., de anno MCCCLXXXXVI, die prima mensis decembris.

Nos Amedeus de Sabaudia princeps Achayae, etc. Notum facimus universis, quod nos, ad dilectorum c fidelium nostrorum hominum, civium, et incolarum nostrae Thaurinensis civitatis peticionem, noviter nobis suadentibus tam eorum graciis, et utilibus servitiis cum omni promptitudine nobis laudabiliter impensis, et quae fervido amore impendere fatigati non desistunt, quam certis aliis multis causis rationabilibus, atque iustis, quibus facti sunt nobis grati; considerantes insuper guerrarum discrimina, quibus non sine stragiis, amaritudine, captivorum depressione, et suorum bonorum iactura non modica, diebus sunt singulis tamquam probi, et legales viriliter expositi, et dediti ad alia quaecumque nobis grata, in ipsorum aliqualem relevationem, et onerum supportationem, ut bene ceptis, et continuatis per ipsos hucusque, valeant imposterum prosperius d insistere, et ut eorum negotia, et agenda succedant felicius, Deo dante. Ex nostra certa scientia, et deliberato proposito pro nobis, et nostris dictis civibus nostris, incolisque, habitatoribus praedictis pro se, et eorum posteritati damus tenore praesentium de gratia speciali, et largimur plenam, meram et integram licentiam, ac etiam potestatem exigendi, levandi, et in utilitatem Communitatis dictae nostrae civitatis convertendi libere, et sine offensa, et bampni commissione quascumque gabellas, quas soliti sunt percipere, exigere, et levare in nostra civitate memorata, in et super illis rebus, in et super quibus, prout quae, et quemadmodum exigere, percipere, et levare consueverunt usque modo, et iuxta formam statuti alias super hoc ordinati.

Item, eisdem licentiam concedimus, et mandamus ut supra alias gabellas ultra et praeterquam iam dictas denuo, et cum volent faciendi, et ordinandi in nostra civitate praedicta, ac etiam ipsas cassandi, et permutandi, et tollendi, remittendique, et innovandi, addendo, vel removendo quotiescumque volent, et sibi videbitur expediri, ipsasque exigendi, recuperandi, levandi, in dictae Communitatis utilitatem convertendi libere, prout supra; ita quod amodo in antea praedicti cives, et incolae praefatae nostrae civitatis dictas gabellas statutas, et statuendas, ut supra, per se, aut alium eorum nomine recuperare possint, exigere, et levare libere, pacifice, et sine offensa, et reprehensione quibuscumque, ut supra, donec praedicta duxerimus evidenter revocanda, et nostram inhibitionem dederimus eisdem in praedictis; mandantes propterea per praesentes vicario, et aliis officiariis nostris Thaurini praesentibus, et futuris, quatenus contra nostras praesentes largitionem, et gratiam facere non praesumant quomodolibet, vel venire; quin ymo ipsas in omnibus integriter observent iuxta continentiam praedictam, et faciant plenius observari. Datum Thaurini, die prima mensis decembris, anno Domini MCCCLXXXXVI.

Per dominum, relatione dominorum
Iohannis Brayda canzellarii, et
Thomerii Borgexii.

(VII)

Literae illustris Ludovici de Sabaudia principis Achayae, etc. confirmationis gabellarum civitatis Thaurini per decem annos, datae Pinayrolii, die XVI februarii, anno Domini MCCCC quinto.

Nos Ludovicus de Sabaudia princeps Achayae, etc. tenore praesentium notum facimus universis praesentes literas inspecturis, quod ad supplicationem dilectorum fidelium nostrorum hominum Communitatis, et universitatis civitatis nostrae Thaurini, ipsis hominibus, Communitati, et universitati concessimus, et concedimus gabellas, et impositiones imponendas, levandas, et exigendas per ipsos homines, et Communitatem eisdem incumbentibus, tam pro donis nobis per ipsam Communitatem concessis, quam ex aliis causis, quae praesentialiter occurrunt, et in futurum occurrere possent, pro ut tamen, et sicut continetur in quibusdam literis concessis per illustrem quondam fratrem nostrum, dominum Amedeum Achayae principem, manu dilecti secretarii nostri Petri Probi, anno Domini MCCCLXXXXVI, die prima mensis decembris. Eo salvo, quod tempus concessionis limitamus usque ad decem annos proxime venturos, quibus decem annis durantibus, volumus ipsam concessionem habere plenum, et validum effectum, mandantes tenore

praesentium vicario nostro, et aliis nostris officia- a
libus nostrae civitatis, quatenus praesentem nostram concessionem observent inviolabiliter, et cum effectu, et ad exactionem ipsarum gabellarum, et impositionum praebeant operam efficacem. Datum Pinayrolii, die XVI mensis februarii, anno Domini MCCCC quinto.

Per dominum, praesentibus
Breantio de Romagnano vicario Thaurini
Amedeo Malingro, et
Ludovico Coste thesaurario.

(VIII)

Literae illustrissimi domini Amedei ducis Sabaudiae confirmatoriae gabellarum civitatis Thaurini, de anno domini MCCCCXXI, *die quinta mensis iunii.* b

Nos Amedeus dux Sabaudiae etc. Notum facimus universis, quod nos, ad humilem supplicationem super infrascriptis nobis factam pro parte dilectorum fidelium nostrorum sindicorum, hominum, et Communitatis nostrae civitatis Thaurini, volentes ipsos semper tractare favoribus gratiosis, eisdem, harum serie, de novo damus, conferimus, concedimus, et confirmamus per decem annos proximos et continuos gabellas per ipsos sindicos homines, et communitatem tenere, exercere, et exigere consuetas. Mandantes propterea capitaneo Pedemontium, vicario, clavario, et caeteris officiariis nostris Thaurini, seu ipsorum locatenentibus praesentibus, et futuris, et cuilibet eorum in solidum, quatenus has nostras c
literas, gratiam, et concessionem praementionatas supplicantibus inviolabiliter observent, et in nullo contrafaciant, vel opponant. Quin ymo debitores earumdem gabellarum viriliter cogant, et compellant ad solvendum omnia, quae, praemissa causa, debent, et debebunt in manibus collectorum, et exactorum earumdem, absque alterius expectatione mandati. Datum Thaurini, die quinta mensis iunii, anno Domini MCCCC XXI, sub sigillo, nostro canzelario absente.

Per dominum, praesentibus dominis
Bastardo de Sabaudia (1)
Mentonis
Baylivo Vaudi
Urbano Cereserii, et
Roberto Vuaginardi magistro hospitii.

(IX)

Literae illustris domini Amedei de Sabaudia principis Pedemontium confirmatoriae gabellarum civitatis Thaurini datae, de anno Domini MCCCCXXVII, *die* XII *mensis maii.*

Nos Amedeus de Sabaudia princeps Pedemontium etc., ac locumtenens citra montes illustrissimi ac genitoris mei domini ducis Sabaudiae etc. Notum facimus universis, quod nos cupientes civitatem Thaurini, quae depopulata, et ad penuriam redacta est, reffici, restaurari, et *vietari* proposuimus sibi de honeranciis, ex quibus commoditatem consequi possunt complacere. Idcirco sindicis, consiliariis, hominibus, et Communitati dictae civitatis apud nos super infrascriptis intercedentibus terminum in dictis literis praefati domini mei, praesentibus annexis, sibi concessum, et praefixum tenendi, percipiendi, habendi, et levandi gabellas dictae civitatis exigere consuetas, prorogamus, et augemus per sex annos proximos, finito dicto termino in dictis literis praefixo, inchoandos, et inde sequuturos. Insuper volentes ipsos de Thaurino tractare gratia ampliori, eisdem tenore praesentium liberaliter damus, et conferimus potestatem, licentiam, et facultatem, vocato, et praesente vicario Thaurini, seu eius locumtenente, dictis termino, et prolungatione eiusdem pendentibus, et durantibus, possint impune dictas gabellas confectas augere, et minuere, et super eis capitulare, et alias gabellas novas, si opus fuerit, inter se et super se de novo imponere, exigere, et levare pro oneribus ipsius Commuinitatis supportandis, et prout sibi videbitur melius, utilius, et minus dampnosum dictae Communitati faciendum; ita tamen quod novis gabellis uti non possint, vel illas exigere, et levare, donec prius de impositione et modo exactionis earum nos, et Consilium nostrum informaverint. Datum Thaurini, die duodecima mensis maii, anno Domini MCCCCXXVII sub signeto nostro, sigillo absente.

Per dominum principem, praesentibus dominis
G. domino Montismaioris mareschalo Sabaudiae
Conderet praeposito Augustae, et
Iohanne de Avanciacho.

(X)

Literae illustrissimi Amedei ducis Sabaudiae etc. prorogationis gabellarum civitatis Thaurini, die nona maii, anno Domini MCCCC *vigesimo septimo.*

d Amedeus dux Sabaudiae, Chablaxii, et Augustae, princeps, marchio in Italia, comes Pedemontium, et Gebennensis, Valentinensisque, et Diensis. Universis serie praesentium facimus manifestum, quod nos supplicationi dilectorum fidelium nostrorum hominum et Communitatis civitatis nostrae Thaurini super hiis nobis factae favore benivolo annuentes, potissime attentis ingentibus oneribus eisdem diversimode incumbentibus, quae ut facilius supportare valeant nostrae munificentiae praesidium benigniter eisdem porrigere volentes, ex nostra certa scientia pro nobis et nostris gabellas, ex alia prima concessione nostra in ipsa civitate per eosdem homines, et Communitatem levari et exigi consuetas, eisdem supplicantibus liberaliter et de gratia spe-

(1) Nomina ad fidem codicis retulimus. Hic est Humbertus Amedei VII filius naturalis.

ciali iterum concedimus, ac serie praesentium prolongamus ad et per sex annos proximos continuos et integros, die finiti termini novissimae concessionis nostrae eisdem, ut praefertur super hiis factae, inchoandos dumtaxat, et non ultra. Universis et singulis officiariis nostris praesentibus, et futuris, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem propterea districte praecipiendo mandantes, quatenus huiusmodi literas, concessionem, et prorogationem nostras eisdem fidelibus nostris hominibus, et Communitati Thaurini protinus observent illaesas. Datum Tononi, die nona maii, anno Domini MCCCC XXVII. a

Per dominum, praesentibus dominis
Iohanne de Belloforti cancellario
Bastardo de Sabaudia
Menthonis
Amedeo de Chaland
Urbano Cereserii
Franco Compesii
Amedeo de Crescherelo magistro hospicii.

(XI)

Literae prorogationis gabellarum illustrissimi Ludovici principis Pedemontium, anno Domini MCCCC XXXV, *die octava februarii.*

Ludovicus de Sabaudia princeps Pedemontium, primogenitus, locumtenensque illustrissimi genitoris mei domini Amedei ducis Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, principis, marchionis in Italia, comitis Pedemontium, et Gebennensis, Valentinensisque, et Diensis. Universis serie praesentium fiat manifestum, quod nos supplicationi dilectorum fidelium sindicorum, Consilii, Communitatis, et civitatis Thaurini super iis nobis factae certis piis respectibus inclinati, praecipue consideratione ingentium onerum per ipsam Communitatem, tam occasione nostri iocundi adventus, quam modernorum nostrorum exercituum sustentorum, ex nostra scientia gabellas grossas, et minutas vini, et becchariae dictae civitatis, et in ea a tabernariis, bechariis, et aliis quibuscumque per dictam Communitatem exigi consuetas minuendasque, et augendas secundum mentem literarum, tam per ipsum dominum meum, quam inclitae recordationis illustrem fratrem nostrum Amedeum de Sabaudia, principem Pedemontium super hiis novissime concessarum, eidem Communitati ad, et per viginti annos proximos continuos, et integros, die finiti termini ultimae concessionis earumdem inchoandos, confirmamus, et de novo concedimus per praesentes. Et insuper volentes ipsos fideles nostros favoribus amplioribus pertractare eisdem concedimus, et largimur, quod ipsi possint, et valeant in ipsa civitate alias novas gabellas facere, et imponere, prout per Consilium ipsius civitatis, vel maiorem partem eiusdem extiterit ordinatum, augendas etiam, mutandas, et minuendas semel, et pluries ad ipsius Consilii, vel maioris partis eiusdem voluntatem, dummodo gabellae novae fiant, mutentur, augeantur, et minuantur cum auctoritate Consilii nostri citra montes residentis, et prout eidem Consilio nostro secundum casuum et temporum exigentiam videbitur faciendum; et hoc durantibus decem annis proximis continuis, et integris, die publicationis ipsarum novarum inchoandis, et ita ipsarum omnium gabellarum exitus, et gaudiae ad dictam Communitatem Thaurini solito more in solidum pertineat. Mandantes propterea dictis Consilio citra montes residenti, vicario, iudicique, clavario Thaurini, ac caeteris officiariis praefati domini nostri, et nostris praesentibus, et futuris, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi concessionem, prorogationem, et literas nostras eisdem fidelibus nostris per tempus praedictum protinus observent illexas, et in nullo contrafaciant quomodolibet, vel opponant. Datum Thaurini, die octava mensis februarii, anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo quinto.

Per dominum principem, praesentibus dominis
Iohanne domino Bellifortis cancellario
H. Bastardo de Sabaudia
M. ex marchionibus Salutiarum mareschalo
Iohanne domino Bariaci
Ia. domino Montis maioris
Lanceloto domino Luriaci
Petro Marchiandi
Francischo de Tomatis praesidente, et
Guliermo Bolomerii

Fabri.

(XII)

Sententia lata per magnificum consilium citra montes residens pro Communitate Thaurini contra advocatum fiscalem super gabellis eiusdem Communitatis, de anno Domini M CCCC XLVIII, *die* XXVII *mensis iulii.*

Nos Consilium illustrissimi principis domini nostri ducis Sabaudiae citra montes residens etc. Notum serie praesentium facimus universis, quod anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo octavo, die vicesima septima mensis iulii continuata a die hesterna ob reverentiam festi Sanctae Mariae, subscriptis partibus per nos assignatis ad ius, et sententiam nostram audiendam in, et super quadam causa coram nobis mota, et certo tempore ventilata inter egregium legum doctorem dominum Valfredum Alinghi advocatum, et procuratorem fiscalem dicti domini nostri, pro iure, et interesse fiscalibus eiusdem ex una, et Communitatem, sindicos et credendarios civitatis Thaurini ex alia partibus, comparuerunt ipsius assignationis vigore Thaurini iudicialiter coram nobis praenominatus egregius legum doctor dominus Valfredus Alinghi advocatus, et procurator fiscalis pro iure, et inte-

resse fiscalibus dicti domini nostri ex una parte, a et Andreas de Ymola, procurator, et sindicus, ut acta causae praesentis demonstrant, et sindicario, et procuratorio nominibus sindicorum, et credendariorum, ac Communitatis dictae civitatis Thaurini ex alia parte, requirentes ipsi, comparentes nominibus praemissis in causa huiusmodi per nos ius dici, et sententiam nostram ferri, uterque ipsorum in suae partis favorem. Et nos dictum Consilium, auditis praemissis hinc inde requisitis, formam dictae nostrae assignationis volentes *sequi*, visis, et plene digestis omnibus retrogestis inter partes praedictas, potissime iamdudum intitulato processu, per Guliermum Macharii comissarium per nos ad haec deputatum formato, contra Communitatem praedictam, seu vel credendarios et sin- b dicos ipsius Communitatis, die vicesimo sexto mensis februarii, millesimo quatercentesimo quadragesimo sexto die, super eorum gabellis exactionibus seu vel datiis, de quibus in dicto processu, cuius tenor sequitur. Anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo sexto, die vicesima sexta mensis februarii.

Sequitur inquisitio, seu inquisitionis titulus, sive processus, qui et quae fiunt, fierique proponuntur, et ordinantur ex officio curiae illustris domini nostri Sabaudiae ducis per me Guliermum Macharii de Avilliania notarium, et commissarium, in hac parte a magnifico ducali Consilio Thaurini residente specialiter deputatum, constando de ipsa comissione literis ab eodem magnifico Consilio emanatis c superius insertis, fama publica praecedente, et clausa insinuatione referente, non quidem a malivolis, et suspectis personis, sed potius ab honestis, et fide dignis, ita quod nulla potest tergiversatione celari, et ad prosequutionem procurationis fiscalis dicti domini nostri in curia magnifici Consilii residentis, omnibusque aliis, modo, via, et forma quibus melius de iure fieri potest, et debet, contra, et adversus Communitatem, et universitatem civitatis Thaurini, seu infrascriptos sindicos, et credendarios dictae civitatis dictam Communitatem, et universitatem repraesentantes, videlicet Bonifacium de Ruere, Vincentium Comagii, Stephanum Bechuti, Georgium de Oberto Carcagni, Anthonium Borgexii, dominum Paulum Probi, Anthonium de d Cavaglata, Iohannem Probi, Georgium Carcagni, Michaëlem Aynardi, Iohannem Gastaudi, Augustinum Bechuti, Petrum Borgexii, Iohannem de Morauda, Gabrielem Borgexii, Dominicum Fererii, Michaëlem Daherii, Bernardum Mayna, Michaëlem de Molario, Iohannem Vechi, Iohannem Gauzatoris, Gaspardum Barberii, Ludovicum Coconi, Iohannem Perachinoti, Iacobum Barberii, Iacobum Iacherii, Iohannem Cofange, Bartholomeum Marescalcum, Matheum Barutelli, Thomam Gastaudi, Thomam Bechuti, Michaëlem Beliodi, Claudium Felixii, Bertholomeum de Crovexio, Iohannem Melia, Bertholomeum Darmeli, Dominicum Castolerii, et Brunonem de Augustia, omnes cives, consules, et credendarios dictae civitatis, in primis de eo, et super eo, quod praefatus dominus noster dux, et felicis recordationis eius domini progenitores habent, et habuerunt in eadem civitate Thaurini iam centum annis proxime decursis, et ultra, merum, et mixtum imperium, ac omnimodam iurisdictionem exercendas per eos, seu eorum officiales ibidem constitutos, et omnimodam remissionem, et punitionem in delinquentes, dictique cives, et Communitas ipsos dominos Sabaudiae recognoverunt eorum immediatos superiores, deficientibus dominis principibus Pedemontium pro tempore existentibus de ipsa civitate, et aliquibus aliis locis patriae huius Pedemontanae per ipsos dominos Sabaudiae infeudatis; et ita est verum notorium, et manifestum.

Item de eo, et super eo, quod dicta Communitas Thaurini, mediantibus personis certorum suorum sindicorum pro eorum necessitatibus succurrendis, videlicet de anno decursu millesimo quatercentesimo quadragesimo septimo, scientes eisdem prorsus de iure prohibitum aliquam gabellam imponi sine principis auctoritate, recursum habuerunt ad inclitae memoriae dominum Philippum tunc principem Pedemontium, ad quorum supplicationem ipse dominus princeps licentiam contulit, et potestatem imponendi gabellam super vino extraneo portando infra ipsam civitatem, seu per fines eiusdem levandam per ipsam Communitatem per viginti annos tunc proxime continuos, percipiendo tamen in ipsa gabella ipse dominus princeps terciam partem, prout in instrumento dictae concessionis, quod ad huius articuli verificationem exhibetur, latius apparet contineri, cuius copia in pede huius processus est descripta; et ita est verum notorium, et manifestum.

Item de eo, et super eo, quod, durante tempore dictae concessionis, Gulierminus Mazetus, et Iohannes Pontius fuerunt exactores emolumenti terciae partis dictae gabellae impositae per praefatum dominum principem deputati, et de ipsa tercia parte dicti emolumenti rationem reddiderunt eidem domino principi in manibus suorum deputatorum; et ita est verum, notorium, et manifestum.

Item de eo, et super eo, quod finito dicto tempore dictae concessionis, videlicet de anno decurso millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, dicta Communitas scienter, dolose, tractate, et apensate, animo, et proposito delinquendi in eorum credentia, seu consilio, auctoritate privata, et nulla a praefato domino principe licencia petita, vel obtenta, imposuerunt de novo dictam gabellam super vino extraneo portando infra dictam civitatem ex inde usque ad festum Paschae tunc proxime futurum, etiam super solutione eiusdem certas limitaciones fecerunt, prout de ipsa impositione, et limitatione solutionis in libro consiliorum dictae civitatis per informationes apparet contineri, quae per copiam in pede huius processus descriptam ad huius articuli verificationem exhibetur, et ab aliquibus annis per temporum intervalla imponere, et

exigere continuaverunt auctoritate privata, et adhuc exigunt de praesenti valoris annui octogentorum florenorum parvi ponderis. Quam quidem gabellam in solidum appropriaverunt, et retinuerunt, praefatum dominum principem, et alios eius dominos successores in iure tercii eis competente fraudando; et ita verum notorium, et manifestum.

Item de eo, et super eo, quod dicta Communitas, sive eius credendarii pro tempore existentes, de praemissis non contenti, sed mala malis addendo, continuaverunt impositionem gabellae vini extranei transeuntis per fines dictae civitatis, etiam finito tempore dictae concessionis, et ultra auctoritate privata, et imposuerunt alias gabellas, videlicet super grano, quod venditur in ipsa civitate, et super grano extraneo, quod portatur per fines eiusdem civitatis, et districtus, super modo solutionis ipsarum gabellarum statuendo, et capitulando, nulla super ipsis gabellis impositis obtenta licentia a praefatis dominis pro tempore existentibus: quas quidem gabellas, auctoritate privata, levaverunt, et adhuc levant de praesenti valoris annui, exclusa gabella vini extranei intrantis, tricentum florenorum vel circha, quas quidem gabellas, a iure imponi prohibitas, ipsa Communitas aliquibus annis continuis sibi retinuit, et appropriavit, personas extraneas de ipsis gabellis indebite aggravando, et eorum bona usurpando, et rapinam committendo, et poenas a iure editas contra nova vectigalia imponentes, et levantes, temere incurrendo; et ita est verum, notorium, et manifestum.

Item de eo, et super eo, quod dicta Communitas, seu dicti credendarii moderni, concipientes in eorum animo in imponendo dictas gabellas verisimiliter fefellisse, auctoritate principis non obtenta, de anno decurso millesimo quatercentesimo tricesimo quinto, recursum habuerunt ad praefatum dominum nostrum ducem, tunc in eadem civitate Thaurini existentem, et ab eodem licentiam, et auctoritatem obtinuerunt imponendi, et levandi gabellas grossas, et minutas vini, et bechariae dictae civitatis a tabernariis, bechariis, et aliis quibuscumque per dictam Communitatem exigi consuetas, per certum temporis spatium, prout in literis a praefato domino nostro eidem Communitati concessis, quarum copia in pede huius processus est inserta latius, et ad huius processus corroborationem exhibetur; et ita est verum, notorium, et manifestum; nec non, et eorum responsionibus parte Communitatis praedictae, factisque confessionibus, etiam insertis dicto processui, una cum ipsorum Communitatis, et credendariorum articulis defensionalibus, ac eorumdem articulorum admissione iudiciali decenter per nos facta die XII mensis novembris anno millesimo quatercentesimo quadragesimo sexto, visisque largitionum libris, atque reformationibus, ac privilegiis dominicalibus super dictis gabellis hactenus concessis eidem Communitati, plene designatis in huiusmodi causae processu, nec non oppositis, et deductis in adversum

a parte fiscali, cum iuris allegationibus, participatoque per nos super hiis peritorum consilio, praesertim doctoris domini Christophori de Nicelis, visaque cedula requisitoria parte Communitatis praedictae postremo nobis oblata, die quinta decima currentis mensis iulii, cuius tenor sequitur et talis est.

Constitutus dominus Andraeas de Ymola sindicus, et procurator Communitatis, et hominum civitatis Thaurini coram vobis venerando ducali consilio Thaurini residenti dicit, quod superioribus diebus decuriones dictae civitatis, sindici, et administratores fuerunt molestati in vestro auditorio indebite, et iniuste per quosdam vestros commissarios assertos, deinde per vos ad assertam instan-
b tiam procuratoris fiscalis, ex eo, quod Communitas Thaurini habet, incantat, vendit, et exigit certa vectigalia, dacita, pedagia, et gabellas vini, grani, carnium, et aliarum rerum in vestro processu nominatarum; et quamquam nichil sit probatum pro parte fisci, et Communitas ipsa realiter per instrumenta, scripturas antiquas et novas probaverit se tali iure uti posse, et requisiverit ius dici; tamen adhuc processus ipsi determinati non fuerunt. Quapropter comparens ipse dominus Andraeas, nomine quo supra, reproduxit processum ipsum cum attestationibus pro Communitate receptis, scripturas reformationum, concessionum, statutorum, conventionum, et franchisiarum dictae Communitatis, et alia iura tam coram vobis pro-
c ducta, quam visa per vestros assertos commissarios, per quae omnia probatur tam de iure, quam de possessione Communitatis praedictae, et de indebita molestatione dictae Communitati illata occaxione praemissorum. Cum itaque ex ipsis actis, et productis fundata sit intentio, et defensio Communitatis Thaurini, petit idem sindicus, Communitatem, sindicos, decuriones, et caeteros cives Thaurini in actis nominatos per vos absolvi; petit insuper, et inde pronunciari, et declarari ipsos cives Thaurini, qui in possessione, vel quasi talium iurium steterunt per tantum tempus, cuius initii memoria non existit, fuisse indebite in eorum possessione, vel quasi turbatos, ipsosque tam ratione antiquissimae possessionis, quam veteris consuetudinis, et
d aliorum iurium praedictorum, non esse imposterum in ipsa possessione, vel quasi iuris gabellandi, pedagiandi, dacitandi, et vectigalia, ac gabellas exigendi de vino, grano, carnibus, et aliis mercibus tam transeuntibus per fines, quam quae venduntur in civitate Thaurini turbandos, inquietandos, vel molestandos, nec eos de iure imposterum in eorum possessione, vel usu posse ulterius molestari; et super praemissis petit domino advocato fiscali deinceps in perpetuum silentium imponi, vestrum in praemissis, quatenus expediat, officium implorando.

Guillelmus more maiorum pro tribunali sedens, quoniam consideratis tam praedictis ducalibus indultis, concessionibus, et franchisiis hactenus di-

ctae Communitati largitis, et in huiusmodi causae *a* processu plene designatis, quam productionibus, libris, atque reformationibus, caeterisque probationibus ipsius Communitatis apud nos iudicialiter factis, comperimus dictos intitulatos, et Communitatem Thaurini penitus innocentes de, et super adversus eos intitulatis in dicto processu, et sic in nullo propterea deliquisse, vel iuri contrafecisse, non obstantibus in adversum, parte fiscali, dictis, oppositis, productis, atque deductis. Propterea, caeterisque nos ad hoc moventibus causis, Dei nomine invocato, dicentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti amen, dictos Communitatem, credendarios, et sindicos, et quemlibet eorum absolvimus pariter, et definitive liberamus a praedictis intitulatis, et in dicto processu deductis in eosdem *b* sindicos, et Communitatem, et credendarios, et ulterius inde post huiusmodi pronunciationem nostram, consideratis iam designatis iuribus, et probationibus caeteris dictae Communitatis cum eisdem praedesignatis, et caeteris parte fiscali deductis, comperimus ipsam Communitatem indebite turbatam, et molestatam super praementionatis eorum iustis, et consuetis gabellis, et daciis, causae processu praedicto deductis. Propterea, caeterisque nos ad haec moventibus causis, nostra consequenti sententia definimus, dictam Communitatem Thaurini, deputatosque, et deputandos in, et super praementionatis eorum gabellis, et daciis, ac earum exactione, velut secundum earum tempora licitis, inde in iisdem, eorumque possessione, vel quasi, *c* in qua fuisse per probata sufficienter coram nobis reperiuntur, fore, et esse manutenendos, partique super hiis fiscali silentium imponendo perpetuum. Lata, data, et promulgata fuit huiusmodi nostra sententia Thaurini iudicialiter per nos idem Consilium anno, et die praemissis. De qua dictus Andraeas de Ymola, praemisso nomine, sibi fieri petit literas opportunas. Dictus vero egregius advocatus fiscalis, praemisso nomine, eidem non consensit, sed ab eadem illico viva voce appellavit ad praefatum illustrissimum dominum nostrum ducem Sabaudiae etc. apostolos, seu literas dimissorias sibi dari petendo saepe saepius, et instanter. Quam quidem appellationem, tamquam a nullo gravamine interpositam, non duximus admittendam, nec ad- *d* mittimus per praesentes, hanc responsionem dicto appellanti, praemisso nomine, loco apostolorum facientes. Datum ut supra.

Per Consilium, praesentibus dominis
Urbano Cereserii praesidente
Amedeo de Crescherello, et
Vauterio Chabodi
Aymonis VIII ducatos recept. pro Emeline rubei ducatos decem.

(XIII)

Literae prorogationis gabellarum civitatis Thaurini concessae per illustrissimum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae de anno domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo quarto, die XXIIII *mensis aprilis.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablasii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, princeps Pedemontium, Gebenniaci, et Baugiaci comes, baro Vuaudi, ac Focigniaci, Niciaeque, et Vercellarum, ac Friburgi dominus. Universis serie praesentium fiat manifestum, quod nos, visis literis nostris concessionis gabellarum grossarum, et minutarum vini, et bechariae civitatis Thaurini praesentibus annexis, iterataeque supplicationi hominum, sindicorum, consulum, et Communitatis praedictae nostrae civitatis Thaurini super hiis nobis factae favore benivolo inclinati, praesertim attentis oneribus per ipsos homines, et Communitatem tam in constructione certarum bealeriarum (1) construendarum, oneribusque studii (2), et pontis Padi manutentione, et reparatione, quam alias supportandis, et iam supportatis, certisque aliis bonis, et laudabilibus moti respectibus, ex nostra scientia pro nobis, nostrisque haeredibus, et successoribus universis ipsas gabellas grossas, et minutas tam vini, quam bechariae dictae civitatis, iuxta nostrarum hiis annexarum literarum formam, et tenorem per viginti annos proximos continuos, et integros, die finiti termini dictarum hiis annexarum literarum inchoandos, prolongamus, et confirmamus, ac de novo damus, et concedimus per praesentes, et ita, quod ipsarum gabellarum exitus, et emolumenta ad dictam Communitatem Thaurini solito more pertineant. Mandantes propterea memorato consilio ultra montes residenti, vicarioque iudici, et clavario Thaurini, ac caeteris officiariis nostris praesentibus, et futuris ad quos praesentes spectant, et pervenerint, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi prorogationem, et literas nostras praefatis hominibus, et Communitati Thaurini, ac suis per tempus praedictum protinus observent illexas, in nulloque contrafaciant quomodolibet, vel opponant. Datum Gebennae, die vicesima quarta mensis aprilis, anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo quarto.

Per dominum, praesentibus dominis
Iacobo ex comitibus Valpergiae, cancellario Sabaudiae
M. Lefranch praeposito Lausanensi, magistro requestarum
Anthonio Piocheti, cantore Gebennae
Francisco de Thomatis, praesidente Gebennae

(1) *Bealeria* aquae decursus.
(2) *Studium* pro Academia, seu Archigymnasio; italica ocutione hic sumitur.

A. domino Urteriarum
Io. Campionis domino Bastidae
Stephano Scallia
Merineto de Iuria, advocato fiscali, et
Anthonio de Rogeriis.

(XIV)

Sequuntur privilegia studii Thaurinensis, et primo sequitur privilegium papale impetratum, et concessum de anno domini MCCCCXI (1).

Benedictus episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In suprema dignitatis apostolicae specula licet immeriti, disponente Domino, constituti, ad universas fidelium regiones, eorumque profectus, et commoda, tamquam universalis dominici gregis pastor commissae nobis speculationis aciem quantum nobis ex alto conceditur extendentes, fidelibus ipsis ad quaerendam literarum scientiam, per quam summi Numinis suaeque fidei catholicae cultus protenditur, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, et opportunae commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Cum itaque sicut pro parte dilecti filii nobilis Ludovici principis Achayae nobis fuit nuper expositum propter bellicas clades, quae in partibus Lombardiae diutius viguerunt, et vigent in studiis generalibus earumdem partium cessaverint, et cessent lecturae, et nonnulli sacrae theologiae magistri, utriusque iuris doctores, medicinaeque, et artium magistri famosi, qui et in Papiensi, et in Placentinensi studiis legerunt temporibus retroactis, cupiant, prout ipsi principi nunciare fecerunt, in aliqua civitatum, seu locorum aliorum eiusdem principis in suis huiusmodi facultatibus exercere lecturas, et praesertim in civitate sua Thaurinensi, quae in eisdem partibus situata, et de antiquioribus civitatibus Ytaliae, ac habilis, et ydonea ad studium huiusmodi, tam propter confinitatem multarum provinciarum, aeris salubritatem, victualium habundanciam, quam propter multas alias commoditates existit; quam civitatem ipsi magistri, et doctores vellent, et optant congruis honoribus decorari praecipue privilegiis studii generalis. Nos praemissa, nec non impensa nobis, et Sedi apostolicae per dictum principem obsequia quamplurima non modice fructuosa, debita consideratione pensantes, ferventi desiderio ducimur, quod par-*a* tes, ac civitas praelibatae fiant literarum fertilitate foecundae, ac viros producant consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, et diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis. Ex hiis, et aliis rationabilibus causis moti pariter, et inducti, et non solum ad ipsorum principis civitatis, et partium, sed etiam circum adiacentium regionum, ac incolarum ipsarum honorem, commodum, et profectum paternis affectibus anhellantes, memorati principis in hac parte supplicationibus favorabiliter inclinati, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica statuimus, et etiam ordinamus, quod in dicta civitate Thaurini de caetero *b* sit studium generale, illudque inibi perpetuis temporibus vigeat tam in theologia, ac iure canonico, et civili, quam in quavis alia licita facultate, quodque legentes, ac studentes, ibidem, omnibus privilegiis libertatibus, et immunitatibus concessis magistris doctoribus, ac studentibus, commorantibus in studio generali, gaudeant, et utantur. Quodque illi, qui processu temporis bravium fuerint, in illa facultate, in qua studuerint assecuti, sibique docendi licentiam, et alios erudire valeant, ac magisterii, seu doctoratus honorem petierint elargiri per doctorem, seu doctores, magistros, seu magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, venerabili fratri nostro episcopo Thaurinensi pro tempore existenti, et ecclesia Thauri-*c* nensi pastore carente, vicario, seu officiali dilectorum filiorum capituli dictae ecclesiae praesententur, idemque episcopus, vel vicarius, seu officialis doctoribus, et magistris in eadem facultate actu inibi legentibus convocatis, illos in hiis, quae circa promovendos ad magisterii, seu doctoratus honorem requiruntur, per se, vel alium iuxta modum, et consuetudinem, qui super talibus in generalibus studiis observantur, examinare studeat diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes, et ydonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, et doctoratus, seu magisterii impendat honorem. Illi vero qui in eodem studio dictae civitatis examinati, et approbati fuerint, ac docendi licentiam, et honorem huiusmodi obtinuerint, ut praefertur, ex tunc, absque *d* examinacione, vel approbatione alia, legendi, et docendi tam in civitate praedicta, quam singulis aliis studiis generalibus, in quibus voluerint legere, vel docere, statutis, et consuetudinibus quibuscumque contrariis apostolica, vel quacumque alia firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, plenam, et liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Massiliae apud sanctum Victorem, VI kalendas novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

(1) Quae sequuntur privilegia tum a summo Pontifice, tum ab Imperatore Archygymnasii Taurinensis erigendi causa concessa, iam typis impressa leguntur in collectione edita a I. B. Borelli, senatore, decretorum Ducum Sabaudiae sub titulo *Editti antichi e nuovi ecc.* Nonnulla tamen in illis exemplaribus desunt quae hic invenies. Peritum iuris publici, quod XV saeculo in universa Europa vigebat, non latet archigymnasia, et studia generalia non processisse nisi a pontificia, et imperiali potestate, tum quia scientiarum docendi ratio non absona videbatur ecclesiasticae investigationi, tum quia, ut late pateret usus studiorum, universali, sic dixerim, auctoritate fovendus erat, quae nonnisi ab imperatoria maiestate, cui universus orbis, fictione quadam subiectus censebatur, adhiberi poterat.

(XV)

Privilegium imperiale studii Thaurinensis concessum de anno domini millesimo quadringentesimo duodecimo transmutationis studii a Saviliano ad civitatem Thaurini.

In nomine sanctae, et individuae Trinitatis feliciter amen. Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungariae, Dalmaciae, Croaciae etc. rex, ad perpetuam rei memoriam. Rectrix humani generis, virtutum caelestium imitatrix praeclara scientia, cuius reiecta electa membra odiosa pestilentiae rabies per mundi climata impia voragine iam absorbuit tacito gemitu, ad nos clamore profunditur, iam suis laribus a petrosis montibus viduata, ut sibi dignaremur de Romanae Regiae celsitudinis subvenire praesidio, ut si quando provisione Romana Regia, cuius interest universo mundo consulere, in pristino statu ipsum florere contingat, arescentem mundum valeat irrigare denuo foecunda aspergine germinis redimita. Sane pro parte illustris Ludovici de Sabaudia principis Achayae, consanguinei nostri carissimi, per oratores eiusdem principis, videlicet egregium, et honorabilem Ottobonum de Bellunis de Valentia, iuris utriusque doctorem, et sacri palacii apostolici causarum auditorem, ac nobilem Petrum Beyamo de Saviliano, scutiferum, oblata nostrae maiestati supplicatio continebat, quatenus in civitate Thaurini, ad instar aliarum urbium, de instaurando generale studium in facultatibus quibuscumque gratiam privilegium, et facultatem de benignitate Romana Regia concedere dignaremur. Nos attendentes multiplicia genera probitatis praeclarae eiusdem principis prosapiae, ac inclita gesta suorum praedecessorum, suique ipsius eminentem devotionem, et refulgentem virtutem, quibus praedictus illustris Ludovicus noster consanguineus, et sui progenitores nos, et sacrum Romanum imperium, nostrosque inclitos praedecessores, retracto iam tempore exquisitae diligentiae studiis honorarunt, et idem ipse satagit honorare, animo deliberato, non per errorem, aut improvide, sed sano principum ecclesiasticorum, et saecularium, baronum, procerum, nobilium, aliorumque nostrorum, et sacri imperii fidelium dilectorum consilio accedente, ipsi civitati Thaurinensi, hominibus, et populo ipsius Thaurini, eorumque haeredibus, et successoribus infrascriptam gratiam duximus faciendam, ut in praedicta civitate Thaurini generale studium sacrae theologiae, utriusque iuris, videlicet tam canonici quam civilis, nec non philosophiae naturalis, et moralis, medicinae, ac artium liberalium erigatur, et ex nunc in antea perpetuis temporibus observetur. Quod quidem studium, eiusque praesidentes, nec non rectores, doctores, bachalarios, officiales, atque ministros, famulos, atque familias eorum, et cuiuslibet eorum, quocumque nomine censeantur, qui fuerint per tempora, cuiuscumque dignitatis status ordi-

a nis, seu conditionis praedicti, et singuli eorum extiterint, omni eo privilegio libertate, immunitate, indulto, et gratia, quibus Parisiense, Bononiense, Aurelianense, et Montispesulanense studia generalia gaudere noscuntur, et potiuntur, hinc nostrae concessionis gratia perfrui semper volumus potiri, et gaudere per omnia, ac si privilegium, libertas, immunitas indulta, et gratia huiusmodi praesentibus de verbo ad verbum essent inserta; decernentes, et hoc nostra concessione Romana Regia, perpetuis valitura temporibus, ex certa scientia, et Romanae regiae plenitudine potestatis sancientes, ut praedicta civitas Thaurini, praesenti nostra Romana Regia concessione fulcita, et potita, generalis studii gratioso praemio, et singulari bra-
b vio gaudeat, et utatur, possitque episcopus, qui nunc est, aut qui pro tempore erit per se, vel eius vicarium, seu eiusdem episcopi locumtenentem, vel, ecclesia Thaurinensi vacante, aut pastore carente, vicarius, seu officialis capituli ecclesiae Thaurini cum consilio, et consensu doctorum, et magistrorum studii memorati, servatis forma, modo, et ordine, qui in talibus in praedictis generalibus studiis, et aliis consueverint laudabiliter observari, illis, quos ad hoc idoneos, et dignos invenerint, legendi licentiam indulgere, et studiosos seu dignos praemisso examine licenciare, et ad doctoratus, seu magistratus apicem provehere, et promovere; honorem cathedrae, et etiam doctoratus, seu magistratus, et aliorum graduum insignia conferre recte, et im-
c pendere, ac de hiis solemniter investire. Caeterum ut scolares, et studentes, et eorum quilibet studii praedicti tanto uberius valeant literarum studiis insudare, quanto a molestiarum ac turbationum impetu, et incursionibus uberius liberati ampliori fruantur libertate, de Romana regia benignitate fulciti. De innata itaque nobis clemencia rectores, doctores, scholares, seu studentes universitatis eiusdem studii, universos quoque, et singulos eorum, et cuiuslibet eorum familiares famulos, et ministros nec non scholas, et eorum habitacula, sive hospicia in examen nostrum, ac sacri Romani imperii protectionem, tutelam, et defensionem suscepimus, et suscipimus per praesentes. Insuper ex certa nostra scientia decernentes, volumus, quod omnes,
d et singuli doctores, et scholares cuiuscumque scientiae, et facultatis, ac bedelli dicti studii Thaurini, seu ad dictum studium Thaurini accedentes causa ibidem legendi, aut studendi possint, et valeant cum eorum familia, equis, et armis, arnesiis, libris, rebus, et bonis, ac mercimoniis sibi necessariis quibuscumque libere, tute, secure, et impune accedere ad dictum studium, et transire, morari, et inde redire per quaecumque loca, et in quibuscumque locis absque sumptione, et solutione toltae gabellae, thelonei, revae, et vectigalis dacii certae impositionis, et oneribus quibuscumque inde fiendis, possintque extrahere libros cuiuscumque facultatis, et res alias a quibuscumque civitatibus, locis, et districtibus, ubi fuerint studia generalia, vel etiam

ubi non fuerint, non obstantibus privilegiis, statu- a tis, seu ordinationibus capitulis, vel consuetudinibus, franchisiis, ac libertatibus, et represaliis, seu impignorationibus, et contracambiis quibusvis, cuiuscumque provinciae, patriae, civitatis, atque loci, quacumque auctoritate etiam imperiali vallatis, aut alias emanatis, et roboratis, etiamsi de hiis esset fienda in huiusmodi indulto mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum gratiae, concessionis, sanctionis, voluntatis, susceptionis, decreti, et indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem contrarium attemptare praesumpserit bannum imperiale, et poenam centum marcharum auri puri totiens quotiens contrafactum fuerit, se noverit incursurum; cuius poenae terciam partem nostro regio, ac sa- b cri imperii fisco, aliam terciam praefato illustri Ludovico; reliquam vero terciam partem praedictarum centum marcharum auri puri universitati praedicti studii usibus statuimus applicandam; cuius quidem poenae exactio, seu executio, valeat, et possit fieri per praelibatum illustrem principem Ludovicum, et eius haeredes, ac successores Achayae principes, et in hiis, et aliis facta, seu negocia studii praefati, quoquomodo concernentibus, ac dependentibus, emergentibus, et connexis vices nostras, et successorum nostrorum Romanorum regum, et imperatorum obtineat, perspicaciterque, ac sagaciter provideat de salubri statu, et quiete; incrementoque felici studii praenotati, prout de consilio praesidentium, rectorum, et magistrorum c universitatis eiusdem studii fuerit expediens quomodolibet, vel opportunum, praemissis omnibus poena soluta, vel remissa; nichilominus in suo robore duraturis. Concedentes eidem illustri Ludovico principi Achayae, suisque haeredibus, et successoribus Achayae principibus liberam facultatem, et potestatem plenariam dictum studium, pro eius, et suorum haeredum arbitrio, libere commutandi, et transferendi a dicta civitate Thaurini ad alium locum ecclesiae, et dioecesis Thaurinensis ex causis iustis, et rationabilibus. Quod quidem studium sic commutatum, vel translatum omnibus privilegiis, franchesiis, immunitatibus, libertatibus, iuribus, et concessionibus quibuscumque utatur, gaudeat, et perfruatur, quibus gaudet, et perfrui posset d studio ipso in civitate Thaurini vigente, et existente, et dictis causis cessantibus, idem studium subducatur, et reducatur ad dictam civitatem Thaurini, et per praesentes ita reductum, et reversum habere volumus cum eisdem privilegiis iuribus, immunitatibus, libertatibus munitum quibus supra, praesentium sub nostrae Romanae regiae maiestatis sigillo, testimonio literarum. Datum Budae, anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, prima die iulii, regnorum nostrorum Ungariae etc. anno xxv, Romanorum vero secundo.

(XVI)

Privilegium studii Thaurinensis concessum per illustrissimum, et excelsum dominum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae, de anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo sexto, transmutationis studii a Saviliano ad civitatem Thaurini, quod continet in effectu capitula xxv.

Ludovicus de Sabaudia princeps Pedemontium, primogenitus, locumtenensque generalis illustrissimi genitoris mei domini Amedei ducis Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, principis, marchionis in Italia, comitis Pedemontium, et Gebennensis, Valentinensisque, et Dyensis, ac imperialis vicarii generalis. Universis modernis, et posteris seriem praesentium inspecturis rei gestae noticiam cum salute.

Quamvis indefessus nostrae sollicitudinis continuo aspiret affectus cuncta provecta circumspectione praegesta ne dum illibata servare, sed, praevio coelesti numine, assiduis auspiciis propagare; decens attamen nostrae munificentiae praesidium stabilitur, ut agnitis impedimentis, quae per inopinatum rei comprobatae temptantur eventum, non propterea laudabiliter inchoata deseramus, sed potius ea rerum, et temporum qualitate prospecta, aliorsum committimus, ut, quod unius incapacitate dirimetur, alterius restauratione servetur. Cum ergo, prout literae apostolicae, imperiales, atque ipsius domini nostri super inde concessae profitentur in civitate Thaurinensi per inclitae memoriae illustrem avunculum nostrum carissimum dominum Ludovicum de Sabaudia principem Achayae pridem stabilitum fuerit, et post per memoratum dominum meum tanto opere studium generale reformatum cum foecundis apostolicis, ac ipsius domini nostri privilegiorum braviis in ipsis literis uberrime declaratis. Quod siquidem generale studium, causante tunc, et concurrente ipsius civitatis Thaurinensis in aptitudine, a dicta civitate Thaurini primum ad locum Cherii, et postremo ad villam Saviliani per memoratum dominum meum transmutatum extiterit, ac inibi certorum annorum lustro quieverit, sperans idem dominus meus studium ipsum, ut eidem communiter ferebatur, locis in illis iugiter propagari; experientia tamen notoria limpidius demonstraverit huiusmodi gymnasium, quadam incapacitate, ac inhabilitate dicti loci Saviliani, ubi ultimo studium ipsum residebat, quamplurimis ex causis nobis expositis, ibidem ad anichilationem devenire, ex inde irrefragabilis almae filiae nostrae (1) ipsius studii universitatis parte plerisque interpellati fuerimus, quatenus memoratum studium ad ipsam Thaurini civitatem, quam amoenitate, industria, opulentia, et aliis necessariis refertam ad haec fecerunt, iterum reducere dignaremur. Nolentes ea

(1) Quanti momenti vel potius necessitatis sint studiorum causae et incrementa apud principes non latuit sapientissimum Ducem Sabaudiae, qui ad exemplum, uti videtur, regis Francorum, *Universitatem studiorum* filiae nomine decorabat.

propter huiusmodi insigne studium, summo opere a
quaesitum, et usque diutius allactatum, nostris temporibus talibus dispendiis aboleri, sed uberius, illius opitulante gratia, a quo bona procedunt sempiterna, foecundioribus incrementis praepollere, ac ipsius salubri restabilimento imbecilium obtusas mentes illustrare, et ipsorum redimitas caesareis laureare, ut quae unius loci incapacitate, ac inhabilitate ibidem debitum factum parturire non potest, alterius sollertia roboretur. Attendentes insuper civitatem ipsam Thaurini, in qua Consilium ultramontanum etiam post continuum traxit incolatum, a separatione fore plurimum populatam pariter, et restauratam, ubi rerum copia, incolarum civilitas, et alia adsunt: considerantes equidem hilaritatem, sinceritatem, qua ipsi fideles nostri terrigenae eius- b
dem civitatis ipsum studium, prout nobis refertur, sunt honorifice, et cordialiter amplexuri, dictamque almam filiam nostram universitatem, ut sibi necessitudinis iunctam, puperum ubertate lactaturi, idcirco matura praelatorum, baronum, peritorum, et aliorum procerum consiliariorum nostrorum, deliberatione praehabita, ex nostra certa scientia pro ipso domino meo, nobisque, et nostris, hiis, et aliis laudabilibus causis, et respectibus animum nostrum ad haec demulcentibus, etiam ad humilem supplicationem hominum, et Communitatis dictae civitatis Thaurini nobis saepissime factam, ipsum generale studium, illiusque caetum doctores, magistros, legentes, scholares, et universitatem ab eodem loco Saviliani ad ipsam civitatem Thaurini praesen- c
tium indulto literarum duximus revertendum pariter, et transmutandum, et in eadem civitate Thaurini amodo in antea penitus, et in solidum percunctandum sub illis, et eisdem privilegiis, indultis, largitionibus, et praerogativis universis, quibus ipsum studium idem dominus meus in eadem civitate, et consequenter in dicto loco Saviliani hactenus duxerat perfruendum. Caeterum ut ipsa filia nostra carissima universitas, eidem civitati Thaurini de caetero legiptime, ac indissolubiliter copulata, valeat alumpnos parturire redimitos morum venustate, ac etiam apicibus conspicuos, illosque uberioribus lactare uberibus, ac opulentius educare, eisdem hominibus, et Communitati civitatis Thaurini, eorumque perpetuae posteritati, nec non memoratae filiae d
nostrae universitati ulterius concedimus quae sequuntur.

Quod studium non possit alibi transmutari, nisi prout in capitulo praesenti.

In primis, quod ipsum studium, totaque universitas amodo in antea in dicta civitate nostra Thaurini, dum tamen, et quamdiu eidem domino meo, nobisque, et nostris, in patria nostra ipsum studium habere, et tenere ultramontes placuerit, teneatur, et efficaciter exerceatur sic quod alibi, in territorio nostro ultramontes, transmutari non valeat, aut de novo fundari, seu quomodolibet exerceri, nec quoque per eamdem Communitatem civitatis praedictae refutari possit, nisi de dicti domini mei, ac nostra procederet voluntate. Et si forte illud alibi propter pestem, vel alia de causa, aliquo modo contigerit transmutari, ipsa causa sublata, vel cessante, in ipsa civitate nostra Thaurini illico revertatur permansurum.

De lecturis doctorum legentium.

Item, ut ipsum studium potius exhalare valeat, concedimus, et largimur, quod in lecturis studii eiusdem manuteneantur doctores famosi, et inter caeteros sint semper saltem duo concurrentes in lectura ordinaria de mane decretalium. Item, duo concurrentes in lectura ordinaria de mane iuris civilis, videlicet uno anno codicis, alio anno digesti veteris, et duo alii in lectura extraordinaria iuris civilis de sero, videlicet infortiatii, et digesti novi; et in singulis aliis lecturis, tam iuris canonici, quam civilis deputentur doctores ydonei, et sufficientes iuxta lecturarum exigentiam. Quodque semper, et continue esse debeat unus valens, et expertus vir in artibus, et medicina, et unus alius in theologia, et ibidem iusta lance distribuantur, specificenturque, et de caetero manuteneantur lecturae studii generalis, et adeo stabiliantur, et quod illas ab inde non contingat praevacare et praemissa ampla fieri, et manuteneri volumus quantum se extendere poterunt pecuniae pro ipso studio, ut infra ordinatae probe, et absque detractione, seu occultatione quacumque.

De salariis doctorum, etc.

Item, ne studentibus superveniant dampnosa lecturarum intervalla, concedimus, et ordinamus, quod doctoribus legentibus taliter, et opportune de salariis, ipsorumque solutionibus provideatur, quod eis materia non supersit in practica adeo insistere, quod theorica, et lecturae ordinariae differantur, aut alias quomodolibet protellentur.

De scolaribus, et licenciatis civitatis.

Item, ulterius concedimus, et largimur, quod omnes fideles nostrae civitatis praedictae Thaurini doctores, licenciati, et studentes de caetero in ipsa civitate, vel universitate habeant, et gaudeant, et fruantur eisdem honoribus, et praerogativis, quibus gaudent, et fruuntur alii doctores, licenciati, scolares, cives, et incolae aliarum civitatum Italiae, in quibus huiusmodi studia generalia exerceri consueverunt, et ad lecturas studii eiusdem admittantur, prout reformatoribus ipsius studii videbitur utilius faciendum.

Quod civitas Thaurini non teneatur ad solutionem quingentorum florenorum. a

Praeterea concedimus, et largimur, quod in dicta civitate nostra Thaurini nostrum Consilium ultramontanum, una cum ipso studio residentiam ordinariam faciat, sintque eidem nostrae civitati duo tanta, tamque ampla munera nostri Consilii, atque studii generalis iuncta, ut unum alterius fomento foecundius propagetur. Et si contigerit praelibatum Consilium nostrum ultramontanum residentiam assumere in alio loco, quam in civitate praedicta, Communitas ipsius nostrae civitatis ulterius non teneatur ad solutionem quingentorum florenorum, qui ut infra ordinantur solvi per eamdem; nec ad ipsam solutionem quovis modo compelli possint, b
nisi de sua libera processerit voluntate, et in credentia per partitum ibi consuetum prius foret obtentum.

De pedagio pontis Padi.

Largimur etiam, et concedimus ex nostra certa scientia Communitati dictae nostrae civitatis, quod pedagium, seu pontenagium exigi retroactis temporibus solitum, dumtaxat a festo assumptionis Beatae Mariae Virginis de augusto usque ad festum sancti Michaëlis eis modo, et forma, quibus tempore praenarrato est exigi consuetum, omni tempore anni ex nunc, et in antea per dictam Communitatem exigi possit pro onere solutionis dicto- c
rum quingentorum florenorum solvendorum, ut infra pro dicto studio per ipsam Communitatem facilius supportando, et hoc dumtaxat pro tempore, quo vigebit, et residebit studium in dicta civitate; eo autem ibi deficiente, remaneat exactio dicti pedagii, seu pontenagii, prout erat ante nostram praesentem concessionem.

De reformatoribus studii, et thesaurario.

Item, ut ipsum studium in lecturarum, et doctorum in ipso necessariorum provisionibus iuxta praeconcessa, et per nos stabilita possit affluentiae propagari debita cum propriorum dictae nostrae civitatis sollicitudine, concedimus, et disponimus, d
quod duo ex notabilioribus civibus dictae nostrae civitatis Thaurini, qui ad hoc fuerint visi magis apti, per Consilium nostrum ultramontanum deputandi, semper sint, et esse debeant ex reformatoribus ipsius studii Thaurini, et in ipso officio reformatoris eadem potestate, qua, et caeteri ipsius studii reformatores hucusque sunt functi, de caetero perfruantur. Similiter et concedimus, quod thesaurarius dicti studii per nos, seu consilium ultramontanum . . . .
. . . . (1)

(1) Caput istiusmodi in exemplari a Borello relato non invenitur; neque perfectum in codice Regii Tabularii; lacunam puncti interpositi indicant.

Quod doctores, et studentes in criminalibus subiaceant iurisdictioni vicarii, et iudici Thaurini.

Item, ordinamus, et disponimus, quod omnes, et singuli doctores, et scolares huiusmodi studii nostri Thaurini, iurisdictioni nostrae submissi, amodo in antea in criminalibus subsint dumtaxat ordinariae iurisdictioni, cognitioni, et punitioni vicarii, et curiae nostrorum Thaurini, et ipsius curiae vices gerentium, secundum formam capitulorum eiusdem civitatis Thaurini, ita tamen, quod rector ipsius studii in quolibet actu congruo temporis intervallo vocetur, et intersit.

Quod doctores salariati in studio non possint advocare contra Communitatem, vel aliquem de Thaurino.

Rursus concedimus, et ordinamus, quod doctores in ipso studio salariati, et legentes non possint advocare, seu patrocinium praestare pro aliquo contra Communitatem, nec contra aliquam personam de Thaurino, vel districtu Thaurini, nisi tamen id esset pro ipso domino meo, nobisque, vel successoribus nostris, et nisi ipsis doctoribus, vel alicui ipsorum esset concessa licentia patrocinandi per nos, aut per Consilium, seu credenciam dictae civitatis, ita et quilibet ipsorum doctorum iurare teneatur in manibus sui rectoris, praesentibus sindicis dictae civitatis, dum fuerit requisitus.

De vino extraneo non vendendo per doctores, licentiatos, vel scholares.

Item, quod non liceat cuivis doctori, licentiato, scholari, vel alteri cuicumque de universitate dicti studii emere, aut ex dono, vel quovis alterius contractus genere recipere vinum ab extra civitatem, et districtum Thaurini, aut ex suis propriis possessionibus natum conducere ullo unquam tempore, pro ipso revendendo in dicta civitate, sed pro ipsorum usu necessario. Et quicumque contrafecerit sit in poena perditionis talis vini, et unius floreni parvi ponderis pro quolibet sestario, cuius tercia pars sit accusatoris, aliae duae partes eidem domino meo; et quilibet bonae famae possit accusare.

De domibus non retinendis ultra tempus locationis invito domino domus.

Item, quod nullus doctor, licentiatus, vel scholaris dicti studii possit aliquo iure praetenso tenere domum alicuius civis, habitatoris, vel incolae Thaurini, nisi pro tempore, quo locata fuerit, et liceat post tempus expressum, et conventum locationis talis domus locari alii, vel aliis, quibus voluerit locare ipsam talem domum, vel pro se retinere ad suae libitum voluntatis.

De solutione quingentorum florenorum fienda per Communitatem Thaurini.

Item, quia Communitas Saviliani pro ipso studio, ut in ipsis pactionibus continetur, solvebat annis singulis quingentos florenos parvi ponderis, ordinamus de ipsius Communitatis Thaurini consensu, et voluntate expressa, quod ipsa Communitas civitatis nostrae Thaurini amodo in antea quamdiu ipsam penes, ut prefertur, stabit, et vigebit studium, solvat, et solvere teneatur singulis annis alios quingentos florenos parvi ponderis, videlicet in kalendis maii medietatem, et aliam medietatem in kalendis novembris, in auxilio salariorum legentium in dicto studio, quos tamen quingentos florenos ne populus, et incolae ipsius civitatis in posterum contra ipsum studium animentur, volumus, et ordinamus per ipsam Communitatem solvi super introitibus suis alias per impositionem alicuius taleae, vel praesti; sane tamen intellecto, et reservato, quod dictos florenos quingentos annuales dicta Communitas solvere non teneatur, nisi quamdiu ipsum studium esset, et per ipsum dominum meum, nosque, et successores nostros manuteneretur modis, et formis in hac transactione descriptis in ipsa civitate Thaurini, et nos, successoresque nostri contribueremus, et solveremus duo millia florenorum parvi ponderis annualia de, et super gabella salis foranea pridem ad hoc instituta, seu alibi de nostro, etc.

In cuius manibus debent solvi isti quingenti floreni.

Item, quod dicti quingenti floreni solvantur singulis annis terminis suprascriptis per massarium Communitatis ipsius civitatis Thaurini in manibus thesaurarii ipsius studii, qui illos proinde secundum ordinationem, et distributionem reformatorum solvat, et solvere teneatur probe, legaliter, et absque fraude, et sine detractione quacumque, dumtaxat doctoribus, et aliis salariatis in ipso studio continue legentibus.

De solutione duorum millium florenorum pro studio.

Item, ut ipsum studium, auctore Deo, perpetuo solidum remaneat, et debita provisione salariorum doctorum, et aliorum legere debentium substentationem, et augmentum valeat recipere, concedimus ultra, et largimur, promittimusque solvere pro salariis doctorum, et quorumcumque legere debentium in ipso studio, florenos duo millia parvi ponderis singulis annis, pro, et super dicta gabella salis ad opus, et substentationem dicti studii dudum imposita, in duobus terminis, videlicet in kalendis mensis maii medietatem, et in kalendis mensis novembris aliam medietatem. Quam quidem gabellam tantum facere valere promittimus, aut saltem totam dictam gabellam, ad opus, et sub-

a stentationem dicti studii impositam eis modo, et forma, quibus fuit imposita relinquemus solvendam, et convertendam in utilitatem dicti studii, prout, et quemadmodum in ipso studio extitit ordinatum, quamdiu ipsum studium erit in dicta civitate Thaurini perpetuo duraturum, etc.

Quod pecuniae praedictae non possint implicari in alios usus, etc.

Quae quidem omnes praedictae pecuniae pro dicto studio ordinatae, tam videlicet florenorum duo millia ex dicta gabella salis percipiendi, quam dicti floreni quingenti solvendi per dictam Communitatem, fideliter, et integre in salariis dumtaxat le-
b gentium continue, et non in alios usus debeant implicari. Et si aliquid ex eis aliquo casu superfuerit, illud pro futuro, vel futuris annis legaliter per thesaurarium eiusdem studii conservetur, et in augmentationem lecturarum continuo exponatur.

De scholis, campana, banchis, et aliis necessariis ad studium manutenendum per Communitatem Thaurini.

Item, quod dicta Communitas civitatis Thaurini ultra praemissa teneatur suis sumptibus ministrare, et manutenere scholas ydoneas cum cathedris, et banchis necessariis, et campanam, ac ipsius pulsatorem, et pro lectionibus scholasticis, et actibus
c ad huiusmodi studium opportunis, nec non solea, scampna, schabella in ecclesia cathedrali dictae civitatis ad doctoratus insignia tribuenda necessaria.

De privilegiis impetrandis in Curia Romana.

Item, quod Communitas dictae civitatis quantum fuerit opus, teneatur impetrare in Curia Romana confirmationem privilegiorum papalium alias eisdem de studio generali habendo concessorum, cum obtentione privilegiorum, quae fuerint in ipsa Curia Romana impetrata per dominos Franciscum de Thomatis, et Humbertum de Chysiaco procuratorem nostrum in Curia Romana, tunc pro ipso studio Saviliani faciendo translationem eorumdem ad civita-
d tem Thaurini expensis ipsius Communitatis, et infra unum annum proxime sequentem.

De stratis pavendis, sive solandis in civitate Thaurini.

Item, ut civitas praedicta foecundior, et magis sana reddatur, quod Communitas dictae civitatis Thaurini infra quatuor annos proxime sequentes teneatur, et debeat decenter paveri facere civitatem de lapidibus per stratas magnas publicas, et ordinandas per Consilium nostrum ultramontanum, et hoc sub poena centum librarum fortium per eamdem Communitatem, si deficiant, committenda,

et praefato domino nostro irremissibiliter applicanda. a

Pro quibus rebus non teneantur studentes solvere pedagium, et gabellam, et pro quali sic.

Item, concedimus, ordinamus, et largimur, quod doctores, licenciati, studentes, et alii de universitate studii praedicti pro eorum usu dumtaxat, eorum res, et bona, et quaecumque victualia possint ducere ad dictam civitatem Thaurini, nec teneantur in dicta civitate Thaurini, nec poderio eiusdem solvere aliquam gabellam, datium, vectigal, pedagium, toltam, aut aliam exactionem, quocumque nomine censeantur; sed ab earum solutione sint immunes, videlicet pro iis tantummodo victualibus, b et caeteris rebus, quae ad usum, et victum suum, ac suae familiae videbuntur pertinere; pro aliis vero rebus solvere teneantur. Sane tamen intellecto, quod si fieri facerent becharium, ille qui bechariam faceret, solveret gabellam bechariae dictae civitatis, sicut alii becharii Thaurini.

Nota, quod studentes, et omnes de universitate gaudent privilegiis, et franchisiis illius civitatis.

Item, quod quaelibet persona de ipsa universitate dicti studii, ultra alia privilegia hactenus eis indulta, deinceps gaudeant, et gaudere debeant, dum in ipsa universitate residebunt, eisdem franchisiis, privilegiis, et libertatibus, quibus gaudent, et gaudere possunt quicumque alii cives originarii dictae civitatis nostrae Thaurini. c

De domibus, et preciis earum congruis.

Item, ut doctores, et studentes dictae universitatis possint congruas, et congruis pretiis habere domos eis necessarias in dicta civitate, ex parte dictae civitatis deputentur unus, vel duo, ex parte universitatis totidem, qui teneantur perquirere omnes domos locabiles aptas pro doctoribus, et scholaribus; qui habeant potestatem, praestito eisdem iuramento per Consilium nostrum ibidem residens, de bene, et probe taxando pensiones earumdem, et ipsis sic taxatis pretio per eos taxato teneantur d ii, quorum sunt, et erunt ipsae, eas domus dimittere; et ubicumque ipsae domus reparatione egebunt, ordinare earum reparationem, ad quam faciendam arbitrio ipsorum teneantur, et sint adstricti ii, quorum sunt ipsae domus, et si ulla super ipsis taxatione, et reparatione esset inter sic deputatos contentio, seu discordia, quod dictum Consilium nostrum ibidem residens plenam habeat potestatem disponendi, et ordinandi prout sibi rationabiliter videbitur.

De Iudaeis expellendis de domibus aptis studentibus.

Et, ut abundantius haberi possint praedictae domus, Iudaei teneantur dimittere domos, quas tenent in dicta civitate conductas, et locum relinquere, vel reduci in aliquo angulo, vel cancello civitatis, arbitrio nostri Consilii. Item, per eos nullomodo occupentur domus necessariae, et aptae pro doctoribus, et studentibus.

De eligendis duobus de universitate, et duobus de civitate pro sedandis rixiis.

Item, quod quolibet anno eligantur duo pro parte studii, videlicet unus doctor, et unus scholaris, et duo pro parte Communitatis, ydonei ad sedandum, et pacificandum rixas, et scandala, si quae, quod absit, insurgerent unquam inter aliquem, vel aliquos de universitate dicti studii, et aliquem vel aliquos de dicta civitate Thaurini. Qui duo sic electi pro studio teneantur iurare in manibus rectorum studii, praesente vicario Thaurini, et dicti duo sic electi pro parte Communitatis iurare teneantur in manibus vicarii Thaurini, praesente rectore dicti studii, se se daturos omnem operam bonam, promptam, et possibilem ad ipsam sedandam, et pacificationem fiendam; quin ymo ad evitandum scandala, et rixas, casu quo viderent verisimiliter oriri posse, qui primo eorum hoc senserit, debeat statim posse tenus aliis eorum collegiis notificare. Quibus quatuor, dicti rector, et vicarius, si pro parte ipsorum quatuor, vel omnium ex eis, fuerint ad hoc requisiti, debeant eis assistere, et eis praestare posse tenus auxilium, consilium, et favorem, etiam virtute iuramentorum per ipsos rectorem, et vicarium in introitu suorum officiorum praestitorum, seu praestandorum.

Quod civitas Thaurini non possit imputari pro rixis, nisi esset in culpa manifesta.

Item, quod si unquam, quod absit, insurgeret rixam, vel debatum inter aliquem, vel aliquos, unum, vel plures de universitate studii, et aliquam singularem personam, vel aliquas singulares personas Thaurini, unam, vel plures, quod tamen nos, vel aliquis nostrorum successorum nichil de hoc, vel propter hoc, valeamus imputare, vel imputari facere contra Communitatem dictae civitatis Thaurini, nisi Communitas esset in culpa manifesta.

Item, quod Communitas civitatis Taurini in pleno, et generali Consilio civitatis praedictae Thaurini, seu credentia, et Consilium eiusdem debite congregati hinc ad diem terciam proximi mensis novembris, teneantur praemissa omnia ratificare, et omologare, et approbare, prout est superius descriptum. Promittentes propterea bona fide, in verbo principis pro ipso domino meo, nobisque, et no-

stris iam dictis, praedicta omnia, et singula supra, a et infrascripta attendere, et inviolabiliter observare, et numquam contrafacere, nec fieri permittere per quemcumque clam, vel palam, tacite, vel expresse, quovis exquisito colore, etiam cum omni alia solempnitate, iurisque, et facti renunciatione ad haec necessaria pariter, et cautela. Mandantes propterea Consilio ultramontes residenti, nec non vicario, iudici, et clavario Thaurini, ac caeteris officiariis domini mei, et nostris modernis, et posteris, quatenus eiusmodi transmutationem, et literas nostras, immunitates et privilegia in eis comprehensa, largitionesque, et indulta hactenus eis concessa, secundum eorum formam protinus exequantur, et observent, et per quoscumque inconcusse observari faciant illaesa, praedictumque Consilium ultramon- b tanum, et ipsius studii reformatores, quos de proximo duxerimus constituendos circa hanc studii transmutationem, et alia, quae ad ipsius propagationem, et perpetuam soliditatem videbuntur eminere, perspicaciter intendant, sic quod, ipsorum sollerti diligentia praevia, universitas ipsa filia nostra carissima uberiora dietim suscipere valeat incrementa. Datum Rippaliae, die sexta octobris, anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo sexto.

Per dominum Principem, praesentibus dominis
Francischo episcopo Gebennense
Iohanne episcopo Lausanense
Guillielmo episcopo Bellicense
Georgio episcopo Augustense
Percivallo episcopo Montisregalis
Petro episcopo Ypporegiense
Iohanne praeposito Montis Iovis
Iohanne domino Bellifortis, canzelario
H. bastardo de Sabaudia
Ludovico bastardo Achayae
Ioanne domino Bariaci, marescallo Sabaudiae
Iohanne domino Montismaioris
Lancelloto domino Luriaci
Henrico de Columberio
Claudio de Sasso
Francisco de Bussiaco
Petro Marchiandi, praesidente Consilii ultramontani.
Rodulpho domino Codreae
Urbano Cereserii
Anthonio de Draconibus
Iacobo Ayroli, iudice Bressiae
Ludovico de Monteolo
Gullielmo Bolomerii, et
Bartholomeo Chabodi, thesaurario Sabaudiae.

(XVII)

Confirmatio, et ratificatio proxime praecedentium franchisiarum studii Thaurini facta per illustrem dominum dominum Amedeum ducem etc. Sabaudiae, de anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo quinto, die vicesima nona martii, cum nova concessione.

Amedeus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Italia, princeps Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci comes, baro Vaudi, et Fauciniaci, Niciaeque, Vercellarum, ac Friburgi dominus. Universis serie praesentium fieri volumus manifestum, quod nos, visis et per nostrum nobiscum residens Consilium solerti cum indagine de verbo ad verbum seriatim visitatis literis recolendae memoriae illustrissimi domini genitoris mei quondam, cuius animam possideat paradisus, dum in minoribus agebat, et locumtenenti generalia felicis recordationis illustrissimi avi nostri Amedei quondam Sabaudiae ducis fruebatur, fidelibus nostris bene dilectis civibus, hominibus, et Communitati civitatis nostrae Thaurini super transmutatione, et residentia studii generalis ibidem mentionati et aliis franchixiis, libertatibus, immunitatibus, conventionibus, pactis, et capitulis inibi comprehensis concessis, praesentibus annexis; supplicationi itaque dictorum civium, hominum, et c Communitatis Thaurini super infrascriptis nobis factae favore benivolo inclinati, ex nostra certa scientia pro nobisque, et nostris heredibus ac successoribus universis dictas transmutationem et stabilitatem, residentiam ac mansionem dicti generalis studii, nec non franchixias, immunitates, conventiones, et capitula, et alia universa et singula in eisdem literis descripta, et comprehensa de puncto ad punctum iuxta earum formam, continentiam, et tenorem, ac cum ipsarum literarum annexis clausulis universis, memoratis supplicantibus, quos utique erga nos et nostros fideles novimus et obsequiosos, ad opus ipsorum et posteritatis eorum laudamus, confirmamus, ratificamus et approbamus, ac de novo, quantum opus est, d eisdem concedimus, et largimur, et ita prout in dictis literis continetur statuimus, ordinamus, et declaramus, irrefragabiliter observari volumus per praesentes. Mandantes propterea Consilio ultra montes residenti, nec non vicario, iudici, et clavario Tharini, universisque et singulis officiariis nostris modernis et posteris, ad quos spectat, et praesentes pervenerint, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorum, quatenus dictas annexas literas, huiusmodique confirmationis, ratificationis, et novae concessionis literas eisdem supplicantibus, et suae posteritati teneant, attendant, et inviolabiliter de puncto ad punctum observent, observarique faciant per quoscumque illaesas, in nulloque contrafaciant quomodolibet, vel opponant. Datum Chamberiaci,

die vigesima nona martii, anno Domini millesimo a
quatercentesimo sexagesimo quinto.

Per dominum, praesentibus dominis

Iohanne de Seyssello domino Bariaci marescallo

Claudio Seyssello magno magistro hospitii

Iohanne Michaelis de Cano Sedunense praeside

Ludovico Bonivardi domino Grdliaci

Claudio de Challes magistro hospitii et

Humberto Cheyrerii advocato fischali

Floret Ricardonus: receptum est.

Privilegium studii Thaurinensis concessum civitati Thaurini per illustrissimum dominum Amedeum ducem Sabaudiae etc. de anno domini millesimo quatercentesimo xxiiii, die penultima aprilis, b
quod continet in effectu capitula xi.

Amedeus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae princeps, marchio in Italia, princeps Pedemontium, comes Gebennensis, Valentinensisque, et Diensis. Universis modernis, et posteris rei gestae notitiam cum salute. Inter glomerosas sollicitudinis nostrae curas perspicax ingiter obtigit aviditas. Quod itaque impressum a supremo dispensatore gratiarum humeris principatus nostri onus sedule interpellat, ut veneranda respublica, Deo laudes, nostro largiffuo collata dominio assiduis dirigatur incrementis, et iustitiae praesidio recto perducatur diametro, ne commissa manibus in nostris recta iudicii statera calumniantium versutiis impellatur, c
sed potius peritis opitulantibus dogmatibus adeo constanter solidetur; quod appensis meritis singulorum in illis condignis, digni prosequantur favoribus, et in facinorosos vibrare non vereatur debitae gladium ultionis; ad illa siquidem propaganda magnificentiae nostrae habenae pronius divergantur, quorum ludibrio suprema monarchia laceratur, et fomento parta quaevis dominia conservantur. Sane ingenti meditatione volventes quanta studiorum gymnasia universis tribuant commoda; quantisque principes, sub quorum stabilita sunt dominiis, laudibus extollantur in remotis, quantique morum venustate, et scientiae apicibus decorantur, ex unde, ne dum propria, sed potius reipublicae utilitas adaugetur. Attendentes etiam quantum ad huius- d
modi studia exercenda civitas nostra Thaurini victualibus, et undique aliis circumflua necessariis est parata; affectantes nempe, ut tenemur, memoratam utilitatem publicam privatae commoditati anteferre, et subditis nostris esum, et pocula doctrinae propinare, ut quod maioribus anfractibus per exteras perscrutantur nationes, propriis in laribus prospiciant praeparatum. Idcirco matura procerum peritorumque, et aliorum expertorum deliberatione praehabita, almam filiam nostram universitatem studii Thaurini hactenus diversis perplexam divortiis, indissolubili quoque legitimo copulantes coniugio, ad ipsius restaurationem, et perpetuam soliditatem disposuimus, decrevimus, et ordinamus, disponimusque, decernimus, statuimus etiam harum programmate nostrarum ordinantiarum, ut sequitur.

Primo. Quod, quia tam laudabilis operis reformatores cernendi sunt perspicaces, ordinamus, et tenore praesentium committimus, et deputamus ipsius studii universitatis reformatores generales, videlicet in Christo patrem abbatem sancti Michaelis de Clusa, dominos Georgium de Albano, et Franciscum de Tomatis legum doctores, consiliarios, et fideles nostros dilectos, quos ad haec novimus perspicaces. Qui siquidem reformatores duo, ex eis vocato, et secum astante capitaneo nostro Pedemontium superioris, seu eius locumtenente, plenam habeant potestatem, quam eisdem ex nunc conferimus per praesentes, loca, lecturas et statuta ipsius studii ordinandi, doctores, et alios provectos firmandi, bedellum, et ministros necessarios constituendi, salaria tassandi, mandata de solvendo concedendi, computum thesaurarii dicti studii audiendi, examinandi, et concludendi, ac alia generaliter faciendi, gerendi, et exercendi, et quae ad talium reformatorum spectant officium, eidemque studio necessaria videbuntur pariter, et opportuna.

De thesaurario studii.

Item, quia proventuum ipsius studii avida exactio, et perspicax distributio eidem multum subesse possunt ad augmentum, ordinamus ibidem per nos fore aliquem expertum virum thesaurarium ipsius studii constituendum, qui omnes, et singulos proventus ipsius studii infra mentionatos recipiat, conservet, liberet, et expediat ubi, et prout per dictos reformatores decretum fuerit et ordinatum.

Quod nullus de ditione domini possit ire ad studendum praeter in studio Thaurini.

Item, ut ipsum studium facilius inchoari valeat pariter et propagari, statuimus et ordinamus, ac huiusmodi edicti nostri publici sanctione voce praeconia per universam ditionem volumus propalari, quod omnes et singuli ipsius ditionis nostrae in facultatibus theologiae, canonum, legum, seu aliarum facultatum, ac artium deinceps studere volentes ad ipsum studium Thaurini, et non alibi accedant, perseverentur, et studeant, et hoc sub poena decem marcharum argenti per quemlibet contra facientem committenda, et fisco nostro irremissibiliter applicanda.

De salvo conducto studentium Thaurini, et salvaguardia.

Item, ut exteri, omni scrupulo reiecto, ad ipsum studium veniant moraturi, eisdem studere volentibus a remotis, et forensibus quibuscumque partibus provenientibus, doctoribusque, ac reformatoribus, et thesaurario dicti studii, ipsorumque servitoribus, libris, et ceteris bonis, tam veniendo,

transeundo, et morando, quam semel et pluries *a* redeundo, harum serie nostrum salvum conductum concedimus, ipsosque quamdiu sub ditione nostra propterea aderunt in nostris salvaguardia, et protectione speciali ponimus, et esse decernimus per praesentes; quas si quis ausu temerario infringere praesumpserit, indignationem nostram, et ulterius poenam vigintiquinque marcharum argenti pro vice qualibet se noverit incursurum. Et insuper, ut praefertur; ipsos veniendo, et redeundo liberos pariter, et immunes esse volumus ab omni solutione pedagii, telompnei, revae, datii, gabellae, et alterius cuiusvis consimilis tributi impositi, vel imponendi, marchis, repraesaliis, contracambiis, et aliis impedimentis in contrarium concessis, vel concedendis, quibuscumque non obstantibus, et *b* nilminus ipsos plene frui, et gaudere voluimus papalibus, et imperialibus beneficiis, et indultis in ipsa civitate studentibus hactenus concessis.

Caeterum, quia pro solutione salariorum doctorum, et aliorum legentium, aliisque necessariis ipsius studii, quam plures pecuniarum quantitates sunt necessariae, quae solerti scrutinio praehabito non aliter, neque commodius, minorique detrimento sunt habendae, quam per media quae edicimus sequentia.

Primo. Quia consonum est rationi, ut qui commoda sentiunt, sentiant et quid oneris, statuimus, volumus, et ordinamus, quod Communitas ipsius nostrae civitatis Thaurini, prout hactenus *c* consuevit pro praemissis deinceps singulis annis, modis, et terminis consuetis, solvat, ac solvere teneatur, et debeat, quamdiu dictum studium in suo esse perseverabit, quatuorcentum florenos parvi ponderis in manibus praedicti thesaurarii, qui illos, ut praefertur, inter legentes fideliter distribuere sit astrictus.

De solutione gabellae salis
per patriam Pedemontanam.

Item, pro residuo pecuniarum ad dictum studium necessariarum habendo, etiam non alia quavis ambitione, occaxione, vel causa, pluribus motis iustis respectibus, gabellam salis, hactenus pro dicto studio *d* impositam, iubemus, decernimus, et ordinamus reponendam fore pariter, et reintegrandam modis, et formis inferius mentionatis, quam etiam reponimus per praesentes, quamdiu tamen ipsum studium vigebit, et durabit, et non aliter, neque ultra; videlicet quod pro qualibet carata salis quodammodo in antea de gabellis nostris Niciae, et Cunei ad, et per partes nostras Pedemontium superius, et inferius, ubilibet, et quomodolibet vehi, et conduci contigerit, solvatur, et solvi debeat in manibus dicti thesaurarii, seu ab eo deputandorum unus florenus parvi ponderis, et infra pro rata.

De solutione gabellae salis
quod conducitur extra patriam Pedemontanam.

Item, pro qualibet carrata salis, quae aliunde, quam a dictis gabellis nostris, ad, et per ipsam patriam nostram, Pedemontium superius, et inferius, ubilibet, et quomodolibet vehi, et conduci contigerit, solvatur, et solvi debeat in manibus dicti thesaurarii, seu deputandorum ab eo unus florenus cum dimidio parvi ponderis, et infra pro rata.

De solutione gabellae salis,
quae conducitur extra patriam Pedemontanam.

Item, quia patria nostra est quamplurimum diffusa, ordinamus quod in locis limitrofis, videlicet Montisregalis, Fossani, Saviliani, Carignani, Summaeripae, Montiscalerii, Cherii, Podivarini, Sanctae Agatae, Yporegiae, Secuxiae, et Perusiae, vel aliquo ipsorum locorum fiat, et fieri debeat per conductores ipsius salis, vera ipsius consignatio, et gabellae solutio in manibus alicuius probi viri in quolibet locorum dictorum per thesaurarium dictum collectores deputandi. Qui siquidem collectores dicti thesaurarii debita praestabunt sacramenta, computabuntque, et solvent dicto thesaurario de omnibus per eos ex dicta gabella exactis, receptis, et recuperatis. Qui siquidem collectores pro stipendiis eorum, poena, et labore per eos circa praemissa adhibendis, percipient, et habebunt vigesimam partem eorum, quae de dicta gabella recuperabunt, et exigent, et non aliud, neque ultra, dolo, fraude, et aliis quibusvis reiectis inhonestis.

De poena contra committentes fraudem
circa dictam gabellam in non solvendo.

Item ad cohibenda facinora, fraudesque et machinationes, quae in solutione ipsius gabellae committi possent, decernimus, et ordinamus, ac publice proclamari volumus, et iubemus, quod quicumque fraudem circa dictam gabellam in non solvendo, vel alias commiserit, poenam amissionis salis, quod pro tunc ducet, et ex quo fraudem commiserit, incurrat ipso facto, et ulterius unius floreni ultra dictam gabellam pro carrata, et duorum denariorum grossorum pro qualibet sarcinata; quae quidem poena pecuniaria fisco nostro applicetur. Poena vero amissionis, et confiscationis dicti salis, ut infra distribuatur, videlicet quarta pars ipsius salis officiario maiori illius loci, in quo, seu in cuius districtu fraus huiusmodi committetur, alia vero quarta pars ipsius salis denuntiatori, seu accusatori ipsius fraudis, si quis fuerit, residuum vero gazofilacio, seu clavario ipsius studii Thaurinensis, in manibusque thesaurarii eiusdem pro incumbentibus ipsius studii oneribus commodius supportandis. Adeo, et taliter, quod si contingat aliquo anno, tam ex dictis quatuor centum florenis,

quam pro gabella, et poenis huiusmodi aliquid superesse, quod illud tunc fideliter, et ad opus studii eiusdem per dictum thesaurarium conservetur, et in primo adveniente defectu implicetur. Si vero contingat etiam in dicto anno quidquam deesse, illud ex eo, quod primo supererit fideliter suppleatur, sic quod ipsum studium, prodigalitatem, aut penuriam nequaquam patiatur. a

Item, quia pro instanti huiusmodi studii inchoatione necessariae sunt pecuniae in promptu habendae praedictis reformatoribus, et capitaneis nostris potestatem, serie praesentium impertimur circa haec faciendi, et ordinandi, tam per inspectionem, tassationem, et praestantiam salis, quod nunc est in patria, quam dictorum quatuorcentum florenorum, prout, et quemadmodum eis videbitur faciendum, frivolis exceptionibus pariter, et appellationibus quibuscumque non obstantibus. b

De iuramento praestando per quoscumque in manibus dicti thesaurarii.

Item, ut huiusmodi gabella, omni suspicione sublata, recto marte procedat, decernimus, statuimus, et ordinamus, quod omnes, et singuli officiarii nobis tam mediate, quam immediate subiecti, ubilibet constituti, teneantur sub vinculo suorum praestitorum, ac de novo in manibus dicti thesaurarii praestandorum iuramentorum, et sub poena decem marcharum argenti per eos si contrafecerint committenda, et nobis irremissibiliter applicanda, praemissa omnia, et singula, ac etiam alia per dictos reformatores circa haec ordinanda, tenere, attendere, et effectualiter adimplere, tenerique attendi, ac per quoscumque inconcusse facere observari, cum omni alia solempnitate ad haec necessaria pariter, et cautela. c

Mandantes propterea, committentesque, et districte praecipientes praedictis capitaneis Pedemontium, gubernatori terrae nostrae Niciae, universisque, et singulis aliis gubernatoribus, vicariis, potestatibus, baylivis, iudicibus, castellanis, procuratoribus, et caeteris officiariis nostris praesentibus, et futuris, tam citra, quam ultra montes ubilibet constitutis, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quantum suo incumbit officio, quatenus praemissa omnia, et singula per universa sua capitula teneant, attendant, tenerique, et observari faciant, nec contra ipsa, seu ipsorum aliqua contrafieri, aut alias per quemquam, qualitercumque attemptari patiantur, vel permittant: quin imo praedictis reformatoribus, et thesaurario circa praemissa efficaciter assistant, dictasque cridas, et proclamationes libere, et indilate faciant, ne quis praetextu ignorantiae se valeat excusare, de ipsisque proclamationibus publica confici postulent instrumenta, ut perinde transgressores, si qui fuerint, condigna valeant animadversione puniri. Datum Chamberiaci, die penultima septembris, anno Domini millesimo quatercentesimo vigesimo quarto. d

Per dominum, presentibus dominis
Iohanne de Belloforti cancellario
Bastardo de Sabaudia
G. de Montemaiori mareschalo
M. ex Marchionibus salutiarum
Henrico de Columberio.
Lamberto Oddineti
Iohanne de Fonte
Petro Bonivardi
Urbano Cereserii
Anthonio Carionis
Iohanne Burlandi procuratore fiscali
Petro de Mentone, et
Guilliermo Mareschalo thesaurario.

(XVIII)

Sequuntur rubricae privilegiorum, et franchigiarum totius patriae (1): *et primo.*

Revocatio commissariorum totius patriae concessa per illustrem dominum dominum Ludovicum ducem etc. Sabaudiae de anno Domini MCCCC XL, die decima marcii.

Franchixiae, seu capitula totius principatus Pedemontium pro utilitate dicti principatus, et reipublicae de anno Domini MCCCC LX. Quae concessa, et confirmata fuerunt postea per praefatum dominum nostrum ducem patriae terrae veteris.

Sequuntur capitula novissime concessa per praelibatum dominum nostrum patriae principatus, et terrae veteris, scilicet ad eorum supplicationem in modo qui sequitur.

Literae, sive franchisiae super proxime praecedentibus capitulis datae, et concessae per praelibatum illustrem dominum dominum Ludovicum ducem etc. Sabaudiae de anno Domini MCCCC LX, die quinta ianuarii.

Inferius sequuntur alia capitula patriae cismontanae, videlicet principatus, et terrae veteris, petita per eamdem patriam illustri domino duci Sabaudiae etc.

Literae concessionis, et confirmationis praedictorum proxime praecedentium capitulorum principatus, et terrae veteris per dominum dominum illustrem nostrum Ludovicum ducem etc. Sabaudiae de anno Domini MCCCC LXI, die vigesima prima maii datae Pinayrolii.

Confirmatio capitulorum, et franchisiarum principatus, et terrae veteris, tam in generali, quam in particulari concessa, et facta per illustrissi-

(1) Haec sunt decreta quae edebantur in *Statuum*, uti vocabant, *patriae nostrae* conventibus, de quibus fusius postea agemus. Quum tamen diligentiae et fidei praecipue studeamus in subiiciendo lectori exemplari privilegiorum civitatis Taurini, hanc partem, etsi caeteris minus connexam, sed rerum, de quibus agit, ratione gravissimam, a suo loco exturbare non audemus. Ita pariter hanc rubricarum seriem referre, etsi parum necessariam, non dubitavimus quum a codicis ordine desciscere ne latum quidem unguem ausi simus.

mum dominum dominum ducem etc. Sabaudiae de anno Domini MCCCC LXVI, die octava octobris.

Franchisia concessa toti patriae cismontanae per illustrem dominum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae etc. contra usurarios publicos, et contrafacientes contractus simulatos, et gabantias panni, ferri, vini, et aliarum quarumcumque rerum. Data Thononi, die tertia februarii, anni Domini MCCCC XXXVII.

Confirmatio proxime praecedentium literarum facta per praelibatum illustrem dominum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae, de anno Domini MCCCC XLI, die nona augusti.

Literae illustris domini domini Ludovici ducis Sabaudiae, quod Iudaei non possint capere pro usura nisi unum denarium viannense pro quolibet floreno, et pro qualibet hebdomada, nec possint computare nisi semel in anno, et non possint facere usuras de usuris.

Sequuntur privilegia, et franchisiae toti patriae cismontanae concessa, et concessae per illustrissimum dominum dominum Ludovicum ducem etc. Sabaudiae de anno Domini MCCCC XL, die decima martii. Et primo:

Revocatio comissariorum totius patriae concessa per illustrissimum dominum dominum Ludovicum ducem etc. Sabaudiae de anno Domini MCCCC XL, *die decima martii.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, comes Pedemontium, Baugiaci, Valentinensisque, et Diensis. Universis serie praesentium fiat manifestum, quod dilecti fideles, nobiles, et Communitates nostrae patriae ultramontanae ad nostram advenientes praesentiam nobis, querulosis intervenientibus supplicationibus exposuerunt, quod commissarii tam generales, quam speciales, et particulares per nos in eisdem partibus hactenus constituti, sub eorumdem coloribus commissionum, quamplurima gravia detrimenta subditis eiusdem patriae intulerunt, inquisitiones saepisper indiscreta mente per varios aemulos sciscitatas admittendo, et vindictam eorum inveteratae inimicitiae adversus inquisitos plerumque, sicut apparere poterat, licet iustam, causam inquirendi non haberent rememorando, licet pars denuntians non appareret; quodque quamplures importunitate ducti, ipsum commissionis officium impetrare veriti non sunt, non ut facinora in illa pullulantia reprimerent, sed ut undique adinventis occasionibus, iactura aliena locupletiores efficerentur. Supplicantes hoc ideo, ut super hiis taliter providere dignaremur, quod, ipsorum commissariorum importunitatibus depulsis, patria ipsa iam multimode facultatibus propter haec exhausta, deinceps conquiescat, et in pristinam pacificationem redigatur. Ecce quod nos affectantes, illustrium praedecessorum nostrorum vestigiis imi-

a tando, eosdem subditos nostros ultramontanos a quibuscumque illicitis oppressionibus praeservare, ut quanto nostrae manificentiae praesidio se noverint sincerius pertractatos, tanto fidelitatis obsequiis erga nos, et nostros iugiter se exhibeant promptiores, matura deliberatione praehabita, ex nostra certa scientia, pro nobis, et nostris, etiam interveniente iussu, et beneplacito sanctissimi genitoris domini nostri (1) de, et super praemissis duximus salubriter providendum prout infra. Nos enim omnes, et singulos commissarios nostros generales in partibus nostris ultramontanis ubilibet constitutos, et licet iam vigore certarum literarum nostrarum in novissime lapso mense februarii concessarum revocati extiterint, adhuc ex abundanti serie praesen-

b tium duximus revocandos, quibus expresse inhibemus, ne ex nunc in antea ipsas commissiones suas generales ullomodo exercere audeant, vel praesumant; nec illarum occasione quemquam in communi, vel particulari inquietari. Quantum autem conspicit commissiones particulares, imitando formam statutorum generalis reformationis nostrae ditionis (2) volumus ex nunc in antea per tales particulares commissiones modum servari, qui sequitur: videlicet, quod, antequam vigore talium commissionum ad intitulationem, confinationem, detentionem personarum, aut bonorum sequestrationem procedant, veridicas, summarias, et secretas informationes sumant, quas inde exhibeant alteri Consiliorum nostrorum citra, vel ultra montes resi-

c dentium, aut illi a quo emanaverit commissio, ut, illis visis, exinde prosequantur, et procedant prout per alterum ipsorum Consiliorum nostrorum citra, vel ultra montes eisdem fuerit ordinatum; nisi tamen in casibus notoriis, in quibus superesset pars denuncians, sufficiens, aut de refundendis interesse, et expensis legiptime cavens, aut nisi de ipsorum verisimili fuga dubitaretur; quo casu possint talem inquisitum ipsi commissarii particulares secundum personarum qualitatem, et casuum exigentiam detinere, donec ipsi intitulandi de se personaliter repraesentando ydoneam praestiterint cautionem. Non intendentes tamen praemissa ipsorum fidelium nostrorum supplicantium aliis privilegiis, libertatibus, et immunitatibus quomodolibet derogare. Mandantes

d hoc ideo dicto Consilio ultra montes residenti, universisque, et singulis gubernatoribus, capitaneis, vicariis, potestatibus, baylivis, iudicibus, procuratoribus, commissariis, castellanis, ac caeteris officiariis nostris praesentibus, et futuris ubilibet ultra montes constitutis, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi revocationem, limitationem, et literas nostras amodo in antea protinus observent, ac per dictos commissarios generales, speciales, et particulares, et alios quos concernere poterit, amodo in antea inconcusse

(1) Amedei VIII, tunc temporis summi Pontificis dignitate praefulgentis.

(2) Decreta scilicet Sabaudiae edita ab Amedeo VIII, anno 1430.

observari faciant, et in nullo contrafaciant quomodolibet, vel opponant; quin ymo illas ubilibet proclamari, et publicari faciant, ne praetextu ignorantiae quisquam subditorum nostrorum per eosdem commissarios aliquibus indebitis occasionibus graventur. Datum Thononi, die decima martii anno Domini MCCCC quadragesimo. a

Per dominum, praesentibus illustri eius fratre
Philippo de Sabaudia comite Gebennense, necnon dominis
Ludovico episcopo Lausanense
Ogerio episcopo Maurianense
Percivalo episcopo Bellicense
Georgio episcopo Augustense
Emerico episcopo Montisregalis
Iohanne abbate de Alpibus b
Iohanne domino Bariaci, mareschallo
Petro Marchiandi, in cancellaria locumtenente
Iohanne domino Chautagne
Rodulpho domino Chodree
Francischo de Tomatis — Bartholomeo Chabodi, praesidibus
Anthonio de Draconibus
Gulliermo Bolomerii, magistro requestarum
Iacobo Roffeti, iudice Chablaysii
Francischo Ravaysii, magistro hospicii.

(XIX)

Franchisiae, seu capitula totius principatus Pedemontium pro utilitate dicti principatus, et reipublicae, de anno Domini MCCCC *quinquagesimo primo, quae concessa, et confirmata fuerunt per praefatum dominum nostrum ducem Sabaudiae, patriae terrae veteris, et continent in effectu capitula* XVII (1). c

Sequuntur capitula inita, et per Communitates principatus Pedemontium pro utilitate reipublicae dicti principatus, de anno M quatercentesimo quinquagesimo primo confirmata per illustrissimum dominum dominum nostrum Ludovicum Sabaudiae, etc. ducem, et sunt numero novem, prout infra. Quae quidem omnia capitula de anno praesenti millesimo quatercentesimo quinquagesimo nono communicata pariter, et concessa fuere per praefatum dominum nostrum patriae, et Communitatibus terrae veteris modis, et formis, quibus concessa fuerunt praedicto principatui, quae sequuntur in haec verba. d

(1) *Terra vetus*, cui saepe adiicitur *Principatus*, Pedemontium proprie dictum, antiquitus Sabaudiae principum dominio subditum complectebatur, exclusis provinciis, quae postea in eorum potestatem venerunt. — Constabat porro vicariis Thaurini, Cherii, Saviliani, Fossani, Montis regalis, et castellaniis Secusiae, Avillianae, et Ripularum, ut infra videre est.

Confirmatio, et approbatio quarumcumque franchisiarum usque in diem praesentem.

Primo, quod praesentium tenore confirmamus, omologamus, et approbamus omnes, et singulas franchisias, libertates, statuta, bonas consuetudines, et alia quaecumque ipsi patriae nostrae sive universaliter, sive nobilibus, sive Communitatibus, sive alicui, vel aliquibus eorum, vel earum concessas per recolendae memoriae illustres dominos principes, dominos in illa patria, sive alios illustres, sive illustrissimos dominos de Sabaudia usque in diem praesentem, easque, et ea volumus pacto expresso per nos, et nostros successores semper, et in futurum attendi, et observari inviolabiliter, videlicet illas, et illa, quae fuerint concessae, vel confirmatae per indelebilis memoriae dominum genitorem meum dominum Amedeum alias ducem Sabaudiae illustrissimum, qui postremo decessit cardinalis reverendissimus, et apostolicus delegatus; sive per recolendae memoriae illustrem primogenitum dominum Amedeum Pedemontium principem, fratrem nostrum dilectissimum, sive per nos nunc ducem Sabaudiae, antequam essemus dux Sabaudiae, sive postea, citra aliquod praeiudicium generandum nostris ipsis fidelibus in iis, quae in futurum non reperirentur per has literas nostras confirmata.

Quod causae civiles, et criminales semper debeant agitari coram iudicibus ordinariis.

Item, quod omnes, et singulae causae civiles, sive criminales agitandae contra, sive inter Communitates, collegia, sive universitates, vel personas dictae nostrae patriae, praesentes, sive futuras, sive aliquam, sive aliquas, de caetero semper, et in perpetuum agitari debeant coram iudicibus, et officiariis ordinariis partis reae, secundum formam, stilum, continentiam statutorum municipalium, usum, et consuetudinem locorum, in quibus dictae patriae rei sortirentur forum, et essent conventi, singula singulis referendo. Et si forte quispiam traheretur contra praemissa coram nobis, aut aliquo ex nostris Consiliis nobis, sive Thaurini, sive alibi residentibus, vel quovis alio iudice, vel magistratu ordinario, vel delegato, volumus, et ordinamus, quod statim, opposita fori declinatoria, partes remittantur, ac pro remissis habeantur ad suum iudicem ordinarium, de quo supra, et trahens ad alium forum, quam ordinarium suprascriptum condempnetur in expensas, et interesse, quae locum habeant; nisi ad illud tribunal vocatus esset illi tribunali aliquo iure submissus.

De commissionibus fiendis in causis civilibus, qualiter, et quibus fieri debeant. a

Item, quod in omnibus, et singulis causis civilibus, sive civiliter motis, et criminalibus, praesentibus, et futuris, quibus, et quotiens per nos, vel aliquod Consiliorum nostrorum, seu per aliquem iudicem, vel magistratum nostrorum contigerit fieri debere alicui aliquam commissionem, alibi exercendam in aliquo locorum dictae patriae nostrae, veluti pro testibus examinandis, vel pro iuramentis deferendis, vel pro informationibus habendis, vel aliter, volumus, et ordinamus, quod illae omnes, et singulae commissiones, singula singulis referendo, fiant, aut fieri debeant officiariis, aut aliquibus peritis, sive expertis, et fide dignis personis illius b loci, seu mandamenti, ubi fieri mandatur illam examinationem, sive illum actum, dummodo non esset aliqua iusta suspicionis causa; alias autem fieret alibi alicui, vel aliquibus magistris prope ipsi loco habitantibus, et illi commissarii habere debeant suorum laborum solutiones, secundum statuta, stilum, et consuetudines illorum locorum, in quibus talia fierent, et, illis deficientibus, fiant secundum statuta nostrae reformationis; praemissa tamen ita demum locum habeant, et intelligantur, nisi aliter requireret pars requirens examinationem, vel alium actum fieri, et ita quoque fiendum de adiuncto, si illi commissario daretur adiunctus.

De solutione scripturarum, et infra quantum tempus debeant proferri sententiae diffinitivae, et interlocutoriae. c

Item, ne litigantes nimia solutione scripturarum, et sigilli mole graventur, volumus, et ordinamus, quod quicumque magistratus, et officiales nostri exercitium iurisdictionis habentes, teneantur, et debeant, postquam partes bis, et pro qualibet vice, non magis quindecim dierum, assignaverint ad ius, sive sententiam audiendam, sententiam eorum ferre debeant diffinitivam infra unum mensem proxime tunc futurum; interloquutoriam vero ferre teneantur infra decem dies, post duas primas dilationes non maiores octo dierum pro qualibet earum; et si secus fiat, non urgeantur partes ad solutionem d memorialium subsequentium pro scriptura, et sigillo; decernentes minime valere huiusmodi sententias, et interloquutorias etiam si post huiusmodi terminos easdem proferre contigerit.

Quod thesaurarii, sive receptores non teneantur aliquid accipere de apodixiis, sive quitanciis, ratione subsidii fiendis.

Item, quod thesaurarii, sive receptores, vel alii quicumque nostri subsidiorum exactores praesentes, et futuri unquam possint accipere aliquam solutionem a Communitatibus, vel ab aliis ipsius patriae nostrae, vel earum, vel ipsorum nuntiis in generali, nec in speciali de quitanciis, libris, registris, sive apodixiis eisdem fiendis ex dictis subsidiis, vel ipsorum occasione, sed potius teneantur quitancias, libros, apodixias, et registra eis facere gratis, sine aliqua solutione.

Quod receptores, et exactores subsidiorum teneantur exigere monetas secundum cursum ipsius patriae, et illius temporis.

Item, quod praedicti thesaurarii, receptores, sive exactores nostri teneantur, et debeant recipere monetas tam auri, quam argenti secundum cursum ipsius patriae, tempore quo illa subsidia exegerint, vel recuperabunt, dum tamen solvere debentes nondum essent in mora.

Quod exactores non possint exigere subsidia ante terminos conventos.

Item, quod praedicti thesaurarii, receptores, et exactores nostri non possint, nec debeant exigere, vel exigi facere ante terminos conventos subsidia nobis concessa, aut imposterum nobis, seu nostris concedenda. Et si forte literae compulsoriae, poenales, aut sine poenis, in contrarium fuerint decretae, ipsae literae, et quaecumque compulsoriae illae poenae sint ipso facto et ipso iure nullae, nec aliqua persona teneatur eis obedire; ymo quicquid exinde, vel ob id contra subditos nostros fuerit subsequutum, sit etiam ipso iure et ipso facto nullum, nulliusque valoris, et momenti.

De monetis non mutandis tempore subsidii.

Item, quod durante tempore solucionis alicuius subsidii, quod illustrissimus dominus noster non possit, nec debeat mutare, seu mutari facere monetas sive aureas, sive argenteas, sed remaneant ipsae monetae secundum cursum temporis concessi subsidii, sive doni; et haec quoad solutionem, et pro solucione illius subsidii.

De ambasiatoribus non arrestandis, vel detinendis tempore ipsorum ambasiaturae.

Item, volumus, et ordinamus, quod ambasiatores, nuntii, legati dictae patriae nostrae, sive pro tota patria, sive pro quavis Communitatum dictae patriae, sive pro quovis nobilium nostrorum illius patriae, accedentes, vel revertentes, sive ubique existentes, non possint, nec valeant, quavis ex causa, vel colore tangente vos, vel ipsum ambasiatorem, nuntium, sive legatum, sive alium quemvis, sive cuiuscumque status, conditionis, et gradus existat, durante tempore illius ambasiaturae alicubi citra, vel ultra montes arrestari, vel detineri, aliqualiter impediri personaliter, vel realiter, sub poena centum librarum fortium pro quolibet contrafaciente, et pro qualibet vice, et satisfaciendi illi ambasia-

tori, nuntio, sive legato, ac eius mittenti de omnibus, *a* et singulis eius dampnis, expensis, et interesse, et nichilominus ille sic detentus, arrestatus, vel impeditus obedire non teneatur, sed inde possit impune sine licentia, et propria auctoritate recedere, et abire; quae tamen locum non habeant, si detineretur occasione delicti, vel contractus tempore dictae legationis commissi, vel initi.

Sequuntur capitula novissime concessa per praelibatum dominum nostrum patriae principatus, et terrae veteris, similiter ad eorum supplicationem in modum, qui sequitur.

Illustrissime Princeps! Ambasiatores vestrorum fidelium *b* vassallorum, et subditorum locorum, et terrarum principatus Pedemontium, et terrae veteris supplicant per vestram dominationem in sublevationem onerum ipsius patriae, quae multis, et variis de praeterito, et de praesenti subiacet calamitatibus, sibi concedi, confirmari, et largiri in vim pacti, et franchisiae capitula, quae sequuntur, attento maxime dono gratioso, et subsidio hodie per eos vestrae dominationi, causa, et occasione, de quibus in literis his alligatis, liberaliter oblato, et concesso.

Petitio, quod confirmentur omnia privilegia, et indulta concessa per illustres bonae memoriae principes Sabaudiae. *c*

Et primo supplicant, quod placeat confirmare omnia indulta, privilegia, pacta, et capitula tam in tassatione gabellae salis foranei, et tempore concessionis subsidii per patriam cismontanam oblati pro dotalicio serenissimae dominae Delphinae Viennensis filiae vestrae, quam alia quaecumque, et qualiacumque sint post mortem illustris quondam domini Ludovici principis Achayae, eidem patriae principatus, et terrae veteris, singulisque vassallis, et Communitatibus, et singularibus personis ipsius in communi, vel particulari concessa, et conventa, et ea observari tam per vestram dominationem, et successores vestros, quam per quoscumque officiarios, commissarios, et subditos vestros mediatos, *d* et immediatos, praesentes, et futuros. Insuper quia praedictis de principatu, die vicesima prima augusti, millesimo quatercentesimo quinquagesimo primo, per ipsam vestram dominationem concessa fuerunt certa capitula, in quibus vestri fideles vassalli, et Communitates, Principatus, et terrae veteris includi, et nominari non videntur, licet in dono tunc facto contribuissent; supplicant ipsi ambasiatores terrae veteris ipsa capitula, et singula eorum sibi concedi, largiri, et donari, ita et taliter, quod ipsis omnibus indultis, privilegiis, pactis, et capitulis, ut supra concessis ipsi vassalli vestri, et Communitates principatus, et terrae veteris, ac singulares personae eorumdem uti, frui, et gaudere possint ad plenam roboris observantiam, et firmitatem.

Responsio super proxime praecedenti capitulo.

Super praemisso capitulo, et eius prima parte respondetur, quod illustrissimus dominus noster Dux contentus est, vult, mandat, statuit, et ordinat, quod capitula, conventiones, et franchisiae concessae in taxatione dictae gabellae, ac etiam concessae per eum tempore concessionis subsidii dotalitii illustrissimae dominae nostrae Karlotae filiae suae, et Delphinae Viennensis, ac etiam aliae franchisiae tam per clementissimum dominum quondam genitorem suum, quam per ipsum concessae, seu specialiter confirmatae dictis nobilibus, et Communitatibus dicti principatus, seu terrae veteris, eisdem tam in universo, quam in particulari observentur, et observari debeant inconcusse, prout concessae, et confirmatae reperientur, et secundum concessionum, et confirmationum formam, et verum tenorem.

Quantum ad secundam partem dicti capituli illustrissimus dominus noster contentus est, annuitque, et concedit, quod nobiles, et Communitates terrae veteris gaudeant, et gaudere possint capitulis, et franchisiis per praefatum dominum nostrum concessis nobilibus, et Communitatibus principatus anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo primo, et de mense augusti (*causa*) concessionis subsidii, de quo ibi fit mentio, ac si tunc in dicta concessione fuissent nominati.

Quod nullus officiarius possit procedere in aliqua causa, exceptis ordinariis.

Item, quod aliqua persona, aliquisque commissarius, aut alius officiarius vestrae dominationis cuiuscumque gradus, et conditionis existat, ab inde in antea non possit, neque valeat aliquam iurisdictionem in ipsa patria principatus, et terrae veteris exercere pro aliqua causa civili, vel criminali, sive mixta, vigore alicuius commissionis vestrae specialis, vel generalis contra aliquem vassallum, Communitatem, vel singularem personam, sive plures patriae eiusdem, cuiuscumque gradus, et conditionis existant; sed processus cuiuslibet causae sive civilis, sive criminalis, sive mixtae, coram officiariis ordinariis, vel vices gerentibus eorumdem initietur, medietur, et finiatur, et per eum sententia feratur, et exequutioni demandetur, si reclamatum, aut de nullitate oppositum non fuerit.

Responsio super proxime praecedenti capitulo.

Super hoc secundo capitulo respondetur, quod placuit, et placet illustrissimo domino nostro, quod omnia, et singula indulta per praefatum quondam clementissimum dominum genitorum suum, sive per ipsum dominum nostrum Ducem circa exer-

citium iurisdictionis civilis, vel criminalis, tam in generali patriae principatus, et terrae veteris, quam in speciali concessa aliquibus terris, vel Communitatibus eorumdem, observentur, et observari debeant iuxta formam concessionum praedictarum; quodque (*citra*) dictam formam non debeant aliqui commissarii concessiones in exercitio dictarum iurisdictionum exercere. a

De officiariis non ponendis, nisi prius remotis praecedentibus, et maxime commissariis.

Item, quod non possit vestra dominatio aliquem commissarium, seu aliam personam constituere ordinarium officiarium alicuius loci patriae praedictae, nisi prius revocato, et remoto alio officiario per b prius regente, et eius finito regimine, qui prius remotus non possit reverti, nec officiarius effici ipsius loci infra annum a die revocationis eiusdem inchoandum, et ultra, prout ipsorum locorum dictant franchisiae, quibus per hoc nulla fiet derogatio, seu praeiudicium aliquod inferatur.

Responsio super praecedenti capitulo.

Super hoc praecedenti capitulo respondetur, quod placet praefato domino nostro, quod contra formam dictarum concessionum, de quibus in ipso capitulo, dari non debeat aliquis commissarius, officiarius talis loci, ut sub tali colore possit commissionem contra formam praedictam exercere, non c cassato, et remoto primario officiali ordinario, quia per indirectum fieri non debet, quod directe licite fieri non debet.

De remissione poenarum, bannorum, et mulctarum.

Item, quod omnes poenae, bampna, et mulctae, occasione gabellarum, et processuum ea ex causa formatorum contra Communitates ipsius patriae Pedemontium, et terrae veteris, ac agentes in eisdem pro Communi, vel particulari, singularesque personas eiusdem occasione praemissa declaratae, vel commissae usque in diem praesentem, sint nullae, abolitaeque, canzellatae, et remissae intel- d ligantur per huius capituli seriem, et tenorem, quas dominationi vestrae liberaliter remittere, et quitare placeat, praemissis attentis.

Responsio super praedicto capitulo.

Super praedicto capitulo respondetur, quod placet illustrissimo domino nostro, quod poenae declaratae tam contra Communitates, quam singulares personas occasione gabellarum propter contumaciam, vel inobedientiam in non parendo commissariis, remittantur, ac pro remissis, et cassis habeantur. Quo autem ad ipsas gabellas cum dependentibus sint in termino iuris, et iustitiae summariae ministrandae.

De infeudatione commissariorum causarum criminalium facta Francisco de Laugerio, revocata.

Item, quia per dominum nostrum, de anno praedicto millesimo quatercentesimo quinquagesimo primo, sub die vigesima prima mensis augusti, concessa fuerunt certa capitula patriae predictae principatus, in quibus inter caetera est tercium capitulum disponens circa commissarios causarum civilium; et proinde, ut dicitur, per vestram dominationem facta fuit quaedam infeudatio commissionum criminalium nobili Francisco de Laugerio domino Verigiaci, quae ipsi capitulo contradicere, et derogare videtur; et si non derogaret censetur contra bonos mores, et libertatem, ac utilitatem publicam concessa, supplicant ideo praememorati ambasiatores principatus, et terrae veteris infeudationem ipsam, quoad ipsam patriam cismontanam, revocari, et annullari, et se in sua libertate dimitti, et relaxari, prout erant ante ipsam infeudationem; et omnia examina a medio tempore facta per commissarios in partibus cismontanis deputatos tam per vestram dominationem, quam per Consilia vestra Thaurini, et vobiscum residentia, ac in audientiis, et causarum remissionibus delegatos, et decretos valere tenere decernere velitis, prout si ipsa infeudatio facta non fuisset.

Responsio super praecedenti capitulo.

Super praemisso capitulo respondetur, quod placet illustrissimo domino nostro revocare, et annullare dictam infeudationem tam ex causis in capitulo descriptis, quam etiam certis aliis bonis, et iustis respectibus, illamque revocat, et annullat per praesentes, reducendo totam patriam cismontanam in pristinum statum, solitamque libertatem, et consuetos mores, ac stilum usitatum, quoad commissarios praedictos; mandantes idem illustrissimus dominus noster Consiliis, et commissariis suis causarum, ut dictam infeudationem non observent, sed provideant de ydoneis, et probis commissariis causarum, prout eisdem videbitur aeque, et rationabiliter faciendum.

De solutione subsidii, et cursu monetarum.

Item, quod citra praeiudicium capituli praedicto principatui, sub die in praecedenti capitulo descripta concessi de solutionibus monetarum, disponentis, quod exactores dominationis vestrae deputati, vel deputandi ad recuperationem subsidii hodie vobis per praedictam patriam principatus, et terrae veteris oblati, teneantur, et debeant recipere a solventibus pro dicta patria, modo infrascripto, videlicet in primo termino aurum, et monetam ad valorem, et cursum modernum, pro alia secunda

a solutione secundum valorem, et cursum, quem valebit aurum, et moneta tempore illius solutionis.

Responsio.

Super quo quidem capitulo praefatus dominus noster respondit, quod sibi placet concedere, et annuere, ac concedit, et annuit, prout in eodem capitulo continetur.

De receptoribus subsidii, qui non possint obligari facere Communitates ad cambium, nec ad retrocambium, aut interesse.

Item, quod tales exactores non possint, nec debeant aliqua via exigere, seu obligari facere ipsas b Communitates, vel singulares personas dictae patriae pro solutione huiusmodi subsidii ad aliquod interesse, cambiumque, nec retrocambium non valeat, nec teneat, nec ad id compelli possint quomodolibet; quod si fieri contingat, sit ipso iure nullum, et pro non facto habeatur, et obligatio huiusmodi quoad interesse, ad cambium, et retrocambium, nec huic capitulo renuntiari possit, sed renuntiatio pro infecta habeatur. Et quod tales obligati, nomine ipsarum Communitatum praedictae patriae, non possint in castris causa retardatarum solutionum detrudi, vel detineri, nisi decendio starent arrestati in villis, nec curarent satisfacere; quo termino decem dierum lapso, tunc in castro possint reduci, et detineri usque ad integram solutionem debitorum hu- c iusmodi subsidii, et, ipsa detentione non obstante, elapso dicto decendio, possit fieri exequutio in bonis ipsorum obligatorum; omnia praeter formam huius capituli attentanda revocando.

Responsio.

Super praesenti capitulo, respondetur, quod placet praelibato domino nostro Duci concedere, et annuere, ac concedit, et annuit, ut in ipso capitulo continetur.

De solutione non fienda pro huiusmodi subsidio de literis, sigillo, et registro.

Item, quod, attentis praemissis ab ipsa patria principatus, et terrae veteris pro registro, vel sigillo huiusmodi immunitatis, largitionis, et concessionis vestrae, vel transumpti fiendorum de eisdem, vestri clavarii praesentes, vel futuri nil exigant, vel recipiant, sed a praemissis ipsa patria sit, et remaneat exempta, et liberata.

Responsio.

Super ipso capitulo respondetur, quod placet illustrissimo domino nostro praefato, quod nichil exigatur a praedicta patria occasione in capitulo contentorum.

(XX)

Literae, seu franchisia super proxime praecedentibus capitulis data, et concessa per praelibatum illustrem dominum dominum Ludovicum ducem etc. Sabaudiae, de anno Domini MCCCCLIX, *die quinta ianuarii.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Italia, princeps Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci comes, baro Vaudi, et Fociniaci, Niciaeque, Vercellarum, ac Friburgi dominus. Universis seriem praesentium inspecturis fiat manifestum, quod cum a fidelibus dilectis vassallis, Communitatibus, hominibus, ac subditis patriae nostrae cismontanae, principatus, et terrae veteris in sublevationem, et restaurationem onerum, et expensarum, quae, et quas anno praeterito substulimus, et fecimus ob purgandam patriam ipsam facinorosis hominibus, qui eam nequiter invadere satagebant, etiam ad felicem acquisitionem regni Cypri pro illustri filio nostro carissimo Ludovico de Sabaudia principe Antiochiae, et comite Gebennensi sufferre nos oportet, et substinere, de subsidio nobis in praemissis succurri petierimus, et hoc ideo evocari fecerimus ambasiatores patriae eiusdem, et ad nostri praesentiam conveniri, responsum eorum super iis facturos. Hodie tandem coram nobis, et nostro nobiscum residente Consilio simul uniti, et congregati ambasiatores ipsi peticioni nostrae respondere, et condescendere proponentes, atque nobis iuxta possibilitatem patriae ipsius succurrere, et complacere, licet, ut affirmabant ipsi ambasiatores, patria ipsa ad hoc iure non teneatur, sed etiam multis, et variis subiaceret necessitatibus, et calamitatibus propter passas guerras non est diu, falentiasque, mortalitates, et carestias habitas diebus retrofluxis, propter multa alia onera, et incommoda patriae nostrae praedictae, quae notoria sunt, et quorum gratia obmittitur enarratio; tamen, praemissa protestatione, quod in consequentiam trahi non possint, ipsi ambasiatores unanimes, et concordes, animadvertentes ad praemissa onera, et expensas per nos factas, et substenta, d ac ex praenarratis fiendas, et substinendas, nostrum, et praelibati filii nostri honorem, et status exaltationem caripendentes, more subditorum fidelium, qui in bonum, et commodum anhelant suorum principum; habentes ad hoc, ut dicebant, a suis delegantibus licentiam, et potestatem pro praemissis omnibus oneribus, dampnis, et expensis hunc usque diem praemissorum occasione per nos factis, passis, et supportatis, ac fiendis, patiendis, et supportandis ex praemissis, liberaliter, et sponte, ac grato animo nobis in subsidium praemissorum dono obtulerunt summam decem septem millium quingentorum et quadraginta sex florenorum parvi ponderis monetae nostrae cursibilis pro nunc solvendorum terminis infrascriptis, medietatem scili-

cet infra proximum festum sancti Martini hyemalis, *a* et medietatem reliquam infra aliud festum sancti Martini anni proxime venturi; ita, et taliter quod, praemisso tempore durante, non possit ab ipsa patria aliud subsidium peti, vel exigi, nisi esset pro dotaliciis illustrium filiarum nostrarum, vel de beneplacito patriae antedictae. Et insuper supplicant ipsi ambasiatores, ut praemissis, mediantibus, nos versa vice eidem patriae, et eius hominibus de nostrae munificentiae liberalitate sibi capitula in secunda parte rotuli praesentibus annexi descripta, numero octo, in franchisiam dare, confirmare, concedereque, et largiri dignaremur, ut eadem patria, quae fuit, et est multis incommodis, et necessitatibus onerata, per eorumdem concessionem capitulorum aliquatenus sublevetur. Nos itaque, praemissis in- *b* spectis, volentes liberalitati dictae patriae condigna reflectere obsequia, et pro meritis respondere eisdem, simili animo, et largitati acquiescere, serie dictorum capitulorum diligenter inspecta, ac super eis praedicti Consilii nostri matura deliberatione praehabita, quia ipsa requisita capitula, utpote in totum commodum, et utile reipublicae conspicimus dictae patriae, quam pro posse, et continuo propagare, (*volumus*) ex nostra certa scientia, sponteque, et praemissorum consideratione, ac certis aliis bonis, et laude dignis de causis nos moventibus, et merito movere debentibus, eisdem vassallis, et Communitatibus, hominibus, et subditis patriae nostrae praedictae cismontanae principatus, et terrae veteris, ipsiusque patriae posteritati, et ipsorum ho- *c* minum successoribus universis, capitula ipsa, prout in responsionibus per nos in pede cuiuslibet ipsorum factis scriptum apparet, in franchixiam, indultum, et privilegium speciale, ac in vim pacti facimus, annuimus, confirmamus, et ordinamus, donamusque, largimur, et concedimus per praesentes perpetuo valitura, citra tamen aliorum capitulorum, statutorum, franchisiarum, privilegiorum, et indultorum ipsi patriae in communi, vel particulari, coniunctim, vel divisim concessorum, praeiudicium, vel derogationem. Verum quia de anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo primo, tempore donati subsidii pro dotalicio illustrissimae dominae Delphinae Viennensis filiae nostrae carissimae, patriae nostrae praedicti *d* principatus concessa fuerunt certa capitula numero novem, quae de verbo ad verbum in prima parte annexi rotuli descripta sunt, in quibus dilecti fideles, Communitates, homines, et subditi nostrae terrae veteris nominari non videntur, vel includi, licet eorum ratam dicti subsidii persolverint; nos propterea gratia uberiori pertractari volentes, consideratis pro expensis, capitula ipsa indulta, eisdem de terra veteri, communicamus, largimurque, et concedimus per praesentes, modis et formis, in quibus eidem principatui concessa fuerunt; decernentes eosdem de terra veteri in communi, et particulari ab inde praemissis capitulis, et indultis eo modo gaudere, utique, frui posse, et debere, quo ipsi de principatu uti, et frui possunt, quoniam illa, et quodlibet eorumdem praedictis de terra veteri, ut praefertur, concedenda, et ipsis de principatu confirmanda duximus harum serie. Quae quidem omnia, et singula capitula, et indulta tam annexa, quam ea, de quibus in praemissis annexis mentio fit, iuxta eorum seriem, et verum effectum, habito relatu quoad capitula ultimo loco concessa ad praemissas responsiones eisdem factas, et prima prout iacent, et bona fide nostra, et in verbo principis pro nobis, et nostris praedictis, ac sub nostrorum omnium, et singulorum expressa obligatione bonorum, memoratis fidelibus nostris vassallis, hominibus, et subditis praedictae patriae principatus, et terrae veteris, suisque successoribus, et posteritati protinus observare promittimus, et observari facere, et mandare per quoslibet officiarios, et subditos nostros mediatos, et immediatos, praesentes, et futuros, sine laesione, et difficultate quavis, numquam per nos, vel alium contrafacere, vel venire, nec venire volenti permittere, etiam cum omni alia solempnitate, iuris, et facti renuntiatione ad haec necessaria pariter, et cautela; notario, secretarioque nostro subscripto, uti publica persona, in praemissis omnibus, et singulis recipiente, nomine, et vice dictae patriae, et omnium, et singulorum, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum. Mandantes propterea Consilio nobiscum, Chamberiaci, et citra montes residenti, thesaurarioque Sabaudiae generali, et receptori cismontano, nec non vicariis Thaurini, Cherii, Saviliani, Fossani, Montisregalis, castellanisque Secusiae, Avillianae, et Ripolarum, caeterisque universis, et singulis officiariis, et commissariis fidelibus, et subditis nostris mediatis, et immediatis ubilibet in ducato nostro constitutis, praesentibus, et futuris, ad quos spectabit, et praesentes pervenerint, ipsorumque officiariorum locatenentibus, et cuilibet eorumdem, et sub poena centum librarum fortium pro quolibet ipsorum consiliariorum inferiore non obtemperante, vel contrafaciente committenda, et fischo nostro applicanda, quatenus ipsa his annexa capitula, et indulta in eis mentionata iuxta eorum continentiam, et effectum ut supra, singula singulis referendo, et praesentes literas nostras eisdem supplicantibus, et suis praedictis teneant, attendant, et observent, ac observari faciant penitus illibatas, in nulloque contrafaciant quomodolibet, vel opponant: quin ymo ipsos ut supra praedictis capitulis uti, frui, et gaudere faciant, et permittant sine contradictione, vel oppositione quacumque, etiam sine alterius expectatione mandati: has literas nostras sigilli nostri munimine roboratas eisdem in testimonium duximus concedendas. Datum in civitate nostra Thaurini, die quinta ianuarii, anno Domini MCCCCLIX.

Per dominum, praesentibus

Ludovico de Sabaudia principe Antiochiae, nec non dominis

Anthonio ex Marchionibus Romagnani, cancellario Sabaudiae

Aymone comite Camerae, viceque comite Maurianense a
G. domino de Varax
Francischo de Tomatis, praesidente audientiarum
Ludovico Bonivardi, magistro hospicii
Michaële de Canalibus
Stephano Scalia
Gulliermo Macellani, advocato fiscali
Iacobo Maynerii, generali, et
Humberto Fabri, thesaurario.

Inferius sequuntur alia capitula patriae cismontanae, videlicet principatus, et terrae veteris, petita per eamdem patriam illustrissimo domino domino nostro duci etc. Sabaudiae de anno MCCCC b LXI *cum concessione subsequenti, et continet in effectu capitula septem.*

De dono dato cum protestatione, quod in consequentiam trahi non possit.

Et primo, quod illustrissimus dominus noster Dux acceptet id quod dabitur dominationi per nobiles, Communitates, et subditos, eiusque fideles patriae principatus, et totius terrae veteris ex dono, et gratia speciali pro occurrendo necessitatibus suis, et in motu proprio, et quod in futurum patriae praedictae nullum praeiudicium generetur, nec in consequentiam trahi possit, neque praeiudicari pactis, et immunitatibus patriae praedictae, et sin- c gulorum locorum eiusdem.

Responsio fiat, et dabuntur literae opportunae.

Petitio confirmationis franchisiarum, capitulorum, et bonarum consuetudinum.

Item, quod illustrissimus dominus noster dignetur confirmare, et approbare, et ex nunc confirmet, et approbet omnes franchisias, bonas consuetudines, capitula, et libertates patriae praedictae hactenus concessas, et confirmatas, usitatas, et approbatas, et tam per praelibatum illustrissimum dominum nostrum, quam per eius praedecessores concessa, sine constu scripturae, sigilli, et registri eorumdem capitulorum, et literarum con- d firmationis; observenturque, et eumdem effectum, et robur habeant, prout et quemadmodum si manu propria praefati illustrissimi domini nostri signatae, et subscriptae forent.

Fiat de confirmatis, et concessis per clementissimum dominum legatum, et illustrissimum dominum dominum nostrum ducem.

Quod nullus possit conveniri in curia conservatoriae studii Thaurini, vel hospitalis Yerosolimitani.

Item, quod nulla persona de patria praedicta possit conveniri in curia conservatoriae studii Thaurini, iure proprio, vel per concessionem, nec similiter pro aliis debitis merchatorum, vel aliarum personarum, praetextu alicuius cessionis fratrum, amicorum, seu attingentium, cogatur in curia conservatoriae studii, et pariter in curia hospitalis Yerosolimitani Cherii, vel alibi.

Responsio.

Placet, nisi in cessionibus fiendis a patre filio vere studenti pro illo substinendo in studio.

Quod aliqua Communitas non cogatur se obligare erga aliquem campsorem.

Item, quod non cogatur aliqua Communitas se obligare erga aliquem campsorem, seu merchatorem pro dicto dono nuper concesso, nec in futurum concessuro, nisi dumtaxat solvere in manibus thesaurarii generalis, vel eius receptoris.

Responsio.

Fiat de isto, nisi talis Communitas esset contenta.

De remissione causarum.

Item, quod omnes causae inchoatae coram magnifico Consilio residente, et domino Praesidente patrimonii in praeiudicium franchisiarum, et libertatum, et capitulorum dictae patriae, remittantur suis iudicibus ordinariis.

Responsio.

Fiat iuxta formam franchisiarum, et libertatum, ut supra, in secundo capitulo concessarum, et confirmatarum.

De investituris recipiendis, et solutione.

Item, quod nobiles patriae praedictae teneantur petere investituras ab eadem dominatione per mutationem dominii, vel vassalamentorum, tenementorum, vel alio quocumque modo admittantur ad investituram sine difficultate. Et quod illustrissima dominatio vestra teneatur eosdem investire, prout hactenus assueti fuerunt investiri temporibus elapsis per antecessores, secundum pacta, et franchisias eorumdem, absque aliqua novitate, et mutatione, et sine sigillo; et quod quicumque secretarii vestrae dominationis in curia residentes illas impune recipere possint, et quod hostiarii non possint, nec debeant accipere ab investitis, nisi florenum unum pro qualibet investitura (1).

(1) Quae fuerint privilegia, libertates, immunitates, et franchisiae banneretorum, et nobilium terrae Pedemontium facile est dignoscere ex literis eisdem nobilibus ab Amedeo VI Sabaudiae comite concessis die 12 aprilis anni 1360, quae impressa leguntur inter documenta historiae principum Achayae, edita a cl. v. eq. Datta, tom. 2, pag. 212.

Responsio.

Respondetur, quod in talibus instrumentis non ponantur clausulae insolitae, nec per quas renuntietur libertatibus, et franchisiis eorumdem; et respectu sigillorum, sigillentur literae feudorum novorum, et non antiquorum, etiamsi de antiquis inter eosdem agnatos, et consortes alienationes fieri contigerit.

Quod memorialia, rotuli, breveti, sive scripturae privatae, non admittantur, nec accusationes contra aliquem de patria, nisi talis faciat partem, et se subscribat ad poenam talionis.

Item, quod non admittantur aliqua memorialia rotuli, breveti, sive scripturae alicuius personae excessus et delicta continentes per praefatum illustrissimum dominum nostrum, et eius officiarios, vel consiliarios, nec supplicationes, nec accusationes per aliquos contra aliquem de patria praedicta, nunc vel in futurum, nisi accusator, vel tradens memoriale faciat partem, et se subscribat, ita ut si subscripserit condempnari possit in expensis, et interesse. Et si secus fiat, ipsa memorialia, rotuli, breveti, sive scripturae, supplicationes, et accusationes sint nullae, nec possit procedi contra accusatum, sed talis accusator puniatur secundum dispositionem iuris.

Die vicesima tertia ianuarii iterum verbaliter ostensum fuit capitulum suprascriptum per magnificos dominos marescalum, et cancellarium illustrissimo domino nostro, qui fuit contentus, ita fieret, et concederetur.

(XXI)

Literae concessionis, et confirmationis praedictorum proxime praecedentium capitulorum principatus, et terrae veteris, per illustrissimum dominum nostrum Ludovicum ducem etc. Sabaudiae de anno domini MCCCCLXI*, die vicesima prima maii, Pineroly.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, et Pedemontium princeps, Gebennensis, et Baugiaci comes, Baro Vaudi, et Fociniaci, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi dominus. Universis serie praesentium facimus manifestum, quod cum superioribus diebus, propter quam varia nobis occurrentia, multasque sarcinas expensarum superiori tempore, et non longe per nos supportatas, et quas iterum supportare expedit, evocari coram nobis fecerimus fideles, et bene dilectos binos status patriae, et ditionis nostrae cismontanae, scilicet nobilium, et Communitatum, illisque exposuerimus, et exponi fecerimus onera, et sarcinas ante dictas, gratiose ab eisdem, secun-
a dum illorum complacentiam, et possibilitatem, aliquod donum nobis, et auxilium sua sponte, et liberalitate donandum, et concedendum, non virtute alicuius obligationis, sed sua in nos, nostrosque illustres predecessores optima voluntate, recta fide, et singulari devotione, et qui in arduis nostris agendis semper nobis, et nostris libenter, et liberaliter succurrerunt, et largiflue subvenerunt. Ecce quod comparentibus, et convenientibus coram nobis ambasiatoribus dictorum duorum statuum principatus Pedemontium, et terrae veteris, intellectis dictis oneribus, et sarcinis, ac petitionibus, et requisitionibus antedictis, uti boni, et fideles subditi, et nostri status zelatores sua, et praedecessorum suorum insequentes vestigia, liberaliter, et
b dono puro, in suffragium onerum, et sarcinarum praedictarum, nobis praesentaverunt, et praesentari fecerunt quinque millia et quinquecentum florenos Sabaudiae, parvi ponderis, solvendos infra festum beatae Magdalenae proxime venturum, supplicantes, ut dictam quantitatem ex dono puro, et gratioso acceptare benigniter dignaremur; quoniam, etsi munus parvum sit, voluntas eorum immensa est ad nos, et statum nostrum conservandos, ita etiam, et taliter, quod per huiusmodi donum franchisiis, et libertatibus eorumdem in nullo praeiudicetur, nec in consequentiam, seu ad ullam prorsus obligationem imposterum trahi possit. Supplicantes ulterius humiliter, et devote, ut eisdem certa capitula nobis ad partem tradita, ac per Consilium no-
c strum nobiscum residens debite visitata, et nobis per dictum Consilium particulariter recitata, confirmare, et de dono concedere, quatenus opus esset, dignaremur, pro quorum confirmatione, seu concessione contenti fuerunt, et sunt ultra praedictos quinque millia, et quingentos florenos nobis elargiri mille, et quingentos alios florenos. Quorum supplicationibus benigniter inclinati, donum, et oblationem dictorum quinque millium, et quingentorum florenorum duximus benigniter acceptandam, attestantes, et declarantes dictum donum, et suffragium ex ipsorum donantium mera liberalitate processisse; volentes etiam, et declarantes in consequentiam unquam nullo tempore trahi posse, vel libertatibus, seu franchisiis eorum praeiudicare debere.
d Quatenus autem tangit capitula praedicta, et illorum confirmationem, seu concessionem, et obligationem dictorum v mille et quingentorum florenorum pro concessione, et confirmatione praedictis, considerantes fidem, liberalitatem, et probitatem, ac serviendi, et donandi promptitudinem eorumdem supplicantium, qui quanto plura beneficia, seu exemptiones habent eo liberalius nobis in occurrentibus largiuntur, capitula praedicta praesentibus subiuncta, prout tamen in fine, et pede cuiuslibet eorum descriptum et revisum nostri parte comperitur, et subsignatum per secretarium nostrum subscriptum eisdem, et cuilibet eorumdem supplicantium, suisque Communitatibus, et posteritatibus dictorum principatus, et terrae veteris pro nobis, et nostris hae-

redibus, et successoribus duximus liberaliter con- a
cedendum, et confirmandum. Volentes, et promittentes solempniter illa, et quodlibet eorumdem habere debere perpetuam roboris firmitatem, per nosque, Consilia, et caeteros officiales nostros tam praesentes, quam futuros cuiuscumque gradus existant inviolabiliter, et inconcusse observari debere, et in nullo contravenire, quavis ratione, colore, vel causa. Mandantes ideo dictis Consiliis, tam nobiscum Thaurini, quam Chamberiaci residentibus, caeterisque officiariis praedictis, et cuilibet ipsorum cuiuscumque gradus, et conditionis existant, quatenus dicta capitula iuxta formam responsionum, et declarationum praedictarum eisdem de principatu, et terra veteri, et cuilibet eorumdem observent illaesa, et in nullo contrafaciant in quantum b
indignationem nostram cupiunt evitare. Et praemissam concessionem egimus, tam praemissorum consideratione, quam pro dictis v mille et quingentis florenis dono gratioso concessis, pro quibus memorati de principatu, et terra veteri se efficaciter obligare tenebuntur erga dilectum, fidelem, consiliarium, et generalem finantiarum nostrarum Francischum Cerrati, qui ex inde de ipsis nobis legiptime tenebitur computare. Datum Pinayrolii, die vicesima prima maii, anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo primo.

Per dominum, praesentibus illustri
Iano de Sabaudia comite Gebennensi.
Necnon dominis
A. ex Marchionibus Romagnani, cancellario Sabaudiae c
Iohanne domino Bariaci, marescalo Sabaudiae
Aymo comite Camerae, viceque comite Maurianensi
G. Marchione Sancti Saturnini, comiteque de Varax
Thoma ex Marchionibus Romagnani, magistro hospitii
Michaële de Canalibus
Stephano Scalia
Francischo Cerrati, generali, et
Bertino Maglochi, thesaurario.

Confessio de receptione praedictorum septem millium florenorum. d

Quos quinque mille quingentos florenos parvi ponderis ab una, et mille quingentos florenos ab alia partibus, qui sunt in summa septem mille floreni parvi ponderis, inclusis quibuscumque confessionibus, per me usque in diem octavam mensis octobris anni suprascripti expeditis singulis Communitatibus praedictorum duorum statuum principatus Pedemontium, et terrae veteris, habui ego receptor.

(XXII)

Confirmatio capitulorum, et franchisiarum principatus, et terrae veteris, tum in generali, quam in particulari concessa, et facta per illustrissimum dominum dominum Amedeum ducem Sabaudiae, de anno Domini MCCCC *sexagesimo sexto, die octava octobris etc.*

Amedeus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, princeps Pedemontium, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi dominus. Universis serie praesentium fieri volumus manifestum, quod nos supplicationi pro parte nobilium, hominumque, Communitatum, ac singulorum totius patriae nostrae principatus Pedemontium, et terrae veteris super infrascriptis per eorum ambasciatores ad nos propterea destinatos nobis factae, laude dignis respectibus benigniter inclinati, cupientes merito ipsos fideles, et subditos nostros favoribus iugiter prosequi gratiosis, et nostrae munificentiae partes erga eos laeta mente exhibere, quo sinceritatem, sive fidelitatem erga nos studeant in dies avidius comprobare. Habita igitur super hiis Consilii nostri deliberatione matura, universa, et singula privilegia, conventiones, franchisias, libertates, atque immunitates tam per recolendae memoriae illustrissimos dominos genitorem, et avum, quam caeteros principes Pedemontium, et alios progenitores nostros eisdem patriae principatus, et terrae veteris, nobilibusque, hominibus, Communitatibus, ac singularibus hactenus concessa tam in communi, quam in particulari, serie praesentium confirmamus, ratificamus, et approbamus, mandantes eapropter, et districte praecipientes Consiliis nobiscum, et citra montes residentibus, nec non universis, et singulis officiariis fidelibus, ac subditis nostris, mediatis, et immediatis modernisque, et futuris ad quos spectaverit, et praesentes pervenerint, ipsorumque officiariorum locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi confirmationem, et praedictas libertates, conventiones, franchisias, immunitates, ac privilegia iuxta eorum, ac praesentium literarum formam memoratis nobilibus, hominibus, communitatibus, et singularibus teneant, attendant, et inviolabiliter observent, tenerique, attendi, et pro quorum intererit faciant intemerate observari, et in nullo contraveniant quomodolibet, vel opponant. Verum eos huiusmodi privilegiis, conventionibus, franchisiis, libertatibus, et immunitatibus, sic ut supra confirmatis, plene frui, et gaudere faciant, et permittant, in contrarium obiiciendis, et facientibus non obstantibus quibuscumque. Has literas nostras in praemissorum testimonium concedentes. Datum Pinerolii, die octava octobris, anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo sexto.

Per dominum, praesentibus dominis
Iohanne Michaëlis, cancellario Sabaudiae

G. de Seyselo, marescalo Sabaudiae
Iohanne de Compesio, abbate de Sys
Urbano Bonivardi, abbate Pinerolii
Philiberto de Palude, domino Sancti Iulini
Hugonino, domino Cardeti
Anthonio Championis
Stephano Moreli, advocato.

Expedita ad opus terrae principatus Pedemontium.

(XXIII)

Franchisia concessa toti patriae cismontanae per illustrem dominum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae etc. Contra usurarios publicos, et contrafacientes contractus simulatos, et gabantias panni, ferri, vini, et aliarum quarumcumque rerum. Datum Thononi, die tertia februarii, anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo septimo, et continet in effectu capitula sex.

Ludovicus de Sabaudia princeps Pedemontium, primogenitus, locumtenensque generalis illustrissimi domini mei genitoris domini Amedei ducis etc. Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii principis, vicariique perpetui, Marchionis in Ytalia, Comitis Pedemontium, et Gebennensis, Valentinensisque, et Diensis, Niciaeque, et Vercellarum domini. Ad aeternam rei gestae memoriam, cunctis serie praesentium duximus insinuandum iugem, et cavillosam ditionis ipsius domini mei iacturam, sicut plurimorum eximiorum sacrae theologiae professorum, et aliorum bonarum mentium, perspicacique circumspectione virorum fide dignis insimul relatis resultantem, ex antiqua generalique nostri, et nostrorum inclitae recordiae progenitorum consuetudine, qua continua praesistentia bona mobilia, nomina, et credita quorumcumque usurariorum decedentium nostro ducali aerario devolvi inoluerunt, dum imperitia, aut alia irrefrenata ambitione officialium interdum deducitur in abusum, saepisper inveniendo, et supine deducere satagendo contractus licitos, et honestos, et utroque iure permissos, utpote praediorum, annuorumque reddituum, pensionum, et effectu similium, venditiones cum pacto de retrovendendo initas, etiam mercium, pro quibus pretium ad tempus creditur soluturum, et caetera consimilia in contractibus bona fide gestis credentes esse paliatos, fictos, et simulatos, usuramque velatam continere, ad inventarizationem bonorum defunctorum, praetermissa quavis solempnitate iuris, prosilire, et viduarum pupillorumque facultates inscrutari non verentur. Per quae, et alia exquisita dispendia, populum, quem, divinae dispensationis arbitrium ipsius domini mei, ac nostro largiflue subegit dominio in tantum iam timoris aculeum deduxisse censeretur, quod ne dum mercimonia praticare assueti, sed etiam alii boni, graves, et orthodoxae fidei cul- a tores sine labe usurae vivere cupientes, vetentur huiusmodi causa praemissos contractus in ipsa ditione inire, mercimonia exercere, iustumque interesse cum sortis periculo interdum recipere, et consecutive ipsorum in publicum exhibere. Exinde superest, quod pecuniae ipsius ditionis marsupiis abdicatae, aut absque exercitio inutiliter constipatae servantur, seu ad provincias exteras deferuntur, attenuantur ex hoc licita rerum commercia, et novae vetitae, et perdampnosae patriae gabantiarum, cambiorum simulataeque aeris, grani, licoris, specierum, pannorum, et aliorum, quae numero, pondere, et mensura complectuntur venditiones sine sortis periculo prodeuntes, trimestraeque retorculationes de usura usuram patientes, etiam fictitiae b confessiones sortem mutui excedentes suscitantur, et totaliter extolluntur. Quod ipsa ditio, quam eidem domino nostro, nobisque reipublicae expedit habere opulentam, ex hiis discriminibus exhausta redditur per advenas, et exteros gabanciatores, qui tamen eiusdem ditionis nostrae onera minime supportant, et pia caritatis opera, utpote pontium, hospitalium, et basilicarum non substentant, quae etiam basilicae, et hospitalia in suarum expositione pecuniarum iniustum interesse percipere non formidant. Nos igitur tantis ditionis ipsius domini mei detrimentis, quae enixa mente referimus, malorum lacerati, illisque, prout a supremo bonorum omnium collatore nostri praesidii humera honusta sunt, opportune providere, licitapermittendo, illi- c cita vero repellendo, accurate desiderantes; praemissa, tam Consiliorum citra, quam ultra montes residentium, almaeque universitatis studii Thaurinensis, complurium aliorum sacrorum, et civilium sanctionum expertorum, facimus solerti, et congrua deliberatione inscrutari, et gradatim illorum deliberationem imitantes, participatoque consilio praelatorum, baronum, procerum, et peritorum, ac caeterorum circumspectione trium statuum ditionis ipsius domini mei, quos merito in arduis instituendis evocavimus, deque iussu, consilio, et assensu memorati domini mei, ad laudem Dei omnipotentis, cuius in illis, et aliis praesagium suppliciter evocamus, ortodoxaeque fidei, a cuius iussibus nequaquam deviare intendimus, exaltationem, d facinorum propulsionem, bonorum conservationem, reique publicae augmentum pro ipso domino meo, nobisque, et nostris haeredibus, et successoribus universis, in vim generalis, perpetui, et irrevocabilis edicti, accersitis etiam tabellionibus publicis secretariis nostris subscriptis, more publicarum personarum, ad opus, quorum interest, et in futurum interesse poterit recipientibus, et solempniter stipulantibus per expressa, et intollerabilia ipsius ditionis detrimenta, prout seriatim duximus providendum, statuendumque, et ordinandum.

De exercentibus contractus illicitos sine sortis periculo, et cabantias.

In primis, ut dolositatibus, et versuciis usurariorum, cabanciatorum, corratariorum, et baratorum, et consimilium obviare, somptesque ab imsomptibus discernere valeamus, hoc salubri generalique edicto statuimus, quod omnes cabancias, et consimilia, sine sortis periculo, per simulatas venditiones, seu emptiones aeris, grani, liquoris, panni, ferri, specierum, aut aliarum rerum, effigie, vel contractum paliatione in ditione dicti domini mei agentes, ne dum respectu bonorum mobilium, nominum, et creditorum post mortem rigori ipsius consuetudinis subiaceant, sed etiam in vita, ultra alias poenas sacris sanctionibus promulgatas, in duplo male ablatorum, primo tamen sufficienter probatorum, nostro fiscali aerario teneantur, et nichilominus dampna passis ad ipsorum repetitionem male extortorum libere semper experiundi actio agnoscantur.

De fraudulentis mutuatoribus, et recarculatoribus.

Item, eisdem poenarum aculeis subiacere decernimus fraudulentos mutuatores, nimirum plus in suis debitis nominum, et creditorum, confessionibus pariter, et conditionibus, quam veraciter concedant, apponentes; et etiam dolosos recarculatores, qui, non expectato anni exitu, per trimensem ante alia temporum intervalla in annum recalculare, et de usura usuram facere non verentur. Quas fraudulentas tam de pluri confessiones, quam recalculationes sufficienter detractas decernimus, cum de reali, et totali mutui traditione, augmentatione debiti in recalculatione per astantes testes lumen non constiterit, vel alias sufficienter non detectum fuerit.

De dolosis venditoribus victualibus, et emptoribus.

Item, non minori demerito censemus eisdem laqueis invadendos dolosos victualium emptores, illorumque fraudem detegi, dum legiptime apparebit empta victualia de tercio denario minus fuisse empta, vel alias venundata quam communiter valerent in loco, et tempore contractae venditionis.

De fictibus non excedentibus sex in anno pro centenario.

Caeterum, ne praedicta consuetudo aliquorum versutiis in abusum deducatur, huius salutiferi edicti sanctione profitemur, ditionis ipsius domini mei incolas, habitatores, et alios quoscumque subditos pecunias suas tam pro praeterito, quam pro futuro in licitis contractibus exponentes, scilicet in emptionibus praediorum, pensionumque annualium, et aliorum effectu similium, etiam cum retracto, seu pacto de retrovendendo temporaliter, vel per-

a petuo, secundum veras ipsorum conscientias pro iustis, et propriis pretiis, et annuis pensionibus, seu reditibus non recipient, solitique, et communis valoris annui proventus, rationem videlicet sex in annum pro centenario non excedant, nequaquam debere a praetacta consuetudine post mortem, nec in vita artari, neque ipsius consuetudinis vigore illorum immobilia nominari, et credita inventarizari, vel alias quomodolibet impediri, quousque de excessu non modico huiusmodi ratione per veridicam informationem ex specifica commissione dicti domini mei, aut nostra, non alias indebite sumendam, prius legiptime constiterit; sic etiam volumus ea non prius inventarizari, vel alias quomodolibet impediri.

b In caeteris capitulis suprascriptis, in singulis tantum causis, quibus supra, legiptime probati excessus, iubemus istam consuetudinem servari, sed nihilominus absque calumpnia, et morosa dilatione non excedisse post ponentem, et probare volentem ad haec iudice exaudiri.

De licitis mercatoribus.

Item, hac eadem edicti sanctione tueri volumus, et gaudere ipsos ditionis dicti domini mei subditos, et alios quoslibet incolas, qui pecunias suas ad usus mercimoniorum, aut aliorum licitorum contractuum cum sortis periculo tradiderint, et eorum, iusto interesse, secundum eorum conscientiam, pro-
c venientia lucra perceperint, aut in illorum perceptione pro concurrente rata consortes fuerint.

Item, ut falcem nostram in messem alienam apponere non videamur, hoc eodem edicto profitemur praedictae consuetudinis hortacioni non subesse huiusmodi ditionis ipsius domini mei subditos, habitatores, et incolas, pro contractibus tamen ultra extra ipsam ditionem initis, et in futurum quomodocumque ineundis.

Item, prout congruit rationi, huiusmodi edicti serie prohibemus quoscumque ipsius ditionis incolas, per nos edita non excedentes, aliqua infamiae *iuga* notari, seu etiam alieno quovis examine, praetextu associationis alienae, censurae vexari.

d *Quod in talibus contractibus illicitis non possit allegari consuetudo.*

Item, quod praetextu alicuius actus, contractus unius, aut plurium, factorum, vel fiendorum imposterum quandocumque, non possit allegari, vel praetendi consuetudo, aut derogatio ulla ad hunc nostrum edictum, nec aliquam partem eiusdem.

Haec enim statutis generalis Sabaudiae reformationis adiungere censemus, et illis circa ea derogamus, promittimusque, et committimus, bona fide nostra, stipulantibus quibus supra, huiusmodi nostrum edictum in omnibus, et singulis partibus observare volumus, et mandamus per quoscumque officiarios fideles, et subditos ipsius domini mei,

et nostros modernos, et posteros mediatos, et immediatos in omnibus, et per omnia teneri, attendi, et inconcusse observari, non obstantibus quibusvis consuetudinibus, usibus, privilegiis, et aliis quibuscumque in contrarium facientibus, quibus omnibus derogamus, et derogatum esse volumus per praesentes. Decernentes ex nunc, prout ex tunc irritum, et inane, quod secus attemptari contigerit sub harum testimonio literarum. Datum Thononi, die decimatertia februarii, anno domini millesimo quatercentesimo trigesimo septimo.

Per dominum principem, praesentibus dominis
Io. domino Bellifortis, cancelario
H. Bastardo de Sabaudia
H. Bastardo Achayae, marescalo Sabaudiae
R. domino Codreae
Guigone de Raverta
Urbano Cereserii
Anthonio de Draconibus
Guliermo Bolomerii, et
Bartholomeo Chabodi, thesaurario Sabaudiae.

Confirmatio proxime praecedentium literarum facta per praelibatum illustrem dominum Ludovicum ducem Sabaudiae de anno Domini MCCCCXLI, *die nona augusti.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, comes Pedemontium, et Baugiaci, Valentinensisque, et Diensis. Dilectis Consilio ultra montes residenti, nec non gubernatoribus, vicariis, potestatibus, iudicibus, castellanis, procuratoribus, commissariis, ac ceteris officiariis fidelibus, et subditis praesentibus, et futuris ubilibet ultra montes constitutis, ad quos spectat, et praesentes pervenerint, seu ipsorum locatenentibus salutem. Visis literis nostris, quarum copia praesentibus est annexa, necnon statutis, ordinationibusque, et capitulis per nos maxima cum deliberatione in vim perpetui edicti factis, et promulgatis, quos merito per quoscumque nobis tam mediate, quam immediate subditos teneri, et inconcusse observari volumus; vobis hoc ideo, ac vestrum singulis, quantum ad eum spectat, districte praecipimus, et mandamus, sub poena centum librarum fortium, per quemlibet ipsorum officiariorum quotiens contrafecerit committenda, et nobis irremissibiliter applicanda, quatenus ipsas literas nostras, necnon praedicta statuta, ordinationes, et capitula in omnibus, et per omnia teneatis, attendatis, et per quoscumque nobis tam mediate, quam immediate subditos teneri, attendi, et inconcusse observari faciatis; nec ipsos, quotiens casus ingesserit, contra ipsarum formam literarum conveniatis, aut alias quomodolibet molestetis; sic quod illarum debitae observationis defectu, neutri supersit iusta occasio conquerendi: et hoc absque alterius expectatione mandati, in quantum dicta poena vos formidatis affligi. Datum Gebennae, die nona mensis augusti, anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo primo.

Per dominum, praesentibus dominis
P. episcopo Belicensi
Petro Marchiandi, cancellario Sabaudiae
Io. domino Chautagne
Amedeo de Chalando
Francisco de Tomatis
Bartholomeo Chabodi
Anthonio de Draconibus, praesidente
Guliermo Bolomerii, magistro requestarum
Guigone Gerbasii
Iohanne de Costis
Marineto Arnaudi
Iacobo Rosseti, iudice Chablaysii
Anthonio Bolomerii, et
Ugoneto Vesperis, thesaurario Sabaudiae.

(XXIV)

Literae illustris domini domini Ludovici ducis Sabaudiae, quod Iudaei non possint capere pro usuris, nisi unum denarium viannensem pro quolibet floreno, et pro qualibet ebdomada, nec possint computare nisi semel in anno, et non possint facere usuras de usuris.

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, comes Pedemontium, et Baugiaci, Valentinensisque, et Diensis, ac Niciae, et Vercellarum dominus. Universis serie praesentium fiat manifestum, quod cum pro parte dilectorum fidelium nostrorum, tam nobilium, quam Communitatum, et populorum, et incolarum totius patriae nostrae ultramontanae contra Iudaeos sub ditione nostra ultramontana commorantes variae insurrexerunt querelae super eo, quod ipsi Iudaei ultra solitum usurariam pravitatem exercentes, ne dum usuras exigunt immoderatas, sed, et saepissime usurarios contractus de usuris facere non verentur, ac sub velamine mercantiae grani, bladi, et aliarum rerum fraudes fraudibus adiicere dignoscuntur. Ex quibus tam nefandis delictis quamplures ex subditis nostris, et pauperiem vehementem incurrunt, intollerabiliaque detrimenta passi sunt, et dicta oculate patiuntur. Et propterea ad nostri conspectum suos solempnes destinaverunt ambasiatores, qui ipsorum nobilium, Communitatum, et incolarum parte nobis humiliter supplicarunt, ut super praemissis, pro utilitate ipsius patriae, et subditorum eiusdem opportune providere, dictosque Iudaeos circa praedictas usuras ad debitam moderationem reducere dignaremur. Quorum supplicationi, veluti rationi consonae, favore benivolo inclinati, affectantes itaque ipsos nobiles, Communitatesque, et subditos patriae nostrae, quos in servitiis nostris iugiter novimus obsequiosos, a talibus extorsionibus indebitis praeservare, et eos assidue, sicut decet, conservare, recordantes ipsos Iu-

daeos etiam de, et super praemissis inordinatis usuris, et extorsionibus maxima cum deliberatione Consilii nostri nobiscum residentis ad debitam moderationem reduxisse, prout in capitulo ex literis nostris, Iudaeis super hoc concessis, datis Lausanae die XXVIII mensis aprilis, anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo, et per dilectum fidelem secretarium nostrum Vincentium de Ruppe signatis, extracto latius continetur, et cuius quidem capituli tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis. *a*

Verumtamen nos dampnosa dispendia eorumdem subditorum nostrorum extirpare quaerentes, lucraque ipsorum Iudaeorum ad hoc ita limitare, disponentes quod eisdem Iudaeis competens utilitas, et subditis nostris fructuosa indempnitas evenire *b* poterit, certisque aliis laudabilibus moti considerationibus de, et super praemissis, prout infra, duximus providendum; videlicet quod ipsos Iudaeos utriusque sexus modo nullo liceat aliquibus personis amodo in antea suas pecunias mutuo concedere, seu pro illis exigere ultra rationem lucri unius denarii viannensis in qualibet ebdomada pro singulo floreno, et non alias, neque ultra, nec suos debitores ex nunc fiendos artare ad computandum, nisi dumtaxat semel in anno, aut infra pro rata si debitor citius persolvere velit; cavendo tamen, quod nullatenus de usuris, et lucro huiusmodi alias usuras, vel unquam respectu dicti debiti facere debeant, aut praesumant, nec concessiones fraudulentas unus alteri quomodolibet agere; quodque of- *c* ficiarii nostri ipsos Iudaeos huiusmodi limitationem nostram non transgredientes, illorumque haeredes ratione usurariorum contractuum aliqualiter tam in vita, quam in morte molestare non possint.

Ecce quod nos huiusmodi capitula eisdem supplicantibus inconcusse observari volentes, harum serie committimus, et mandamus Consilio ultramontes residenti, necnon gabellatoribus, vicariis, potestatibus, iudicibus, castellanis, commissariis, ac caeteris officiariis nostris ubilibet ultra montes constitutis, praesentibusque, et futuris, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet ipsorum, quatenus praedictum capitulum superius insertum, ac contenta in eodem, in omnibus, et per omnia per ipsos Iudaeos utriusque sexus tam praesentes, quam futuros ubilibet *d* sub ditione nostra ultramontana commorantes teneri, attendi, et inconcusse observari faciant; ipsum capitulum locis, et moribus talia fieri solitis publicando, ne quis praetextu ignorantiae se valeat excusare, eisdemque Iudaeis publice inhibendo, quibus tenore praesentium inhibemus, sub poena quinquaginta librarum fortium per quemlibet ipsorum, quotiens contrafecerit, committenda, irremissibiliter applicanda, ne ipsius capituli formam, et limitationem excedere audeant quomodolibet, vel praesumant, sed capitulum ipsum inconcusse observent, observareque teneantur, et debeant, nullo alio a nobis expectato mandato. Datum Gebennae, die nona mensis Augusti, anno Domini MCCCC quadragesimo primo.

Per dominum, praesentibus
P. episcopo Belicensi
P. Marchiandi, cancellario
Io. domino Chautagne
Amedeo de Chalandio
Francisco de Thomatis
Bartholomeo Chabodi, praesidente
Guliermo Bolomerii, magistro requestarum
Anthonio de Draconibus, praesidente Gebennensi
Guigone Gerbaysii
Iohanne de Costis
Marineto Arnaudi
Iacobo Rosseti, iudice Chablaysii
Anthonio Bolomerii, et
Hugoneto Vesperis, thesaurario Sabaudiae.

(XXV)

Sequuntur rubricae lyae privilegiorum, et franchisiarum civitatis Thaurini: et primo (1).

Instrumentum authentici confoederationis, et lyae inter illustrem dominum Manfredum Marchionem Salutiarum, filium quondam illustris domini Bonifacii cum Communitate, et hominibus Thaurini, de anno Domini MCCXXII, die quinta mensis iulii.

Authenticum confoederationis, et lyae factum inter dominum comitem Delphinum cum Communitate, et hominibus Thaurini, de anno domini MCCXXVII, die XXVII aprilis.

Instrumentum venditionis, remissionis, et quitacionis dimidiae partis gabellae salis, et casanae, factum per illustrem dominum dominum Philippum de Sabaudia Communitati Thaurini pro libris XV bonorum turonensium, de anno Domini MCCCXXX, die XVII mensis iunii.

Literae illustrissimi domini Philippi de Sabaudia principis Achayae observantiae praedictorum pactorum, et conventionum in proxime praecedenti instrumento contentorum, de anno Domini MCCCXXX, die XXIX augusti.

Literae illustris domini Amedei comitis Sabaudiae, et ducis, confirmatoriae praedictorum instrumenti, et literae proxime praecedentium pro gabella salis Communitatis Thaurini, datae die XIIII mensis aprilis, anno Domini MCCCLX.

Instrumentum cassationis, et annullationis gabellae ludi factum per illustrem dominum Philippum de Sabaudia comitem, de anno Domini MCCC, die sexta mensis decembris.

Instrumentum remissionis, sive cassationis gabellae salis, factum per illustrem dominum Ludovicum,

(1) Lectorem meminisse optamus nos nihil immutantes in exscribendo codice manuscripto, ad cuius fidem haec editio redigitur, hoc loco retulisse documenta, quae rectae chronologiae ratio non aliter ac rerum gravitas, initio libri collocare suadebant.

de anno Domini MCCCCXLI, die nona mensis augusti. a

Concessio multarum franchisiarum facta civitati Thaurini per illustrem dominum dominum Amedeum comitem Sabaudiae, et ducem Chablaysii cum literis confirmatoriis, de anno Domini MCCCLXI, indicione terciadecima, die octava mensis octobris etc.; quod privilegium dicitur *Cavaletum* propter sigillum cavaleto, quo est sigillatum, et continet capitula XXXVII.

Literae illustris domini Amedei comitis Sabaudiae, mandatoriae hominibus, et Communitati Thaurini, sicut remisit, et in feudum donavit illustri domino Iacobo de Sabaudia castra ad civitatem Thaurini, et quod praefatum illustrem dominum Iacobum acceptent in verum, et legiptimum prin- b
cipem, et dominum, de anno Domini MCCCLXIII, die VII augusti.

Ratificatio facta per illustrem dominum Amedeum de Sabaudia fratrem illustris domini Iacobi capitulorum, et franchisiarum civitatis Thaurini, de anno Domini MCCCCLXIII.

Transumptum literarum illustris domini Amedei de Sabaudia confirmantium privilegia, et indulta per praelibatum dominum Amedeum de Sabaudia concessa et confirmata per illustrem dominum Iacobum de Sabaudia, de anno MCCCLXXVIII, die octava mensis martii.

Aliae literae confirmationis subscriptorum privilegiorum, et franchisiarum civitatis Thaurini, datae per illustrem dominum Amedeum de Sabaudia c
in Thaurino, de anno Domini MCCCLXVIII, die XXX mensis iunii.

Literae illustris domini domini Ludovici de Sabaudia principis Achayae confirmantes privilegia, franchisias, immunitates, et libertates concessa, et concessas per illustres quondam bonae, et inclitae memoriae comites, et principes Sabaudiae, et Achayae civitati Thaurini supra descriptis, de anno Domini MCCCCII, die penultima mensis maii; et etiam fidelitatis factae per Communitatis Thaurini sindicos, de anno MCCCCII.

Literae confirmationis et approbationis suprascriptorum privilegiorum, et franchisiarum, ac immunitatum factae per illustrem dominum dominum Amedeum ducem etc. Sabaudiae, Communitati, d
et hominibus Thaurini, de anno MCCCCXIX.

Transumptum confirmationum praedictarum franchisiarum concessarum, de anno Domini MCCCCXXIIII, die prima mensis iulii etc. Cum literis illustris domini domini Amedei de Sabaudia etc.

Literae confirmationis privilegiorum, et franchisiarum Cavaleti cum ipso privilegio Cavaleti annexarum, datae per illustrem dominum dominum Amedeum ducem Sabaudiae, de anno Domini MCCCCLXV, die XXIX martii.

Aliae literae illustris domini Amedei comitis Sabaudiae pro observantia franchisiarum, et privilegiorum civitatis Thaurini datae Lancey de anno Domini MCCCLI, die XIX octobris.

Literae illustris domini Amedei comitis Sabaudiae cassationis capituli antiqui scripti in libro capitulorum civitatis Thaurini, sub rubrica *de corrigendo capitula per dominum*, de anno Domini MCCCLX, die XXIII martii.

Literae illustris domini comitis Sabaudiae Amedei, quod omnes possessiones existentes in finibus Thaurini, et etiam in ipsa civitate sint obligatae ad solvendas taleas, et onera dictae civitatis, nec aliquo modo possint alienari in personas privilegiatas. Datae Thaurini die penultima iulii, anno Domini MCCCLXVI.

Literae compulsoriae districtualium, et vassallorum Communitatis Thaurini super solutione taxi, concessae per illustrem dominum Amedeum de Sabaudia, de anno Domini MCCCLXXVIII, die XV mensis februarii.

Absolutoria quorumdam delictorum commissorum per Communitatem Thaurini, tam in ayrali de Grassis, quam in Montecalerio, concessa per illustrem dominum Amedeum de Sabaudia, principem Achayae, de anno domini millesimo tercentesimo octuagesimo quarto, die tercia aprilis in Ripolis.

Privilegium Papale pontis Padi civitatis Thaurini concessum per sanctissimum papam Martinum, datum Thaurini, IIII kalendas octobris, pontificatus sui anno primo.

Aliud privilegium sanctissimi papae Martini concessum Communitati Thaurini ad constructionem pontis Padi dictae civitatis Thaurini, anno primo pontificatus sui.

Instrumentum fidelitatis factae per Communitatem Thaurini illustri domino domino Amedeo duci Sabaudiae, de anno Domini MCCCCXVIIII, die sexta decembris, cum literis dominicalibus.

Aliud instrumentum fidelitatis Communitatis, et hominum civitatis Thaurini factum de anno Domini MCCCCLXV, die undecima mensis februarii.

Ratificatio proxime praecedentis instrumenti fidelitatis Communitatis, et hominum civitatis Thaurini, facta per illustrem, et excelsum principem dominum dominum Amedeum ducem Sabaudiae, de anno Domini MCCCCLXV, die XXIX martii.

Franchisia concessa per illustrem dominum Ludovicum de Sabaudia, principem Pedemontium Communitati, et hominibus civitatis Thaurini, quod nullus officialis possit procedere contra ipsos cives, et incolas dictae civitatis per viam inquisitionis, nisi instante parte, exceptis casibus, de quibus infra; de anno Domini MCCCCXXXV, die octava februarii.

Sententia lata per magnificum Consilium cismontanum pro Communitate Thaurini contra Franciscum Borgexium civem Thaurini, de anno Domini MCCCCXXXVI, die quinta augusti.

Literae apostolicae, quod non possit ferri interdictum contra aliquas personas illustri domino nostro duci Sabaudiae subiectas pro aliquo debito pecuniario, datae de anno Domini MCCCCXXXVII.

Sententia scribandariae civitatis Thaurini lata per magnificum Consilium Thaurini residens, de anno Domini MCCCCXLVIII, die septima mensis novembris. a

Alia sententia scribandariae civitatis Thaurini super causa appellationis a sententia supra proxime lata, et confirmatoria proxime praecedentis sententiae, de anno Domini MCCCCXLIX, die XII mensis septembris latae per Consilium cum illustri domino duce residens.

Literae illustris domini domini ducis Ludovici Sabaudiae domini etc. confirmatoriae praedictarum duarum sententiarum proxime supra praecedentium, cum missione in possessionem medietatis dictae scribandariae civitatis Thaurini, de anno Domini MCCCCL, die XX maii. b

Multae franchisiae concessae, et indultae civitati, civibus, hominibus, ac habitatoribus dictae civitatis Thaurini super intrata vini: videlicet quod nullus civis, vel in ipsa civitate habitans, possit pro aliqua causa civili, vel criminali extrahi extra ipsam civitatem. Item, et de sindicatu vicarii, iudicis etc. et de aliis multis prout infra concessae per illustrem dominum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae etc. Datae Gebennae, anno Domini MCCCCLIIII, die vicesima mensis aprilis.

Concessio facta per illustrem dominum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae etc. de duabus bealeriis fiendis super finibus Thaurini tam in civitate, quam extra civitatem, de anno Domini c MCCCCLIIII, die XXIIII aprilis.

Literae illustris domini domini Ludovici ducis Sabaudiae, quod nullus clavarius possit post biennium bampni commissi, ipsum bampnum exigere, nisi prout infra. Datae Anesiaci, die penultima maii, anno Domini MCCCCLIIII.

Literae confoederationis, et lyae illustrissimi domini domini Ludovici ducis Sabaudiae factae, et contractae cum serenissimo Rege Franchorum, et ratificatae per ambasciatores Communitatis Thaurini de anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo sexto, die vicesima augusti.

Literae illustrissimi domini domini Ludovici ducis Sabaudiae assignationis trium millium florenorum magnifico domino Ludovico de Boleris solvendorum pro compositione praefecti praetorio, d una cum confessione ipsius praefati domini Ludovici de receptione immediate subsequenti, datae die decima nona martii, anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo nono.

Instrumentum confessionis, et quitacionis factae per magnificum dominum Ludovicum de Boleris Communitati Thaurini, de florenis quinque millibus pro praefecto praetorio, factum anno Domini MCCCCLX, die octava mensis februarii.

Literae illustrissimi domini domini Ludovici ducis Sabaudiae etc. concessionis praefecti praetorii, civibus, et Communitati Thaurini, de anno Domini MCCCCLIX, die quindecima mensis martii.

Privilegium Papale, videlicet quod aliquae domus existentes in civitate Thaurini subiectae ecclesiae ad censum non cadant in commissum, nisi per quinquennium cessationis solvere fictus, et facta per ipsos dominos ecclesiasticos trina interpellatione interpolatim, et per notarium. Datum de anno Domini MCCCC sexagesimo, pontificatus nostri (*videlicet Pii II*) anno secundo.

Sententia lata pro Communitate Thaurini contra nobiles Droxii, de anno Domini MCCCCLXI, indictione nona, et die XVII mensis maii per illustrem dominum dominum Ludovicum ducem etc. Sabaudiae.

Literae reintegrationis magnifici Consilii citra montes Thaurini residentis, concessae per illustrissimum dominum dominum Amedeum ducem etc. Sabaudiae, de anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo octavo, die vigesima secunda mensis augusti.

(XXV)

Sequuntur franchisiae speciales civitatis Thaurini. Et primo instrumentum confoederationis, et lyae, factum inter illustrem dominum Manfredum Marchionem Salutiarum, filium quondam domini Bonifacii, cum Communitate, et hominibus Thaurini, de anno Domini MCCXXII, *die quinta mensis iulii.*

Anno dominicae nativitatis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, die vigesima mensis aprilis, indictione XIIII. Actum in civitate Thaurini in domo Porcelorum, ubi ius redditur: praesentibus domino Manfredo Piola, milite vicarii Thaurini, Bertoloto Malamena, et Frederico Silvestro, notariis curiae Thaurini, testibus. Noverint universi praesentem cartam inspecturi, quod dominus Philippus Rogerii, iudex egregius curiae Thaurini ad petitionem, et instantiam Henrici Arpini, civis Thaurini, et sindici Communis, et hominum Thaurini, nomine ipsorum Communis, et hominum, auctoritate officii, quo fungebatur, praecepit mihi Octoni de Thaurino infrascripto notario, et officiali curiae Thaurini autenticari, exemplari, et in formam publicam redigi quoddam instrumentum sanum, integrum, non canzelatum, non corruptum, non abolitum, vel viciatum in aliqua sui parte, ut praesens exemplum, vim, et robur semper publici obtineat instrumenti; cuius tenor talis est.

(1) Anno dominicae nativitatis millesimo ducentesimo vigesimo secundo, die martis, quinto die intrantis

(1) Fragmentum huiusmodi pacti conventi, et foederis impressum legitur apud Muletti *Memorie storico-diplomatiche appartenenti alla città, ed ai Marchesi di Saluzzo*, tom. 2, pag. 237, qui illud exscripserat ex documento relato inter monumenta Aquensia edita a cl. Moriondo par. 2, col. 399.

Textus, quem hic exhibemus, longe perfectior, et absolutior caeteris est.

mensis iulii, indictione decima currente, et regnante Frederico imperatore, in finibus Testonae, prope hospitale Testonae coram domino Iacobo, Dei gratia Thaurinensis ecclesiae episcopo, et imperialis aulae vicario, ad haec suam interponente auctoritatem, et coram domino Aliprando Faba cive Brixiensi, Potestate Thaurini. Manfredus marchio de Salutiis, filius quondam Bonifacii de Salutiis, cum consensu, et voluntate dominae Alixiae aviae suae, uxoris quondam domini Manfredi marchionis de Saluciis, et cum consensu, et voluntate Gulliermi Constantie ipsius marchionis fidelis, et quamplurium aliorum suorum fidelium ibi existentium, iuravit ad sancta Dei evangelia, perpetuale habitaculum civitatis Thaurini, ita quod semper erit civis, et habitator Thaurini, et semper erit de Communi, et non de aliqua partium, quae sunt, vel forte fuerint in ipsa civitate; ita quod non movebit, vel faciet guerram contra Comitem Maurianensem, nec contra filios illius, nec contra aliquem hominem, vel locum, sine consensu infrascripti Potestatis nomine Communis stipulantis, vel alterius potestatis, vel consulum, qui pro tempore fuerint.

Item, quod iuvabit bona fide, et sine fraude Commune Thaurini, et ipsius Communis coadiutores cum tota sua terra, quam habet ipse marchio citra Tanarum, sive flumen Tanari, de omni guerra, sive bello, quod Commune Thaurini moveret, sive faceret contra aliquem hominem, et locum cum consensu illius marchionis, et de illa guerra praecipue, quae ipsi Communi foret iniuriose mota, dum ipsae guerrae durabunt, et specialiter de illa guerra, quam ipsi Thaurinenses habent contra Comitem Maurianensem, et filios, nec de illa guerra, vel guerris faciet treguam, nec pacem aliquam absque consensu, et voluntate Communis Thaurini, vel maioris partis credentiae ipsius civitatis.

Item addidit praesentialiter Manfredus marchio, sub eiusdem vinculo iuramenti, quod nullomodo faciet, nec fieri patietur aliquam parentelam, nec contractum matrimonii cum Thoma comite maurianensi, nec cum aliquo filiorum suorum sine voluntate, et consensu Potestatis, vel consulum, qui pro tempore erunt in Thaurino, vel maioris partis credentiae Thaurini.

Item, quod emet, sive comperabit intra muros civitatis Thaurini domum unam, vel domos pretio librarum centum bonorum scutorum veterum ad Consilium potestatis, vel maioris partis credentiae Thaurini usque ad festum sancti Michaëlis proximum, de quibus libris centum solvat taleam semper et impositionem, quando alii de civitate solvent, et quotiens solvent, secundum existimacionem aliorum de civitate, nec illam domum possit, vel debeat vendere, obligare, vel aliquo modo ullo tempore alienare.

Item, quod omni anno in perpetuum faciet sequelam, sive scuertam Potestatibus, et consulibus, qui pro tempore fuerint in dicta civitate, sicut caeteri cives de civitate praedicta, et faciet suos

a castellanos omnes, qui sunt, sive quos habet citra Tanarum, et alios ministros villarum cum duabus partibus hominum, quos habet, et habebit citra Tanarum, facere hoc idem omni anno bona fide incontinenti praefatis Potestati nomine Communis suprascripti, consilio, et voluntate sapientum illius civitatis, qui aderant, et receperant ipsum Manfredum in civem, et habitatorem Thaurini; investiendo ipsum nomine Communis de omnibus bonis moribus illius civitatis; promittendo insuper ipsum iuvare nomine Communis per se, et omnes suos successores, omni tempore, sicut aliquem ex suis civibus, et quod non faciet pacem, nec guerram cum Comite Maurianensi, nec cum filiis eius sine consensu illius Manfredi; de illa vero guerra, quam

b suprascriptus Manfredus inceperit sine consilio, consensu, et voluntate subscriptorum hominum de Thaurino, sive maioris partis credentiae ipsius civitatis non teneatur Potestas subscriptus, sive Commune Thaurini ipsum Manfredum iuvare, nec ipse Manfredus teneatur ipsum Commune Thaurini, nec suos coadiutores adiuvare de illa guerra, quam ipsi inciperent sine ipsius consilio, et consensu. Sed si mota esset illi Manfredo iniuriose, et ipsi invito, tunc simili modo teneatur Commune Thaurini ipsum iuvare, et e converso. Quae omnia sicut superius dicta sunt, et dictata, utraque pars alteri attendere, tenere, et inviolabiliter omni tempore observare promisit sub debito iuramento, et obligatione bonorum. Iura vero pedagiorum, et curiae rema-

c neant, et colligantur sicut ante. Acta sunt haec in loco iam dicto: fuerunt inde testes

Dominus Petrus de Madiis, plebanus de Publiciis
Dominus Martinus, canonicus Thaurini
Iohannes Canis
Iohannes Silus
Henrietus Bechutus
Vido de Plozasco
Gullielmus Carbonerus
Arducio Borgexius
Gullielmus Tortela de Bargiis
Ubertus Alex
Dominus Albertus Rantia, iudex Brixiensis, et alii multi; unde fiunt plures eiusdem tenoris cartae.

d Et ego magister Iacobus, imperiali auctoritate notarius, interfui vocatus, et hanc cartam, consensu, et voluntate, et praecepto partis utriusque praedictae, sicut supra dictum est, composui, complevi, et scripsi.

Et ego Otto dictus de Thaurino, notarius curiae Thaurini, authenticum huius praesentis exempli vidi, et legi sanum, integrum, non canzellatum, non corruptum, non abolitum, vel viciatum in aliqua sui parte, et auctoritate, et praecepto subscripti domini Philippi iudicis curiae praedictae exemplavi, et in publicam formam ut supra redigi, nichil plus, nichil minus in eo, quam in hoc exemplo erat scriptum, quod mutet in aliquo sensum, vel sententiam, et ideo me subscripsi, etc.

Anno dominicae nativitatis millesimo ducentesimo a septuagesimo primo, die vigesima mensis aprilis, indictione decima quarta. Actum in civitate Thaurini in domo Porcelorum, ubi ius redditur, praesentibus domino Manfredo Piola, milite vicarii Thaurini, Bertoloto Malamena, et Frederico Silvestro, notariis curiae Thaurini, testibus. Noverint universi praesentem cartam inspecturi, quod dominus Philippus Rogerius, iudex regius curiae Thaurini, ad postulationem, et instanciam Henrici Arpini civis thaurinensis, sindici Communis, et hominum de Thaurino, nomine ipsorum Communis, et hominum de Thaurino, auctoritate officii, quo fungebatur, praecepit mihi Ottoni de Thaurino authenticari, exemplari, et in publicam formam redigi quasdam literas redactas in formam publici instrumenti sani, b integri, non canzellati, non corrupti, non aboliti, vel vitiati in aliqua parte sui, ut praesens exemplum vim, et valorem obtineat semper publici instrumenti, quarum literarum tenor talis est (1).

Fredericus secundus, divina favente clementia, Romanorum imperator semper Augustus, et rex Siciliae in perpetuum. Cum de nostra voluntate processerit, et mandato, quod fideles nostri domini de Plozascho, et homines item de Bagnolio, Caburo, et de Bargiis, de Publiciis, de Scalengis, atque de valle Matii (2) fecerint in Thaurino eorum habitaculum, pacta et conventiones inter ipsos, et civitatem thaurinensem initas imperiali auctoritate, ex certa scientia, universaliter confirmamus, dantes licentiam, et plenariam libertatem universis imperii c nostri fidelibus, ut eamdem civitatem libere veniant habitare cum omnibus rebus suis sine conditione cuiusquam, seu eodem modo ibidem facere habitaculum, sicut fecerunt domini, et homines supradicti. Si quis autem huic paginae nostrae praesumpserit contraire in aliquo, praeter nostram indignationem, et iram, poenam mille marcharum auri persolvat, cuius medietas nobis applicetur, residua civitati praedictae, nullis literis, vel privilegiis impetratis, obstantibus, vel etiam impetrandis. Datae apud urbem, millesimo ducentesimo vigesimo octavo, kalendis decembris, indictione nona.

Ego Bonus Iohannes notarius de Marentino dictus huius exempli authenticum vidi, et legi, quod authenticum erat domini Friderici secundi Romano- d rum imperatoris sigillo communitum, et nichil in eius tenore plus, vel minus, quam in hoc exemplo, erat scriptum, unde rogatus me subscripsi.

Ego Ottus de Thaurino, dictus Ottus notarius huius exempli authenticum vidi, et legi, quod authenticum erat domini Frederici secundi Romanorum imperatoris sigillo communitum, et nichil in eius tenore plus, vel minus, quam in hoc exemplo, erat scriptum, unde rogatus me subscripsi.

Ego Iacobus Cornalia imperialis aulae notarius huius exempli authenticum vidi, et legi, in cuius tenore nichil plus, vel minus continebatur, quam in hoc exemplo, ideo subscripsi, et scripsi.

Ego Otto dictus de Thaurino notarius curiae Thaurini exemplum praedictarum literarum cum subscriptione praedictorum trium notariorum, olim civium Thaurini, legalium, et fide dignorum, vidi, et legi redactum in formam publici instrumenti, et illud ut supra de novo exemplavi auctoritate, et praecepto iudicis suprascripti, et nichil plus, vel minus in eius tenore continebatur, quam in hoc exemplo, et ideo signum meum apposui, etc.

(1) Imperialis haec constitutio loco declarationis posita videtur.

(2) *Vallis Macii* appellatur a Pingonio in *Augusta Taurinorum*, qui haec refert pag. 43.

(XXVII)

Authenticum confoederationis, et lyae factum inter dominum Comitem Delphinum cum Communitate, et hominibus Thaurini, de anno Domini MCCXXVII.

Anno dominicae nativitatis millesimo ducentesimo septuagesimo primo, die lunae XXVII mensis aprilis, indictione XIIII. actum Thaurini in palacio episcopali, praesentibus venerabili in Christo patre, et domino G. divina providentia episcopo Thaurini, domino Iohanne Polegio iudice, et Henrico Bolia notario, testibus. Dominus Philippus Rogerius iudex, et assessor curiae civitatis Thaurini, ad instantiam, et postulationem dominorum Uberti Silii, archidiaconi thaurinensis, et Henrici Arpini, praeceptum fuit mihi notario infrascripto, quod instrumentum infrascriptum debeam authenticare, et in formam publici redigere instrumenti, ut vim de caetero obtineat instrumenti publici, et valorem: cuius instrumenti tenor talis est:

Anno dominicae nativitatis MCCXXVII, die iovis, XIII die mensis iulii, indictione prima. In nomine Domini nostri Iesu Christi, et beatae Mariae Virginis, et beati Iohannis Baptistae, et beati Petri Apostoli, et aliorum omnium Sanctorum Dei. Hic est tenor, et forma fraternitatis, societatis, et amicitiae contractae per dominum Andream comitem, Delphinum Viennensem, et Albonensem pro se, et eius filiis haeredibus, atque eius omnibus descendentibus, baronibus, atque omnibus aliis eius, et eorum hominibus ex una parte, et Ruffinum Vasche civem Alexandriae, Potestatem thaurinensis civitatis, et Pinerolii; nomine et vice Communis civitatis Thaurini, et ecclesiae eiusdem civitatis, et nomine Communis, seu loci Pinerolii, et non i e et vice Communis, seu loci Testonae, atque Plozaschi, Bagnoli, et Bargiarum ex altera parte; videlicet quod dictus dominus Comes, et eius filii, et haeredes pariter, et eorum omnes descendentes erunt semper de caetero cives, et habitatores aeternaliter civitatis Thaurini, et erunt Testonae, et Pinerolii habitatores secundum tenorem inferius diffinitum, in praedicta namque civitate Thaurini domum optimam (1), et sibi convenientem, usque ad diem Do-

(1) Quantam vim veteres nostrates tribuerint conventionibus istiusmodi, quae *habitaculum*, et *citaynaticum* continebant, medii aevi legum studiosis notissimum est; de harum concessionum effectu egimus in libro *Storia dell'antica legislazione del Piemonte*, pag. 173.

mini nativitatis praedictae proxime venturum; pro *a*
pretio marcharum centum argenti puri, praescriptus dominus Comes Delphinus emere, et habere promisit. Quae domus nullo tempore ab ipso domino Comite, vel eius haeredibus, vel descendentibus possit, vel valeat vendi, vel in feudum dari, seu aliquo alio modo vel ingenio alienari, nec a se, vel eius descendentibus separari, salvis pedagiis hinc hactenus inde dari consuetis; ita tamen, quod nullum pedagium novum, nec ulla exactio nova de caetero possit imponi, vel capi hinc inde ab hominibus, seu pro hominibus, vel eorum rebus, qui sunt praedictae societatis sine consensu utriusque partis.

Item, quod idem dominus Delphinus, et eius pariter omnes descendentes, seu haeredes simul, et eius barones, et mestrales, et alii sui homines *b*
universi teneantur, et cum effectu debeant prohibere semper Ianuensibus, Astensibus, atque Cheriensibus, et omnibus aliis pariter inimicis Thaurinensium, et aliorum praedictorum locorum, ne faciant transitum in personis, nec in rebus per totam terram suam, vel etiam per aliquam eius partem, vel districtum suum, vel poderium, vel hominum suorum, nisi fecerint transitum per civitatem Thaurini, et per locum Pinerolii, et Testonae, et tunc dominus episcopus thaurinensis possit capere in Testona pedagium, quod apud Montosolum capere consuevit; hoc dicto, et addito in eodem praesenti capitulo stratae prohibendae, quod strata incedens per Pinerolium, eat postea per terram domini Comitis Delphini, dum discordia fuerit *c*
in Lombardia, donec stratae Lombardiae redigantur in pristinam formam. Et haec, quae dicta sunt de prohibitione a domino Delphino facienda, intelligantur, postquam ei per duos menses denunciatum fuerit a Thaurinensibus, vel ab aliis locorum praenominatorum. Rursus, quod idem dominus Delphinus Comes, et pariter eius descendentes, et eius barones, et castellani, et mestrales, et omnes alii homines eius districtus vetabunt, et relaxabunt omnes *transitus* grani, vini, salis, et generaliter omnium aliarum rerum victualium specialiter Comiti Sabaudiae, et eius filiis descendentibus, et omnibus hominibus, quibus Thaurinenses, vel alia loca communia praedicta, quae sunt, vel fuerunt de parte Thaurinensium, vetare postulaverint vel relaxari, secun- *d*
dum quod de eorum fuerint voluntate, praeterquam ei, vel eius descendentibus per octo dies Thaurinensibus, vel ab aliis locorum Communibus praedictis fuerit denunciatum. Praeterea, quod idem dominus Comes Delphinus, et eius filii, atque haeredes, et descendentes cum omnibus suis aliis hominibus, baronibus, castellanis, et maystralibus, et universaliter cum omnibus suis aliis hominibus, suae terrae, atque districtus, et poderii aeternaliter, et perpetualiter totis viribus cum equis, et armis erit, et erunt cum Communi civitatis Thaurini, atque aliorum praedictorum locorum pro pace, et tregua, ac guerra facienda de terra sua ultramontana ad voluntatem potestatis, seu consulum, vel rectoris Communis civitatis Thaurini, et aliorum praedictorum locorum omnibus hominibus, loco, vel locis, civitati, vel civitatibus, et specialiter Comiti Sabaudiae, et eius filiis, et eorum descendentibus, et terrae, atque hominibus eius, et omnibus aliis hominibus, et locorum Communibus, quibus civitas, vel Commune, et ecclesia Thaurinensis, et monasterium Pinerolii (1), et aliorum locorum praedictorum Communia, unum, vel omnia, guerram, pacem, treguam fecerint, quam guerram facere teneantur, et incipere cum effectu ad ignem, et sanguinem de tota terra sua, bona fide, postquam ei fuerit requisitum per duos menses ab uno, vel pluribus praedictorum locorum Communi, vel eius, seu eorum certis nuntiis; et quod ipse dominus Delphinus Comes, eiusque descendentes, atque barones, castellani, et mestrales, aliique eius homines non facient pacem, treguam, possam, vel guerram vetitam ex ipsis guerris sine parabola, consensu, et voluntate praedictae civitatis, et aliorum Communium praedictorum, et ecclesiarum dictarum superius.

Item, teneatur dominus Delphinus, eiusque filii haeredes, descendentes statim bona fide, facta ei, vel eis denuntiatione, dare, et mittere Thaurinensibus, et aliorum locorum praedictorum Communibus in Lombardiam, et ubicumque voluerint, usque in Astensium civitatem viginti milites cum mille peditibus bene armatis, aut quinquaginta milites cum equis armatis in electione Thaurinensium bis in anno in servicium eorum, et auxilium, et eos facere ibi morari suis sumptibus qualibet vice per mensem unum, et hoc tam ad offensionem inimicorum Thaurinensium, et aliorum praedictorum locorum, quam ad defensionem eorumdem; quae mora unius mensis praedicti intelligatur a die motionis ipsorum, usque ad diem, qua domum redierint.

Item, teneatur idem dominus Delphinus Comes, eiusque haeredes, et descendentes per se, et omnes barones, et homines suos ab omnibus hominibus, et e contra omnes homines salvare, manutenere, defendere tam in personis, quam in rebus, Thaurinenses, et omnes praedictorum locorum homines ubique pro omni posse suo, et quod faciet nullam societatem, vel coniurationem, promissionem, vel aliud amicitiae vinculum sub aliquo modo, vel ingenio, cum aliquibus locis, vel personis in Lombardiam, et specialiter cum Comite Sabaudiae, vel eius descendentibus, nec cum Comite de Provincia, vel eius descendentibus, cum quo Comite, sive cum quibus Comitibus, vel eorum descendentibus nullum etiam matrimonium, vel affinitatem aliquam, vel amicitiae copulam ipse dominus Delphinus, vel eius descendentes contrahere possit, vel possint, nec etiam ultramontes cum aliquibus inimicis praedictorum locorum.

Item, teneatur praedictus dominus Delphinus, et omnes eius descendentes masculi, postquam per-

(1) *Monasterium* quia scilicet tunc temporis Monachi Ecclesiae sanctae Mariae Pinerolii ditionis potiti fuerant.

venerint ad pubertatem, seu aetatem quatuordecim *a* annorum, per se, et omnes barones suos, castellanos, et mestrales huius societatis, et habitaculi copiam in capite cuiuslibet quinquenii, si ab uno, vel ab omnibus praedictorum Communibus inde fuerit requisitus, vel requisiti, renovare, et cum iuramento firmare, et quod idem etiam faciet fieri suis hominibus, illis videlicet, qui in Thaurino, et aliorum praedictorum locorum Communium, ad hanc amicitiam retinendam utiles, et ydonei videbuntur.

Item, teneatur dictus dominus Delphinus in hac societate, fraternitate, amicitia, et coniuratione recipere, si Thaurinensium fuerit voluntas, Mediolanenses, Vercellenses, et Alexandrinos, et aliarum civitatum, vel locorum Communia, quae sunt de societate Lombardiae, singulariter, et uni- *b* versaliter, et eodem modo, et sub hoc eodem sacramento sit eis astrictus, et teneatur de illis, videlicet tantummodo de quibus praedictarum civitatum placuerit Thaurinensibus, et aliis praenominatis locis. Salva tamen eidem domino Comiti Delphino amicitia, quam ipse habet cum marchione Montisferrati; et hoc intelligatur solummodo quoad defensionem terrae ipsius marchionis, quam modo possidet in praesenti. Versa vice praedictus dominus Ruffinus Vaschus Alexandriae civis, et Potestas civitatis Thaurini, et Pinerolii, nomine, et vice Communis Thaurini, et Pinerolii, Testonae, Plozaschi, Bagnoli, et Bargiarum, de consensu etiam, et voluntate credentiae Thaurini, Pinerolii, et Testonae, promisit vetare, et prohibere omnibus inimi- *c* cis praedicti domini Delphini, qui sunt vel erunt pro temporibus, ut transitum faciant per poderium civitatis Thaurini, vel aliorum praedictorum locorum, si de praedicti domini Delphini fuerit voluntate, praeterquam per duos menses a praedicto domino Delphino, eiusque descendentibus, vel eorum certis nuntiis fuerit requisitus potestas, vel rectores praenominatorum locorum, qui nunc est, vel pro tempore fuerint.

Item, promisit dictus dominus Ruffinus, vice et nomine civitatis Thaurini, et omnium aliorum praedictorum locorum, et districtuum, vetare, et prohibere omnem negotiationem, et copiam grani, vini, et salis, et omnium aliorum victualium omnibus hominibus, vel locis, et specialiter Comiti Sabau- *d* diae, et eius filiis, eorumque descendentibus, et omnibus de terra sua, praeterquam per octo dies ei, vel eis a praedicto domino Delphino, vel eius descendentibus, vel eorum certis nuntiis fuerit denunciatum.

Item, promisit idem dominus Ruffinus, nomine, et praecepto Communium saepe dictorum locorum, quod eorumdem locorum Communia, et omnes alii homines eorum terrae, et eorum poderii, et districtus perpetualiter, et aeternaliter totis viribus cum equis, et armis erunt cum domino Comite Delphino, eiusque descendentibus pro pace, et tregua, ac guerra facienda ad voluntatem ipsius domini Comitis Delphini, eiusque descendentium omnibus hominibus, loco, vel locis, civitati, vel civitatibus, et specialiter Comiti Sabaudiae, et haeredibus eius, et eorum descendentibus, vel quibus praelibatus dominus Comes Delphinus guerram, pacem, vel treguam fecerint. Quam guerram facere teneantur praedicta Communia, et eorum rectores cum effectu, ad ignem et sanguinem in Lombardia bona fide de eorum domibus, et de eorum terra; et quod ipse dominus Ruffinus Potestas, et Communia praedictorum locorum, vel rectores, qui pro tempore erunt, non facient pacem, possam, treguam, vel guerram, recreutam, postquam ei requisitum fuerit a praedicto domino Delphino, vel ab aliquo eius descendentium per duos menses statim bona fide, facta denuntiatione a suprascripto Delphino, vel eius descendentibus, vel eorum certis nuntiis.

Item, promisit dictus dominus Ruffinus Vaschus, nomine praedictorum locorum, et Communium, dare, et mittere in succursum, et auxilium hominum, et terrae praedicti domini Delphini, illorum videlicet hominum, quos homines, et quam terram ipse Comes habet versus Lombardiam a Collo Altareti citra, viginti milites cum mille peditibus bene armatis bis in anno, et tunc qualibet vice, per mensem unum teneantur ibi moram facere eorum expensis, si eidem domino Delphino opus, et necessarium fuerit. Quae mora unius mensis sit ita, et eodem modo, quo supra dictum est de militibus, et peditibus, quos praedictus dominus Delphinus dare, et mittere debet Thaurinensibus, et aliorum praedictorum locorum Communibus in Lombardiam. Rursus promisit idem dominus Ruffinus Potestas, nomine praedictorum Communium, quod homines, et Communia praedictorum locorum salvabunt, defendent, et manutenebunt personam domini Comitis Delphini, et eius filiorum descendentium, et omnes homines suos tam in personis, quam in rebus ubique pro omni posse suo, et quod praedicta Communia, sive homines praedictorum locorum nullo tempore facient societatem, promissionem, vel coniurationem, vel amicitiae vinculum ultra montes sub aliquo modo, vel ingenio cum aliquibus locis, vel personis, et specialiter cum Comite Sabaudiae, et filiis, eorumque descendentibus, sine parabola, et consensu domini Comitis Delphini, et eius descendentium. Praeterea idem dominus Ruffinus Potestas, subscripto nomine promisit, quod praedictorum locorum Communium ponet, et poni faciet in statutis praedictorum locorum, quod Potestas, sive rectores, qui pro tempore fuerint teneantur dictam concordiam, et ea, quae infrascripta, et suprascripta sunt attendere, et observare omni tempore, nec in aliquo contravenire, et quod facient iurare sequentem Potestatem, vel rectores, qui pro temporibus fuerint, haec item attendere, et observare, et singulis annis, et hoc statutum aliquo tempore non mutare: versa vice teneatur dictus dominus Delphinus Comes, eiusque descendentes facere iurare omnes suos castellanos, vel mestrales semper, quando mutabun-

tur, omnia praedicta attendere, et observare, et *a* specialiter guerram facere pro Thaurinensibus, et hominibus praedictorum locorum.

Item, quod faciet, quod domina Ducissa, et domina Comitissa praedicta omnia attendent, et observabunt. Haec omnia, sicut superius denotata sunt, praedictus dominus Delphinus Comes, sub obligatione omnium bonorum suorum, atque hominum suorum, per se, et haeredes suos, aeternaliter, et integraliter attendere, et observare per Dei evangelia manu propria promisit, et iuravit praedicto domino Ruffino Vascho potestati Thaurini, et Pinerolii recipienti nomine ad partem Thaurini, et omnium aliorum praedictorum locorum; promisit insuper idem dominus Delphinus Comes, sub eorum iuramento, et obligatione rerum suarum, et *b* suorum hominum, praedicto potestati nomine, et ad partem suprascriptorum locorum recipienti, et stipulanti se daturum, et praestaturum nomine poenae cuilibet Communi praedictorum locorum in solidum, cui contravenerit mille marchas argenti puri per se, et suos, si ipse, vel eius haeredes in aliquo contrafacerent, vel venirent; ita quod res suae, et suorum hominum ab hominibus, et aliorum praedictorum locorum Communium pro praedicta poena possint ubique capi, et detineri, et pro expensis, et pro praedicta poena petenda factis; praedicto contractu, et conventionibus omnibus praedictis nichilominus in sua firmitate aeternaliter remanentibus. Renuntiando dictus dominus Comes Delphinus sub eodem sacramento, ne possit *c* dicere, vel obiicere ipse, vel eius haeredes praedictum contractum, vel praedictas pactiones illicitas esse, vel contra se, vel eius haeredes, vel leges, bonos mores inductas fore, et omnibus aliis exceptionibus, et legum auxiliis, vel decretorum suffragiis, quibus ipse, vel eius haeredes se tueri possent: versa vice in omnibus, et per omnia promisit, et iuravit praedictus dominus Ruffinus Vaschus potestas Thaurini, et Pinerolii nomine Thaurini, et aliorum, et praedictorum locorum, et Communium praedicto domino Delphino Comiti, et eius descendentibus, quod si Thaurinenses, et alia praedicta loca omnes contravenerint, omnes praedictam poenam communiter solvere teneantur eidem domino Delphino, et eius descendentibus, in *d* omnibus, et per omnia, cum dampnis, et expensis, in infrascripto sicut capitulo continetur, solvere teneatur; ita etiam, quod res praedictorum Communium, sive praedicti Communis, videlicet quando contravenerint ab ipso domino Delphino, et eius descendentibus ubique pro praedicta poena possint capi, et detineri; et haec omnia praelibatus dominus Ruffinus Vaschus potestas Thaurini, et Pineyrolii, nomine Communium praedictorum locorum, promisit, et iuravit attendere, et observare voluntate, et praecepto praedictorum Communium, salvis iuramentis, et conventionibus, quibus dicta Communia tenentur Mediolanensibus, Vercellensibus, et Alexandrinis, et societati Lombardiae, Marchae, et Romagnae, et salvis ex parte Testonae praedictis locis, et specialiter dominus de Braya, et Montaldi, et Summae Ripae de Perno, et quod possint defendere Astenses si voluerint in eorum terra, quae est eorum propria, et quam tenent in eorum episcopatu, videlicet ultra Padum.

Item additum est consensu utriusque partis, quod si aliqua discordia, quam Deus advertat, inter praedictum dominum comitem Delphinum, vel eius descendentes, vel eius homines, et Thaurinenses, et aliorum praedictorum locorum Communia de praedictis conventionibus non observatis, vel etiam super aliis aliquibus controversiis oriretur, vel appareret, quod dictus dominus Delphinus comes, et praedicta Communia debeant eligere duos homines saeculares, vel religiosos, unum ex qualibet parte, qui dictam discordiam debeant sopire, et determinare, et utraque pars dicto eorum stare. Inter se etiam convenerunt dictae partes, quod si aliquod lucrum fieret citra montes a Thaurinensibus, et aliorum praedictorum locorum Communibus in aliqua cavalcata, ubi gentes domini Delphini interessent, quod tercia pars lucri debeat esse domini Delphini comitis, reliquae vero duae partes praedictorum locorum, et Communium. Versa vice si dictus dominus Delphinus faceret lucrum aliquod in aliqua cavalcata, ubi gentes Thaurini, vel praedictorum locorum Communium interessent, quod tercia pars ipsius lucri foret hominum Thaurini, et praedictorum locorum, et duae partes domini Delphini comitis. Insuper consensu partis utriusque est stabilitum, quod omnia quae ad robur, et firmitatem huius amicitiae, et societatis retinendam, et firmam habendam, et eius contractum firmum habendum in iure reperiuntur, vel dici, vel excogitari possunt, quod valida sint ad praedicti contractus corroborationem pro cauto, et expresso habeantur, ita etiam, quod si aliquid additum, vel diminutum fuerit praedictis de consilio, et voluntate utriusque partis, de addito utraque pars teneatur, de diminuto sint absoluti, et de omnibus praedictis, quae in huius instrumenti serie definita videntur promissa, et ordinata a praedictis domino Delphino comite, et domino Ruffino Vascho potestate Thaurini, et Pinerolii eiusdem tenoris instrumenta plura a me infrascripto notario fieri iubentur, praesentibus ibidem de baronibus praedicti domini Delphini comitis, domino Berluno de Castronovo, domino Guigone, Richardo de Alano, domino Ysoardo Biamondo de Blangono, domino Uberto Axuno. Praeter hos viros praedictos fuerunt ibi de hominibus comitis nominati Guygo Casellus, ac Martinus Carbonellus, qui omnes singulariter singuli manu propria ad sancta Dei evangelia iuraverunt ibidem totius praedicti contractus ratum, et firmum tenere, et habere tenorem superius distinctum. Acta sunt haec in prato quodam, quod est in villa, seu loco, quod dicitur a la Peyrosa.

Interfuerunt dominus

Ugo praepositus Sancti Andreae Gracionc Politani

Lanternus de Miolano, capellanus praescripti domini Delphini
Dominus Oddo Alamannus
Dominus Guydo, et
Dominus Fraylinus de Plozascho
Dominus Gulliermus Zucha, et
Dominus Bertolotus Arpinus
Dominus Otto Gebennensis
Dominus Petrus Alexandrinus
Dominus Guydo Beccutus
Dominus Iacobus de Ruere
Dominus Iohannes Silius
Dominus Rogerius Arpinus, cives Thaurinenses,
Idem dominus Ardicio, qui dicitur Bersator de Pinerolio
Isoardus eius filius
Petrus de Raconixio
Droetus de Domino
Uberto de Valle Sancti Martini
Gullielmus de Turre
Reynardus civis Alexandrinus
Iordanus de Trupharello
Iohannes de Servalfri ambo de Testona
Iacobus de Salvazot, et plures alii ad hoc vocati, et rogati testes etc.

Ego Bartholomeus aulae imperialis, et Communis Thaurini notarius de Semberga dictus ad hoc, sive hiis praedictis interfui, et praecepto suprascriptorum domini Delphini comitis, et domini Ruffini Vaschi potestatis Thaurini, et Pinerolii hanc cartam composui, et scripsi etc.

Ego Henricus Inquinat aulae imperialis notarius originale huius exempli vidi, legi, et exemplavi nihil addens, vel minuens, quam in hoc exemplo continebatur, praeter punctum, virgulam, vel sillabam, et me subscripsi.

Ego Nicoletus Alamannus curiae Thaurinensis notarius hiis interfui, qui tenorem praedicti instramenti de mandato domini Philippi Rogerii iudicis curiae Thaurinensis ad instantiam, et postulationem domini Uberti Silii archidiaconi Thaurinensis, et Henrici Arpini authenticavi, et exemplavi, et in formam publicam redegi instrumenti, nichil addito, vel diminuto, quod mutet sensum, vel sententiam contractus, praeter forte punctum, sillabam, vel virgulam, quae non mutant contractus substantiam, utque vim perpetuo instrumenti publici obtineat, et valorem, et ideo me subscripsi, et signum meum apposui etc.

Expliciunt duo authentica duorum instrumentorum confoederationis, lyae, ac societatis initae unum inter dominum Delphinum comitem, aliud inter dominum Marchionem Salutiarum cum civibus, et hominibus civitatis Thaurini, Pinerolii, Testonae, Plozaschi, Bagnoli, et Bargiarum.

a *Instrumentum venditionis, remissionis, et quitacionis dimidiae partis gabellae salis, et casanae factae per illustrem dominum dominum Philippum de Sabaudia Communitati Thaurini pro libris* XV *bonorum turonensium, de anno* MCCCXXX *etc. et continet capitula* XVIII.

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo, indictione decima tercia, die decima septima mensis iunii, praesentibus infrascriptis. Quoniam ad libertatis commoda naturaliter conditio aspirat humana, et a servitutis nexibus quaerit, et satagit, nec immerito, quasi continue liberari, idcirco prudentes viri consiliarii, et credendarii civitatis
b Thaurini, quorum nomina inferius describuntur, congregati more solito, et loco consueto ad infrascripta specialiter peragenda, consensu, et auctoritate dominorum Bonifacii de Scalengis vicarii, et Iacobi de la Turre iudicis civitatis Thaurini, facto et obtento partito, ut moris est, nemine ipsorum credendariorum discrepante, considerantes quod, licet dudum inter illustrem, et magnificum virum dominum Philippum de Sabaudia principem Achayae, dominumque civitatis praedictae ex una parte, et Commune, et universitatem Thaurini ex alia parte, pro bono, et utilitate partium earumdem fuerit remota, et cassata, ac anullata gabella ludi in dicta civitate, ex qua, seu ex eius venditione idem dominus princeps annuum commodum reportabat,
c quamvis hominibus civitatis eiusdem multa incommoda, et grandia dispendia sequerentur, fuerintque levatae, et ordinatae in ipsa civitate una gabella salis, et una casana praesti, quorum commodi medietas pro excontro dictae gabellae ludi ipsi domino principi fuerit assignata, ita quod ad ipsum, et eius haeredes pro tempore medietas pleno iure perpetuo pertineret sub pactis, et conventionibus circa hoc factis, et apertius denotatis in quodam publico instrumento inde facto manu Iohannis Lunati civis Thaurini, notarii publici, currente MCCC, indictione XIII, die mercurii VI decembris; tamen quia experientia docuit, quod ex ordinatione, et promissione dictarum gabellae salis, et casanae praestiti quaedam in civitate praedicta
d servitutis species videbantur induci, et quod ipsa promissio facta ad bonum, et pro bono dicti Communis tendebat ad noxam, praefatus quondam dominus princeps per se, suosque haeredes, et successores, et alios quoscumque, vel ab eis causam habentes, vel habituros in praemissis, vel infrascriptis, et circa, mediante persona Francisci Nasaporis, clerici, et procuratoris, et procuratorio nomine ipsius, habentis super hiis expressum, et speciale mandatum, ut patet per publicum instrumentum factum manu Francisci Rochae de Ypporegia, anno praesenti, die nona mensis iunii praesentis ex una parte, et consiliarii, et credendarii inferius nominati, eorum nominibus, ac vice, et nomine Communis, et universitatis ci-

vitatis Thaurini praedictis per se, et eorum haeredes, et successores ex alia parte, super praemissis, et circa, contraxerunt, pepigerunt, et convenerunt, et ad invicem solempniter firmaverunt, diligenti tamen, et matura deliberatione, ac diligenti tractatu praehabitis, prout, et secundum quod inferius describitur, et apertius continetur. Primo namque praefatus Franciscus procurator, et procuratorio nomine ipsius domini principis fecit praedictis credendariis praesentibus, et recipientibus nominibus quibus supra, et michi notario infrascripto stipulanti vice, et nomine dicti Communis, et omnium, et singulorum quorum interest, vel intererit, uti publicae personae, venditionem, et cessionem ex causa venditionis, et quitacionis, omnimodam remissionem, et illud quod melius de iure, vel de facto esset, et intelligi potuit ad opus dicti Communis, et medietatem dictarum gabellae, et casanae praestiti praedicto domino principi pertinentem, et omnibus, et singulis iuribus, et rationibus, actionibus, goldiis, redditibus, gabellagio, pensionibus, et obventionibus quibuscumque eidem domino principi, vel eius successoribus competentibus, et competituris, seu etiam pertinentibus, vel pertinere valentibus, quovis iure, modo, conditione, occasione, vel causa in supradictis gabella salis, et casana praestiti, et super ipsis, vel ipsarum occasione. Hoc acto per pactum specialiter expressum, quod amodo in antea Commune, et universitas civitatis Thaurini praedictae praedictas gabellam salis, et casanam praestiti integraliter, et in solidum habeat, et de ipsis, et qualibet ipsarum faciet, ordinet, et disponat ad voluntatem ipsius Communis, vel universitatis, solvendo tamen pretium, seu censum inferius denotatum dicto domino principi, et successoribus eius, pacto Secundini salvo manente, ut infra, et remanente firmo statuto civitatis Thaurini loquente, quod in Thaurino perpetuo ludi non possit. Quod quidem statutum de non ludendo vigore praesentis conventionis perpetuam habeat roboris firmitatem.

Item firmatum pactum, actumque extitit, et conventum, quod quaelibet persona, undecumque sit, possit, et ei licitum sit deferre, et deferri facere salem ad civitatem Thaurini, et intra ipsam civitatem in quanta quantitate voluerit, sine et absque solutione alicuius gabellagii, et absque qualibet alia exactione, vel exactionis impositione, onere, vel impedimento. Solvendo tamen extra civitatem, et fines Thaurini alia pedagia, usagia consueta, videlicet quae nunc de praesenti solvuntur, et solvendo per forenses, et intra civitatem Thaurini de ipso sale debitam curtam iuxta morem consuetum.

Item, quod quaelibet persona habitans intra dictam civitatem, seu in suburbio dictae civitatis Thaurini, et non extra muros, et suburbia ipsius civitatis, possit et ei licitum sit habere, et tenere salem intra muros tantum dictae civitatis, et non extra, in quanta quantitate voluerint, et poterint, et de ipso sale facere tenere, et exercere, ac exerceri
a facere gabellam et gabellas, seu stacionem, vel staciones, et ipsum salem vendere, donare, et distrahere ad grossum, vel minutum ad eius liberam voluntatem, prout, et sicut videbitur ei expedire, salvo reservato, et exceptato, quod aliqua persona, quae non sit civis eiusdem civitatis, vel quae ibi non habitet cum foco, et catena, et quae ibi non subeat onera realia, et personalia dictae civitatis, et quemadmodum alii cives dictae civitatis faciunt, et facient in futurum, non possit, nec debeat salem habere, et tenere intra dictam civitatem, nec stacionem, seu gabellam aliquam salis intra dictam civitatem, suburbia, vel districtum per se, vel submissam personam, quocumque modo, causa, vel ingenio, nec aliquo colore quaesito sub poena solidorum LX pro qua-
b libet emina, et sub poena amissionis salis. Et quilibet bonae famae de ipsis possit accusare, et eius sacramento credatur, habendo terciam partem bampni, et salis praedictorum; salvo, et reservato, quod mercatores, et veyturales, et aliae personae forenses deferentes salem ad civitatem praedictam, vel deferre volentes, possint ipsum salem tenere, et habere intra dictam civitatem per spacium decem dierum absque alicuius poenae incursione, dum tamen ipsum salem non vendant, vel alio modo distrahant minutim. Et intelligatur minutim facta distractio, si facta fuerit in minore quantitate unius eminae.

Item, quod omnes ducentes, et deferentes, aut deferri, vel duci facientes salem per fines, et ter-
c ritorium civitatis Thaurini, et ultra ipsam civitatem per rectitudinem ipsius civitatis, per terram, seu per aquam, seu per fines, et territoria Collegii, et Alpignani, vallis Turris, et vallis Sancti Egidii, solvant, et solvere teneantur ad opus, et utilitatem dicti Communis pro gabellagio denarios sex viannenses pro qualibet emina salis; de emina vero infra nichil teneantur gabellatoribus, seu collectoribus gabellagii in civitate Thaurini deputandis; et hoc sub poena, et bampno solidorum sexaginta pro qualibet emina, et sub poena amissionis salis, navium, currus, bestiarum; et quilibet bonae famae possit accusare contrafacientes, vel committentes in praemissis, et ei credatur cum iuramento, et habeat terciam partem bampni, et re-
d rum commissarum.

Item, quod in locis Carignani, et Montiscalerii, seu in eorum finibus, vel territoriis non possit nec debeat per ipsum dominum principem, nec eius successores, nec etiam per universitatem dictorum locorum, vel aliquam aliam personam capi, exigi, vel levari aliquod gabellagium, pedagium, mala tolta, vel alia quaevis exactio, quocumque nomine censeatur, ultra, et praeter pedagia, et usagia levari, vel accipi consueta temporibus retroactis, seu quae in praesenti tempore levantur. Et quod ipse dominus princeps non patiatur, nec eius haeredes levari, vel exigi ab aliquibus aliquod pedagium, vel malamtoltam, seu quamvis aliam exactionem, praeter pedagia consueta, ut supra, deferentibus, seu de-

ferri facientibus salem versus civitatem Thaurini, [a] seu versus loca praedicta Collegii, Alpignani, vallis Turris, et Villaenovae, et Sancti Egidii, per terram, vel per aquam.

Item inter partes praedictas actum extitit, et conventum, quod si contigerit in loco, seu finibus, et territorio Gaxini, dioecesis Thaurinensis fieri, ordinari, vel levari aliquam gabellam salis, seu pedagium, vel gabellagium, seu quamvis aliam exaexactionem super sale, quae conducetur, vel deferetur per poderium, et territorium Gaxini, providebitur, et ordinabitur cum effectu per ipsum dominum principem, vel eius successores quod pro qualibet emina salis, quam per posse, et territorium Gaxini deferri contingat, solventur pro gabellagio per deferentes ipsum salem denarios octo [b] viannenses. Salvo quod deferentes salem per territorium Gaxini, per terram, vel per aquam, qui veniant ad civitatem Thaurini, vel poderium Thaurini, non teneantur solvere dictos denarios octo, sed libere transeant, solvendo, prout faciunt in praesenti. Et hoc ideo actum extitit, et conventum, ne deferentes salem habeant causam, vel materiam ipsum salem potius deferendi per territorium, et locum Gaxini, veniendo versus Cherium, quam per civitatem Thaurini praedictam.

Item, quod quocumque tempore tam pacis, quam guerrae, et categni (1), seu treguae, gabellatores super hoc Thaurini deputandi super facto dicti gabellagii, seu gabellae, eorumque nuncii possint impune, et sine metu bampni dicti domini principis, aut vi- [c] carii, vel alterius personae, ire, et redire ad loca quaecumque pro negociis dicti gabellagii salvi, et securi, tam in aere, quam in personis.

Item, quod quaelibet persona undecumque sit, et quae venire voluerit ad civitatem Thaurini, seu transire per fines, et territorium eiusdem civitatis, seu etiam per fines, et territorium dictorum locorum pro sale emendo, vendendo, vel ducendo, possit venire, stare, vel redire in civitate praedicta, et per praedicta loca, et baroniam dicti domini principis, salva, et secura in aere, et persona, non obstantibus aliquibus cambiis, seu repraesaliis vel guerris hinc retro alicui concessis, vel de caetero concedendis inimicis, et bampnitis dicti domini principis dumtaxat exceptis. [d]

Item, quod quotienscumque fiat aliqua cavalcata, exercitus, vel corvata per dominum principem, vel eius haeredes, vel eorum nuncios per homines Thaurini, seu ipsius hominibus, semper duo gabellatores dicti gabellagii cum uno masnengo, sine poena, et bampno valeant remanere, salvo pro succursu terrae dicti domini principis.

Item, quod dicti gabellatores, et eorum nuntii, et quaelibet alia persona de Thaurino possint capere in locis praedictis, et ducere Thaurinum quamcumque personam, seu quascumque personas facientes contra ordinamenta praedicta, et infrascripta, et bestias, et salem, quas ducerent, vel portarent absque licencia alicuius iudicis, vicarii, vel rectorum civitatis praedictae; et habeant terciam partem, qui eos capient, banni et rerum commissarum, iuxta modum superius memoratum; dum tamen res, et personas sic captas, vel arrestatas, ut supra praesentaverint rectoribus civitatis Thaurini, et facta cognitione per iudicem ipsius civitatis, quam summarie de hiis facere teneatur, et incontinenti pars dicti banni, et rerum commissarum pertinens, et quae pertinebit dictis accusatoribus, seu captoribus ipsorum contrafacientium, eisdem absque morae dispendio tradatur, et expediatur.

Item, circa factum dictae casanae convenerunt expresse, quod per aliquam personam, quae non sit civis civitatis, et ibi non stet, et habitet, et subeat onera realia, et personalia dictae civitatis, non possit, nec debeat per se, vel per submissam personam, publice, vel occulte teneri, exerceri, vel fieri aliqua casana praestiti, nec in ipsa civitate finibus, vel districtu ipsius civitatis talis persona praestare, vel mutuare possit super pignoribus mobilibus, sub poena, et banno florenorum ducentorum auri, cuius poenae tercia pars perveniat pleno iure accusatori, aliae duae partes ad dominum principem. Quam poenam, et bamnum integraliter vicarius, et iudex, qui nunc sunt, et pro tempore fuerint in ipsa civitate, teneantur excutere, et exigere, et ipsa poena commissa, et exacta nichilominus praesens capitulum, et pactum in suo robore, et firmitate permaneant.

Hoc etiam acto, quod praefatus dominus princeps, vel successores ipsius non possint ullomodo dare, vel concedere licentiam alicui contra mentem, vel verba huius praesentis capituli, vel pacti, aliquo etiam colore quaesito; et si data fuerit, ipso iure, et facto sit nulla, et nullius censeatur penitus firmitatis. Cives autem dictae civitatis ibidem habitantes cum foco, et catena in ipsa civitate, et onera realia, et personalia subeuntes possint, et eis licitum sit praestare, et mutuare sub pignoribus, et alias, prout eis videbitur expedire.

Item convenerunt, quod si Secundinus Falet de Ast, et eius socii, qui habent, et tenent casanam praestiti in Thaurino voluerint ipsam casanam expeditam dimittere Communi Thaurini ante terminum, vel tempus, usque ad quod ipsam casanam accensaverint a dicto domino principe, quod in hoc casu ipsi casanarii de medietate illius censivae, quam medietatem praestabant, et dare tenebantur annuatim ipsi domino principi, quod ipsa casana, una cum medietate pertinente ad dictum Commune, respondeant Communi Thaurini, et ipsam sibi solvant sicut domino principi, et eidem Communi solvere *tenebantur* usque ad tempus praedictum. Et si eidem domino principi satisfecissent in toto, vel in parte de ipsa annuali censiva, pro rata temporis diminuatur de pensione, seu censu annuo librarum xv turonensium grossorum inferius denotato

(1) *Categni* legitur in codice. — Vocabulum incertum nisi pro *categio*, armorum specie, sumeres.

praestando ipsi domino per dictum Commune, et ex a nunc prout ex tunc, usque ad quantitatem concurrentem sit facta compensatio. Insuper pro pretio, et nomine pretii, ac pro censu rerum, et iurium, pactionum, et conventionum venditarum, et venditorum, remissarum, et remissorum, cessarum, et cessorum, initarum, et initorum inter partes praedictas, ut supra, praedicti itaque consiliarii, credendarii, et quilibet ipsorum in solidum, eorum propriis nominibus, et quibus supra, promiserunt, et convenerunt per solempnem stipulationem, et sub obligatione bonorum suorum, et dicti Communis, dampnorum, expensarum, et interesse restitutione dicto Francisco, et michi notario Martino infrascripto stipulanti, et recipienti nominibus supradictis, et ad opus dicti domini principis eius- b que haeredum, et successorum, dare, et solvere in pace, et sine lite, vel aliqua controversia, et sine aliqua exceptione iuris, vel facti praedicto domino principi, eiusque heredibus, et successoribus eius perpetuo annuatim; incipiendo primam solutionem anno MCCCCXXXI in kalendis, seu in principio mensis octobris, et sic de anno in annum libras XV boni turonensis grossi boni argenti lyae de O rotondo. Praeterea procurator praedictus dicto nomine, ad omnium praedictorum praemissorum, et infrascriptorum maiorem roboris firmitatem, promisit solempniter, et convenit dictis credendariis, et michi notario infrascripto stipulanti nominibus supradictis, ad sacra Dei evangelia iuramento, tactis corporaliter scripturis, et in animam dicti domini c principis, ac sub obligatione omnium bonorum dicti domini principis, dampnorum, expensarum, et interesse restitutione, quod ipse dominus dominus princeps, eiusque successores, et ab eo, vel ab eis causam habentes, vel habituri perpetuo firma, et rata habebunt, et tenebunt omnia, et singula in hoc contractu contenta, et scripta, et contra ipsa, vel aliquod ipsorum perpetuo non contrafacient, vel venient quocumque modo, vel causa praedicta. Quae iura vendita, seu remissa, ut supra ipsi, Communi Thaurini ab omni persona, collegio, et universitate varantibunt, et manutenebunt, expedient, et defendent omni exceptione remota, eorum propriis sumptibus, et expensis, et omni denunciandi necessitate remissa. Per pactum hoc etiam actum, d quod ipse dominus princeps, et eius successores curent, et facient cum effectu, quod omnes officiales ipsorum, qui nunc sunt in civitate Thaurini, et qui pro tempore fuerint, iurent, et iurare debeant ad sancta Dei evangelia corporaliter tacta, si inde fuerint requisiti ex parte dicti Communis, attendere, et observare omnia, et singula in hoc contractu scripta. Addito quidem, et expresse promisso, quod ipse dominus princeps, et eius haeredes, seu officiales ipsorum, vel alter eorumdem non possit, nec debeat dare, nec concedere *licentiam*, vel parabolam de praedictis, vel contra praedicta, vel de aliquo contra aliquod praedictorum, et si data fuerit non valeat ipso iure, et nichilominus rata, et firma permaneant omnia, et singula supradicta. Sane actum fuit etiam expresse et conventum inter partes praedictas, quod omnes haeredes, et successores dicti domini principis, et etiam ipse dominus princeps teneantur approbare, et ratificare, cum iuramento ab eis corporaliter praestando, infra octo dies, quotienscumque a parte dicti Communis inde fuerint requisiti, cum dicto iuramento promittere perpetuo, et inviolabiliter attendere, et observare omnia, et singula in hoc contractu scripta, sive contenta; et versa vice, quod omnes consiliarii, et credendarii civitatis praedictae, qui nunc sunt, et fuerint per tempora, quam primum inde a parte dicti domini principis, vel eius haeredum fuerint requisiti, infra decem dies cum cautela, et solempnitatibus, et iuramentis se obligent, et obligare teneantur versus dictum dominum principem, vel eius haeredes ad observantiam, et solutionem omnium praemissorum iuxta formam praedictam, et ad praedicta compelli possint poenis, et bampnis. Pacto apposito inter ipsas partes expresso, quod credendarii, qui nunc sunt, et pro tempore fuerint, possint, finito termino solutionis faciendae annis singulis, ut supra, personaliter detineri per officiales Thaurini in loco ipsius credentiae, communiter, vel divisim usque ad perfectam, et integram solutionem dictarum librarum XV turonensium ut supra, tali modo, quod de praedictis omnibus, et singulis suprascriptis, et infrascriptis fiat, et ex nunc prout ex tunc factum intelligatur per ipsos credendarios cum auctoritate, et consensu dictorum dominorum vicarii, et iudicis capitulum, sive ordinamentum truncum, et praecisum ponendum in libris capitulorum civitatis Thaurini, inviolabiliter observandum. Quibus sic pactis ut supra, dictae partes interim promiserunt, et solempniter iuraverunt corporaliter ad Sancta Dei evangelia se omnia, et singula suprascripta vera esse et perpetuo firma, et rata habere, et tenere, et non contrafacere, vel venire aliqua ratione, vel causa, de iure, vel de facto, sub obligationibus, et iuramentis superius memoratis, renuntiando ipsae partes exceptioni dictarum conventionum, promissionum, et obligationum non factarum ut supra, ac exceptioni doli mali, in factum, condictioni sine causa, vel ex iniusta causa, et omni alii exceptioni, et iuribus, quibus mediantibus possent contrafacere, vel venire contra praedicta, vel aliquod praedictorum. Nomina vero dictorum credendariorum, qui praesentes fuerunt ad omnia praedicta, et singula suprascripta facienda, peragenda, et ipsa fecerunt, et peregerunt, sunt haec: Raynerius Bechutus, Iohannes Bechutus, Petrus Prandi, Stephanus Aynardi, dominus Anthonius Arpinus, dominus Anthonius Zatellus, Iohannes Lunatus, Petrus Brachus, Beneytinus Mola, Mathaeus Tavanus, Anthonius Tavanus, Anthonius Mozius, Raynerius Fyagius, Henricus Zapa, Carosinus Calosanus, dominus Vietus Testa, Henricus de Testa, Anthonius de Raymaudo, Bastonus Sillus, dominus Fran-

ciscus Cagnatius, Vala Marentinus, Petrus de Ca- a vaglato, dominus Gulliermus de Altesano, dominus Iohannes de Pado, Thomas Folchi, Thomas Mantellus, Bonifacius Zucha, Aymo Floris, Peretus Marentinus, Iacobinus Mazochus, Mathaeus de Cavaglato, Iohannes Capra, Petrus de Pertusio, Francischus de la Nota, Raynerius Zucha, Iohannes Pistagnus, Iacobus Ferrandus, Nicolinus de Crovexio, Bertolinus Tinctor, Pilizonus Pilizoni, Iohannes Mascherus, et Ardizonus Dadinus. Et de praedictis omnibus, et singulis praeceptum fuit michi notario infrascripto, et Odoneto Cornaglae notario publico, scribaeque curiae civitatis Thaurini per partes praedictas fieri unum, et plura instrumenta eiusdem formae, et tenoris, semel, et pluries si opus fuerint. Acta sunt haec in civitate Thaurini super pa- b lacio dicti Communis, in maiori credentia civitatis praedictae ibidem congregata, praesentibus discreto viro domino Augustino de Mediis Barbis, iudice, et consiliario dicti domini principis

Operto de Opertis, de Fossano

Bueto, et Florino, nuntiis curiae civitatis Thaurini, testibus ad haec specialiter vocatis, et rogatis etc.

Ego Martinus Borelli de Secuxia, publicus imperiali auctoritate notarius, praedictis omnibus et singulis interfui, et de expresso mandato partium praedictarum hoc praesens publicum instrumentum tradidi, et scripsi, et in testimonium praemissorum me subscripsi, et signum meum solitum apposui etc. c

In Christi nomine amen. Anno, et indictione antedictis, die XIX augusti ad instanciam, et requisitionem mei notarii infrascripti requirentis, recipientis, et stipulantis tamquam publicae personae, nomine, et vice Communis, et universitatis civitatis Thaurini; magnificus vir dominus Philippus de Sabaudia, princeps Achayae, dominusque civitatis Thaurini, intellecto instrumento suprascripto, et ipsius serie ac tenore coram se diligenter recitato et vulgarizato, et omnibus et singulis hiis, quae in ipso continebantur, ex certa scientia, et non errore aliquo, confirmavit, ratificavit, et approbavit dictum contractum, et omnia, et singula, quae in dicto continentur; et ipsa omnia, et singula promisit solempniter pro se, et heredibus, et d successoribus eius, aut habentibus causam ab eis, attendere, et observare, et attendi, et observari facere omnia, et singula cum effectu, nec aliquo tempore contrafacere, nec contrafacienti consentire sub obligatione omnium bonorum suorum, et restitutione dampnorum, expensarum, et interesse; ac etiam ipse dominus princeps iuravit ad sancta Dei evangelia, corporaliter tactis scripturis, attendere, et observare omnia, et singula in ipso contractu contenta, et scripta, et ipsorum quodlibet; et nullo tempore contrafacere, vel venire per se, vel submissam personam, publice, vel occulte, vel alicui contrafacienti consentire quoquomodo; et inde idem dominus princeps praecepit michi Reviglono de Sancta Iulia notario infrascripto fieri publicum instrumentum.

Actum in castro Pinerolii, in camera Consilii eiusdem castri, praesentibus dominis

Augustino de Mediis Barbis

Iacobo de la Turre, iuris utriusque peritis Papiensib. et

Cardono de Lucerna, testibus vocatis, et rogatis.

Et ego Reviglonus de Sancta Iulia, publicus imperiali auctoritate notarius, praedictae confirmationi, et omnibus aliis in hoc praesenti instrumento contentis interfui, et de praecepto dicti domini principis hoc instrumentum in publicam formam redegi, et scripsi.

Literae illustris domini Philippi de Sabaudia, principis Achayae observationis praedictorum pactorum, et conventionum in proxime praecedenti instrumento contentorum, de anno Domini MCCCXXX, *die* XIX *augusti.*

Literae ad observationem capitulorum proxime praecedentium, videlicet gabellae salis etc.

Philippus de Sabaudia, princeps Achayae etc. Universis, et singulis castellanis, clavariis, et aliis officialibus nunc existentibus, et qui erunt per tempora in Collegio pro nobis, vel pro Lantelmono naturali nostro, et in Alpignano, Villanova, sancti Egidii, et vallis Turris salutem, et dilectionem sinceram. Cum iuxta formam, et tenorem quarumdam conventionum, et quorumdam pactorum nuper inter nos, seu procuratorem nostrum ex una parte, et Commune civitatis Thaurini, seu certos sapientes eiusdem loci, vice, et nomine ipsius civitatis ex alia parte initorum, et initarum colligi debeat, et possit de qualibet emina salis, quae duceretur, vel deferetur per praedicta loca, vel per eorum fines, vel territoria datium, gabellagium, sive pedagium denariorum sex viennensium, prout constat per publicum instrumentum inde factum manu Martini Borelli de Secuxia, notarii publici, anno Domini MCCCXXX, indictione XIII, die XVII mensis iunii. Idcirco volentes praedictas conventiones inviolabiliter, prout promisimus, observare, et etiam facere observari, vobis, et vestrum cuilibet praecipiendo mandamus, quatenus praedicto Communi, vel ab ipso causam habenti, vel habituro, praedictum gabellagium in dictis locis, et quolibet ipsorum colligere, seu colligi facere permittatis pacifice, et quiete, eisdemque in hac parte, circa exactionem, et recuperationem eiusdem gabellagii, favorem, et auxilium impendatis ab offendentibus, seu dictum salem portantibus, vel duci, seu portari facientibus, absque solutione gabellagii antedicti, poenas, et bampna contentas, et contenta in instrumento praedicto effectualiter exigentes, necnon taliter in praemissis agentes, quod praedictum Commune, vel eius nomine ad nos non habeat

super praemissis materiam recurrendi; in cuius rei testimonium praesentes iussimus nostri sigilli appensione muniri. Datum Pinerolii, die XIX augusti, anno Domini MCCCXXX.

Literae illustris domini Amedei comitis Sabaudiae, et ducis, confirmatoriae praedictorum instrumenti, et literae proxime praecedentium, pro gabella salis Communitati Thaurini etc. de anno Domini MCCCLX, *die* XIIII *mensis aprilis.*

Amedeus comes Sabaudiae, dux Chablaysii, et Augustae, et in Ytalia marchio etc. Dilecto capitaneo nostro Pedemontium salutem. Fideles cives nostri dilecti Thaurinenses exposuerunt nobis querelose, quod nonnulli convicini civitati gabellam salis, et alia tributa, quae ipsis nostris fidelibus solvere consueverunt, nunc solvere recusant, et renuunt illicitum impedimentum apponentes, petentes super hiis de remedio provideri. Quocirca et omnino volentes vobis praecipimus, et mandamus, quatenus omnes, et singulos dictam gabellam salis, et alia tributa eis debentes, et sibi solvi consueta compellatis efficaciter ad solvendam eisdem gabellam, et tributa praedicta, modo debito, quo poteritis fortiori, ipsos nostros cives in eorum iurium possessione de praedictis manutenentes, et debite defendentes in locis quibuscumque, sic quod in iuribus suis, et dreituriis absque causae cognitione non priventur. Datum Ripollis, die XIV mensis aprilis, anno Domini MCCCLX sub sigillo iudicaturae nostrae Sabaudiae, absente domino canzelario.

Per dominum, praesentibus dominis
Episcopo Thaurinensi
Gulliermo de Balma, et
Ludovico Ravoir.

(XXVIII)

Instrumentum cassationis, et anullationis gabellae ludi factum per illustrem dominum Philippum de Sabaudia comitem etc., de anno Domini MCCC, *et continet in effectu capitula* VI.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem currente MCCC, indictione XIII, die martis sexta mensis decembris coram me notario, et testibus infrascriptis. Cum per Commune, ac per sapientes civitatis Thaurini saepe et cum instantia fuerit exoratus, et requisitus illustris vir dominus Philippus de Sabaudia comes, ut ipse dignaretur, et vellet gabellam ludi Thaurini relaxare, remittere, et de caetero non habere pro eo quod omnes dictae gabellae sunt, et fieri consueverunt, et homines ad multa illicita promoventur committenda, necnon sunt ipsae gabellae blasfemiae Dei, et eius matris virginis Mariae, ac sanctorum, et sanctarum Dei, ac furta, ac receptationes furtorum. Praefatus quidem dominus Philippus de Sabaudia considerans, et inclinatus requisitioni praedictae irritavit, et relaxavit, et remisit praedictam gabellam, et omne ius sibi competens, vel quod competere videbatur, sive posset ei in praedicta gabella, et eius occasione, domino namque Iordano de Montebreono iudici civitatis Thaurini, domino Ruffino Borgexio, Iacobo Zuche, Seroto de Aldemaro civibus Thaurini, et michi notario infrascripto, ut publicae personae stipulantibus, et recipientibus nomine, et vice Communis, et universitatis, et singularum personarum eiusdem civitatis tam praesentium, quam futurorum, eisque ut supra, et nomine quo supra recipientibus, et stipulantibus, promittens dictam gabellam ludi de cetero non habere nec tenere, nec etiam facere, vel ordinare in Thaurino, et districtu; et quod de cetero ipsa gabella, et iuribus ipsius gabellae non utetur per se, vel per eius heredes aliquo tempore, quodve statuta, capitula, sive ordinamenta, quae per sapientes eius de civitate ad haec eligendos a dicto Communi, vel eius auctoritate, et per vicarium, et iudicem ipsius civitatis, qui nunc sunt, et pro tempore fuerint, fient super ludo interdicendo, et prohibendo, poenis, et bamnis inde ordinandis, seu ordinatis, et super hiis ludis, qui expectabuntur, sive concedentur per ipsos sapientes in ipsis statutis, sive ordinamentis, attendet, et observabit, et attendi, et observari faciet, ac executioni mandari, prout in ipsis ordinamentis, sive capitulis continebitur. Salvo tamen, quod ipse dominus Philippus, et successores eius dicta statuta, capitula, sive ordinamenta possit corrigere, emendare, et declarare ad ipsius domini Philippi voluntatem, sic et sicut alia capitula Thaurini facere potest. Ita tamen, quod non possit dari licentia per iudicem, vicarium, vel alium nuntium ipsius domini Philippi de ludendo ad ludum prohibitum, nec remitti poena proinde ordinanda, et quae committeretur inde, nisi per ipsmu dominum Philippum, tali modo, quod nullo tempore gabella ludi in dicto loco esse possit; necnon quod attendet, et observabit per se, et heredes suos omnia, et singula suprascripta, et infrascripta, sub obligatione omnium bonorum suorum, dampnorum, et expensarum, restitutione habitorum, et habendorum; versa vice pro remuneratione, et in excontrum remissionis, et relaxationis dictae gabellae ludi, et utilitatis, quae inde levabatur, seu haberi poterat per dominum Philippum, supranominati, dominus Iordanus de Montebreono, iudex dictae civitatis, dominus Ruffinus Borgexius, Iacobus Zucha, et Serotus de Aldemaro ex auctoritate, et baylia eis super hoc attributa per maius consilium ipsius civitatis, nomine, et vice praedicti Communis, et universitatis praedictae, voluerunt, et ordinaverunt una cum ipso domino Philippo, et ipse dominus Philippus cum eisdem, quod in Thaurino una gabella salis fiet, et ordinetur, et sit.

Item, quod mutuum, sive praestum super pignoribus rerum mobilium ordinetur per ipsum

dominum Philippum, et dictum Commune com- a
muniter, et fiant ordinamenta, conventiones, et conditiones super ipsis gabella salis, et praesto, et venditionibus eorum, et obventionum, sive proventuum eorumdem per ipsum quidem dominum Philippum, et Commune communiter. Ita et tali modo, quod pretia, obventiones, reditus, sive proventus, qui, et quae ex dicta gabella salis et dicti presti fient, sive habebunt, sive haberi poterunt, sint communia, et communes dicti domini Philippi, et praedicti Communis Thaurini; habendo ipse dominus Philippus eorum medietatem, et praedictum Commune aliam medietatem; de qua dictum Commune possit pro expensis suis, et debitis solvendis, et aliis, facere quicquid voluerit, sine molestia, et contradictione dicti domini Phi- b
lippi, et successorum suorum, et sibi haec ad invicem, et nominibus propriis convenerunt, et promiserunt attendere, et observare, per se, et successores suos praedictae partes per stipulationem, et sub obligatione omnium bonorum suorum ipsarum cuiuslibet earum, videlicet ipsius domini Philippi, et ipsius Communis dampnorum, expensarum, restitutione habitorum, et habendorum. Renuntiantes nominibus praedictis exceptioni non factae praedictae remissionis, relaxationis, et irritationis, promissionis, et obligationis praedictorum ut supra, condictioni sine causa, et ex iniusta causa, doli mali, et in factum exceptioni, et omnibus exceptionibus, et iuribus, quo, vel quibus dictae partes facere possent, vel venire, de iure, et de facto c
contra praedicta, vel aliquod de praedictis. Quae omnia tractata, acta, promissa, conventa ut supra fuerunt per ipsum dominum Philippum de consilio dominorum Guillermi de Montebello, militis, Octonis de Melioratis iudicis generalis Pedemontium, Iacobo de Zaneluto vicarii dictae civitatis, et Iacobi de Scalengis, consiliariorum dicti domini Philippi; et praedicta omnia, et singula attendere, et observare iuraverunt per sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, praedictus dominus Philippus, et praedictus dominus Iordanus, dominus Ruffinus, Iacobus, et Serotus in animas quorum sunt procuratores. Actum est hoc in castro Pinerolii, in camera dicti domini Philippi, praesentibus d

- Thoma de Iaglono castellano Pinerolii
- Bozardo castellano Peruxiae, et
- Bruneto de Montebreono, testibus ad praedicta vocatis, et rogatis etc.

Et ego Iohannes Lunati civis Thaurini, imperiali auctoritate notarius publicus praedictis omnibus interfui, et inde hanc cartam fieri rogatus tradidi, et scripsi, signoque meo consueto signavi etc.

(XXIX)

Instrumentum remissionis, sive cassationis gabellae salis factum per illustrem dominum dominum, Ludovicum ducem Sabaudiae etc., de anno Domini MCCCC *quadragesimo primo, quod continet in effectu capitula quatuor.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, comes Pedemontium, et Baugiaci, Valentinensisque, et Diensis, baro Vaudi, ac Niciae et Vercellarum dominus. Universis, modernis, et posteris serie praesentium fiat manifestum, quod cum dudum ad fructiferam restaurationem studii universitatis civitatis nostrae Thaurini, quod in detrimentum reipublicae totius ditionis nostrae ultramontanae iam aliquibus vacaverat temporibus, ad substentationem, et satisfactionem legentium, et aliquorum incumbentium, duo millia florenorum parvi ponderis, salvo pluri, annuatim percipiendorum fuerint assignata, et gabella salis foranei in ipsa patria nostra ultramontana, applaudente magna parte praecipuorum praelatorum, baronum, peritorum, procerum, et aliorum tam ultra, quam citramontanorum, fuerit imposita. Post cuius gabellae impositionem, et exactionem licet universitate ipsius studii quam plurima commoda eidem ditioni nostrae iam fuerint delata, attamen, multis causantibus dispendiis, potissime nonnulla immodesta exactione pariter et ambitione gabellatorum, gabellam ipsam una cum gabella nostra ordinaria salis de civitate Niciae, et Cuneo prodeuntis tenentium, et augmentationem ipsius gabellae secutis, ipsa gabella foranea iacturam non modicam afferre videbatur eidem patriae nostrae ultramontanae, maxime merchatoribus, et aliis qui ferratariam, canapam, et caeterorum mercimoniorum, tam in partibus maritimis Ianuensibus, quam Avignonum transfigium exercere consueverunt, quibus transfigium ipsum per vias indirectas tacite vectitum, pretiumque salis nimium augeri, et plus solito incariari cernebatur, propter quod pro parte trium statuum ditionis nostrae ultramontanae, videlicet ecclesiasticorum, nobilium, et popularium, praetendentium ipsam gabellam salis foranei non modicum derogare privilegiis, libertatibus, et bonis usibus ipsius patriae nostrae, nobis crebris intercessionibus extitit expositum, et supplicatum, ut citra ipsius studii saluberrimi cassationem, ipsam gabellam salis foranei auferre, et penitus abolere, ac cassare dignaremur. Ecce quod nos, qui nostrorum inclitae memoriae imitando vestigia progenitorum, utilitatem publicam ipsius nostrae ditionis continuo propagare, et illam propriis commoditatibus anteferre desideramus, fidelitatis zelum, promptitudinemque indefessam attendentes, quibus ipsos fideles nostros supplicantes erga nos, et nostros cognovimus re et experientia comprobatos, accedenteque etiam ad hoc beneplacito, atque iussu

sanctissimi domini nostri, domini genitoris mei Felicis Papae quinti, matura praelatorum, procerumque, et peritorum deliberatione praehabita, ex nostra certa scientia pro nobis, nostrisque haeredibus, et successoribus universis, ipsam gabellam salis foranei, cum illius exitibus, tributis, et sequelis universis, necnon ferramentis, interdicionibus, poenarum impositionibus, et prohibitionibus propterea factis, quoad ipsam totam patriam nostram ultramontanam perpetuo auferimus, cassamus, irritamus, penitus, et abolemus, ac viribus omnino carere volumus, et decernimus per praesentes; patriam ipsam nostram ultramontanam, et supplicantes pro se, et suis successoribus perpetuo reducentes, et ex nunc esse volentes in eis libertate, et statu, quibus fuerant, et erant ante impositiones dictae gabellae foraneae, ita quod quibuscumque patriotis, et foraneis, praesentibus, et futuris liceat, et ex nunc prout ex tunc, quodcumque sal foraneum, et non foraneum, undecumque voluerint conducere, portare, merchari, vendere, emere, transfigareque, et extrahere quandocumque et undecumque voluerint, ac permutationes, et ceteros contractus ex eo facere libere, et impune, ac sine molestatione, vexatione, et impedimento reali, et personali sibi, et per nos, successoresque, et officiales nostros, vel successorum nostrorum officiales quomodolibet inferendis, prout et quemadmodum facere poterant ante impositionem praedictae gabellae salis foranei huiusmodi, solvendo tamen pedagia, gabellas, datia, tributa, et caetera onera, quae ante impositionem ipsius gabellae salis foranei in dicta patria nostra ultramontana, nostro iam tunc dominio submissa, fuerant exigi, et solvi consueta. Super quibus eidem patriae nostrae ultramontanae, praedictisque supplicantibus pro se, et suis successoribus quibuscumque, libertatem, bayliam, et facultatem conferimus, et donamus per praesentes. Concedentes insuper ipsi patriae nostrae ultramontanae, dictisque supplicantibus pro se, et successoribus perpetuo in speciale privilegium, quod in verbo principis volumus, et in aeternum permanere, et vim pacti ac conventionis obtinere, per nos, et successores nostros observare, et facere observari cum effectu, quod ipsa gabella salis foranei, aut quaevis alia, seu datium, et pedagium, seu quodvis aliud tributum super ipso sale foraneo pro ipso studio, vel alia quacumque occasione, sive causa publica, vel privata, non possit imposterum in ipsa patria, vel aliqua eius parte imponi, vel exigi, aut alias quomodolibet recuperari, directe, vel indirecte, quovis exquisito colore a die publicationis indulti huiusmodi in ipsa patria fiendi per nos, successoresve nostros, aut aliam quamcumque personam, stante etiam vel amoto studio praelibato, non obstantibus quibuscumque constitutionibus, ordinationibus, et decretis tam antiquis, quam novis, et novissimis, rescriptis, literisque, et mandatis hactenus super hiis factis, aut in posterum faciendis, quibus serie

a praesentium totaliter duximus derogandum. Quin ymo in nos, atque in nostros provisionem ipsius studii sumimus, et retinemus, aliunde de nostro supportando, prout super ipsa gabella salis foranei consuevit supportari, gabellis tamen antiquis Niciae, et Cunei, datiisque, pedagiis, et aliis tributis in patria nostra ultramontana pro nobis, ante impositionem dictae gabellae foraneae exigi consuetis, nobis, et nostris semper remanentibus salvis. Quae datia, pedagia, sexteragia, scopelagia, et alia tributa pro conductu salis solvi consueta pro futuro nullatenus augeri volumus; sed ne fiat, expresse et perpetuo prohibemus. Quae sic concedenda duximus eisdem patriae nostrae tribus statibus, incolis eiusdem supplicantibus, tam praemissorum considerb ratione, ex causis praenarratis, et aliis bonis respectibus, quam pro, et mediantibus quinquaginta millibus florenis parvi ponderis monetae nunc currentis per nos propterea ab eisdem habitis, et receptis manibus fidelis dilecti Hugoneti Vesperis thesaurarii nostri Sabaudiae generalis, qui de eis nobis tenebitur legiptimam reddere rationem. Promittentes nos Dux praefatus per nos, ac nostros haeredes, ac successores quoscumque bona fide nostra, in verbo principis, ac sub obligatione omnium, et singulorum bonorum nostrorum praesentium, et futurorum, et nostrorum successorum dilectis fidelibus nostris domino Stephano Scalie de Bugella utriusque iuris doctori, Iohanni de Belacomba, et Bertino de Bernetiis, dicto Maglochi, c ambasiatoribus dictae patriae nostrae ad haec destinatis, necnon secretario nostro subscripto, ut personae publicae, et officio publico fungenti, solempniter praesentibus stipulantibus vice, et nomine dictae patriae nostrae ultramontanae, omniumque, et singulorum incolarum, ac singularum Communitatum, et universitatum, ac personarum eiusdem patriae praesentium, et futurorum quorumcumque omnia, et singula suprascripta, et in perpetuo, ac inviolabiliter rata, grata, et firma penitus habere, et inviolabiliter attendere, observare, et adimplere, attendique, et observari, et adimpleri facere cum effectu, et in nullo contrafacere, vel venire, aliqua ratione, vel causa, de iure, vel de facto, etiam si de iure liceret. Mandantes prod pterea Consilio ultra montes residenti, necnon universis, et singulis gabellatoribus, potestatibus, capitaneis, vicariis, et baylivis, iudicibus, castellanis, commissariis, et caeteris officiariis, fidelibus, et subditis nostris ubilibet ultra montes constitutis, nobis tam mediate, quam immediate submissis, praesentibus, et futuris, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi privilegium, et cassationem, et literas nostras a modo in antea protinus observent, ac per quoscumque observari facient illaesas, ipsaque in locis decentibus publicari, ne praetextu ignorantiae quisquam tam nostrae, quam extranearum ditionum occasione dictae gabellae foraneae ulterius valeant quomodolibet agravari, necnon dilectis fidelibus

praesidenti, magistrisque, et receptoribus computorum nostrorum, quod ipsum thesaurarium non compellant a nobis aliquid computandum de, et pro praedicta gabella foranea per nos ut supra sublata, sed loco illius eidem Studio nostro aliunde provideatur, quibuscumque finalibus compositionibus reiectis, et non obstantibus, nulloque alio a nobis super hoc expectato mandato; in cuius testimonium has literas nostras per secretarium nostrum subscriptum confectas, sigilli nostri maioris duximus appensione muniri. Datas Gebennae, die nona mensis augusti, anno Domini MCCCCXLI, quarta indictione etc. Reddantur literae portitori.

Per dominum, praesentibus dominis
P. episcopo Bellicensi
P. Marciandi, canzelario
Io. domino Chautagne
Amedeo de Chaland
Francischo de Thomatis — Bartholomeo Chabodi, praesidentibus.
Gulliermo Bolomerii, magistro requestarum
Anthonio Draconii, praesidente Gebennae
Guigone Gerbaysii
Iohanne de Costis
Marineto Arnaudi
Iacobo Roseti, iudice Chablaysii
Anthonio Bolomerii
Hugoneto Vesperis, thesaurario Sabaudiae.

Quos quinquaginta millia florenorum parvi ponderis in absentia dicti thesaurarii habui.

Romella.

(XXX) (1)

Concessio multarum franchisiarum civitati Thaurini per illustrem dominum dominum Amedeum comitem Sabaudiae, et ducem Chablaysii, cum literis confirmatoriis, de anno Domini MCCCLX, *indictione* XIII, *die octava mensis octobris. Quod privilegium dicitur* Cavaletum *propter sigillum, quod habet Cavaletum* (2), *et continet capitula* XXXVII.

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo tricentesimo sexagesimo (3), indictione terciadecima, die octava mensis octobris, Thaurini super palacio Communis, ubi ius redditur, praesentibus domino Antonio Mozio, iurisperito, Francischo Baracho, Iacobo Borgessio, Victo Becuto, et Bertino Allamanno, ac pluribus
a aliis civibus thaurinensibus, testibus ad infrascripta vocatis, et rogatis. Discretus vir Iulianus de Viviano civis thaurinensis, sindicus, et massarius, et sindicario nomine Communis civitatis thaurinensis, in praesentia, et ante praesentiam discreti viri domini Philippi de Bernecio, licenciati in legibus, iudicis curiae civitatis thaurinensis pro tribunali sedentis constitutus, ipsum dominum iudicem cum instantia requisivit vice, et nomine Communis praedicti, quatenus praeciperet, diceret, et iuberet mihi Iohanni Poncio notario publico de Thaurino, ut infrascriptum privilegium per illustrem, et magnificum dominum dominum Amedeum comitem Sabaudiae Communi praedicto concessum, sigillo magno ipsius domini Comitis pendenti cum cordis se-
b ricis munitum, non vitiatum, non abolitum, et non canzellatum, ad perpetuam rei memoriam in publicam formam redigerem, ut vim, et robur publici instrumenti de caetero habeat, et obtineat, probationemque faciat velut ipsum originale privilegium. Qui dominus Philippus iudex praedictus videns, et cogitans requisitionem praedicti sindici, et massarii Communis praedicti fore rationabilem, et iuri consentaneam, ad instantiam, et requisitionem praedicti Iuliani sindici, et massarii Communis Thaurini praedicti praecepit mihi iamdicto notario, quatenus ipsum privilegium authenticarem, et in publicam formam redigerem, ut vim, et robur publici instrumenti habeat, et obtineat secundum, et iuxta requisitionem sindici, et massarii antedicti,
c cuius privilegii tenor de verbo ad verbum infra sequitur.

Nos Amedeus comes Sabaudiae, dux Chablaxii, et Augustae, et in Ytalia marchio, notum facimus universis praesentes literas inspecturis, quod in rectam considerationem deducentes fidei puritatem, et veram foederis constantiam, quibus cives, et habitatores incolae, et Commune Thaurini erga nos, nostrosque praedecessores se fideles exhibuerunt pariter et constantes, volentes eosdem, et ipsorum posteritates cum de tanta eorum stabilitate ipsos laudare non sufficiat, sed, tamquam dignos retributionis maioris, infrascriptis libertatibus, et franchisiis communire, ut quanto se sentient libertatibus, et amplioribus beneficiis decoratos, ad ob-
d sequia ampliora nobis, et nostris successoribus invitentur; igitur nos Comes praedictus ad supplicationem humilem, et requisitionem domini Anthonii Mozii iurisperiti, Henrieti Borgessii, Becuti de Becutis, et Nicholini Malcavalerii, ambaxatorum nostrae civitatis praedictae, scientes, et spontanei, nullo fraudis ingenio circumventi, pro nobis, nostrisque haeredibus, et successoribus, universis, praedictis nostris civibus, habitatoribus, et incolis, ac Communi Thaurini pro se, haeredibus, successoribus, et posteritatibus ipsorum, et omnium, quorum interest, seu poterit in futurum interesse, libertates, franchisias, immunitates, confirmationes, capitula, privilegia, et beneficia infrascripta concedimus, facimus, indulgemus, et donamus.

(1) Literae huiusmodi leguntur etiam inter illustrationes historiae Augustae Taurinorum a Francisco Maria Ferrero a Lavriano conscriptas, tom. 2, pag. 309; sed longe praestantius hoc exemplar est illo, et multa capita continet, quae in alio desiderantur.

(2) Sigillum maius, quo utebantur comites Sabaudiae, equi imaginem exhibebat; hinc sigillum ad equum appellabatur.

(3) Iacobo Achayae principe ab Amedeo VI devicto, Pedemontium Sabaudiae comiti triennio paruit; hoc tempore Amedeus omnia statuta locorum in Pedemontana regione irrita declaravit, et a se confirmari iussit Inde pleraque municipia, et haec inter praecipue Taurinensis civitas novis iuribus donata videntur.

De condendis capitulis civitatis.

In primis, quod ipsa nostra Thaurini civitas, ac cives, et habitatores ipsius civitatis regantur, et gubernentur secundum formam capitulorum tam antiquorum, quam novorum; et si forsan illustris dominus Iacobus de Sabaudia princeps Achayae aliqua capitula condiderit (1), quod ea tollantur, et sint cassa, nec fiant de caetero capitula, nisi per credentiam cum consensu nostro, si tamen eadem capitula sint perpetuo duratura; si vero sint annualia cum consensu vicarii, et iudicis nostrorum, qui pro tempore fuerint, ibidem.

De bonis, rebus, pedagiis civium Thaurini liberis, et franchis manutenendis.

Item, eisdem concedimus, et largimur, quod homines, et personae de civitate Thaurini, et ibi habitantes, et ipsorum posteritates habeant, teneant, et possideant ipsorum domos, palacia, pedagia, curayam, placacium, furna, partes molendinorum, bona iura ipsorum civium liberas, et franchas, libera, et francha absque aliquo impedimento, et nos teneamur, et debeamus ipsa bona, res, et iura dictorum nostrorum civium Thaurini, et habitatorum, ac incolarum dicti loci eis manutenere, et defendere liberas, et franchas, libera, atque francha, sicut tamen est a triginta annis fieri consuetum.

De consiliariis eligendis; et numero; et qualiter subrogantur.

Item, quod in ipsa civitate eligantur per quatuor clavarios electos super officio clavariae ipsius civitatis sexaginta credendarii, qui faciant plenam credentiam, et magnum Consilium ipsius civitatis, et quod nullus ipsorum sexaginta credendariorum eligendorum auferri, seu mutari possit de officio praedicto in eius vita, nisi convictus esset de culpa, aut de eius voluntate, et quod, mortuo, vel sublato, seu cassato aliquo, vel aliquibus ex credendariis, subrogatio debeat fieri de aliis civibus ipsius civitatis per ipsam credentiam taliter, quod numerus sexaginta credendariorum sit, et fieri debeat per credentiam Thaurini, et prout per credentiam ordinabitur.

De iuramento dominorum vicarii, iudicis, et clavarii.

Item, quod quilibet vicarius, iudex, et clavarius, qui ponentur, et venient ad regimen civitatis praedictae, in introitu ipsorum regiminis, et antequam se immisceant de officio, teneantur, et debeant in plena credentia Thaurini, iurare ad sancta Dei evan-
a gelia attendere, et observare capitula, et ordinamenta ipsius civitatis, prout ipsa capitula iacent, et servare franchisias, et bonas consuetudines ipsius civitatis; et quod ipsi vicarius, iudex, et clavarii non possint, nec debeant de officio se intromittere, seu immiscere, quousque dictum praestiterint iuramentum, et quidquid per ipsos vicarium, iudicem, vel clavarium fieret ante praestationem ipsius iuramenti, sit ipso iure nullum, nec per vicarium, iudicem, vel rectorem habeatur, quousque ipsum praestiterit iuramentum.

De cassatione verborum in secundo capitulo civitatis positorum.

b Item, volumus, et eisdem concedimus, et largimur, quod in secundo capitulo ipsius civitatis, cuius rubrica incipit « de sacramento dominorum vicarii, et iudicis » cassentur, et canzellentur, et ex nunc sint cassae illae dictiones, ubi dicitur, « mandatis tamen dictorum dominorum in omnibus semper salvis ».

De clavariis eligendis qui eligant alios officiales Communis Thaurini.

Item, quod vicarius, et iudex, qui pro tempore erunt in Thaurino, singulis tribus mensibus teneantur eligere quatuor ex credendariis Thaurini, scilicet duos ex nobilibus, seu ex hospiciis (1), et duos
c de populo, qui vocentur clavarii, qui pro ipsorum tribus mensibus habeant eligere quatuor extimatores Communis, et quatuor notarios ad officium notariae, et curiae civitatis Thaurini tam super causis criminalibus, et maleficiis, quam causis civilibus, et ordinariis, et etiam omnes alios officiales, et sapientes eligendos tempore ipsorum clavariorum per Commune praedictum; volumus tamen, et sic fieri iubemus, quod de quatuor notariis duo, per vicarium, caeteri vero duo per Commune eligantur, et singulis tribus mensibus renoventur, sicut est hactenus consuetum; nec eligantur nisi cives Thaurini; super caeteris vero officiis suprascriptis nichil volumus innovari, sed stari capitulis antiquis, et consuetudinibus observatis.

d

De non imponendo onera in Commune Thaurini; et de partitis ad tabulas albas, et nigras.

Item, quod nulla onera, seu expensae fieri, vel imponi modo aliquo possint, vel debeant Communi, et hominibus ipsius civitatis Thaurini, aut in ipsa civitate, nisi fuerit ordinatum, et firmatum per

(1) Simultates scilicet intercesserant inter Sabaudiae comitem, et principem Achayae ob id, quod iste iusserat per municipalia statuta aditus appellationis a suis curiis ad curiam comitis omnino impediri.

(1) De hospiciis nobilitatis, seu ut aliter appellabantur *alberghi* concinne disserit Aloysius Cibrario, eques, in sua historia Cheriensi (1 edit., pag. 152 et seqq.). Acutissimae investigationis historicae specimen capi posset, si diligens comparatio institueretur inter huiusmodi societates recentioris aevi, et consociationes patriciorum, et nobilium apud veteres populos; de quibus plura, ausu felici, I. B. Vico coniecit, et nuper quae ad Romanam historiam pertinebant, erudite illustravit clarissimus Bertholdus Georgius Niebuhr.

maiorem credentiam, et Consilium ipsius civitatis a
Thaurini, faciendo, firmando omnia partita in ipsa credentia, et Consilio ad tabulas albas, et nigras; et quod omnia partita facere debeant in qualibet credentia, et Consiliis publicis, vel privatis ipsius civitatis ad tabulas albas, et nigras, quae tabulae colligantur, et recipiantur in bursiis a dictis credendariis more solito. Salvo quod in casibus nos tangentibus partita fieri possint, et fiant ad levandum, et sedendum, et non aliter possit fieri aliquod partitum.

De fidelitate facienda per homines Beynaschi.

Item, quod feudum Beynaschi sit, et esse debeat Communis, ita quod ipsi domini Beynaschi b
faciant fidelitatem, et homagium ipsi Communi, prout hactenus facere consueverunt, et constat per publica instrumenta.

De bonis, et possessionibus Droxii, et Burgarati.

Item, super capitulo per nos eisdem concedi postulato, continentiae subsequentis, videlicet, quod locus Droxii, et Burgarati, ac possessiones pertinentes ad ipsa loca Droxii, et Burgarati sint, et esse debeant, et intelligantur de finibus, territorio, et districtu civitatis Thaurini, prout ipsi domini Droxii recognoverunt per publica instrumenta, quando ipsum locum Droxii acquisierunt;
et quod ipsi domini Droxii, et Burgarati, et in c
ipsis locis habitantes teneantur, et debeant de ipsis locis, possessionibus Droxii, et Burgarati, ac personis ipsorum iure parere in Thaurino, servatis semper pactis, et conventionibus factis per ipsos dominos Droxii cum Commune Thaurini, volumus, et eisdem concedimus, quod Commune praedictum Thaurini in suis iuribus, et dreyturis restituatur, et restitutum conservetur per officiales nostros praesentes, et futuros.

De possessionibus Sarmaceti, Clareti, et Prati clausi.

Item, dictum Commune volumus, et iubemus
per nostros officiarios quoscumque praesentes, et d
futuros manutenere, et defendere, manuteneri, et defendi debite in suis iustis possessionibus locorum Sarmaceti, Clareti, et Prati clausi, et aliarum possessionum existentium citra Sangonum, deversus nostram Thaurini civitatem, et conservari; sic quod suis iustis possessionibus gaudeant, sicut convenit, et utantur.

Super gabella salis, et casanae, quae annullatae sunt, et cassatae.

Item, volumus observare, et praecipimus per nostros officiarios observari cum effectu pacta, et conventiones factas, et facta super gabellagio salis, et casana mutui, pro quibus gabellagio, et casana per ipsum Commune Thaurini promissus, et conventus fuit census quindecim librarum grossorum turonensium solvendorum annuatim. Quod si ipsa pacta, et conventiones facta, et factae de dictis gabellagio, et casana non servarentur ad literam, prout iacent, quod ipsum Commune Thaurini non teneatur, nec cogi possit ad solutionem dicti census dictarum quindecim librarum turonensium; quae pacta, et conventiones, sicut rite, et legitime processerunt, et observari debent, volumus inviolabiliter observari.

De cavalcatis, exercitibus, et ad quid teneantur cives Thaurini, Gruglaschi, Burgarati, et Droxii.

Item, quod cives, et habitatores Thaurini, Gruglasci, Droxii, et Burgarati, finis dictae civitatis, non teneantur, seu debeant ire in exercitibus, seu cavalcatis nostri Comitis, quae fierent, nisi unus de una domo, seu hospicio, quamvis plures insimul habitent; et quod non teneantur, nisi quadraginta diebus in quolibet anno in ipsis exercitibus, seu cavalcatis ire, et stare; et quod non teneantur ire ultramontes, nec etiam extra terram, quam ipse dominus Comes habet, seu habebit in partibus citramontanis, et quod in aliquo exercitu, seu cavalcata ire non teneantur usque ad quinque annos proxime venturos. Massoerii, seu famuli, camparii, custodes bestiarum Communis, molinarii, fornerii, et existentes in minori decem octo annorum aetate, et maiores aetate sexaginta annorum in exercitibus, et cavalcatis ire non teneantur; praedicta autem observari volumus sicut iacent, usque ad verbum *massoerii*, et a verbo *massoerii* inclusive infra, sicut est hactenus fieri consuetum.

De liberatione quorumcumque debitorum civium Thaurini, et ibi habitantium.

Item, quod nos teneamur, et debeamus indempnes conservare omnes cives Thaurini, et ibi habitantes ab omnibus obligationibus per cives, et habitatores factis apud omnes, et singulos creditores ad requisitionem fratris mei principis supradicti, seu bonae memoriae eius genitoris, avunculi nostri carissimi; et quod cives, et habitatores Thaurini obligatos infra unum annum proximum teneamur liberare, et quitari facere cum effectu ab ipsis creditoribus, et per ipsos.

De reconciliatione non facienda cum illis, qui tractarunt proditionem domini.

Item, quod nos, et successores nostri perpetuo non possimus, nec debeamus reconciliare in Thaurino illos, seu aliquos ex ipsis, qui fecerunt, tractaverunt, vel ordinaverunt proditionem Thaurini, seu aliquos ex ipsis descendentes, tempore bonae memoriae domini principis Philippi, nostri avun-

culi carissimi praedicti (1); et quod perpetuo intelligantur esse banniti a nostra civitate Thaurini praedicta, et finibus eiusdem.

Quod aliquis de Thaurino non possit trahi extra civitatem pro aliqua causa tam criminali, quam civili.

Item, quod nullus civis, seu habitator pro aliqua causa civili, seu criminali, principalis, vel appellationis possit, vel debeat modo aliquo trahi extra civitatem Thaurini, sed omnes causae tam principales, quam appellationes, cognitiones, et diffinitiones, et sententiae tam criminales, quam civiles cognosci, et diffiniri debeant in ipsa civitate inter ipsos cives, et contra ipsos, et quidquid fieret contra praedicta, sit ipso iure nullum, irritum, et inane; eo salvo, et excepto, quod diffinitiones, et cognitiones super secundis appellationibus possint fieri extra Thaurinum citra tamen montes, et in terra nostra.

De provisione super emendis dampnorum datorum.

Item, quod circa praemissa, et emendationem dampnorum dandorum super bonis, et possessionibus personarum de Thaurino, et districtu, perpetuo possint provideri, et ordinari per credentiam, et collector, seu exactor ipsarum emendarum eligi, et ordinari per credentiam, prout credentiae videbitur taliter, quod ipsae emendae habeantur libere, et sine difficultate ad opus dominorum dictarum possessionum; et quod de quolibet arengo debeat fieri copia condempnationis bannorum forensium massario Communis, ut possit fieri exactio dictarum emendarum.

Quam poenam possit imponere vicarius, vel iudex Thaurini.

Item, quod vicarius, et iudex Thaurini, seu alius officialis non possint, nec debeant imponere poenam pro una vice, nisi usque ad quantitatem solidorum viginti viannensium in causis civilibus, inspecta negociorum, et personarum qualitate; in rixiis vero, et acaviglantiis, et causis criminalibus eorum arbitrio, inspecta negotiorum, et personarum qualitate, possint, et valeant imponere poenam usque ad quantitatem librarum quadraginta, et non ultra, videlicet pro quolibet, et qualibet vice.

Contra delinquentes in finibus, et territorio Thaurini.

Item, quod omnes, et singulae personae delinquentes, et maleficia quaecumque committentes in

(1) De coniuratione scilicet a Taurinensibus Ghibellinae parti addictis facta contra Philippum Achayae principem, anno 1334, de qua narrationem habemus in historia principum Achayae ab equite Datta, tom. I, pag. 109 ad 116.

a civitate, finibus, et territorio Thaurini, factis condempnationibus contra ipsos, et ipsis condempnationibus in rem iudicatam transitis lapsu decem dierum, si non fuerit appellatum, possint, et valeant per officiales nostros in Thaurino detineri, et personaliter arrestari in domo Communis Thaurini, ubi ius redditur, et arrestatos teneri quousque de ipsis condempnationibus integraliter per ipsos condempnatos fuerit satisfactum. Et quod nullus civis, seu habitator Thaurini possit pignorari ullo modo, seu ad domum suae habitationis aliqua pignora capi, nisi solummodo pro taleis, et debitis ad Commune Thaurini, et singulares personas de Thaurino pertinentibus; eo etiam salvo, quod si aliquis pro sua contumacia, et inobedientia se *b* absentaret a civitate Thaurini, taliter quod haberi non posset per ipsam curiam Thaurini, quod eo casu pro condempnationibus contra ipsos latis, et in rem iudicatam transitis possint pignorari ad domum suae habitationis, non obstantibus supradictis.

De vino non portando in Thaurino.

Item, quod capitulum civitatis Thaurini antiquum, et factum tempore inclitae recordationis domini Thomae comitis Sabaudiae, et descriptum in volumine capitulorum sub rubrica, de vino non apportando, seu ducendo in Thaurino, ad literam observetur, et ipsum capitulum sit truncum, et praecisum; eo salvo, quod tempore sterilitatis, *c* tempestatis, seu fallae vini, per credentiam Thaurini, existentibus tribus partibus credendariorum ipsius civitatis in concordia, possit dari licentia ad certum tempus vinum forense apportandi, et ipsum vinum forense serrandi, et adlargandi tempore praedicto, prout videbitur credentiae; et quod dacitum vini ad tempus venditum usque ad festum beati Michaëlis ad unum annum proximum subsequentem servetur, et quod omnes, et singulae obventiones dacitorum vini per tempus antedictum in totum pertineant ad Commune Thaurini.

De dominio civitatis Thaurini nullomodo alienando.

Item, eisdem concedimus, et largimur, ut supra, *d* per nos, et successores nostros, quod perpetuo non possimus, nec debeamus, modo aliquo, seu aliquo ingenio, vel colore dominium civitatis Thaurini, seu aliquod membrum ipsius civitatis transferre, seu alienare in aliquam personam, vel personas, sed perpetuo dominium ipsius civitatis cum omnibus suis membris remaneat, et sit penes nos, et penes successores nostros, videlicet tantum personam, quae habebit nomen, dominium, successionem, et regimen Comitis, et comitatus Sabaudiae; nisi nos vellemus ipsam civitatem reddere, et restituere supradicto fratri nostro domino Iacobo principi (1).

(1) Ut revera postmodum evenit.

De finibus Thaurini defendendis.

Item, quod nos teneamur, et debeamus per nos, et nostros officiales defendere, et manutenere, fines territoria, ac poderium, et fines occupatos restitui, et expediri facere ipsi Communi Thaurini, iustitia tamen mediante.

Qualiter recipi debeant habitatores Thaurini.

Item, damus, et concedimus ut supra, quod per maius Consilium, et credentiam Thaurini recipiantur, et recipi possint habitatores in ipsa civitate, quibus dentur, et concedantur immunitates, ut ipsi credentiae placuerit, et videbitur pro meliori, sicut tamen est hactenus fieri consuetum.

De sportulis non capiendis per vicarium, vel iudicem Thaurini.

Item, quod vicarius, et iudex, vel rector, qui pro tempore fuerint, pro nobis, et successoribus nostris in Thaurino, pro aliquo decreto, seu alia de causa pro ipsorum labore nichil petere, seu extorquere possint a civibus Thaurini; sed sint contenti de salariis solvendis per nos, et successores nostros.

De salario clavariorum, et notariorum curiae Thaurini.

Item, quod clavarius, et notarii, qui de caetero deputabuntur ad officium curiae Thaurini tam super criminalibus causis, quam civilibus solummodo capere debeant solutiones de ipsorum instrumentis, et scripturis, quae facient, et recipient in ipsa curia Thaurini, prout per credentiam, inde consensu, et voluntate vicarii, et iudicis, vel alterius ipsorum ordinatum fuerit, et taxatum, et non ultra.

De non ducendo aliquam personam de Thaurino in castro, seu carcere, nisi secundum formam capitulorum civitatis.

Item, damus, et concedimus, quod nulla persona de Thaurino, vel ibi habitans, possit, vel debeat detineri, vel duci in castro, vel alia custodia, seu carcere, nisi secundum formam, et ex causis contentis in capitulis civitatis Thaurini; et quod omnes, et singuli capti, ducti, et qui ducerentur pro maleficiis, secundum formam ipsorum capitulorum ad castrum, seu carcerem ipsius civitatis, solummodo solvant, et solvere teneantur pro captione, et introitu, et exitu castri, seu carceris, solidos quinque viannenses tantum pro quolibet, et non ultra solvere debeant, nec compelli possint; pro victu vero sic capti, si fuerint ad expensas vicarii, seu officialis, solvatur unus medius turonus pro quolibet die; si vero sibi fecerit expensas dictus captus de suo proprio nichil inde solvat, nec sol-

a vere compellatur; et praedicta intelligantur locum habere de capiendis pro rixis, et maleficiis, unde non secuta fuerit poena corporalis; de iis vero, qui punientur corporaliter, servetur consuetudo antiqua; capti vero pro latrociniis, et maleficiis, si relinquantur custodibus in castrum, extra tamen carcerem, solvant pro quolibet custode omni die solidos duos viannenses; custodes vero non possint poni, nisi duo; et custodes dari non possint, nisi ad requisitionem capti. Capti vero, et capiendi, qui ducentur in castrum, seu carcerem pro debitis, et pro bannis, condempnationibus, et pro bannis campariorum, et custodum, et pro aliis bannis minutis, solvant pro captione, et pro introitu, et exitu castri, seu carceris solidos duos viannenses pro quo-
b libet, et qualibet vice. Capti vero, et qui caperentur deinceps, ducti, seu ducendi in castrum, et carcerem pro aliquibus delictis, sive maleficiis, de quibus essent inculpati, et inde relaxarentur tamquam inculpabiles, libere dimittantur sine aliqua solutione captionis, introitus, vel exitus castri, vel carceris supradicti, aut custodiae; praemissa autem in praesenti capitulo contenta volumus observari per omnia, sicut, et quemadmodum in capitulis continetur, et est hactenus consuetum.

De percussione, pro qua mors sequatur.

Item, damus, et concedimus, et ordinamus, quod quicumque alium percusserit, ita quod mors pro
c ipsa percussione sequatur, vel occasione ipsius, aut quocumque modo causam mortis praebuerit in civitate Thaurini, aut eius poderio, puniatur secundum iura romana, aliquo capitulo non obstante, si capi poterit, vel alias in forciam dominationis civitatis Thaurini venerit; et si non venerit in forciam domini ponatur in banno homicidii, de quo banno exire non possit, nisi prius cum domino, et haeredibus interfecti se concordaverit; et si non venerit ut supra in forciam domini bona mobilia eius pro tercia parte publicentur, et applicentur nobis; et pro aliis duabus partibus cum bonis immobilibus applicentur haeredibus, seu successoribus eiusdem percussoris (1), scilicet qui ab intestato eidem percussori essent successuri; et praedicta locum ha-
d beant inter cives, et habitatores Thaurini tantum; si vero aliquis civis, vel habitator occiderit extraneum in Thaurino, vel districtu, puniatur illa poena qua extraneus puniretur in terra sua, si occidisset in terra sua unum de Thaurino; praemissa autem per nos eis per praesens capitulum concessa, fieri volumus, sicut describuntur in eo, vel si maluerimus, super isto casu capitulum concessum illis de Pinayrolio volumus observari, et ipsos cives esse contentos de capitulo Pinayrolii in casu predicto nostris literis eis concesso.

(1) *Percussoris* vocabulum legitur in codice; *percussi* legendum est, ut per se patet.

De ludentibus ad taxillos.

Item, concedimus, et ordinamus, quod in Thaurino, et eius finibus, et territorio de caetero aliquis non debeat aliquo tempore, nec possit aliqua persona cuiuscumque conditionis sit, ad aliquem ludum taxillorum ludere, excepto ludo tabularum; et qui contrafecerit, solvat pro qualibet vice, qua contrafecerit de die solidos sexaginta, et de nocte duplum; et dominus domus, sive possessores, vel habitatores, in qua, vel eius pertinenciis, eo sciente, luderetur ad dictum ludum prohibitum, eamdem poenam tam de die, quam de nocte, et qualibet vice solvat, et incurrat, et etiam eamdem poenam solvat, et incurrat quicumque taxillos, vel pecuniam in ludo mutuaverit, seu praestaverit, vel concesserit ludentibus ad praedictum ludum prohibitum taxillorum; et possit super iis quilibet bonae famae esse accusator, et habeat accusator tertiam partem banni, sive poenae praedictae, et cuilibet accusatori bonae famae credatur cum iuramento de praedictis, ac possit curia suo officio inquirere de praedictis, sicut in aliis maleficiis, nec possit per dominum, seu vicarium, iudicem, aut aliquem officialem curiae dari licentia ludendi ad dictum ludum taxillorum, nec dicta poena relaxari, remitti, nisi per nos, vel quitari; et si data fuerit licentia, vel remissio facta non valeat, neque teneat; et qui praedictam poenam solvere non poterit, fustigetur per Thaurinum, aut ad berlinam ponatur; salvo quod in die natalis domini, et duobus sequentibus, iuxta consuetudinem, ludere possint sine poena. c

De molendinis, et fornayroliis.

Item, damus, et concedimus, quod licitum sit credentiae Thaurini cum voluntate, et consensu dominorum vicarii, et iudicis providere, et ordinare, ne extorsiones illicitae fiant per molendinarios, et fornayrolios in molendinis Thaurini, prout, et sicut eis videbitur expedire.

De pascuis, fluminibus, et aquaticiis.

d Item, damus, et concedimus, quod pascua omnia, et communia omnia existentia tam in nemoribus, quam in pascuis, et gerbis in finibus, et territorio civitatis Thaurini, ac flumina omnia, et aquae quaecumque discurrentes per fines, et territorium civitatis Thaurini, exceptis aquis, et aquaticiis, et usu aquarum ad singulares personas expectantibus, et aquaticia pertineant, et expectent ad Commune civitatis Thaurini; et quod quilibet de Thaurino, et ibi habitans communibus pascuis, et aquis uti possint ad sui liberam voluntatem, et per credentiam Thaurini de praedictis, et circa praedicta perpetuo disponi, et ordinari possint, prout credentiae pro meliori videbitur expedire, prout tamen fieri hactenus est consuetum.

a *Quod possint fieri nundinae in civitate Thaurini.*

Item, damus, et concedimus, quod in civitate Thaurini possint fieri nundinae illo tempore, quo per credentiam, et officiales nostros in Thaurino fuerit provisum, possintque ipsi officiales, et credentia pro conservatione dictarum nundinarum capitulare, et ordinare, prout eis videbitur.

De possessionibus, rebus, fictibus super villis circumstantibus Thaurinum.

Item, damus, et concedimus, quod personae de Thaurino, quae solitae sunt habere, et tenere in villis Collegii, Alpignani, Planicearum, Durventi, b Burgarati, Altessani, Septimi, Cabureti, et in aliis villis circumstantibus de diocesi Thaurini, possessiones, ficta, iura, aquaticia, aquaeducta, et res plures liberas, et francas, libera, et franca absque aliquibus exactionibus, et impositionibus per ipsas Communitates villarum imponendis, habeant ipsas possessiones, ficta, et iura omnia, et teneant liberas, et francas a quibuscumque exactionibus, et promittimus ipsos cives Thaurini manutenere, et defendere in possessionem praedictam dictae libertatis, et in possessionem bonorum, rerum, et iurium ipsorum in ipsis villis existentium, et ipsos cives defendere a quibuscumque novis exactionibus, in possessionibus ipsarum villarum, sicut tamen est hactenus fieri consuetum.

Ratificatio quarumdam concessionum de aquis, et aquaeductibus.

Item, concedimus, atque promittimus, quod omnes concessiones factae dudum per fratrem nostrum dominum Iacobum de Sabaudia principem, et eius genitorem tam de aquis, quam de aquaeductibus, et usibus aquarum, quam de aliis quibuscumque rebus ad eum, tempore dictarum concessionum, spectantibus certis, et singulis civibus Thaurini ratae, et firmae sint, et plenam firmitatem habeant, et volumus per nos, et officiales nostros debite observari, et contra ipsas, et ipsas debiti non fieri, vel veniri.

De pedagiis, vectigalibus, et curaya.

Item, volumus, concedimus, et ordinamus, quod ad evitandum fraudes non solventium pedagia, et vectigalia antiqua, et consueta in civitate praedicta, quod omnes, et singulae personae deportantes, seu deferentes de caetero res aliquas, seu mercandiam, de quibus solvi debeat, et consuetum sit pedagia, curayam, seu vectigalia, ipsum pedagium, et curayam solvere teneantur, et debeant collectoribus ipsorum pedagiorum, antequam exeant dictam civitatem cum ipsis rebus, et mercandiis, si per dictam civitatem transitum fecerint, et si per fines eiusdem civitatis transitum facerent huiusmodi pedagia, et vectigalia solvere debeant, et teneantur,

antequam transeant rectitudinem ipsius civitatis per a fines praedictos, eundo ad loca, ad quae ire voluerint; et qui contrafecerit incurrat poenam amissionis dictarum rerum, et mercandiae sic portatae, quae poena pro tribus partibus nobis applicetur, et pro quarta parte accusatori; et quilibet bonae famae possit accusare facientem contra praedicta; et eos cum bestiis, et rebus sic commissis auctoritate propria detinere, et vicario nostro Thaurini praesentare; et eius accusae cum iuramento credatur.

De banchis non locandis, nec tenendis super platea mercati Thaurini.

Item, damus, et concedimus, quod in platea mercati Thaurini de caetero nullae banchae teneri b possint; sed volumus, quod ipsa platea remaneat expedita; et quod per nos, seu aliquem officialem Thaurini non possit, nec debeat fieri aliqua locatio aliquarum bancharum, seu aliquod salarium recipi de aliquibus banchis in ipsa platea tenendis.

De duabus bealeriis fiendis, et in civitate Thaurini conducendis.

Item, damus, et concedimus, quod homines, et Commune Thaurini, prout ordinabitur per credentiam Thaurini, possint, et debeant facere, et capere duas bealerias aquae de flumine Duriae, ducendas per fines Thaurini, et capiendo aquam, bealerias, et ductum aquae in finibus Ripolarum, c Alpignani, Planicearum, seu Collegii; restituendo, et emendando dampnum personis, super quibus ipsae bealeriae transirent et fierent, in extimatione bonorum virorum; praemissa tamen eisdem concedimus, quantum nobis licet, et ad nos pertinet, et non ultra.

Promissio de faciendo restitui possessiones, et bona occupata per marchionem Montisferrati.

Item, promittimus posse nostro facere fieri restitutionem, et expeditionem civibus nostris Thaurini de omnibus, et singulis possessionibus, bonis, iuribus, et debitis ad ipsos spectantibus in locis Vulpiani, Septimi, Clavaxii, et aliis terris mar- d chionatus Montisferrati, ipsis civibus occupatis per avunculum nostrum carissimum dominum marchionem Montisferrati, seu per officiales, et homines ipsius domini marchionis, vel alios quoscumque.

Quitatio de omnibus processibus, et condempnationibus usque in annum MCCCLX.

Item, damus, et concedimus, quod omnes, et singuli cives Thaurini, et ibi habitantes, gaudentes privilegia ipsius civitatis, sint quitti, et absoluti ab omnibus, et singulis inquisitionibus, condempnationibus, et processibus quibuscumque factis, et formatis contra ipsos temporibus retroactis in civitate Thaurini, et per totum Sabaudiae comitatum usque ad festum nativitatis Domini proxime praeteritum anni praesentis millesimo CCCLX. Quoniam autem dicti ambaxatores in quodam capitulo petierunt, quod sufficiens scambium dicto fratri nostro pro dicta civitate, et eius districtu daremus, respondendum duximus eisdem, quod sic inter nos, et ipsum fratrem nostrum concordabimus invicem, quod ipse sufficiens scambium, inspectis negociorum qualitate, et decursu, habebit, et inde poterit debite contentari: promittentes pro nobis, et nostris bona fide, per iuramentum nostrum ad sancta Dei evangelia corporaliter praestitum, et sub bonorum nostrorum omnium ypotheca, praedicta omnia, et singula privilegia, libertates, capitula, immunitates, et alia per nos dictis Communi, et hominibus Thaurini in personas praenominatorum domini Anthonii Mozii, Henrieti Borgexi, Becuti de Becutis, et Nicholini Malcavalerii, nomine dicti Communis concessa et indulta, rata, grata, firma habere, et tenere, et numquam contrafacere, vel venire, nec contrafacere, vel venire volenti consentire, praebere auxilium, consilium, iuvamen, palam, vel occulte, aliqua occasione, vel ingenio, quibusvis coloribus exquisitis. Mandantes capitaneo, vicariis, iudicibus, procuratoribus, castellanis, et nostris caeteris officiariis aliis nostri Sabaudiae comitatus quibuscumque, praesentibus, et futuris, quatenus praedicta omnia ut supra per nos dicto Communi, et eius posteritati data, concessa, et indulta, sicut concessa sunt per nos, ut praescribitur, attendant inviolabiliter, et observent, et in nullo contrafaciant, vel opponant, nec fieri contra ea aliqualiter patiantur; in quorum omnium robur, et testimonium magnum sigillum nostrum praesentibus apponi iussimus, et ad aeternam memoriam rei gestae. Datum in Montecalerio die XXIIII mensis martii, anno Domini millesimo CCCLX.

Per dominum, praesentibus dominis
Guillermo de Balma. — Ludovico Ravoyr, militibus
Iohanne Ravaxii, canzellario, et
Petro Gerbasii, thesaurario.

Et ego Iacobus Borgexius, civis Thaurini, publicus imperiali auctoritate nothrius suprascriptum authenticum cum originali privilegio, una cum infrascriptis notariis vidi, legi, et ascultavi, et prout in ipso originali privilegio continetur, ita in praesenti authentico continetur, et in testimonium praemissorum me subscripsi, et signo meo consueto signavi.

Et ego Iohannes Baynerius, civis Thaurini, publicus imperiali auctoritate notarius suprascriptum authenticum cum originali privilegio una cum suprascripto, et infrascriptis notariis vidi, legi, et ascultavi, et prout in ipso originali privilegio continetur, ita et in praesenti authentico continetur; et in testimonium praemissorum me subscripsi, et signo meo consueto signavi.

Et ego Anthonius Rubeus, civis Thaurini, pu-

blicus imperiali auctoritate notarius suprascriptum a authenticum cum originali privilegio una, cum suprascriptis, et infrascripto notario, vidi, legi, et ascultavi, et prout in ipso originali privilegio continetur, ita et in praesenti authentico continetur, et in testimonium praemissorum me subscripsi, et signo meo consueto signavi.

Et ego Iohannes Poncius, civis Thaurini, publicus imperiali auctoritate notarius, suprascriptis omnibus, et singulis praesens fui, et originale privilegium, unde sumptum est hoc authenticum, vidi, legi, et diligenter inspexi una cum suprascriptis notariis, et de voluntate, et praecepto domini Philippi de Bernecio, in legibus licenciati, iudicis curiae civitatis Thaurini, sicut in ipso originali privilegio inveni, et legi de verbo ad verbum, nichil b addito, minuto, vel mutato propter quod substantia, vel sensus mutetur, praeter forte literam, sillabam, vel punctum, praesens instrumentum authenticavi, et ipsum authenticum tradidi, et scripsi, et exemplavi, signoque meo consueto signavi in testimonium praemissorum.

(XXXI)

Literae illustris Amedei comitis Sabaudiae mandantes hominibus, et Communitati Thaurini sicut remisit, et in feudum donavit illustri domino Iacobo de Sabaudia castra, et civitatem Thaurini, et quod ipsum illustrem dominum Iacobum c *accepteni in verum, et legiptimum principem, et dominum, de anno domini* MCCCLXIII, *die* VII *augusti.*

Amedeus comes Sabaudiae dilectis fidelibus nostris vicario, sapientibus, consilio, rectoribus, communi, ac cunctis popularibus civitatis nostrae Thaurini salutem, et dilectionem. Vobis per has nostras patentes literas intimamus, quod nos certa consideratione moti illustri domino Iacobo de Sabaudia principi Achayae, fideli, et fratri nostro carissimo etc. remisimus, et in feudum donavimus castra, et civitatem nostram Thaurini cum omnibus ipsorum iuribus, mero, et mixto imperio, iurisdictione omnimoda, redditibus, servitiis, usagiis, et aliis per- d tinentiis, et apendenciis civitatis, et castrorum praedictorum, reservatis tamen nobis homagio ligio, superioritate, resorto, et aliis condicionibus, de quibus extant publica documenta tam per Anthonium Bezonis de Yenna, et Micheletum Carete de Pinerolio, quam per Iohannem de Aleriis, notarios publicos, recepta. Igitur vobis, et vestrum cuilibet in solidum praecipimus expresse, et mandamus, quatenus ipsum dominum principem recipiatis, recognoscatis, et deinceps habeatis in verum, et ligium dominum vestrum, et eidem omnem obedientiam in omnibus, quae subditus domino suo ligio tenetur facere, praebeatis, et omnia usagia, et tributa per vos debita eidem deinceps, et suis persolvatis, nec aliquid in contrarium faciatis, adeo quod idem dominus princeps ipsis hominibus deinceps uti, et frui possit ad suam omnimodam, iuri tamen, consonam voluntatem, vestris tamen iuribus, sicut suprascribitur, semper salvis. Et nos de ipsis omnibus per nos sic recognitis, atque factis quitamus, et absolvimus vos, et vestros. Datum Ripolis, die vigesima septima mensis augusti, anno Domini MCCCLXIII.

Per dominum, praesentibus dominis
Guillelmo de Grandissono
Gir. Destres, Cancellario, et
Petro Gerbaysii, thesaurario

Iohannes de Ales.

(XXXII)

Ratificatio facta per illustrem dominum Iacobum fratrem domini Amedei de Sabaudia capitulorum, et franchisiarum civitatis Thaurini.

In nomine Domini amen. Per hoc praesens instrumentum cunctis appareat evidenter, quod, anno a nativitate eiusdem Domini currente MCCCLX tercio, indictione prima, cum eodem anno sumpta, octava mensis septembris, coram me notario publico, et testibus infrascriptis illustris, et magnificus dominus dominus Iacobus de Sabaudia princeps Achayae propter ea, quae sequuntur, personaliter constitutus, ipse namque dominus princeps, instantibus, et requirentibus pluribus civibus nobilibus civitatis Thaurini vice, et nomine Communis, et universitatis civitatis Thaurini, omnia, et singula capitula libertates, et franchisias dictis Communi, et universitati Thaurini data, indulta, facta, inita, et confecta per illustres, et magnificos principes dominum Amedeum comitem, et principem Achayae praedictum, omnia, et singula in ipsis contenta sponte laudavit, ratificavit, et approbavit, eaque attendere, tenere, et effectualiter perpetuo observare promisit, et iuravit, suo praestito corporali iuramento, tactis scripturis ad sancta Dei evangelia.

De quibus praeceptum est michi notario publico fieri, dictamine sapientis, publicum instrumentum. Datum, et actum Thaurini, in castro portae Phibelonis, praesentibus militibus nobilibus dominis

Martineto de Sancto Martino, ex comitibus Sancti Martini
Amedeo Simeonis
Simone de Dodolis, legum doctore de Cherio
Lucha de Phariseis, iuris perito, et pluribus

aliis fide dignis testibus ad praedicta vocatis, et rogatis, anno, die, mense, et indictione praedictis.

Ego autem Philippus de Broxulo, de Thaurino, publicus imperiali auctoritate notarius, praemissis omnibus, et singulis dum ea sic agerentur, et fierent una cum dictis testibus praesens personaliter interfui vocatus, et hoc praesens publicum instrumentum rogatus tradidi, et scripsi, propria mea

manu me subscripsi, in publicam formam redegi, signoque solito sigillavi meo in testimonium veritatis omnium praemissorum. Datum, et actum prout supra.

Transumptum literarum illustris domini Amedei de Sabaudia confirmantium privilegia, et indulta per praelibatum dominum Amedeum de Sabaudia, et confirmata per illustrem dominum Iacobum de Sabaudia de anno MCCCLXXVIII, *die octava mensis martii.*

In Christi nomine amen. Anno eiusdem nativitatis MCCCLXXIX, indictione secunda, die prima mensis martii. Actum in civitate Thaurini, ante domum Communis ipsius civitatis, praesentibus Nicholino Malcavalerio, Ludovico de Cavaglata, et Dominico de Gorzano civibus Thaurini, testibus ad haec vocatis pariter et rogatis. Discretus vir Tommasinus Delphinus de feuderiis Plozaschi, civis Thaurini, sindicus, et sindicario nomine Communis civitatis Thaurini, in praesentia, et ante praesentiam nobilis, et sapientis viri domini Surleonis de MediisBarbis de Papia, utriusque iuris periti, iudicis civitatis Thaurini sedentis pro tribunali, constitutus ipsum dominum iudicem cum instantia requisivit vice, et nomine Communis praedicti, quatenus praeciperet, diceret, et iuberet mihi Ruffineto Baynerio notario publico de Thaurino, ut quasdam literas illustris, et magnifici principis, et domini domini Amedei de Sabaudia, Achayae principis, in pergameno scriptas, et sigillo eius cerae rubrae sigillatas, non viciatas, non abolitas, et non cancellatas, ad perpetuam rei memoriam in publicam formam redigerem, ut vim, et robur publici instrumenti habeant, et obtineant, probationemque faciant velut originale ipsum literae. Qui dominus Surleonus, iudex praedictus, videns, et cogitans requisitionem praedicti sindici Communis praedicti fore rationabilem, et iuri consentaneam, ad instantiam ipsius sindici requirentis nomine dicti Communis praecepit mihi Ruffineto Baynerio, notario publico, quatenus dictas literas authenticarem, et in publicam formam redigerem, ut vim, et robur publici instrumenti habeant, et obtineant secundum, et iuxta requisitionem dicti sindici, quarum literarum tenor de verbo ad verbum infra sequitur.

Nos Amedeus de Sabaudia, princeps Achayae, notum facimus tenore praesentium universis, quod nos ad supplicationem, et requisitiones humiles dilectorum fidelium nostrorum hominum civium, burgensium, habitatorumque, et incolarum nostrae civitatis Thaurini super hoc nobis factas, eisdem prae caeteris cupientes complacere, ipsosque tractare favoribus gratiosis, ex certa scientia, libertates, franchisias, privilegia, gratias, immunitates, pacta, et conventiones, et capitula quaecumque, et quascumque eisdem dudum concessas, et concessa, datas, et data per illustrem, et magnificum principem dominum nostrum, et dominum Amedeum comitem Sabaudiae, de quibus apparet per literas ipsius domini comitis, eius magno sigillo cavalcato sigillatas, confirmatas, et confirmatas per illustrem, et magnificum bonae memoriae dominum Iacobum de Sabaudia genitorem nostrum carissimum, prout de ipsius confirmatione patet per instrumentum publicum manu Philippi de Brexulo confectum, et praesentibus annexum, eisdem civibus, hominibus, burgensibus, habitatoribus, incolis, et Communi nostrae civitatis Thaurini praesentibus, et futuris pro nobis, et nostris laudamus, confirmamus, approbamus, et ratificamus omnino, ipsarum iuxta, et cuiuslibet earum continentiam, et tenorem, et per modum, et formam, per quos dicti illustres domini Amedeus comes, et Iacobus princeps Achayae, genitor noster carissimus, concesserunt, et confirmaverunt easdem. Promittentes nos, dictus princeps, bona fide, et per iuramentum nostrum super sancta Dei evangelia corporaliter praestitum, ac sub nostrorum bonorum obligatione quorumcumque, dictas libertates privilegia, gratias, immunitates, pacta, conventiones, et capitula, omniaque, et singula suprascripta, et in praesentibus literis declarata, praesentibus annexa dictis nostris hominibus, civibus, burgensibus, incolis, et habitatoribus, et Communi ipsius civitatis Thaurini, ipsorumque posteritatibus attendere, et observare, ad literam, prout iacent, ac in nullo contrafacere, vel venire, ipsaque rata, grata, et firma habere, tenere perpetuo inviolabiliter cum effectu; vicariis, iudicibus, clavariis, et aliis officiariis nostris dicti loci praesentibus, et futuris, seu eorum locatenentibus mandantes, quatenus dictis nostris civibus, hominibus, burgensibus, incolis, et habitatoribus, et Communi ipsius civitatis, et districtus, praesentibus, et futuris praedicta omnia, et singula servent penitus, et attendant, ac servari, et attendi ab omnibus faciant inviolabiliter cum effectu, nihil in contrarium attemptando, seu fieri, vel attemptari per aliquem quomodolibet patiendo. Quod si secus factum extiterit, id ex nunc irritum esse declaramus, et inane. Datum in castro nostro Pinerolii cum appensione nostri sigilli in testimonium praemissorum, die octava mensis martii, anno Domini MCCCLXXVIII.

Per dominum praesentibus dominis
Ay. Bonivardi
Iacobo de Gorena, cancellario
Surleono, iudice Thaurini, et
Amedeo Gai.

Ego Ludovicus de Cavaglata civis Thaurini, publicus imperiali auctoritate notarius collationi factae de praesenti authentico, seu transcripto ad literas originales in pergameno descriptas, et sigillo pendente illustris domini nostri Achayae principis in cera rubra munitas, praesens fui, una cum Bertulino Malcavalerio, et Ruffineto Baynerio, notariis publicis, ac ipsis originalibus literis visis, lectis, et fideliter ascultatis. Et quia praesens authenticum, seu transcriptum cum praedictis originalibus

literis concordare inveni, ideo hic me subscripsi, a et signum meum solitum apposui in testimonium praedictorum.

Ego Bertulinus Malcavalerii, civis Thaurini, publicus imperiali auctoritate notarius, collationi factae de praesenti authentico, seu transcripto ad literas originales in pergameno descriptas, et sigillo pendente illustris domini nostri Achayae principis in cera rubra munitas, praesens fui una cum suprascripto Ludovico, et infrascripto Ruffineto notariis publicis, ac ipsis originalibus literis visis, lectis, et fideliter ascultatis, et quia praesens authenticum, seu transcriptum cum praedictis originalibus literis concordare inveni, ideo hic me subscripsi, et signum meum solitum apposui in testimonium praemissorum. b

Ego Ruffinetus Baynerius, civis Thaurini, publicus imperiali auctoritate notarius, praemissis omnibus, et singulis, praesens fui; originale, unde sumptum est hoc authenticum vidi, legi, et diligenter inspexi, una cum supradictis notariis. Et quia praesens authenticum, seu transcriptum cum praedictis originalibus literis concordare inveni, de mandato dicti domini iudicis, sicut in ipso originali continetur, praesens authenticum scripsi, signoque meo consueto signavi in testimonium praemissorum.

Aliae literae confirmationis suprascriptorum privilegiorum, et franchixiarum civitatis Thaurini, datae per illustrem dominum Amedeum de Sabaudia, Thaurini, de anno MCCCLX *octavo, die* c XXII *mensis iunii.*

Nos Amedeus comes Sabaudiae notum facimus universis praesentes nostras literas inspecturis, quod ad nos venientes dilecti fideles nostri sindici, consules, et credendarii civitatis nostrae Thaurini nobis tam suo proprio nomine, quam nomine omnium universorum, et singulorum civium, et habitatorum civitatis praedictae exposuerunt, quod nos dudum eisdem dedimus certas immunitates, libertates, et franchixias, de quibus constat, et apparet per nostras literas nostro magno sigillo roboratas, et etiam sigillatas, nobis igitur supplicantes, ut nos ipsas libertates, et franchixias eisdem de novo confirmare dignaremur. Quod nos supplicationi, et d praecibus dictorum fidelium nostrorum, nominibus quibus supra nobis factis, in hac parte benigniter inclinati, volentes ipsos gratiose tractare, ut a nobis semper fructum sentiant, et augmentum, ipsas libertates, atque franchixias de quibus apparet per dictas nostras literas hic annexas tam nostro proprio nomine, in quantum ad nos pertinet, quam tutorio nomine illustris Amedei principis Achayae impuberis, cuius tutelam gerimus, approbamus, ratificamus, ac etiam confirmamus, et mandamus nominibus, quibus supra tenore praesentium vicario, iudici, clavario, et aliis officiariis civitatis praedictae tam praesentibus, quam futuris, quatenus ipsas literas, atque franchisias eisdem civibus, et habitatoribus civitatis praedictae inviolabiliter attendant, et observent, et in nullo contrafaciant, vel attemptent, seu facere, vel attemptare praesumant, nec etiam per aliquem in contrarium fieri patiantur, in quantum indignationem nostram perpetuo voluerint evitare. Datum Thaurini, cum appositione sigilli nostri in testimonium praemissorum, die vigesima secunda mensis iunii, anno MCCCLXVIII.

Per dominum, praesentibus dominis
Gulliermo de Grandissono
Antelmo domino Briciarum
Girardo Destres
Petro de Murris, et
Francischo de Longacumba, baylivo vallis Secuxiae.

Literae illustris domini Ludovici domini de Sabaudia principis Achayae confirmantes privilegia, franchixias, immunitates, et libertates concessa, et concessas per illustrem quondam bonae memoriae comitem, et principem Sabaudiae, et Achayae civitati Thaurini supra descriptas, de anno Domini MCCCCII, *die penultima mensis maii, et etiam fidelitatis factae per Communitatis Thaurini sindicos de anno* MCCCCII.

Nos Ludovicus de Sabaudia princeps Achayae etc. Notum facimus universis, quod cum dilecti fideles nostri Philippus Bechuti, et Malanus Gastaudi ambo de Thaurino, suis propriis nominibus, ac velut sindici, et sindicario nomine hominum universitatis, ac Communitatis dicti loci nostri Thaurini, facta prius, et iurata per eos nobis fidelitate, et homagio, modo debito, antedictis nominibus reverenter, per infra nominatum secretarium, et notarium nostrum publico instrumento inde sumpto, nobis supplicaverint humiliter, quatenus immunitates, franchixias, et libertates descriptas in literis bonae memoriae illustris domini nostri, domini Amedei Sabaudiae comitis quondam, etiam confirmatas per literas illustrium dominorum patris, et fratris praedecessorum nostrorum Achayae principum quondam, hiis annexas, quas nobis ista causa exhibuerunt, quasque videri fecimus, et diligenter examinari prout decet, eisdem confirmare, laudare, roborare, et approbare dignaremur una cum eorum capitulis, et bonis consuetudinibus dicti loci nostri, prout, et quemadmodum comites, principes, praedecessores nostri ipsas, et ipsa eisdem contulerunt, approbaverunt, ratificaverunt, et confirmaverunt modis, et formis contentis in eorum literis de actibus praedictis hiis annexis. Ecce quod, nos eorum supplicationi praedictae benigniter inclinati, visis prius, et mature prospectis omnibus, et singulis in ipsis concessionum, et confirmationum literis descriptis, et pensatis de puncto ad punctum diligenter, ipsam Communitatem Thaurini favoribus volentes pertractare gratiosis nostrorum praedecessorum more, ex nostra certa scientia, et deliberato proposito pro nobis, et successoribus nostris libertates, franche-

xias, et privilegia, gratias, immunitates, pacta, et a conventiones, et capitula ipsis nostris hominibus, Communitati, et incolis Thaurini nostrae praedictae civitatis concessas, et concessa, confirmatas, et confirmata per illustres dominos comitem, et principes praedecessores nostros, iuxta suarum praesentibus annexarum literarum vigorem continentias, et effectus, eisdem nostris hominibus incolis, et Communi Thaurini praesentibus, et futuris laudamus, approbamus, ratificamus, et tenore praesentium penitus confirmamus iuxta ipsarum, et cuiuslibet earum continentiam, et effectum, ac per modum, et formam contentos in literis antedictis praesentibus annexis. Promittentes nos princeps praedictus, quantum possumus, et debemus bona fide nostra per praesentes, ac per iuramentum nostrum cor- b porale in manibus nostri secretarii praedicti propter hoc praestitum, et sub nostrorum obligatione bonorum quorumcumque immunitates, franchixias, gratias, conventiones, et pacta, privilegia, bonas consuetudines, et capitula consueta in ipsorum libro originaliter descripta ab antiquo, omniaque, et singula in nostris praesentibus, et annexis literis descripta ipsis nostris hominibus, et civibus, et incolis dictae nostrae civitatis Thaurini, et eorum posteritatibus attendere, et inviolabiliter observare, ipsasque, et ipsa, ratas, et rata, gratas, et grata, firmas, et firma habere perpetuo, et tenere, et in nullo contrafacere, dicere, opponere quomodolibet, vel venire per nos, vel alium, aliqua causa, vel ingenio, de iure, vel de facto; mandantes igitur vi- c cario, iudici, et aliis officiariis nostris Thaurini praesentibus, et futuris, qui pro tempore fuerint, quatenus franchixias, immunitates, privilegia, et gratias, pactaque, conventiones, capitula, declarationes, ordinationesque, confirmationes, et omnia alia, et singula de quibus supra in praesentibus annexis literis fit mentio iuxta ipsarum, et nostrarum praesentium literarum continentiam, et effectum de puncto ad punctum, et in ipsorum robore, et efficacitate attendant, teneant, et observent, attendi, teneri, et observari faciant, et in nullo quomodolibet contrafaciendo, nec fieri permittendo sub nostrae indignationis poena, in quorum testimonium sigillum nostrum iussimus praesentibus apponendum. Datum Pinerolii, die penultima mensis d maii, anno Domini MCCCCII.

Per dominum, praesentibus dominis

Romeo de Canalibus, cancellario etc.

Literae confirmationis, et approbationis suprascriptorum privilegiorum, et franchisiarum, ac immunitatum factae per illustrem dominum Amedeum ducem Sabaudiae Communitati, et hominibus Thaurini, de anno Domini MCCCC *decimo nono, die octava februarii.*

Nos Amedeus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, princeps, marchio in Ytalia, comes Pedemontium, et Gebennensis notum facimus universis, quod nos supplicationi dilectorum fidelium subditorum nostrorum consulum, et Communitatis civitatis nostrae Thaurini super hoc nobis factae benigniter inclinati, visis literis praesentibus annexis libertatum eis per illustres praedecessores nostros recolendae memoriae dominos comites Sabaudiae, et principes Achayae concessarum, et confirmationum annexarum, nec non caeteris omnibus in eis descriptis, volentes Communitatem ipsam dictae civitatis nostrae Thaurini, et homines ipsius Communitatis favoribus pertractare gratiosis, nostrorum more praedecessorum, pro nobis, et successoribus nostris ipsas libertates, franchisias, privilegia, gratias, immunitates, pacta, et conventiones, capitula, et bonas consuetudines earumdem, ac inde factas confirmationes per dictos illustres praedecessores nostros dominos comites Sabaudiae, et principes Achayae in dictis annexis literis nominatos, et iuxta suarum praesentibus annexarum literarum continentias, et effectus laudamus, approbamus, ratificamus, et tenore praesentium confirmamus, promittentes bona fide nostra praedicta inviolabiliter observare; volumusque, et mandamus per universos officiarios nostros praesentes, et futuros inviolabiliter observari. Datum Thaurini, die octava februarii, anno Domini MCCCC decimo nono.

Per dominum, praesentibus dominis

Episcopo Thaurinensi
Anthonio de Claromonte
Io. de Belloforti, cancellario
G. de Montemaiori, mareschallo
Iohanne de Fonte
Guidone de Grolea
Claudio de Saxo.

Literae confirmationis praedictarum franchixiarum concessae de anno Domini MCCCCXXIIII, *die prima mensis iulii.*

Nos Franciscus de Tomatis, legum doctor, iudex civitatis Thaurini notum facimus universis, quod pro parte Communitatis, et sindicorum civitatis praedictae ad instantiam, et requisitionem Petri Probi, civis civitatis praedictae, nobis oblatae fuerunt quaedam franchisiarum literae, in pergameno scriptae, concessae, et emanatae ab illustri domino domino Amedeo quondam comite Sabaudiae Communitati Thaurini sub anno Domini MCCCLX, die XXIIII martii in Montechalerio, sigillo magno dicti illustris domini quondam comitis in pendenti cordono rubro serico sigillatae, et a parte anteriori in cera viridi, et suo parvo sigillo e contra in dorso ipsius magni sigilli, et successivae multae, et novissimae illustris domini nostri Sabaudiae ducis dictarum franchixiarum literae confirmatoriae eisdem franchixiarum literis annexae, vero, et magno sigillo ipsius illustris domini ducis in pendenti sigillatae, quarum inferius tenor est descriptus, et quae sigilla dictarum literarum integra erant in suis impressionibus, et in literis circumscriptis,

quae legibiles apparebant; expositumque, quod di- *a* cta Communitas ad requisitionem dicti Petri, et ipse Petrus pro suo singulari interesse exhibiturus, et fidem facturus de contentis in dictis literis illustri domino nostro Sabaudiae duci, et officialibus suis tam citra, quam ultra montes, et maxime pro nunc de quadam particula ipsarum franchisiarum, et de dictis literis novissime confirmatoriis, periculosum estque dictae Communitati ad remotas, et varias partes, propter viarum, et fortuitorum casuum discrimina, deferre franchisias, et literas praedictas, quatenus eidem exemplum authenticum, seu sumptum per manus publici notarii fieri fecerimus cum nostris auotoritate, et decreto congruentibus ex literis praedictis, et maxime pro nunc de dicta particula, et novissimis confirmatoriis literis inferius *b* descriptis ad finem, quod, retentis per dictam Communitatem in loco solito, et securo dictis originalibus literis, dictum exemplum, seu sumptum dictae particulae, et confirmatoriarum literarum exhiberi valeat in partibus, et locis opportunis, et fides fieri de particula in dicta franchixia descripta, et confirmatione praedicta per exemplum, seu sumptum praedictum. Quas literas tam franchixiarum, quam earum confirmationum ad requisitionem de qua supra, recepimus, palpavimus, tenuimus, et examinavimus, et legimus diligenter, et inter caetera supradictam franchisiae particulam cum confirmatoriis literis praedictis, quia easdem integras invenimus cum eorum sigillis integris non viciatas, non corrosas, non cancellatas, non abolitas, non *c* abrasas, nec in aliqua sui parte suspectas, et inter caetera invenimus dictam particulam, et dictas literas confirmatorias infrascriptis notariis testibus infranominatis ostendimus omni suspicione carentes; attendentes, quod supra requisita per dictam Communitatem, et per dictum Petrum sunt iuri consona, et congruentia aequitati, particulam franchisiae praedictam, et praedictas confirmatorias novissimas literas exemplari requisitas praecepimus per Amedeum Curde de Thaurino, notarium publicum, instrumentum de verbo ad verbum exemplari, quarum quidem franchixiae literarum proemium primo, deinde tenor particulae exemplari requisitae, et subsequenter finis dictae literae, obmissis pluribus aliis particulis non concernentibus ma- *d* teriam de qua in dicta particula fit mentio, et novissime tenor dictarum novissimarum confirmatoriarum literarum inferius describuntur, et primo dicti proemii in haec verba etc.

Nos Amedeus comes Sabaudiae, dux Chablaysii et Augustae, et in Ytalia marchio, notum facimus universis praesentes literas inspecturis, quod in rectam considerationem deducentes fidei puritatem, et veram foederis constantiam, quibus cives, habitatores, incolae, et Commune Thaurini erga nos, nostrosque praedecessores se fideles exhibuerunt pariter, et constantes, volentes eosdem, et posteritates ipsorum, cum de tanta eorum fidelitate ipsos laudare non sufficiat, sed tamquam dignos retributionis maioris, infrascriptis libertatibus, et franchixiis communire, ut quanto se sentiant libertatibus, et amplioribus beneficiis decoratos, ad obsequia ampliora nobis, et nostris successoribus invitentur; igitur nos comes praedictus ad supplicationem humilem, et requisitonem domini Anthonii Mozii iurisperiti, Henrieti Borgexii, Bechuti de Bechutis, et Nicolini Malcavalerii ambaxiatorum nostrae civitatis praedictae, scientes, et spontanei, nullo fraudis ingenio circumventi, pro nobis, nostrisque haeredibus, et successoribus universis praedictis nostris civibus, habitatoribus, et incolis, ac Communi Thaurini pro sè, haeredibus, et successoribus, et posteritate ipsorum, et omnium quorum interest, seu poterit in futurum interesse, libertates, franchixias, immunitates, confirmationes, capitula, privilegia, et beneficia infrascripta concedimus, facimus, indulgemus, et donamus in primis etc.

Tenor vero dictae particulae exemplari requisitae talis est etc.

Item, quod nullus civis, seu habitator Thaurini pro aliqua causa civili, vel criminali, principalis, vel appellationis, possit, vel debeat modo aliquo trahi extra civitatem Thaurini, sed omnes causae tam principales, quam appellationum, cognitiones, definitiones, et sententiae tam criminales, quam civiles cognosci, et definiri debeant in ipsa civitate inter ipsos cives, et contra ipsos; et quidquid fieret contra praedicta sit ipso iure nullum irritum, et inane, eo salvo, et excepto, quod cognitiones, et definitiones super secundis appellationibus possint fieri extra Thaurinum, citra tamen montes, et in terra nostra.

Deinde sequitur finis dictae literae franchisiarum in haec verba.

Promittentes pro nobis, et nostris bona fide per iuramentum nostrum ad sancta Dei evangelia corporaliter praestitum, et sub bonorum nostrorum omnium hypotheca, praedicta omnia, et singula privilegia, libertates, capitula, immunitates, et alia per nos dictis Communi, et hominibus Thaurini in personis praenominatorum domini Anthonii Mozii iurisperiti, Henrieti Borgexii, Bechuti de Bechutis, et Nicolini Malcavalerii nomine dicti Communis concessa, et indulta, rata, grata, firma habere perpetuo, et tenere, et numquam contrafacere, vel venire, nec contrafacere, vel venire volenti consentire, praebereve consilium, auxilium, vel iuvamen, palam, vel occulte, aliqua occasione, vel ingenio, seu quibuscumque coloribus exquisitis. Mandantes capitaneo, vicariis, iudicibus, procuratoribus, castellanis, et nostris caeteris officiariis aliis nostri Sabaudiae comitatus quibuscumque, praesentibus et futuris, quatenus praedicta omnia, ut supra, per nos dicto Communi, et eius posteritati data, concessa, et indulta, sicut concessa sunt per nos, ut praescribitur, attendant inviolabiliter, et observent, et in nullo contrafacient, vel opponant, nec fieri contra ea aliqualiter patiantur. In quorum omnium robur, et testimo-

nium magnum sigillum nostrum praesentibus apponi iussimus, et ad aeternam rei memoriam gestae. Datum in Montechalerio, die xxiiii mensis mai, anno Domini MCCC sexagesimo.

Per dominum, praesentibus dominis

Guliermo de Balma — Ludovico Ravoyr, militibus

Iohanne Ravaxii, cancellario, et

Petro Gerbayxii, thesaurario.

Tenor vero literarum illustris domini nostri Sabaudiae ducis confirmatoriarum dictae franchisiae sequitur in haec verba:

Nos Amedeus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, princeps, marchio in Ytalia, comes Pedemontium, et Gehennensis, notum facimus universis, quod nos supplicationi dilectorum fidelium nostrorum subditorum, sindicorum, et consulum Communitatis nostrae civitatis Thaurini super hoc nobis factae benigniter inclinati, visis literis praesentibus annexis libertatum eis per illustres praedecessores nostros recolendae memoriae dominos comites Sabaudiae, et principes Achayae concessarum, et confirmationum annexarum, necnon caeteris omnibus, et singulis in eis descriptis, volentes Communitatem nostram dictae civitatis nostrae Thaurini, et homines ipsius Communitatis favoribus pertractare gratiosis, nostrorum more praedecessorum pro nobis, et successoribus nostris ipsas libertates, franchixias, privilegia, gratias, immunitates, pacta, conventiones, capitula, et bonas consuetudines eorumdem, ac inde factas confirmationes per dictos illustres praedecessores nostros dominos comites Sabaudiae, et principes Achayae in dictis annexis literis nominatos, et iuxta suarum praesentibus annexarum literarum continentias, et effectus laudamus, approbamus, ratificamus, et tenore praesentium confirmamus, promittentes bona fide nostra praedicta inviolabiliter observari. Datum Thaurini, die VIII februarii, anno Domini MCCCCXIX.

Per dominum, praesentibus dominis

Episcopo Thaurini

Anthonio de Claromonte

Iohanne Belloforti, cancellario

Gaspardo de Montemaiori, mareschalo

Iohanne de Fonte

Guydone de Grolia, et

Claudio de Saxo.

Reddantur literae portatori: Guy Columbi.

Et quia, facta collatione diligenti, nobis praesentibus, audientibus, auscultantibus, et intelligentibus, per notarios infranominatos de praesenti sumpto vidimus, et exemplo ad originales literas praedictas, citato prius, et vocato, et praesente ad haec Nicholao de Coleto de Thaurino, quem praesens negotium tangit, aut praesens tangere poterit in futurum, audienteque, et intelligente, et nichil opponente, dicente, vel protestante, propter quod debeat haec publico impediri, eas, et ea in omnibus concordare invenimus, nichil addito, remoto, vel obmisso, propter quod facti substantia varietur; ea propter praesenti sumpto vidimus, et exemplo tantas vires, et fidem ubique adhiberi decernimus, quantas originalibus literis supradictis, in praedictis auctoritatem nostram interponentes pariter, et decretum. Et ne forte alicui merito caderet in dubium, quod in dictis originalibus literis esset, vel esse posset aliqua conditio vel clausula derogans dictae franchisiarum particulae supra insertae, et contentis in ea, ipsas originales literas tam dictarum franchisiarum, quam earum confirmationum requisiti, ad tollendum dubium supradictum, videre voluimus, et vidimus, et legimus ad plenum, cum bono et sano intellectu, attestantes in verbo veritatis, quod, ipsis perlectis a principio usque ad finem, in eis nichil invenimus, nec percipimus derogatum particulae supradictae, et in ea contentis. In quorum omnium, et singulorum testimonium praesentes fieri iussimus, et nostri sigilli impressione roborari. Datum Thaurini, die prima mensis iulii, anno Domini MCCCCXIIII, praesentibus ultra notarios infrascriptos

Domino Iacobo Cauzonis, doctore in decretis

Francischo Borgexii

Anthonio Cornaglie, et

Iohanne Cimatore, civibus Thaurini, testibus ad praemissa vocatis, et rogatis.

Ego Amedeus Curda de Thaurino, clericus, publicus imperiali auctoritate notarius de mandato dicti domini iudicis praesens authenticum sumptum vidimus, de dictis originalibus sumpsi, extraxi, et exemplavi fideliter, et quia, facta collatione diligenti de praesenti sumpto vidimus, et exemplo cum originalibus literis praedictis in praesentia dicti domini iudicis audientis, ascultantis, et intelligentis, per me dictum notarium una cum aliis infrascriptis notariis, eas, et ea in omnibus concordare inveni, nichil addito, mutato, vel obmisso, per quod facti substantia varietur, idcirco hic me fideliter subscripsi, et signum meum tabelionatus apposui consuetum in testimonium omnium praemissorum.

Ego Iohannes Givoti de Yenna dioecesis Thaurinensis, civis, et habitator civitatis Thaurini, publicus imperiali auctoritate notarius una cum supra, et infrascriptis notariis dictae collationi dum fiebat in praesentia dicti domini iudicis, ascultantis, et intelligentis de praesenti sumpto vidimus, et exemplo ad originales literas praedictas praesens fui, ipsam fideliter, et diligenter ascultavi, audivi, et intellexi, et quia ipsum sumptum vidimus, et exemplum, facta dicta collatione, cum dictis originalibus literis in omnibus concordare inveni, nichil addito, mutato, vel obmisso, per quod facti substantia varietur in aliquo, de mandato dicti domini iudicis me subscripsi, et signum meum apposui consuetum in testimonium praemissorum.

Et ego Matheus Raviola civis Thaurini, publicus imperiali auctoritate notarius una cum supra, et infrascriptis notariis dictae collationi dum fiebat in praesentia dicti domini iudicis ascultantis, et intel-

ligentis de praesenti sumpto vidimus, et exemplo a ad originales literas praedictas praesens fui, ipsamque diligenter, et fideliter ascultavi, audivi, et intellexi, et quia ipsum sumptum vidimus, et exemplum, facta dicta collatione, cum dictis originalibus literis in omnibus concordare inveni, nichil addito, mutato, vel obmisso, propter quod facti substantia in aliquo varietur, de mandato dicti domini iudicis hic me subscripsi, et signum meum tabelionatus apposui consuetum in testimonium praemissorum.

Et ego Petrus Borgexius de Thaurino, publicus imperiali auctoritate notarius una cum supra, et infrascriptis dictae collationi dum fiebat in praesentia dicti domini iudicis ascultantis, et intelligentis de praesenti sumpto vidimus, et exemplo ad ori- b ginales literas praedictas praesens fui, ipsumque fideliter, et diligenter ascultavi, audivi, et intellexi, et quia ipsum sumptum vidimus, et exemplum, facta dicta collatione, cum dictis originalibus literis in omnibus concordare inveni, nichil addito, mutato, vel obmisso, propter quod facti substantia varietur, de mandato dicti domini iudicis hic me subscripsi, et signum meum tabelionatus apposui consuetum, in testimonium praemissorum.

Literae confirmatoriae privilegiorum, et franchisiarum Cavaleti per illustrem Amedeum ducem Sabaudiae, de anno Domini MCCCC *sexagesimo quinto.*

Amedeus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Italia, princeps Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci comes, baro Vaudi, et Foucigniaci, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi dominus. Universis serie praesentium facimus manifestum, quod nos, visis franchixiis, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, conventionibus, et capitulis, illarumque confirmationibus per bonae memoriae illustres praedecessores nostros dilectis fidelibus nostris sindicis, consulibus, hominibus, et Communitati civitatis Thaurini nostrae concessis, factis, et largitis tam hiis annexis, quam aliis, ac ipsis omnibus per nostrum nobiscum residens Consilium diligenter visitatis, et matura eiusdem consilii super d hiis deliberatione praehabita, supplicationi itaque ipsorum sindicorum, consulum, hominum, quos, nostrorum inhaerendo vestigiis progenitorum, favoribus desideramus prosequi gratiosis, super hiis nobis factae benivole inclinati, ex nostra igitur certa scientia pro nobis, nostrisque haeredibus, et successoribus universis praementionatas franchixias, libertates, conventiones, capitula, et immunitates quascumque iam concessas, confirmamus, ratificamus, et approbamus per praesentes, Consiliis nobiscum Chambariaci, et ultra montes residentibus, vicarioque iudici praedictae civitatis nostrae Thaurini, nec non universis, et singulis aliis officiariis nostris mediatis, et immediatis, praesentibus, et futuris, ad quos spectabit, et praesentes pervenerint, ipsorumque officiariorum locatenentibus, et cuilibet eorum propterea mandantes, quatenus ipsas franchixias, immunitates, libertates, et capitula huiusmodi, et nostras confirmatorias literas, secundum earum formam, tenorem, et verum effectum teneant, attendant, et observent, ac per quoscumque teneri, attendi, et protinus observari faciant illaesas. Has literas nostras in testimonium concedentes. Datum Chamberiaci, die vigesima nona martii, anno Domini MCCCCLXV.

Per dominum, praesentibus dominis

Io. de Seysello, domino Bariaci, mareschallo
Io. Claudio de Seysello, magno magistro hospicii
Io. Michaële de Cano, Sedunensi prae.
Ludovico Bonivardi, domino Greliaci
Claudio de Challes, magistro hospitii, et
Humberto Chevrerii, advocato fiscali.

Aliae literae illustris Amedei comitis Sabaudiae pro observatione franchixiarum, et privilegiorum civitatis Thaurini datae Lanceii, de anno Domini MCCCLX, *die* XIX *octobris.*

Amedeus comes Sabaudiae etc. dilectis nostris capitaneo Pedemontium, vicario, iudici, ac clavario Thaurini, et nostris officiariis quibuscumque citramontanis praesentibus, et futuris salutem, et sincerae dilectionis affectum. Fidelium nostrorum dilectorum sapientum, sindicorum, et Communis ci- c vitatis nostrae Thaurini cepimus querimoniam, quod cum *cum terra Pedemontis* (1), vigore latae pro nobis, et contra fratrem nostrum carissimum dominum principem Achayae sententiae, civitas Thaurini, et alia terra Pedemontium ad nostram ditionem, et segnoriam pervenit, eisdem fidelibus, et civibus nostris certa privilegia, franchixias, et immunitates concessimus, et indulximus, nostro sigillo roboratas, ad finem, quod perpetuo vos, et caeteri nostri officiarii sibi, per nos concessa, observaretis, et observari iuberetis, sicut nostrae fuit, et est intentionis in ipsis singulis capitulis, atque punctis, quod vos, et vestrum nonnulli dictas franchisias, libertates, immunitates, et privilegia tam universaliter, quam singulariter minime observastis, sed contra ea procedentes in certis, et singulis capitulis ea infrinxistis, et infringitis, nec tenorem dictarum super hoc eis concessarum literarum observare curastis, neque etiam vultis de praesenti, petentes super hiis per nos de remedio provideri. Cum igitur rei intersit publicae, nosque ad haec affectualiter anhelemus subditos nostros prosequi favorabiliter, et benigne, ipsosque locupletari velle, et per nos promissa eis effectuabiliter attendi, et etiam observari, in nostrae mentis consideratione revolventes affectionem, et sinceram dilectionem, quam apud nos habent, et opere praetendunt se habere,

(1) Haec verba leguntur in codice; sed incuria amanuensis excidisse videntur, et pro superfluis haberi possunt.

et servitia, quae nobis die, noctuque impendere satagunt, et nec finiunt ad ea studio vigili insudare, vobis, et vestrum singulis praecipimus, et mandamus omnino volentes, quatenus franchixias, libertates, privilegia, et immunitates quaecumque, et quascumque per nos eis datas, et data, concessas, et concessa observetis per omnia, secundum literarum per nos eis concessarum formam, continentiam, et tenorem, et in nullo contrafaciatis, opponatis, vel obviatis quoquomodo, sic etiam in praemissis vos habentes, quod de inobedientia, et contemptu non possitis reprehendi, quodque dicti cives, et fideles nostri pro non observantia praemissorum iustam ad nos non habeant materiam recurrendi. Quod si faceretis ingratum haberemus, ac molestum. Datum Lanceii, sub sigillo causarum appellationum Sabaudiae, nostro absente cancellario, die XIX octobris, anno Domini MCCCLX.

Per dominum, relatione dominorum
Ludovici Ravoyr
Aymonis de Chalant, et
Y. de Sors, militibus.

Literae illustris Amedei comitis Sabaudiae cassationis capituli antiqui, scripti in libro capitulorum civitatis Thaurini sub rubrica de corrigendo capitula per dominum, datae de anno Domini MCCCLX, *die* XXIII *martii.*

Nos Amedeus comes Sabaudiae notum facimus universis, et singulis praesentes literas inspecturis, quod nos, viso, et examinato quoddam capitulo antiquo, scripto in libro capitulorum civitatis Thaurini sub rubrica de corrigendo capitula: « per dominum comitem fiant capitula, declarentur, interpretentur, mutentur, emendentur, corrigantur, et eis addatur, vel substrahatur quotiens, et quandocumque sibi videbitur faciendum, et quod ista capitula, et statuta observentur, quamdiu ipsi domino placuerit, et non ultra, servatis semper conventionibus habitis inter ipsum dominum comitem, et cives praedictos », prout in instrumento publico manu magistri Alberti de Baldessero notario confecto etc. haec plenius continentur, volentes nos Amedeus comes antedictus complacere, et gratiam facere specialem Communi, hominibus, et personis dictae civitatis nostrae Thaurini, ut per ipsos fuimus requisiti, et nobis instanter extitit supplicatum, de gratia speciali tollimus, cassamus, et totaliter annullamus supradictum capitulum, ac omnia, et singula in praesenti capitulo contenta, ita quod dicto capitulo, nec aliquibus in eo contentis deinceps nos, nec successoribus nostris aliqui alii uti possimus, vel valeamus, sed solummodo volumus valere, et tenere, et observare libertates, et franchisias per nos nuper Communi nostro Thaurini praedicto concessas, de quibus patet per nostras literas nostro magno sigillo sigillatas sub anno Domini MCCCLX, et sub sigillo iudicaturae Sabaudiae, cancellario nostro absente.

Per dominum, praesentibus dominis
Episcopo Thaurini
Gullielmo de Balma
Humberto de Coigni, et
Roberto Pugini, iudice Sabaudiae.

(XXXIII)

Literae illustris domini Amedei comitis Sabaudiae, quod omnes possessiones existentes in finibus Thaurini, et etiam in ipsa civitate sint obligatae ad solvendum taleas, et onera dictae civitatis, nec aliquo modo possint alienari in personas privilegiatas. Datae Thaurini, die XXIIII *iulii, anno Domini* MCCCLXVI.

Nos Amedeus Comes Sabaudiae, et tutor illustris Amedei de Sabaudia principis Achayae, nepotis, et fidelis nostri carissimi, notum facimus universis, quod nos circa rem, et utilitatem publicam nostram, ut convenit, animum applicantes ad supplicationem fidelium, et civium nostrorum credendariorum, et consiliariorum civitatis Thaurini, et civium nostrorum super hiis nobis factam, pro nobis, et successoribus nostris, quo supra nomine, voluntate, et consensu dictorum credendariorum, statuimus, ac etiam ordinamus, prout infra, videlicet, quod omnes, et singulae possessiones, et res immobiles tam in civitate, quam in finibus, et territorio, iurisdictione, districtu dictae civitatis existentes, quae tenerentur, et de praesenti obligatae sunt ad contribuendum, et contribuerunt ad solutionem talearum, et onerum civitatis praedictae Thaurini, et possidentur de praesenti, atque, Deo propitio, tenebuntur, et possidebuntur tam per cives, quam habitatores Thaurini, sive iurisdictionis eiusdem, quam etiam per quasvis extraneas personas, perpetuo sint, et esse debeant obnoxiae, et obligatae versus Commune, et universitatem civitatis Thaurini ad solvendum, et pro solvendo taleas, collectas, et alias impositiones pecuniarias, sive reales, in futurum imponendas, sive supportandas per ipsum Commune, sive universitatem dictae civitatis Thaurini, ita quod vigore praesentis statuti, sive capituli, quod vim civilis iuris, et municipalis dictae civitatis Thaurini habere volumus, ipsae res immobiles ex nunc sint obligatae, et obnoxiae realiter obligatione reali, ex lege civili, et municipali civitatis Thaurini versus ipsam Communitatem, et universitatem civitatis Thaurini, sic et taliter, quod ipsae res immobiles perpetuis temporibus ullomodo inter vivos, seu causa mortis, contractu, seu specie alienationis non possint alienari, vel transferri in aliquam personam, collegium, vel universitatem, etiam quae, vel quod de iure ad solutionem talearum non tenerentur, nisi cum onere, et obligatione suprascriptis; ita quod ad quemcumque de caetero ipsae res transferantur, transire debeant, et transeant ipso iure, et facto obligationi astrictae, obnoxiae, et affectae

auctoritate, et dispositione praesentis statuti ad solutionem praedictam fiendam. Mandantes tenore praesentium omnibus, et singulis capitaneis, baylivis, castellanis, et aliis nostris officiariis praesentibus, et futuris quibuscumque, quatenus praesens statutum, et ordinationem, et omnia in praesentibus literis contenta firmiter teneant, et observent, nihil in contrarium faciendo. Datae Thaurini, die decimatercia mensis iulii, anno Domini MCCCLXVI. a

Per dominum, relatione dominorum
G. Destres, cancellario
B. domino Cyngini
Io. de Canalibus
So. Dodolis, iudice vallis Secuxiae
M. de Trosso. b

(XXXIV)

Literae compulsoriae districtualium, et vassalorum Communitatis Thaurini super solutione taxi, concessae per illustrem Amedeum de Sabaudia, de anno MCCCLXXVIII, *die* XV *mensis februarii.*

Nos Amedeus de Sabaudia, princeps Achayae notum facimus universis, quod cum per homines, et Communitates nostras Pedemontium taxum, seu subsidium nobis nuper concessum extiterit gratiose, certis futuris temporibus duraturum, et inter loca alia per homines, et Commune civitatis nostrae Thaurini, c qui homines, et Commune dicti taxi, seu subsidii solutionem nobis annis singulis faciendam, durantibus dicti taxi temporibus, commode supportare non possint, nisi per eorum circumstantes districtuales, et vassallos congruum auxilium reportarent, prout ipsorum parte facta nobis super hoc supplicatio continebat, quod nos praedictos circumstantes districtuales, et vassallos eorumdem in praedictis nobis singulis solutionibus cum eisdem nostris civibus faciendis contribuere volumus; et sibi factis de praedictis taleis, et tassationibus competentibus ipsorum ad earum solutionem per vicarium, et iudicem nostros Thaurini praesentes, et futuros, et deputandos, ab eis, et quolibet in solidum compelli volumus efficaciter, et iubemus. Dilectis fidelibus d nostris dominis, et hominibus de Beynasco, et caeteris ad quos pertinet mandantes expresse, quatenus in singulis solutionibus nobis de tasso praedicto pro parte civium nostrorum faciendis quantitates sibi rationabiliter imponendas in manibus massarii dictae civitatis praesentis, et futuri solvant, et expediant realiter sine defectu, et contradictione aliquibus. Datae Pinerolii, die decimaquarta mensis februarii, anno Domini MCCCLXXVIII.

Per dominum, relatione dominorum
Bartholomei de Chignino
Aymonis Bonivardi
Amedei Simeonis, militis, et
Amedei Gay, doctoris.

(XXXV)

Absolutoria quorumdam delictorum commissorum per Communitatem Thaurini tam in Ayrali de Grassis, quam in Montechalerio concessa per illustrem dominum Amedeum de Sabaudia principem Achayae, de anno Domini M *tercentesimo octuagesimo quarto, die tertia aprilis in Ripolis.*

Nos Amedeus de Sabaudia, princeps Achayae. Per has nostras patentes literas notum fieri volumus universis, quod cum nostra Communitas Thaurini, et nonnullae singulares personae eiusdem, vexillo elevato, voce praeconia cum armis ad Ayrale de Grassis, quod praetendunt esse in finibus Thaurini, accessissent, ibidem certis muris dicti Ayralis per eos deruptis, inde segetes, et legumina exportaverunt, ob certas bestias bovinas certorum hominum Grugliaschi per Ulrietum Simeonem de possessionibus dicti Ayralis ad locum Montischalerii adductas, ob quarum bestiarum recuperationem ad ipsum locum Montischalerii accedendo rumorem fecerunt, ob quae delicta, et maleficia per nostros officiales contra ipsam Communitatem, et singulares personas eiusdem fuissent processus formati, plura etiam alia enormia committendo, de quibus ipsis processibus mentio habetur.

Volentes ipsam Communitatem, et singulares personas eiusdem tractare favoribus gratiosis, et cum eadem benigne transigere, ut decet, plurimorum militum, et aliorum dilectorum nostrorum praecibus inclinati, ipsam Communitatem, et singulares personas eiusdem a praedictis maleficiis, et processibus formatis, et formandis contra eosdem occasione praedictorum, tenore praesentium absolvimus, et quittamus, et hoc pro quatuordecim florenis auri, boni ponderis, quos confitemur habuisse, et recepisse a praedicta Communitate, et singularibus personis eiusdem, manu Gulielmi de Caluxio, thesaurarii nostri, qui de ipsis nobis in suo primo computo computare debebit. Mandantes officiariis nostris, quatenus quoscumque processus formatos contra ipsam Communitatem, et singulares personas eiusdem de libris de curia aboleant, et cancellent, et praedicta servent, attendantque perpetuo inviolabiliter cum effectu, quae rata, grata, et firma nos habituros promittimus bona fide nostra, et non contrafacere, vel venire. Datum Ripolis, die tercia aprilis, anno Domini MCCCLXXXIIII, appositione sigilli.

Per dominum, praesentibus dominis
Ludovico de Sabaudia, et
Bartholomeo de Chignino.

(XXXVI)

Privilegium papale pontis Padi civitati Thaurini concessum per sanctissimum papam Martinum, datum Thaurini, die VII kalendis octobris, pontificatus sui anno primo.

Martinus episcopus servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore concessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extremae, misericordiae operibus praeuenire, et aeternorum intuitu seminare in terris, quod cum multiplicatu fructu recolligere valeamus in coelis; firmam spem, fiduciamque tenentes, quod qui parce seminat, et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam aeternam. Cum itaque, sic accepimus, dilecti filii, nobilis vir Ludovicus princeps Achayae, et Commune suae Thaurini civitatis, pensantes fore plurimum necessarium, et ad rem publicam partium illarum, ac commodum, quod pons unus lapideus super Padum, vel prope dictam civitatem, ubi ligneus unus situs est, haberetur, ac considerantes, quod antiquitus in eo loco sic lapideus unus extructus fuerat, qui tamen ex adverso quodam aquarum magno diluvio superveniente corruit, hocque nimirum exemplo coniectantes, modernum pontem praedictum, qui ligneus, et longe minoris fortitudinis existit, non posse per longum tempus illius ferre fluminis impetum, quo etiam maxime dum paulo plus increscit, pons ipse proximum casum declinare videtur, huiusmodique periculum, antequam eveniat, praecavere, communique transeuntium in hac parte providere saluti cupientes, unum lapideum pontem loco illius lignei, non sine maximis sumptibus construi facere inceperint, ad cuius consummationem duodecim millia florenorum vix posse sufficere per tantum tempus extimatur. Nos cupientes ut opus ipsum celerius ad complementum perveniat, universitatem nostram monemus, rogamus, et hortamur attente vobis in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus, de bonis a Deo vobis collatis, ad hoc pias eleemosinas, et grata charitatis subsidia erogetis, ut per subventionem nostram huiusmodi, dictus pons sic inceptus valeat perfici; vosque per hoc, et alia bona, quae, inspirante domino, feceritis ad aeternae possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus, et confessis, qui ad constructionem, et perfectionem dicti pontis saltem grossos tres, monetae in illis partibus usualis, erogaverint pro singulis vicibus tres annos, et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus post duodecim annos minime valituris; quas mitti per quaestarios districte inhibemus, eas, si secus actum
a fuerit, carere viribus decernentes. Volumus autem, quod receptores eorum, qui ad haec sic erogata percipienda fuerint de illis locis ordinati annis singulis interim rationem reddere teneantur. Datum Thaurini, VII kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo.

Aliud privilegium sanctissimi papae Martini concessum Communitati Thaurini ad constructionem pontis Padi dictae civitatis Thaurini, anno primo pontificatus sui.

Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis priori monasterii sancti Andreae Thaurinensis per priorem soliti gubernari, et praepo-
b sito beatae Mariae de Cherio Thaurinensis dioecesis salutem, et apostolicam benedictionem. Piis fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Cum itaque nos hodie, universis Christi fidelibus ad continuationem, et perfectionem operis seu fabricae pontis supra Padum prope Thaurinum consistentibus, manus porrigentibus adiutrices, nonnullas indulgentias, et peccatorum remissiones per alias nostras literas, sub certa tunc expressa forma, duxerimus concedendas, prout in eisdem literis plenius continetur, nos cupientes, ut pons ipse, qui, sicut accepimus, incolis, et habitatoribus praedictarum aliarum illis convicinarum partium valde necessarius existit, celerius perficiatur, dilectorum filiorum nobilis Ludovici de Sa-
c baudia principis Achayae, et Communitatis Thaurini asserentium se, ad eiusdem pontis continuationem, seu perfectionem, etiam propriis bonis non parcendo, pro viribus intendere, supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum per vos, vel alium, seu alios delegatos per quascumque personas Thaurinensis, ac Yporegiensis, et Montisregalis civitatum, et dioecesis in pecuniis, ad pios, tamen incertos, usus iam relictis, seu in posterum relinquendis, et de quibus constare non poterit, quibus personis, seu ecclesiis, aut piis locis sit eorum solutio facienda, summam, seu valorem trium millium florenorum auri, in perfectionem, et ad opus huiusmodi dicti pontis convertendam, quam
d etiam ad hoc auctoritate apostolica concedimus, et etiam assignamus, receptoribus, ad id per principem, et Communitatem praedictos deputandis, auctoritate praedicta, per illos, apud quos huiusmodi legata consistunt, aut consistent pro tempore, tradi faciatis realiter et etiam assignari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus apostolicis, ac provincialibus, et synodalibus constitutionibus, nec non voluntate, et ordinatione testatorum eadem legata ad incertos pios usus huiusmodi, ut praemittitur, relinquentium, et aliis contrariis quibuscumque si aliquibus communiter, vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas aposto-

licas, non facientes plenam, et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod personae, quae legata huiusmodi receptoribus eisdem persolverint, summas, sic per eas solutas, in alios usus convertere ulterius minime teneantur, super quo a nobis dari iubemus eisdem quittantias opportunas; quodque receptores praefati de receptis pro tempore per eosdem loci ordinariis annis singulis reddere teneantur rationem. Datum die VII kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo.

(XXXVII)

Instrumentum fidelitatis factae per Communitatem Thaurini illustri domino domino Amedeo duci Sabaudiae de anno Domini MCCCCXVIII, *die sexta decembris.*

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem sumpto millesimo quatercentesimo decimo octavo, indictione undecima cum eodem anno sumpta, et die XVI mensis decembris. In castro civitatis Thaurini, videlicet in camera parlamenti, praesentibus reverendis in Christo patribus dominis Aymone de Romagnano, episcopo Thaurinensi, Iohanne Seyturerii, abbate Sancti Michaëlis de Clusa, necnon dominis Anthonio de Claromonte, Iohanne de Belloforti, cancellario, Humberto, bastardo de Sabaudia, Gaspardo de Montemaiori, mareschallo Sabaudiae, militibus, Georgio domino Feruzaschi, Iohanne de Fonte, et Iacobo Surleoni legum doctoribus, ac pluribus aliis testibus ad haec vocatis, et rogatis. Serie huius publici instrumenti cunctis fiat manifestum modernis, et posteris, quod constituti in praesentia illustrissimi principis domini domini Amedei ducis Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, principis, marchionis in Ytalia, comitis Pedemontium, et Gebennensis egregii, et honorabiles viri dominus Ribaldinus Bechuti, et Salvestrius de Ruere nec non Katelinus de Gorzanis, et Malanus Gastaudi, sindici, et sindicario nomine hominum, et communitatis Thaurini, docentes de eorum sindicatu quodam publico instrumento scripto, et signato per Iohannem Papa notarium, qui siquidem eorum spontanea voluntate, et non improvide, nec per errorem suis propriis, sindicarioque nominibus dictorum hominum, et Communitatis Thaurini pro se, suisque, et totius Thaurini haeredibus, et successoribus, et posteritatibus quibuscumque, reverenter genibus flexis, manibusque iunctis inter manus ipsius domini nostri ducis positis, ac interveniente oris osculo in signum perpetui amoris, et indissolubilis foederis, cum aliis solempnitatibus in talibus opportunis unus post alium fecerunt, praestiterunt, recognoverunt, polliciti sunt, et confessi fuerunt homagia ligia, et fidelitates ligias, ac homagiorum, et fidelitatum debita sacramenta dicto illustri principi domino Sabaudiae duci

a pro se, suisque haeredibus, et successoribus universis, haec omnia stipulanti, et solempniter recipienti, scilicet prout melius, et sanius videtur, et fieri, et intelligi potest pro thuitione, incolumitate, et honestate domini nostri ducis, suorumque haeredum, et successorum praedictorum, et sub pactionibus, conventionibus, et capitulis, modis, et pactis, et formis, quibus praedecessores sui, et ipsi illustribus bonae memoriae principibus Achayae, quondam praedecessoribus dicti domini nostri, homagiaverunt, et fidelitates praestiterunt, fueruntque per eosdem revestiti, et retenti. Et hoc ratione, et ad causam tam personarum suarum, quam omnium, et singularum apendentiarum iurium, et territorii, et dominiorum ad ipsam civitatem, et
b Commune Thaurini quomodolibet spectantium, et promiserunt dicti sindici nominibus praedictis, et eorum quilibet principaliter, et in solidum in manibus mei notarii, et secretarii etiam subscripti, supra, et infrascripta omnia, et singula solempniter recipientis ad utilitatem dicti domini ducis, et suorum praedictorum, ac omnium aliorum quorum interest, et interesse quomodolibet poterit in futurum, per eorum, et cuiuslibet ipsorum propria iuramenta super sanctis evangeliis praestita, et sub suorum cuiuslibet, dictique populi expressa obligatione, et hypotheca bonorum omnium mobilium, et immobilium, praesentium, et futurorum, se se perpetuo existere fideles, probos, et legales homines dicto domino nostro duci Sabaudiae, eiusque
c haeredibus, et successoribus praedictis, ipsiusque corpus, et membra posse tenus honorare, et servare, eiusque statum, honorem, et commoda ubique procurare, et augere, inutilia evitare, sibique revelare quam primum ad eorum, vel alterius ipsorum pervenerit noticiam, eademque domino nostro duci, et suis praedictis facere, et praestare, quae homines fideles, et ligii domino suo singulari, naturali, et ligio facere tenentur, et debent, et quae in forma fidelitatis nova, et veteri plenius continentur, hasque confessionem homagiorum, et fidelitatum praestationem, ac omnia alia supra, et infrascripta ratas, gratas, firmas, et validas, et valida in perpetuum habere, tenere, attendere, complere, et inviolabiliter observare, et numquam con-
d trafacere, dicere, vel venire, seu contrafacere, vel venire volenti in aliquo consentire, et praebere consilium, auxilium, vel favorem, tacite, vel expresse. Renuntiando hoc facto sub vi eorum iuramentorum supra praestitorum, omni actioni, et exceptioni doli mali, vis, metus, et in factum, conditioni ob causam, sine causa, vel ex iniusta causa, iuri per quod deceptis in contractibus subvenitur, iurique dicenti confessionem extra iudicium, vel non coram suo iudice factam minime valere, et omni iuri alii canonico, et civili, per quod contra praemissa, vel ipsarum aliqua facere, dicere, vel venire possent, seu aliquis ipsorum posset in aliquo se tueri, maxime iuri dicenti generalem renunciationem non valere, nisi praecesserit

specialis. De quibus omnibus praefatus dominus noster dux fieri iussit, dictique sindici nomine praemisso per me notarium, et secretarium subscriptum sibi fieri petierunt duo, et plura tenoris eiusdem publica instrumenta. a

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, comes Pedemontium, et Baugiaci, Valentinensisque, et Diensis. Universis serie praesentium fiat manifestum, quod nos attendentes diurna, laudabiliaque servitia per dilectum fidelem consiliarium, secretariumque nostrum Iohannem de Dynona, nuper defunctum tam nobis, quam pro genitoribus nostris multimode impensa, etiam illa, quae dilectus fidelis secretarius noster Petrus Dynone eius filius non desinit; idcirco his, b et aliis iustis moti respectibus ex nostraque certa scientia, protocolla tam propria, quam commissa, quae quondam fuerint Iohannis sui patris, eidem Petro deposcenti, et cum gratiarum actione acceptanti conferimus pariter, et committimus per praesentes levanda, ingrossanda, signanda, et in formam publicam redigenda, ac partibus, quibus intererit, ut convenit expedienda eorum sumptibus moderatis, imitando stilum per dictum quondam Iohannem patrem suum in talibus assuetum, vera tamen ipsorum substantia in aliquo non mutata. Ipse enim Petrus promisit corporaliter, et iuramento sub suorum omnium expressa obligatione bonorum circa promissa legaliter se habere, prout ius, et nostra deposcunt Sabaudiae statuta. Has literas nostras ei- c dem Petro in testimonium concedentes. Datas Chamberiaci, die duodecima ianuarii, anno Domini MCCCC quadragesimo secundo.

Per dominum, praesentibus dominis
Petro Marchiandi, cancellario
Iohanne domino Bariaci, mareschallo Sabaudiae.
Iohanne domino Chautagne
Bartholomeo Chabodi, praesidente computorum
G. Bolomerii, magistro requestarum
Guigone Gerbaysii
Io. de Costis, et
Marineto Armandi.

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque per- d petuus, marchio in Ytalia, comes Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci, baroque Vaudi, et Fociniaci, ac Niciae, et Vercellarum dominus. Dilecto secretario nostro Petro Dynone salutem. Supplicationi tuae super his nobis factae favore benivolo inclinati, praesertim ne, causantibus diversis tam nostris, quam aliis, quibus occuparis negotiis, partes, quas tuorum concernunt instrumenta protocolorum, de eis penuriam, vel iacturam patiantur, aliisque bonis moti considerationibus, tibi de gratia speciali licentiam praesentibus impertimur quaecumque instrumenta per te recepta, et in posterum recipienda etiam tam tuorum, quam tibi commissorum, et committendorum protocollorum per notarios sufficientes, et ydoneos, quos ad haec quoscumque coadiutores tuos sic levanda te propria manu subscribere fideliter, et signare tenearis, quibus proinde tantam fidem decernimus fore adhibendam, quam tua, si tua propria manu protinus scripta adessent, has literas nostras tibi in testimonium praemissorum concedentes. Datas Gebennae, die decimaseptima februarii, anno Domini M quatercentesimo quinquagesimo primo.

Per dominum, praesentibus dominis
Iacobo de Turre, cancellario
Io. domino Bariaci, mareschallo Sabaudiae
Amedeo de Chalant, domino Vareti
Petro de Grolea, domino Sancti Andreae
Iacobo de Valperga, praesidente
Petro de Menthone
Francischo de Thomatis, praesidente Gebennensi
Vauterio Chabodi
Anthonio Boverii
Anthonio de Iudicibus, advocato fiscali
Gulliermo de Viridario
Iacobo Maynerii, thesaurario.

Ego vero Petrus Dynone de Thaurino, Gracionopolitanae dioecesis publicus imperiali auctoritate notarius, et illustris principis domini nostri Sabaudiae, etc. ducis secretarius, vigore commissionum per ipsum dominum nostrum ducem mihi impertitarum, quarum tenores de verbo ad verbum superius sunt insertae, suprascriptum publicum homagii, et fidelitatis instrumentum per egregium Iohannem Dynona consiliarium, et secretarium dicti domini ducis patrem meum quondam receptum, de prothocollis suis michi commissis, aliis arduis occupatus, per Iohannem de Voysa notarium Bellicensis dioecesis, in hac parte coadiutorem meum, levari, scribi, et in hanc publicam formam redigi feci; deinde in eodem manu propria me subscripsi, et signum meum tabellionatus consuetum apposui ad corroborationem, et veritatis testimonium omnium, et singulorum in dicto instrumento contentorum, proinde illud tradidi fideliter, et expedivi ad opus Communitatis, et hominum civitatis Thaurini, et districtus eiusdem, etc.

(XXXVIII)

Aliud instrumentum fidelitatis Communitatis, et hominum civitatis Thaurini, factum de anno Domini MCCCCLXV, *die undecima mensis februarii.*

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem Domini sumpto millesimo quatercentesimo sexagesimo quinto, indictione decima tertia cum eodem anno sumpta, die vero duodecima mensis februarii, in civitate Thaurini in domo Communis dictae civitatis, in camera videlicet, qua Consilium eiusdem civitatis teneri solet, praesentibus nobilibus,

et egregiis Anthonieto Lyseti de Belicio, vice vicario a
eiusdem civitatis Thaurini, Glaudio Maleti de Yenna, receptori, Simondo Pingonis de Poncieto ducali procuratore fiscali cismontano, et Guneto Fabri ducali secretario de Burgo in Bresia, testibus ad haec vocatis specialiter, et rogatis. Serie huius publici instrumenti cunctis modernis, et posteris fiat manifestum, quod constituti ante praesentiam mei notarii, sive spectabilium dominorum consiliariorum illustris principis, et excelsi domini Amedei ducis Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii principis, vicariique perpetui, marchionisque in Italia, principis Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci comitis, baronis Vaudi, et Fouginaci, ac Niciae, et Vercellarum domini, Philiberti de Palude, eiusdem domini nostri ducis chambelani, et domini b
sancti Iuliani, et Gulliermi de Corgenone domini de Peres ad haec, parte praefati domini nostri ducis, deputati, et huc destinati, eisdem assistente spectabili doctore, ducalique consiliario, et primo collaterali magnifici Consilii cismontani antedicti, domino Vifredo Alingy; exhibitis literis credentialibus, quarum sequitur tenor, et est talis.

A nos chiers, et bien amés, et féaulx les sindiques, Conseil, et Communité de Thurin Amé duch de Savoye. Chiers, biens amés, et féaulx nous envoyons présentement par de la mons nos très-chiers bien amés, et féaulx consiliers les sieurs de la Palu, et de Peres ès quelz, et à chacunt d'eulx avions commis auchunes choses pour vous dire da nostre part; si vous prions, et mandons très-accertés, c
que sour ycelles les vueuliex croire féableament comme nous-mesmes, et vous y employer ainsi que avons singuliaire confiance. Et Dieu, chiers bien amés, et féaulx, que vos ayt à garde. Escripte à Bourg, le pénultime jour de jayvier MCCCCL V. *Ayatand.* Et audita, et exposita credentia eis commissa, nobiles, et egregii Petrus de Broxulo, et Georgius de Vialetys sindici, et sindicario nomine Communitatis, et hominum civitatis Thaurini, nec non et credendarii, seu consiliarii dictae civitatis Thaurini, videlicet spectabiles domini Iohannes de Grassis comes, et iuris utriusque doctor, et Christophorus de Nicelis, legum doctor, ac etiam nobilis Philippinus de Bechutis, Dominicus Borgexii, Thomas de Gorzano, Michaël de Aynardis, Anthonietus de Chabaliata, d
Bonifacius de Pavayrolio, Iohanne Philippus de Broxulo, Bartholomeus de Crovexio, Oliverius de Crovexio, Iacobus de Probis, Batista de Alamanis, Georgius Carcagni, magister Emanuel de Capella, Iulianus de Romagnano, Micheletus Daherii, Ioannes Tinctoris, Anthonius Buffati, Nicholaus Dyana, Claudius de Probis, Claudius Feluxii, Thomas Gastaudi, Bartholomeus Cortexii, Iacobus Choconi, Anthonius de Cassanis, Millanus Iorderie, Abondius de Parvo Passu, Millanus Ferrerii notarius, Christophorus Vayra, Iohannes de Bonaudis, Iacobus Marescaleti, Anthonietus Ravoti, Claudius Roleti, Odonus Vaudagne, Bartholomeus Gunety, Michaël de Vanotis, Christophorus de Angeletis, scriba curiae Thaurini, qui siquidem sindici, et homines suprascripti maiorem partem credendariorum, et consiliariorum dictae civitatis repraesentantes, tam suis nominibus, quam ipsi sindici sindicario nomine ipsorum hominum, et Communitatis Thaurini, et membrorum, et locorum subiacentium, et pertinentium eidem Communitati, eorum, et cuiuslibet eorum spontaneis voluntatibus pro se, suisque, et totius populi Thaurini, et dictorum locorum, haeredibus, et successoribus, et quibuscumque posteritatibus, unus post alium fecerunt, praestiterunt, recognoverunt, polliciti sunt, et confessi fuerunt homagia ligia, et fidelitates ligias, homagiorum, et fidelitatum debita sacramenta dicto domino nostro duci, in praesentia, et manibus praedictorum spectabilium dominorum sancti Iuliani, et de Peres pro praefato domino nostro duce, suisque haeredibus, et successoribus universis haec omnia stipulantium, et solempniter recipientium, prout melius fieri, et sanius intelligi potest pro tuitione, et incolumitate, et honestate dicti domini nostri ducis, suorumque haeredum, et successorum praedictorum, ac sub pactionibus, conventionibus, et capitulis, modisque, pactis, et formis, quibus praedecessores sui illustribus bonae memoriae principibus Achayae quondam, et successive felicis, et numquam delendae memoriae, clementissimo domino nostro legato, tunc Amedeo duci Sabaudiae, praedecessoribus dicti domini nostri, homagiaverunt, et fidelitatem praestiterunt, fueruntque per eosdem revestiti, et retenti. Et hoc tam ratione, et ad causam personarum suarum, quam omnium, et singularum apenditiarum, iurium territorii, et dominiorum ad ipsam civitatem, et Commune Thaurini quomodolibet spectantium, et promiserunt dicti sindici nominibus praedictis, et ipsi omnes suprascripti tam eorum nominibus propriis, quam totius Communitatis, et hominum dictae civitatis, et suorum apendentium, et eorum quilibet principaliter, et in solidum unus post alium in manibus tam dictorum dominorum sancti Iuliani, et de Peres, quam mei notarii, et secretarii subscripti supra, et infrascripta omnia, et singula solempniter recipientium, stipulantium, et acceptantium ad utilitatem dicti domini nostri ducis, et suorum praedictorum, et omnium aliorum, quorum interest, intererit, et interesse poterit quomodolibet in futurum, per eorum, et cuiuslibet ipsorum propria iuramenta super Dei evangeliis praestita, et sub suorum, et cuiuslibet ipsorum, dictique populi omnium expressa obligatione bonorum mobilium, et immobilium se se perpetuo existere fideles, probos, et legales homines dicto domino nostro duci Sabaudiae, eiusque haeredibus, et successoribus praedictis, ipsiusque corpus, et membra possetenus honorare, et servare, eiusque statum, honorem, et commodum, ubique procurare, et augere, inutilia evitare, sibique relevare quam primum ad eorum, vel alterius pervenerit notitiam, eidemque domino nostro duci, et suis praedictis facere, et praestare, quae homines fideles, et ligii

domino suo singulari, et naturali, et ligio facere a tenentur, e debent, et quae in forma fidelitatis nova, et veteri plenius continentur; hasque confessionem homagiorum, et fidelitatum praestationem, ac omnia alia supra, et infrascripta, rata, grata, valida, et firma in perpetuum habere, tenere, attendere, complere, et inviolabiliter observare, et numquam contrafacere, dicere, vel venire, seu contrafacere, vel venire volenti, in aliquo consentire, aut praebere consilium, auxilium, vel favorem tacite, vel expresse; renunciando in hoc facto, sub vi eorum iuramentorum supra praestitorum, omni actioni, et exceptioni doli mali, vis, metus, et in factum, condictioni ob causam, sine causa, vel ex iniusta causa, iuri, per quod deceptis in contractibus subvenitur, iurique dicenti confessionem b extra iudicium, vel non coram suo iudice factam non valere, et omni alii iuri canonico, et civili, per quod contra praemissa, vel ipsorum aliqua facere, dicere, vel venire possent, seu aliquis ipsorum posset se thueri in aliquo, maxime iuri dicenti generalem renunciationem non valere, nisi praecesserit specialis; de quibus omnibus praefati nobiles domini sancti Iuliani, et de Peres, nomine, et ad opus praefati domini nostri ducis, dictique sindici, et alii credendarii, et consiliarii superius nominati, nominibus praemissis, per me notarium, et secretarium subscriptum fieri petierunt duo, et plura tenoris eiusdem publica instrumenta, etc.

Et ego Franciscus Garzonis de Tressortio Lugdunensis dioecesis, publicus imperialis notarius, c ac curiarum quarumcumque illustrissimi principis, et excelsi domini nostri ducis Sabaudiae, etc. iuratus, eiusque secretarius, praemissis omnibus, et singulis, dum sic, ut praemittitur, fierent, et agerentur una cum praenominatis testibus praesens fui, eaque sic fieri vidi, et audivi, ac ex eis hoc publicum instrumentum recepi, et confeci, quod aliis occupatus negotiis per virum discretum Iohannem de Umberto de Ripalta, Thaurinensis dioecesis, notarium publicum, et coadiutorem meum, in hanc formam levari feci, hicque me propria manu subscripsi cum appositione soliti signi mei tabelionatus in robur, et testimonium omnium praemissorum in dicto instrumento contentorum, quod inde tradidi fideliter, et expedivi ad opus Communitatis, et ho- d minum civitatis Thaurini, et Districtus eiusdem, requisitus, et rogatus.

Ratificatio proximi praecedentis instrumenti fidelitatis Communitatis, et hominum civitatis Thaurini facta per illustrem, et excelsum principem dominum dominum Amedeum ducem Sabaudiae, de anno Domini MCCCCLXV, *die* XXIX *martii.*

Amedeus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, et marchio in Italia, princeps Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci comes, baro Vaudi, et Fouciguiaci, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi dominus, universis serie praesentium fieri volumus manifestum, quod hodie ante praesentiam, ac in nostrorum subscriptorum consiliariorum praesentia, nostro se praesentaverunt conspectui dilecti fideles nostri domini Iohannes de Grassis, utriusque iuris, et Cristophorus de Nicelis, legum doctores, Thomas de Gozano, et Petrus de Broxulo, sindici, procuratores, et ambasiatores dilectorum fidelium nostrorum sindicorum, consul., credendariorum, hominum, et Communitatis civitatis nostrae Thaurini ad nos propterea specialiter destinati, et transmissi, de suis huiusmodi sindicatu, procuratorio nomine et potestate sibi, quoad infrascripta attributis, fidem promptam facientes quadam credentiali litera clausa, parte dictorum sindicorum, consulum, et credendariorum, hominumque, et Communitatis Thaurini nobis, ut moris est, transmissa; exhibentes quoque unum publicum homagii, et fidelitatis instrumentum per ipsos sindicos, consules, homines, et Communitatem nobis nuper nostro assensu praecedente in manibus dictorum consiliariorum nostrorum Philiberti de Palude, chambelani, domini sancti Iuliani, et Gullielmi de Corgenone domini de Peres, ad hoc specialiter deputatorum, et electorum, facti, et praestiti, praesentibus annexum; supplicando humiliter, ut huiusmodi homagii, et fidelitatis praestationem ratam, gratam, et firmam habere, ac si opus sit iteratam, tam suis propriis, quam sindicario, et procuratorio nominibus praedictis praestituros se offerunt, benigniter recipere, et admittere dignaremur.

Ecce quod nos, viso praedicto annexo instrumento, nec non alio consimilis homagii, et fidelitatis praestationis dudum felicis, et numquam delendae memoriae illustri avo nostro domino Amedeo tunc duce Sabaudiae quondam, per ipsos sindicos, homines, et Communitatem Thaurini, sub die decima sexta mensis decembris, anni millesimi quatercentesimi decimi octavi, undecimae indictionis, per defunctum ipsius avi nostri tunc secretarium Iohannem de Dynona filium, et commissarium protocolorum ipsius Iohannis, signato, et expedito, ipsisque omnibus per nostrum nobiscum residens Consilium diligenter visitatis, ac deinde in quorum supra praesentia, iteratis nobis per praenominatos sindicos, procuratores, et ambasiatores praestitis homagio, et fidelitate, servatis servandis solempnitatibus a iure, et capitulis novae, et veteris fidelitatis formae requisitis, intervenientibusque debitis iuramentis, et promissionibus per ipsos ultro, et suos, suis quibus supra nominibus praestitis, suprascriptae supplicationi tamquam consonae rationi benivole annuentes, ex nostra igitur certa scientia pro nobis, et nostris haeredibus, ac successoribus universis praedictas homagii, et fidelitatis praestationes, ac omnia alia in praedicto annexo instrumento descripta, et contenta, tamquam nobis accepta, laudamus, ratificamus, et approbamus, illaque valere, et perpetuae firmitatis robur obtinere volumus, et decernimus per praesentes, ac si per nos,

atque nobis facta fuissent; has literas nostras, sigilli nostri munimine roboratas in testimonium concedentes. Datas Chamberiaci, die vigesima nona martii, anno Domini M quatercentesimo sexagesimo quinto. a

Per dominum, praesentibus dominis
Iohanne de Seysello, domino Bariaci, mareschallo
Claudio de Seysello, magno magistro hospitii
Iohanne Michaelis, decano Sedunensi, praesidente
Ludovico Bonivardi, domino Greliaci
Claudio de Challes, magistro hospitii, et
Humberto Chevrerii, advocato fischali.

(XXXIX)

Franchixia per illustrem dominum Ludovicum de Sabaudia principem Pedemontium concessa Communitati, et hominibus civitatis Thaurini, quod nullus officiarius possit procedere contra ipsos cives, et incolas dictae civitatis per viam inquisitionis, nisi instante parte, exceptis casibus, de quibus infra, de anno Domini MCCCCXXXV, *die* VIII *februarii.*

Ludovicus de Sabaudia princeps Pedemontium, primogenitus, locumtenensque generalis illustris domini mei genitoris, domini Amedei ducis Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, principis, marchionis in Italia, comitis Pedemontium, et Gebennensis, Valentinensisque, et Diensis, universis praesentium seriem inspecturis rei gestae notitiam cum salute. c

Si cunctos paternae ditioni submissos a quibuscumque illicitis oppressionibus reddere cupimus alienos, illos potissime, quos intemerata fidelitas, et impensa diutius commendant obsequia, speciali quadam dignum censemus defensari tutela. Sane attendentes fidelitatis constantiam, sollicitudinem indefessam, ac gratuitas subventiones, quibus dilectos fideles, cives, incolas, et universitatem civitatis Thaurini erga inclitam domum Sabaudiae, ipsiusque prosapiam iugiter novimus claruisse, affectantes propterea ipsos favoribus tractare continuis, ut quanto nostrae munificentiae praesidio se noverint sincerius pertractatos, tanto (*maiore*) fidelitatis obsequio erga nos, et nostros assidue exhibeantur promptiores; idcirco ipsorum supplicationi super iis nobis factae favore benivolo inclinati, matura deliberatione praehabita, ex nostra certa scientia pro nobis, nostrisque haeredibus, et successoribus universis eisdem civibus, incolis, et Communitati ipsius civitatis thaurinensis pro se, et eorum posteritatibus quibuscumque in speciale privilegium concedimus, et largimur, quod ex nunc in antea non liceat vicario, iudici, clavario, et scribae curiae ipsius civitatis, nec etiam aliquibus commissariis, caeterisve officiariis nostris, quacumque auctoritate fungentibus, adversus ipsos cives, et incolas dictae civitatis, aut aliquos ex eis per viam inquisitionis qualitercumque procedere, seu illos criminaliter processibus involvere, nisi ad instantiam, et denuntiationem personae privatae, cui esset illata iniuria in eius persona, vel bonis, exceptis criminibus laesae maiestatis, vis publicae, falsificationis monetarum, sigillorum, instrumentorum, testimoniorum, homicidii, furti, incendii, violationisque mulieris, et aliis, pro quibus poena sanguinis, relegationisve, aut publicationis bonorum veniret merito infligenda, etiam usurariis contractibus; in quibus sic exceptatis omnibus liceat sine denuntiatione per viam inquisitionis procedere, prout hactenus tam de iure, quam de consuetudine in talibus solitum est; mandantes propterea Consilio citra montes residenti, vicario, iudici, clavario, et scribae curiae Thaurini, nec non commissariis, procuratoribus, ac caeteris officiariis praefati domini mei, et nostris praesentibus, et futuris, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi concessionem, et literas nostras eisdem civibus, et incolis, eorumque posteritatibus protinus observent illaesas, et in nullo contrafaciant, nec per quemcumque fieri patiantur, vel permittant, decernendo irritum, et inane quod secus contigerit attemptari. Datum Thaurini, die octava februarii, anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo quinto. d b

Per dominum principem, praesentibus dominis
Iohanne, domino Bellifortis, cancelario
H. bastardo de Sabaudia
M. ex marchionibus Salutiarum, mareschallo
Iohanne, domino Bariaci
Iacobo, domino Montis maioris
Lanceloto, domino Luriaci
Petro Marchiandi, praesidente, et
Francischo de Thomatis.
Gulielmo Bolomerii.

(XL)

Sententia lata per magnificum Consilium cismontanum pro Communitate Thaurini contra Francischum Borgexium civem Thaurini, de anno Domini MCCCCXXXVI, *die quarta augusti.*

Nos Consilium illustrissimi principis domini nostri ducis Sabaudiae, etc. residens citra montes, notum praesentium serie facimus universis, quod anno Domini M quatercentesimo trigesimo sexto, die quinta mensis augusti, suprascriptis partibus per nos assignatis ad audiendum ius, et sententiam nostram in, et super quadam causa coram nobis mota, et certo tempore ventilata inter Francischum Borgexii civem Thaurini supplicantem, ex una parte, et homines, et Communitatem civitatis Thaurini, parte ex altera, comparuerunt, ipsius assignationis vigore, Thaurini iudicialiter coram nobis ad iura reddenda pro tribunali sedentibus, Iohannes Borgexii civis Thaurini, procurator, ut acta dictae causae demonstrant, et nomine procuratorio praescripti Francisci

Borgexii supplicantis ex una, et Andreas de Ymola a
sindicus, et procurator, sindicarioque, et procuratorio nominibus suprascriptis hominum, et Communitatis Thaurini ex altera partibus, requirentes ipsi comparentes dictis nominibus nostram in praesenti causa proferre sententiam, iuxta assignationem hodiernam, quilibet in suae partis favorem. Et nos memoratum Consilium, praemissis auditis hinc inde requisitis, formam dictae nostre assignationis insequentes, viso libello coram nobis, parte dicti Francisci Borgexii, porrecto sub die nona mensis novembris ultimi fluxi, una etiam cum supplicatione, et literis ipsa die sui ex parte coram nobis productis, cuius autem libelli tenor sequitur, et est talis.

Coram vobis magnifico Consilio illustris domini nostri Sabaudiae ducis citra montes residenti, dicit, et in iure proponit nobilis Franciscus Borgexii b
civis Thaurini contra, et adversus Stephanum Be chuti, et Petrum Borgexii sindicos, et sindicario nomine Communitatis, et hominum Thaurini, et contra, et adversus Iohannem Gastaudi, et Iohannem Zimatorem massarios dicti Communis, et contra quamcumque personam pro ipsis, seu nomine dictae Communitatis legitime intervenientem, dicens, quod ipse Franciscus inquietatur, et molestatur per ipsos massarios quandoque per arrestationem personae, quandoque per alios modos, occasione, et ex causa quarumdam talearum, quae impositae fuerunt de anno praecedenti, et de anno praesenti; et quae taleae, detractis pecuniis solutis per ipsum, ascendunt ad florenos sexdecim, vel c
circa, ad quos solvendos variis modis, et inquietationibus compellere nituntur ipsi massarii, non obstante quod Communitas ipsa teneatur eidem Francisco pro lignaminibus, quae incisa fuerunt in lignaminibus, sive in nemoribus ipsius Francisci pro reparatione pontis Padi, et ficha, quorum aestimatio ascendit ad florenos decem, vel circa.

Item, tenetur similiter ipsa Communitas eidem Francisco in eo, quod plus solvit pro taleis impositis per ipsam Communitatem ab annis quinque citra, ultra quam ascendunt quantitates sui registri, facta de eius pratis, et possessionibus debita mensura, de quibus quantitatibus debitis per dictam Communitatem eidem Francisco, idem Franciscus opposuit compensationem se offerens paratum solvere si quid superest, quam ipsi sindici, d
massarii, et rationatores admittere recusant, sed ipsum Franciscum ad solvendum tale debitum compellere nituntur, et urgent. Hinc est, et merito, quod agit idem Franciscus contra, et adversus praenominatos sindicos, et massarios, et requirit a vobis praedicto magnifico Consilio, et per vestram diffinitivam sententiam pronuntiari, et declarari, compensationem haberi pro debito Communitatis praedictae usque ad quantitatem praetensam praedictarum talearum, offerens, ut praedicitur, se paratum solvere residuum, si quid superest, inhiberique, et decerni eadem vestra sententia, ut eumdem Franciscum ultra praemissa non inquietent, vel molestent sindici, seu massarii praedicti. Praedicta dicens, et se non astringens ad onus alicuius superfluae probationis, salvo sibi iure addendi, mutandi, minuendi, corrigendi, etc.

Visis etiam cedulando propositis in adversum; visis subsequenter propositis articulis probatoriis parte dicti Francisci productis in hac causa die penultima mensis praedicti; visis pariter dictis attestationibus testium super dictis articulis examinatorum; postremo visa copia cuiusdam registri parte dicti Francisci coram nobis producti die vigesima sexta mensis aprilis nuper lapsi, caeterisque omnibus visis, et prospectis necessario prospiciendis, et videndis, et super omnibus sufficienti deliberatione praehabita, pro tribunali more maiorum sedentes, et nichil de contingentibus obmittentes, Christi nomine invocato, quoniam intentionem, et deducta in facto parte dicti Francisci non reperimus sufficienter comprobatam, et comprobata, per hanc propterea nostram sententiam, quam in his scriptis profferimus, dicimus, et declaramus ipsa proposita, petita, et requisita, parte dicti Francisci, exequutionem iam ceptam contra eum de facto talearum, quibus agitur, impedire non debere; victum victori in expensis legitime propterea in hac causa factis, et substentis condempnantes; ipsarum tassatione nobis in posterum reservata.

Lata, data, et promulgata fuit huiusmodi nostra sententia Thaurini iudicialiter per nos idem Consilium, anno, et die praemissis; de qua praescriptus Amedeus de Ymola, nomine praemisso, sibi fieri petit literas opportunas; dictus vero Iohannes Borgexii, nomine quo supra, eidem non consensit, quin ymo de gravamine, et remedio appellandum extitit protestatus. Datum ut supra.

Per Consilium, praesentibus dominis
Abate Clusino
Petro Marchiandi
Io. domino Dinone
A. de Crescherello
Io. de Costis
Vauterio Chabodi, advocato fischali.

(XLI)

Literae apostolicae, quod non possit ferri interdictum contra aliquas personas illustri domino nostro duci Sabaudiae subiectas pro aliquo debito pecuniario (1).

Reverendissimis, reverendisque in Christo patribus dominis Besuntino, Lugdunensi, Viennensi, Ebredunensi, et Tarantasiensi, Mediolanensi, Ianuensi, et Aquensi archiepiscopis, nec non Gebennensi, Lausanensi, Maurianensi, Belicensi, Gratio-

(1) Istiusmodi processum, licet nihil ipse habeat quod peculiare dici possit de civitate Taurini, non levis tamen momenti est, et quum describatur inter documenta taurinensia, a sua sede exturbare noluimus.

nopolitano, Matisconensi, Vercellensi, Augustensi, *a*
Sedunensi, Yporegiensi, Thaurinensi, Montisregalis, Niciensi, et Vigintimilliensi episcopis, ac etiam venerabilibus in Christo patribus, et dominis abbatibus, prioribus, praepositis, archidiaconis, archipresbiteris, decanis, officialibus, caeterisque viris ecclesiasticis in civitatibus, terris castris, oppidis, villis, et locis aliis illustrissimi principis, excelsi domini domini ducis Sabaudiae temporali dominio subiectis, seu infra illius limites existentibus, in toto, vel in parte, immediate, et mediate iurisdictionem spiritualem, seu ecclesiasticam habentibus, et exercentibus, caeterisque viris ecclesiasticis, curatis, et non curatis, ac notariis publicis infra huiusmodi civitates, terras, castra, oppida, villas, et loca alia infra limites praedictos ubique sint, et alibi *b*
ubilibet constitutis, quorum interest, vel interesse poterit, et quos infrascriptum tangit, vel tangere potest vel poterit quomodolibet in futurum, communiter, vel divisim, quibuscumque gradu, dignitate, seu titulo nuncupentur, Anthonius Torrerii bachalaureus in decretis, prior ecclesiae Belicensis, iudex exequutor ad infrascripta, una cum nostris nominatis in hac parte collegis, cum illa clausula, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios a sancta sede apostolica specialiter deputati, salutem in Domino, et mandatis nostris, ymo verius apostolicis firmiter obedite. Literas sanctissimi in Christo patris, et domini nostri domini Eugenii divina providentia papae quarti, cum corda canapis sua vera bulla plumbea ipsius domini nostri *c*
papae impendenti, more curiae Romanae, bullatas, sanas, et integras, non viciatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte corruptas, sed prorsus omni vitio, et suspitione carentes, nobis pro parte praefati illustris principis, et domini domini Amedei ducis Sabaudiae praesentatas, nos cum ea, qua decuit, et decet reverentia noveritis recepisse, quarum tenor sequitur de verbo ad verbum in haec verba.

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis sancti Michaëlis de Clusa, et de Abundantia, Thaurinensis, et Gebennensis dioecesis monasteriorum abbatibus, ac priori ecclesiae Belicensis salutem, et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis libenter annuimus, eaque favoribus *d*
prosequimur opportunis. Sane dudum felicis recordationis Bonifacius octavus praedecessor noster nonnullis tunc expressis causis suadentibus suas literas concessit sub tenore, qui sequitur.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Provide attendentes, quod ut frequentius, quamvis non sine causa, sine culpa tamen multorum interdicti sententiae proferuntur, quodque sunt nonnulli iudices nimis prompti ad profferendas easdem etiam in negotiis, sive causis, quae interdum plus cupiditatis, quam ex caritatis radice perspicue (1) iudices arguuntur, quodque tempore interdicti divina organa suspenduntur, et laudes; nec ecclesiastica sacramenta, ut solent, ministrantur, tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia, praesertim per oblationem frequentem hostiae salutaris, adolescentes, et parvuli participant rarius sacramenta, minus inflammantur, et solidantur in fide, fidelium tepescit devotio, haereses pullulant, et multiplicantur pericula animarum; praesentis constitutionis prohibemus edicto, ut nulla provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium, vel districtus, auctoritate ordinaria, vel delegata, supponatur ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito, vel pro cuiuscumque pecuniae, vel monetae quantitate, quacumque occasione, vel causa, seu quovis colore exquisito, pro eo maxime, quod eorum rectores, domini, seu officiales, quocumque nomine censeantur, aut incolae, seu habitatores, aut singulares personae ipsorum statutis, et statuendis, ordinatis, vel ordinandis terminis huiusmodi debitum, seu quantitatem non solverint hactenus, vel in antea non persolverint; nos enim ex nunc decernimus irritum, et inane, si secus hactenus attemptatum extitit, vel contigerit attemptari, illudque revocamus omnino, non obstantibus quibuscumque contractibus, obligationibus, pactis, conventionibus, compositionibus, confessionibus, submissionibus, fideiussionibus, concessionibus, processibus, et sententiis super hoc habitis, vel habendis, iuramentorum, poenarum spiritualium, et temporalium, mulctarum adiectione, vel quacumque firmitate alia vallatis, nisi talis suppositio interdicti hactenus foret facta, vel in antea fieret de apostolicae sedis licentia speciali, et expressa per ipsius sedis patentes literas apparente. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis, constitutionis, et revocationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum eius se noverint incursuros. Datas Anagnie, pridie kalendas iunii, pontificatus nostri anno octavo.

Cum autem sicut facta nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Amedei ducis Sabaudiae coram nobis relatione, nonnulli iudices tam delegati, quam alii praedictae constitutionis forsan ignari, civitates, terras, castra, oppida, villas, et loca alia ipsius ducis temporali dominio subiecta, seu infra illius limites consistentia, in toto, vel in parte pro pecuniario debito, quandoque etiam pro modica summa pecuniae, contra tenorem antedictae constitutionis praefatae, nonnumquam supponantur interdicto, nos volentes super praemissis de opportuno remedio providere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, vel unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios praedictam constitutionem in ecclesiis civitatum, castrorum, oppidorum, villarum, et locorum praedictorum, vel alias ubilibet, ubi, et quando vobis videbitur, ac super hoc pro parte ipsius ducis fueritis requisiti, auctoritate nostra solempniter publicari, et observari faciatis, contra-

(1) Minus certa in codice lectio.

dictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non obstantibus si aliquibus communiter, vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, et suspendi, aut ad iudicium evocari non possit per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum indulti huiusmodi mentionem, et alia qualibet dictae sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de qua cuiusque, toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Datas Bononiae, anno incarnationis dominicae MCCCCXXXVI, tertio kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto. R. Bourdonis.

Post quarum quidem literarum apostolicarum praesentationem, et receptionem, fuimus pro parte praedicti illustrissimi principis domini ducis requisiti, ut ad executionem ipsarum literarum apostolicarum, et contentorum in eisdem procedere curaremus iuxta ipsarum continentiam, et tenorem. Nos igitur prior iudex, et exequtor praefatus volentes praedictum mandatum apostolicum nobis in hac parte directum reverenter, et diligenter exequi, ut tenemur, auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, vobis reverendissimis, et reverendis patribus metropolitanis, suffraganeis, et ordinariis, et aliis dominis iurisdictionem ecclesiasticam, seu spiritualem, immediatam, et mediatam in toto, vel in parte ubi supra habentibus, et exercentibus, universisque aliis supradictis, quibus noster praesens processus, seu literae nostrae, ymo verius apostolicae diriguntur, videlicet, et universaliter universis aliis, et singulariter singulis praefatas literas apostolicas constitutionis felicis recordationis domini Bonifacii papae in se comprehendentes, ac omnes, et singulas ipsarum literarum apostolicarum, et constitutionis, necnon praesentis nostri processus clausulas, sententias, punctaque, tenore praesentium literarum nostrarum insinuamus, intimamus, publicamus, et ad noticias vestras, et vestrum cuiuslibet deducimus vobis; et vestrum singulis, vicariisque vestris, officiariis, iudicibus delegatis, vel subdelegatis, eadem auctoritate in virtute sanctae obedientiae, necnon sub poenis, et censuris infrascriptis districtius inhibentes serie praesentium, ne quis vestrum, aut vestrorum praedictorum officiariorum exercendo iurisdictionem ecclesiasticam supradictam quidquam contra sententiam, et tenorem praedictae constitutionis Bonifatianae, literarumque apostolicarum praemissarum iudicare, sententiare, decernere, ordinare, vel alias quovis modo, quovisque exquisito colore attemptare praesumatis, seu praesumant, sed potius huius modi literarum apostolicarum constitutionis irrefragabiliter observare tenorem, videlicet ut nulla provincia, civitas, castra, oppida, villae, loca territoria, seu districtus sub praefati illustrissimi domini domini ducis Sabaudiae temporali dominio

a subiecta, vel infra illius limites consistentia, in toto, vel in parte, pro pecuniario debito, vel pro cuiuscumque monetae, seu pecuniae quantitate, quacumque occasione, vel causa, seu quovis exquisito colore, pro eo maxime, quod eorum domini, rectores, seu officiales, quocumque nomine censeantur, aut incolae, seu habitatores, aut singulares personae statutis, et statuendis, ordinatis, vel ordinandis terminis, huiusmodi debitum, seu quantitatem non solverint hactenus, vel in antea non solverint quacumque auctoritate ordinaria, vel delegata ecclesiastico supponantur interdicto. Decernentes ex nunc, prout in praedictis literis apostolicis decretum est, irritum, et inane, illudque penitus auctoritate apostolica revocamus, si secus hactenus super hiis,

b seu superius a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit deinceps attemptari; non obstantibus quibuscumque contractibus, obligationibus, pactis, conventionibus, compositionibus, confessionibus, submissionibus, fideiussionibus, concessionibus, processibus, et sententiis super hoc habitis, vel habendis, et aliis, quae in praedictis literis apostolicis Sedes apostolica voluit non obstare. Quocirca nos dominos metropolitanos, ac omnes, et singulos supradictos, auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, tenore praesentium requirimus, et monemus primo, secundo, tercio, et peremptorie, communiter, et divisim, vobis, et vestrum cuilibet in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis, et censuris infrascriptis

c districte praecipiendo mandamus, quatenus infra sex dies, postquam literas praedictas apostolicas et hunc nostrum processum ad notitiam vestram, et cuiuslibet vestrum devenire contigerit, vosque, vel alter, qui per nos, vel subdelegatum nostrum super hoc fueritis requisiti, seu fuerit requisitus immediate sequentes, quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos pro tertio, et peremptorio termino, ac monitione canonica vobis, et vestrum singulis assignamus, praedictam constitutionem, et literas apostolicas in provinciis, civitatibus, villis, et locis supradictis observetis, difficultate, oppositione, contradictione, rebellione, et impedimento quibuscumque cessantibus, et reiectis, et faciatis ab aliis,

d prout ad vos, et quemlibet vestrum pertinet, observari. Quod si forte praemissa omnia, et singula non adimpleveritis, seu contumaciter distuleritis, aut alter vestrum distulerit adimplere, aut aliquid in contrarium feceritis, vel fecerit, et inhibitionibus, monitionibus, et mandatis nostris, ymo verius apostolicis non parueritis, seu paruerit cum effectu, in vos praedictos dominos iudices ordinarios, delegatos, vel subdelegatos, ac omnes alios, et singulos supranominatos, qui remissi, inobedientes, vel culpabiles fueritis in praemissis, vel aliquo praemissorum, aut in praeiudicium praedictorum, et dictae constitutionis quomodolibet, disponentes, vel ordinantes, necnon in contradictores, rebelles, et impedientes, quoslibet, ac impedienti-

bus executionem dictae constitutionis apostolicae a
auxilium, consilium, favorem, vel iuvamen, publice, vel occulte, directe, vel indirecte dantes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant ex nunc prout ex tunc singulariter singulos, praedicta canonica monitione praemissa, in his scriptis auctoritate apostolica excommunicamus. Vobis vero dominis archiepiscopis, et episcopis supradictis ob reverentiam vestrarum pontificalium dignitatum in hac parte deferentes, si contra praemissa, vel aliquod praemissorum feceritis per vos, seu submissam personam, praedicta canonica monitione praemissa, ingressum Ecclesiae vobis interdicimus in his scriptis, et si huiusmodi interdictum per alios sex dies immediate sequentes substinueritis, vos in his scriptis, b
praedicta canonica monitione praemissa, suspendimus a divinis. Verum si praefatas interdicti, et suspensionis literas, seu sententias per alios sex dies praefatos duodecim immediate sequentes animo, quod absit, sustinueritis indurato, vos ex nunc, prout ex tunc, praedicta canonica monitione praemissa, in his scriptis sententia excommunicationis innodamus. Caeterum cum ad executionem praemissorum ulterius faciendam, nequeamus personaliter interesse, certis aliis negotiis occupati, universis, et singulis dominis abbatibus, prioribus, decanis, praepositis, archidiaconis, praecentoribus, canonicis, cantoribus, parochialium ecclesiarum rectoribus, vicariis perpetuis, capellanis, presbiteris curatis, et non curatis, ac no- c
tariis, tabellionibus publicis per civitates, et dioeceses praedictas, et alibi ubilibet constitutis, et eorum cuilibet in solidum super ulteriori executione praedicti mandati apostolici, atque nostri facienda, tenore praesentium plenarie committimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas; quos, et eorum quemlibet requirimus, et monemus primo, secundo, et tertio peremptorie, communiter, et divisim, eisque nichilominus, et eorum cuilibet in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poena, quam in eos, et eorum quemlibet, nisi infra sex dies, postquam pro parte dicti illustrissimi principis, et officiariorum suorum, aut habitantium locorum praedictorum fueritis requisiti, seu fuerit requisitus: quos sex d
dies ei, et cuilibet ipsorum pro omnibus dilationibus, et terminis, canonica monitione praemissa, assignamus terminis in his scriptis, districte praecipiendo mandamus, quatenus ipsi, vel eorum aliquis, qui super hoc fuerint requisiti, vel requisitus ad vos praefatos dominos archiepiscopos, et episcopos, vestrosque officiales, et alios supradictos, et alias personas, atque loca, de quibus expediens fuerit (*requiri*), et fueritis requisiti, personaliter accedant, seu accedat, et praefatas literas apostolicas, et hunc nostrum processum, ac omnia, et singula in eis contenta vobis, et aliis, quorum interest, vel intererit, ubi, quando, et quotiescumque fuerit opportunum legant, intiment, et fideliter publicare procurent, et cum effectu constitutionem praedictam apostolicam in civitatibus, et locis supradictis faciatis, et faciant inviolabiliter observari; et nichilominus omnia universa, et singula nobis in hac parte commissa plenarie exequantur iuxta traditam a Sede apostolica nobis formam. Ita tamen, quod in praeiudicium dictarum civitatum, locorum, et personarum contra praedictam constitutionem apostolicam nichil valeant attemptare, nec circa suprascriptas sententias per nos latas absolvendo, vel suspendendo aliquid innovare. Et si contingat super praemissis nos in aliquo procedere, de quo nobis omnimodam reservamus potestatem, non intendimus propter hoc commissionem nostram huiusmodi in aliquo revocare, nisi de revocatione praemissa specialem, et expressam de verbo ad verbum in literis nostris fecerimus mentionem.

Praefatas quoque literas apostolicas in hunc praesentem nostrum processum penes praefatum illustrissimum dominum Ducem, et eius officiarios, et subditos, ac personas civitatum, et locorum praedictorum volumus remanere; et non per vos, vel aliquem vestrum, aut quemcumque alium, seu alios contra ipsorum voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium vero facientes praefatis sententiis, prout in his scriptis latae sunt per nos, ipso facto, volumus subiacere. Mandamus tamen vobis tradi copiam de praemissis, si eam petieritis, vel habere volueritis, vestris tamen sumptibus, et expensis; absolutionem omnium, et singulorum praemissorum, qui praefatas nostras sententias, aut earum aliquam incurrerint quoquomodo, nobis, aut superiori nostro tantummodo reservamus. Actum, et datum Gebennae in domo Aymonis Magnetis, hospitis Gebennae, anno Domini MCCCCXXXVII, indictione decimaquinta, et die octava mensis novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris, et domini nostri Eugenii, divina providentia, papae quarti, anno sexto.

Praesentibus venerabili viro domino
Iohanne Ioly, curato Albignati, Bellicensis dioecesis
Nicolao Lamesinus, clerico Remensi, et
Iohanne Borrerii de Mota Grationopolicensis dioecesis

testibus ad haec vocatis, in quorum omnium, et singulorum testimonium praemissorum praesens publicum instrumentum, totum processum in se continens, fieri, et per notarium publicum infrascriptum subscribi, et publicari mandamus, sigillique nostri proprii iussimus appensione communiri.

Et me Henrico Mencerii de Aquiano, Gebennensis dioecesis clerico, auctoritateque imperiali, ac praelibati illustris principis domini nostri ducis Sabaudiae notario publico, eiusdemque domini nostri ducis secretario praedictarum literarum apostolicarum praesentationi, receptioni sententiarum, subliniationi, et subdelegationi, caeterisque omnibus, et singulis, dum sic, ut praemittitur, age-

rentur, et fierent per praefatum dominum executorem *a*, una cum praenominatis testibus interfui, et eorum, quae sic fieri vidi, et audivi, exinde notam sumpsi, ex qua praesens publicum instrumentum, seu praesentem processum de mandato dicti domini executoris extraxi, et in hanc publicam formam redegi, ipsumque, aliena tamen manu scriptum, subscripsi, et signo michi fieri consueto signavi, una cum praedicti domini executoris sigilli appensione in testimonium omnium, et singulorum praemissorum.

Collatione veraci huius copiae ad originales processus facta per me Henricum Mercerii secretarium subexecutorem superius nominatum, una cum Antonio Baxii notario publico subscripto.

Collatione veraci huius copiae ad originales processus *b* facta per me Antonium Baxii habitatorem Avillianiae, notarium publicum.

(XLII)

Sententia scribandariae civitatis Thaurini lata per magnificum Consilium Thaurini, de anno Domini MCCCCXLVIII, *die septima mensis novembris.*

Nos Consilium illustrissimi principis domini nostri ducis Sabaudiae, etc. citra montes residens, notum serie praesentium facimus universis, quod anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo octavo, die septima mensis novembris, subscriptis *c* partibus per nos assignatis ad ius, et sententiam nostram audiendam in, et super quadam supplicationis causa coram nobis mota, et certo tempore ventilata inter Communitatem, et homines civitatis Thaurini, ex una agentes, et egregium legum doctorem dominum Vifredum Alingi, advocatum, et procuratorem fiscalem pro iure, et interesse fiscalibus dicti domini nostri se defendentem, partibus ex altera, comparuerunt ipsius assignationis vigore Thaurini iudicialiter coram nobis supranominatus egregius legum doctor dominus Vifredus Alingi, advocatus, et procurator fiscalis pro iure, et interesse fiscalibus dicti domini nostri, requirens in causa huiusmodi per nos ius dici, et sententiam nostram ferri in suae partis favorem, ex *d* una parte, et Andreas de Ymola sindicus, et procurator, sindicarioque procuratorio nomine Communitatis, et hominum civitatis praedictae Thaurini, prout fidem fecit de sindicatu, et procuratorio per publicum instrumentum fieri rogatum per Vincentium Cornagiam civem Thaurini, notarium publicum, ut in eo continetur, receptum, et signatum sub anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo quinto, indictione decima tertia, die xxx mensis iulii, requirens similiter in causa huiusmodi per nos ius dici, et sententiam nostram ferri in suae partis commodum, ex alia parte. Et nos idem Consilium, auditis praemissis hinc inde requisitis, formam iam dictae nostrae assignationis insequi volentes, visis retroactis, et nobis facta domnicali commissione super scribania, de qua principaliter agitur, necnon informatione cum testium attestationibus ad haec factis, atque productis tam parte Communitatis Thaurini, quam fiscalis, una cum caeteris omnibus libris, iuribus, privilegiis, et quibuscumque caeteris dictis, allegatis, deductis hinc, et inde pariter et productis, necnon requisitoria supplicatione principaliter parte Communitatis ipsius Thaurini tam dicto domino nostro, quam deinde nobis exhibita, cum una petitoria cedula capitante probavit etc., pariter coram nobis exhibita iudicialiter ipsius Communitatis parte, quarum supplicationis, cedulaeque tenor sequitur.

Vobis illustrissimo, et excellentissimo domino nostro domino Sabaudiae duci humiliter exponitur parte vestrorum Communitatis, et civium vestrae civitatis Thaurini, quod quamquam privilegiis, et libertatibus ipsis civitati, et civibus antiquis temporibus indultis ex iure municipali ipsius vestrae civitatis confirmato caveatur, et disponatur, quod in curia causarum civilium, et criminalium in ipsa civitate vertentium eligantur quatuor notarii singulis mensibus tribus, vero duo videlicet per vicarium dicti loci, alii duo per Commune Thaurini, seu deputatos ab eo, qui notarii sint cives dumtaxat Thaurini; steteritque ipsa vestra Communitas in possessione, vel quasi ipsius talis iuris, ac iuris percipiendi emolumenta pro dimidia parte notariatus curiae praedictae, sine alicuius contradictione, per tempus cuius memoria non existit, usque ad tempora, quibus quidam dominus Iohannes de Draconibus iudicaturam exercuit in dicta vestra civitate Thaurini; ipse dominus Iohannes iudex existens civitatis praedictae dictam Communitatem, et cives de facto, et iure incognito eorum possessione, vel quasi spoliavit, et notarios contra voluntatem civium pro suo posuit arbitrio in curia praedicta, post quam spoliationem cum multae insolitae rapinae, et extorsiones in dicta curia dietim fierent per notarios deputatos, habuerunt ipsi cives recursum ad vestram illustrissimam dominationem, quae licet providerit, et mandaverit sumi informationes, tamen per commissarios nulla fuit adhuc decens facta provisio. Quamobrem vestrae illustri dominationi supplicant dicti Communitas, et civis Thaurini, ut dignetur mandare, sumptis debitis informationibus, cives ipsos restitui ad eorum antiquam possessionem, vel quasi eligendi notarios praedictos, percipiendi partem dimidiam emolumentorum, de quibus supra, ac mandare, ut privilegium, seu conventio facta cum dictis civibus super materia eligendorum notariorum ipsi vestrae Communitati Thaurini inconcusse servetur. Probavit plenissime sindicus Communitatis Thaurini per quamplurimos testes de possessione, et iure Communitatis Thaurini super dimidia emolumentorum scriptoriae, seu scribandariae curiae dictae civitatis, probavit et de modo eligendi notarios, seu scribas, iuxta formam eorum statuti, et iuxta formam in supplica-

tione insertam, probavit et insuper de spoliatione a
ab annis sexdecim, vel decem octo facta per dominum Iohannem de Draconibus; et sic fundata est ipsius Communitatis intentio per testes.

Producunt ulterius statutum civitatis Thaurini de electione tali mentionem faciens sub rubrica « quod vicarius, et iudex, etc. » in volumine capitulorum Thaurini, in folio octuagesimo septimo.

Item, producunt franchisias, et privilegia ipsius civitatis, et confirmationes statutorum factas per principes, et dominos dictae civitatis.

Item, producunt dicta, et attestationes testium per civitatem Thaurini receptorum per Napionum de Napionibus, commissarium vestrum, subscriptas per eumdem Napionum, et Ludovicum de Napionibus: ex adverso autem nihil probavit dominus b
advocatus fiscalis, primo quia maior pars testium pro eius parte receptorum deponit contra eum de possessione civitatis, et spoliatione facta per dictum dominum Iohannem; praeterea si qui deponunt pro domino advocato tractant de commodo proprio, quia habent scribandariam conductam a principe.

Item, sicut pauciores, ita eis minor fides veritatis assistit quam testibus assumptis pro parte dictae civitatis. His attentis, dicit procurator Communitatem Thaurini esse restituendam ad possessionem, vel quasi dicti iuris eligendi notarios, et percipiendi dimidiam emolumentorum dictae scribandariae, et partem adversam condempnandam esse ad restituendam ante omnia dictam possessionem, vel quasi dictae Communitati, et ad solvendum, et resarcian- c
dum emolumenta percepta post tempus spoliationis; et ita petit, et fieri requirit dictus sindicus.

Nos Gullielmus de Conflentia, more maiorum pro tribunali sedentes, Christi nomine invocato, dicentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti amen. Quoniam super spolio medietatis scribaniae, seu notariatus civilium causarum ordinariae curiae, vicariatus, et iudicaturae Thaurini probatam pariter, et iustificatam comperimus intentionem dictae Communitatis Thaurini, quantum dumtaxat ad medietatem scribaniae praedictae civilium causarum, de qua fit in praeinsertis supplicatione, et cedula mentio, et hoc tam ex informationibus, et testium depositionibus super his hinc inde sumptis, quam ex aliis parte dictae Communitatis Thaurini productis, d
deductis, et allegatis, non obstantibus in contrarium parte fischali dictis, et allegatis, idcirco, caeterisque nos ad haec moventibus causis, et rationibus, huiusmodi nostra praesenti sententia iudicamus dictam Communitatem, et cives Thaurini, velut de ipsa medietate scribaniae civilium causarum curiae Thaurini sine legitima ratione spoliatos, fore pariter, et esse restituendos similiter, atque reintegrandos ad ipsius scribaniae civilium dumtaxat causarum ordinariae curiae Thaurini medietatem praedeclaratam, non obstantibus in adversum adductis; a caeteris autem in praemissis supplicatione, parte, et cedula dictae Communitatis, et civium requisitis partem fischalem absolventes pariter, et liberantes. Lata, lecta, data, et promulgata fuit huiusmodi nostra sententia Thaurini iudicialiter per nos idem Consilium, anno, et die praemissis.

De qua dicti egregius dominus advocatus, et procurator fischalis, et Andreas de Ymola, nominibus quibus supra, in partibus, et punctis pro ipsis facientibus dumtaxat consenserunt, et sibi fieri petierunt literas opportunas; in aliis vero non, sed ab eadem illico viva voce appellarunt ad illustrem praefatum dominum dominum nostrum ducem Sabaudiae, etc. apostolos, seu literas dimissorias sibi dari petendo saepe saepius, et instanter; quam quidem appellationem, tamquam a nullo gravamine interpositam, non duximus admittendam, nec admittimus per praesentes, nisi si et quatenus de iure sit admittenda, alias non; hanc responsionem dantes appellantibus nominibus praemissis loco apostolorum facientes. Datum ut supra.

Per Consilium, praesentibus dominis
Urbano Cereserii, praesidente, et
Vauterio Chabodi.

Alia sententia scribandariae civitatis Thaurini super causa appellationis a sententia supra proxime lata confirmatoria proxime praecedentis sententiae, de anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo nono, die vigesima quinta mensis septembris, per Consilium cum illustri domino residens, etc.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem sumpto Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo nono, die vigesima quinta mensis novembris, per nos Consilium principis domini nostri domini domini Ludovici ducis Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii principis, vicariique perpetui, marchionis in Italia, et principis Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci comitis, baronis Vaudi, et Fuciguiaci, Niciaeque, Vercellarum domini, cum eo residens, vigore assignationis per nos factae in quadam appellationis causa coram nobis aliquandiu ventilata inter procuratorem fischalem domini nostri praefati pro iuribus, et interesse suo appellantem, ex una, et homines, et Communitatem Thaurini appellatos, partibus ex alia, videlicet ad comparendum in Montechalerio coram nobis, iusque sententiam definitivam in et super ipsa causa fieri videndam, et audiendam peremptorie, et praecise, prout de huiusmodi assignatione, et ultimo memoriali actorum ipsius causae per subscriptum notarium confecto, et signato, dato die vigesima septima mensis huius septembris, legitur apparere. Ipso enim die praedictae assignationis vigore comparuerunt iudicialiter coram nobis Ludovicus de Menthonis, procurator fischalis praefati domini nostri ducis pro iuribus, et interesse fischalibus appellans, requirens in et super huiusmodi causa per nos ius dici, et sententiam definitivam ferri, iuxta praedictae assignationis formam, ex una parte, et Anthonius Bufati sindicus, et procurator, ut in

actis dictae causae constat, sindicarioque, et procuratorio nominibus hominum, et Communitatis Thaurini appellatorum, requirens equidem in et super eadem causa per nos ius dici, et sententiam definitivam ferri, ex alia parte; quibus partibus auditis, visa sententia, ad opus Communitatis Thaurini, et contra fischum, anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo octavo, et die septima mensis novembris, per venerabilem Consilium cismontanum prolata, visaque appellatione a dicta sententia parte procuratoris fischalis, ut in pede dictae sententiae describitur interposita; visis successive literis dominicalibus, commissionem et inhibitionem in se continentibus, datis de anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo octavo, et die septima mensis novembris, cuius tenor sequitur, et est talis.

Ludovicus dux Sabaudiae, etc. dilecto Consilio nostro nobiscum residenti salutem. Appellationem superius descriptam hodie nobis oblatam recepimus, illamque admittimus, si tamen, et in quantum de iure fuerit, admittatur, alias non, causam ipsius appellationis cum suis dependentibus universis vobis committentes, vocatis vocandis, audiendam, examinandam, cognoscendam, et fine debito terminandam, procedendo tamen summarie, simpliciter, et de plano secundum formam statutorum generalis reformationis ditionis nostrae, etiam frivolis exceptionibus, superfluisque dilationibus repulsis, ut partium parcatur laboribus, et expensis; inhibentes hoc ideo Consilio nostro Thaurini residenti, a quo est appellatum, ac caeteris officiariis nostris, ad quos spectaverit, et praesentes pervenerint, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, ne, huiusmodi vestra cognitione pendente, aliquid novi in praeiudicium tamen appellationis praementionatae facient quomodolibet, vel attemptent, sed si forte iam factum fuerit ad pristinum, debitumque statum reducatis, quod etiam reducimus per praesentes. Mandantes hoc ideo vicario Thaurini, mistralibusque, servientibus generalibus, ac caeteris officiariis nostris, ad quos praesentes pervenerint, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus citent partem appellatam in ipsa appellatione descriptam ad diem ultimam mensis aprilis, nisi feriatam, ad comparendum Thaurini, vel ubi tunc fuerimus coram nobis, cum sententia, a qua appellatum extitit, caeterisque titulis, iuribus pariter, et informationibus, de quibus se iuvare voluerit quomodolibet in hac parte, sufficienter comparituram, et in ipsa appellationis causa, ad singulosque actus eiusdem cum parte appellante processuram, et procedi visuram, prout fuerit rationis. Datum Thaurini die ultima ianuarii, anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo nono, per dominum, praesentibus dominis reverendissimo domino cardinali de Chipro, nec non domino Ludovico de Sabaudia, mareschallo, domino Raconixii, Iohanne de Sasso, Gullielmo de Conflentia, advocato fischali, Anthonio Bolomerii.

Reddantur literae portitori: de Caluso.

Viso etiam libello per praedictum procuratorem fischalem coram nobis, et contra dictam Communitatem, de anno praesenti, et die ultima aprilis producto, cuius tenor sequitur, et est talis.

Coram vobis venerabili Consilio proponit Ludovicus de Menthone, procurator fischalis, pro interesse fisci contra Communitatem, et sindicos civitatis Thaurini, dicens, quod, vertente quadam causa inter ipsos sindicos ex una, et advocatum, seu procuratorem fischalem ex altera, de et super emolumentis curiae, et scribandariae causarum civilium, ac criminalium Thaurini, quoad medietatem, coram Consilio Thaurini residente, fuit de anno nuper lapso millesimo quatercentesimo quadragesimo octavo, die septima mensis novembris, lata sententia in favorem dictae Communitatis, a qua fuit tamquam nulla, aut saltem iniusta appellatum per dictum procuratorem, ideo ipsam dicit rursum nullam, seu iniustam, et ita requirit per vestram definitivam sententiam declarari, et pronunciari male fuisse iudicatum, et bene appellatum, exhibens appellationem, assertam sententiam, et processus pro ipso facientes, requirendo iusticiam ministrari, salvo iure addendi, etc. Guillelmus de Conflentia; visis ubique testibus, et ipsorum attestationibus hinc inde productis, et publicatis; visis quidem literis, et instrumentis, et caeteris documentis parte Communitatis praedictae exhibitis, cum omnibus, et singulis tam coram Consilio, a quo appellatum extitit, quam coram nobis agitatis, et productis, visis demum actis huiusmodi causae in utriusque instantiis actitatis, una cum omnibus, et singulis vidéndis per ambas partes exhibitis, nos memoratum Consilium sedens pro tribunali, more maiorum, Deum, et sacras scripturas oculis praehabentes, et nihil de contingentibus obmittendo, sed servatis servandis solempnitatibus in talibus opportunis, Christi nomine invocato, et signum venerandum crucis sanctae faciendo, dicentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen. Quoniam ex actorum discursu nullam iustam causam, nec sufficientem invenimus, cur sententiam praenominati Consilii revocare, infringere, aut alias annullare debeamus, non obstantibus pro parte procuratoris fischalis deductis, et allegatis; propterea, et aliis iustis de causis nostram mentem moventibus, per hanc sententiam nostram definitivam, quam in his scriptis proferimus, sententiando pronuntiamus bene per dictum Consilium iudicatum, et sententiatum, et male per procuratorem fischalem provocatum, et appellatum, neutram partium in expensis condempnando. A qua quidem sententia nostra procurator fischalis illico viva voce ad praelibatum dominum nostrum Sabaudiae ducem, eiusque generales audientias de proximo tenendas supplicavit, apostolos, et literas dimissorias sibi dari postulando. Quam quidem supplicationem, tamquam a nullo gravamine interiectam, non admisimus, nec admittimus, nisi et in quantum de iure fuerit admittenda, alias non; hanc autem responsionem loco apo-

stolorum de iure debitorum eidem procuratori fischali facientes. Data, lecta, et lata haec nostra definitiva sententia in Montechalerio, in loco, in quo iura partibus per nos reddi sunt solita, anno, et die superius proxime descriptis.

Per Consilium, praesentibus dominis
Anthonio de Draconibus, praesidente Gebennensi, et
Vauterio Chabodi.

Literae illustris domini domini Ludovici ducis Sabaudiae, etc. confirmatoriae duarum praedictarum sententiarum proxime superius praecedentium, cum missione in possessione medietatis scribandariae civitatis Thaurini, de anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo, die vigesima mensis maii.

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Italia, Pedemontium princeps, Gebennensis, et Baugiaci comes, baro Vaudi, et Focigniaci, Niciaeque, et Vercellarum dominus dilectis fidelibus nostris vicario, et iudici Thaurini, caeterisque officiariis nostris super hoc requirendis, ipsorumque locatenentibus salutem. Visis duabus sententiis definitivis, et conformibus praesentibus annexis, nec non literis Consilii nobiscum residentis super ipsarum exequutione emanatis, datis Thaurini, die quindecima ianuarii, anni currentis millesimi quatercentesimi quinquagesimi, ac exequutione ipsarum literarum secundum earumdem sententiarum mentem, et tenorem subsequuta, a tergo earumdem, descripta sub die vigesima octava eiusdem mensis, et earumdem sententiarum, et literarum inspecto, et pensato tenore, etiam sub omni, nostrique, et nobiscum residentis deliberatione Consilii, pro iustitiae cultu, et undique bonis moti respectibus, et signanter attento, quod parum prodesset sententias ferre, nisi debitum, et realem executionis sortirentur effectum; supplicationi itaque dilectorum fidelium nostrorum sindicorum, civiumque, et hominum, ac Communitatis civitatis nostrae Thaurini, super his nobis factae, benivole annuentes, vobis, et vestrum cuilibet in solidum in quantum suo suberit officio committimus, districteque mandamus, sub poena quinquaginta librarum fortium per vestrum quemlibet, qui non paruerit committenda, et aerario nostro irremissibiliter applicanda, quatenus, visis praesentibus, in exequutionem uberiorem, veramque, debitam, et efficacem earumdem sententiarum supplicantes eosdem, seu quos ad haec duxerint deputandos, in veram, expeditam, vacuam, et liberam possessionem medietatis scribandariae, dictae Communitati per dictas sententias adiudicatae, visis praesentibus, ponatis, et inducatis, positos, et inductos manuteneatis, tueamini, et defendatis adversus quoscumque, formam tamen, et verum effectum sententiarum earumdem, nichil de contingentibus in illis obmittendo, sectantes, nec possessione in ipsa vim, violentiam, opus facti, iniuriam, aut aliam novitatem indebitam fieri, vel inferri supplicantibus ipsis patiamini, vel permittatis per quemcumque, quibuscumque exceptionibus, contradictionibus, literis etiam nostris, aut praefatorum Consiliorum nostrorum inhibitoriis, vel suspensivis, et aliis quibuscumque in contrarium forte emanatis non obstantibus; quibus omnibus serie praesentium, ex nostraque certa scientia derogamus; quae praemissa etiam infrascripta, et alia dictae hodie Communitati aliis literis nostris concessa, sic egimus pro et mediante centum ducatis auri per nos propterea habitis manibus dilecti fidelis Iacobi Maynerii, thesaurarii nostri Sabaudiae generalis, qui de illis nobis legitime tenebitur computare. Caeterum quia parte ipsorum Communitatis, et hominum nobis querelanter fuit expositum, quod clerici, scribae, notarii dictae curiae, a quibuscumque temporibus citra indebitas, immoderatas, et excessivas exactiones pro scripturis, actis, processibus, condempnationibus, et instrumentis, quae tractantur in dicta curia, extorquere praesumpserint, et praesumunt ne dum contra mentem, et tenorem capitulorum ipsius civitatis, sed etiam saepisper contra dispositionem decretorum nostrorum, volentes pro utilitate reipublicae, et observatione iustitiae talibus extorsionibus obviare, serie praesentium dilecto Consilio nostro Thaurini residenti committimus, et attentius mandamus, quatenus, vocatis, et adhibitis secum vicario, et iudice Thaurini, aut eorum altero, necnon duobus notariis, civibus, ydoneis, expertis, de ipsa civitate, per dictam Communitatem ad haec deputatis, taxationem, et moderationem dictorum processuum, actorum, et instrumentorum debite, et decenter faciant, et moderentur, prout eisdem aeque, et rationabiliter videbitur faciendum, dictamque taxationem per quoscumque notarios dictae curiae tam praesentes, quam futuros faciant perpetuo, et inviolabiliter observari, et totaliter se habeant in his, quod nulla iusta, defectu debitae moderationis, referri valeat querela, nulloque alio super hoc expectato mandato. Datum Cherii die vigesima maii, anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo.

Per dominum, praesentibus dominis
Ia. de Turre, cancellario
Iohanne, domino Bariaci, Sabaudiae mareschallo
Guillielmo, domino Cuilier
Iacobo de Valpergia, praesidente Consilii Chamberiaci
G. domino Villis, praesidente
Nicodo de Menthone
Iacobo de Chaland
Vauterio Chabodi
Anthonio de Iudicibus
Michaële de Canalibus, advocato fischali.

Quos quidem ducatos centum in absentia thesaurarii habui.

videlicet tres ducatos.
recepit centum auri.

(XLIII)

Multae franchisiae concessae, et indultae civitati, civibus, hominibus, ac habitatoribus dictae civitatis Thaurini super intrata vini, quod nullus civis, vel in ipsa civitate habitans possit pro aliqua causa civili, vel criminali extrahi extra ipsam civitatem; item, et de sindicatu vicarii, iudicis, etc. et de aliis multis, prout infra, concessae per illustrem dominum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae, etc. datae Gebennae, anno Domini MCCCCLIIII, *die vigesima mensis aprilis, in quibus continentur in effectu capitula novem.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Italia, princeps Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci comes, baro Vaudi, et Fucigniaci, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi dominus. Universis serie praesentium fieri volumus manifestum, quod nos supplicationi dilectorum fidelium nostrorum hominum, sindicorum, consulum, et Communitatis civitatis nostrae Thaurini super his nobis factae favore benivolo inclinati, potissime attendentes ipsorum fidelium nostrorum zelum vetustum, fidelitatisque constantiam, quibus erga nos, domumque nostram Sabaudiae iugiter claruerunt, affectantes hoc ideo eosdem homines, et Communitatem, eiusque posteritatem favoribus prosequi gratiosis, privilegiisque, libertatibus insigniri, ultra alia, quae ipsi homines, et Communitates habent, extolli, et praebere, ut quanto noverint se sincerius pertractatos, tanto magis ipsi, et eorum posteritas erga nos, et nostros se habeant promptiores. His igitur, et aliis laude dignis moti respectibus, iustisque rationibus, et causis ad haec moventibus, maturaque Consilii nostri super hoc deliberatione praehabita, ex nostra certa scientia pro nobis, nostrisque haeredibus, et successoribus universis circa incrementum, et propagationem dictae nostrae civitatis Thaurini plurimum annuentes, eisdem sindicis, consulibus, hominibus, et Communitati Thaurini, eorumque successoribus imposterum quibuscumque humiliter deposcentibus, et acceptantibus, in privilegium, libertatem, franchisiamque, immunitatem, in vim legis perpetuae duraturas, sequentes damus, concedimus, et largimur per praesentes.

Primo, cum ex statutis, privilegiis, consuetudinibusque ipsorum hominum, et Communitatis civitatis nostrae Thaurini nemo possit conducere vinum forense in ipsam nostram civitatem Thaurini, nisi tempore, quo per Communitatem eiusdem civitatis Thaurini huiusmodi serramentum relaxatum est, et concessa licentia, quod tale vinum possit in ipsam civitatem intrari, mediante solutione certae quantitatis pro huiusmodi introytu faciendo ipsi Communitati, ad excludendas fraudes, quae adversus huiusmodi serramentum fieri posset, eis-
a dem Communitati, et hominibus concedimus pro nobis, et nostris, quod de caetero nulla persona undecumque, et cuiusvis conditionis existat, possit aliquod vinum forense conducere, nec per quemcumque conduci facere in civitatem ipsam, nec in eius suburbia, nisi prius habita buleta super hoc a massario Communis dictae civitatis, vel alio deputando per eamdem Communitatem, sub poena quadraginta solidorum pro qualibet somata, vel alia bestia onerata, et decem librarum pro qualibet carata talis vini, et amissionis bestiarum, super quibus, et cum quibus duceretur, per ipsos contrafacientes committenda ipso iure, et ipso facto, et pro vice qualibet: applicanda pro tertia parte nobis, pro tertia parte ipsi Communitati, et pro residua
b tertia parte accusatori; et cuilibet accusatori bonae famae credatur cum iuramento. Quodque massarius, vel alius huiusmodi ad buletas deputatus, nullam buletam tradere possit pro vino ducendo personis exemptis, nisi talis exemptus in manibus suis iuraverit, quod huiusmodi vinum conduci facit pro usu suo dumtaxat, et familiae suae, sub poena decem librarum pro qualibet vice, committenda per eumdem massarium, vel deputatum, et applicanda prout supra.

Quodque nullus possit emere vinum a talibus exemptis, qui vinum intrassent forense, sub poena consimiliter decem librarum, nisi casu, quo contingeret illum exemptum de proximo se absentare a civitate ipsa, et eodem casu nichilominus tenea-
c tur talis emens solvere intratam talis vini, prout solvitur per non exemptos intrantes vinum tempore relaxati serramenti. Declarantes nullos studentes, qui non actu student, aut non portent continuo capas, haberi debere in hoc pro exemptis.

Item, et quia ex franchisia dictae nostrae civitatis Thaurini cavetur, quod aliquis civis, vel illic habitans pro aliqua causa civili, vel criminali, non possit, nec debeat aliquo modo trahi extra civitatem Thaurini, sed omnes causae cognosci debeant, tam civiles, quam criminales, finiri, et terminari in ipsa civitate inter ipsos cives, et contra ipsos cives, et ut in ipsa franchisia continetur, et aliquando contingat, ut expositum est nobis, extra tribunal iudicis trahi ipsas causas, et ipsos cives,
d et habitatores; in civitate tantum, et intus civitatem tam per nostrum Consilium ultramontanum, quam per alios ordinarios, et sive legatos; ideo per praesentes declaramus, et concedimus, quod omnes causae tam civiles, quam criminales, quam etiam mixtae, de quibus etiam in ipsa franchisia, in prima instantia cognoscantur, et terminentur per iudicem nostrum dictae nostrae civitatis tantum, sive eius locatenentem, sive eius vices gerentes, et non per quemcumque alium ordinarium, et etiam delegatum, nec per ipsum Consilium nostrum, ita ut nullus directo, nec per indirectum extra tribunal ipsius iudicis dictae civitatis non possit, nec valeat nunc, in futurumque per nos, nec Consilium nostrum, tam citra, quam ultra montes, trahi,

exceptis causis patrimonium nostrum concernenti- *a* bus, et causis criminum haeresis, laesae maiestatis, raptus, et violationis mulieris, falsi, incendii, et veneficii, et quicquid fieri, sive attemptari in contrarium contigerit, sit ipso iure, et facto irritum, et inane, nulliusque valoris, et momenti; quod nos ex nunc, prout ex tunc, et e contra, irritum, et inane, ac nullum declaramus, et ita dicimus; et quatenus opus sit denuo ipsis Communitati, et hominibus concedimus, et largimur, in caeteris ipsa franchisia in suo robore permanente, et cui in caeteris per praesentes non intendimus aliquomodo derogare.

Item, concedimus, et largimur dictis Communitati, et hominibus praedictae nostrae civitatis Thaurini, ut creare, et constituere, ac facere possint collegium unum notariorum in civitate ipsa *b* nostra Thaurini, ita, et taliter, quod aliquis non possit in futurum recipere aliquod instrumentum, seu instrumenta aliqua inter cives, et habitatores Thaurini, in ipsa civitate, et finibus, nisi primo fuerit per ipsum collegium approbatus, et incorporatus in eo, et in matricula ipsius civitatis descriptus; et si per aliquem sicut supra non approbatum, nec incorporatum, nec descriptum, aliquod instrumentum, seu instrumenta aliqua inter cives, et habitatores Thaurini ut supra contingat recipi, tale instrumentum, seu talia instrumenta sint nullius valoris, et momenti, ipso iure, et facto, sed habeantur ac si manu privata forent confecta, et non publicata, et recipiens incurrat poenam viginti quinque librarum fortium pro qualibet vice, et pro quolibet instru- *c* mento. Quod collegium ex nunc, et ex nostra certa scientia, et potestatis plenitudine, prout ex tunc, et e converso, approbamus, et approbatum esse volumus, licentiamque, et potestatem ex antedicta nostra certa scientia donamus, damus, et elargimur huiusmodi collegio statuendi, et statuta condendi, et condita, et facta reformandi, cassandi, corrigendi, ampliandi, mutandi, et emendandi in pertinentibus ad ipsius collegii, et notariatus officium, secundum quod talibus collegiis est a iure concessum, et citra praeiudicium scribaniarum nostrarum, et aliarum ad opus Consilii nostri, et commissariorum nostrorum pertinentium; quae statuta sic conficienda, et reformanda, corrigenda, amplianda, mutanda, et emendanda, ex nostra certa scientia, *d* et nostrae plenitudine potestatis ex nunc, prout ex tunc, et e contra, perpetuo valitura confirmamus, et confirmata esse volumus per praesentes, absque alia confirmatione, sive approbatione; quodque ex alia concessione in futurum per nos, et successores nostros forsan alicui personae facienda non possit derogari, nec intendimus derogatum esse in aliquo suprascriptis ipsis statutis per dictum collegium sic fiendis ut supra, sed talis concessio, quae forsan inadvertenter emanaret, sit ipso iure, et facto nulla, quam ex nunc ex nostra certa scientia nullam, et inanem, prout ex tunc, et e converso, decernimus per praesentes.

Item, eisdem hominibus, et Communitati concedimus, donamus, et elargimur, quod in sindicatu, et in sindicatibus fiendis de caetero, vicarii, iudices, et cavalerii, et familiares ipsius civitatis, et curiae eiusdem, et sive vice vicarii, et quicumque alii officiales sub quocumque vocabulo sint, et nuncupentur, et tam praesentes, quam futuri in perpetuum tam super extorsionibus, quae temporibus contingeret fieri per ipsos officiales, seu aliquem eorum tempore sui officii, quam super aliis quibuscumque illicite, sive indebite exactis, et habitis per ipsos officiales, qui pro tempore fuerint, seu aliquem eorum, stetur, seu stari debeat sacramento cuiuscumque conquerentis, corroborato uno teste bonae vocis, et famae, quod in praemissis volumus pro plena, et integra probatione haberi, et tam in civilibus, quam in criminalibus, quam etiam mixtis absque alia probatione.

Quod non liceat vicario, nec iudici civitatis Thaurini recipere aliquas sportulas ab aliquibus.

Item, concedimus, quod non liceat iudicibus, nec vicariis dictae civitatis nostrae, nec cuiuslibet locatenenti eorum, et sive vices gerentibus, qui inde sunt, et pro temporibus in futurum fuerint, aliquas sportulas petere, seu exigere ab aliquibus nunc, vel in futurum habitantibus ibidem, vel aliquibus aliis etiam forensibus, quos coram eis, vel aliquo eorum litigare, seu aliquid proponere contingat, pro aliqua sententia interloquutoria, seu definitiva, nec pro aliquo processu criminali, sive civili, aut aliqua iusta causa, contrafacientes incurrant qualibet vice poenam viginti quinque librarum fortium, ipso iure, et facto, absque alia declaratione, sive sententia applicanda nobis, et successoribus nostris pro dimidia, et pro alia dimidia ipsi Communitati; et ultra tales exigens, seu sportulas consequens nichilominus teneatur ad restitutionem huiusmodi sportularum illi, vel illis, a quo, vel quibus tales sportulae exactae, vel consequutae fuerint statim, et incontinenti, absque alia declaratione, vel sententia, sub poena dupli applicanda ut supra, ipso iure, et facto ipsi Communitati.

De accusis fiendis.

Item, concedimus, quod omnes accusae bannorum campestrium, et dampnorum datorum in finibus, et territorio dictae civitatis, et in ipsa civitate fiant per camparios, et familiares curiae, et alias quascumque personas tam privatas, quam publicas ne dum in manibus scribae criminalium dictae civitatis, sed etiam in manibus notarii Communis ipsius civitatis, seu alterius deputandi per Consilium, et sive credentiam dictae civitatis nunc, et in futurum, et in perpetuum: et ad hoc ipsi accusatores, denunciatores, seu querelantes vinculo sui iuramenti teneantur. Et quod emendae dampnorum datorum solvi debeant per ipsos accu-

satos, denunciatos, vel querelatos dampna passis, a
sive deputando ut supra tantum, sive ipsi accusati, denunciati, vel querelati condempnati fuerint in bannum, et emendam, sive in bampnis tantum, sive citra condempnationem bannum solverint, vel alias super ipso banno composuerint, credaturque libro ipsius notarii Communis, vel alterius, ut supra deputandi in accusis, denuntiis, et querelis huiusmodi, et praemissis, sicut libro scribae criminalium; debeatque per scribas criminalium fieri copia condempnationum, absolutionum, et sive compositionum super bannis, et emendis, et praemissis, quae pro temporibus fieri contingent ad requisitionem deputandi, vel eligendi per dictum Consilium, et sive credentiam, et cuiuslibet personae privatae, cuius intererit aliqualiter, nunc, et in futurum, et b
ab ipso deputando, et personis privatis ipsae emendae statutae, exigi possint, facto arengho.

De registro fiendo de bonis mobilibus.

Item, concedimus, quod omnes cives, incolae, et habitatores dictae civitatis Thaurini, et districtus, et in ipsa civitate, districtu, et finibus nunc, et in futurum, cuiuscumque conditionis existant, et qui pro temporibus fuerint, teneantur omnia bona mobilia in quocumque genere, sive in quacumque specie existant, exceptis supelectilibus, seu utensilibus ad usus domorum deputatis, et sub quocumque vocabulo nuncupentur, et appellentur, registrare in registro Communis dictae civitatis fideli- c
ter, et omni fraude cessante, et sub suo sacramento, et pro illis onera supportare quaecumque pro modo registri praedicti occurrentia; et quod ad praemissa facienda omnibus, via, modo, et forma, quibus melius fieri possit, et tam cum poenis, quam aliis qualitercumque astringi possint, et valeant, secundum tamen formam capitulorum, consuetudines, et ordinationes dictae civitatis, et prout fieri consuevit, salvis tamen semper caeteris statutis, et franchisiis dictae civitatis, quibus non intendimus derogare per praesentes, nec derogatum esse.

De bonis immobilibus non alienandis in personas non supportantes onera Communitatis, et quod Communitas, sive Credentia possit super hoc statuere, et ordinare. d

Item, concedimus ipsis nostris hominibus, et Communitati Thaurini, sive Consilio, et credentiae dictae civitatis, quod valeant, et possint ordinare, et statuere, quod non possit per quemcumque civem, sive habitatorem dictae civitatis, aut finium, aut in ipsa civitate, vel finibus bona immobilia habentem, possidentem, translatio, seu alienatio fieri aliquarum rerum immobilium, servitutum, et iurium tam corporalium, quam incorporalium ex, et pro quibus consueverunt onera Communitatis supportari, et substineri, in non substinentem onera dictae Communitatis nunc, vel in futurum, nec ex contractu, vel quasi, nec ex testamento, codicillis, legatis, donatione causa mortis, nec alia ultima voluntate, nec alio quocumque modo, nec alia causa, quae dici, vel excogitari possit, sine consensu expresso credentiae, et sindicorum dictae nostrae civitatis Thaurini, ita ut non sufficiat tacitus consensus; et casu quo aliter, vel alio modo ad aliquem actum alienandi, vel transferendi talia bona deveniretur in non substinentes onera Communitatis ut supra, et ipsis talis alienatio, et translatio sit ipso iure nulla, nulliusque valoris, et momenti; et eodem casu talis res eo ipso translata sit, et intelligatur in proximum agnatum, vel cognatum talem alienantis, vel ad actum alienationis devenientis substinentem onera tamen Communitatis ut supra; et ipsis deficientibus in Communitatem ipsam Thaurini, quoad dominium, et possessionem, ipso iure, et facto.

Quod Communitas possit statuere super prohibitione alienationis rerum immobilium, de qua supra.

Concedimus etiam ipsis Communitati, et hominibus pro nobis, et successoribus nostris super huiusmodi prohibitione alienationum praedictarum rerum sic, vel aliter statuere, prout eisdem Communitati, et hominibus melius, et validius videbitur faciendum, in praesentia tamen vicarii, vel iudicis, vel locatenentium eorumdem. Quae statuta omnia, et singula sic fienda, et condenda ut supra ex nunc, prout ex tunc, et e converso confirmamus, et approbamus, et confirmata esse volumus per praesentes, absque alia probatione, et confirmatione; in caeteris tamen semper salvis statutis, et franchisiis dictae civitatis, in quibus caeteris non intendimus derogare, nec derogatum fore per praesentes. Quae quidem statuta in praemissis, vel circa edita, vel edenda in pleno robore, et perpetuo manere volumus, nisi donec, et in quantum fuerint revocata in futurum per eamdem credentiam, non obstante lege, seu capitulo disponente, quod ordinationes faciendae per dictam Communitatem per annum dumtaxat perdurent.

De prothocollis, et imbreviaturis notariorum mortuorum.

Item, quod vicarius, et iudex dictae nostrae civitatis Thaurini, sive eorum, et quilibet eorum locatenentes, et vices gerentes, et quilibet eorum tam praesentes, quam futuri, et qui pro temporibus fuerint, teneantur, et debeant, sub vinculo sui iuramenti, ad omnem etiam simplicem requisitionem credentiae dictae nostrae civitatis, sive sindicorum eiusdem, vel alterius eorum, et totiens quotiens fuerint requisiti, vel requisitus diligenter, et sollerter prosequi facere notas, imbreviaturas, et prothocolla notariorum mortuorum, et eorum, qui in futurum morientur, et illas, et illa facere con-

signare in manibus sindicorum dictae civitatis, qui *a* pro temporibus fuerint, reponendas, et reponenda in archivio, et domo Communis praedictae civitatis, sub debito registro, et inventario, perpetuo ibidem tenendas, et tenenda ad opus, et utilitatem quorum interest, intererit, et interesse poterit quomodolibet in futurum; et omnia, et singula suprascripta concedimus, et largimur suprascriptis nostris Communitati, et hominibus Thaurini, citra derogationem franchisiarum, capitulorum, et consuetudinum dictae civitatis, sed illas, et illa in suo robore, in aliis quibuscumque volumus permanere, et in aliquo non fore per praemissa derogatum; promittentes eisdem Communitati, et hominibus, secretario nostro, notarioque publico subscripto, stipulante ad opus ipsorum Communitatis, *b* et hominum pro nobis, et successoribus nostris, bona fide nostra, in verbo principis praemissa omnia, et singula perpetuo tenere, et observare, et in aliquo non contrafacere, vel venire. Quae sic egimus tam liberaliter, et de gratia speciali, quam pro, et mediantibus ducentum ducatis auri per nos propterea ab eisdem hominibus, et Communitate habitis manu fidelis dilecti consiliarii, ac thesaurarii nostri Sabaudiae generalis Gabrielis Cardone, qui de illis nobis legitime tenebitur computare. Mandantes propterea Consiliis nobiscum Chamberiaci, et ultra montes residentibus, nec non vicario, et iudici Thaurini, universisque, et singulis gubernatoribus, potestatibus, vicariis, iudicibus, castellanis, procuratoribus, commissariis, et caeteris officiariis *c* nobis tam mediate, quam immediate submissis, praesentibus, et futuris, ad quos spectat, et praesentes pervenerint, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi privilegiorum, libertatum, franchisiarum, et immunitatum concessionem, et literas nostras praefatis hominibus, et Communitati Thaurini, suaeque posteritati per omnia sua puncta, et capitula seriatim de verbo ad verbum tam coniunctim, quam divisim teneant, attendant, et inconcusse observent, tenerique, attendi, et per quos intererit faciant illaesas observari, in nulloque contrafaciant quomodolibet, vel opponant, quibuscumque frivolis oppositionibus, exceptionibus, accusationibus, superfluisque dilationibus, repulsis, literisque, et mandatis, ac aliis *d* in contrarium facientibus non obstantibus. In cuius rei testimonium has literas nostras per secretarium nostrum subscriptum fieri iussimus, sigillique nostri fecimus appensione communiri. Datum Gebennae, die vigesima mensis aprilis, anno Domini M quatercentesimo quinquagesimo quarto.

Per dominum, praesentibus dominis

Ia. ex comitibus Valpergiae, cancelario Sabaudiae

M. Le Franc, praeposito Lausanensi, magistro requestarum

Anthonio Piocheti, cantore Gebennarum

Francischo de Thomatis, praesidente Gebennensi

Amedeo, domino Urteriarum

Iohanne Campionis, domino Bastide

Stephano Scalie

Marineto de Inria, advocato fischali, et

Anthonio de Rogeriis.

Quos ducentum ducatos auri in absentia dicti thesaurarii habui ego de Boscho.

(XLIV)

Concessio per illustrem dominum dominum Ludovicum ducem Sabaudiae de duabus bealeriis faciendis super finibus civitatis Thaurini tam in civitate, quam extra civitatem, de anno MCCCCLIIII, *die* XXIIII *mensis aprilis.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, princeps Pedemontium, Gebennensis, et Baugiaci comes, baro Vaudi, et Foucigniaci, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi dominus. Universis serie praesentium fiat manifestum, quod nos supplicationi dilectorum fidelium nostrorum hominum, et Communitatis civitatis nostrae Thaurini super his nobis factae favore benevolo inclinati, signanter utilitate nostra, ac praedictorum hominum, et Communitatis ad infrascriptam concessionem, et licentiam dandam, pensata, maturaque Consilii nostri deliberatione super his praehabita, ex nostra certa scientia eisdem Communi, et hominibus civitatis nostrae Thaurini licentiam concedimus, largimur, et donamus per praesentes duas bealerias faciendi, et construendi, capiendas, et extrahendas, alteram ex flumine nostro Duriae, tam super castrum Alpignani, quam infra ipsum castrum, prout ipsis nostris hominibus, et Communitati videbitur, et placuerit; alteram vero ex flumine Sturiae, vel etiam Cerundae, latitudinis ad beneplacitum ipsorum Thaurinensium, unde maluerint conducendas, et per quoscumque fines et territoria, et territorii dominii nostri ultramontani, tam mediati, quam immediati, per praedia ac possessiones quorumcumque, sine contradictione alicuius personae, Communis, vel universitatis cuiuscumque gradus, et dignitatis, status, et praeeminentiae existat, ad et per fines, et in finibus Thaurini, et ad et per civitatem Thaurini, et in civitate ipsa, et extra ipsam civitatem pro libito, et voluntate, et quocumque voluerint per ipsos fines, et civitatem cum libero aquae discursu, et sine aliquo impedimento, solvendo tamen dampna passis, respectu praediorum, per quae continget fieri ipsas bealerias, iuxta extimationem duorum proborum virorum, per partes eligendorum, quorum dicto, et extimationi stetur, et stari debeat.

Item, et considerato, quod locus Grugliaschi, et territorium est de territorio, finibus, et iurisdictione Thaurini, et membris ipsius civitatis, et pensata utilitate maxima, quae potest evenire ipsis

nostris Communitati, et hominibus Thaurini, sine a
incommodo, et dampno ipsorum de Grugliascho, et hominum, et Communitatis Druenti infrascriptorum ex concessione infrascriptarum bealeriarum, et ex ampliatione fienda bealeriae Grugliaschi, et Druenti, et quod ex conductu bealeriae capiendae ex flumine Sturiae ad et per civitatem nostram et fines Thaurini, ipsa civitas nostra multo sanior efficietur, et in illa aër melior, ut saepe habuimus relatione tam phisicorum, quam aliorum expertorum; et attento etiam, ut nobis relatum extitit a fide dignis, et ut plene fuimus informati, quod bealeria ipsa Druenti conducitur pro magna parte per quemdam antiquum alveum appellatum la Roya, seu bealeria Thaurini, seu signum antiquum alvei, per quem bealeria, quae vocabatur bealeria Thau- b
rini, conducebatur ex flumine ipso Sturiae ad fines Thaurini, et pluribus aliis bonis moti considerationibus, et tam pro grandi salute nostra, et nostrorum in futurum, quando contingeret in ipsa civitate moram trahere, quam pro utilitate, et sanitate dictae nostrae civitatis, et habitantium ibidem, ex nostra antedicta certa scientia, et plenitudine potestatis, ac proprio motu eisdem nostris Communitati, et hominibus Thaurini licentiam liberam concedimus, elargimur, et damus posse pro libito voluntatis, et quandocumque illis placuerit ampliandi bealeriam Grugliaschi, quae extrahitur ex flumine nostro Duriae per tantum quantum in ipsa bealeria ad praesens, necnon ampliandi etiam bealeriam Druenti, et ipsius bealeriae bochetum, c
quae extrahitur ex flumine nostro Sturiae, quam etiam Cerundae ad latitudinem unius trabuchi de fundo, et aquam, et aquas conducendi libere per ipsas bealerias per quoscumque fines dominii, et territorii iam dicti ultramontani tam mediati, quam immediati, et per possessiones, et praedia quarumcumque personarum, cuiuscumque gradus, status, dignitatis, et praeminentiae existant, et cuiuslibet universitatis, et cum aquarum decursibus, et sine contradictione aliqua ipsorum de Grugliascho, et Druento, et quarumcumque aliarum personarum Communis, et universitatis ad et per fines, et in finibus Thaurini, et ad et per civitatem, et in civitate ipsa nostra Thaurini, et intus, et extra ipsam civitatem pro libito voluntatis, solvendo ta- d
men, ut supra, dampna passis extimatione duorum proborum virorum per partes eligendorum, quorum extimationi stetur, et stari debeat. Et hoc, non obstantibus aliquibus concessionibus factis ipsis de Grugliascho, et de Druento, privilegiis, et literis, seu aliis quibuscumque personis in contrarium forte concessis, et emanatis, et in futurum concedendis, et emanandis. Quibus omnibus, et singulis ex nunc, prout ex tunc, et e converso derogamus, et derogatum esse volumus per praesentes, ex antedicta nostra certa scientia, et plenitudine potestatis sic omnino fieri volentes, non intendentes per huiusmodi nostras concessiones ut supra in aliquo, nec in caeteris derogare franchisiis, et statutis dictae nostrae Communitatis Thaurini, sed illas, et illa in caeteris volumus suum robur obtinere. Mandantes propterea Consiliis nobiscum Chambariaci, et ultra montes residentibus, nec non vicario Thaurini, ac caeteris officiariis nobis tam mediate, quam immediate submissis, ad quos spectat, et praesentes pervenerint, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi licentiam, concessionemque, et literas nostras praefatis hominibus, et Communitati Thaurini, suaeque posteritati protinus observent illaesas, in nulloque contrafaciant quomodolibet, vel opponant. In cuius rei testimonium has literas nostras per secretarium nostrum subscriptum confici iussimus, sigillique nostri fecimus appensione communiri. Datum Gebennae, die vigesimaquarta mensis aprilis, anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo quarto.

Per dominum, praesentibus dominis
Ia. ex comitibus Valpergiae, cancellario Sabaudiae
M. Le Franch, praeposito Lausanensi
A. Piocheti, cantore Gebennensi
Francischo de Thomatis, praesidente Gebennensi
Amedeo, domino Urteriarum
Stephano Scalia
Iohanne Championis
Maurineto de Inria, advocato fiscali.

(XLV)

Literae illustris domini domini Ludovici ducis Sabaudiae, quod nullus clavarius possit post biennium bannum commissum exigere, nisi ut infra; datae Annexiaci, die penultima maii, anno Domini MCCCCLIIII.

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, princeps Pedemontium, Gebenniaci, et Baugiaci comes, baro Vaudi ac Focigniaci, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi dominus. Quia saepius a dilectis fidelibus nostris, Communitate, hominibusque civitatis, et districtus idem bis, et quandoque pluries a debitoribus nostris ibidem exigere (*clavarii, et exactores consueverunt*), licet imprudenter, et indebite, non valentibus debitoribus de solutionibus edocere, vel quia bona fide confisi non fecerint soluta in libro cassari, vel forte illi clavarii et exactores, cassantes in uno libro, habuerunt alium eiusdem tenoris, secundum quem, vel aliter postea conati fuerint exigere; supplicando etiam, quod ipsis Communitati, et hominibus dignaremur de remedio opportuno providere. Nos huiusmodi fraudibus obviare volentes, harum serie praedictis Communitati, et hominibus, ac incolis dictae civitatis nostrae Thaurini, et eius districtus praesentibus, et futuris, et

cuilibet eorum, utque gloriosius foecundetur, concedimus, et largimur, quod de caetero quicumque clavarius, et exactor noster in dicta civitate praesens, et futurus ad recipienda nobis, seu alicui successorum nostrorum debita deputatus, teneatur cuilibet civi, et incolae praedictorum, si eidem aliquid solverit, offerre, et tradere gratis si volet confessionem de tunc recepto, manu sua propria, scriptam subscriptam, vel saltem subscriptam, aut si maluerit solvens sumptibus suis propriis sibi facere fieri per notarium publicum de soluto publicum instrumentum; teneatur etiam quodcumque nobis, seu alicui successorum nostrorum debitum, postquam erit liquidum, et exigibile, exigere infra biennium tunc proxime futurum; quod si non fecerit tunc, et eo casu, elapso dicto biennio, non possit amplius illud exigere, nec ille debitor, seu aliquis eius heres possit ulterius pro illo debito exigendo directe, vel indirecte molestari, nisi prout infra; sed ille clavarius, seu receptor ita negligens in exigendo, *principalis*, ac bona, et heredes eius pro illo debito nobis teneantur, et exigantur, si et quatenus erunt exigibiles. Quatenus vero non essent exigibiles, tunc et eo casu, dictus principalis, ac bona, et heredes eius infra dictum terminum, ut infra, non fuerit exactus nobis in subsidium teneantur. Et quilibet clavarius dictae civitatis praesens, et futurus in principio sui officii teneatur in Consilio dictae civitatis, praesente iudice, seu vicario iurare praemissa omnia, et singula inviolabiliter observare. Mandantes propterea Consiliis nobiscum Chambariaci et ultra montes residentibus, necnon praesidenti, et magistro camerae computorum, ac iudici, et vicario dictae civitatis, caeterisque omnibus, et singulis officiariis nostris praesentibus, et futuris, ad quos spectat, et praesentes pervenerint, seu ipsorum locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus haec omnia, et singula suprascripta praedictis Communitati, hominibus, et incolis dictae civitatis protinus cum effectu observent illaesa, in nulloque contrafaciant quomodolibet, vel opponant, quibuscumque frivolis oppositionibus reiectis, et non obstantibus, nulloque alio a nobis super hoc expectato mandato. Datum Annexiaci, die penultima maii, anno Domini MCCCCLIIII.

Per dominum, praesentibus dominis

Ia. ex comitibus Valpergiae, cancelario Sabaudiae
Iacobo de Balma, domino Albergamenti
Petro de Balma, domino Ruppis
Martino Le Franch, magistro requestarum
Francischo de Thomatis, praesidente Gebennensi
Stephano Scalia, et
Ludovico Bonivardi, magistro hospitii.

(XLVI)

Literae confoederationis, et lyae illustris domini domini Ludovici ducis Sabaudiae factae, et contractae cum serenissimo rege Franchorum, et ratificatae per ambaxiatores Communitatis Thaurini, de anno Domini MCCCC *quinquagesimo sexto, die vigesima augusti* (1).

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, princeps Pedemontium, Gebenniaci, et Baugiaci comes, baro Vaudi et Focigniaci, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi etc. dominus. Cum superioribus diebus intelleximus nonnullos potentes vicinatos, principesque tum pro ambitione dominandi, tum etiam pro sua in nostram, et patriae optimam, et diuturnam, laus Deo, pacem, et quietem, cum maxime se se, et alios multos variis guerrarum erumpniis, et discriminibus lacessitos concurrerent, invidentia quadam ad ipsius status nostri laesionem, nostraeque reipublicae oppressionem multifariam eniti, nos nostrae patriae, subditorumque saluti providere cupientes, ipsaque tradita nobis ab omnipotente Deo territoria, et dominia sub solita pacis et quietis tranquillitate confovere, et tueri semper, tandem mentis nostrae oculos duximus ad serenissimum, illustrissimum, christianissimum principem, Francorum regem, quem prae caeteris nobis in auxilium, et refugium singulari merito elegimus. Consideravimus enim tanti regis excellentiam, potentiamque mirabilem, ac rerum gestarum gloriam, qui pro sua virtute summa tantam ab ipso clementissimo Deo nostro meruit gratiam, ut multa, et non parva sui regni membra, et dominia, multisque superioribus annis alieno iugo subacta, et occupata recuperaverit, ipsumque suum dominium, et gloriosissimum Franciae regnum integrum, et pacatum, ipsis etiam hostibus depulsis, obtinuerit diebus suis. Consideravimus insuper laudabiles confoederationes, amicitias, et conventiones cum ipsa regia domo per maiores nostros multis ab annis contractas, nec minus inspeximus sanguinis nexum, affinitatesque proximas inter ipsum serenissimum modernum regem et nos vigentes, participataque super his matura Consilii deliberatione, ad praesentiam ipsius regiae maiestatis accessimus, et cum illa non solum antiquas confirmavimus, verum etiam pro nostra, et patriae evidentissima tuitione, et salute novas, et saluberrimas confoederationes, et ligas contraximus, et firmavimus. Cum autem inter caetera convenissemus ipsi regiae maiestati huius-

(1) Foederis huiusmodi nec mentionem facit, neque liquidas causas adducit Guichenon in sua historia regalis domus Sabaudiae. — De causis foederis porro quaedam deprehendes ex libro cui titulus *chronique de Savoye extraite pour la plus part de l'histoire de M. Guillaume Paradin : liv. III, chap. LIII, comment le Duc Louis alla en France se plaindre au Roi Louis onzième son gendre d'aucuns de ses subjects.*

modi confoederationes, et ligas ratificari, et approbari facere per tres Status, ac etiam nobiles, et Communitates ipsius nostrae citra, et ultramontanae ditionis, nos ob eam causam ipsos tres status in villa nostra Burgi evocavimus, illisque in praesentia nostra constitutis, praesentibus etiam ipsius regiae maiestatis oratoribus, praemissa omnia ex ordine narrari, et explicari fecimus organo cancelarii nostri, eisque etiam ore proprio praecipimus et mandavimus, ut eas confoederationes, et ligas, per nos, ut supra, cum ipsa regia maiestate contractas, ratificarent, et approbarent, assignantes insuper eisdem tribus Statibus nostrae ditionis diem primam novissime fluxi mensis iulii ad coram nobis rursus comparendum, ipsasque confoederationum et ligarum ratificationes tam suis, quam etiam alia- *b* rum Communitatum, et consortum suorum nominibus reddendum, ut maxime conventis, et promissis per nos ipsi regiae maiestati satisfacere possemus. Quamobrem dilecti fideles nostri homines, ac etiam Communitas civitatis Thaurini, et districtus eiusdem tamquam veri, et obedientes vassalli, et fideles, ipsiusque status nostri, ac totius patriae nostrae salutis, et boni publici zelatores suos certos ambaxiatores, et procuratores speciales, et cum mandato sufficienti ad huiusmodi ratificationes faciendas ad nos in praesentiarum destinaverunt, qui etiam ipsas confoederationes, et ligas libere, et solempniter sub protestationibus, conditionibus, et reservationibus inferius particulariter etiam in instrumento mandati inferius designato adnotatis, ratifi- *c* caverunt, et approbaverunt, constando de mandato, sive procuratorio super hoc facto instrumento per Oliverium de Crovexio, civem Thaurini, notarium, die secunda praesentis mensis augusti recepto, et designato. Hinc est, quod nos volentes ipsorum fidelium nostrorum obedientiae, aa verae, et integrae dilectioni in nos correspondere, ut praesertim illis nostram in eos, et patriam *intentionem* declaremus, multaque, et varia nonnullorum sussuronum vana, et dolosa obloquia confundamus, qui pro sua temeritate, vel ignorantia, aut etiam affectione passionata, dicere, et suis dolis asserere, ac etiam suggerere in populo non erubuerunt ipsas confoederationes, et ligas cum ipsa serenissima Franchorum regia maiestate per nos ut supra initas cedere, *d* et redundare in nostrum, totiusque patriae, et subditorum detrimentum, ita ut quamplures ex ipsis Communitatibus ipsius nostrae citra, et ultramontanae ditionis propter eas, maxime ipsorum sussuronum obloqutiones insanas, ad rerum sancte gestarum subdolas interpretationes, huiusmodi ratificationem facere, et nobis transmittere hucusque tardaverint, ex nostra certa scientia, ac motu proprio, pro nobisque, et nostris attestamur per praesentes intentionem nostram, nostrique fuisse, et esse per supradictas confoederationes, et ligas, ac etiam per huiusmodi ratificationes, per ipsos homines, et Communitatem, ut praemittitur factas, vel etiam faciendas, ipsorum libertatibus, franchisiis, privilegiis, capitulis, conventionibus, immunitatibus, usibus, consuetudinibus, aliisve iuribus quibuscumque nullum praeiudicium, vel detrimentum quodcumque inferri, aut alias quomodolibet generari etiam, nec ad aliquod vinculum fidelitatis dictae regiae maiestati, vel alteri domino quovis modo obligari, vel astringi, aut subiici, ymo semper in eadem fidelitate praestari hucusque consueta nobis, et nostris antecessoribus tantum permanere, nec etiam ipsos homines, et Communitatem, vel singulares personas eiusdem ad quaevis armigeriorum allogiamenta, solutionemque quorumlibet stipendiorum, vel aliarum expensarum, vel onerum quorumcumque supportationem, vel etiam equorum receptionem, et praeparationem propterea astringi, vel alias quovis modo obligari. Declarantes itaque harum serie ipsos homines, et Communitatem in ea libertate esse de praesenti, et pro futuro eos, et suam posteritatem tenere promittimus, et convenimus bona fide, et in verbo principis, in qua erant, et esse debebant ante huiusmodi confoederationem, et ligarum ratificationes per eos ut supra factas, vel etiam faciendas, absque eo, quod ad aliqua allogiamenta sumptus, vel onera teneantur, nisi prout, et quemadmodum ante ipsarum confoederationum contractum tenebantur, et non aliter, neque ultra. Has literas nostras in testimonium concedentes. Datas Gebenniaci, die vigesima augusti, anno Domini MCCCCL sexto.

Per dominum, praesentibus dominis

Ia. ex comitibus Valpergiae, cancellario Sabaudiae
Iohanne de Seysello, domino Bariaci, mareschallo
Aymone, comite Camerae, et vicecomite Maurianensi
Iacobo de Chaland, domino Aymevillae
Nicodo de Mentone, domino Montis Iovis
M. ex comitibus Valpergiae, magistro hospitii
Stephano Scalie
Aymone Aymonedi, advocato fischali.

(XLVII)

Literae illustris domini Ludovici ducis Sabaudiae assignationis trium millium florenorum magnifico domino Ludovico de Boleris solvendorum pro concessione praefecti praetorio cum confessione ipsius praefati domini Ludovici de receptione immediate subsequente; datae die vigesima nona martii, anno MCCCCLIX.

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Italia, Pedemontium princeps, Gebennensis, et Baugiaci comes, baro Vaudi, et Foucigniaci, Niciaeque, Vercellarum, et Friburgi dominus. Universis serie praesentium fiat manifestum, quod cum in, et de summis pecuniarum, in quibus nobis tenentur Communitates ter-

rarum, villarum, et aliorum locorum totius ditionis nostrae cismontanae ob causam praemaxime liberalis largitionis per nos his diebus factae toti patriae nostrae cismontanae super eo, quod Consilium nostrum cismontanum gaudere possit, et valeat in exequutionibus sententiarum, per illud ex nunc promulgandarum, auctoritate officii praefecti praetorio, ac illis privilegiis, et facultatibus, quibus gaudet, ac uti, et frui consuevit Consilium nostrum Chamberiaci residens, constantibus inde literis patentibus per dilectum fidelem secretarium nostrum Petrum Bolomerii, die quintadecima mensis huius subscripti martii signatis, dilecti fideles nostri sindici, consules, cives, et Communitas civitatis eiusdem Thaurini, se pro nobis obligaturi sint, et submissuri erga nonnullos creditores nostros, et signanter *erga* dominum Ludovicum de Boleriis, vel alios, quos duxerimus nominandos; et inter caetera de tribus millibus florenis parvi ponderis in contribuendo solvere spectantibus Communitatibus aliarum terrarum, villarum, et civitatum dictae patriae nostrae cismontanae, ultra tamen quantitatem spectare debentem dictae Communitati Thaurini, praemaxime pro largitione residentiae perpetualis dicti Consilii, unde volentes dictos sindicos, cives, homines, et communitatem de tribus millibus florenis parvi ponderis, si forsitan caeterae Communitates dictae patriae cismontanae difficiles se reddant in, et super solutione dictorum trium millium florenorum, quo casu, restitutione contributionis trium millium florenorum, si Communitates aliae patriae in eorum solutione contribuere noluerint, eo casu liceat nobis talem concessionem auctoritate praefecti praetorio revocare, firma tamen, et salva manente sede dicti Consilii in dicta civitate Thaurini, iuxta formam dictarum literarum nostrarum, assecurare, et indempnes servare. Ex nostra igitur certa scientia, et voluntate spontanea, pro nobisque, et nostris successoribus universis dictis siudicis, consulibus, civibus, hominibus, et Communitati modernis, et qui pro tempore fuerint, casu tamen quo caeterae Communitates dictae patriae se obligare recusarent, ac solvere noluerint dictam trium millium florenorum quantitatem, obligamus, et concedimus usque ad plenam, et integram satisfactionem dictorum trium millium florenorum, et assequtionem eiusdem integralem molendina, ingenia, artificia nostra Thaurini, cum eorum commoditatibus, emolumentis, et aliis valoribus quibuscumque, incipiendo tamen quamprimum finita fuerit, et expleta firma moderna dictis de Thaurino de ipsis molendinis facta, nec ab eis Thaurinensibus, suaque posteritate auferri possint, aut debeant molendina ipsa, in sortem tamen computando medietatem firmae dictorum molendinorum, et artificiorum ad instar modernae firmae, quae per eos datur, quousque tamen eisdem fuerit de dictis tribus millibus florenis condigna satisfactio facta, restitutio, et compensatio omnimoda; restantem vero medietatem dictae firmae solvere teneantur ipsi de Thaurino quolibet anno in manibus thesaurarii nostri Sabaudiae moderni, et qui pro tempore fuerit, secundum quam tempori suberit, qui inde nobis legitime tenebitur computare. Promittentes hoc ideo pro nobis, et nostris in verbo principis, bonaque fide nostra, et sub nostrorum expressa obligatione bonorum, dicta molendina, commoditatesque, valores, ac emolumenta ab ipsis Communitate, sindicis, consulibus, et posteritate non removere, neque removeri pati per quemcumque, quousque tamen, vel donec eisdem de, et super praemissis valoribus, et emolumentis, secundum praedictam recompensationem sufficientem, et satisfactionem de ipsis tribus millibus florenis fuerint assequuti plenarie, et obtenti; aliis quibuscumque assignationibus factis, et imposterum forsan fiendis non obstantibus, quibus universis, et singulis serie praesentium duximus derogandum; et hanc illis praeferendis, de quibus praemissis has literas nostras in testimonium duximus concedendas. Datum Thaurini, die decima nona martii, anno Domini MCCCCLIX.

Per dominum, praesentibus dominis
Ludovico, principe Antiochiae, et
Iano de Sabaudia, locumtenente in comitatu Niciae, et terra Provinciae adiacenti valli Montis Sturanae, nec non
Anthonio, ex marchionibus Romagnani, cancellario Sabaudiae
Aymone, comite Camerae
Gaspardo, domino de Varax
Ludovico Bonivardi, domino Greyliaci
Michaële de Canalibus
Vifredo Alingii
Gullielmo de Conflentia.

Instrumentum confessionis, et quittationis factum per magnificum dominum Ludovicum de Boleriis Communitati Thaurini de florenis quinque millibus pro praefecto praetorio factum de anno MCCCCLX, die octava augusti.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo, indictione octava, die octava mensis februarii. Actum in castro Centalli, videlicet in camera cubiculari infrascripti domini Ludovici, praesentibus ibidem nobili, et egregio ..... Vuarnerii, vice vicario Fossani, egregio Thoma Guizardi de Monteregali, in Sabaudia vice procuratore fiscali Sabaudiae ducali, N. Chatelano de Gorena de Saviliano, castellano Centali, et Franceschino de Allaxiis de Summarippa de Boscho habitatore Demontis, testibus ad haec vocatis, notis, et rogatis. Universis praesentis instrumenti seriem inspecturis fiat manifestum, quod magnificus dominus comes Bolerii vice comes *Ritanie*, et Demontis, ac dominus Centali etc. non vi, dolo, vel metu, aut aliqua alia machinatione circumventus, ut ibidem asseruit fore verum, sed ex sui certa scientia tractate, et apensate fuit confessus, et con-

tentus, tamquam si foret in iudicio coram suo iudice personaliter, habuisse, et realiter recepisse ab illustrissimo principe domino nostro Sabaudiae etc. duce, seu ab egregio Humberto Fabri, olim duchali Sabaudiae thesaurario, ac a Communitate, et hominibus civitatis Thaurini, et hoc per manus spectabilis domini Anthonii Scaravelli consiliarii, et advocati fiscalis Sabaudiae ducalis solventis nomine praedictorum Communitatis, et hominum Thaurini ad opus praelibati illustrissimi domini nostri ducis Sabaudiae etc., videlicet in exhonerationem trium millium tricentum triginta trium scutorum, et tercii unius scuti, in quibus praelibatus illustrissimus dominus noster, ut asseritur, eidem domino Ludovico tenebatur pro termino festi Pascae resurrectionis proxime fluxo vigore cuiusdam assertae arbitramentalis sententiae, ut dicitur, latae per arbitros electos per praefatum illustrissimum dominum D. nostrum, et dictum dominum Ludovicum, exceptioni dictorum quinque millium florenorum per ipsum dominum Ludovicum non habitorum, et non receptorum, omnique spei futurae habitionis, et receptionis omnino renunciantem, de quibus quidem quinque millibus florenis per ipsum dominum Ludovicum ut supra receptis, inclusis tamen dictis mille florenis, ut supra receptis, inclusis omnibus solutionibus, responsionibus nomine ipsius domini Ludovici factis per ipsam Communitatem, et homines dictae civitatis Thaurini, aut eorum nomine, ac inclusis omnibus confessionibus per ipsum dominum Ludovicum, aut alios eius nomine eisdem Communitati, et hominibus Thaurini, aut aliis personis eorum nomine tam per appoditias, quam per alia publica documenta usque in hodiernum diem, ratione dictorum quinque millium florenorum praenominatus dominus Ludovicus per se, et suos haeredes, et successores quoscumque, praelibatum illustrissimum D. dominum nostrum, dictumve nobilem Humbertum, olim thesaurarium, ut supra, necnon dictos Communitatem, et homines Thaurini, ac quoscumque interest, et interesse poterit in futurum quittat, liberat, et absolvit cum pacto solempni de quicquam ulterius non petendo, me notario, uti persona publica, stipulante vice, et nomine praelibati illustrissimi D. domini nostri, dictique nobilis Humberti, et praedictorum Communitatis, et hominum Thaurini, ac omnium, et singulorum, quorum interest, et interesse poterit quomodolibet in futurum. Et ulterius in praesentia antedicta dictus dominus Ludovicus per se, et suos praedictos fuit confessus, et confitetur habuisse, realiterque sibi datas, traditas, et restitutas fuisse omnes, singulasque confessiones tam factas manu ipsius domini Ludovici, quam aliorum quorumcumque eius nomine, quam etiam eorum omnium, et singulorum, quibus idem dominus Ludovicus fecit responderi, et solvi occasione solutionis dictorum quinque millium florenorum; quas quidem confessionem, quittationem, absolutionem, ac omnia, et singula in praesenti instrumento contenta idem dominus Ludovicus per se, et haeredes suos praedictos, et successores suos quoscumque solempniter promisit michi notario infrascripto, uti publicae personae stipulanti, et recipienti vice, et nomine omnium, et singulorum, quorum interest, et interesse poterit quomodolibet in futurum, ratas, gratas, validas, et firmas, rata, grata, valida, et firma habere, et tenere, eaque attendere, et observare, et in nullo contrafacere, dicere, opponere, vel venire, seu contrafacere, vel dicere volenti quomodolibet consentire per se, vel per alium, seu alios clam, vel palam, tacite, vel expresse, directe, vel per indirectum, aliqua ratione, causa, vel ingenio, aut alio quovis quaesito colore, de iure, vel de facto sub suorum quorumcumque obligatione bonorum mobilium, et immobilium, praesentium, et futurorum, refectioneque dampnorum, expensarum, et interesse litis etc. Et pro maiori praemissorum roboris firmitate, idem dominus Ludovicus iuravit ad sancta Dei evangelia in manibus mei notarii infrascripti, tactis corporaliter scripturis, suprascripta omnia, et singula, et in praesenti instrumento contenta fuisse, et esse vera, eaque attendere, et observare ut supra. Sub cuius iuramenti virtute renunciavit exceptioni dictarum confessionis, quittationis, absolutionis, promissionis, et obligationis, ac iuramenti interpositionis, sic ut supra non factarum, rei non sic, vel aliter gestae quam scriptae, seu plus, minus, aut aliter fuisse dictum quam scriptum, et exceptioni doli mali, vis, metus, in factum, actioni, condictioni indebiti, sine causa iusta, ob causam, vel ex iniusta causa, iurique dicenti confessionem extra iudicium factam non valere, capitulis, franchixiis, decretis, statutis, privilegiis, ac aliis exceptionibus, et libertatibus quibuscumque, ac omni alii iuri canonico, civili, et municipali auxilio, et specialiter iuri dicenti generalem renunciationem non valere, nisi praecesserit specialis, ita quod per generalem renunciationem non fiat praeiudicium specialibus, nec e contra; sed ipsa generalis trahatur ad omnes renunciationes opportunas. De quibus omnibus, et singulis praeceptum fuit michi notario infrascripto publicum fieri instrumentum ad opus cuius intererit, et plura si expediat, sapientis dictamine si fuerit opportunum, sola substantia non mutata.

Et ego Vietus de Mombelis de Monthecalerio, Thaurinensis dioecesis, publicus imperiali auctoritate notarius, curiarumque illustrissimi principis domini Sabaudiae domini nostri ducis etc. iuratus praemissis omnibus, et singulis, dum sic ut supra agerentur, praesens vocatus fui, suprascriptumque instrumentum rogatus recepi, et in hanc publicam formam levavi, manuque propria scripsi, et me subscripsi cum signi mei soliti tabelionatus appositione in testimonium praemissorum.

(XLVIII)

Literae illustrissimi domini domini Ludovici ducis Sabaudiae etc. concessionis praefecti praetorii civibus, et Communitati Thaurini, de anno Domini M *quatercentesimo quinquagesimo nono, die quindecima mensis martii.*

Ludovicus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, princeps Pedemontium, Gebenniaci, et Baugiaci comes, Baro Vaudi, et Focigniaci, Niciaeque Vercellarum, et Friburgi dominus. Universis praesentes inspecturis fiat manifestum rei gestae noticiam cum salute. Etsi generali, qua cunctos fideles nostros pura mentis affectione complectimur, ad commoda eorum noster aspiret incessanter affectus, eos tamen specialibus privilegio, et praerogativis extollendos duximus, quos licet caeteros hoc munere dignos invenimus, et potius decorandos, ad ea vigilantius nostra dirigitur sollicitudo, quae publicam potius quam privatam utilitatem concernunt. Cum itaque excitati nuperrime per quosdam, privatam forte publicae praeponentes, utilitatem suam, et conditionem in detrimentum publicae meliorem efficere quaerentes, Consilium nostrum citra montes iam dudum constitutum, et residens, eiusque sedem, et auditorium ex hac nostra Thaurinensi civitate ad locum nostrum Montischalerii transducendum duxerimus, et ibidem per quindecim annos commorandum, certis suasivis rationibus nostro tunc conspectui deductis, et nostris in literis expressis, ipsis de Montechalerio propterea concessis; cumque, et subsequenter per illos de Thaurino nobis clare demonstratum fuerit transductionem huiusmodi per nos fieri non debuisse, obstantibus conventionibus, et pactis initis per nos cum ipsis de Thaurino, cum studium nostrum ex loco Saviliani ad hanc civitatem Thaurini ultimo reduximus, quo tunc per nostras *conventiones*, et pactiones praedictas ipsa duo videlicet studium, et Consilium unita decrevimus, et voluimus similiter perpetuo, et sine divortio residere; fuerit et item parte totius, seu maioris partis nostrae cismontanae ditionis evidentissimis nobis declaratum rationibus hanc ipsam civitatem Thaurini, nostrae dignitati longe magis honorificam, propitiamque, et capacem, ac ipsi toti patriae commodam, et utilem esse pro sede, tribunali, et auditorio ipsius nostri Consilii, quam locum Montiscalerii antedictum, tam respectu studii, doctorumque, causidicorum, artificum, hospitum, mercimoniorum, et victualium, victuique humano necessariorum, et aliorum ibidem, quam in Monthecalerio, abundantius existentium, et iugiter affluentium, quam etiam difficultate transitus Padi tempore inundationis aquarum, quo et homines, et naves plerumque reperti dicuntur submersi, quam etiam alias multimode, et ob hoc extiterit nobis humillime supplicatum, ut ipsum nostrum Consilium, eiusque sedem, tribunal, a et auditorium ad hanc nostram civitatem perpetuo futuro tempore reducere dignaremur, auctoritatemque eidem contribuere, et conferre officii praefecti praetorio duraturum. Ecce quod nos, praemissis intellectis, pactisque, et conventionibus praenarratis, et earum serie considerata, honorem ipsius nostri cismontani Consilii tam respectu loci, sedis, quam potestatis, et auctoritatis eiusdem augere, potiusquam minuere volentes, ac pacta, et conventiones servare intendentes cum ipsis de Thaurino, ut praemittitur, initas, publicamque privatae, ut decet, utilitatem praeferre, ac fidelibus nostris totius cismontanae ditionis complacere, et suae nobis factae supplicationi favore benivolo annuere, ut dum digni fructus dulcedine se refectos conspexerint, ad b nostri servitia, et commoda procuranda suae industriae studia ferventiora convertant. Ideoque certis aliis laude dignis, et bonis respectibus, atque causis, de praemissis, ut praemittitur, expositis plenarie certificati, ex nostra certa scientia, motu proprio, deque Consilio procerum, et aliorum consiliariorum nostrorum pro nobis, et successoribus nostris perpetuo quibuscumque ipsum nostrum Consilium cismontanum, sedemque, tribunal, et auditorium tam sui, quam quorumcumque perpetuo successorum, et in locum sui subrogandorum, committendorum, aut quovis modo, et quomodocumque, sive sub nomine, aut titulo Consilii, sive capitaneii, aut locumtenentis, vel etiam gubernatoris, aut alio quocumque vocabulo deputandorum, ad hanc nostram c Thaurinensem civitatem reducendum, ac denuo ibidem instituendum, et constituendum duximus, reducimusque, instituimus, et constituimus, ac ibi perpetuo residere, et unitum nexu indissolubili cum dicto studio volumus, et decernimus per praesentes, literis ipsis de Montechalerio, ut praemittitur, concessis, caeterisque in contrarium forte factis, et fiendis in futurum, ac etiam quovis modo concedendis non obstantibus quibuscumque, quibus ex certa scientia, motuque proprio, et ex plenitudine potestatis derogamus, derogatumque per expressum esse, ac eas revocatas, et irritas fore decernimus praesentium per tenorem. Et praeterea in augmentum potestatis, praerogativae, et auctoritatis ipsius nostri cismontani Consilii, utilitatemque, com- d modum, et relevationem totius nostrae praedictae cismontanae ditionis, ipsum nostrum cismontanum Consilium, eiusque, ut praemittitur, successores, et in locum sui sub quocumque nomine, titulo, aut officii vocabulo constituendos ex nunc in futurum, aut deputandos, eorumque sedem, tribunal, et auditorium auctoritate praefecti praetorio decorandum duximus, decoramusque, et insignimus, ac ipsam sibi auctoritatem concedimus, et totaliter conferimus per praesentes, decernentes earum serie, quod sententiae per ipsum nostrum cismontanum Consilium, eiusque praedictos perpetuo successores, aut in locum sui sub quocumque nomine, titulo, vel officii vocabulo deputandos, aut unquam constituendos, proferendae deinceps, seu etiam promulgan-

dae integrae valeant, tam respectu principalis, quam a
expensarum, exequtioni demandari, iuxta formam
authenticae, quae supplicatio prout, et quem
admodum exequi consueverunt sententiae, quae per
nostrum Chambariacique residens Consilium profe-
runtur, et fuerunt huc usque promulgatae; et quod
ab ipsis, per ipsum nostrum cismontanum Consi-
lium, et dictos eius successores, aut subrogandos,
vel deputandos, constituendosque, ut praenarratur,
proferendis sententiis, appellari non debeat, neque
possit, sed ad nos, et succesores nostros dumta-
xat liceat supplicari. Quin ymo in hiis servari de-
beat forma praedictae autheticae, et secundum
plenam, et veram potestatem et auctoritatem of-
ficii praefecti praetorio ex nuc ab inde procedi.
Quae praemissa egimus, et cocessimus tam prae- b
missorum consideratione, et intuitu, quam pro,
et mediantibus quinque millibus florenis parvi pon-
deris ab eisdem fidelibus patria nostrae cismonta-
nae supplicantibus habitis, et receptis manu dilecti
fidelis consiliarii, et thesaurari nostri Sabaudiae
generalis Humberti Fabri, qui de eis nobis tene-
bitur legiptime computare. Promittentes ideo bona
fide nostra, in verbo principis, pro nobis, et succes-
soribus nostris, stipulante notario ac secretario no-
stro infrascripto, ut publica persona, vice, et no-
mine dictorum patriae, Communitatum, et ipsius
civitatis, ac omnium, et singulorum, quorum in-
terest, et interesse poterit in futurum, in vim so-
lemnis pacti, et conventionis, etcum solemni sti-
pulatione huiusmodi nostras reductionis, largitionis, c
et concessionis, praemissorum consideratione, li-
teras dictis fidelibus nostris supplicantibus, et suae
posteritati illaesas perpetuo observare, ac in nullo
unquam contrafacere, vel venire nec a dicta ci-
vitate ullo unquam tempore sedem tribunal, et au-
ditorium de quibus supra admovere, nec alio trans-
ducere, ponere, constituere, instituere, aut trans-
ferre, aut ab eis auctoritatem, ut praemittitur, col-
latam, et concessam in toto, vel in parte auferre,
diminuereve, aut attenuare quovis modo, etiam cum
omni alia solemnitate, iurisque, et facti renuncia-
tione ad haec necessaria pariter, et cautela, haec
omnia per cunctos nostro dominio suppositos prae-
sentes etiam, et futuros, ad quos spectat, et spe-
ctari poterit, attendi inconcusse, et observari prae- d
cipientes, mandantesque ipsi nostro cismontano Con-
silio, et suis praedictis successoribus, quatenus eo-
rum sedem, tribunal, et auditorium in dicta civi-
tate, et non alibi tenere debeant, et ibidem per-
petuo percunctari. Has in testimonium concedentes.
Datas Thaurini, die quindecima mensis martii, anno
Domini M quatercentesimo quinquagesimo nono.

Per dominum, praesentibus dominis
Illustri eius secundogenito Ludovico de Sabaudia, principe Antiochiae, et comite Gebennensi, necnon dominis
Anthonio ex marchionibus Romagnani, cancellario Sabaudiae
Aymone comite Camerae, viceque comite Maurianae
G. domino de Varas
Bertrando de Duyno, domino vallis Ysiae
Francisco de Thomatis, praesidente audientiarum
Vifredo Alyngi, collaterali
Michaële de Canalibus
Stephano Scalia
Io Maynerii, generali, et
Humberto Fabri, thesaurario,

de quibus quinque millibus florenis suprascriptis a sindicis, et Communitate Thaurini ad causam residentiae Consilii praedicti, duos mille florenos parvi ponderis tantum habui ego thesaurarius subsignatus. De reliquis vero tribus millibus florenis hic non fit mentio de recepto, eo quia fuit facta alia litera ad partem de praefecto praetorio dicti consilii, in qua fit mentio pro, et eiusdem tribus millibus florenis, et in ipsa posui: quos tres mille florenos habui.

(XLIX)

Privilegium papale, videlicet quod aliquae domus existentes in civitate Thaurini subiectae ecclesiae ad censum non cadant in commissum, nisi per quinquennium, et facta per ipsos dominos ecclesiasticos trina interpelatione, et per notarium. Datum de anno domini MCCCCLX, *secundo kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.*

Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Eximiae devotionis sinceritas, quam dilecti filii nobilis vir Ludovicus dux Sabaudiae, et Communitas, ac cives civitatis Thaurinensis ad nos, et Romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut votis eorum in hiis praesertim, quae ad ipsius civitatis decorem, et amplitudinem, ac dictorum civium commoditatem cedere valeant, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte ducis, et Communitatis, ac civium praedictorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipsi cives, et alii incolae dictae civitatis illam, quae temporali dominio dicti ducis subdita est, et in qua eius Consilium citramontes residet, ac generale studium viget, tam in structuris domorum, quam stratis viarum decorari, et ampliari summe desiderent, tamen ipsi ex eo, quod quam plures domus ad ecclesias, et loca, ac beneficia ecclesiastica pertinentes, et in feudum, ac emphiteosim concedi solitae, in eadem civitate sunt, quas clerici, et personae ecclesiasticae si census debitus eis statuto tempore non solvatur, lapso ipso tempore, eorum feudatariis, et emphiteotis, nimium cum illis inhumaniter se habentes, auferre consueverunt, a voluntate, et proposito aedificandi non mediocriter retrahantur; verum si ipsae domus, ac feuda in dicta civitate sita propter censum, seu canonem a feudatariis, vel emphiteotis tempore debito non so-

lutum, usque ad quinquennium non incident in commissum, sed interim si in ipso solvendo negligentes forent ipse census, seu canon in eorum poenam duplicetur, et demum, ipsis feudatariis, vel emphiteotis omnino negligentibus, post quinquennium ad ecclesias, et beneficia, seu loca ecclesiastica devolverentur, ipsi cives, et incolae propter gratiam tanti temporis in recuperandis domibus dictae civitatis etiam feudalibus, et emphiteoticis, quae ut plurimum ex praemissa causa neglectui sunt, ad eas etiam de novo aedificandas longe promptiores efficerentur, dictaque civitas ex inde brevi temporis spatio plurimum susciperet ornamenti, quare pro parte ducis, ac Communitatis, et civium praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut civitatis decori, ac civium, et incolarum praedictorum indempnitati super his b opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui civitatum quarumlibet statum prosperum, et felicem nostris praesertim temporibus peroptamus huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, et ex certa scientia, tenore praesentium statuimus, decernimus, et ordinamus, quod de caetero nullae domus, et fundi in ipsa civitate consistentes, ad ecclesias, et loca, ac beneficia ecclesiastica iure proprietatis, et directi dominii pertinentes, et in huiusmodi feudum, vel emphiteosim concessae hactenus, vel imposterum concedendae, propter censum, seu canonem, statuto tempore, ex tunc usque ad quinquennium non solutum, in commissum incidant quoquomodo, nec ad ecclesias, et loca, seu beneficia ecclesiastica, c interim devolvantur; sed si feudatarii, et emphiteotae pro huiusmodi domibus, seu feudis censum, vel canonem debito tempore non persolverint, ex tunc, pro ipsa vice, et quamdiu negligentes fuerint, teneantur solvere duplicatum; si vero per quinque integros annos in solvendo eumdem canonem, seu censum etiam duplicatum negligentes extiterint, et facta eis per ecclesiasticos rerum feudalium, seu emphiteoticarum dominos trina interpelatione, seu monitione coram notario, et testibus per intervalla decem dierum pro qualibet earum, in sua negligentia perduraverint, tunc domus, et feuda huiusmodi incidant in commissum, et ad ecclesias, seu loca, vel beneficia ecclesiastica, quorum fuerint, libere revertantur eo ipso, non obstantibus d quibusvis conventionibus, pactis, renunciationibus, et cautelis, et contractibus desuper pro tempore, factis, appositis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon statutis, et consuetudinibus ecclesiarum, seu locorum eorumdem, quorumvis ordinum, ac dictae civitatis, et municipalibus, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, constitutionis, et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datas

a Senis, anno incarnationis dominicae millesimo quadragentesimo sexagesimo secundo, quarto kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Io. Papiensis

A. de Urbino.

(L)

Sententia lata pro Communitate Thaurini contra nobiles Droxii, et Burgarati, de anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo primo, indictione nona, et die decimaseptima mensis maii, quae continet in effectu capitula duodecim.

b Ludovicus dux Sbaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Ytalia, princeps Pedemontium, Gebennensium, et Baugiaci comes, Baro Vaudi, et Foucigiaci etc. dominus. Universis harum nostrarum testimonio literarum facimus manifestum, quod vigore, ac praetextu potestatis, et facultatis nobis per partes subnominatas earum spontaneis voluntatibus datae, et collatae, per instrumentum publicum, per dictum nostrum tabellionem publicum confectum, cuius tenor sequitur. In nomine Domini amen. Anno nativitatis Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo primo, indictione nona, et die decima septima mensis maii. Actum Pinerolii, videlicet ante castrum, et sub ulmo existente in quadam platea situata, et extra, et prope c moenia viridarii eiusdem castri, praesentibus spectabilibus domino Guygone de Seysigniaco, praesidente patrimonii, Francisco Cerrati, generali illustris domini nostri, et nobili Bruneto de Ruere, ac Blaxio de Valencho cive Thaurini, testibus ad haec vocatis, et rogatis.

Cum esset orta quaedam quaestionis materia inter Communitatem et homines civitatis Thaurini ex una, et nobiles Cassanum, et Henrietum fratres, necnon Innocentium, et Iacobum fratres, filios quondam, et haeredes Anthonii de Vagnonibus, dominos Droxii, et Burgarati partibus ex altera, ex eo, et pro eo, qui per nobilem Petrum de Broxulo civem Thaurini tamquam commissarium per illustrem dominum nostrum, dominum ducem Sabaudiae deputatum et sindicum, ac sindicario nomine d praedictae Communitatis super bonis, et rebus non, vel male registratis dictae civitatis constitutum, et deputatum, ut de dicto sindicatu constat publico instrumento recepto per Brunonem, de Augusta, notarium publicum sub anno, et die in eo contentis, praedicti domini Droxii tracti fuerint in causa coram spectabili iuris utriusque doctore domino Guliermino Scaravelli, iudice, et commissario super eisdem bonis non, vel male registratis per praefatum illustrem dominum nostrum ducem Sabaudiae specialiter deputato, coram quo dictus Petrus vi, et praetextu praedictae suae potestatis, et constitutionis, auctoritatisque dicti iudicis, agendo petiit, castrum,

seu palatium, sive locum Droxii, locumque Burgarati cum eorum aedificiis, ayriis, ayralibus, et tectis, praediisque, et possessionibus ibidem adiacentibus in, et super finibus Thaurini, tam citra, quam ultra Sangonum, pronunciari, et declarari debere pro praemissis, commissis, extantibus, et apertis praedictae Communitati, ad opus eiusdem Communitatis, et aliorum quorum interest, eo quia praedicti nobiles Droxii praedicta loca, Ayralia, tecta, praedia, et bona non registraverunt, nec registrare curaverunt, vel voluerunt, locis, et temporibus registrorum factorum, et fieri ordinatorum in dicta civitate, et maxime ultimi registri facti sub anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo septimo; ex quo praedicta eorum bona, virtute statutorum registrorum dictae civitatis, censentur, et reputantur commissa, et aperta dictae Communitati ut supra, prout de dicta petitione, et requisitione constat ex actis coram dicto domino iudice, et commissario agitatis, ad quae habeatur relatio. Et demum per praedictum dominum Gulierminum iudicem lata fuerit sententia contra praedictos de Droxio, per quam, virtute dictorum statutorum, et registrorum dictae civitatis, ordinatum, et declaratum fuit praedicta loca, et bona fuisse commissa, et aperta dictae Communitati, partem victam victrici in expensis condempnando, et alias prout in sententia, et declaratione per praedictum dominum iudicem, et commissarium lata constat, et apparet, ad quam gratia brevitatis relatio habeatur. Et ultra praemissa pro parte dictae Communitatis, et hominum diceretur, et proponeretur extra dictum iudicium, quod praedicti nobiles tenentur ad solutionem de taleis, et taxis, ac quibuscumque oneribus impositis per dictam Communitatem longinquis temporibus retroactis, quae non solvisse reperiuntur ad rationem de sex pro centum libris registri, de qua fit mentio in prima transactione recepta per Nicholinum Malcavalerium notarium sub anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo nono, indictione septima, die octava mensis augusti, ac de pluribus expensis super inde per dictam Communitatem supportatis, de quibus omnibus, et singulis, loco, et tempore debitis, debita fiet calculatio. Ex adverso replicantibus ipsis nobilibus dominis Droxii praedictam petitionem, per praedictum Petrum de Broxulo factam, et per consequens dictam assertam sententiam, et ordinationem per praedictum dominum Gulierminum latam non valere, nec procedere, quoniam in praemissis, et circa nullam habuit potestatem, et non fuit servata forma iuris, nec etiam statutorum dictae civitatis, nec auditi fuerunt in eorum iuribus; item quia sunt conventionati cum dicta Communitate, ut patet instrumento transactionis, et conventionis recepto per Iohannem Richardum notarium, cuius virtute ad registrandum non tenentur, et per consequens dicta bona in commissum declarari non potuisse, nec posse, et plura alia pro eorum defensione deducentes tam in dicto processu, quam extra, quae hic nunc gratia brevitatis obmittuntur. Cumque etiam pro parte dictae Communitatis, opponeretur, quod dicta conventio, de qua in dicto instrumento transactionis recepto per dictum Iohannem Richardi fit mentio, servata non fuerit, quoniam praedicti de Droxio taleas, tassas, et onera impositas, et imposita per praedictam Communitatem solvere recusaverunt, licet interpellati, et iudicialiter conventi fuerint, ut patet ex processibus agitatis, et quatuor sententiis conformibus, latis contra eos de Droxio in favorem dictae Communitatis, et per consequens praedicti de Droxio dictae transactioni, et conventioni contravenisse censentur, ex quo eius commodo, et viribus carere debent. Replicantibus ex adverso praedictis de Droxio praemissa allegata pro parte dictorum de Thaurino non esse vera, ymo iustam habuisse causam litigandi, et defendendi, et tandem sindicus dictae Communitatis literas exequtorias praedictae sententiae, latae per praedictum dominum Gulierminum iudicem, et commissarium, obtinuisset, et versa vice praedicti nobiles de Droxio quasdam literas derogatorias obtinuissent, per quas magnifico Consilio residenti Thaurini, et domino Guliermino de Sandiliano praesidenti audientiarum, ut fertur, commissa fuerit revisio de iure praedictae sententiae, per praefatum dominum Gullierminum latae, contra quam plures exceptiones deductae fuerunt tam verbo, quam in scriptis, hinc fuit, et est, quod post plura altercata, allata, et deducta hinc, et inde, volentes dictae partes causam, et materiam de qua super, et omnium differentiarum suarum cum dependentibus, et connexis celeriter terminari, ut ulterioribus partium parcatur laboribus, et expensis. Ecce quod dictae partes, videlicet nobilis dominus Bonifacius de Ruere, Philipinus Bechuti, et Petrus de Broxulo nuntii, et ambaxiatores ad hoc specialiter electi, deputati, et constituti cum plenaria potestate, eis collata in plena credentia dictae civitatis, compromittendi, et compromissum faciendi, arbitratores, et arbitros eligendi, ut constat pluribus reformationibus, et maxime reformatione sub die decima quinta praesentis mensis maii facta, et aliis clausulis in dicta reformatione recitatis, ut asseritur nomine, et vice dictae Communitatis, et hominum dictae civitatis, pro qua etiam de rato habendo promiserunt, quatenus opus sit, ex una, et nobiles Cassanus, et Innocentius de Vagnonibus ex dominis dicti loci Droxii, et Burgarati eorum propriis, ac praedictorum Henrieti, et Iacobi de Vagnonibus eorum consortum nominibus, procuratoribus, ut de procuratorio asserunt constare instrumento publico, de quo facient fidem, et pro quibus etiam promiserunt de rato habendo, quatenus opus sit, partibus ex altera, de praemissis omnibus, et singulis causis quibuscumque, quaestionibusque, et differentiis motis, et movendis tam in iudicio, quam extra, et tam in verbo, quam in scriptis, et quibuscumque dependentibus, et connexis, virtute dictarum potestatum sibi hinc inde colatarum, mutuis

consensibus se se invicem compromiserunt, ac plenum, et validum fecerunt compromissum in spectabiles iuris utriusque doctores dominos Iohannem de Grassis, et Christophorum de Nicelis assumptos, et electos parte dictae Communitatis, necnon dominos Michaëlem de Canalibus, collateralem magnifici Consilii cum illustrissimo domino nostro residentis, et Cristophorum de Laude commorantem in Cherio electos, et assumptos pro parte praedictorum de Droxio, necnon, et praefatum illustrissimum dominum dominum nostrum ducem Sabaudiae de medio, tali modo, et forma, quod praedicti doctores teneantur, et debeant summarie, et de plano causas dictarum differentiarum videre de iure, earumque iudicium, et visionem referre praelibato illustrissimo domino nostro, ut demum praefatus illustrissimus dominus noster, audita praedicta relatione, possit in medium dicere, pronuntiare, arbitrari, et terminare, prout sibi de iure, et aequitate videbitur, et placuerit; ita quod illustrissimus dominus noster possit pronuntiari, et arbitrari singulis diebus feriatis, citatis partibus, vel non citatis, stando vel sedendo, ita et taliter, quod omnia, et singula in praesenti compromisso intervenisse intelligantur, de quibus praelibatum illustrissimum dominum nostrum contingat arbitrari, vel pronuntiari. Paciscentes ipsi compromittentes pacto expresso, quod teneantur omnia iura, et munimenta ad praemissa facientia, signata, et subscripta in manibus praefatorum dictorum dominorum, ut praefertur, electorum infra duodecim proximos futuros dies exhibere, ita quod nulla protelatio fiat praetextu ipsorum iurium non exhibitorum. Quod quidem compromissum valere voluerunt dictae partes, et durare hinc ad medium mensem iunii proxime futurum tantum, promittentes dictae partes, et quaelibet earum, nominibus quibus supra, se omne id, et quicquid per praefatum illustrissimum dominum nostrum ducem dictum, pronunciatum, arbitratumve fuerit, seu declaratum in praemissis, et circa, per pactum expressum, ratum, gratum, et firmum perpetuo habere, et tenere, in nulloque contrafacere, dicere, opponere, vel venire de iure, vel de facto, appellareque, recurrere, vel relevare, neconon ad arbitrium boni viri reducere sub poena centum marcharum argenti, per pactum conveniententem committenda, et pro medietate praefato domino nostro, et pro alia medietate parti attendenti applicanda. Quae poena commissa vel non, soluta vel non, nichilominus dicta, pronunciata, arbitrata, firma maneant. Renunciantes dictae ambae partes compromittentes, nominibus quibus supra, et quaelibet earum tam coniunctim, quam divisim, exceptioni doli mali, vis, metus, in factum actioni, condictioni sine causa, vel ob iniustam causam, rei non sic gestae, vel aliter gestae, contractus non ita celebrati, seu compromissi non ita facti, vel aliter, aut plus, aut minus in stipulatione fuisse dictum, quam scriptum, iurique dicenti generalem renunciationem non valere, nisi praecesserit specialis,

a iurique dicenti, per quod deceptis in suis contractibus subvenitur, et non posse dicere, vel opponere, quin omnia suprascripta, in praesenti instrumento contenta, intervenerint in stipulatione. Quin imo confitentes, asserentes, et consentientes, in rei veritate, dictum compromissum partibus ambabus fuisse in scriptis lectum, et declaratum in praesentia suprascriptorum testium, et mei notarii infrascripti. Pro quibus omnibus, et singulis firmiter attendendis, et observandis praedictae partes, videlicet praedictus Bonifacius, Philippinus, et Petrus pro dicta Communitate Thaurini, et praedicti Cassanus, et Innocentius de Vagnonibus, quilibet pro parte ipsorum sua, et nominibus quibus supra, iuraverunt ad sancta Dei evangelia, tactis corporali-
b ter scripturis, in manibus mei notarii infrascripti. De quibus praecepta fuerunt michi notario iam dicto duo fieri publica instrumenta ad opus cuiuslibet partium, reficiendaque dictamine sapientis si fuerit opportunum.

Comparentibus, et personaliter propter infrascripta constitutis coram nobis fidelibus nostris Thoma de Gorzano, et Philippino de Bechutis, sindicis, ac Petro de Broxulo, procuratoribus, et ambasiatoribus, sindicarioque, et procuratorio nominibus dilectorum fidelium nostrorum hominum, et Communitatis civitatis, pro quibus se fortes faciunt, de sua potestate edocentes, ut in dicto compromisso continetur, et ulterius de rato habendo, ut infra, promittentes, ex una, et Innocentio de Vagnonibus
c ex dominis Tropharelii, scutifero nostro, nominibus suo, ac uti procurator, nomineque procuratorio fidelium Cassani de Vagnonibus, necnon Henrieti, et Iacobi de Vagnonibus, pro quibus etiam se fortem facit de rato habendo, ut infra promittit, de suo mandamenti instrumento, in dicto compromisso designato, ulterius fidem faciente, ex altera partibus.

Proponentibus praenominatis, parte dictorum hominum, et Communitatis Thaurini agentibus, latam fuisse sententiam per fidum consiliarium nostrum dominum Gulierminum Scaravelli, commissarium per nos ad haec deputatum, in ipsorum hominum, et Communitatis favorem adversus dictos de Droxio, indeque concessas exequtoriales literas,
d eosdemque de Droxio teneri ad solutionem talearum, coëquationum per dictam Communitatem iam a longo factarum, ad rationem de sex pro centum libris registri cum expensis exequtionis, ut plenius supra eiusdem Communitatis parte in dicto compromisso propositum apparet, quod hic habeatur pro dicto, et replicato; et ulterius dicentibus, et proponentibus omnes, et singulas possessiones tam prativas, altenatas, gerbivas, quam alias locorum, et finium praedictorum Droxii, et Burgarati, et quas etiam aliunde tenent, et habent extra, et prope ipsos fines, ac finibus Thaurini, tam ultra, quam citra Sangonum debent mensurari, et facta mensuratione, registrari in registro dictae Communitatis, secundum eius capitula, et statuta, tenerique eosdem de Dro-

xio adversantes solvere et taleas, et taxas fiendas *a* per dictam Communitatem iam a longo factas in omnibus, et per omnia prout caeteri cives dictae civitatis; non licereque eisdem de Droxio extrahere aliqua victualia de suis ayralibus, et finibus suprascriptis, nisi solvendo gabellam, ut caeteri intrantes vinum foresterium in dicta civitate nostra Thaurini. Super quibus omnibus requisiverunt agentes pro dicta Communitate, per nos supra ordinari, summarie declarari, et apunctari parti, et quicquid gestum, pronunciatum, declaratum, ordinatum, cognitum, vel arbitratum, aut arbitramentatum fuerit per nos, perpetuo observare, et facere observari. Ex adverso respondente, et proponente praedicto Innocentio de Vagnonibus suo, et quorum nominibus supra se ad petita non te- *b* neri, nec astringi posse, vel debere, dictamque praetensam sententiam non mereri exequtionem causis evidentibus, et alias, ut in praedicto compromisso expresse est declaratum, paratum nichilominus se offerendo nominibus praedictis nostrae ordinationi, sententiae, declarationi, vel arbitramentali apunctuamento perpetuo acquiescere. Nos igitur dux praefatus, praemissis auditis, et plene intellectis, viso primo compromisso, et potestate per ipsas partes nobis attributa, et in nos facto; visisque, et visitatis debite iuribus utriusque partis, et partibus ipsis, pro eisque agentibus summarie auditis per dilectos fideles consiliarios nostros dominos Iohannem de Grassis, et Christophorum de Nicelis iuris utriusque doctores, et electos parte *c* dictorum hominum, et Communitatis Thaurini, et dominos Michaëlem de Canalibus, primum collateralem Consilii nostri nobiscum residentis, ac Christophorum de Laude doctores, electos, et assumptos pro parte dictorum de Droxio, prout ipsi hinc inde assumpti nobis fideliter personaliter retulerunt, quorum iuditio, visione, relatione, et conclusione intellectis, et participatis, scrutatis, et auditis, agentes etiam in his, uti decet principem pro pacificatione suorum subditorum, et finem litibus imponentes, Deum prae oculis habentes, dicentesque in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti amen.

Pronuntiamus, ordinamus, declaramus, sententiamus, arbitramur, et arbitramentamur, absolvimus, et condempnamus, facimus, et volumus prout *d* infra, per praedictas partes, et eorum posteritates perpetuo servaturum. In primis, quod inter ipsas partes sit deinceps bonus amor, pax, et concordia, et omnia litigia cessent.

Item, quod pro bono pacis perpetuo inter ipsas partes conservandae, et ne hinc, vel inde deceptiones aliquas evenire contingat, et maxime in possessionibus, proprietatibus, et confusione iurium, ex quibus possit ipsis partibus maximum praeiudicium generari, dicimus, pronuntiamus, et ordinamus, sicque fieri volumus, quod omnes dictae possessiones, et proprietates dictorum nobilium Droxii et Burgarati, et quae per eos detinentur iuxta, et prope confinia dictorum locorum, et in finibus Thaurini, et citra dictos confines, tam ultra, quam citra Sangonum, quaecumque, et qualiacumque sint mensurari debeant per rectam mensuram, per agrimensores, et expertos in arte, ut sciatur quot sint, et in quantacumque quantitate, et in qualitatibus suis, videlicet prativa pro prativis, aratoria pro aratoriis, altenata pro altenatis, boschiva pro boschivis, zerba, et inculta pro gerbis, et incultis designando iornatas, et quantitatem earum secundum qualitates praemissas, et atterminando omnia, ut imposterum aliqua dubitatio non contingat, et hoc infra festum sancti Michaëlis proxime venturi, et communibus expensis.

Item, quod, facta mensuratione, et declaratione praedicta, praedictae omnes possessiones describantur particulariter in registris Communitatis Thaurini per electum, seu electos, sive eligendos ad perpetuam rei gestae memoriam, ea lege, quod totiens quotiens per alios cives, incolas, et detinentes in dictis loco, et finibus dictae civitatis registrabitur, et registrum novum fieri contingat, et ordinabitur, ipsi etiam nobiles Droxii, eorum haeredes, et successores, et causam habentes, et habituri similiter registrare teneantur secundum capitula, et statuta dictae civitatis, notificatione legiptime facta literatorie cum termino competenti.

Item, quod pro unaquaque iornata sic mensurata, ac designata ut supra per iornatas, et numerus iornatorum, poderii, vel contratae, habita ratione ad numerum, cuiuscumque qualitatis existat, describatur in registro praedicto ad omnia onera dictae Communitati incumbentia universalia, quae per taleam, generaliter imponerentur, et secundum tempora, prout taleae, et onera imponi contigerit, solvenda, prout, et quemadmodum per alios cives, et incolas dictae civitatis, ut supra ad rationem in registro de solidis quatuor monetae cursalis pro qualibet iornata, ita ut imposita talea, vel onere ut supra per registrum, et eis notificata, vel alicui ex eis in dictis casalibus Droxii, et Burgarati solvere teneantur ipsi nobiles de Droxio secundum ratam registri eorum, et intra ipsa tempora deputata, secundum modum, et formam aliorum civium, et secundum formam ordinationum, et statutorum civitatis praedictae, tam factorum, quam fiendorum per Consilium, et credentiam dictae civitatis, et districtus, et pignorari possint, prout cives caeteri dictae civitatis; ita tamen, quod in poenam L. si quis maior C. de transactionibus incidere non possint propter moram solutionis non factae in hora, ut supra, et quod non possit dici recessum ab hac pronunciatione defectu ipsius solutionis non factae in tempore, ut supra.

Item, quod pro taleis, oneribus praeteritis, pro quibus solvere cessaverunt usque ad hanc diem, integraliter solvere teneantur, vel se concordare pro praedictis cum dicta Communitate, et agentibus pro ea hinc ad festum Sancti Michaëlis proxime futurum.

Item, quod fortalicia, et ayralia, ressiae, inge-

nia, et molendina mensurentur, et pro fortaliciis *a* solvere teneantur ad rationem de solidis quatuor pro iornata: de ayralibus, et de aliis proxime dictis ad rationem de solidis sex pro iornata.

Item, quod dicti nobiles, et incolae dictorum locorum Droxii, et Burgirati non possint extrahere victualia de dictis ayralibus, et finibus, nisi solvendo ut caeteri. Intrare autem vinum foresterium non possint, nisi solvendo gabellam exigi solitam per dictam Communitatem, vel ad minus, nobiles, grossos tres pro carata, alii, grossos quatuor pro carata, et pro usu eorum tantum, et non ultra fideliter, et sine fraude.

Item, quod dicti nobiles Droxii, et Burgarati habeantur, tractentur, et reputentur tamquam cives, et incolae dictae civitatis, et gaudeant privilegiis, *b* statutis, immunitatibus, franchesiis, et libertatibus dictae civitatis, quemadmodum caeteri cives, et incolae dictae civitatis, et possint pasculari eorum bestias in finibus dictae civitatis, prout, et quemadmodum alii cives dictae civitatis; et versa vice cives, et incolae dictae civitatis Thaurini pasculari possint in dictis possessionibus Droxii, modis, et formis, quibus ipsi de Droxio in finibus Thaurini, exceptis nemoribus tempore glandium, et in tagliciis.

Item, quia magnae expensae fuerunt factae per Communitatem Thaurini, et agentes pro ea, tam prosequtores, quam commissarios exequtores, et scribas in prosequtione dictae causae, satisfacere teneantur ad arbitrium nostrum.

Item, pronunciamus, et declaramus, quod dicti *c* domini Droxii sint, et intelligantur absoluti, et liberati a commissione, et confiscatione, seu ad iudicatione locorum, praediorum, et bonorum suorum, poenisque adiudicatis per dictam sententiam praefati domini Guliermini de Scaravelis in favorem dictae Communitatis Thaurini latam, et ex nunc ipsos per hanc nostram sententiam, et pronunciationem, mediantibus praemissis, liberamus, et absolvimus a dicta poena commissionis et confiscationis, et quibuscumque aliis poenis, quas incurrerunt, vel incurrere potuerunt occasione responsionis non factae, salvis tamen eidem Communitati, seu prosequtoribus huius commissionis expensis propterea factis per eamdem Communitatem, seu eius nomine, quarum tassationem nobis reservamus. Et finaliter *d* pronuntiamus, et servari volumus perpetuo. Quod si quae dubitationes occurrant super praemissis, in quacumque sua parte, quod non creditur, de, et pro eisdem stetur ordinationi, et declarationi nostrae semper, et quandocumque. Quibus gestis, et illis, per partes supra agentes, auditis, et intellectis, ut asseruerunt partes ipsae, videlicet praenominati Thomas de Gorzano, et Philippinus de Bechutis sindici, ac Petrus de Broxulo, uti procuratores, et ambaxiatores dictorum hominum, et Communitatis Thaurini, nec non Innocentius de Vagnonibus suo, et procuratorio nominibus praedictorum Cassani Henrieti, et Iacobi de Vagnonibus, suorumque, et cuiuslibet ipsarum partium haeredum, et successorum quorumcumque, nos, et de praemissis, quantum potuerunt, regraciati fuerunt, promiserunt, et iuraverunt per iuramenta sua super evangeliis Dei sanctis, corporaliter per eos, et eorum manibus praestita, et sub obligatione omnium ipsarum partium principalium, et cuiuslibet earum bonorum praesentium, et futurorum praedicta omnia, et singula supra per nos pronunciata, arbitrata, arbitramentata, cognita, et ordinata in omnibus suis partibus, et punctis, atque articulis supra, et infrascriptis, se tenere, attendere, et inviolabiliter observare, nec contra illa, aut ipsorum aliqua facere, dicere, vel venire, clam, palam, tacite, vel expresse, quovisque quaesito colore, ad arbitrium boni viri recurrere; quin ymo omnia ipsa, et infrascripta quilibet praedictos eorum principales laudari, rattificari, et confirmari facere in valida, et ampla forma, seu cum effectu procurare, quod ita faciant. Omnibus iuribus canonibus, et civilibus consuetudinariisque, et municipalibus, necnon privilegiis, libertatibus, franchexiis, statutis, capitulis patriae, et locorum consuetudinibus, et aliis omnibus, quibus contra praemissa, aut ipsorum aliqua facere, dicere, vel venire possent, partes ipsae agentes expresse, et sub vi suorum superius praestitorum iuramentorum renunciando, et signanter iuri dicenti generalem renunciationem non valere, nisi praecesserit specialis. Datae, latae, et lectae extiterunt hae nostrae sententiae, ordinatio, pronuntiatio, et declaratio infra castrum nostrum Pinerolii, videlicet in aula parlamenti, praesentibus ibidem pro testibus ad haec assumptis, vocatis, et rogatis infranominatis. De quibus quidem omnibus partes praenominatae, et quaelibet ipsarum ad opus sui petierunt sibi fieri unum publicum instrumentum, seu de his literas opportunas. Datum, et actum ubi supra, die undecima mensis iunii, anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo primo.

Per dominum, praesentibus dominis, pro testibus ad suprascripta, ut praefertur assumptis, dominis

Iohanne domino Bariaci, marescallo Sabaudiae

Aymone comite Camerae, et vice comite Maurianae

G. Marchione Sancti Saturnini, et comite de Varax

Guliermo de Sandiliano, praesidente audientiarum

Guygone de Seysigniaco, praesidente patrimoniali, et pluribus aliis

Peclet.

(LI)

Literae reintegrationis magnifici Consilii citra montes Thaurini residentis, concessae per illustrissimum dominum, dominum Amedeum ducem Sabaudiae, etc., de anno Domini MCCCCLXVIII, *die vigesima secunda mensis augusti.*

Amedeus dux Sabaudiae, Chablaysii, et Augustae, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus, marchio in Italia, princeps Pedemontium, Niciaeque comes, Vercellarum, ac Friburgi dominus. Universis serie praesentium fieri volumus manifestum, quod cum per nostras alias patentes literas datas Pinerolii de anno proxime praeterito millesimo quatercentesimo sexagesimo septimo, et per dilectum fidelem secretarium Petrum Floreti confectas propter nostrum ad has partes pedemontanas adventum, certisque aliis moti respectibus, et causis in eisdem literis declaratis, Consilium nostrum citramontanum, et totum eius magistratum suspendimus, donec tamen, et quousque super ipsa suspensione aliter providendum duxerimus, omnesque, et singulas causas coram eo vertentes ad nostrum nobiscum residens Consilium advocaverimus, et ipsorum cognitionem pariter, et decisionem eisdem commiserimus. Quapropter dilecti fideles sindici civitatis nostrae thaurinensis ad nostram venientes praesentiam nobis exhibuerunt literas institutionis eiusdem Consilii nostri cismontani, nec non franchisias, libertates, et conventiones sibi per inclitae recordationis illustres progenitores, et potissime dominum Amedeum avum, indeque Ludovicum genitorem nostros carissimos Sabaudiae, etc. duces concessas, et postremo per nos confirmatas, quarum copia, seu transumptum praesentibus est annexum, requirendo procuratorio nomine dictae Communitatis, humillime supplicando, ipsas franchisias sibi per nos observari mandare, et dictum Consilium cismontanum in dicta civitate thaurinensi in ipsarum conventionum observationem, et iuxta tenorem earum, cum suis praeminentiis, auctoritate, et praerogativis solitis, eidem Consilio ex ipsarum forma conventionum incumbentibus, restituere, dictamque suspensionem cassare, ac praedictas franchisias denuo confirmare benigniter dignaremur. Ecce quod nos supplicationi dictorum sindicorum favore benivolo inclinati, tenore dictarum conventionum, et franchisiarum, quas sollerter visitari fecimus, primitus considerato, et super his cum illustri fratre nostro carissimo, fideli, et locumtenente generali Philippo de Sabaudia, comite Baugiaci, participato pridem consilio, ac nostri nobiscum residentis Consilii deliberatione praehabita, volentes itaque eosdem sindicos, et Communitatem supplicantes, quos erga nos, et nostros continuis subventionibus comperimus obsequiosos, nostrorum vestigia progenitorum insequendo, favoribus consequere gratiosis, et eisdem suarum franchisiarum tenorem observare, ut tenemur, ex igitur

a nostra certa scientia, dictis participatis consiliis, et deliberatione, utilitate, ac bono totius nostrae praefatae ditionis cismontanae, eiusdemque reipublicae circa hoc pensatis, et plurimum consideratis, pro nobis, et nostris, praedictum Consilium, eiusdemque sedem, et residentiam, tenorem, et continentiam earumdem franchisiarum, et conventionum, ut praefertur concessarum, praesentibus per copiam annexarum insequendo, cum ipsius Consilii solitis potestate, dignitatibus, praeheminentiis, et praerogativis, quibus ante suspensionem nostram praedictam fungebatur, in eadem nostra civitate, et suo loco pristinis restituimus, reducimus, reintegramus, et de caetero, ac iuxta saepe dictarum franchisiarum formam statuimus, esseque in eadem civitate,
b et residere volumus, et decernimus per praesentes; praedictasque franchisias, libertates, conventiones, et literas subannexas praefatis supplicantibus, et suis iterum denuo confirmamus, ratificamus, et approbamus, et perpetuam roboris efficaciam obtinere volumus, antedictam suspensionem de dicto Consilio, ut praemittitur, factam revocantes, et pro revocata haberi volentes, et decernentes harum serie. Ita tamen, quod subditi nostrae patriae cismontanae mediati, et immediati, omnes, et singuli ad ipsum Consilium appellare, et recursum habere valeant, prout faciebant, et facere poterant, ac usitatum fuit ante ipsius Consilii suspensionem praedictam. Declarantes insuper nostrae mentis propositum, quod, nobis citra residentibus, in eodem Consilio citramontano pro ipsius regimine, et iustitiae
c administratione intersint unus praesidens, duo collaterales, unus advocatus ydoneus pro minori numero, donec tamen, et quousque per nos aliter fuerit provisum; mandantes hoc ideo illustri fratri, et locumtenenti generali, nec non Consilio nobiscum residenti praedictis, ac caeteris quibuscumque locatenentibus, gubernatoribus, caeterisque officiariis nostris praesentibus, et futuris, ipsorumque locatenentibus, et cuilibet eorumdem, quatenus huiusmodi restitutionem, dictasque libertates, conventiones, franchisias, earumque confirmationes, et has praesentes praefatis sindicis, credendariis, et Communitati Thaurini, et suis ab inde teneant, attendant, et inviolabiliter observent, tenerique,
d attendi, ac per quoscumque perpetuo inconcusse observari, in nulloque contrafaciant quomodolibet, vel opponant; et insuper memorato Consilio nobiscum residenti, quod omnes, et singulas causas coram eo pendentes, quae ante suspensionem praedictam coram dicto cismontano Consilio inchoatae fuerunt, nondum definitas, vel sopitas, coram ipso nobiscum residenti Consilio ventilantes indecisas, eidem Consilio cismontano illas remittant iuridice terminandas, quas eidem remittimus per seriem harum, alio a nobis non expectato mandato. Caeterum volumus, mandamus, et declaramus, quod secretarii dicti Consilii, procuratores, causidici, et commissarii in solutionibus actorum, scripturarum, processuum, procurationum, et aliarum quarumcum-

que sive in civili, sive in criminali, non excedant a
formam statutorum Sabaudiae nostrorum; ymo ne fiat per praesentes, sub poena centum librarum fortium, et privationis officii, expresse inhibemus, ac partibus, sub poena consimili praedicta, ne pro actibus suis, et aliis scripturis ultra dictorum formam statutorum praefatis secretariis, causidicis, procuratoribus, et commissariis aliquid persolvant, sed ipsa statuta insequantur, et observent etiam absque alterius expectatione mandati, in quantum dicta poena se formidant affligi. Datum Avillianiae, die vigesima secunda augusti, anno Domini MCCCC sexagesimo octavo.

Per dominum, praesentibus dominis

R. Io. episcopo Lausanensi, cancelario Sabaudiae b
Iohanne de Compesio, abate de Six
A. domino Viriaci
Philiberto de Palude, domino sancti Iuliani
Vifredo Alinghi, cismontano praesidente
Claudio de Challes, magistro hospitii
P. de sancto Michaële
Michaële de Canalibus
Stephano Morelli, advocato fischali
Iohanne de Lestelley, requestarum magistro
Iohanne Locterii, thesaurario generali.

Exhibitio, sive praesentatio literarum domnicalium proxime praecedentium facta magnifico Consilio cismontano ad earumdem observantiam. c

Consilium illustrissimi principis domini nostri Sabaudiae, etc. ducis cum eo residens. Universis serie praesentium facimus manifestum, quod exhibitis hodie coram nobis literis domnicalibus retro scriptis nomine Communitatis Thaurini per egregios Petrum de Broxulo, et Brunetum de Ruere ipsius Communitatis ambaxiatores, et perlectis de verbo ad verbum, ipsas eisdem requirentes observare, ut tenemur, nos paratum offerimus, et in earum observatione omnes, et singulas causas, de quibus literae ipsae referunt, ut inibi mandatur coram magnifico ducali Consilio Thaurini residere solito, et quod de proximo ipsarum literarum vigore, ibidem residentiam facturum est, harum serie remittimus
ad diem sextam praesentis mensis, quam diem, d
nisi feriata, etc. partibus, quas causae ipsae concernunt, assignamus ad coram eodem comparendum, et procedendum, secundum ipsarum causarum retroacta: has nostras in testimonium concedentes. Datum Avillianiae, die vigesima secunda mensis augusti, anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo octavo, etc.

Per Consilium, praesentibus dominis

Vifredo Alinghi, cismontano praesidente
P. de S. Michaële
Michaële de Canalibus
Georgio Turcheti
Oldrato Canavoxii, advocato fischali

De Caburetο.

---

(1) Cum humani iuris in infinitum conditio semper decurrat, ac nihil est in ea, quod stare perpetuo possit, non est reprehensibile iudicandum, si secundum varietatem temporum statuta varientur humana. Ea propter ad honorem, et laudem domini nostri Iesu Christi, eiusque Matris semper Virginis, beatique Iohannis Baptistae, patroni civitatis Thaurini, ac tocius caelestis curiae, et ad bonum, et tranquillum, ac pacificum statum, ac conservationem totius civitatis, et districtus, infrascripta sunt statuta, et ordinamenta (2) ipsius civitatis facta, et edita, et declarationes capitulorum factae, et editae per credendarios ipsius civitatis cum auctoritate, et voluntate, et expresso consensu illustris, et magnifici principis, et domini domini Amedei, comitis Sabaudiae, et in Italia marchionis, ac domini civitatis Thaurini, et districtus, sub anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo, indictione tertia decima, etc.

Rubrica: de sacramento dominorum vicarii, et iudicis.

Iuramus ego vicarius, et ego iudex civitatis Thaurini ad sancta Dei evangelia, bona fide, nulla fraude intercedente, regere, et gubernare civitatem, et homines civitatis Thaurini, eiusque iurisdictionis, et districtus ad honorem Dei, et beatae Mariae semper Virginis, beati Iohannis Baptistae, et illustris, et magnifici domini domini Amedei, comitis Sabaudiae, et haeredum suorum, secundum iura, statuta, capitula, seu ordinamenta infrascripta, et ipsa capitula, et statuta infrascripta servare, et attendere, prout iacent; et hoc per totum tempus, quo fuerimus in vicaria, seu in regimine civitatis iam dictae, et quod stabimus decem diebus in Thaurino post nostrum regimen ad faciendam rationem cuilibet de Thaurino, et Gruglascho summarie, et de plano conquerenti de nobis; nec inde possit dari licentia, vel parabola quoquomodo, eo salvo, quod si infra quindecim dies non fieret querimonia de nobis, possimus recedere, praestita ydonea fideiussione de iuri parendo, et de iudicatum solvendo, etc.

De iusticia tam minoribus, quam maioribus facienda.

Item, iustitiam tam minoribus, quam maioribus faciemus, nec propter amicitiam, vel inimicitiam, seu pretio, vel precibus, aut munere a iusticia deviabimus, salvis tamen semper capitulis infrascriptis.

(1) Hinc incipiunt statuta et decreta quae praecipue ad iustitiam ministrandam edita sunt pro civitate Taurini ab Amedeo VI Sabaudiae comite anno MCCCLX.

(2) Vetustiora statuta Taurini extiterant, sed eorum exemplaria desiderantur. Quaedam scilicet edita fuerunt a Thoma II, Sabaudiae, Pedemontium principe; ab eius successore Thoma III, ad annum 1280; a Catherina Viennensi, vidua, principe Achayae, ad annum 1335; alia condita fuere per consilium civitatis die 6 novembris 1342, quae *rubro libro* continebantur (V. Pingon. Aug. Taurinor. I. edit. pag. 48, et decreta anni 1335, et 15 octobris 1346).

Item, res, et iura omnium ecclesiarum, et monasteriorum civitatis, et districtus Thaurini, iustitia mediante, defendemus.

De non compellendo massarium de avere Communis dando.

Item, quod non compellemus massarium ipsius Communis nobis, vel alteri dare, vel tradere pecuniam, vel avere Communis, nisi de ipsius Communis, seu credentiae processerit voluntate.

De sacramento vicarii.

Item, iuro ego vicarius dicti domini Comitis, nullum praestare impedimentum, vel molestiam aliquam inferre per me, vel per aliquam submissam personam iudicibus curiae dicti domini Comitis in Thaurino existentibus, vel futuris, quominus eorum officia plene, et libere exequantur, in iis videlicet, quae pertinent ad officium iudicis, et iustitiam faciendam.

De sacramento iudicis.

Item, iuro ego iudex domini Comitis, qui in civitate Thaurini pro iudice residebo, me iudicis officium fideliter, secundum iura et capitula civitatis eiusdem, tam in causis, quam in aliis negotiis, quae ad meum officium pertinebunt, sine odio, vel malitia exercere.

De sacramento dominorum vicarii, et iudicis.

Item, iuramus iustitiam facere omnibus personis civitatis praedictae de eorum debitis, vel creditis, et generaliter super bonis eis specialiter, vel generaliter obligatis, a quibuscumque personis possessis, vel detentis, sive debitores ipsarum personarum in ipsa resideant civitate, sive alibi, et sive banniti fuerint, sive confinati; eodem modo super rebus, et de rebus, quas aliquae personae de Thaurino ad se dicere voluerint pertinere, etc.

De iure usurarum non tenendo.

Item, statutum est, quod iudex curiae Thaurini non possit, vel debeat alicui personae ius reddere de usuris, nec ipsam personam usuras petentem, vel retinere volentem audiat, etiamsi usurae iuratae fuissent, quamvis debitor condempnatus fuisset; ymo admittatur debitor volens probare contra confessionem, vel condempnationem pro facto usurarum factam.

De providendo per iudicem, vel rectorem circa tutores, vel curatores dandos, et constituendos minoribus.

Item, statutum est, quod iudex, et rector civi-
a tatis Thaurini teneatur in subsidium minorum, et miserabilium personarum sollicite providere, ut ipsis pupillis et minoribus de tutoribus, et curatoribus, aliisque personis indigentibus provideatur eius officio circa tutores, et curatores eis constituendos, vel confirmandos, secundum quod iura volunt, et circa satisdationes ydoneas ab ipsis recipiendas nomine ipsorum minorum, vel miserabilium personarum, et circa inventaria facienda, nihil hac occasione recipientibus iudicibus, vel ab eisdem rectoribus; et quod de omnibus tutelis, et curis, ac inventariis fiant publica instrumenta per tabelliones curiae Thaurini, quae per ipsos ponantur, et scribantur infra quinque dies in uno libro membranarum ad hoc opus tantum conficiendo, qui liber in
b archa Communis Thaurini, sive curiae custodiatur, in ea videlicet, in qua statutum est libros curiae veteres custodiri. Tabellio vero curiae, qui praedicta instrumenta receperit facienda, nisi ea exemplaverit infra diem superius nominatum, solvat pro bampno ipsi curiae solidos viginti, et ab inde in antea pro qualibet die, qua cessaret solidos quinque; haec autem fiant expensis ipsarum personarum, ad opus quarum fierent instrumenta.

Quod vicarius, et iudex ita teneantur habere ratas, et firmas reformationes Consiliorum, quemadmodum et statuta civitatis Thaurini.

Item, statutum est, quod sicut vicarius, et iudex
c tenentur de statutis civitatis Thaurini, ita teneantur de reformationibus Consiliorum maioris credentiae, vel minoris, si super hoc a maiori credentia privato Consilio potestas fuerit attributa, dum tamen credentia facta fuerit de voluntate vicarii, et iudicis, vel alterius personae eorumdem; qui vicarius, et iudex dictam credentiam teneri facere teneantur semper, quando fuerint requisiti per clavarios Communis Thaurini.

De non prohibendo per vicarium, vel iudicem aliquem notarium facere instrumenta, et scripturas ad postulationem cuiuslibet civis Thaurini.

Item, statutum est, quod vicarius, et iudex non
d possint prohibere alicui notario quin faciat instrumenta, et scripturas ad postulationem cuiuslibet civis Thaurini, nec bampnum, vel poenam eidem imponere, vel excutere, nisi illud instrumentum, vel scriptura in praeiudicium domini Comitis verteretur.

De procurando per iudicem suo posse, ut omnes taleae, et impositiones, quae fient per Commune Thaurini, perveniant ad manus massarii.

Item, statutum est, quod iudex curiae Thaurini teneatur suo posse procurare, ut omnes taleae, et impositiones, quae fient per Commune Thaurini super hominibus, et habitatoribus civitatis praedi-

ctae, rebusque in poderio Thaurini, et Gruglaschi existentibus, et omnes aliae Communi Thaurini pertinentes, perveniant ad manus massariorum dicti Communis Thaurini.

Quod iudices Thaurini teneantur facere iurare tinctores pannorum, et sartores de accusando personas, quas invenerint facere, vel fieri facere pannos fraudulentos.

Item, statutum est, quod omnes iudices, primo mense sui regiminis, teneantur facere iurare tinctores, et sartores pannorum, ut ipsi debeant accusare ipsis iudicibus omnes, et singulas personas, quas invenerint facere pannos fraudulentos, maxime in quibus reperientur pelleya bovum, caprarum, vel asinoru,m cozonum, vel stupa, eadem die, quando praedictam fraudem invenerint; iudices vero, reperta fraude praedicta, ipsum pannum incontinenti comburi facere teneantur publice in platea fori, et ab eo, qui dictam fraudem fecisset, vel fieri fecisset solidos viginti pro bampno excutere; similiter a tinctore, et sartore, nisi accusationem praedictam fecerint; si vero aliquis emisset talem pannum ab aliquo de Thaurino, vel ibi habitante, iudex duplum pretii dicti panni sibi a venditore ipsius reddi facere teneatur, et haec locum habeant de pannis, qui fierent in Thaurino.

Quod iudex, vel rector Thaurini teneantur denunciare domino loci, vel Communi debitorem, qui fuerit obligatus quoquomodo alicui de Thaurino, et etiam ipsi debitori.

Item, statutum est, quod iudex, seu rector infra tres dies, postquam denunciatum fuerit sibi ab aliquo homine Thaurini, qui ostendat instrumentum publicum, vel per testes probaverit, quod aliquis, qui non sit de iurisdictione ipsius civitatis, debeat sibi aliquid, vel aliquo modo sit obligatus versus eum principaliter, vel secundario, seu per robariam, debeat denunciare domino, vel Communi ipsius loci, unde debitor fuerit, vel fideiussor, vel ipsi debitori, vel fideiussori, vel debeat satisfacere creditori Thaurini; et si non satisfecerit, vel rationem non fecerit, ubi contractus celebratus est, vel ubi debitor solvere promisit, infra mensem a tempore denunciationis, iudex, seu rector teneatur de voluntate credentiae eidem dare licentiam de rebus debitoris, seu fideiussoris, et hominum loci, unde fuerit, mense denunciationis transacto, quandocumque placuerit creditori, detinere, vel capere de rebus ipsorum, quousque satisfactum fuerit ei, nisi parabola creditorum remanserit; et quod iudex, vel rector non possit auferre parabolam datam, vel quae daretur, nisi remaneret parabola totius credentiae, vel trium partium; si vero invenerit de bonis debitoris, vel fideiussoris in civitate, vel in poderio Thaurini, fiat saximentum de illis. Dominus autem Comes possit dare licentiam,

a et parabolam cambium capiendi quandocumque, et quotiescumque sibi placuerit quibuscumque.

Quod iudex non possit dare licentiam de aliquo capitulo, nisi prius lecto, et a credentia intellecto.

Item, quod si iudex, vel rector voluerit petere licentiam, vel absolutionem de aliquo statuto, non possit inde habere parabolam, vel licentiam, nisi prius lecto, et intellecto ipsis credendariis illo statuto, de quo petita fuerit absolutio.

Quod nullus rector, vel iudex possit prohibere aliquem civem, vel habitatorem Thaurini vendere, vel emere in Thaurino cuicumque voluerit, et quandocumque granum, et vinum suum, et quascumque alias res. b

Item, statutum est, quod nullus rector, vel iudex possit prohibere aliquem civem, vel habitatorem vendere, vel emere in Thaurino cuicumque voluerit, et quandocumque granum, et vinum suum, et quascumque alias res, nec etiam compellere aliquem ad emendum.

Quod iudex, vel rector non possit compellere aliquem de Thaurino, vel de districtu ad pecuniam mutuo dandam ipsi Communi, vel alii personae, sive granum, vel vinum vendere.

c Item, quod non possit, vel debeat iudex, vel rector aliquem de Thaurino, vel de districtu compellere ad pecuniam mutuo dandam ipsi Communi, vel alii personae, sive ad granum, vel vinum vendendum, vel permutationem aliquam faciendam sub specie alicuius contractus, vel aliquid aliud, nec fideiussorem esse, vel mutui receptorem, seu principalem debitorem sub aliquo ingenio, seu forma, nisi de voluntate trium partium credentiae.

De faciendo per iudicem, vel rectorem curari plateam merchati Thaurini a vicinis.

Item, teneatur iudex, vel rector curari facere d plateam merchati a vicinis eiusdem, si hyemali tempore de quolibet mense semel, aestivo vero tempore de quindecim in quindecim diebus, expensis ipsorum vicinorum. Additum est, quod quicumque posuerit, vel poni fecerit leamen in merchato, vel becharia, vel stratis publicis, illud amoveat, vel amoveri faciat infra tres dies, postquam fuerit positum, sub poena, et bampno denariorum duodecim pro quolibet, et qualibet vice.

De providendo per iudicem, vel rectorem, quod platea rerum venalium sit a luto, et leaminibus expedita.

Item, quod teneatur iudex, vel rector, quantum

commode poterit, providere, quod platea merchati rerum venalium sit a luto, et leaminibus expedita, nec non plaustris, seu plaustratis lignorum, foeni, palearum, seu palorum, et mortarum, visitando per se, vel per alium semel in ebdomada dictam plateam, et procurando, quod granum, et legumina vendantur in curia grani, vel ubi antiquitus vendi consueverunt, et non in alio quam in foro praedicto. Quicumque vero posuerit leamen in ipso foro, nisi abstulerit illud infra tertiam diem, solvat pro bampno denarios duodecim pro qualibet die; similiter qui venderet, duceret, vel emeret in ipso foro plaustratas lignorum, foeni, paleae, palorum, vel mortarum die sabbati, solvat simile bampnum, et quilibet inde possit esse accusator, et habeat medietatem bampni; et quicumque teneret granum, vel legumina die aliqua venalia in platea fori rerum venalium, solvat pro plaustrata solidum unum, et pro somata denarios sex, pro pondere hominis denarios tres, et eodem modo possit esset quilibet accusator, et habeat medietatem bampni. Quod autem dicitur de venditoribus, locum habeat, si fuerint de Thaurino; extranei vero dicta bampna solvere non teneantur. Hoc addito, quod de nulla re, quae portata fuerit super dorsum, capiatur aliqua curaya, vel plazagium, vel sostarium, sed penitus sit immunis; et qui contrafecerit, solvat pro bampno, et qualibet pro vice solidos duos, et rem captam restituat, nisi aliter usque ad haec tempora fuerit observatum.

Quod vicarius, et iudex Thaurini possint compellere quemlibet civem, et habitatorem Thaurini ad faciendam fidelitatem domino Comiti.

Item, quod quilibet civis, vel habitator Thaurini maior XVIII annorum teneatur, et debeat, ac compelli possit per dominos vicarium, et iudicem facere fidelitatem domino Comiti, seu eius vicario, vel iudici, nomine eiusdem domini Comitis recipientibus, si eam non fecit eidem domino Comiti, quandocumque super hoc fuerit requisitus.

Quod iudex, vel rector Thaurini teneatur inquirere omnes possessiones infra fines Thaurini existentes, alienatas personis extraneis.

Item, quod iudex, vel rector teneatur inquiri facere omnes possessiones infra fines Thaurini existentes, alienatas personis extra iurisdictionem Thaurini commorantibus, easque in libro Communis scribi facere cum coherenciis, et super eis taleas imponere, et exigere, sicut super aliis possessionibus hominum habitantium in Thaurino.

a *Quod vicarius, et iudex teneantur facere expedire, et apertam tenere viam, qua itur intrinsecus circum civitatem Thaurini secus muros, et etiam moenia, seu fossatos Communis.*

Item, quod vicarius, et iudex, et quilibet rector civitatis Thaurini teneatur, et debeat expeditam, et apertam tenere viam, qua itur intrinsecus secus muros civitatis Thaurini, et circum circa ita latam, quod quaelibet foeni, et lignorum carrata per eam duci valeat, remanentibus muris ecclesiarum in eorum statu, et ipsam viam apertam tenere, et ab omnibus obstaculis expeditam, et etiam teneantur, et debeant fossata cum suis barbacanis extra muros, et circumquaque muros, et moenia ipsius
b civitatis expeditas, et expedita perpetuo a quibuscumque obstaculis, et impedimentis manutenere, et defendere ad statum, fortificationem, defensionem dictae civitatis.

Quod vicarius, vel iudex teneatur poni facere in sextario, quo mensuratur vinum, puglolium, et clavum de subter puglolium.

Item, statutum est, quod iudex, vel rector teneatur inquirere sextaria, in quibus mensuratur vinum, et in quolibet sextario poni facere puglolium, et clavum de subter puglolium, et cum vinum exire potest per puglolium, seu per foramen ipsius, intelligatur sextarium vini recte mensura-
c tum; et hoc intelligatur de vino claro: de musto vero debeant puglolia, seu foramina cohoperiri; et distringantur portatores vini ita tenere eorum sextarium vini, et legitime mensurare per sacramentum; quod si non fecerint, solvant pro bampno pro quolibet solidos duos, et non ultra, et quilibet possit accusare; mensura vero sextarii vini teneatur ad modum, quo modo est, ita quod non possit diminui, vel augeri: massarius vero, vel rector custodiat mensuram sextarii vini, qua caeterae mensurae rationabuntur. Additum est, quod mustum intelligatur usque ad festum sancti Martini.

Quod iudex, seu rector cum consilio credentiae possit serrare, et alargare granum.

d

Item, quod iudex, seu rector cum consilio credentiae possit serrare, et alargare granum, quando sibi, et credentiae placuerit, secundum quod requisitum est, et consuetum fieri in civitate Thaurini, et non possit dari licentia trahendi granum aliquo modo per iudicem, vel rectorem alicui, praeterquam hominibus Gruglaschi, illis iurantibus, quod dictum granum concessum sibi non vendent, nec alienabunt per se, nec per alium, et quod solummodo ad eorum usum dictum granum portabunt, et consument, et de suo non habent quod eis sufficiat ad vivendum, nec inde possit parabola, vel licentia dari, vel capi sine voluntate credentiae.

Quod iudex, vel rector Thaurini teneatur eligi facere octo homines per clavarios civitatis, qui recipiant rationes, et computa a massariis Communis Thaurini.

Item, quod iudex, seu rector Thaurini teneatur eligi facere per quatuor clavarios civitatis Thaurini, octo rationatores, qui per totum annum recipiant a massariis Communis Thaurini rationes, et computa receptorum, et expensarum averii ipsius Communis, quae computa fiant singulis tribus mensibus, et legantur in credentia, et fiant duo libri, in quibus scribatur summa recepti, et expensarum eiusdem massarii, quorum unum custodiat ipse massarius, et alium ipsi rationatores.

Quod iudex, vel rector teneatur curare, et facere, quod omnes troselli, et cargiae transeuntes per civitatem Thaurini iaceant in Thaurino.

Item, teneatur iudex, seu rector sic facere, et curare, quod omnes troselli, et cargiae transeuntes per civitatem Thaurini, undecumque venient, ibidem hospitentur, et iaceant per unam noctem, et super hoc compellat pedagiarios iurare, et albergatores, ut intus civitatem praedictam trosellos, et cargias eorum pro posse faciant hospitari.

Quod vicarius, iudex, vel rector teneatur facere teneri per medium bechariae viam amplam per unam taysam.

Item, teneatur iudex, sive rector teneri facere per medium bechariae viam amplam per unam taysam, ita quod becharii possint vendere carnes suas ex utroque latere bechariae; nemo tamen becharius possit facere, vel tenere leamen in aliquo loco bechariae praedictae; et qui contra fecerit, solvat solidos quinque pro bampno pro quolibet, et qualibet vice.

Capitula super bonis forensibus facta, et primo.

Quod iudex, vel vicarius teneantur eligere cum Consilio clavariorum viginti quatuor bonos homines super bonis forensibus.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod pro custodiendis bonis forensibus, et salvandis, eligantur per dominos vicarium, et iudicem cum consilio clavariorum xx quatuor boni homines, legales, videlicet sex de quolibet quarterio, ex illis, qui plures habebunt possessiones in poderio Thaurini, qui viginti et quatuor iurent ponere, et eligere, ac eligant annuatim ad festum omnium Sanctorum, aut infra tertiam diem post festum omnium Sanctorum immediate sequentem, omnes forestanos, saltuarios, camparios, et custodes omnium bonorum forensium tam citra Padum, et ultra, quam
a alibi in finibus, et poderio civitatis Thaurini, nullum servitium ipsi electores inde recipientes, vel extorquentes. Qui custodes infra tertiam diem offensionis teneantur offendentes accusare vicario, seu iudici, aut alteri ex notariis curiae, et bona omnia forensia custodire per totum annum, et dampna data in eorum custodia emendare, nisi inde fecerint accusationem; et teneantur similiter accusare omnes capientes de terra Communis Thaurini, et vias publicas restringentes. Custodes autem sint boni homines, et legales, qui dent fideiussores de bampnis emendandis ut supra, quilibet eorum videlicet de solidis centum viannensibus; habeant vero pro eorum salario custodes de ultra Padum, et ultra Sturiam solidos xx viannenses pro quolibet, et denab rium unum viannensem pro quolibet centenario nemoris, prati, et vinearum, et similiter campariam, scilicet illi de ultra Padum campariam de ultra Padum, illi de ultra Sturiam campariam de ultra Sturiam; habeant insuper tam ipsi, quam alii camparii a quolibet laboratore bovum gerbam unam frumenti, sive sua manu laboret, sive aliena, et unam siliginis, et unam speltae, et unam avenae, si praedictos fructus habuerint ipsi laboratores in eorum custodia, et nichilominus quartam partem bannorum, de quibus fecerint accusas. Alia servitia, et exactiones nullatenus accipiant, vel excutiant, et si contrafecerint, vel fraudem commiserint in eorum officio, solvant pro bampno hii, qui contrafecerint, vel fraudem commiserint, solidos quinque
c pro qualibet vice, et pro quolibet ipsorum, et removeantur cum infamia a dicto officio. Omnes autem accusationes recipiantur, et scribantur per notarium curiae in libro curiae Thaurini.

De eligendo per iudicem, vel rectorem custodes bonorum forensium per unum mensem ante exitum aliorum.

Item, teneatur iudex, vel rector per mensem unum ante exitum aliorum custodum bonorum forensium alios custodes eligi facere, ita quod iurent eorum officium incontinenti eveniente termino praecedentium, ne custodia remaneat derelicta, et cridari facere per civitatem voce praeconia custodiam
d in renovatione custodum, quod quilibet vadat ad bona sua revidere, ut cognosci valeant utriusque temporis dampna data.

Quod quilibet officialis Thaurini teneatur iurare, quod non faciet aliquod lucrum fraudulentum in suo officio.

Item, quod quilibet officialis Communis Thaurini iurare teneatur, et debeat, quod non faciet lucrum aliquod pro suo officio, vel occasione sui officii fraudulentum, et quod forestarii nemorum, et pratorum nichil capere possint a faxinariis feni, vel herbae, vel venghi; et si contrafecerint solvant pro qualibet vice solidos quinque, et quilibet inde pos-

sit esse accusator, et habeat tertiam partem bampni, et credatur iuramento accusatoris.

Quod rector, seu iudex Thaurini teneatur providere per bonos, et legales accusatores, ne aliquis officialis malignetur in suo officio, vel lucrum faciat fraudulentum.

Item, teneatur rector, seu iudex curiosius, et diligentius providere, maxime per bonos accusatores legales, prout melius fieri poterit, infra mensem sui regiminis imponendos, subtiliter indagare, ne aliquis officialis in suo malignetur officio, vel lucrum faciat fraudulentum. Si quem vero contrafacientem reperierit ipsum publice, et graviter debeat infamare, et ab omni officio curiae, seu custodiae perpetuo removere, ita quod non possit ulterius esse de Consilio, nec cartam facere si esset tabellio in Thaurino, vel districtu.

De eligendis per rectorem, vel iudicem Thaurini duobus bonis hominibus, et legalibus ad providendum super viis publicis, ponte Padi, et aliis pontibus tam citra Padum, quam ultra.

Item, quod quilibet iudex, seu rector teneatur eligere, seu eligi facere duos probos homines, et legales infra dies quindecim post introitum sui regiminis ad providendum super viis publicis, ponte Padi, et aliis pontibus tam citra Padum, quam ultra, et secundum quod praedicti ordinaverint, iudex, vel rector teneatur in eis facere fieri, et compleri.

Quod iudex, sive rector Thaurini teneatur cogere ponterios pontis Padi manutenere barras, seu antepectus ipsius pontis, et de capiendo pedagium a transeuntibus.

Item, teneatur iudex, seu rector cogere ponterios pontis Padi, seu ministros eiusdem tenere, ac manutenere propriis expensis eorum, barras, sive antepectus ipsius pontis bonas, seu bonam ab uno ponte levatore usque ad alium ex utraque parte pontis, nec possint ipsi ponterii, vel eorum nuntii capere pedagium, seu collectam ab aliquo transeunte per dictum pontem, vel vadum Padi praeterquam in discessu nundinarum Trexii, Sancti Iohannis, et in discessu nundinarum Sancti Aulfi, et tunc ea petere possint solummodo in trosselis, et cargiis, et aliis bestiis extraneis, secundum quod capi, et colligi consuevit. Emendatum est, quod secundum tenorem instrumentorum ipsorum teneantur rectores eis servare, versa vice, et ipsi Communi Thaurini servare teneantur.

a *De faciendo per rectorem, sive iudicem inquiri per antiquos homines communia, et pascua Communi Thaurini pertinentia.*

Item, teneatur iudex, sive rector inquirere, sive inquiri facere per antiquos homines, qui melius super hoc noverint veritatem, communia, et pascua Communi Thaurini pertinentia, et ea terminari facere, prout melius poterit, defendere, et manutenere.

Quod iudices, vel rectores Thaurini teneantur facere custodiri bona forensia efficaciter, et bampna excutere.

b Item, quod iudices, vel rectores, qui sunt, et de caetero fuerint in Thaurino, teneantur efficaciter, et praecise bona forensia facere custodiri, et bampna eorum, occasione apposita, excutere, secundum quod continetur in capitulis inde factis, et faciendis, et tantumdem, quantum bampna fuerint domino rei, in qua dampnum datum fuerit, vel eius occasione poena solvatur, restitui facere pro emenda tam cito, quam cito bampnum excutietur, ita quod prius quam canzeletur, vel indicatur scriptura bampni, fiat restitutio domino dampni dati, et satisfactio, et hoc sine litigio aliquo, et etiam sine aliquibus probationibus, vel rei domini iuramento. Hoc salvo quod si dominus rei dixerit dampnum suum maius fore, credatur eius sacramento de
c taxatione sui dampni, et habeat locum, quod hic statuitur in omnibus dampnis datis, et offensionibus tam blavarum, quam vinearum, nemorum, et pratorum, clausurarum, hortorum, et arborum, quam etiam aliorum omnium bonorum forensium. Et omnium dictorum bannorum quarta pars ad accusatores perveniat, et eis fiat solutio in denariis, vel bonis pignoribus infra tres dies post exequutionem condempnationis, residuum vero totum ad curiam domini Comitis. Praeterea si aliquis dixerit accusando se aliquam bestiam, seu aliquem in suo dampno invenisse in aliquibus bonis forensibus credatur ei iuramento suo, licet persona accusata vellet iurare contrarium. Si vero dixerit se non invenisse in suo dampno, hoc autem probaverit per confes-
d sionem accusati, vel per testes, condempnetur accusatus, ut supra, secundum formam bampnorum bonorum forensium. Si autem dampnum dans, vel inventus in alieno fuerit non solvendo, ponatur ad berlinam incontinenti, et fustigetur per civitatem ab una parte usque ad aliam, si venerit in fortiam iudicis, vel rectoris, si bampnum fuerit a quinque solidis inferius; et haec omnia valeant, et teneant, aliquo alio capitulo non obstante. Ita tamen, quod iudex, et rector contentus esse debeat poenis, et bampnis suprascriptis, et infrascriptis capitulis comprehensis, et nichil ultra capiant pro poena, et bampno, quod in ipsis capitulis continetur.

Item, super praedictis bonis omnibus forensibus, boni, et legales accusatores ponantur, quibus fides

dari debeat, et etiam domino rei, eiusque familiae, aliisque personis, et vicinis, dum tamen iuraverint vera esse, nisi legiptime contrarium probaretur.

Quod teneatur iudex, sive rector infra mensem unum post introytum sui regiminis admonere episcopum, et canonicos, an velint solvere, et solvi facere bampna occasione bonorum forensium ordinata.

Item, statutum est, quod iudex, sive rector teneatur infra mensem unum post introytum sui regiminis dominum episcopum, et canonicos maioris ecclesiae requirere, an ipsi velint solvere, ac solvi facere aliis presbiteris, religiosis, et caeteris clericis civitatis, et suburbiorum bampna superius occasione bonorum praemissorum ordinata, pro ipsorum animalibus, et familiaribus, et si dixerint se nolle solvere dicta bampna, si in ea inciderint, vel fuerint accusati, tunc ab inde in antea non debeat iudex, sive rector auferre bampnum alicui civi, vel habitatori Thaurini pro eorum animalibus, quae in dampno, vel bonis eorum clericorum, vel religiosarum personarum invenirentur. Additum est, quod eodem modo exempti admoneantur, et quod eadem poena locum habeat contra eos.

De compellendis campariis per iudicem, et eorum fideiussores ad restituenda dampna, et hoc summarie absque aliqua petitione.

Item, statutum est, quod camparii civitatis Thaurini, et finium eiusdem loci, qui nunc sunt, vel per tempora erunt, et eorum fideiussores dati, et dandi in introytum campariae, iuxta formam capituli dictae civitatis, ab ipsis campariis, et quolibet ipsorum cogi, et compelli possint per iudicem dictae civitatis summarie, simpliciter, et de plano, et absque alicuius petitionis oblatione, ad restitutionem dampni dati in possessionibus finium civitatis praedictae, in eorum camparia situatis, de quibus nulla accusa reperiatur arbitrio iudicis, quibuscumque remediis, iuxta formam capitulorum dictae civitatis loquentium de dampnis datis bonis forensibus emendandis per camparios supradictos.

De inquirendis campariis, et forestariis per vicarium, vel iudicem diebus dominicis, et festivis.

Item, quod vicarius, vel iudex teneatur inquirere in civitate camparios, et forestarios, et maxime in diebus festivis hiis temporibus, et horis, quibus necessaria custodia est, et illos, qui inventi fuerint in civitate hiis temporibus, quibus custodia facienda est, condempnare, nisi iustam, vel legiptimam facerent defensionem.

a *De inquirendis per vicarium, et iudicem possessionibus alienatis extraneis.*

Item, quod super possessionibus, ut supra, inquirendis, et inveniendis, vicarius, et iudex Thaurini, infra mensem unum ab introytu sui regiminis computandum, teneatur cum Consilio credentiae singulis annis ponere bonos inquisitores, qui iurent dictas possessiones fideliter inquirere, et in plena credentia revelare, et habeant ipsi inquisitores quartam partem bannorum.

Suprascripta omnia sunt capitula tangentia vicarium, et iudicem civitatis Thaurini usque ad capitula maleficiorum etc.

b *Sequuntur capitula super maleficiis tangentia dominos vicarium, et iudicem civitatis Thaurini. Et primo:*

Quod vicarius, et iudex teneantur ire ad locum ubi essent bampniti de maleficiis, quando eis foret denunciatum.

Item, si quis civis, vel habitator Thaurini denunciaverit iudici, vel rectori, quod aliquis bampnitus de maleficio unus, vel plures sint in civitate, vel alibi in poderio Thaurini, teneatur iudex, vel rector per se, vel nuntios suos bona fide, quam citius poterit, ire ad locum sibi denunciatum, et ipsos bampnitos, vel bampnitum diligenter inqui-
c rere, et capere si poterit, et captos punire secundum formam statuti.

Quod iudex, sive rector non possit ponere aliquem hominem de Thaurino, sive suburbiis in bampno maleficii, nisi esset publicum, et manifestum.

Item, quod iudex, sive rector non possit ponere aliquem hominem in bampno maleficii de civitate, vel suburbiis, nisi fecerit publicum maleficium, vel de dicto maleficio fuerit inculpatus, et legiptime probatum fuerit, vel ipse inculpatus iuri non paruerit.

Quod iudex, vel rector non possit ponere aliquem
d *civem, vel habitatorem Thaurini ad curletum, qui possit ydonee de praesentatione satisdare.*

Item, quod iudex, vel rector non possit ponere aliquem civem, vel habitatorem Thaurini ad curletum, nec eum capere, vel in castrum, seu prisonariam ducere, qui possit ydonee de praesentatione suae personae satisdare, nisi super atrocibus maleficiis, et contra eos praesumptiones, vel indicia praecedant legiptima ad haec facienda: atrocia maleficia intelligantur homicidia, incendia, furta magna, tractatus mali de domino Comite, vel de civitate Thaurini, strata rupta, et proditiones, et violationes mulierum honestarum, et caste viventium, in quibus casibus, praecedentibus legiptimis prae-

sumptionibus, vel indiciis, procedi possit auctoritate, a et praesentia iudicis ad praedicta; et quod cives, et fideles Thaurini praesentes, et futuri non ducantur, nec intrudantur, nec duci, vel intrudi debeant per vicarium, seu aliquem ex officialibus civitatis Thaurini praesentes, et futuros, vel per aliam personam in aliquod ex castris, sive carceribus ipsius civitatis, nisi prius ipsis praesentatis ad domum habitationis iudicis Thaurini.

Quod iudex Thaurini teneatur requirere, sive requiri facere omnes, et singulos de civitate, quos ipse condempnare voluerit, vel absolvere, vel eorum domini, et familiae denuntiare, ut se defendant si poterunt.

b

Item, quod iudex teneatur requirere, vel requiri facere omnes, et singulos de civitate, et districtu, quos condempnare voluerit, vel absolvere, vel eorum domui, et familiae denuntiare, ut se defendant si poterunt per diebus decem, antequam faciat condempnationem, et infra illos decem dies singulis diebus teneatur eorum recipere defensiones, secundum quas ipsos postea condempnet, vel absolvat, alioquin non valeat condempnatio, aliquo huic capitulo non obstante.

De non dando per iudicem fidanciam alicui, qui super aliquem hominem Thaurini malo animo manum iniecerit.

c

Item, quod index, vel rector non possit dari alicui homini, vel personae fidanciam aliquam, qui super aliquem hominem, vel personam Thaurini malo animo manum iniecerit, vel aliquam iniuriam robando eum, vel capiendo ei fecerit, nisi totius, vel maioris partis credentiae, et illius, cui malum, vel iniuria facta fuerit voluntate, vel nisi ille, cui daretur licentia, paratus esset satisfacere laeso ad cognitionem curiae.

Quod rector, sive iudex teneatur facere, et curare cum effectu, ut solvantur debita confratariarum, et cereorum sancti Iohannis Baptistae.

d Item statutum est, quod iudex, sive rector, teneatur facere, et curare cum effectu, ut debita confratariarum, et cereorum beati Iohannis Baptistae solvantur, et quod ipsae confraternitates, et cerea manuteneantur more solito, sine libello, vel alia iuris solempnitate.

Quod vicarius, iudex, et consiliarii civitatis Thaurini teneantur facere visitationem apud monasterium sancti Solutoris Maioris (1).

Item statutum est, quod ob honorem beatorum martirum Solutoris, Aventoris, et Octavii, et ob reverentiam, et decorem ipsorum, et monasterii eorumdem, vicarius, iudex, et consiliarii civitatis Thaurini teneantur visitare monasterium supradictum cum praeposito, seu vicario domini episcopi Thaurinensis, et aliquibus ex canonicis ecclesiae supradictae, qui vigili cura debeant providere cum abbate, et monachis ipsius monasterii circa servitium ipsius ecclesiae, et residentiam abbatis, et monachorum sufficientium in ipso monasterio faciendam, necnon circa reparationem murorum, et aedificiorum eiusdem monasterii singulis annis particulariter, prout commodius fieri poterit, ordinandam.

De inquisitione leprosorum per iudicem fienda.

Item statutum est, quod quolibet anno primo mense regiminis iudicis, ipse iudex teneatur eligi facere in consilio credendariorum duos probos viros, quorum officium sit diligenter inquirere leprosos quoslibet in civitate Thaurini, et eos, quos invenerint, domino iudici, et clavariis curiae pro leprosis consignare. Ex quo vero praedicti leprosi fuerint publicati, vel alias manifesti, nullus eos in Thaurino debeat hospitari, et qui contrafecerit solvat pro quolibet, et qualibet vice solidos decem.

Quod vicarius, et iudex teneatur expellere meretrices de vicinia ad requisitionem ipsius viciniae.

Item, quod ad requisitionem viciniae, vel decem personarum de vicinia, vicarius, et iudex teneantur meretrices, et impudice publice viventes, vel postribulum publice exercentes expellere de vicinia.

Quod vicarius, sive iudex Thaurini cum clavariis, et aliquibus sapientibus eligendis per ipsos clavarios teneantur visitare personaliter praedictos fines Thaurini.

Item statutum est, quod vicarius, et iudex cum clavariis, vel maiore parte eorum teneantur singulis annis de caetero visitare praedictos fines personaliter, et omnes, et singulos alios fines Thaurini ex qualibet parte bis in singulis sex mensibus, habendo spensas a dicto Communi pro veyturis equorum, quas equitabunt in dicta visitatione facienda; et insuper solidos viginti viannenses pro uno prandio, et si viderint, vel invenerint aliquid occupatum de finibus, pascui, sive gerbis dicti Communis teneantur infra tres dies illud exponere in maiore consilio civitatis praedictae, et homines praedicti teneantur exequi, et facere, ac compellere quod super hiis per ipsos consiliarios, vel maiorem partem eorum fuerit ordinatum; et hoc sine mora.

(1) Hoc monasterium extra urbem eo loco extructum erat, quo nunc est arx taurinensis; *sancti Solutoris maioris* appellabatur, ut distingueretur ab alio monasterio *sancti Solutoris minoris* vocato, quod erat intra pomoerium, extra Duriae portam.

Quod vicarius, iudex, vel clavarius Thaurini, antequam exerceant eorum officia, teneantur, et debeant iurare in plena credentia praesentia capitula integraliter observare.

Item statutum, et ordinatum est, quod quilibet vicarius, iudex, et clavarius, qui ponentur, et venient ad regimen ipsius civitatis, et antequam se impediant de eorum officio, teneantur, et debeant in plena credentia Thaurini iurare ad sancta Dei evangelia attendere, et observare capitula, et ordinamenta ipsius civitatis, prout iacent, et servare franchisias, et bonas consuetudines ipsius civitatis, et quod ipsi vicarius, iudex, et clavarius non possint, nec debeant de officio se impedire, seu intromittere, quousque dictum praestiterint iuramentum. Et quicquid per ipsos, vicarium, iudicem, clavariumque, vel alterum eorum fieret ante praestationem ipsius iuramenti sit ipso iure nullum, nec per vicarium, iudicem, vel rectorem habeantur, quousque dictum praestiterint iuramentum.

Quod vicarius, vel iudex de Thaurino debeant eligere duos ex nobilibus, sive ex hospitiis, et duos de populo, qui vocentur, et sint clavarii Communis.

Item statutum, et ordinatum est, quod vicarius, et iudex, qui pro tempore erunt in Thaurino singulis tribus mensibus teneantur, et debeant eligere quatuor ex credendariis Thaurini, duos ex nobilibus, seu duos ex hospitiis, et duos de populo, qui vocentur clavarii Communis, et ipsi clavarii pro ipsorum tribus mensibus habeant eligere quatuor aestimatores Communis, et alios officiales, et sapientes Communis eligendos tempore ipsorum clavariorum, et etiam habeant eligere quatuor notarios, qui debeant esse ad officium notariae curiae Thaurini, et ipsum officium notariae habere, et exercere tam super causis criminalibus, et maleficiis, quam super causis civilibus; habeant eligere ipsi clavarii duos ex ipsis quatuor notariis, et vicarius Thaurini, qui pro tempore fuerit alios duos ex ipsis quatuor notariis, ita tamen, quod poni, seu eligi non possint per ipsos clavarios, et vicarium, vel per alium ad ipsum officium notariae praedictae non possint, nisi sint cives Thaurini, et quod etiam ipsi quatuor notarii, ut supra ponendi, et eligendi singulis tribus mensibus mutentur, et removeantur.

Quod vicarius, iudex, et quilibet alius officialis non possit imponere poenam alicui pro una vice, nisi usque ad quantitatem solidorum XX *viannensium.*

Item statutum, et ordinatum est, quod vicarius, iudex, vel quilibet alius officialis non debeant, seu possint modo aliquo imponere poenam pro una vice alicui civi Thaurini, nisi usque ad quantitatem so- a lidorum viginti viannensium in causis civilibus inspecta personarum, et negotiorum qualitate; in rixiis vero, et acaviglaneiis, et causis criminalibus, eorum arbitrio, inspecta negotiorum, et personarum qualitate, possint, et valeant imponere poenam, usque ad quantitatem librarum quadraginta, et non ultra, pro quolibet, et qualibet vice.

De poena citatae personae venire ante iudicem respondere alicui de iure, et inventa non venerit.

Item statutum est, et ordinatum, quod si quis de civitate Thaurini, vel ibi habitans, vel in Grugliascho, aut alibi infra territorium dictae civitatis fuerit per nuntium curiae requisitus, ut venire de-
b beret ante iudicem alicui de iusticia responsurus, et inventus non venerit illo die ad horam, qua ut veniret fuerat requisitus, solvat pro bampno denarios duodecim, vel detur actori, seu creditori eum citari facienti de bonis citati possessio taedialis in electione ipsius citantis, seu creditoris. Si autem inventus non fuerit in civitate, vel Grugliascho, vel eorum suburbiis, et ipsa citatio facta fuerit in domo, in qua habitat persona citata, et non venerit illo die, vel sequenti usque ad tertiam, solvat pro bampno eodem modo denarios duodecim, vel detur possessio taedialis in bonis ipsius in electione eius, qui eum citari fecit, appellanti vel conquerenti, nisi remanserit voluntate ipsius, pro quo citatus fuerat, quo casu citata persona bampnum solvere non
c teneatur, nec in bampno scribi possit; et si prima, et secunda citatione inventus venire contempserit, tunc iudex possit, et teneatur eum compellere venire suo officio, et arbitrio, ac iuri parere.

De poena illius, qui non venerit ad terminum.

Item, si quis ad terminum causae statutum non venerit, ponatur in bampno denariorum duodecim, si placuerit adversario, et non aliter.

De persona de Thaurino, vel eius districtu, seu Grugliascho, quae citata venire coram iudice alicui de iustitia responsura non venerit.

d Item, si qua persona de Thaurino, vel eius districtu, seu Grugliascho citata fuerit, ut veniret coram iudice per nuntium curiae, seu literis iudicis coram ipso iudice alicui de iustitia responsura, nec comparuerit die sibi super hoc assignata, nec aliquis alius, qui eius personam legiptime defendat, teneatur iudex actori contra citatam personam, et in bonis eiusdem possessionem dare taedialem, si ipse citatus condempnatus non foret. Deinde si ipse actor, seu creditor, qui ipsam personam citari fecerat, possessionem praedictam sibi per secundum decretum voluerit confirmari, vel sibi in solutum dari de bonis ipsius citati, teneatur iudex post datam possessionem taedialem ipsum reum, seu citatum iterum citari bis, ut redimat possessionem praedi-

ctam, et iuri compareat, antequam procedat ad secundum decretum, vel dationem in solutum, ita quod qualibet ipsarum citationum factarum post possessionem taedialem datam contineat spatium dierum quindecim; si vero dicta persona non venerit, et non caverit, prout de iure fuerit, de parendo iuri, iudex, audita summarie probatione ipsius actoris, infra octo dies subsequentes possit, et teneatur, etiam lite non contestata, et absente parte citata, sententiam dare, et ad secundum decretum, vel dationem in solutum procedere. Et haec locum habeant, nisi quaestio, vel petitio foret de minori re, vel quantitate solidorum xx. Tunc enim iudex possit procedere secundum quod sibi visum fuerit, etiam ante praedictum tempus, remanente firmo capitulo de condempnatione.

De modo ordinato qualiter data, seu iudicaturae dentur, et de qua quantitate, et quo tempore.

Item statutum est, quod si quis conventus fuerit coram iudice civitatis Thaurini de solidis quinque, vel infra, det pignus medietatis datae ipsa die, et tempore sententiae pignus alterius medietatis. Si vero a solidis quinque supra, similiter det pignus medietatis datae respectu quantitatis comprehensae in petitione ipsa die, vel crastina, et tempore sententiae pignus alterius medietatis; qui reus infra tempus arbitrio iudicis moderandum, qui etiam iudex tempus probationis in quantitatibus minoribus solidorum viginti suo arbitrio valeat moderare, teneatur confiteri, vel negare. Et si confessus fuerit, vel aliter probatum fuerit, et iustam defensionem non fecerit, more solito condempnetur, eo salvo, quod liceat reo petere libellum, si quantitas petitionis fuerit de solidis viginti, vel supra; quo dato gaudeat induciis decem dierum ad deliberandum super eo, et tunc possit, et teneatur confiteri, vel negare, nisi ex parte ipsius rei exceptiones dilatoriae contra personam agentem, vel petitionem praedictam opponantur in scriptis, quibus iudex moveri debeat ad supersedendum contestationi litis, et tunc liceat iudici, imo etiam teneatur ad instantiam actoris ipsi reo terminum trium dierum assignare ad omnes exceptiones dilatorias opponendas, et ad eas probandas infra alium terminum ipsius iudicis arbitrio statuendum, et si confessus fuerit condempnetur ut supra; si vero negare voluerit, tunc accipiatur pignus medietatis datae ex parte auctoris, et rei, videlicet pro qualibet partium pignus denariorum sex pro qualibet libra tantum, et si causa eius, vel eius successoris fuerit per definitivam sententiam definita, accipiatur pignus aliorum denariorum sex pro qualibet libra a qualibet partium praedictarum; si vero causa fuerit concordata, tunc iudex teneatur esse contentus de medietate datae, seu iudicaturarum in litis contestatione solutarum, nec plus de una parte, quam de alia capere possit pro iudicatura, nisi causa paupertatis hoc fieret. Et si forte contingeret, quod aliqua

a causa contestata remanserit indefinita, de qua semel datae fuerint iudicaturae, sequens iudex sine aliquibus iudicaturis dictam causam, si alicui ex partibus placuerit, teneatur per definitivam sententiam terminare; lite tamen contestata, ab illo die in antea utraque pars habeat facultatem probandi tam per testes, quam per instrumenta in causa, vel causis praedictis, usque ad quadraginta dies tantum; ita quod actor teneatur reo facere copiam coram iudice de instrumentis quibus usurus est, infra octo dies a tempore requisitionis inde factae numerandos. Item reus eamdem copiam teneatur facere actori, si actor, vel reus dicta instrumenta habere voluerint; si vero dixerint se ea non habere, detur eis dilatio competens ab ipso iudice secundum eius

b arbitrium, infra quam dicta instrumenta coram ipso iudice debeant exhiberi: quod quidem si actor, vel reus facere contempserint, in tota illa causa ipsis instrumentis ad suam petitionem, vel defensionem probandam uti non possint. Quod dictum est supra de spatio quadraginta dierum locum habeat, eo salvo, quod si infra praedictos quadraginta dies ab aliqua partium mota fuerit quaestio falsitatis super instrumentis, vel dictis testium, quibus aliqua partium fuerit usa in causa, vel causis, vel petiti fuerint testes absentes, tunc liceat iudici, et etiam teneatur dictorum quadraginta dierum terminum ad eius arbitrium prorogare, infra quem utraque pars uti possit de iure suo tam in agendo, quam in excipiendo; elapsis vero dictis quadraginta diebus

c illa causa placitetur coram praedicto iudice infra alios decem dies, vel infra eosdem allegationes dentur. His itaque peractis teneatur iudex infra alios decem dies proxime sequentes causam illam per sententiam terminare, vel per amicabilem compositionem, si compositio de dictarum partium processerit voluntate; si autem contingeret, quod iudex causam illam non terminaret infra tempus superius nominatum, nichilominus eam postea, quam citius poterit, debeat definire. Omnia praedicta serventur ut supra, nisi remanserint de voluntate utriusque partis. Quod vero dicitur de medietate tantum iudicaturarum capienda inter cives, intelligatur observandum, nec iudex possit compellere aliquam partium ad dandas iudicaturas, nisi secundum quod

d superius continetur, videlicet lite contestata, medietatem, et tempore sententiae aliam medietatem; similiter non possit capere, vel exigere consiliaturas alicuius causae, vel quaestionis, nisi eas ceperit de voluntate partium, eo salvo quod si una partium vellet omnes consiliaturas convenientes de suo solvere, tunc teneatur consilium inde habere cum iurisperitis non suspectis. In causa, in qua dabitur libellus, iuretur de calumpnia, nisi de voluntate partium remittatur.

De iudicaturis dandis per illam partem tantum, quae faceret maximam querimoniam per iniuriam, vel gravamen alterius partis. a

Item, statutum est, quod si aliquis clericus vel laicus fecerit maximam querimoniam per iniuriam, vel gravamen alterius partis, det ipse solus iudicaturas, et non aliter, nisi de eo, de quo fuerit convictus. Quae iniuria, sive gravamen videatur per duos legales homines de Thaurino super hoc eligendos, qui super ipso gravamine, vel iniuria bona fide provideant, et eam determinent, et ad congruum modum, et formam reducere debeant secundum quod eis melius videbitur faciendum, si tamen hoc processerit de voluntate illius, qui fuerit appellatus, et iudici videatur expedire. b

De modo emancipandi filios.

Item, statutum est, quod si quis voluerit filios suos emancipare, iudex, vel rector teneatur cridari facere per civitatem, quod talis vult filios suos emancipare, et si quis contradicere voluerit, veniat usque ad octo dies coram iudice, vel rectore causam, quare contradicere voluerit, ostensurus. Aliter facta emancipatio non teneat ipso iure.

De non mittendo aliquas consiliaturas alicuius quaestionis extra civitatem.

Item, statutum est, quod ob utilitatem maxime c pauperum, et miserabilium personarum iudex civitatis Thaurini non possit, nec debeat mittere aliquas consiliaturas alicuius quaestionis, vel controversiae qualiscumque sit, et inter quascumque personas fuerit, extra civitatem Thaurini, dum tamen aliqui iurisperiti reperiantur in Thaurino, nisi iusta causa suspicionis recusentur; et super illis quaestionibus, quae mittentur consulendae extra Thaurinum vicarius, vel iudex, coram quo quaestio ventilabitur, teneatur omnes scripturas illius quaestionis, et ad ipsam quaestionem pertinentes in praesentia partium, vel earum advocatorum, necnon ipsius vicarii, vel iudicis literas consultationis liquidare, vel liquidari facere, easque claudere, vel in uno sacculo, seu barili, et sigillo Communis d Thaurini, et ipsius vicarii, seu iudicis, et ipsarum partium, seu advocatorum earum sigillare, et eas sigillatas tradere priori fratrum praedicatorum, vel guardiano fratrum minorum de Thaurino, vel praeposito humiliatorum, qui dictas quaestiones cum dictis scripturis, exceptis suspectis, transmittat per fidam personam iurisperito alicui, sive aliquibus consulendas, ostensis literis patentibus vicarii praedicti, vel iudicis partibus suprascriptis; ita tamen, quod vicarius, vel iudex, vel quis alius scire nequeat cui, vel quibus dictae quaestiones fuerint transmittendae propter suspicionem omnimodam evitandam.

De non assecurando in causis aliquibus aliquem advocatum ultra unum.

Item, statutum est, quod aliqua persona non possit, nec debeat in causis aliquibus, litibus, vel controversiis habere, vel assecurare aliquem advocatum ultra unum, donec alia pars alium advocatum habuerit, eligendo de remanentibus, quem voluerit, non obstante amicitia, parentela, vel alia excusatione, et teneatur iudex ita praecise facere observari salario competenti; salvo quod si advocatus viderit iura, et instrumenta alicuius, et credat eum habere bonam causam, vel iustitiam fovere, quod compelli non possit contra ipsam partem patrocinari, et in praedictis credatur sacramento ipsius advocati.

De feriis faciendis, et celebrandis.

Item, statutum est, quod feriae fiant, et celebrentur singulis annis in causis a festo sancti Thomae usque ad festum Epiphaniae, et septem diebus ante Pascha, et aliis septem diebus sequentibus, ita quod in illis feriis, vel aliis, quae per maiorem credentiam Thaurini, praesentibus, et consentientibus vicario vel iudice, firmatae fuerunt, vel firmabuntur, non currat tempus in causis.

De rebus, videlicet terris, vineis, et aliis possessionibus dandis in solutum alicui creditori.

Item, statutum est, quod si quae terrae, vineae, vel possessiones dari debuerint in solutum alicui creditori, dari debeant solidatae, scilicet quadraginta pro solidis triginta, et sic quarti plus, secundum quod summa plus vel minus ascenderit. Ita tamen, quod liceat debitori, absque eo quod ad solutionem ipsius quarti pluris teneatur, redimere res aestimatas, et in solutum datas infra quatuor annos, et interim, quousque creditori solutio facta fuerit in pecunia numerata, fructus rerum ipsarum sibi in solutum datarum ipse creditor habeat universos, nec eos debitori restituere teneatur infra praedictum tempus perceptos, quamvis debitor infra tempus praedictum recuperaret res praedictas. Solutione vero facta, ut supra, fructus pendentes habeat debitor, deductis sumptibus fructuum causa factis, vel necessariis, et utilibus pro rata temporis computandis, tempore videlicet, quo tenuit creditor, computato cum tempore debitoris perventuro usque ad fructus percipiendos. Quibus quatuor annis elapsis, si recuperatae, ut supra, non fuerint res praedictae, creditor eas habeat, et teneat sine metu restitutionis alicuius pro solutione sui crediti, eo salvo, quod nulli homini forinseco dentur in solutum per iudicem, seu curiam Thaurini aliquae res civis alicuius Thaurini, nisi tantum de rata pro debito, sine quarto pluris, quas res liceat debitori infra annum, et diem redimere in pecunia ut supra solutione facta, percipiendo interim fructus creditor pro tem-

poris rata ut supra, et habere valeat creditor tam civis, quam forensis de rebus debitoris sui sibi magis placitis in solutum usque ad plenam solutionem sui crediti cum expensis; eo salvo, quod ob hoc nullum aedificium diruatur, vel discoperiatur, vel deterioretur. De datione vero in solutum fieri debeant per eumdem tabelionem curiae unius tenoris duo publica instrumenta, quorum unum habeat creditor, et aliud debitor, ut sibi circa solutionem dicti debiti in futurum valeat provideri. Additum est, quod nulla alienatio infra dictum quadriennium facta per eum, cui tradita fuerit res in solutum, praeiudicium generet debitori, cuius res fuerat, quominus eam a quolibet possessore eo iure, et tempore, quo ab ipso creditore quondam poterat, valeat revocare, seu vindicare.

Item, additum est super eodem, quod creditor, cui possessio data fuerat in solutum, non possit interim arbores alevatas habentes septem annos, vel plus, incidere, vel devastare; et si contrafecerit, teneatur ad dampnum restituendum ipsi debitori, inde querimoniam curiae facienti, et ad bampnum curiae, quod statutum est super plantis, et arboribus alienis, postquam ipse debitor secundum ipsum statutum recuperaverit ipsam possessionem, et quod facta solutione pecuniae debiti cum expensis inde factis, oblatione, depositione, et consignatione, iudex teneatur rem in solutum traditam expediri facere debitori.

De tenendo ratas, et firmas sententias, possessiones, aestimationes, et condempnationes.

Item, quod iudex teneatur habere, et tenere ratas, et firmas sententias, et possessiones, aestimationes, condempnationes dictas, datas, dicendas, et dandas ab eo, sicut datae sunt, et dabuntur, easque executioni mandare debeat, si querela inde sibi facta fuerit, nisi per appellationem suspendantur, vel ipso iure sint nullae, vel nisi praescriptione iuris, vel statuti tolerentur, et ipsius iudicis successores teneantur facere illud idem, semper tamen iustitia mediante.

De appellando a condempnatione solidorum centum infra decendium.

Item, statutum est, quod si quis ex civibus inter se litigantibus iure ordinario, per iudicem ordinarium Thaurini devictus, vel condempnatus in solidos centum, vel ab inde superius voluerit appellare, appellet infra decendium ad vicarium Thaurini, si dominus non sit praesens; qui vicarius, vel iudex, vel data per ipsum curia non suspecta de Thaurino, teneatur bona fide, et sine fraude, remoto omni odio, amore, pretio, vel precibus, servitio, vel parentela cognoscere de dictis causis, easque definire a tempore appellationis interpositae usque ad quadraginta dies; ita quod infra dies triginta quaelibet pars docere valeat de iure suo, po-

a stea vero infra dies decem sequentes sententia feratur confirmationis, vel infirmationis, alioqui rata maneat prima sententia; idem intelligatur de sententiis, quae dicentur, vel dictae fuerint ipso iure nullae. Hoc addito, quod si aliqua partium voluerit, ut ipse vicarius, vel curia data per ipsum in processu, vel in sententia debeat habere consilium iurisperiti non suspecti, tunc ipse vicarius, vel curia teneatur consilium recipere illius expensis, qui hoc petierit, habeant ipse vicarius, vel eius curia pro iudicatura de qualibet libra denarios duodecim a qualibet partium; hoc etiam addito, quod omnes, et singulae cognitiones, et definitiones quarumcumque causarum, appellationum principalium cognosci, terminari, et definiri extra civitatem Thaurini non
b debeant, sed in ipsa civitate. Cognitiones vero, et definitiones super secundis appellationibus possint cognosci, ventilari, et definiri extra civitatem Thaurini, tamen citra montes, in terra ipsius domini Comitis, et non alibi. Et etiam additum est, quod a sententia minoris quantitatis solidorum centum, quae dabitur super quaestionibus ordinariis, de quibus fit mentio in praesenti statuto, appellari non possit.

De dandis cognitoribus non suspectis condempnato de solidis XL *infra usque ad* XX *infra* X *dies, postquam fuerit condempnatus.*

Item, statutum est, quod si aliquis, vel aliqua
c persona fuerit condempnatus, vel condempnata per iudicem, seu rectorem civitatis Thaurini occasione alicuius maleficii, seu rixae, vel accusationis, inquisitionis, sive denuntiationis alicuius de quadraginta solidis infra usque ad viginti, et ipse, qui condempnatus fuerit, dicere voluerit iudici, vel rectori infra decem dies, postquam fuerit condempnatus, vel in bampno lectus, se non iuste condempnatum, vel contra iustitiam condempnatum, iudex, vel rector teneatur sibi condempnato dare cognitores non suspectos, qui ad expensas condempnati cognoscere debeant, visis eius defensionibus super praedicta condempnatione, usque ad alios decem dies, postquam dati fuerint ipsi cognitores. Si vero condempnatio facta per iudicem, vel recto-
d rem quadraginta solidos excesserit, liceat ipsi condempnato, postquam condempnatus, vel in bampno lectus fuerit, infra decem dies appellare ad vicarium domini Comitis de Thaurino, et ipse vicarius dare teneatur ipsi condempnato in causa appellationis curiam non suspectam in civitate Thaurini, quae curia cognoscere, et definire, visis defensionibus, teneatur de dicta appellatione infra quadraginta dies sequentes, connumerandos a tempore curiae sibi datae, et habeat curia pro iudicaturis denarios duodecim pro libra a qualibet partium, sicut in aliis causis ordinariis habet iudex Thaurini, et nichil ultra aliqua de causa possit petere, vel habere. Quod si infra illud tempus appellans appellationem suam non fuerit prosequtus,

condempnatio praescripta in sua remaneat firmitate. Hoc etiam addito, quod omnes, et singulae cognitiones, et definitiones quarumcumque causarum, appellationum principalium cognosci, ventilari, et definiri debeant in ipsa civitate Thaurini, et non extra; cognitiones vero, et definitiones super secundis appellationibus possint committi, cognosci, et definiri extra civitatem Thaurini, citra tamen montes, et in terra ipsius domini Comitis, et non alibi.

De poena illius, qui non solverit ad terminum condempnationi statutum.

Item, si quis condempnatus non solverit ad terminum condempnationi statutum, si condempnatus fuerit a solidis xx, et ab inde superius, det pro bampno solidos duos, et si minoris quantitatis fuerit, det pro bampno solidum unum, et in utroque casu debitum solvere teneatur, et in bampno scribatur, nisi remanserit de voluntate illius, cuius favore condempnatus est, nichilominus elapso dicto termino debitori praefixo, bampna superius nominata solvere teneatur, si condempnatio ostensa fuerit iudici.

De requirendo debitorem condempnatum per nuntium curiae, etc.

Item, teneatur iudex, vel rector debitorem condempnatum requiri facere per nuncium curiae personaliter, et qua de causa requiritur, si fuerit in civitate Thaurini; si vero non fuerit in civitate, dicatur familiae suae, vel aliquibus de vicinia, priusquam aestimentur, vel in solutum dentur aliqua bona sua pro debito solvendo creditori, et facta denunciatione tali, veniat, vel non veniat debitor, aestimentur bona debitoris per aestimatores Communis ad hoc electos, et dentur in solutum usque ad summam declarati debiti, secundum consuetudinem civitatis ipsius, et secundum tenorem statuti mentionem facientis de quarto pluri superius nominati; eo salvo, quod aestimatores denuntient debitori, si non fuerit inventus per nuntium curiae, quod rem ipsius debitoris aestimare debent tali creditori suo de iudicis mandato, vel eius domui, si non poterit debitor reperiri; alioquin dictum aestimum, et in solutum datio pro nullis habeantur: iudex vero ad solvendum teneatur dare terminum octo dierum condempnato tempore aliorum iudicum praecedentium, sine eo quod interim accipiet inde bampnum; scripto vero bampno, eodemque ostenso, nichilominus teneatur condempnatus consignare omnia bona sua ad petitionem creditoris, nisi in scriptis sine sacramento dare voluerit creditori tantum de suo mobili, unde sibi de suo credito solvi possit, videlicet in pecunia numerata, auro, argento, bestiis, armentis, grano, sive equis; et de praedictis mobilibus aestimatis per aestimatores curiae Thaurini, possit creditor, et debeat capere ad volantatem suam usque ad satisfactionem sui debiti, cum expensis per iudicem condempnatis; qui vero postquam iuraverit, et bona sua obmiserit consignare, solvat pro bampno solidos quinque, et nichilominus creditor capere valeat in solutum ea, quae magis grata fuerint, licet non fuerint consignata.

De puniendo debitorem, qui non consignat creditori tantum de bonis suis, unde possit habere solutionem integram.

Item, statutum est, quod si debitor non consignaverit creditori tantum de bonis suis, unde possit habere solutionem integram, quod puniatur hoc modo, videlicet, quod non audiatur in causa pro se, vel alio, nec admittatur ad aliquod officium publicum, donec cum creditore suo fuerit concordatus, et nichilominus teneatur debitor cedere bonis suis creditoribus eius. Additum est, quod nichilominus debitor in carcerem Communis Thaurini per vicarium, vel iudicem detrudatur, et in eo teneatur expensis ipsius carcerati, donec satisfecerit creditori, nisi in casu fortuito suam substantiam amiserit, et tam pro debitis civium Thaurini, quam extraneorum, et quod dicitur extraneorum, intelligatur si interea ipsorum extraneorum idem ius servaretur pro civibus Thaurini, et non aliter.

De non prohibendo, quin haberi possint exempla statutorum Communis Thaurini condempnationum, sententiarum, praeceptorum, et omnium scripturarum causarum.

Item, quod iudex, vel rector non possint alicui prohibere, quin habere possit exempla statutorum Communis Thaurini condempnationum, sententiarum, praeceptorum, et aliarum omnium scripturarum causarum, quae fuerint pro ipso petente ad probationem, vel defensionem iuris sui, sed inde, si cuiuslibet civis Thaurini interesset exemplandi, facere fieri copiam teneatur.

De habendo consilium cum iurisperito contra praeceptum, quod videatur cui fieret gravamen, vel iniuria.

Item, statutum est, quod si vicarius, vel iudex, seu alia quaevis persona fecerit alicui civi Thaurini, vel habitatori praeceptum aliquod in persona, vel aliud iniunxerit, quod videatur ei, cui fieret praeceptum, gravamen, iniuriam, sive iniustitiam continere, quod vicarius, sive iudex, qui praedicta fecerint, vel aliquod ex praedictis, teneatur ad requisitionem eius, cui dictum praeceptum iniustitia fieret, habere inde consilium cum iurisperito, vel peritis de Thaurino, nisi subesset iusta causa suspicionis, expensis illius, qui hoc requireret; et iudex, et vicarius teneatur sequi consilium super hoc sibi datum.

De poena illius, qui fuerit admonitus a suo debitore, ut instrumentum debiti soluti sibi restituat, et non restituit. a

Item, si aliquis civis Thaurini, vel habitator a suo fuerit admonitus debitore, ut instrumentum debiti soluti sibi restituat, et dictum instrumentum non restituerit, si ipsum habuerit, vel si non habuerit, noluerit ei facere instrumentum confessionis de soluto, sed super praedicti instrumenti restitutione litem passus fuerit contestari, et postea apparuerit per confessionem eiusdem creditoris, vel alia legitima probatione sibi, vel aliis pro eo, ipso sciente de praedicto debito satisfactum fuisse, iudex, vel rector teneatur ei auferre pro bampno solidos quadraginta tantum, et insuper omnes expensas ipsi debitori restitui facere, quas taxatione b iudicis praecedente debitor hac occasione iuraverit in iudicio se fecisse, et insuper condempnare creditorem praedictum ad restitutionem instrumenti praedicti, vel ad faciendum ipsi debitori instrumentum confessionis de soluto, pacis, et finis; et hoc intelligatur de illo creditore, in cuius persona factum fuerat instrumentum, vel qui non posset causam iustam ignorantiae allegare.

De tenendo firmum iudicatum, sive ordinamentum legitime factum a quolibet cive Thaurini in ultima voluntate.

Item, iudicatum, sive ordinamentum legitime fa- c ctum a quolibet cive Thaurini, vel habitatore in ultima sui voluntate, firmum teneatur, licet sine haeredibus decedat.

De quaestionibus movendis inter laicum ex una parte, et clericum ex alia, qualiter dominus episcopus requiratur.

Item, si inter laicum actorem parte ex una, et aliquem clericum, seu religiosam personam defendentem ex alia, quaestio, seu contentio moveatur, seu moveri etiam paretur, requiratur dominus episcopus Thaurinensis, seu eius vicarius per vicarium, seu iudicem Thaurini, ut inde dicto layco iustitiae faciat complementum summatim, et de pla- d no, et sine libello, et si hoc facere dictus dominus episcopus noluerit, vel eius vicarius, vel non poterit, seu neglexerit, quod idem dominus episcopus in iis committere debeat vices suas vicario Thaurini pro domino Comite.

De persona, quae recusaverit iuri parere.

Item, statutum est, quod si qua persona cuiuscumque conditionis habitans in Thaurino, vel eius territorio, vel districtu recusaverit iuri parere alicui civi, vel habitatori Thaurini coram iudice curiae Thaurini, vel coram domino episcopo, vel eius vicario, quod ei omnis iustitia pecuniaria, vel coram curia Thaurini in suis libellis, vel petitionibus denegetur.

De partitis faciendis in credentia et aliis consiliis ad fabas, seu tabellas albas, et nigras, et non aliter, exceptis negotiis proprie Dominum tangentibus.

Item, statutum est, et ordinatum, pro evidenti utilitate Communis civitatis Thaurini, quod de omnibus, quae proponentur, et tractabuntur de caetero in maiori credentia, seu in aliquibus aliis Consiliis dictae civitatis, fiant, et fieri debeant partita ad fabas albas, et nigras, seu tabellas albas, et nigras, et non aliter, et si aliter facta fuerint, non valeant ipso iure, non obstante aliquo capitulo; et quod nullus civis Thaurini, vel aliunde arengare possit contra mentem, vel verba ipsius capituli, et nichilominus si quis arengare praesumpserit, de ipsius arengho, seu dicto non possit, nec debeat fieri partitum, et si factum fuerit, non valeat. In hiis autem, quae tangerent factum proprium ipsius domini Comitis, praesens capitulum non vindicet sibi locum, nec in constitutionibus, vel creationibus sindicorum, et electionibus ambasiatorum, sed in ipsis casibus fiat partitum ad levandum, et sedendum.

De partitis in Consilio, vel credentia non faciendis, nisi per vicarium, vel iudicem Thaurini.

Item, statutum est, quod nullus possit facere partita in Consilio, vel credentia, nisi vicarius, sive iudex; et qui contrafecerit, solvat pro bampno libras decem pro qualibet vice, et plus, vel minus, arbitrio iudicis; et quod non possit fieri aliquod partitum, nisi super iis tantum, quae per arenghatores, et consiliarios Thaurini fuerint arengata.

De non consulendo, nisi super iis, quae proposita fuerint consulenda.

Item, quod nullus ex consiliariis debeat consulere, vel arengare, nisi super iis, quae proposita fuerint per iudicem consulenda; et qui contrafecerint, solvant pro bampno solidos duos pro quolibet, et qualibet vice.

De removendo de Consilio, vel credentia quotiescumque tractabitur de aliquo speciali facto.

Item, quod quotiescumque tractabitur de aliquo speciali facto alicuius civis, vel habitatoris Thaurini, ipse, eiusque filii, si fuerint in credentia, vel Consilio, inde removeantur interim, quousque firmatum fuerit Consilium in negotio eorumdem.

De poena illius credentiarii, et consiliarii Thaurini, qui non venerit ad credentiam, vel Consilium infra tertium sonum campanae, seu antequam iudex ad proponendum surrexerit.

Item, statutum est, quod omnes credentiarii, et consiliarii Thaurini veniant ad credentiam, et Consilium privatum infra tertium sonum campanae diu pulsatae, et ille, qui non venerit priusquam iudex, vel rector ad proponendum surrexerit, solvat denarios quatuor pro bampno; qui vero ad illud Consilium non venerit, solvat denarios duodecim pro bampno, et non plus; qui vero tarde venerit ad arengam credentiae, solvat pro bampno denarios quatuor, et qui non venerit, denarios duodecim. Additum est, quod quis non teneatur venire ad credentiam, postquam motus fuerit de domo sua causa eundi extra civitatem ad videndum possessiones suas, vel aliqua facienda sua negotia, licet audiverit campanam pulsari de credentia; idem intelligatur de Consilio privato.

De removendis, et mutandis omnibus officialibus curiae Thaurini, sive credentiae singulis tribus mensibus.

Item, statutum est, quod omnes officiales curiae Thaurini mutentur singulis tribus mensibus, prout hinc retro obtentum, et consuetum fuit in civitate Thaurini.

De libris actorum publicorum curiae Thaurini reponendis in scrinio in domo fratrum minorum, vel in manibus massarii Communis.

Item, statutum est, quod omnes libri actorum publicorum curiae Thaurini singulis annis ponantur, et custodiantur in uno scrinio in domo fratrum minorum custodiendo, in quo scrinio eodem modo custodiantur omnes libri veteres ipsius Communis, cuius clavem custodiat guardianus ipsorum fratrum minorum, vel massarius Communis Thaurini.

Item, quod omnes tabelliones curiae iurare debeant singulis annis in manibus iudicum eorum prothocolla servare perpetuo, et incorrupta, eorum posse, et quod nulla prothocolla nova, vel vetera, vel libros praedictos alienabunt, vel minuent, vel corrumpent. Spetiarii vero iurent, quod ea non ement, incident, vel corrumpent, nec aliquos ex libris superius nominatis; dicti vero notarii curiae libros, quos in eorum officio tenuerint futuris proxime successoribus, priusquam successores intraverint in officium, iureiurando consignare, et restituere teneantur.

De concordandis civibus, et habitatoribus Thaurini habentibus quaestionem, et contentionem finium.

Item, statutum, et ordinatum est, quod quotiescumque contigerit inter cives, vel habitatores
a Thaurini, vel districtus contentionem, vel quaestionem exoriri, vel moveri posse occasione finium idest turbationis, obscuritatis finium pratorum, nemorum, vinearum, domorum, terrarum, vel aliarum possessionum in Thaurino existentium, sive eius poderio, vel districtu, iudex Thaurini ad requisitionem ipsarum partium contendentium, vel contendere volentium, vel alterius earum, teneatur, et debeat compellere suo officio partes illas eligere duas personas bonas, et ydoneas, si de ipsis duabus personis poterint concordare. Quae personae contentionem praedictam sopire debeant, alioquin quaelibet pars unam bonam personam ad hoc faciendum, sive sopiendum eligere teneatur, et si dictae personae taliter electae non possint, vel valeant in hoc negotio
b convenire, vel concordare, tunc ipse iudex tertiam personam, quam invenire poterit non suspectam, rationabiliter ipsis duabus personis adiungere teneatur; et ubi earum duae personae convenient, vel concordabuntur, id, quod ab eis super ipso negotio sopiendo, in terminis ponendis, et finibus distinguendis, vel declarandis factum fuerit, obtineat firmitatem, et per curiam Thaurini manuteneatur, et firmiter observetur. Sint autem dictae personae, quae super iis eligantur, cives, et districtuales Thaurini, et curiae supradictae, et cogi debeant per iudicem dictae personae electae dictas discordias terminare infra terminum arbitrio iudicis statuendum, secundum qualitatem negotiorum praedictorum, et iurent praedicta facere bona fide. Haec
c autem locum sibi vindicent tam supradicta, quam infrascripta in quaestionibus, et contentionibus ortis, et movendis inter personas clericorum, et laycorum, ac religiosarum personarum, et praedictae quaestiones, et contentiones cognoscantur, et terminentur per ipsas electas personas summatim, et breviter, et de plano, ac sine strepitu iudiciorum, quocumque tempore tam feriato, quam non feriato, aliquo statuto, vel ordinamento facto, vel fiendo praedictis non obstante, vel alicui praedictorum.

De inquirendo iura Communis Thaurini breviter per sindicum Communis.

Item, ordinaverunt, quod iura Communis Thau-
d rini breviter, et summatim inquirantur per sindicum Communis Thaurini, et ad Commune perveniant. Et hoc sine eo quod ipse sindicus possit ad restitutionem ipsarum rerum aliquem compellere; et absque eo quod nullam iurisdictionem habeat.

De servando iure in successionibus civium, et habitatorum Thaurini, et Grugliaschi.

Item, statutum est, quod in successionibus civium, et habitatorum Thaurini, et Grugliaschi iura Romana, et imperialia de caetero vendicent sibi locum tam in masculis, quam in foeminis. Eo salvo, quod si quis, vel si qua ab intestato decesserit nullo facto ordinamento rerum suarum, quod ubi fuerit

vel remanserit aliquis agnatus defunctae personae praeferatur cunctis aliis personis in successionibus domorum cum pertinentiis defunctae personae.

De dote remanenda marito pro medietate, nec compelli possit ad restitutionem, nisi pro dimidia.

Item statutum est, quod si qua mulier in Thaurino, vel eius poderio maritata sine legiptimis filiis, seu liberis praedecesserit viro suo, maritus suus superstes, qui ex ipsa muliere tempore mortis eiusdem mulieris legiptimos filios non haberet, compelli non possit ad restitutionem dotis ipsius mulieris, nisi pro medietate dotis praedictae; reliqua vero medietas ipsi viro superstiti remaneat ipso iure, quamvis etiam ipsa mulier liberos haberet ex alio matrimonio.

Quod filia dotata, et maritata per patrem habens fratres, decedente patre, vel matre ab intestato, nichil possit petere fratribus.

Item statutum, et ordinatum est, quod si aliqua filia fuerit dotata, et maritata per patrem, vel matrem, quod ipsa talis filia maritata, et dotata, stantibus, et superstitibus filiis masculis, et fratribus ipsius filiae, aut filiis ipsorum fratrum, ipsa filia non possit ab intestato succedere patri, vel matri, nec partem petere cum eius fratribus, aut ipsorum filiis, sed sit contenta de dote sibi data, et constituta per patrem, vel matrem.

De re immobili legata per aliquam personam de Thaurino, vel donata alicui ecclesiae vendenda et titulo vendicionis tradenda infra annum, et diem alicui civi laico de Thaurino.

Item statutum est, quod si aliqua persona de Thaurino, vel eius districtu legaverit in suo testamento, vel donaverit, aut donationem fecerit alicui ecclesiae, vel loco religioso rem immobilem, quod ipsa ecclesia, vel locus religiosus infra annum, et diem teneatur, et debeat rem immobilem alicui civi Thaurini layco, et districtuali civitatis iusto pretio vendere, ita quod ad laicum revertatur, et nullus districtualis civitatis aliter quam modo suprascripto possit legare, vel donare. Et si hoc non servaret ecclesia, vel locus religiosus ad dominum Comitem res ipsa immobilis perveniat, et applicetur iure ipso. Hoc addito, et expresso, quod res, quae essent de feudo domini sine consensu ipsius in alium aliquo modo transferri non possint.

De taleis, et impositionibus, et aliis oneribus civitatis, et Communis Thaurini solvendis a persona, quae se dedicaverit alicui religioni, ecclesiae, vel monasterio, nisi residentiam in mansione fecerit, et habitum religionis portaverit.

Item statutum est, quod si aliqua persona de
a Thaurino, vel districtu, seu poderio dedicaverit se alicui religioni, ecclesiae, vel monasterio, vel de bonis suis ecclesiae alicui, hospitali, vel loco religioso donationem fecerit, quod propter hoc non possit se defendere, vel tueri a taleis, et impositionibus, vel aliis oneribus civitatis, et Communis Thaurini, nisi in illa mansione, vel loco residentiam fecerit, et habitum religionis habuerit, et portaverit.

De re data per aliquam personam, quae se reddiderit alicui ecclesiae, vel loco religioso, quod ecclesia, vel locus religiosus habeat ea sola, quae tempore redditionis dedit.

b Item, quod si aliquis de Thaurino, vel ibi habitans se reddidit, vel in futurum reddiderit, seu consecraverit alicui ecclesiae, monasterio, vel loco religioso, quod ecclesia, monasterium, et locus religiosus, cui se reddidit, habeat eas ola, quae tempore redditionis dedit, vel dabit expresse supradictis locis religiosis, nisi essent de feudo domini, vel ab eo in emphiteosim tenerentur, et hiis praedicta loca debeant esse contenta, nec amplius de bonis suis petere, vel exigere possint. Caetera vero bona ipsius debeant esse illorum, ad quos dictae personae successio, vel bona proximitatis iure deberent pervenire secundum leges, et Thaurini capitula civitatis, ac si redditi non fuissent, nec aliquam successionem habeant dicta loca in bonis ipsius;
c eo salvo, quod de fructibus rerum suarum possit ipse dedicatus praedicto loco religioso relinquere in sua ultima voluntate.

De solvendo taleas per clericos de omnibus rebus eorum habitis, vel acquisitis, aut possessis aliunde, quam de bonis ecclesiae.

Item, quod omnes clerici, et religiosi teneantur solvere taleas Communi Thaurini de omnibus bonis eorum habitis, possessis, vel acquisitis aliunde, quam de bonis ecclesiae; quod si non fecerint iudex, sive rector, et Commune Thaurini teneatur tenere extra bampna bona eorum, et si aliquis se dederit, vel dedicaverit alicui ecclesiae, vel loco re-
d ligioso, dando bona sua, quod ipsa bona subiaceant semper oneri talearum Communis Thaurini, et Communi talea persolvatur ex bonis donatis, et concessis ex causa praedicta, sicut ante persolvebatur.

De hiis, qui non solvunt taleas in Thaurino.

Item, quod nullus, qui non solvat taleas in Thaurino, nec faciat, vel fieri faciat custodiam civitatis vocem habeat in aliqua credentia, vel Consilio ipsius civitatis, nec eius arengatio, vel Consilium ponatur in partito, aliquo capitulo non obstante, et hoc locum habeat in credentiis, sive Consiliis, quae fiunt super expensis faciendis.

De non gaudendis privilegiis, et immunitatibus civitatis per aliquem habitatorem, qui non faciat residentiam, et subeat onera civitatis. a

Item, quod nullus forensis receptus, sive recipiendus pro cive Thaurini, sive habitatore gaudeat, seu gaudere debeat, vel possit privilegiis, seu immunitatibus civium, seu ipsius civitatis, nisi tantummodo qui steterit, vel habitaverit in ipsa civitate cum foco, et catena, et substineat onera pro ipsa civitate, residentiam faciendo in ipsa civitate, prout alii cives ipsius civitatis.

De saximento non faciendo super aliquibus rebus portatis ad forum Thaurini, dum in foro tenentur, nec in die veneris, sabbati, vel dominico. b

Item, statutum est, quod nullum saximentum, vel cambium possit dari, vel fieri alicui civi, vel extraneo super aliquibus rebus ductis, vel portatis ad forum Thaurini, dum in foro tenentur, nec in die veneris, sabbati, vel dominico possit fieri aliquod saximentum iu Thaurino, vel in poderio; hoc tamen capitulum locum non habeat contra principales debitores, vel fideiussores, vel res eorum, seu res civium Thaurini, vel raptores, vel fures, nec alicui granum, vel frexaticum, quod ducetur, vel portabitur in Thaurino, saxiri valeat, vel aliquatenus impediri per iudicem, vel rectorem, seu aliam personam, sive dictum granum duceretur ad forum, sive non, dum tamen portaretur in civitate, quacumque die portaretur, nisi causa debiti, vel fideiussionis ut supra, vel occasione alicuius bampni, et nisi essent de inimicis domini Comitis, vel venerit pro malo ipsius domini Comitis, vel civitatis Thaurini. c

De saxiendo per quemcumque sua auctoritate in Thaurino, et in qualibet domo Thaurini.

Item, statutum est, quod quisquis possit saxire, et contestari in Thaurino, et in qualibet domo Thaurini sua auctoritate res suas, vel debitoris sui, vel fideiussoris, ita quod dominus, seu hospes domus, in qua res fuerint saxitae, teneatur eas custodire, ac salvas facere per totum illum diem, ac etiam per sequentem, et quousque praecepto iudicis dictum saximentum fuerit relaxatum, alioquin solvat bampnum solidorum decem, et res saxitas, vel earum aestimationem restituat saxienti, remanente capitulo saxiae proxime denotato, et si sine causa saxierit, vel arrestaverit, saxiens taliter, vel arrestans solvat bampnum solidorum quinque. d

De cambio, vel represalia non concedendis, nisi placuerit maiori parti credentiae per modum ordinandum.

Item, quod nullum cambium, seu aliqua represalia concedatur alicui super aliquibus rebus, vel personis, vel contra personas aliquas, nisi placuerit maiori parti credentiae; quae voluntas, et arbitrium exquiratur hoc modo, quod per aliquam religiosam personam dentur in plena credentia cuilibet credentiario duae fabae una videlicet alba, et alia nigra; quae fabae per eundem religiosum postea requirantur, et quilibet credentiarius reddat unam fabam albam, vel nigram prout tamen ei placuerit. Quibus receptis si maior numerus fuerit receptus in fabis albis, licentia concedatur scilicet cambiandi, si vero nigrarum numerus maior fuerit receptus, dicta licentia denegetur.

De non emendo aliquod debitum ab aliquo homine extraneo contra civem, vel habitatorem Thaurini.

Item, statutum est, quod aliquis civis Thaurini, vel habitator non possit, nec debeat de caetero emere aliquod debitum ab aliquo homine extraneo contra civem, vel habitatorem Thaurini, nisi esset suus homo, vel socius suus, vel de districtu Thaurini, nec aliquis civis, vel habitator Thaurini possit esse procurator pro extranea persona contra civem, vel habitatorem Thaurini, et qui debitum emeret, vel procurator foret non teneatur civis Thaurini, vel habitator sibi facere rationem, vel de iusticia respondere; salvo eo, quod hoc capitulum locum non habeat contra familiares, qui morantur cum dominis Comitibus Sabaudiae, vel alicuius hospitii Comitum praedictorum.

De non compellendo fideiussorem, vel manlevatorem pro re credita extraneo ab aliquo de Thaurino.

Item, si quis de Thaurino alicui manlevaverit, vel crediderit extraneo, qui se per ipsam civitatem non distringat, et manlevatorem, vel fideiussorem, vel secundarium debitorem acceperit aliquem hominem huius civitatis pro re manlevata, vel credita, non compellat fideiussorem, seu secundarium debitorem, quod solvat debitum in toto, nec in parte, etiamsi renunciaverit huic statuto, vel debitum solvere incoeperit.

De pignoribus, vel ydoneis fideiussoribus dandis ab extraneis reis, vel conventis civibus Thaurini de restituendis expensis, quae in litibus fierent.

Item, statutum est, quod si aliquis forensis extraneus monachus, vel monachorum collegium per se, vel per alium, etiam per procuratorem in rem suam factum conveniat aliquem civem, vel habitatorem Thaurini, non debeat iudex, vel rector ipsius civitatis procedere in praedicta causa, vel causis, nisi a dictis personis datis pignoribus, vel ydoneis fideiussoribus reis, vel conventis civibus, vel habitatoribus de restituendis eisdem omnibus expensis, quae in litibus fierent ab eis sacramento declarandis,

si actores, vel agentes subcumberent in dicta causa, a
seu in causis, in toto, vel in parte, quas expensas teneatur iudex, vel rector restitui facere, etiamsi praedictae personae agentes desisterent post litem contestatam, vel desistere vellent.

De denunciando per consortem consorti suo, quod faciat clausuram in parte, vel in toto.

Item, quod si aliquis consors, vel confinis denunciaverit consorti suo, vel confini, quod faciat clausuram in toto, vel in parte, quam facere debeat, vel teneatur, sive clausura fuerit de sepe, sive de muro, eamdem infra certum tempus a iudice statuendum, quod non possit esse minus quindecim dierum, facere teneatur; quam si non b
fecerit, facta inde querimonia, iudex, vel rector possit ei auferre solidos quinque pro bampno, et non ultra, et nichilominus compellere consortem, et confinem teneatur, ut illam clausuram faciat infra aliam dilationem dierum quindecim sub eadem poena. Additum est, quod istud statutum locum habeat tam in civitate, quam in burgo Choleaschae, et Sancti Donati (1), et aliis burgis. Clausurae fiant propter contentiones evitandas de muro, vel de sepe, vel assibus, arbitrio iudicis, ubi vicinorum praedia sint disclausa secundum locorum, et personarum qualitatem, ac etiam facultates earum, habendo inde Consilium cum duobus, vel tribus bonis vicinis earum partibus non suspectis, et tam in domibus, quam in curtibus vicinorum, salvis pactis, et instrumen- c
tis, ac pactionibus inde factis, vel de caetero fiendis.

De illis, qui ceperint vias, terras, pascua, et zerba Communis.

Item ordinatum est, quod quilibet, qui cepit de viis, terris, zerbis, et pascuis Communis Thaurini intra civitatem, vel extra, finibus Thaurini, vel inde teneat, illud, quod cepit de praedictis, vel aliquo praedictorum infra decem dies postquam praeconizatum fuerit restituere, vel dimittere, ac expedire teneatur, ac in pristinum statum reducere dicto Communi in manibus quatuor deputatorum, nisi iustam voluerit facere defensio- d
nem, et potuerit, quam quidem si fecerit remaneat sine bampno, alioquin solvat pro bampno pro qualibet iornata solidos sexaginta, et ab inde inferius pro rata ad computationem bampni praedicti; ita tamen, quod condempnatio non possit esse minor solidis quinque, et nichilominus, soluto bampno, praedicta in pristinum statum restituat, et qui non restituerit in eumdem statum infra alios decem dies, solvat idem bampnum; et haec locum habeant in hiis, quae capta sunt a triginta annis citra, salvis, et remanentibus firmis hiis, quae facta sunt in viis civitatis, et infra civitatem, et quod illi, qui dicta zerba, vel pascua tenuerint, et goldierint a dicto tempore citra, teneantur dare Communi pro singulis et singulis iugeribus zerborum, et pascuorum denarios duodecim pro fructibus, et goldiis, quos, et quas inde perceperint, vel percipere potuerint, et si fuerit minus uno iugere, pro rata eius, quod tenuerint solvere teneantur. Si quis autem de caetero inde caperet, vel araret, possint ei boves, et currum auferri impune a quolibet, habendo inde medietatem, alia medietate domino Comiti applicanda.

(1) Suburbium ad portam Secusinam in duas partes divisum, quarum una sancti Donati, altera Coaleschae appellabatur.

De non alienando, vel affittando aliquas possessiones alicui extraneo.

Item, quod nullus civis, vel habitator Thaurini possit alienare alicui extraneo, vel affitare aliquas possessiones sitas in territorio Thaurini, et qui contrafecerit solvat pro bampno pro qualibet iornata solidos decem. Possessio vero alienata, impignorata, vel in emphiteosim data, eo ipso quod alienata fuerit, efficiatur Communis Thaurini, et vendatur per ipsum Commune infra mensem unum per manus massarii ipsius Communis, postquam ad ipsius massarii notitiam pervenerit, cuius pretium auxilietur ipsi Communi in expensis eiusdem, alio capitulo super hoc facto cassato.

De possessione non admittenda propter fictum retentum.

Item, quod nulla possessio propter fictum retentum amittatur, sed fictum duplicetur in valimento primi anni; et hoc locum habeat, tam in laycis, quam in clericis, si praedictis voluerint consentire, et hoc locum habeat postquam fictum fuerit requisitum, et quod domini, qui fictum receperint, teneantur de quinquennio in quinquennium facere instrumenta confessionum de ficto soluto, et quilibet creditor de soluto debito simile instrumentum facere teneatur.

De poena scribarum curiae, qui non venerint ad curiam, pulsato signo.

Item, quod quilibet scriba curiae Thaurini, qui non venerit ad curiam, pulsato signo ipsius, prout moris est, solvat pro bampno denarios sex, mandatarius vero denarios duos pro quolibet, et qualibet vice.

De non vendendo possessiones, quae sunt in ripa Sangoni, vel alibi circa fines territorii Thaurini, nisi civibus.

Item, quod nullus, qui habeat possessiones in ripa Sangoni, vel alibi circa fines territorii ipsius civitatis, possit eas vendere, vel alienare, nisi in civibus, vel habitatoribus Thaurini in ipsa civitate habitantibus, et qui contrafecerit solvat pro bam-

pno pro qualibet iornata solidos decem. Additum a est, quod nulla possessio alicuius de Thaurino sita ultra medium territorii Thaurini possit alienari alicui extraneo ut supra, et qui contrafecerit solvat pro bampno pro qualibet iornata solidos viginti, et alienatio sit ipso iure nulla.

De salario ambaxiatorum constituto, et ordinato.

Item, statutum est, super salario ambaxiatorum, quod quilibet ambaxiator, qui iverit extra civitatem pro Communi habeat solidos triginta duos viannenses cum duobus equis iacendo extra civitatem, et in crastinum redeundo, et cum uno equo iacendo extra civitatem Thaurini solidos viginti, et illa die qua redierit habeat pro dimidia quantitate b praedicta. Hoc autem locum habeat de ambaxiatis factis citra montes. Iudex, vel rector vero non possit aliquo modo, seu ingenio compellere aliquem civem, vel habitatorem Thaurini ad faciendam aliquam ambaxiatam extra civitatem Thaurini, nec ei imponere poenam aliquam, vel bampnum, nisi eis prius soluto salario superius constituto per tot dies, per quot debuerit stare, vel moram facere in ambaxiata praedicta, et si forte plus steterit in ambaxiata, quam ei fuerit taxatum, vel numeratum, residuum teneatur iudex, vel rector eis solvi facere a Communi infra octo dies post eius adventum.

De possessoribus conveniendis a creditoribus, non c obstantibus emancipatione divisione, vel alienatione facta a debitore in filios, filias, nepotes, vel uxorem.

Item statutum est, quod si aliquis debitor aliquibus filiis suis, et filiabus, nepotibus, aut neptibus, uxori, aut nurui post debitum contractum bona sua, vel partem bonorum suorum titulo donationis, divisionis, aut alia de causa, nisi forte ex causa veri debiti, et antiqui donaverit, quod creditores ipsius, non obstantibus emancipatione, divisione, vel alienatione, possint possessores huiusmodi convenire, et ab eis res ipsas avocare alienatas, sicuti non essent in alium translatae exceptione aliqua non obstante, illa maxime, quod primo conve- d niantur debitores, sponsores, mandatores, et eorum bona excutiantur, quam perveniatur ad pignorum possessores. Et hoc capitulum solummodo locum habeat inter cives, et habitatores Thaurini, non tamen praeiudicet mulieribus in earum dotibus exigendis, vel in solutionibus earum dotium eis factis, vel faciendis; ymo ius earum, et aliorum debitorum in debitis, et dotibus salvum remaneat secundum leges, et iura, sicut erat ante huius statuti confectionem; et valeat hoc statutum tam in contractibus iam celebratis, quam in futurum celebrandis, nisi legiptima praescriptio intervenisset.

De poena illius personae, quae imponeret leamen, paleam, vel burdicium, sive excolicium domus in mercatum, vel vias publicas solatas.

Item, quod nulla persona imponat leamen, paleam, vel burdicium, sive excolicium domus, vel aliquid aliud obridum proiiciat in mercatum, vel in vias publicas solatas, nec etiam morticinam intus civitatem Thaurini, vel fundere sepum, vel cremare raxiam, seu feciam, vel vadum molere in ipsa civitate, sub poena denariorum duodecim pro leamine, seu excolicio, et pro morticina solidorum quinque, et pro raxia, fecia, sepo, et vado solidorum viginti pro quolibet, et qualibet vice; et quilibet inde bonae famae possit esse accusator, et credatur eius sacramento, et si contrafaciens fuerit de alicuius familia, et non habuerit unde solvat bampnum, dominus domus, vel familiae solvat pro eo, et si leamen, paleam, vel burdicium, seu excolicium domus abstulerit infra tertium diem, sit sine bampno: eamdem poenam substineat quilibet affaytator, tinctor, vel peliparius, qui poneret, vel proiiceret ruscas affaitamentorum, et tincturas in viis publicis, vel in duria currente per civitatem, et quod pellatae in ea non laventur.

De poena illius, qui fregerit hortum, furtum ibi faciendo.

Item, si quis fregerit, vel intraverit alienum hortum, ibi faciendo furtum, in Thaurino, et circuitu, vel etiam extra circuitum in eius poderio, solvat pro bampno solidos quinque, si fuerit de die, si vero de nocte duplum, et totidem pro emenda: idem fiat in Gruglascho, et duo custodes ad hoc ponantur; et qui bampnum, et emendam solvere non poterit, frustetur, et expellatur de civitate, et per annum unum expulsus teneatur.

De poena illius, qui fregerit clausuram alienam in civitate Thaurini, vel extra.

Item, qui clausuram alienam in civitate, vel extra fregerit sine domini voluntate, vel inde exportaverit, solvat pro qualibet brazata, seu onere, si fuerit de die, solidos quinque, si vero de nocte, duplum, et dampnum domino restituat, et ab inde inferius sit arbitrio iudicis, vel rectoris usque ad solidos duos de die, de nocte vero usque ad solidos quatuor, et si ille fur fuerit non solvendo, in berlina ponatur, vel frustigetur, secundum quod iudici placuerit, vel rectori.

De poena illius, qui fregerit, vel exportaverit aliquam clausuram.

Item, statutum est, quod si aliquis fregerit, ceperit, vel exportaverit aliquam clausuram alicuius horti, vineae, alteni, seu prati, vel campi, solvat pro bampno solidos quinque pro quolibet, et qua-

libet vice, et totidem pro emenda, et quilibet possit accusare, et credatur eius sacramento.

De compellendis vicinis propter clausuras.

Item, quod statutum est de compellendis vicinis super faciendis clausuris in civitate, habeat locum etiam extra civitatem in suburbiis.

De amovendis sepibus a porta Phibellona usque ad portam Secuxinam.

Item, quod quaelibet persona, quae habet sepem super strata a porta Phibellona usque ad portam Secuxinam, debeat amovere, et amovisse infra mensem, postquam fuerit praeconizatum, sub poena solidorum quinque, excepta clausura forte alicuius rianae.

De volentibus facere murum, vel sepem secus vias publicas.

Item, quicumque murum, vel sepem de novo facere, vel construere voluerit, seu fecerit deinceps secus vias publicas in civitate, vel suburbiis, debeat hoc denuntiare massario Communis, qui massarius videre debeat cum aliquibus vicinis dictum opus, et secundum eorum consilium, prout sibi, et eis videbitur, concedat, vel inhibeat dictum opus tali modo, quod viae publicae non arceantur.

De aliquo fimo non tenendo ultra tres dies per directum suae domus.

Item, statuerunt, quod si aliquis habuerit, et tenuerit per directum suae domus fimum, sive fimerium ultra tres dies, quod ipse sit in bampno solidorum decem, si ipsum fimum infra tertiam diem, postquam ipsum ibi posuerit, non abstulerit; et idem intelligatur in plateis, mercato grani, et aliis, et quilibet possit accusare, et credatur eius sacramento, si fuerit bonae famae, et habeat tertiam partem bampni.

De ponendis accusatoribus contra eos, qui ponerent immonditias in mercato, et strata.

Item, statutum est contra piscatores, et macellatores, et contra eos, qui ponerent immonditias in mercato, vel in strata, qua itur a porta Secuxina usque ad portam Phibelonam directo, ponantur accusatores privati, ut praedicta statuta melius observentur.

De molendinis non faciendis a derivata Duriae usque ad Padum, nec a vado sancti Viti usque podium Miscelae, et de molentibus ad alia molendina.

Item, quod nullum molendinum, vel paratorium,

a vel batitorium fiat a derivata Duriae usque ad Padum, nec a vado sancti Viti usque ad podium Miscelae de novo, sine voluntate dominorum molendinorum; illa tamen, quae ibi sunt, possint fieri, refici, et augeri, prout opus fuerit in locis, in quibus sunt, et alibi sicut placuerit dominis molendinorum, et Communi Thaurini; et quod nulla persona de Thaurino, vel de suburbiis molere debeat granum, nisi ad molendina praedicta; et si ad alia molendina moleret granum, quod traheret de Thaurino, vel suburbiis, solvat bampnum pro quolibet sestario solidorum quinque, et non ultra, granum vero perdat; ipsi vero domini molendinorum teneantur ipsa molendina tenere tali forma, quod possint bene molere, et molant plenarie om-
b nibus de Thaurino, et suburbiis, accipiendo solummodo sextumdecimum sextarii pro moltura. De battenderiis vero, et paratoriis accipiant id totum, quod in eorum cartis continetur, seu in carta facta per Maynardum Polastrum notarium, quae carta in libro statutorum Communis Thaurini debeat exemplari et ad hoc, ut appareant pacta in ipsa carta notata, ut ipsa plenius observentur. Additum est, quod in aliquibus aliis molendinis aquae, vel manus non frangantur aliqua legumina, nisi in praedictis, et quod nullus molendinarius, seu massarius, vel habens aliquod officium in praedictis molendinis, possit, vel debeat aliqua de causa pro grano, quod portabitur ad ipsa molendina, capere aliquid, seu recipere sub aliquo colore ab aliqua persona occa-
c sione dictorum molendinorum, praeterquam sextamdecimam partem grani supradictam pro moltura, et hoc sub poena, et bampno solidorum quinque pro quolibet, et qualibet vice, cuius poenae tertia pars accusatori perveniat, et quilibet bonae famae possit esse accusator, et eius accusae credatur eius sacramento; et quod massarii molendinorum ponantur, cum voluntate, et expresso consensu habentium partes, in ipsis molendinis, et quod ipsi massarii teneantur reddere computum, et rationem de ipsis molendinis, paratoriis, battendariis, ripagiis, et aliis redditibus, consortibus habentibus partes in ipsis molendinis.

Sicut licitum est massario molendinorum impune
d *percutere molendinarios, et fornayrolios.*

Item, quod liceat massariis molendinorum molendinarios, et fornayrolios percutere, et corrigere manu, et sine iniuria atroci impune stando ad molendina, et occasione officii molendinorum.

De poena illius molendinarii, vel alterius personae, quae, vel qui furtum fecerit de grano, vel farina.

Item, si quis molendinariorum, vel molendinarium servientium, vel alia persona furatus, vel furata fuerit granum, vel farinam usque ad unum garbinum (1), et ultra, solvat bampnum solidorum viginti

(1) *Garbinum* pro cista, subalpina dialectu sumitur.

pro quolibet garbino, et emendet granum, vel fa- rinam domino in duplum, cuius fuerit illud; si vero quis furatus fuerit granum, vel farinam usque ad unum garbinum et medium, et ultra solvat bampnum solidorum viginti, et granum, vel farinam emendet in duplum; si vero minus furatus fuerit quam unum garbinum, granum, vel farinam emendet in duplum, et solvat bampnum solidorum decem, et si bampnum solvere non poterit, frustigetur, vel in berlina ponatur, et cuilibet personae de dicto grano, vel farina amisso, vel amissa, suo iuramento credatur; et intelligantur furtum fecisse, qui portaverint granum amissum, vel farinam amissam super asinos, et qui receperint ab eo, vel ab illis deferentibus ad molendina, et illi domino in duplum restituere teneantur ut supra, ultra praedictorum bampnorum solutionem.

De hominibus Gruglaschi compellendis ad molendum Thaurini.

Item, ordinaverunt, quod homines de Gruglascho compellantur per curiam Thaurini ad molendum, et faciendum moli totum granum suum, quo utuntur ad molendina Thaurini per totum annum, et qui contrafecerit solvat pro qualibet vice solidos quinque, et granum, et farinam amittat, et quilibet possit eum accusare, et eum auferre impune, et inde sit medietas ablatoris, et alia medietas domini Comitis, dummodo dicta molendina Thaurini molere possint.

De numero amassatorum grani, et fornayroliorum, qui debent, et possunt esse in quolibet casali.

Item, quod in quolibet casali possint esse duo amassatores grani, et unus fornayrolius, et non plus, et si contrafecerit molinarius dicti casalis, solvat solidos xx pro bampno, et non ultra, et removeatur dictus fornayrolius; et hoc iurare faciat iudex, sive rector infra quindecim dies primos sui regiminis a massariis dictorum molendinorum, et omnibus molendinariis observari.

De salario fornariorum eis concesso, et ordinato.

Item, statutum est, quod fornarii de caetero habeant, et habere possint pro coctura cuiuslibet sestarii panis, et portatura, ac reportatura ipsius tam in hyeme, quam aestate denarios sex viannenses, et nichil ultra, et pro ipsis denariis sex viannensibus debilium teneantur panem bene coquere, et assasonare, et ipsum custodire, et reddere integre, numerando panem ad domum eius, cuius fuerit, cum portabitur, et reportabitur, nec possit fornarius solutionem suam recipere de coctura, nisi pane amisso prius restituto, et si aliquis fornarius, vel fornaria contra praedicta fecerit, et non observaverit praemissa, solvat solidos duos pro bampno pro qualibet vice, aliquo alio capitulo non obstante.

a

De poena illius personae, quae defraudaret pedagium civitatis Thaurini de ovibus.

Item, statutum est, quod nulla persona de Thaurino, vel districtu debeat ducere, vel duci facere, vel guardare oves alicuius extranei ducentis per Thaurinum, vel eius poderium, vel fidantiam dare alicui dictas oves ducendi, propter quod pedagium ovium, quod colligitur in Thaurino, valeat defraudari. Si quis vero contra praedicta fecerit fraudulenter, solvat pro quolibet tropello, et qualibet vice solidos sexaginta, et non ultra, et nichilominus solvat pedagium consuetum in duplum, et compellat iudex, vel rector super hiis iurare quoslibet
b intrantes Thaurinum ducentes oves venales: eamdem poenam subeat quicumque, qui alia pedagia defraudaret.

De non capiendo aliquid de ovibus transeuntibus per viam, seu stratam Thaurini, nec de aliis rebus, nisi pedagia consueta.

Item, quod aliquis non possit aliquid capere de ovibus per stratam Thaurini transeuntibus, nec de aliis rebus, nisi pedagia consueta, et iudex, sive rector Thaurini teneatur dare fidantiam ovibus venientibus in mercandiam, vel in vernaliam, nisi essent inimicorum domini Comitis, vel hominum, qui habeant cambium contra homines civitatis Thau-
c rini, vel ipsam civitatem, vel nisi essent de illis, contra quos data esset licentia cambiandi alicui civi Thaurini, quibus dari non possit licentia, nisi de voluntate illius, cui data esset licentia cambiandi.

De non ducendo oves, vel mercandias, nisi per stratam rectam.

Item, quod nullus debeat ducere oves, vel alias mercandias eundo, vel redeundo per poderium Thaurini, nec eis fidantiam dare, vel eas tansare, nec super se recipere, nisi per stratam rectam, ita quod inde solvantur pedagia consueta ut supra; et qui contrafecerit, solvat bampna superius nominata, et pedagium consuetum; quorum bampno-
d rum tertia pars sit accusatorum, quibus credatur, si fuerint duo ad minus, et bonae famae.

De quantitate pecuniae capienda de quolibet trentenario ovium pro pedagio.

Item, collectores pedagii ovium possint capere de quolibet trentenario pro eorum pedagio turonum unum grossum iuxta morem consuetum, et non plus.

De non capiendo aliquid per camparios, vel forestarios a mercatoribus ovium.

Item, quod camparii, forestarii nichil capiant a

mercatoribus ovium ducentibus oves Thaurinum, *a* nisi illud ipsi mercatores eis dare ultro voluerint pro adiutorio eorum campariorum, et forestariorum pro animalibus coercendis.

De cargiis, et trossellis venientibus de partibus ultramontanis, intrandis, et exeundis per portas civitatis Thaurini.

Item, quod omnes trosselli, et cargiae undecumque venientes de partibus ultramontanis, et per Thaurinum transitum facientes, per quamcumque stratam postea tenere voluerint, Ianuensem videlicet, vel Lombardam, intrare debeant, vel exire per portas Secuxinam, et Phibellonam, vel alias portas; trosselli vero, et cargiae, et aliae mercan- *b* diae venientes per stratam Astensem, vel Vercellensem intrare debeant per portas Phibelonam, et Palatii, et per alias portas, et exire per portam Secuxinam, vel per alias portas, et ad hoc observandum teneantur omnes iudices, vel rectores civitatis eiusdem; qui vero contrafecerit, solvat pro quolibet trossello, seu cargia solidos duos.

De non solventibus pedagium.

Item, statutum est ad evitandas fraudes non solventium pedagia, vel vectigalia antiqua, et consueta civitatis Thaurini, quod omnes, et singulae personae deportantes, seu deferentes de caetero res aliquas, seu mercandias, de quibus solvi *c* debeat, et consuetum sit pedagia, seu vectigalia, ipsum pedagium solvere teneantur, et debeant collectoribus ipsorum pedagiorum, antequam exeant dictam civitatem cum ipsis rebus, et mercandiis, si per ipsam civitatem transitum fecerint, et si per fines eiusdem civitatis transitum fecerint, huiusmodi pedagia, et vectigalia solvere teneantur, et debeant, antequam transeant rectitudinem ipsius civitatis per fines praedictos eundo ad loca, ad quae ire voluerint; et qui contrafecerit, incurrat poenam amissionis dictarum rerum, et mercandiae sic portatae; quae poena pro tribus partibus domino Comiti applicetur, et pro quarta parte accusatori, et quilibet bonae famae accusare possit facientes contra praedicta, eosque cum bestiis, et *d* rebus sic commissis auctoritate propria detinere, et vicario domini Comitis praesentare, et eius accusae credatur, et habeat quartam partem poenae commissae.

De tenendo per medium bechariae viam amplam per unam taysam.

Item, teneatur iudex, sive rector teneri facere per medium bechariae viam amplam per unam tesam, ita quod becharii possint vendere carnes suas ex utroque latere bechariae; nemo tamen becharius possit facere, vel tenere leamen in aliquo loco dictae bechariae, et qui contrafecerit solvat solidos quinque pro banno pro quolibet, et pro qualibet vice.

De poena bechariorum, qui venderent aliquam bestiam minutam, seu carnes ipsius, nisi ad illam bancham, in qua fuerint occisae.

Item, quod becharii non vendant aliquam bestiam minutam, seu carnes ipsius, nisi ad illam bancham, in qua fuerint occisae, et qui contrafecerit, solvat pro bampno solidos quinque pro unaquaque vice. Grossam vero bestiam vendere possint in duabus, vel tribus banchis, tam in hyeme, quam in aestate.

De poena bechariorum, qui ponerent banchas extra copertum bechariae.

Item, quod becharii non ponant banchas extra copertum bechariae, ita quod columpnae remaneant deversus viam publicam; et qui contrafecerit, solvat bampnum pro qualibet vice solidorum duorum; nec bestias occidere possint extra bechariam, vel eius plateam, sub bampno solidorum trium pro qualibet bestia grossa, et minuta.

De poena illius, qui poneret bestias, sive stercora bestiarum in via publica.

Item, quod nulla buelleria, seu alia persona ponat busas, sive stercora bovinarum bestiarum in via publica, vel subtus bancham, quae sit, vel respondeat in via publica, vel in duria stratae [1], sub poena denariorum duodecim pro qualibet vice.

De non inflando, nec farciendo carnes.

Item, quod nullus becharius, vel substitutus, vel famulus ipsius, seu quomodolibet utens officio bechariae possit, vel debeat inflare, vel inflari facere aliquas carnes, vel farcire, seu farciri facere, aut inflatas, seu farcitas habere, vel tenere super banchis, seu caviglis bechariae, seu in becharia, nec eas vendere, vel aliter distrahere alicui personae; et intelligantur inflatae sive cum festuca, sive cum spiratione oris, sive etiam cum inflatione venti, vel alio quocumque modo; et qui contrafecerit praedictis, vel alicui praedictorum, solvat pro bampno solidos quinque pro qualibet bestia, et amittat carnes taliter inflatas, vel farcitas, et officium bechariae ex tunc per octo dies proxime subsequentes, auctoritate huius ordinamenti, sibi noverit interdictum; et si interdictum non observaret per se, vel per alium contrarium faciendo, solvat bampnum pro qualibet die, qua contrafecerit, solidorum trium; medietas vero carnium amissarum perveniat confestim accusatori, et alia medietas ad dominos vicarium, et iudicem, qui nunc sunt, vel qui per tempora erunt; ita tamen quod nulla

(1) *Duria* pro rivulo.

compositio super praedictis possit fieri, vel remissio, seu gratia per praedictos dominos vicarium, seu iudicem, sed ipsi vicarius, et iudex, ac clavarius teneantur exigere poenas praedictas incontinenti absque alia compositione inde fienda, data prius defensione per eamdem diem solummodo, in qua fuerit facta accusa, vel processus de praedictis, post quam diem nulla defensio inde fieri possit.

De non reducendo carnes, vel bestias ad inflandum.

Item, statuerunt, quod nulla persona in domo sua, in qua habitat, vel deinceps habitaverit, reducat, vel reduci patiatur aliquas carnes, vel aliquam bestiam inflandas, vel farciendas, inflatas, vel farcitas, sub poena, et bampno solidorum decem pro qualibet bestia, et qualibet persona, et qualibet vice, qua contrafactum fuerit; et intelligatur reduxisse ad inflandum hoc ipso, quod in domo fuerint inventae inflatae. Persona vero, quae inflaverit, seu inflari fecerit palam, vel privatim quocumque modo, vel sub quocumque ingenio, ammittat carnes ut supra, applicandas pro partibus quibus supra, et solvat bampnum solidorum quinque, et officium becharia sibi sentiat interdictum per octo dies proxime subsequentes, quod interdictum si non servaverit, solvat pro bampno pro quolibet die, qua contrafecerit, solidos tres.

De non vendendo, vel tenendo in becharia Communis carnes morticinas, vel morbosas.

Item, statuerunt, quod nulla persona audeat, vel praesumat vendere, vel tenere, aut apportare aliquas carnes morticinas, vel morbosas in macello, vel becharia Communis Thaurini, sub poena, et bampno pro qualibet bestia sic morbosa, seu parte ipsius bestiae, et pro qualibet vice, solidos viginti.

De non vendendo unam carnem pro alia.

Item, statuerunt, quod nullus becharius vendat alicui personae alteras carnes pro alteris, sed teneatur dicere cuilibet emere volenti cuiusmodi carnes sint, si ab eo fuerit interrogatus, et qui contrafecerit, solvat bampnum solidorum quinque pro qualibet vice.

De non faciendo, seu tenendo puellagium alicuius bestiae foeminini generis.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod nullus becharius, vel alia persona imponat alicui bestiae foeminini generis, seu faciat, aut teneat puellagium, seu vetam, vel scindere praesumant puellagium alicuius bestiae in fraudem, sub poena solidorum xx pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis carnium applicandarum ut supra.

a *De non evacuando aliquam panciam, seu budellas alicuius bestiae, nec expargendo sanguinem in becharia.*

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod nulla persona, sive becharius, sive quaecumque alia persona audeat, vel praesumat expantiare, seu evacuare aliquam panciam, sive budellas alicuius bestiae in macello Thaurini, nec expargere sanguinem alicuius bestiae, sed teneantur becharii, et alii quicumque utentes officio becharia recipere sanguinem cuiuslibet bestiae, et ipsum reponere extra bechariam, sub poena, et bampno pro quolibet contrafaciente, et pro qualibet vice solidorum quinque.

b *De non ducendo aliquam bestiam ad macellum pro interficiendo, nisi vivam, et sanam, nec excoriando, nisi in becharia.*

Item statuerunt, et ordinaverunt, quod nulla bestia cuiuscumque conditionis existat, possit, vel debeat duci ad macellum causa interficiendi, seu vendendi, nisi viva, et sana, et post inchoatam pulsationem campanae Sancti Andreae, quae pulsatur in aurora, usque ad terciam campanam Communis, quae pulsatur in sero. Nec etiam possint excoriare, vel excoriari facere alibi, nisi in becharia carnes vendendas in ipsa becharia, in qua becharia excoriare, vel excoriari facere non liceat, nisi post pulsationem
c campanae Sancti Andreae praedictam, usque ad terciam campanam Communis praefatam. Hoc salvo quod sit licitum a festo Sancti Michaëlis usque ad nativitatem Domini excoriare boves, vel porchos pellare sive de die, sive de nocte, dum tamen boves, et porchi sic excoriandi ducantur vivi, et sani de die ad macellum; et qui contrafecerit in praedictis solvat pro quolibet, et qualibet vice solidos decem, et amittat carnes applicandas ut supra. Additum est huic capitulo, quod becharii, et alii per tres dies ante festum Pascatis possint in becharia praedicta extra rezolia excoriare, et excoriari facere sive de die, sive de nocte omnes bestias vivas, et non morbosas ut supra, aliquo capitulo non obstante.

d *De bechariis, quod possint compelli ad faciendam bechariam.*

Item statuerunt, et ordinaverunt, quod per dominos vicarium, seu iudicem becharii, qui sunt consueti facere bechariam in Thaurino, possint compelli poenis, et bampnis arbitrio ipsorum dominorum vicarii, et iudicis ad faciendam bechariam, et vendendas carnes iuxta instantiam super hoc factam, vel faciendam, et quod ipsi becharii non possint de praecepto eisdem facto, vel faciendo petere cognitorem non obstante capitulo de petendis cognitoribus.

De becharìis non tenentibus, vel vendentibus in bona becharia, nisi carnes bovinas, castrinas, agninas, edinas, et salvacenas.

Item statuerunt, et ordinaverunt, quod nulla persona possit, vel debeat habere, vel tenere, vendere, seu distrahere per se, vel per alium sub aliquo ingenio, vel colore in becharia civitatis Thaurini, seu in eius pertinentiis, quae becharia cum eius pertinentiis intelligatur ab hospitio Domini Henrieti de Agnexeta tendendo recta linea per domum Iacobi Cornagliae per angulum dictae domus deversus becharìam, usque ad angulum domus Philippi Borgexii, et a dicta domo, sive angulo dicti Philippi tenendo versus stratam usque ad angulum Sancti Gregorii, et a dicto angulo Sancti Gregorii sicuti protenditur murus domus magistri Melioris usque ad dictum ostium domus Henrieti de Agnexeta, nisi dumtaxat carnes bovinas, castrinas, porchinas, agninas, et edinas, et salvacenas; alias vero carnes non possint tenere, vel habere, vendere, distrahere in becharia praedicta infra praedictos confines bechariae praedictae, et qui contrafecerit solvat solidos viginti pro quolibet, et pro qualibet vice, et amittat carnes, ita quod medietas applicetur curiae, et alia medietas accusatori. Et de praedictis quilibet bonae famae possit accusare, et eius sacramento credatur absque alia probatione, et habeat terciam partem bampni ipse accusator.

De non vendendo carnes venales, nisi in becharia Thaurini.

Item statuerunt, quod nulla persona utens officio bechariae, cuiuscumque conditionis existat, possit habere, vendere, vel distrahere aliquas carnes venales, bovinas, castrinas, vel porchinas, exceptis carnibus morticinis, et morbosis, nisi sollummodo in becharia praedicta, et infra confines praedictos ipsius bechariae, et qui contrafecerit solvat dictam poenam solidorum viginti pro quolibet, et qualibet vice.

De bechariis, qui affirmaverunt carnes fore venditas.

Item, statuerunt, quod si aliqua persona utens officio bechariae dixerit, et affirmaverit aliquas carnes bovinas, porchinas, vel castrinas inventas in dicta becharia fore venditas, solvat dictam poenam, nisi ita iuratum fuerit fore verum, quod venditae sint dictae carnes, per venditorem, et emptorem, quorum iuramentis ad defensionem venditoris sine alia probatione credatur sub poena solidorum decem pro quolibet, et qualibet vice, et sub amissione, et applicatione carnium, ut supra.

De bechariis vendentibus carnes ad pondus.

Item statutum, quod quaelibet persona utens of-
a ficio bechariae teneatur ponderare carnes, quas vendiderit, quae venduntur ad pondus, vel ad balancias, ad pondera de metallo si vendiderit carnes in quantitate librarum quinque, vel infra ad balancias, et quae pondera habere teneantur continuo sub poena, et bampno solidorum quinque pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice.

De bechariis, et ipsorum rezoliis.

Item statuerunt super facto rezolorum factorum per becharios retro banchas bechariae in terra, quod ipsa rezolia infra terciam diem post publicationem praesentem destruantur per illos, qui illa tenent, sub poena solidorum sexaginta pro quolibet, et
b qualibet vice, et quilibet bonae famae possit accusare, et habeat accusator terciam partem bampni, et ei credatur suo iuramento, et ultra quod per vicarium, et iudicem, vel alterum ipsorum procedi possit contra illos, qui dicta rezolia tenent, ad eorum voluntatem poenas, et bampna imponendo, et hoc pro bono, et utilitate Communis ad evitandum fraudes bechariorum, quoniam multa committi possunt in ipsis rezolis; et quod de caetero fieri non possint dicta rezolia in terra sub eadem poena.

De poena illorum, qui reperti fuerint in domo tabernariorum post sonum ultimae campanae.

Item, quod nullus tabernarius post sonum ul-
c timae campanae nocturnae curiae debeat tenere potatores, vel alias personas stantes in civitate, nisi essent de ipsius familia, vel hospitati essent in ipsius domo, et qui contrafecerit solvat pro bampno solidum unum pro qualibet vice, et persona, quae ibidem reperta esset totidem; quorum bampnorum medietas sit accusatoris, eo salvo, quod, si iuraverit quod ibi non esset causa bibendi, vel ludendi, absolvatur.

De plateando ante domum suam post signa pulsata sine lumine, et sine poena, et bampno.

Item, quod quilibet possit plateare ante domum suam, sive ex alia parte viae, etiam post signa pul-
d sata, sine lumine, nisi fuerit publicus latro, vel bampnitus de maleficio, vel homo malae famae, et etiam per totum angulum domus suae ex utraque parte sine poena.

De poena illius, qui maledixerit de Deo, vel Beata Virgine Maria.

Item, si quis maledixerit de Deo, vel Beata Virgine Maria, dicendo de ipsis turpia verba, solvat pro bampno solidos quinque, et totidem, qui maledixerit de Beato Iohanne Baptista.

De poena piscatorum, et piscium revenditorum, qui pisces, quos ceperint, vel emerint ad vendendum in poderio Thaurini, non portaverint in Thaurino, et non deposuerint super tabulis, seu banchis plateae Sancti Gregorii. a

Item, quod omnes piscatores, et piscium revenditores, pisces, quos ceperint, vel emerint ad vendendum in poderio Thaurini, teneantur portare in Thaurino, eosque super tabulis, et banchis plateae Sancti Gregorii deponere, nec ipsos pisces alibi deponere valeant, vel commodare ex quo intraverint civitatem Thaurini. Qui vero contrafecerit solvat pro bampno solidos quinque pro qualibet vice, cuius poenae habeat accusator terciam partem, et cuilibet credatur suo iuramento super ipsis accusationibus fiendis. Additum est, quod si vendiderint pisces de nocte alibi, quam in banchis praedictis, solvant pro bampno solidos xx, de die vero solidos decem pro quolibet, et qualibet vice; et quod omnes pisces recentes teneantur ipsi piscatores evacuare de sachis, et cavagnis, et repositoriis super dictis banchis, eosque ibi tenere evacuatos, quousque eos vendiderint, sub poena solidorum quinque pro quolibet, et qualibet vice; non tamen incurrant poenam si aliquos pisces reportarent pro commestione eorum. Hoc autem iurare teneantur facere, et observare piscatores, et piscium revenditores.

De poena piscatorum vendentium pisces extra banchas piscariae.

Item statuerunt, et ordinaverunt, quod illam poenam, quam deberet solvere qui pisces emeret extra banchas piscariae, eamdem poenam solvant piscatores unus, vel plures, quicumque fuerint, qui pisces extra dictas banchas vendiderint, ubicumque dictos pisces vendant, vel distrahant infra fines, et territoria Thaurini extra dictas banchas.

De non emendis per piscatores Thaurini piscibus a piscatore extraneo.

Item, quod nullus piscator Thaurini, vel aliunde possit emere pisces ab alio piscatore extraneo in Thaurino, vel eius finibus, vel pro alio piscatore extraneo vendere, et qui contrafecerit solvat pro qualibet vice solidos quinque, cuius bampni tercia pars sit accusatoris.

De non vendendis piscibus, vel vendi facere alicui personae extraneae.

Item, quod nullus piscator, vel revenditor piscium possit in Thaurino pisces vendere, vel vendi facere alicui personae extraneae revenditrici hinc ad horam nonae, et qui contrafecerit solvat pro bampno solidos quinque pro qualibet vice, cuius bampni tercia pars sit accusatoris.

De dividendo pisce valente solidos duos in tria frusta.

Item, quod quilibet piscator teneatur pisces valentes solidos duos, vel supra, in tria frusta dividere quandocumque inde per aliquem volentem ex ipso pisce emere fuit requisitus, et piscator, qui hoc facere noluerit solvat pro bampno solidos duos, cuius bampni sit tercia pars accusatoris.

Quod non liceat tabernario, vel alii pro eo pisces emere ultra duodecim denariatas.

Item, quod nullus tabernarius, vel tabernaria, vel alius pro eo, vel ea debeat ultra duodecim denariatas piscium uno die emere, vel vendere, et qui contrafecerit, vel fraudem contra hoc commiserit solvat pro bampno, et qualibet vice solidos quinque, et habeat accusator terciam partem bampni. b

De poena tabernariorum, et piscatorum ementium, et vendentium pisces ultra pretium ordinatum.

Item ordinaverunt, quod tabernarii, et tabernariae intelligantur emisse, et contra capitulum fecisse suprascriptum hoc ipso, quod in domo, quam habitant inventi fuerint pisces quavis die ultra unam solidatam, et ea occasione teneantur ad poenam capituli supradicti. Hoc addito, quod in die sabbati possint ipsi tabernarii, et tabernariae emere usque ad solidatas duas, et tabernarii, et tabernariae, qui vel quae habitant, vel habitabunt insimul in una eademque domo habeantur pro una persona quantum ad hoc, ne liceat eis emere qualibet die ultra quantitatem praedictam. Statuentes etiam, quod eamdem poenam solvat piscator, qui alicui ex praedictis vendiderit pisces ultra quantitatem praedictam, et si aliqua persona emeret pisces in platea, vel alibi ultra summam praedictam, et ipsos portaverit, vel portari fecerit ad domum, seu ad domos tabernariorum, ut supra solvat pro bampno solidos viginti. c

De piscatoribus non vendentibus, vel portantibus pisces de civitate Thaurini, nisi prius distratos in piscaria Thaurini. d

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod nulla persona, cuiuscumque conditionis existat, audeat, vel praesumat extrahere, vel portare de civitate Thaurini, vel poderio ipsius aliquem piscem, vel pisces recentes sub aliquo ingenio, nisi ipsi pisces prius apportati, et venditi, vel aliter distrati fuerint in civitate Thaurini super banchis piscariae, sub poena, et bampno ammissionis piscium, et solidorum sexaginta pro quolibet, et qualibet vice, et de praedictis quilibet bonae famae possit accusare, et credatur eius iuramento, et auferre pisces; quorum piscium, et bampni tercia pars accusatori perveniat, et applicetur, reliquae vero duae partes

curiae applicentur. Salvo quod illi, qui habent in a Thaurino super finibus viveria, possint emere pisces ad ponendum in viveriis, ubi voluerint, causa ponendi in eis.

Sequuntur capitula super bonis forensibus facta.

Vide supra (pag. 643) in rubrica de officio vicarii, et iudicis rubricas super bonis forensibus tangentia vicarium, et iudicem.

De ponendo singulis annis duos forestarios in finibus Sangoni.

Item, quod duo forestarii custodes ponantur singulis annis in finibus Sangoni, et Prati Clausi, Glareti, et Sarmazeti. Emendatum est, et statutum, b quod custodes finis Sancti Salvatoris habeant dictam custodiam.

De emendando per custodes bonorum forensium dampna data in eorum custodia.

Item, quod custodes omnium bonorum forensium teneantur emendare omnia dampna data in eorum custodia aestimanda sacramento illius domini, cui fuerit dampnum datum, de illis videlicet dampnis datis, de quibus non reperientur scriptae accusae in libro curiae, factae per eosdem custodes.

De non remanentibus eisdem hominibus, vel custo- c dibus ultra annum continue in officio campariae, vel forestariae.

Item, statutum est, quod iudex, vel rector prohibere teneatur, ne iidem homines, vel custodes ultra annum remaneant in officio campariae, vel forestariae, seu custodiae bonorum forensium, sed singulis annis ad festum omnium Sanctorum, aut infra terciam diem festum omnium Sanctorum immediate sequentem mutentur, prout in alio capitulo superius continetur.

De tollendo, seu auferendo per custodes de ultra Padum palos siccos, vites, et ficus deferentibus supra dorsum. d

Item, teneatur custos de ultra Padum non habentibus proprias vineas, vel non tenentibus alienas, specialiter manualibus deferentibus supra dorsum siccos palos, ficus, vites, arbores persicorum, et alia ligna grossa, de quibus a dominis ipsarum rerum licentiam non habuerunt apportandi, ea auferre, et eadem die, vel subsequenti accusare, quod si non fecerint teneantur pro qualibet vice solvere pro bampno solidos duos, et inde quilibet valeat accusare, cuius sacramento credatur, et super hiis iudex, vel rector bonos accusatores ponere teneatur. Additum est, quod manuales non debeant de ultra Padum portare alienos palos, vel vites, et si contrafecerint solvant bampna ordinata, et eorum loderium perdant.

De poena illius custodis vinearum, qui intraret in vineam aliquam tempore suae custodiae.

Item, quod nullus custos vinearum positus pro curia, intrare debeat vineam aliquam tempore suae custodiae aliqua occasione, nisi causa videndi aliquem malefactorem, qui esset in aliqua vinea suae custodiae, et tunc tam in ea, quam in aliis intrare possit causa videndi, et cognoscendi eum, qui dampnum daret; et si contrafecerit solvat pro bampno pro qualibet vice solidos tres, nisi intraret cum domino vineae, vel aliquo de familia sua.

De poena saltuarii, seu camparii vinearum, qui permitteret venire uxorem, vel aliquem de familia ad vineas de ipsius custodia.

Item, quod saltuarii, seu camparii vinearum nullomodo permittant pervenire eorum uxores, vel aliquem de familia eorum ad vineas de ipsorum custodia, vel etiam ultra Padum, et si contrafecerit de mense augusti, vel septembris solvat saltuarius solidos quinque pro bampno pro qualibet vice.

De non capiendo aliquid per custodes pontis Padi ab aliqua persona civitatis Thaurini, vel poderii de rebus transeuntibus per dictum pontem.

Item, quod custodes pontis Padi nihil accipere possint ab aliqua persona civitatis Thaurini, vel poderii de rebus portatis, vel transeuntibus per dictum pontem, scilicet de palis, uvis, et aliis fructibus, et qui contrafecerit solvat bampnum solidorum quinque quocienscumque hoc fecerit, et ille, cui aliquid ablatum fuerit teneatur eos accusare.

De poena illius, vel illorum, qui portarent de ultra Padum palos, et vites, vel sermentas.

Item, quod nulla persona de Thaurino, vel districtu parva, vel magna, portet de ultra Padum palos integros virides, vel siccos, nec vites, vel sermentas, vel alias buscaleas, nisi de sua vinea, vel de suo bosco super currum, vel super aliquam bestiam, vel personam suam, et si super curru portaverit solvat solidos quinque; si super bestia solidos duos; et si super dorso denarios duodecim; de quo bampno tres partes perveniant ad curiam, et quarta pars accusatoribus, et teneantur accusare custodes illos, qui praedicta portarent, et ligna eis auferre, et credatur sacramento accusati, si iuraverit se de suis vineis, vel nemoribus apportasse, nisi accusator bonorum forensium custos dixerit se vidisse praedicta de bonis alienis asportari.

De pascuando sine aliqua poena in pascuis, et zerbis illorum de Droxio.

Item, quod homines Thaurini, et districtus possint sine aliqua poena, sicut est hactenus consuetum, pascuare cum eorum animalibus in pascuis, et zerbis illorum de Droxio, et illis de Droxio in pascuis Communis Thaurini liceat facere illud idem.

De poena illorum, qui excorzarent plantas aliquas, vel arbores alienas, vel nemus aliquod alienum.

Item, quod nullus audeat, vel praesumat excorzare plantas aliquas, vel arbores, vel nemus aliquod alienum in finibus Thaurini, et qui contrafecerit solvat pro qualibet planta, sive ligno solidos quinque pro quolibet, et qualibet vice, aliis statutis super plantis, et arboribus mentionem facientibus in sua remanentibus firmitate.

De poena illius, qui incideret spinas in fossatis civitatis.

Item, quod nullus debeat incidere spinas, vel alia ligna in fossatis Communis civitatis Thaurini, et qui contrafecerit solvat pro bampno solidos quinque pro qualibet vice, et super praedictis custodiendis ponantur accusatores. Si quis vero bestias grossas, vel minutas poneret in eisdem, nisi causa adbeverandi in locis consuetis, solvat idem bampnum, quod solvendum esset si invenirentur in pratis alienis, et haec cauda capituli non habeat locum tempore guerrae.

De non incidendo in bosco bealis.

Item, si quis inventus fuerit incidendo in bosco bealis (1) solvat pro bampno tantum, quantum solvitur pro aliis nemoribus.

De non ponendo bestias in beali, aut eius ripa, et de poena ordinata ei, qui contrafecerit.

Item, si bos, equus, vel mulus, aut asinus inventus fuerit in beali, aut eius ripa a viis bubulcis superius, det pro bampno ille, cuius fuerit animal, denarios duos, et si fuerit minutum animal, denarium unum, pro capra vero inventa in nemore ipsius bealis solvat bampnum denariorum duorum; et haec locum habeant, nisi causa abeverandi, vel transeundi dictum beale locis apertis invenirentur, et intelligantur haec solvi sine alia emenda.

De poena illius, et illorum, qui facient furtum de foeno, et lignis.

Item, quod si aliquis de Thaurino, vel ibi stans furatus fuerit alicui de Thaurino carratam foeni de die, solvat pro bampno solidos xx, si vero de nocte,

(1) Scilicet in nemore ad ripas rivi.

a solvat solidos quadraginta, et non ultra, et furtum, seu dampnum domino restituet; si autem somatam, vel roncinatam, solvat pro bampno solidos decem de die, de nocte vero solidos viginti, et non ultra; fasiliarius vero pro fasso de die, solvat solidos tres, si de nocte solidos quinque, et omnes praedicti dampnum domino restituant. Si autem quis furatus fuerit carratam lignorum de lignario de die solvat pro bampno solidos decem, de nocte solidos viginti; si vero roncinatam, sive somatam lignorum de lignario furatus fuerit de die, solvat pro bampno solidos quinque, de nocte vero solidos decem; fassiliarius vero de nocte solidos quinque, et de die solidos tres. Si quis autem praedicta furta fecerit secando eius herbam, vel ligna virida, vel nemora
b incidendo, solvat praedicta bampna, detracta tamen, et diminuta praedictorum bampnorum medietate secundum determinationem superius scriptam; et haec intelligantur de illis malefactoribus, qui per iustam ignorantiam vicinitatis, vel confinitatis, vel alio iusto errore se non poterunt excusare; si vero fuerit forensis, qui praedicta dampna, seu furta fecerit, teneatur iudex, vel rector, si in eius fortiam pervenerit, ipsum personaliter detinere quousque dicta bampna dictus fur solverit, et dampnum similiter restituerit; quod dampnum, tam cives, quam extranei semper restituere teneantur, et si fur non fuerit solvendo, corporalem poenam substineat arbitrio iudicis moderandam; si autem in eius fortiam venerit, teneatur iudex, vel rector suo posse dare
c opem, et auxilium pro viribus bona fide, quod dampnum in duplum domino restituatur ex bonis ipsius malefactoribus sacramento ipsius domini declarandum etc.

De poena illius, qui caperet stipulam in campis alienis.

Item, statutum est, ne aliquis debeat capere stipulam in campis alienis, qui sint in finibus Thaurini, et qui contrafecerit det pro bampno cuiuslibet carratae solidos tres, et pro pondere bestiae denarios duodecim, et totidem qui supra dorsum eam portaret, et quilibet possit ei auferre stipulam.

d *De poena illius, qui incideret, stirparet, vel devastaret plantam alienam alevatam viridem.*

Item, teneatur iudex, vel rector excutere pro bampno a quolibet incidente, et devastante, seu stirpante plantam alienam alevatam, et viridem primo anno eiusdem, solidos duos, secundo anno solidos tres, tercio anno solidos quinque, ab inde vero in antea, solidos xx; de arbore vero, seu planta fructifera duplum, secundum determinationem praedictam, et non ultra excutere teneatur, et haec intelligantur si praedicta fuerint de die, si vero de nocte dicta bampna debeant duplicari, et si dampnum dantes non habuerint unde solvere, si bampnum fuerit usque ad solidos xx, vel minus,

ponantur in berlina, et ibi morari, et custodiri a
debeant duabus partibus diei, et postea verberari fortiter, et frustigari a porta Phibellona usque ad portam Secuxinam, et in bampno perpetuo poni quousque solverint dictum bampnum; si vero dicta bampna ascenderint ultra solidos xx, nec fuerint solventes, signentur ferro calido in facie, seu in fronte si pervenerint in fortiam iudicis, vel rectoris, et nichilominus bampnum, sive dampnum restituant secundum formam capituli de emendis restituendis.

Quod nullus extraneus, vel forensis audeat, vel praesumat incidere, seu incidi facere per se, vel alium in nemoribus aliquibus existentibus in finibus, seu poderio civitatis Thaurini. b

Item, statutum est, quod nullus extraneus, vel forensis audeat, vel praesumat incidere, seu incidi facere per se, vel alium in nemoribus aliquibus existentibus in finibus Thaurini, seu poderio, sive in ipsis vineis, vel nemoribus, pratis, vel aliis possessionibus finium civitatis praedictae dampnum dare per se, vel per alium publice, vel occulte, et qui contrafecerit incurrat pro bampno pro quolibet, et qualibet vice poenam solidorum sexaginta de die, et de nocte duplum, et bestias, et currus, et asiamenta alia, et res, quae, et quas duceret, vel haberet secum dando offensionem praedictam, ipso facto perdat, et amittat ultra, et praeter alias poenas in capitulis dictae civitatis contentas, qua- c
rum poenae, bestiarum, curruum, et asiamentorum, ac rerum praedictarum medietas sit accusatoris, et quilibet bonae famae possit esse accusator, et eius iuramento super hoc credatur, possitque capere, et detinere, ac arrestare dictos offendentes, si reperti fuerint in dictis dampnis, et eos personaliter ducere apud Thaurinum cum bestiis, et rebus praedictis auctoritate propria, absque alicuius poenae incursione, praesentando tamen ipsos offendentes, et bestias, et res praedictas ipsa die, vel sequenti, postquam detenti fuerint, in manibus curiae, seu clavariae civitatis Thaurini pro domino Comite; statuentes etiam quod praedicta bampna a dictis forensibus exigi possint, et excuti absque aliqua condempnatione, dummodo infra terminum sex dierum, post- d
quam detenti fuerint ipsi offendentes, legiptimam non fecerint defensionem in manibus domini iudicis supradicti. Eo salvo, quod praesens capitulum non vindicet sibi locum, quoad viatores, vel mercatores, quos non esset verisimile meare offensionis de causa, seu occasione dandi alicui personae, vel in rebus alicuius dampnum.

De illis, qui extraherent de alieno solo plantam.

Item, ordinaverunt, quod illi, qui extraherent de alieno solo plantam aliquam, seu vitem, solvant pro qualibet planta devastata arboris, seu vitis solidos decem pro qualibet, et qualibet vice, et quilibet possit accusare, et habeat tertiam partem bampni, et dampnum domino restituat, qui hoc fecerit.

De expellendo quemcumque inventum in dampno suo.

Item, liceat cuicumque expellere quemlibet, quem invenerit in suo dampno, vel illius, de cuius familia fuerit, sine poena, et ipsi pignus de dampno dato auferre, tamen sine vulnere, et sine iniuria sanguinis; si vero dare noluerit pignus, et dominus, vel nuntius suus non poterit ei auferre, vel noluerit, solvatis, qui pignus negaverit, solidos xx pro bampno, quod si solvere non poterit, amittat pugnum, vel pedem, et sibi dampnum in duplum restituat: de qua accusa domino, vel eius misso credatur eius sacramento; et hoc locum habeat si dampnum dans fuerit de iurisdictione Thaurini. Emendatum est, quod capitulum istud habeat locum contra extraneos, et contra non solventes taleam in Thaurino, sine poena tamen amissionis pedis, vel manus.

De poena illius, qui ceperit portas, cadera, sive clavaturas in hortis alienis.

Item, qui ceperit portas, cadera, sive clavaturas, vel portellas in vinea, vel hortis alienis det pro bampno solidos decem, et dampnum domino restituat.

De dampnis datis in bonis forensibus per grossas bestias.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod si bestiae grossae inventae fuerint dampnum dantes in bladis, seu marzenghis, vel vineis, seu raperiis, vel hortis, seu altenis alicuius (1) solvatur pro qualibet bestia grossa turonus unus grossus pro bampno, et totidem pro emenda, et plus si dampnum plus ascenderet iuxta declarationem sacramento domini, vel accusatoris faciendam, et dominus bestiarum dictum bampnum, et emendam solvere teneatur, si boverius, seu custos non habuerit unde solvat, et non fuerit personaliter inventus; domino vero ipsum boverium, seu custodem praesentare non valente, possit ipse ad solutionem praedictam compelli. In pratis vero alienis solvat dominus grossarum bestiarum per modum superius declaratum duas partes unius grossi turoni, et totidem pro emenda pro qualibet vice pro bestia grossa, quae inventa fuerit dampnum dare. Bestiae vero grossae intelligantur boves, vacchae, equi, equae, asini, asinae, muli, mulae, et vituli uno anno maiores; solutio vero dicti turoni grossi intelligatur, et recipiatur ad rationem, valorem, et computum duodecim turonorum grossorum pro uno bono floreno auri.

(1) *Altenum* pro vinea.

De dampnis datis per bestias minutas in bonis forensibus.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod dominus bestiarum minutarum inventarum in bladis, vel marzenghis, seu rapis alienis, aut vineis, hortis, vel altenis solvat denarios sex pro bampno, et totidem pro emenda pro qualibet bestia, et qualibet vice, et in pratis denarios quatuor, et totidem pro emenda, et plus si dampnum magis ascenderet iuxta declarationem domini, vel accusatoris faciendam, et de bampno solvendo per pastores intelligatur prout in infrascripto capitulo continetur. Et intelligantur bestiae minutae caprae, porci, et bestiae lanutae.

De non ponendis bestiis in alienis pratis infra tempus in praesenti capitulo declaratum.

Item, statutum est, quod bestiae grossae, et minutae non possint, vel debeant pascuare, vel dampnum dare in pratis, quae adaquantur citra flumen Duriae magnum et citra Padum existentibus in primo fine a kalendis mensis marcii usque ad festum sancti Thomae; in aliis vero pratis, quae adaquantur in aliis finibus in poderio Thaurini, sint in bampno a kalendis aprilis usque ad festum omnium Sanctorum; in pratis vero, quae non adaquantur, sint in bampno a festo sancti Georgii usque ad festum sancti Michaëlis, et ultra terminum declaratum praedictae possint bestiae illorum de Thaurino pascere ad eorum voluntatem absque aliqua poena, vel bampno.

De poena illius, qui duceret, vel intrare permitteret aliquam bestiam in aliqua taglata.

Item, statutum est, quod nullus ducat, vel intrare permittat aliquas bestias ad pascendum in aliquam taglatam, et qui contrafecerit, solvat ductor, vel custos, aut dominus de salario ipsius bampnum, et emendam prout, et sicut inventae essent bestiae in bladis; deficiente vero salario, et facultatibus custodis, ipso custode se absentante, dominus bestiarum solvat de suo proprio bampnum supradictum, et emendam, et intelligatur taglata infra duos annos.

De bampno extranearum personarum, quarum bestiae essent inventae in finibus Thaurini.

Item, statutum est, quod si aliqua bestia alicuius extraneae personae, quae non sit de iurisdictione civitatis Thaurini, inventa fuerit pascuando, seu pascendo in possessionibus personarum civitatis Thaurini, vel in gerbis Communis Thaurini, solvat pro bampno, ultra alias poenas in capitulo civitatis Thaurini contentas, solidos quinque pro qualibet bestia grossa, et pro qualibet bestia minuta solidos duos, et totidem pro emenda; et intelligatur

a extranea persona, quae non solvit Communi Thaurini taleas, aut quae non habitat in ipsa civitate cum foco, et catena prout alii cives, dummodo origine non esset de Thaurino; hoc salvo, quod praesens capitulum non habeat locum in bestiis mercatorum transeuntibus per fines civitatis Thaurini, moram non trahentibus super ipsos fines ultra tres dies.

De bampnis porchorum rumantium aliena prata duplicatis.

Item, quod bampna porchorum aliena prata rumantium, vel pascentium ultra Sturiam sint duplicata.

b

De duplicatis bampnis super animalibus de die, et quadruplicatis de nocte.

Item, quod duplicentur omnia bampna bestiarum, et animalium super bonis forensibus de die quadruplicentur bampna, et emendae in datis dampnis de nocte, et in mane, priusquam portae civitatis aperiantur, contra illos, qui tenent animalia in parchis, et suburbiis civitatis.

De dampno de nocte dato, de quo non reperitur dampnum dans, emendando per bergerios proximorum parchorum.

c Item, statutum est, quod si dampnum aliquod datum fuerit in aliqua possessione finis Thaurini de nocte, et non reperiatur persona, quae dictum dampnum dedisset, quod bergerii vicinorum parchorum proximiorum possessioni dampno datae, seu unius parchi, si unicus fuerit in fine, ubi dampnum datum fuerit, teneatur ipsum dampnum emendare, et bampnum, et emendam solvere, ac si fuerint inventi dicti bergerii dampnum faciendo; et si dicti bergerii non haberent unde solvere, et bergerii personaliter non invenirentur, quod domini parchorum, seu parchi ad praedicta dampna, et emendam, et bampna teneantur.

d

De illis, qui iurare voluerint semel in anno accusas animalium iuste facere.

Item, quod si quis semel in anno iurare voluerit accusas animalium iuste facere de dampnis datis propriis credatur ei, postea toto illo anno, sine alio postea faciendo iuramento, accusando, et dicendo per iuramentum quod processerit, ac si super qualibet accusatione iuratum fuisset.

De bampnis, fictibus, et redditibus, quae debentur, Domino quod solvantur ad monetam Viannensem.

Item, statutum est, quod bampna, fictus, et redditus, quae debentur Domino, et debebuntur, seu commissa sint, et committi contigerit in futu-

rum ad monetam viannensem ipsi Domino persolvantur, ponendo, sive solvendo tres denarios astenses pro duobus viannensibus.

De bestiis capiendis impune inventis in suo dampno.

Item, statutum est, quod quicumque invenerit in dampno suo, patris, vel domini sui animalia aliena, possit ea impune capere, et ducere ad domum suam, vel patris, vel domini sui, si ea invenerit sine custode, vel non cognosceret cuius essent, denunciando tamen curiae ipsa die.

De custodiendis bestiis per vacharios, porcharios, et cravarios, et modo solutionis eis fiendae.

Item, quod vacharii, et cravarii teneantur custodire bestias ab introytu mensis martii usque ad festum sancti Thomae quolibet anno; porcharii vero ab introytu mensis martii usque ad festum sancti Martini, et sint astricti praefati custodes bestiarum infra dicta tempora personaliter, et continue ire, et stare ad custodiam ipsarum bestiarum, vacharum, et porchorum dum steterint ad pascendum; vacharius vero pro custodia cuiuslibet grossae bestiae habeat, et exigere possit quartanos tres siliginis, et pro duabus bestiis minutis totidem; cravarius vero pro custodia cuiuslibet caprae habeat, et exigere possit eminam unam siliginis; porcharius vero pro quolibet porcho quartanum unum siliginis; et praedictae soluciones fiant in grano, si placuerit dominis bestiarum; si vero placuerit dominis bestiarum solvere in pecuniis, possint dictum salarium dictarum bestiarum custodum solvere ad rationem pro quolibet sestario siliginis solidorum sex viannensium, et ab inde infra pro rata in electione dominorum dictarum bestiarum custodiendarum.

De poena illius, qui alienam blavam, vel communem, inscio domino, secaverit, vel stirpaverit postquam nodata fuerit.

Item, si quis alienam blavam, vel communem, inscio domino, secaverit, vel stirpaverit postquam nodata fuerit, solvat pro bampno pro fasso, seu onere solidos quinque si fuerit de die, de nocte vero duplum, et totidem domino possessionis pro eius dampno; si vero dicta blava non fuerit nodata, medietatem dicti bampni solvat, et eodem modo dampnum restituat; appellatione autem blavae intelligantur omnes fructus agrorum.

De poena illius, qui messuerit, vel inciderit fassum alieni goreti, vel venghi.

Item, statutum est, quod quilibet, qui inciderit, vel messuerit fassum alieni goreti, vel venghi, seu alienum venghum excalvaverit, solvat pro quolibet, et qualibet vice solidos tres, et totidem pro emenda; et si solvere non poterit dampnum, et emendam, frustigetur per civitatem, vel ponatur ad berlinam arbitrio iudicis, vel rectoris; et si forestarii nescirent dicere, vel accusare qui praedicta damna dederit, vel fecerit, teneantur forestarii, sive custodes solvere solidos tres pro emenda domino rei, et restituere cuilibet fassos, et teneantur semper accusare omnes, quos invenerint praedicta damna dantes.

De poena illius, qui secaret in pascuis Communis Thaurini.

Item, statutum est, quod nullus debeat secare in pascuis Communis Thaurini; et qui contrafecerit, solvat pro bampno pro quolibet fasso solidum unum, et pro qualibet somata solidos tres, et pro qualibet carrata solidos octo, et dampnum restituat Communi Thaurini; et quilibet possit esse accusator, et habeat medietatem bampni, et quod liceat cuilibet civi, vel habitatori Thaurini ibi cum suis bestiis pascuare sine poena.

De non vendendo alicui extraneo foenum, vel herbam.

Item, quod nullum foenum, vel herba vendatur alicui extraneo in Thaurino, vel in Grugliasco habitanti, vel pratum aliquod concedatur in finibus Thaurini; et qui contrafecerit, solvat pro bampno pro qualibet vice solidos decem, et venditio, seu talis alienatio non valeat, nec teneat.

De poena illius, qui alienam vineam intraverit, faciendo furtum de palis, vel lignis, et de aliis fructibus.

Item, si quis alienam vineam intraverit, faciendo ibi furtum de palis, vel lignis, vel aliis, solvat de die solidos duos pro bampno, de nocte duplum, et dampnum domino restituat; si vero ibidem fructus aliquos, praeterquam de uvis, sine domini voluntate acceperit, simile bampnum solvat; si vero ibidem intraverit postquam fuerit vindemiata usque ad kalendas augusti sequentis, nisi fuerit operarius ibidem laborans de voluntate domini, vel nisi fuerit cum domino vineae, vel cum aliquo de eius familia, venator, vel aucupator solvat pro bampno denarios quatuor; et si a kalendis augusti in antea inventus fuerit in ea, nec fuerit vindemiata, solvat pro bampno solidos duos, et dampnum domino restituat; si autem uvas ibi acceperit, solvat pro qualibet uva, praeter praedictum bampnum, denarios quatuor pro bampno, et si alios fructus in vineis acceperit, solvat pro bampno solidos duos absque bampno de introytu vineae, et si alibi fructus arborum ceperit, quam in vineis, solvat pro bampno solidos duos, et dampnum domino semper restituat.

De poena illius, qui vinum furtive faceret ultra Padum in tinis, vel aliis vasibus. a

Item, quod nullus debeat facere vinum furtive ultra Padum in tinis, vel aliis vasibus; et qui contrafecerit, solvat pro bampno pro qualibet vice solidos decem, et dampnum domino restituat.

De rapolatoribus non intrandis in vineas, donec vineae fuerint vindemiatae.

Item, quod nullus rapolator intret causa rapolandi in vineam alicuius custodiae, donec omnes vineae ipsius contratae fuerint vindemiatae; et qui contrafecerit, solvat pro bampno denarios duodecim pro qualibet vice. b

De non apportandis uvis, vel portari faciendis de vineis, vel altenis tam de ultra Padum, quam citra.

Item, statutum est, quod nulla persona cuiuscumque conditionis, vel status existat, apportet, seu apportari faciat de vineis, vel altenis tam de ultra Padum, quam citra existentibus aliquam uvam acerbam, vel agrestem, vayram, vel maturam, aut aliam uvam in agresto, in vayritate, seu maturitate existentem alio tempore, quam tempore vindemiarum, et data licentia vindemiandi per credentiam Thaurini, et hoc sub poena sex denariorum viannensium pro quolibet, et qualibet uva c agresti, vayra, vel matura tociens committenda, quotiens contrafactum fuerit, vel contraventum; quae poena exigatur tam a portante, quam ab apportari faciente, et committatur contra ipsos pro qualibet vice, et qualibet uva ut supra, et totidem pro emenda solvenda illi, seu illis, de cuius, seu de quorum vinea, vel alteno cepisset huiusmodi uvam, seu uvas; eo salvo, et excepto, quod si esset aliqua persona, quam notorium esset, seu manifestum, habere vineam, vel altenum in territorio Thaurini, et quam verisimile sit ad proprium usum uti agresto in domo sua, quod talis persona, petita prius licentia super hoc a vicario, vel iudice dictae civitatis, et ea obtenta, vel data a vicario, et iudice, seu altero ipsorum, quod talis persona, prius tamen praestito d iuramento per ipsam, ubi ipsamet apportare velit, vel per nuncium ad hoc destinandum, ubi per alium apportari facere velit, quod de vinea propria ipsius mittentis apportabit, vel de sua propria, possit duas, tres, vel quatuor corbellas, aut ultra, secundum quod verisimile erit ipsum indigere agresto ad usum proprii hospitii, apportare, vel apportari facere; eo salvo, et excepto, quod habentibus vineas proprias, seu altena propria licitum sit in vigiliis ieiuniorum, et in die veneris, vel sabbati apportare, vel apportari facere sex uvas tantum, et non ultra; et si, quod absit, ultra sex quis apportaret, vel apportari faceret, vindicet sibi locum poena supradicta pro qualibet uva ultra sex; eo salvo, et excepto, quod si qua persona habens vineam propriam, vel altenum, in quo, vel in qua uvae putrefierent, marcidarent, vel aliter deteriorarentur, petita, vel obtenta licentia a dominis vicario, et iudice, vel altero ipsorum, et facta prius denuntia per praedictam personam, seu alium eius nomine aliquibus ex convicinis suis habentibus vineas confines, vel altena confinia suis, sicut ipse vult colligere, et colligi facere dictas uvas tali die, possit licite, et impune dictas uvas colligere, et colligi facere, et de licentia praedicta petita ut supra, et data credatur simplici verbo vicarii, vel iudicis praedictorum, et de denuntia praedicta facienda credatur iuramento denunciantis absque aliis probationibus, seu defensionibus super hoc faciendis; similem vero poenam incurrant quocumque tempore tam vindemiarum, quam alio capientes, seu capi facientes uvam, seu uvas cuiuscumque generis in alienis vineis, seu altenis, quam in suis propriis absque voluntate illius, seu illorum, cuius, seu quorum essent huiusmodi uvae, seu alteni.

De poena ordinata facientibus contra praedicta ordinamenta.

Item, statuerunt, et ordinaverunt, quod facientes, et venientes contra formam, et tenorem praesentis suprascripti statuti, et ordinamenti, incidant pro quolibet, et qualibet vice, ac qualibet uva in poenas in eis contentas, et ipsas poenas solvere nequeuntes, seu non valentes ponantur ad catenam, seu ad berlinam, et ibi stent tanto tempore, quanto videbitur iudici, et per terram frustigentur.

Quod nulla persona a tempore festi sancti Iohannis Baptistae usque ad festum sancti Martini audeat transire flumen Padi, nisi per pontem.

Item, statutum est, quod nulla persona debeat ire, vel redire, seu transire ultra Padum durante fine Thaurini per alium locum, quam per pontem Padi, maxime a festo sancti Iohannis Baptistae usque ad festum omnium Sanctorum, sive sancti Martini, quoquomodo ad vadum, aut super navim, seu aliter; et contrafacientes incurrant poenam solidorum sexaginta pro quolibet, et qualibet vice, in quam poenam etiam incidant nautae, et piscatores, et aliae personae vehentes, et transeuntes aliquam personam ultra Padum. Quod quidem capitulum locum sibi non vindicet in casu, quo contingeret equites, vel homines Thaurini ratione cursae, quae fieret per inimicos, vel alios ultra Padum, vel rumoris, seu tumultus, cuius occasione contingeret pulsari in dicta civitate ad stremitam ultra Padum transire, quo casu licite impune transiri possit etiam per alium locum, quam per dictum pontem.

De poena campariorum, qui caperent campariam in campo.

Item, statutum est, quod camparii non capiant, nec capere possint eorum campariam in campis, sed ad domum illorum, qui illam dare debuerint; et camparius, qui contrafecerit, solidos duos solvat pro qualibet vice; illi vero, qui dare debuerint campariam, non prohibeant camparios eam capere domi, et qui contrafecerit, solvat duplum ipsis campariis. Emendatum est quod ipsi camparii possint eam capere in campis praesentibus dominis, vel aliquo de eorum familia, et aliter non; idem intelligatur de decimis.

Quod duo ex campariis stent unus ad pontem Padi, alter ad pontem Duriae.

Item, statutum, quod unus ex campariis de ultra Padum, et alter de ultra Duriam, seu Sturiam teneantur continue stare ad pontes, videlicet unus ad pontem Padi, alter ad pontem Duriae, et quilibet bonae famae possit accusare, et hoc sub poena, et bampno pro quolibet ex campariis solidorum quinque, et credatur iuramento accusantis, et accusator habeat terciam partem bampni.

De poena illius, qui poneret ignem in nemoribus alienis sine domini voluntate prope civitatem per septem milliaria.

Item, si quis ignem posuerit in nemoribus alienis sine domini voluntate prope civitatem per septem milliaria, quae nemora pertineant ad aliquem civem Thaurini, amittat pedem, vel manum, nisi illum, vel illam redemerit de solidis centum, et dampnum restituat; si vero aliter ignis evaserit de suo in alienum, culpa ipsius ignem ponentis, solvat pro bampno solidos xx, et nichilominus dampnum emendet sine libello, et iudiciorum strepitu in extimatione bonorum hominum.

De ovibus, et bestiis venientibus, et redeuntibus per fines Thaurini ad alpes, vel in invernaliam, vel occasione mercantiae, possint ire, et redire sine bampno.

Item, statutum est, et ordinatum, quod omnes oves, et bestiae venientes, euntes, et redeuntes per fines Thaurini ad alpes, vel ad invernaliam, vel occasione merchandiae, possint ire, et redire sine bampno, et poena per fines Thaurini, dummodo non committant fraudem in pedagio, vel dampnum dando hominibus Thaurini, et forestarii teneantur esse, quando multitudo ovium, bestiarum transitum fecerit per fines Thaurini, ad praecavendum, ne dampnum dent, vel faciant, aliquo capitulo facto, vel faciendo in contrarium non obstante.

a *De poena illius, qui caperet, vel portaret aliquid super aliquibus curris sine voluntate ducentis currum.*

Item, quod nulla persona debeat capere, vel auferre aliquid super aliquibus curris sine voluntate ducentis currum, occasione clavium portarum, vel custodum earum, vel alia quacumque occasione, vel causa, sub poena unius solidi pro qualibet persona, et qualibet vice, et quilibet possit esse accusator, et habeat medietatem bampni.

De gerbis alicui officiali non dandis.

Item, statutum est, quod nullus de Thaurino,
b vel ibi habitans, vel aliunde, cuiuscumque conditionis existat, audeat de caetero petere, exigere, vel recipere ab aliquo cive Thaurini, seu ibi habitante aliquas gerbas bladi, nec e converso aliquis civis, vel habitator Thaurini, vel Gruglaschi praesumat dare aliquas gerbas alicui personae; et qui contrafecerit, solvat pro quolibet, et qualibet vice, et qualibet gerba solidos quinque nomine poenae, exceptis campariis, qui ipsas gerbas habere debent ex solutionibus decimarum iuxta formam capituli suprascripti.

De palis, vitibus, et sermentis non aportandis.

Item, statutum est, quod nullus de Thaurino,
c vel ibi habitans audeat, vel praesumat apportare, seu facere apportari super se de sua vinea, vel aliena palos, vites, vel sermentas de ultra Padum, et hoc sub poena, et bampno solidorum quinque pro quolibet, et qualibet vice; in quo quidem ordinamento non sint astrictae aliquae mulieres; sed licitum sit unicuique mulieri palos, vites, et sermentas apportare ad earum omnimodam voluntatem impune, et sine bampno de earum vineis, et quod contra dictum ordinamentum vicarius, nec iudex, nec aliquis eorum possint licentiam concedere, nisi cum curru, et bestiis, cuius poenae tercia pars perveniat ad accusatorem, et duae partes ad dominum Comitem.

d *De poena intrantium alienas possessiones.*

Item, statutum est, quod quaelibet persona, quae intraverit altenum, seu vineam, aut hortum alterius personae in finibus, et poderio Thaurini absque voluntate domini ipsius vineae, alteni, seu horti, solvat pro bampno, et nomine poenae pro ipsa intrata de die solidos quinque, et totidem pro emenda, et de nocte duplum; et si in ipsis altenis, vineis, vel hortis ceperit aliquos fructus, solvat pro qualibet uva denarios sex, et totidem pro emenda, et pro aliis fructibus, si fuerint ficus, pira, nuces, poma, vel persica, solvat pro quolibet denarios duos, et totidem pro emenda, et pro quolibet palo alteni denarios sex, et qualibet centurata,

seu pugnata venchi denarios sex, et totidem pro a
emenda de die, et de nocte duplum. De fructibus vero, qui capientur in hortis, et de aliis offensionibus, quae fient in dictis vineis, altenis, vel hortis, ultra alias poenas superius ordinatas, culpabiles, inspecta offensionis quantitate, iudicis arbitrio puniantur, ita quod offensores castigentur, et suum merito cognoscant errorem.

De poena capientium columbos.

Item, statutum, quod nulla persona audeat capere in Thaurino, vel finibus columbos aliquos cum filatis, vel aliquibus ingeniis, nisi essent columbi faverii, et nisi ipsos caperet ad suum columbarium; et qui contrafecerit, solvat pro quolibet, et b
qualibet vice solidos viginti, et licitum sit cuicumque illi, qui contrafecerit, auferre, vel vastare filatos, cum quibus caperet dictos columbos.

De via, quae est prava ad eundum.

Item, statutum est, quod si quis habuerit in directo suae possessionis aliquam pravam viam, occasione aquae labentis ad dictam suam possessionem, quod idem, qui dictam pravam viam habet in directo suae possessionis, teneatur, et debeat dictam viam aptare, et aptatam tenere, alias sit licitum vicinis licite, et impune cum curru, et bestiis ire, et redire per possessionem praedictam illius, qui dictam viam haberet per directum suae possessionis c
non bonae; et accusae inde factae non valeant, et credatur sacramento accusati.

De aqua bealeriae non devianda indebite.

Item, statutum est, quod nullus de caetero audeat, vel praesumat deviare, vel deviari facere per se, vel per alium aquam bealeriae Choleaschae decurrentem a ficha, seu bichocha magnae Duriae usque in Padum extra civitatem, et suburbia, seu versus canalem portae Secuxinae, nec etiam aquam exeuntem de civitate extra muros ipsius civitatis in toto, vel in parte, nisi dumtaxat diebus, et horis ad ipsum in eadem aqua, seu aquis pertinentibus, et concessis, nec aliquis aliquod obstaculum po- d
nere, seu facere, vel poni, seu fieri facere, quominus aquae praedictae integre labantur, et discurrant ad possessiones quorumlibet, quorum ipsae aquae fuerint suis diebus, et horis, ut superius declaratur; et qui contrafecerit, solvat nomine poenae pro quolibet, et qualibet vice solidos viginti de die, et de nocte duplum, et dampnum restituat. Additum est, quod eo ipso, quod dicta aqua, vel pars ipsius aquae inventa fuerit deviata, et labens in prato, seu possessione alicuius horis, vel diebus ad eum non pertinentibus, intelligatur ille, cuius fuerit pratum, seu possessio, ipsam aquam deviasse, seu deviari fecisse, et dictam poenam incurrat, nisi dumtaxat iuraverit ipse dominus dicti prati, sive possessionis ad sancta Dei evangelia in manibus dictae curiae infra terminum defensionis sibi propter hoc datae, seu dandae, quod dictam aquam ad suam possessionem, seu pratum sic deviatam non deviavit, nec devirri fecit, nec scit qui deviaverit, sed eo inscio, et ultra suum velle facta extitit deviatio praedicta, ita tamen quod sub iuramento praedicto teneatur ille, qui sic ad suam defensionem iuraverit nominare, si sciverit eum, qui deviaverit aquam praedictam ad suam possessionem, eo inscio; et quilibet bonae famae de praedictis possit accusationem, et denunciationem facere, et ei credatur cum praestatione iuramenti absque alia probatione.

De pellibus non lavandis in aqua labente per civitatem Thaurini, et aqua alicuius tincturae non prohycienda in viis.

Item, statutum est, quod nulla persona aquam alicuius tincturae, seu alicuius tinzariorum proiiciat, seu proiici faciat in viis, seu in strata Thaurini, aut aliquas pelles lavet in aqua, quae labitur per Thaurinum, sub poena pro quolibet, et qualibet vice solidorum decem, et quilibet bonae famae possit accusare, et credatur eius iuramenta, et habeant terciam partem bampni.

De capris non ducendis simul cum aliis bestiis lanutis, vel porcinis.

Item, statutum est, quod nulla persona audeat, vel praesumat ducere, vel duci facere aliquam capram cum aliquibus bestiis lanutis, vel porcinis, sub poena solidorum quinque pro quolibet, et qualibet vice, et quilibet bonae famae possit exhinde accusare, et habeat terciam partem bampni, et ei suo iuramento credatur; et quod camparii teneantur eorum iuramento accusare ducentes capras, et contra praedicta facientes.

De persona non habente possessiones in finibus Thaurini apportante fructus aliquos licite, et impune capienda, et arrestanda.

Item, statutum est, quod si reperiatur aliquam personam portare, vel quae portaverit de finibus civitatis Thaurini versus civitatem praedictam, vel suburbia aliquos fructus, ligna, foenum, bladum, legumina, rapas, hortalia, uvas, nuces, melicam, vel aliquos alios fructus, et illa talis persona non habeat, vel possideat aliquas possessiones in Thaurino, vel finibus, ubi possit illas res cepisse, quod licitum sit unicuique personae illam talem personam cum rebus praedictis, et fructibus personaliter detinere, et ducere in fortiam vicarii, vel iudicis, et ibi ipsam arrestare quousque solverit bampnum infrascriptum, vel monstraverit, ubi dicta bona, vel fructus ceperit, et praedicta facere teneantur camparii eorum iuramento, et si illa talis persona non

habuerit unde solvere possit bampnum, personaliter a arbitrio iudicis, et iuxta qualitatem personae, et dampni dati puniatur; et accusator habeat terciam partem bampni, et quilibet bonae famae possit accusare, et ei cum iuramento credatur, et solvat illa talis persona, quae inventa fuerit, ut supra duplum quantitatis bampni contenti in aliis capitulis civitatis Thaurini, et praedicta intelligantur tam in Grugliascho quam in Thaurino, quae talis persona possit condempnari, ut supra, ac si inventa esset personaliter dampnum dando.

De poena illius, qui inciderit, vel excrolaverit aliquam arborem plantatam.

Item, statutum est, quod si aliquis inciderit in b toto, vel in parte, vel aranchaverit, vel excrolaverit sursum trahendo aliquam arborem plantatam, vel plantam aliquam, vel plantonum, sive fuerit fructifera, sive non, solvat pro poena solidos quinque pro quolibet, et qualibet vice, et totidem pro emenda, et quilibet possit accusare, et credatur eius iuramento.

Quod nulla persona possit apportare per se, vel per alium super aliquo ingenio de ultra Padum aliquas uvas, vel mustum transeundo per flumen Padi.

Item, statutum est, quod nullus nauta, piscator, vel alius possit, vel debeat sibi, vel alteri c personae de nocte, vel de die transire, vel apportare in navi, vel alio ingenio navigabili de ultra Padum citra Padum uvas, vel mustum, seu utrumque simul, vel aliter transeundo per flumen Padi, sub poena solidorum centum pro quolibet, et qualibet vice, ac restitutione emendae dampni inde dati etc.

Quod nulla persona audeat iacere ultra Padum de nocte a tempore festi Sanctae Mariae de medio augusto, usque ad festum sancti Martini.

Item, statutum est, quod nulla persona a tempore festi beatae Mariae de medio augusto, usque ad festum sancti Martini possit, vel debeat iacere de d caetero de nocte ultra Padum, sub poena pro quolibet, et qualibet vice solidorum decem, exceptis vigilantibus in honorem Dei, et Sanctorum in aliqua ecclesiarum de ultra Padum in finibus Thaurini causa voti adimplendi, iurantibus tamen si, inde accusati fuerint, quod praedicta de causa ultra Padum in dicta ecclesia tota nocte steterunt; qui sic vigilantes una cum sociantibus eos impune, et absque aliqua poena possint in dictis ecclesiis de ultra Padum, vel altera earum in dictis vigiliis pernoctare, praestito etiam iuramento per eos, quod causa adimplendi votum, vel causa associandi voventem, vel vigilantem steterunt dicta nocte in dicta ecclesia ultra Padum, et eo salvo, quod quilibet habens vineam vel vineas ultra Padum, possit tenere custodes in qualibet vinea sua, dummodo idem custos sit bonae famae, et iuret in manibus domini vicarii, vel iudicis, seu domini vineae non dare dampnum alicui personae, et dummodo de ipso custode tenendo obtineatur licentia a domino vicario, vel a domino iudice supradictis. De qua sic obtenta licentia credatur verbo simplici ipsorum dominorum vicarii, vel iudicis, seu domini vineae absque alia probatione, seu defensione quacumque.

De musto non portando in barleto, vel alio vase, nisi tempore vindemiarum.

Item, statutum est, quod nulla persona possit, vel debeat de vineis, vel altenis finium Thaurini portare, vel portari facere mustum in barleto, vel in alio vase in alio tempore, quam tempore vindemiarum, et dicta licentia vindemiandi prius data per credentiam Thaurini, sub poena solidorum viginti pro quolibet, et qualibet vice, nisi in casu contento in fine supradicti primi capituli, videlicet, ubi data esset alicui licentia colligendi, et apportandi de vineis, et de altenis propriis uvas marcidas, seu quae deteriorarentur etc., prout in eo continetur, cui capitulo per praesens capitulum minime derogetur.

De bubulcis, et pastoribus extrahentibus uvas de alienis possessionibus.

Item, statutum est, quod bubulci, et pastores uvas, et faxelatas uvarum de vineis, vel altenis extrahentes incurrant ultra praedicta, et praeter poenas in capitulis praecedentibus contentas, poenam amissionis ipsorum salarii, sive de vineis ipsorum dominorum sine ipsorum consensu, sive de alienis eas extraxerint, quod quidem salarium dominus bubulci, seu pastoris sic committentis possit, et valeat si voluerit praedicta de causa retinere, et lucrari, nec ius aliquod ipsis bubulcis, vel pastoribus de huiusmodi salario reddi debeat in casu praedicto.

Quod omnes camparii finium civitatis, et districtus Thaurini ultra iuramentum per ipsos praestitum teneantur iurare annuatim.

Item statutum est, quod camparii ultra Padum, et de citra Padum, nec non custodes pontis Padi, et Turrium, et etiam custodes portarum, qui nunc sunt, vel per tempora erunt, et deputabuntur ad custodias, et camparias huiusmodi, licet alias iurent in ingressu ipsorum officii, si non iuraverint specialiter, et expresse super praedictis, et infrascriptis, teneantur tamen, et sint astricti annuatim iurare octava die mensis augusti, vel per quatuor dies ante dictam octavam, vel per quatuor post, lectis tamen eis, et expositis prius dictis ordinamentis, quod diligenter, et sollicite inquirent, ac recer-

cabunt uvas praedictas, quae contra formam, et a praeter formam horum ordinamentorum apportarentur, seu apportabuntur in corbellis, canestris, seu paglaliis, et caeteris vasis, quodque ipsos apportantes remoto odio, amore, timore, precio, precibus, et parentella accusabunt curiae Thaurini, uvasque ipsis apportantibus auferre, et dictae curiae tradere, et praesentare, custodiamque, et officium ipsorum facere cum diligentia super praedictis, et dependentibus ex eisdem; et quod camparii, et custodes, qui nunc sunt praedictum debeant, et teneantur praestare iuramentum specialiter, et expresse super praedictis, prout in hoc capitulo continetur; et quod custodes pontis Padi, qui nunc sunt, et per tempora erunt, iurare teneantur, quod accusabunt camparios, et quemlibet campariorum, et sociorum suo- b rum quam cito sciant ipsos delinquere, vel negligere in praedictis, vel super praedictis, et quolibet praedictorum; et e converso, quod camparii dictae finis de ultra Padum teneantur iurare, quod accusabunt custodes pontis Padi, et quemlibet ipsorum, et etiam quemlibet suorum sociorum campariorum, qui delinquerunt, vel neglexerunt in praedictis, et super praedictis in hiis contentis ordinamentis, vel altero ipsorum, et quod quilibet ad campariam, vel custodiam pontis Padi, vel portarum de caetero deputandus super praedictis teneatur specialiter, et expresse praestare dictum iuramentum.

De poena campariorum, et custodum pontis Padi c *apportantium uvas contra formam capitulorum super hoc loquentium.*

Item, statutum est, quod camparii de ultra Padum, vel citra Padum delinquentes in praemissis, scilicet exportantes, vel apportantes uvas de vineis, vel altenis contra, et praeter formam dictorum ordinamentorum, incurrant poenam duplicatam et in duplo puniantur plusquam alii; custodes vero pontis Padi delinquentes in praedictis similem poenam incurrant, et patiantur. Custodes vero portarum ultra, et praeter poenam duodecim denariorum pro qualibet uva sic, ut supra, contra, et praeter tenorem horum ordinamentorum apportata per ipsos, incurrant poenam privationis, et amissionis ipso- d rum salarii, et remotionis ab officio; si vero ipsi camparii, vel custodes fuerint negligentes, vel remissi in cercatione, vel inquisitione, aut accusa, officio, seu custodia praedictis, incurrant poenam solidorum decem pro quolibet, et qualibet vice.

Quod custodes bastiae de ultra Padum, et pontis, ac turrium pontis Padi non possint exire de nocte dictam bastiam, seu pontem.

Item, statutum est, quod custos, seu custodes bastiae de ultra Padum, ac pontis Padi, et turrium, qui nunc sunt, et pro temporibus fuerint, vel ipsorum familiares, aut alia persona non possint, vel debeant de nocte exire dictam bastiam, seu pontem Padi, nec ibi, vel alibi ultra Padum tenere vasa causa tenendi mustum, sub poena solidorum centum, pro quolibet, et qualibet vice; eo salvo, quod tempore vindemiarum, et pro ipsis vindemiis personae habentes ultra Padum vineas, vel altena possint impune uti, et tenere ultra Padum, vasa praedicta necessaria ad vindemiandum, et mustum reponendum, et apportandum.

De iuramento praestando per custodes bastiae, et pontis Padi, et eorum familiares, necnon omnes residentes in ecclesiis finis Thaurini de ultra Padum.

Item, statutum est, quod custodes bastiae, et pontis Padi, et familiares ipsorum, et omnes alii residentes in ecclesiis finis Thaurini de ultra Padum iurare debeant, et teneantur non dare dampnum per se, vel per alium, seu alios in vineis, seu altenis de ultra Padum; quodque domini vicarius, et iudex, vel ipsorum alter singulis annis de medio mensis septembris in antea usque ad finem vindemiarum loca bastiae, et turrium pontis Padi, et dictarum ecclesiarum de ultra Padum facient intrinsecus inspici, et videri, ac visitari per unum ex familiaribus vicarii, vel per unum ex campariis de ultra Padum omni septimana semel, qui cum iuramento referat eisdem, vel alteri ipsorum statum, conditionem, et in quanta quantitate sint uvae, vel mustum in dictis locis, et si ibi inventa fuerint aliqua vasa ad reponendum mustum, et qui semel ex dictis familiaribus, aut campariis visitaverit, non debeat secundario visitare, sed alius ex eisdem.

Quod unus ex campariis de ultra Padum debeat stare de die, et de nocte continue ad pontem Padi a tempore medii augusti usque ad festum sancti Martini.

Item, statutum est, quod camparii de ultra Padum, qui per tempora erunt, et deputabuntur, inter se ordinare debeant, ac facere, et curare cum effectu annuatim, quod unus ex eis stet, et moretur, ac stare debeat a tempore medii augusti in antea usque ad sanctum Martinum continue tam de die, quam de nocte ad pontem Padi, et qui nunc deputati sunt, ex nunc ordinare debeant, quod unus ex eis amodo usque ad festum sancti Martini ibidem stet, et moretur continue tam de die, quam de nocte, et hoc sub poena solidorum viginti pro quolibet, et qualibet vice, quae contra factum fuerit committenda contra ipsos camparios tam deputatos, quam deputandos, et contra quemlibet ipsorum in solidum exigenda, scilicet ab inobedientibus, et contravenientibus, seu contempnentibus adimplere praedicta.

De custodiendis rapis, et ravinalibus per camparios.

Item, quod omnes camparii debeant, et teneantur custodire tam rapas, quam ravinalia apostata, et caetera bona, et fructus hinc ad festum sancti Andreae, et ibi incipiat annus, et etiam restringentes, et concavantes vias accusare, et illud iurare debeaut.

De non per camparium, vel forestarium interrogando dominum rei in accusis.

Item, quod nullus camparius, vel forestarius debeat dominum rei, cui dampnum dabitur interrogare si vult, quod inde fiat accusatio, sed sive velit, sive nolit dominus, fiat accusatio, nisi reperiretur ante dampnum datum licentiam inde datam fuisse dampnum danti.

De non locando per custodes bonorum forensium eorum opera.

Item, quod custodes bonorum forensium non possint eorum operas locare aliquibus personis eorum officio durante, et si contrafactum fuerit teneatur curia ei, qui contrafecerit auferre pro bampno pro qualibet vice solidos duos, et quilibet valeat eos accusare, et habeat terciam partem bampni.

De ponendis duobus custodibus hortorum, et canaperiarum.

Item, quod ponantur duo custodes, ortorum, et canaperiarum extra civitatem, qui etiam curam habeant de clausuris, quibus credatur sicut aliis accusatoribus forensium bonorum, et habeant medietatem bampni pro eorum accusationibus, et labore.

De non facienda aliqua exactione super transeuntibus per pontem Padi, nisi pedagii soliti.

Item, quod non fiat aliqua exactio ad pontem Padi super transeuntibus, vel transire volentibus, nisi pedagii soliti, quod colligitur ex ebdomadis per ponterium, hoc est a medio augusti usque ad festum sancti Michaelis, et qui contrafecerit solvat pro bampno pro qualibet vice solidos sexaginta, et ipso facto sit infamis.

De poena camparii inventi in civitate Thaurini post horam mediae terciae, et infra solis occasum.

Item, statutum est, quod omnes camparii omnibus diebus teneantur exire extra civitatem Thaurini, et ire ad eorum custodiam, et ille, qui inventus fuerit in civitate post horam mediae terciae, et infra solis occasum solvat pro bampno pro quolibet, et qualibet vice solidos quinque, et quilibet possit accusare cum iuramento, et credatur ei, et
a habeat terciam partem bampni, et continuo exigatur absque condempnatione bampnum praedictum.

De non apportando ad collum fenum, vel ligna de lignario.

Item, statutum est, quod nullus faxillarius, vel nulla persona ad collum foenum apportet in civitate, nec perticas, nec ligna de lignario, nisi essent morticina, vel de meynatio, etiamsi data forent de ultra Duriam, nec faxum super curru, vel post currum, et qui contrafecerit solvat pro bampno pro vice qualibet solidos duos, cuius bampni sit tercia pars accusatoris, et possit quilibet accusare.

b *De non capiendo meynatium super aliena terra, vel solo.*

Item, statutum est, quod nulla persona capiat meynatium super aliena terra, vel solo, vel in fluminibus secus praedium alienum, vel possessionem, qualiscumque sit ipsa possessio; et qui contrafecerit solvat pro bampno pro quolibet, et qualibet carrata solidos quinque, et pro somata solidos duos, et faxo solidum unum; cuius bampni sit tercia pars accusatoris, et possit quilibet accusare.

De non recuperandis arboribus devolutis propter aquas.

c Item, super arboribus valentibus ultra solidos tres inundatione aquarum devolutis super aliena terra, ut a dominis eorum haberi possint, et recuperari non obstante consuetudine super hoc contraria usque ad quindecim dies ordinatum est, et statutum.

De partitis foenorum.

Item, super partitis foenorum portandis primo dominis, et continue infra quindecim dies, nisi iustum impedimentum obstaret, postquam ipsa foena fuerint amuglata, nisi pacto expresso tenerentur ante, eodem modo ordinatum est, et statutum, et qui non observaverit, vel contrafecerit solvat pro bampno pro quolibet, et qualibet carrata solidos quinque,
d et hoc locum habeat, nisi remaneret de voluntate domini cuius est foenum, nichilominus dampnum domino foeni restituat; idem intelligatur de partitis lignorum postquam factae fuerint ipsae partitae.

De non colligendo per messonerios glandium glandes.

Item, statutum est, quod messonerii, sive messonariae glandium non vadant, vel glandes alienas colligant usque ad tres hebdomadas post festum sancti Michaëlis, et persona, quae contrafecerit solvat pro bampno pro qualibet vice denarios duodecim, et quilibet possit accusare, et habeat di-

midiam partem bampni. Item, quod camparii teneantur accusare pastores in pratis concessis ad partitam.

De faciendo portus, et pontes in Sturia.

Item, super pontibus, et portubus faciendis ad eundum ultra Sturiam, et super eligendis hominibus, qui habeant inde curam, ordinatum est, quod per clavarios eligantur duo homines, qui curam habeant de praedictis examinandis, et cum examinaverint in credentia referatur.

De illis, qui habent praedia in finibus Thaurini, quod debeant tenere vias expeditas.

Item, statutum est, quod illi, qui habent praedia ultra Sturiam, et ultra Padum, et alibi in finibus Thaurini teneantur vias publicas, et carreales expedire, et expeditas tenere, extorpare, et extorpatas tenere secus eorum praedia, et quantum durant eorum praedia eo modo, quo currus possint onerati, et exonerati liberum transitum facere per easdem; et qui hoc non observaverit solvat pro bampno solidos tres, et nichilominus teneatur observare praedicta infra quindecim dies postquam fuerit praeconizatum, et quicumque voluerit possit sua auctoritate impune resias, et clausuras impedientes transitum currorum extirpare.

De emendanda via, et modo inveniendo quibus prata Thaurini valeant adaquari.

Et super hoc habeatur capitulum Pinerolii; et fuerunt in concordia, quod super aquandis pratis de ultra Sturiam eligantur quatuor sapientes per credentiam, qui super hiis provideant qualiter possint, et debeant adaquari.

De capiendo per dominum rei tempore nocturno dampnum dantem.

Item, super eo, quod liceat cuilibet de Thaurino quamlibet personam, quam invenerit in suo, vel domini sui, vel patris, vel fratris, vel consanguinei dampnum dare tempore noctis capere, et d
ducere ad curiam, et si se defenderit, aut aufugerit possit impune percuti, et super hoc credatur ei, qui dixerit se ipsam personam invenisse in dampno praedicto; idem fieri possit de die contra personas, quae non solvunt taleas, nec viciniscum faciunt in Thaurino, nisi hoc habeant ex pacto, si pignus aliter ab eis haberi non possit, nisi essent personae religiosae, et clericorum.

De non sariendo vadum, nisi per mulieres, salvo semel in hebdomada.

Item, quod nullus homo debeat vadum sarrire, sed possint habentes vadum mulieres tantum ha-
a bere ad vadum sarriendum, eo salvo, quod habentes vadum possint una die in qualibet hebdomada habere, et conducere homines sarritores; et qui contrafecerit solvat denarios duodecim conductor ipsorum vero solidos duos.

De illis, qui extraherent de alieno solo plantam, seu vitem.

Item, ordinaverunt, quod illi, qui extraherent de alieno solo plantam, seu vitem aliquam solvant pro qualibet planta arboris devastata, seu vite solidos decem pro quolibet, et qualibet vice, et quilibet possit accusare, et habeat terciam partem bampni, et dampnum domino restituat, qui hoc fecerit.

b

De inquirendis iuribus, instrumentis, et possessionibus habitatorum Thaurini.

Item, quod inquirantur iura, et instrumenta, atque possessiones hominum habitatorum Thaurini, eorum scilicet, qui in ipsa civitate habitaculum iuraverunt, et eorum, qui habitacula desiverunt, possessiones ipso facto Communi apertae, et commissae per iudicem applicentur dicto Communi, et quod fiant exactiones per ipsum Commune de hiis, quae commissa sunt nisi iustas facere potuerint defensiones. Et si super praemissis aliqua quaestio oriretur summatim sine libello, ac litis contestatione, et aliis sumptibus quaestio cognoscatur, et
c per iudicem curiae decidatur omni prorsus appellatione cessante.

Qui accusare possunt facientes contra praedicta.

Item statutum est, quod de omnibus, et singulis dampnis, et offensionibus fiendis, seu dandis super et in bonis forensibus contra formam ordinamentorum, et capitulorum factorum super bonis forensibus quilibet bonae famae possit accusare, et accusatori bonae famae credatur cum iuramento, et habeat tertiam partem bampni.

Expedita sunt capitula super bonis forensibus.

Sequuntur capitula super maleficiis, rixiis, caviglanciis facta.

De poena illius, qui stratam fregerit.

In primis si quis fregerit stratam perpetualiter sit bampnitus, nec ulterius in Thaurino debeat habitare, et eius bona domino Comiti applicentur universa, et si in fortiam iudicis, vel rectoris pervenerit occidatur, nisi solverit libras centum pro bampno; publicus vero latro nullomodo evadat. Publicus vero latro intelligatur qui bis, vel ultra stratam fregerit, aut furta publica commiserit. Stratam rumpere intelligitur si quis depredaretur peregrinos, romeos, fardelarios, mercatores, vel alias cuiuscumque modi personas in strata Thau-

rini, vel eius poderii, et eis abstulerit a solidis a
quinque supra, quo ad praedictum bampnum, et si a quinque solidis infra, solvat pro bampno libras decem, vel amittat unum membrum, et semper omnes res ablatas restituere teneatur. Non autem stratam intelligatur rupisse, si occasione sui debiti, vel crediti, vel vindictae aliquid caperet, et mandato iudicis, vel rectoris de rebus ablatis restituendis stare voluerit, solvendo bampnum solidorum centum tantum; alioquin solvat bampnum superius nominatum de strata rupta, vel puniatur in persona ut supra; quod dicitur occasione sui debiti, vel crediti, vel vindictae aliquid in strata caperet etc., intelligendum est, quod si hoc probaret captor per testes, vel per publicum instrumentum, vel si hoc esset liquidum iudici, vel re- b
ctori; et hoc intelligatur, nisi praedicta caperet in casu a iure permisso, et tunc sine poena, vel bampno evadat.

De poena illius, qui alium sine gladio, malo, et animo irato percusserit in personam, vel impinxerit, vel personaliter excrolaverit, vel pulsaverit.

Item statutum est, quod si aliquis alium in Thaurino, vel districtu sine gladio, malo, et animo irato percusserit in personam, vel impinxerit, vel personaliter excrolaverit, vel pulsaverit, solvat pro bampno solidos quadraginta, et si percusserit in capite sine sanguine, solvat duplum, et hoc in- c
telligatur inter cives, et districtuales civitatis Thaurini, qui solvunt taleas, et faciunt vaytas, et viciniscum ad modum civium; si vero civis praedicta fecerit, vel commiserit in extraneum, solvat a solidis viginti usque ad solidos quadraginta, et non ultra, inspecta qualitate personarum percutientis, et percussi, arbitrio iudicis, vel rectoris; praedicta vero non obtineant, nec locum habeant in minoribus decem annorum qui nullam poenam inde substineant, etiamsi sanguinem extraherent; a decem vero annis superius usque ad quatuordecim annos solvatur quarta pars bampnorum, quae solverentur in maioribus quatuordecim annorum, etiamsi sanguinem extraherent. Et hoc locum habeat, nisi aliquis committeret praedicta se defendendo, d
quo casu nulla poena solvatur, si fiat defensio cum moderamine inculpatae tutelae. Haec autem omnia firmitatem obtineant aliquibus aliis capitulis non obstantibus, vel statutis. Additum est, et emendatum, quod pro percussione facta a cive Thaurini in extraneum non solvatur, nisi tantum quantum percussor posset ostendere, quod solveretur, vel solvi deberet in terra percussi, si aliquis de terra sua percuteret extraneum.

De poena illius, qui contra aliquem irato animo traxerit gladium.

Item, si quis contra aliquem irato animo gladium traxerit, solvat pro bampno qui primo traxerit gladium solidos quadraginta, vel minus, inspecta qualitate personarum iudicis arbitrio: qui vero postea gladium traxerit ad sui defensionem remaneat impunitus; et haec locum habeant inter cives aliquo capitulo non obstante.

De poena illius civis, vel habitatoris Thaurini, qui aliquem civem, vel habitatorem Thaurini gladio vulneraverit.

Item, si quis civis, vel habitator Thaurini aliquem civem, vel habitatorem Thaurini gladio vulneraverit non se defendendo, et malo animo, solvat pro bampno libras viginti quinque, et si dictum bampnum solvere non possit, perdat pedem, vel manum, si in fortiam iudicis, vel rectoris pervenerit; alioquin banniatur, et bampnitus teneatur de Thaurino, et districtu, de quo bampno exire non possit donec solverit, et cum iniuriam passo fuerit concordatus. Additum est huic capitulo, quod de omnibus poenis, et bampnis librarum viginti quinque, vel ultra non solvatur nisi medietas, dum tamen malefactor, seu percussor, vel rixator infra quindecim dies a tempore maleficii, percussionis, vel rixae computandos se concordaverit cum dampnum, vel iniuriam passo, vel ei remiserit dampnum, vel iniuriam; si autem sine gladio percusserit irato animo, non se defendendo, ita quod sanguis inde fiat, solvat percussor libras quinque, et si contigerit aliquem de Thaurino percuti de gladio sine sanguinis effusione, iudex, inspecta qualitate percussionis, et personarum, possit condempnare ipsum percussorem usque ad solidos centum, vel minus, et non ultra.

De poena illius, qui alium occiderit in Thaurino, vel districtu.

Item, statutum est, et ordinatum, quod quicumque alium percusserit, ita quod mors pro ipsa percussione sequatur, vel occasione ipsius, aut quocumque modo causam mortis praebuerit in civitate Thaurini, vel eius poderio, puniatur secundum iura romana, aliquo capitulo non obstante, si capi poterit, vel alias in fortiam dominationis civitatis Thaurini venerit; et si non venerit in fortiam domini, ponatur in bampno homicidii, de quo bampno exire non possit, nisi prius cum domino, et haeredibus interfecti se concordaverit, et si non venerit ut supra in fortiam domini, bona mobilia eius pro tertia parte publicentur, et applicentur domino, et pro aliis duabus partibus cum bonis immobilibus applicentur haeredibus, seu successoribus eiusdem percussoris, scilicet qui ab intestato eidem percussori essent successuri; et praedicta locum habeant inter cives, et habitatores Thaurini tantum; si vero aliquis civis, vel habitator Thaurini occiderit extraneum in Thaurino, vel districtu, puniatur illa poena, qua puniretur extraneus in terra sua, si occidisset in terra sua unum

de Thaurino; et si domino Comiti magis placeat, observetur super isto capitulum Pinerolii (1).

De forensi qui civem, vel habitatorem Thaurini in civitate, vel poderio occiderit.

Item, si quis forensis in civitate Thaurini, vel poderio aliquem civem, vel habitatorem Thaurini interfecerit, moriatur. Additum est, nisi hoc fecerit, iure permittente.

De poena civis qui extraneum occiderit, vel vulneraverit.

Item, si aliquis de Thaurino extraneum, qui non esset de comitatu, vel de terra dominorum Comitum, vulneraverit, solvat solidos sexaginta pro bampno, et si esset de comitatu, solidos centum. Additum est, quod civis, vel habitator Thaurini non teneatur solvere maiorem poenam pro ipso maleficio, vel delicto, vel dampno dato, quam solvere teneretur percussus iniuriam, vel dampnum passus in sua terra in casu consimili, si aliquem de Thaurino, vel alium extraneum offendisset, aliquo capitulo, vel statuto non obstante; si autem maior poena reperiretur apposita, vel obtenta in statuto, vel consuetudine dictae terrae, iudex, vel rector Thaurini non possint civem, vel habitatorem Thaurini punire, vel mulctare ultra poenas, vel bampna in dictis capitulis denotata.

De poena illius, qui cum armis irato animo alium assalierit ad domum suam.

Item, si quis alium cum armis irato animo assalierit ad domum suam solvat pro bampno libras quinquaginta, remanentibus semper firmis poenis, et bampnis, quae super aliis maleficiis, homicidiis, et furtis in aliis capitulis continentur. Emendatum est ut solvat tantum libras viginti quinque, sine armis vero libras decem, appellatione armorum non intelligatur cultellus.

De poena illius, qui malo animo ignem imposuerit in civitate, vel in burgis.

Item, si quis malo animo ignem posuerit in civitate, vel in burgis, vel suburbiis, vel circuitu civitatis in domibus, seu tectis comburatur, et de bonis suis dampnum restituatur, nec aliqua pecuniaria quantitate evadere possit; Idem locum habeat contra illos, qui ignem ponerent in Gruglascho.

De poena illius, qui extra civitatem ignem posuerit in foeno, vel bladis.

Item, quicumque extra civitatem Thaurini in finibus, vel poderio eiusdem ignem posuerit in

(1) Scilicet decretum de simili poena inter statuta Pinerolii descriptum.

a foeno, vel in bladis, solvat bampnum pro quolibet muglo, seu qualibet carrata blavae libras decem de die, et si de nocte hoc fecerit libras viginti, et dampnum in duplo domino restituat, quod bampnum, et emendam si solvere, et restituere non poterit, amittat manum. Additum est quod eamdem poenam substineat qui hoc fecerit alicubi in foeno, vel blava alicuius civis Thaurini.

De poena illius, qui de possessione alium sua auctoritate violenter eiecerit.

Item, si quis alium de possessione sua auctoritate violenter eiecerit, solvat bampnum solidorum sexaginta si hoc fecerit sine armis; si vero cum armis
b solidos centum, et semper possessionem restituat spoliato sine libello, vel iudiciorum strepitu.

De poena illius, qui absque licentia iudicis, vel rectoris pignus a debitore acceperit.

Item, si quis absque licentia iudicis, vel rectoris pignus a debitore, vel a fideiussore suo, vel aliquid aliud pro debito acceperit violenter, solvat bampnum solidorum sexaginta, et res ablatas restituat. Additum est et emendatum, quod si fuerit debitum denariorum duodecim, vel infra, solvatur poena solidorum quinque, et si a denariis duodecim usque ad solidos quinque, solvat solidos decem, et si a solidis quinque supra, solidos viginti
c tantum, salvo quod liceat tabernariis arrestare, et detinere forenses, donec eis de eorum nummatis fuerit satisfactum, et si esset civis qui recederet ultra voluntatem tabernarii sine eo quod satisfecisset tabernario, solvat pro poena solidum unum.

De non faciendo rationem de iniuria bampnito de maleficio illata.

Item, quod de nulla iniuria bampnito de maleficio illata rationem habeat bampnitus, nec de eo, qui bampnito de maleficio aliquod malum fecerit, ullum dampnum capiatur.

De poena illius, qui turrem, vel portam
d *civitatis Thaurini coeperit, vel munierit.*

Item, si qui turrim, vel portam murorum Thaurini ceperit, vel munierit, vel iudici, vel rectori defenderit, moriatur, etc.

De poena illius, qui daret consilium, vel auxilium alicui bampnito de maleficio.

Item, quod aliquis civis, vel habitator Thaurini non possit, nec de caetero debeat in Thaurino, vel eius poderio dare consilium, vel auxilium alicui bampnito de maleficiis, videlicet hospitando, dando ei potum, vel cibum, vel eum associando postquam ille fuerit bampnitus, et transversatus in bampno;

et qui contrafecerit, solvat pro bampno solidos a quadraginta, medietas cuius sit accusatoris.

De poena illius, qui nollet praecepto iudicis, vel rectoris a praelio desistere, vel a cavillantia cessare.

Item, si praelium, vel cavillantia fieret inter homines Thaurini, et iudex, seu rector, vel eius missus supervenerit, et praeceperit per sacramentum, ut a praelio, vel cavillantia desistant, et cessent, quilibet armatus, qui cessare noluerit postquam iudex, vel rector, aut eius missus ei praeceperit, det pro bampno solidos centum, et plus ad voluntatem iudicis, vel rectoris usque ad libras viginti quinque, ultra bampna, quae con- b tinentur in statutis civitatis Thaurini. Emendatum est, ut vicarius, et iudex habeant bayliam imponendi, et praecipiendi poenam usque ad quantitatem librarum viginti quinque tantum et in quantum praeceperint usque ad dictam quantitatem, condempnare possint personas praedictas, et non ultra occasione praedicta.

De poena illius, qui coram iudice, vel rectore alicui aliquod verbum iniuriosum dixerit.

Item, si quis coram iudice, vel rectore alicui aliquod verbum iniuriosum dixerit, det pro bampno solidos decem, et iudex habeat arbitrium condempnandi dictam personam usque ad solidos decem; c inspecta qualitate personae, et verbi iniuriosi.

De corrigendo familiam suam, et verberando sine poena.

Item, quod liceat cuicumque corrigere familiam suam, etiam verberando, sine poena, si non percuteret de gladio, ita quod vulnus faceret. Appellatione familiae uxor, nurus continentur, et filii, et bubulci, et scutiferi, canaverii, pedissequa, bayula, et alii mercenarii, sorores, et fratres.

De poena illius, qui praecepto iudicis, vel rectoris non sequeretur eos, vel alterum ipsorum.

Item, si praeceptum fuerit alicui civi, vel habitatori Thaurini per iudicem, vel rectorem, vel eius nuntium, ut ipsos, vel alterum ipsorum sequatur, et sequutus non fuerit, si fuerit miles det pro bampno solidos viginti, et si fuerit pedes solidos decem, nisi docuerit se remansisse iusto impedimento infirmitatis, quam in corpore suo habuerit ipse, vel equus suus, si fieret cavalcata extra civitatem, vel alio iusto impedimento; si vero praeceptum fuerit a iudice, vel vicario, aut rectore alicui de ipsos, vel alterum ipsorum sequendo in exercitu, vel cavalcata domini, et hoc non fecerit, solvat miles pro bampno solidos centum, et pedes solidos quadraginta, nisi modo quo supra se legiptime poterit excusare. Vicarius tamen, vel iudex, absente domino Comite, dicta bampna inspecta persona, et negotii qualitate, prout expedire viderit, valeat temperare.

De poena illius, qui improperaverit mortem alicui civi, vel habitatori Thaurini de morte, seu vulnere.

Item, statutum est, quod si contigerit, quod aliquis civis Thaurini, vel habitator improperaverit alicui civi, vel habitatori Thaurini de morte, seu vulnere facto, et commisso in persona alicuius civis, vel habitatoris Thaurini, seu consanguinei, agnati, et cognati in tempore praeterito, de homicidio solvat solidos centum, de vulnere solidos quadraginta tantum, quorum bampnorum tercia pars applicetur accusatori, et duae partes curiae domini Comitis; et de hoc quolibet possit esse accusator; et intelligatur de maioribus decem octo annorum.

De poena illius, qui rixam faceret in credentia, vel Consilio, sive in concione, vel ad curiam iudicis, vel rectoris.

Item, si quis fecerit rixam, vel aliquid dixerit, propter quod rixa fieret, vel oriretur in credentia, vel Consiliis, sive in concione, vel ad curiam iudicis, vel rectoris, vel alibi coram ipso iudice, vel rectore, aut sedendo, vel stando cucurrerit super alium irato animo sine percussione, solvat pro bampno solidos viginti.

De forensi qui alium forensem occiderit, vel cum gladio, vel sine vulneraverit in civitate Thaurini, vel poderio.

Item, si quis forensis alium forensem in civitate Thaurini, vel poderio occiderit, sive cum gladio, sive non, vulneraverit, aut alio modo percusserit, nisi hoc fecerit se defendendo, solvat bampnum in arbitrio iudicis, vel rectoris, et si quis civis, vel habitator consilium, vel iuvamen ad praedicta maleficia perpetranda alicui forensi praestaret, solvat similia bampna, quae forensis solvere teneretur, re- d manente capitulo stratae ruptae in sua firmitate.

De non faciendo bataglolas puerorum per pueros.

Item, quod bataglolae puerorum per pueros in civitate Thaurini, vel extra civitatem de caetero non fiant; et si fiant, solvat pater, vel alius qui haberet curam administrationis illius pro unaquaque vice denarios duodecim; et hoc teneatur iudex, vel rector facere praeconizari per civitatem semel et pluries.

De poena illius, vel illorum qui furtum fecerint de die, vel de nocte. a

Item, si quis fecerit furtum de nocte a solidis quinque superius usque ad solidos viginti, vel furis collega fuerit, det pro bampno libras decem; et si non solvat, amittat membrum unum; et si a solidis viginti superius det pro bampno libras viginti, et faciat rationem illi, cui furtum factum fuerit, si petierit; et si manifestum fuerit iudici, vel rectori de furto, faciat restitui res ablatas, etiamsi non petierit rationem, si tantum habeat ille fur; et si in die furtum quis fecerit, vel furis fuerit collega a solidis quinque usque ad solidos viginti, solvat bampnum solidorum centum, quod si non solverit praedictus puniatur in persona, et si fur- b tum fuerit a solidis viginti superius, solvat bampnum librarum decem, vel modo praedicto puniatur in persona si dictum bampnum non solverit, nisi sit publicus latro. Publicus latro intelligitur, qui habuerit famam pluries committendi furta, et illa commiserit, sive probatum fuerit ad tormenta, vel alio modo, qui nullo modo possit evadere, sive furtum fecerit de die, sive de nocte, et si quis a solidis quinque inferius furatus fuerit, vel furis collega fuerit usque ad denarios duodecim, solvat pro bampno solidos decem, et si fuerit tantum denariis duodecim solvat pro bampno solidos quinque; et si a denariis duodecim infra, frustigetur per civitatem, vel ponatur ad berlinam, nisi solverit solidos quinque, et si quis furtum ceperit c scienter, vel emerit, puniatur eodem modo ut dictum est de furto.

De poena illius, qui deinceps ad civitatem Thaurini malo proposito venerit causa occidendi, vel vulnerandi aliquem civem, vel habitatorem Thaurini.

Item, statutum est pro tranquillo statu civitatis Thaurini iam dictae, ac civium, et habitatorum in ipsa civitate nunc, et in futurum habitantium, Domino annuente, quod si aliquis deinceps ad civitatem praedictam malo proposito venerit causa occidendi, vel vulnerandi aliquem civem, vel habitatorem ipsius civitatis, quod vicarius, et iudex d domini Comitis, qui nunc sunt, vel fuerint de caetero in ipso regimine ipsius civitatis teneantur praedictum malefactorem, seu aggressorem punire ultimo supplicio, quod supplicium scilicet mortis recipiat praefatus malefactor, vel aggressor, nulla ipsum poena pecuniaria excusante, infra dies decem tunc proxime sequentes, et quilibet de Thaurino, vel habitator teneatur efficacissime praefatum malefactorem, seu aggressorem insequi modis omnibus, quibus poterit, et eum capere, vel auxilium, et opem ad capiendum exhibere, ut perveniat in fortiam iudicis, vel vicarii praedictorum. Si quis vero pro ipsis malefactoribus prosequendis, et capiendis opem, consilium, et auxilium bona fide non praestiterit suo posse, et super hoc culpabilis sit repertus vicarius, et iudex secundum eius culpam maiorem, vel minorem, prout res exegerit, ipsum, usque ad quantitatem librarum viginti quinque, valeat condempnare. Caeterum, si quis daret eidem malefactori, seu aggressori opem, consilium, vel auxilium ad committendum tam enorme maleficium in civitate praedicta, vel suburbiis, vel ut evadere posset manus, et fortiam ipsum capere volentium, vel ne in ipsorum vicarii, et iudicis perveniat potestatem, eamdem poenam sustineat, quam ipse malefactor debuerat sustinere.

De sequendo, et capiendo per vicinos illum, qui attemptaret fugere de civitate, quia fecisset furtum vel percussionem in civitate.

Item, statutum est, quod si quis furtum, rapinam, rixam, vel percussionem in civitate fecerit supradicta, et de ipsa civitate fugere attemptaret, quilibet vicinus, et qui dictum malefactorem viderit, vel sciverit fugientem teneatur suo posse clamare, et ipsum insequi viriliter ad capiendum eumdem, et dare suo posse consilium, et auxilium ut capiatur, et perveniat in fortiam vicarii, et iudicis domini Comitis supradicti; et super his volentibus eum capere dare vires modis omnibus, quibus poterit teneatur; custodes vero portarum civitatis semper cum viderint, vel audiverint aliquem fugientem, et de civitate ipsa exire volentem, vel aliter rumorem in civitate fieri supradicta, teneantur portas claudere sine mora, et ipsas clausas tenere quousque captus fuerit fugiens, vel tumultus sedatus, vel de licentia vicarii, vel iudicis, vel eorum nuntii, quod aperiantur procedat; quicumque vero huiusmodi persequi noluerit fugientem ad capiendum eum, seu opem, et auxilium cum posset ad ipsum capiendum, et detinendum neglexerit exhibere, poenam solidorum quadraginta, vel minus secundum qualitatem negotii, et personae, vicarii, et iudicis arbitrio moderandam solvere teneatur; custodes vero portarum, qui praedicta neglexerint observare, quive in claudendis portis continuo fuerint negligentes, duplum substineant dictae poenae, quod si solvere non poterunt, debeant, et possint incarcerari, et detrudi, atque detineri quousque curiae satisfactum fuerit de poena praedicta, arbitrio dictorum vicarii, et iudicis moderanda sane. Si quis famae suae prodigus huiusmodi furibus, latronibus, percussoribus, vel rixosis ad evadendum, ne capiantur, opem praestiterit, vel iuvamen, eamdem poenam substineat, quam fur ille, percussor, latro, vel rixosus debuerat sustinere.

De non reducendo illum, qui interfecisset aliquem civem Thaurini.

Item, statutum est, quod nulla persona reducat aliquem in Thaurino, vel eius districtu, vel refugium praestet alicui, qui interfecisset aliquem civem

Thaurini, vel habitatorem, vel ad evadendam fortiam curiae sibi praestet auxilium, vel favorem, et qui contrafecerit, solvat pro bampno libras quinquaginta; reducere vero, vel occultare, seu consilium, vel auxilium dare intelligatur, qui prohiberet iudici, vel rectori Thaurini, vel eorum nuntiis ne caperetur malefactor, vel si celaretur per dominum, vel maiorem domus.

De emendando de avere Communis Thaurini dampna data furtive in vino inzeolato vineis, et blava vastatis cum igne positis.

Item, statutum est, quod si aliquod vinum inzeolatum fuerit deinceps furtive celatum alicui homini, vel habitatori Thaurini habitanti in dicta civitate, vel poderio, dum tamen solvat taleam, et vaytas faciat, seu fieri faciat in Thaurino, vel vineae, seu blava fuerint vastatae furtive, sive privatim, vel ignis positus fuerit furtive in Thaurino, vel eius poderio, vel res ipsius clam vastata fuerit alio quoquomodo, quod illa dampna, seu dampnum emendentur, et restituantur de avere Communis Thaurini illis personis, vel illi personae, quibus, vel cui data fuerint dicta dampna, seu datum fuerit dictum dampnum. Additum est, quod dictum Commune vindictam de ipso dampno contra dampnum dantes, eosque reducentes, seu opem, vel consilium eis dantes, et contra terram, et homines eorum, qui eos reducerent, vel praestarent eis consilium, aut iuvamen quam citius poterit sumere teneatur aliquo capitulo huic contrario non obstante. Additum, et declaratum est, quod non habeat locum hoc statutum in bonis, vel rebus ecclesiarum, et clericorum, quae, vel qui non solvunt taleas Communi Thaurini ad modum aliorum civium de Thaurino, nec etiam in dampnis datis extra territorium, et districtum Thaurini in illis rebus, de quibus non solvitur talea in Thaurino.

De poena illius, qui contra dominum Comitem, vel Commune Thaurini alicui forensi qui guerram faceret domino Comiti, vel Communi praedicto daret consilium, et favorem.

Item, quod quicumque de Thaurino, vel ibi habitans, daret consilium, vel favorem contra dominum Comitem, vel contra Commune Thaurini alicui forensi, qui guerram faceret domino Comiti, vel Communi praedicto, extra civitatem Thaurini commoranti, solvat pro bampno libras centum, et si poenam praedictam solvere non poterit amittat pedem, vel manum.

a *De poena illius, qui tractaret verbis, vel factis, quod marchio Montisferrati, vel aliquis alius, praeter dominum Amedeum comitem Sabaudiae, et suos haeredes, haberet dominium aliquod in Thaurino.*

Item, quod si quis ulterius tantae nequiciae, seu falsitatis repertus fuerit in Thaurino, qui publice, vel secrete perquireret, vel tractaret verbis, vel factis in Thaurino, vel alibi, quod marchio Montisferrati, vel quivis alius, praeter illustrem virum dominum Amedeum comitem Sabaudiae, vel eius legiptimos successores, haberet dominium, vel iurisdictionem, seu signoriam aliquam in Thaurino, iudex, vel rector civitatis Thaurini teneatur sibi
b caput continuo facere amputari, et eius bona omnia nichilominus domino Comiti publicentur.

De poena illius, qui virginem, viduam, vel nuptam honestam violaverit contra ipsius voluntatem.

Item, si quis immemor castitatis, et pudoris ignarus fuerit tantae temeritatis, et audaciae, ut virginem, vel mulierem, viduam, vel nuptam honestam violaverit contra ipsius voluntatem, et per violentiam carnaliter cognoscendo, solvat pro bampno libras quadraginta, et de iniuria mulieri illata, ipsi mulieri emenda fiat arbitrio iudicis, et si bampnum non solverit praedictum, corporaliter arbitrio iudicis puniatur; si autem vilem mulierem, idest mere-
c tricem publicam cognoverit carnaliter et violenter solvat solidos quadraginta. Emendatum est, quod iudex Thaurini habeat potestatem condempnandi in hoc casu usque ad libras quinquaginta, inspecta qualitate personarum, et non plus; pro persona vero meretrice non possit quis ultra solidos decem condempnari.

De faciendo condempnationes, et absolutiones bampnorum, et accusatarum personarum in concione.

Item, quod omnes absolutiones, et condempnationes bampnorum, et accusatarum personarum debeant fieri in concione infra tres menses post ac-
d cusationem, vel captionem personarum, nisi remanserit iusta de causa; causa vero iusta est si iudex concionem non faceret infra tres menses, infra quos si non condempnaret, vel absolveret, vel in concione proxime facienda, qui non fuerint condempnati pro absolutis habeantur.

De societate, vel coniuratione non faciendis.

Item, statutum est, quod in civitate Thaurini, vel eius districtu, nisi ratione mercandiae, seu negotiationis, nulla fiat societas, vel conventicula, coniuratio, seu conspiratio illicita, et fraudulenta, vel tractatus aliquis praedictorum, nisi de speciali man-

dato domini, et qui contrafecerit solvat pro bampno libras centum, quas si solvere non poterit, contrafaciens arbitrio iudicis corporaliter puniatur; si vero contra dominum praedicta, vel aliquod de praedictis quisquam faceret, vel facere attemptaret capitali poena plectatur, et eius bona universaliter domino applicentur.

De non tenendo bona bannitorum sine mandato domini Comitis.

Item statutum est, quod nullus teneat bona bampnitorum per dominum Comitem occasione fellonìae, seu proditionis commissae contra ipsum dominum, et progenitores ipsius, sine mandato eiusdem domini Comitis, vel vicarii sui, et si quis aliqua tenuerit de bonis praedictis, ipsa bona consignare debeat bona fide vicario domini, vel eius certo mandato infra quindecim dies a praeconizationis factae per civitatem Thaurini super dictis bonis tempore computandos, et qui contrafecerit solvat pro bampno libras decem, et ius, si quod habet in ipsis bonis, ipso facto amittat.

De poena illius, qui dixerit verbum contumeliosum, vel iniuriosum vicario, vel iudici.

Item, statutum est, quod quicumque dixerit convicium, vel iniuriam, vel verbum contumeliosum vicario, iudici, aut rectori, vel domino solvat pro bampno pro qualibet vice libras decem, vel plus, vel minus arbitrio iudicis, inspecta personae, et negotii qualitate, et qui in praesentia domini dixerit aliquod de praedictis alicui alii personae solvat pro bampno solidos centum, et si non poterit solvere, arbitrio iudicis mulctetur. Emendatum est, ubi dicitur libras decem, dicatur solidos centum, et ubi dicitur solidos centum, dicatur solidos quadraginta arbitrio tamen iudicis dictis poenis moderandis usque ad quantitates praedictas, secundum personarum, et verborum qualitates.

De poena illius, qui muros, seu moenia civitatis transcenderit.

Item, statutum est, quod si quis transcenderit muros, seu moenia civitatis, si de die fuerit, solvat pro bampno libras viginti quinque, et si non potest solvere, arbitrio iudicis corporaliter puniatur, si vero de nocte fuerit, capitis supplicio puniatur. Emendatum est ubi dicitur de die libras viginti quinque, dicatur libras decem, et de nocte libras quinquaginta, et non habeat locum istud capitulum in pueris capientibus aves.

De accusationibus, et denunciationibus maleficiorum fiendis per missos.

Item, statutum est, quod missi, qui vocantur Decani in civitate Thaurini, et eius districtu pro domino commorantes, qui nunc sunt, vel ibi fuerint in futurum, teneantur per iuramentum denuntiare, seu accusare maleficia commissa in civitate, et eius districtu, quae ad ipsorum notitiam pervenerint quoquomodo, et super praedictis faciendis quilibet vicarius, sive rector in principio sui regiminis teneatur, et ab ipsis Decanis corporaliter recipiat iuramentum.

De vino forensi non apportando, seu ducendo in Thaurino.

Item, statutum est, ob reformationem vinearum, et utilitatem communem universorum hominum habitantium in Thaurino, quod nullum vinum purum, vel mistum apportetur, seu ducatur in Thaurino, vel per fines, seu territorium, vel districtum eiusdem, quod natum non fuerit in finibus, vel territorio, vel districtu civitatis eiusdem, et qui contrafecerit, undecumque fuerit, et cuiuscumque conditionis solvat pro qualibet vice, et quolibet plaustro, navi, vel bestia ponderata solidos quinquaginta, et amittat vinum, et bestias, currum, et navim, et vasa, et quilibet inde possit esse accusator, et habeat tertiam partem bampni, vini, et rerum commissarum; hoc salvo, quod quilibet civis Thaurini habitans in Thaurino possit impune apportare, seu apportari facere, ducere, sive duci facere in Thaurino uvas de laboreriis suis, et vineis, et etiam vinum si vineae ipsorum civium, et habitantium inventae fuerint tempore praeterito registratae in registro civitatis Thaurini, et istud capitulum sit trunchum, et praecisum sine aliquo alio tenore, vel intellectu, et non possit mutari, tolli, corrigi, vel infringi, nec inde dari parabola, sive licencia per credenciam, vel aliud Consilium, seu rectorem aliquem, et si petita, et data fuerit, pro non data habeatur; qui vero contra consuleret, vel arengaret, pro quolibet, et qualibet vice solvat pro bampno solidos centum; eo salvo, quod tempore sterilitatis, et tempestatis, seu fallae vini per credentiam Thaurini, existentibus tribus partibus credendariorum ipsius civitatis in concordia, possit dari licencia ad certum tempus vinum forense apportandi, et alargandi tempore praedicto, prout videbitur credentiae.

De modo, et mensura rasorum.

Item, statutum est, quod rasi, sive cubiti pannorum de caetero sint, et esse debeant in Thaurino ad modum, et mensuram rasorum civitatis Ast.

De mensuris, et ponderibus tenendis penes massarium Communis.

Item, quod massarius Communis habeat, et penes se teneatur custodire cuiuslibet generis mensurarum, et ponderum unam mensuram, et unum pondus, qua, et quo caeterae mensurae, et pondera racionentur, et signentur, et ex quibus singulis

annis racionentur, et cognoscantur caetera pondera, a
et mensurae, et signentur signo aliquo curiae Thaurini, excepto peyso grosso ipsius curiae, videlicet eminas grani, et omnes mensuras vini, et salis, carbonis, calcis, et olei, et peysas, seu balantias, quibus ponderatur lana tradenda ad filandum, et generaliter omnia alia, et omnes alias pondera, et mensuras.

De non mensurando, vel ponderando nisi ad mensuras, et pondera signatas, et signata signo curiae Thaurini.

Item, quod nulla persona mensuret, vel ponderet nisi ad mensuras, et pondera racionatas, et racionata signo curiae praedicto, et qui contrafe- b
cerit solvat pro qualibet vice, usque ad decem vices, solidos decem, cuius bampni habeat accusator tertiam partem.

De habendis, et tenendis rasorys grani, et salis etc. rotundis.

Item, quod omnes rasoriae grani, salis, leguminum, et omnium, quae rasantur in sestario, emina, vel aliis mensuris grossis, et minutis sint rotundae, nec rasetur in aliis eminis, quae non fuerint rotundae, et rectae. Venditores autem, qui contrafecerint solvant pro qualibet vice solidos quinque, cuius bampni habeat terciam partem accusator, et quod venditores grani, et leguminum de Thaurino non c
teneantur dare ambostas.

De vino vendendo ad mensuram rotundam signo curiae signatam.

Item, quod non mensuretur vinum venale ad minutum nisi ad mensuras rotundas, signatas signo curiae in summitate mensurae, nec ad mensuram, quae non impleatur, nec in uno scypho, vel miolio ponatur ultra numatam unam simul.

Item, statutum est, quod in quolibet vase possit vinum mensurari, dummodo sit signatum signis curiae Thaurini, et quod nullus audeat mensurare vinum in vase non signato, sub poena pro quolibet, et qualibet vice solidorum quinque, et quilibet possit d
contrafacientes accusare.

De modo maonorum, et coporum.

Item, quod habeatur modus maonorum, et coporum fornaxeriorum Rippolarum, ad quem modum fiant maoni, et copi bene cocti de caetero in Thaurino, et ad pretium quo venduntur in fornacibus Rippolarum.

Quod mensura perticae, qua mensurantur terrae teneatur per massarium Communis.

Item, quod habeatur, et teneatur per massarium Communis mensura perticae, qua mensurantur terrae, et possessiones, et similiter corda mensurativa foeni.

De iuramento faciendo per mensuratores terrae, et foeni.

Item, quod omnes mensuratores terrae, et foeni, seu factores cordarum foeni teneantur singulis annis infra mensem primi regiminis iudicis Thaurini iurare ipsorum officia fideliter exercere.

De eligendis duobus fidelibus hominibus per clavarios, qui habeant officium terras mensurandi.

Item, quod eligantur in quolibet quarterio Thaurini per clavarios duo fideles homines, qui habeant, et iurent officium mensurandi terras, et alias possessiones, et illi, qui sciunt hoc officium exercere debeant eos docere istud officium, et inde habeant ab illis, quos docuerint remunerationem, et in locum deficientium alii subrogentur.

De salario rationatorum ponderum, et mensurarum.

Item, statutum est, quod super facto rationatorum ponderum, et mensurarum, et signatorum mensurarum, quod de caetero nullus rationator, vel signator mensurarum, vel ponderum accipiat, vel accipere possit pro suo labore in summa, sive sit unus, sive sint plures ad hoc electi, vel ordinati nisi prout inferius declaratur, et qui contrafecerit solvat pro qualibet vice pro bampno solidos quinque. Et primo habeat pro quolibet cebero mensurabili signando, vel rationando denarios duodecim viannenses, et si fuerit novum denarios decem octo.

Item, de qualibet emina, vel sestario signandis, ut supra, denarios sex, et si fuerit nova, vel novum, denarios duodecim.

Item, pro quolibet raso, vel alna rationandis, vel signandis habeat denarios duos.

Item, de omnibus ponderibus, ut sunt balantiae, staterae, librae, quartaronus, et similia cuiuslibet revenditoris, senserii, vel cuiuslibet personae volentis habere pondera signata, et rationata, etiamsi sint in numero plura signata et rationata, habeant turonum unum pro signandis, et raxonandis suis expensis, et de quolibet ipsorum pro se, pro rata; et intelligantur in dictis ponderibus mensurae olei.

De accusationibus infra triduum faciendis, aliter non valeant.

Item, statutum est, quod nulla accusatio, vel denunciatio facta curiae Thaurini de caetero valeat, nisi reperiatur facta, et scripta in libro curiae Thaurini infra triduum a tempore scientiae dampni dati, vel delicti commissi.

De poena forensis, qui appellaret in Thaurino homines Thaurini proditores.

Item, statutum est, quod si aliquis forensis diceret, vel appellaret in Thaurino, quod homines Thaurini essent proditores, ille, qui hoc diceret solvat pro bampno solidos sexaginta, et quilibet possit eum detinere, et ducere ad curiam; qui si non solvere posset bampnum praedictum frustetur per civitatem Thaurini ab una porta usque ad aliam, et si percuteretur, vel impingeretur sine sanguine ille, qui diceret dicta verba, quod illa percussio, et impinxio remaneat sine bampno.

De porticubus pendentibus super strata non coperiendis paleis.

Item, statutum, quod nulla porticus pendens in strata publica, videlicet a porta Phibelona usque ad portam Secuxinam coperiatur, et remaneat coperta paleis; et quicumque contrafecerit, vel ipsas paleas infra octo dies a tempore publicationis non inde amoverit, solvat pro poena solidos duos et ab inde in antea pro qualibet die, qua cessaret in eis removendis, denarios XII.

De pretii quantitate capienda a testoribus pro factura telarum.

Item, statutum est, quod omnes testores, et testrices telarum teneantur facere bene, et convenienter quemlibet ramum telae stupae ad modum, et latitudinem consuetos pro solidis tribus, et ramum ristae pro solidis quatuor viannensium debilium, ramum vero telae lini pro solidis quinque, ac ramum de mantilis largis pro solidis septem, et de mantilis strictis solidis quinque, et de tovagliis pro solidis duobus, et denariis sex pro ramo; qui, vel quae vero contrafacerent, vel inde plus acciperent, solvant bampnum pro quolibet, et qualibet vice solidorum quinque, et quilibet possit eos accusare, et habeat tertiam partem bampni, et ad hoc cogi debeant per vicarium, et iudicem civitatis Thaurini, et eo ipso, quod recusarent facere dictas telas modo, et pretio supradictis, incurrant dicti testores, et testrices bampnum supradictum.

De residentia, vel conversatione per meretrices non facienda in burgo sancti Donati (1).

Item, statutum est, quod meretrices post publicationem huius statuti non possint, nec debeant facere residentiam, vel conversari causa libidinis exercendae in burgo sancti Donati, seu infra fossata burgi praedicti quondam; et super hoc iudex eius arbitrio valeat providere, et poenam apponere.

(1) Ad sancti Donati suburbium se conferebant cives animi honeste relaxandi causa; hinc avertendi meretrices ab honestioribus conventibus praecipua cura fuit.

a *De meretricibus in vigiliis nocturnis de ecclesiis expellendis.*

Item, quod omnes meretrices in vigiliis nocturnis publice expellantur de ecclesiis.

De pretii quantitate capienda ab illis, qui ponuntur in castro.

Item, statutum est, quod nulla persona in Thaurino, vel ibi habitans possit, vel debeat detineri, vel duci in castro, aut alia custodia, seu carcere, nisi secundum formam, et ex causis in capitulo civitatis Thaurini contentis, et quod omnes, et singuli capti, et ducti, et qui ducentur pro maleficiis secundum
b formam ipsorum capitulorum ad castrum, seu carcerem ipsius civitatis, solummodo solvant, et solvere teneantur pro captione, et pro introytu, et exitu castri, seu carceris solidos quinque viannenses tantum pro quolibet, et non ultra solvere teneantur, vel debeant, nec compelli possint; pro victu vero sic captivi, si fuerit ad expensas vicarii, seu officialis, solvatur unus medius turonus pro qualibet die, si vero sibi fecerit expensas dictus captivus de suo proprio, nichil inde solvat, nec solvere compellatur, et praedicta intelligantur locum habere de capiendis pro rixis, et maleficiis, unde non sequuta fuerit poena corporalis; de hiis vero, qui punirentur corporaliter servetur consuetudo antiqua captivi pro atrocibus maleficiis; si autem re-
c linquantur custodibus in castrum, extra tamen carcerem, solvant pro quolibet custode omni die solidos duos viannenses; custodes vero poni non possint nisi duo, et custodes dari non possint nisi ad requixitionem captivi. Captivi vero capiendi, qui ducentur in carcerem, seu in castrum pro debitis, et pro bampnis condempnationum campariorum, et custodum, et pro aliis bampnis minutis solvant pro captione, et pro introytu, et exitu carceris, seu castri solidos duos viannenses pro quolibet, et qualibet vice; captivi vero, et qui caperentur deinceps ducti, seu ducendi in carcerem, vel in castrum pro aliquibus debitis, sive maleficiis, de quibus essent inculpati, et inde relaxarentur tamquam inculpabiles, libere dimittantur sine aliqua solutione
d captionis in introitu, vel exitu castri, vel carceris supradicti, aut custodiae.

De salvacenis non vendendis personae extraneae.

Item, quod nulla persona possit aliquas salvacenas, seu volatilia silvestria alicui personae extraneae scienter ad portandum extra civitatem Thaurini vendere, vel emere, et quod revenditores earum teneantur eas palam, et in eorum tabulis, et claviculis extra domum positis tenere de die; et qui contrafecerit solvat pro qualibet vice denarios duodecim pro bampno, et habeat accusator tertiam partem dicti bampni.

De pane pesando per totum annum. a

Item, quod panis pesetur per totum annum secundum quod in credentia fuerit ordinatum.

De emendis non remittendis.

Item, quod unus mandatarius teneatur iurare in animas illorum de Communi, quod ipsi nullas emendas remittent alicui personae de dampnis datis in bonis forensibus.

De non carreando, vel portando in diebus dominicis, vel festivis.

Item, quod nullus carrearius, vel asinarius pos- b
sit, vel debeat carreare, vel portare diebus dominicis, vel festivis communiter feriatis, nisi tempore messium, vel vindemiarum, et tunc bladum, vel foenum, et uvas carreare, et portare possint; quod dictum est de asinariis non habeat locum si portarent herbam viridem; et qui contrafecerit, incurrat poenam solidorum duorum pro quolibet, et qualibet vice.

De ritanis in viis publicis coperiendis.

Item, quod omnes ritanae exeuntes in viis publicis coperiantur, et copertae teneantur de assidibus.

De non tenendo vias publicas impeditas. c

Item, quod nullus teneat vias publicas impeditas lapidibus, vel lignaminibus, lateribus, vel possit lignamina ultra triduum postquam ibi posita fuerint supradicta tenere.

De gallinis occidendis in alienis curtibus sine poena.

Item, super gallinis dampnum dantibus in alienis curtibus, ut possint impune occidi, et sine dampni restitutione postquam denunciatum fuerit ut eas coherceant, et retineant; cum dampna, quae per ipsas dantur, pariant materiam discordiarum ali- d
quando.

De merendinis, et fogaciis iacentium in partu remanentibus.

Item, quod fogaciae, et merendinae iacentium in partu penitus remaneant, salvo vino, fructibus, et ublatis, et qui contrafecerit tam dans fogacias, vel merendinas, quam recipiens solvat pro quolibet, et qualibet vice solidos quinque, et quilibet possit esse accusator, et habeat terciam partem bampni.

De eligendis quatuor sapientibus qui significent omni anno expensas Communis domino Comiti.

Item, quod eligantur singulis annis ad voces credendariorum quatuor sapientes primo mense regiminis vicariorum, et iudicum civitatis Thaurini, qui teneantur denunciare, sive significare domino Comiti expensas Communis, excessus, et iniustitias, et defectus suorum vicariorum, et iudicum, castellanorum, et officialium, ac nuntiorum ipsius domini Comitis existentium in Thaurino, et qui in plena credentia iurent.

De non eiiciendo urinam, vel aliquam putredinem per fenestras.

Item, quod nemo eiiciat, vel effundat urinam, vel aliquam putredinem, vel quid aliud horribile de lobia, vel fenestris, aut loco alto in viis publicis, et qui contrafecerit, solvat pro bampno solidos duos (1); et quilibet possit accusare, et habeat tertiam partem bampni.

De accusando stercorizantes in via porcellorum, et Sancti Silvestri.

Item, quod quilibet possit accusare stercorizantes in rua quae dicitur porcellorum, et accusator solvat denarios duodecim. Credatur autem accusatoris simplici verbo, et habeat dimidiam partem bampni, et possit quilibet accusare. Idem intelligatur, et ordinatum est de rua Sancti Silvestri, quae est iuxta domum Aynardorum.

De examinandis medicis extraneis.

Item, si quis extraneus medicus phisicus veniret in Thaurino ad habitandum, examinetur a phisicis de Thaurino, et a clericis.

De non capiendo qualeas, aut perdices ad manicham, vel quaglayrolium.

Item, quod nulla persona capere debeat qualeas, vel perdices in finibus Thaurini ad quaglayrolium, vel ad manicham, et qui contrafecerit solvat pro bampno pro qualibet vice solidos viginti, et quilibet possit accusare, et habeat terciam partem bampni.

De vineis tenendis ad partitam.

Item, si quis tenet, vel deinceps tenuerit vineam aliquam ab aliquo de Thaurino, vel ibidem habitante, sitam in territorio Thaurini ad partitam inde dandam, sive fictum parandam, teneatur dictam vineam facere, et adimplere pacta facta inter ipsum dominum, et colonum, seu partiarium,

(1) In altero codice *libras duas* legimus.

seu emphiteotam suo loco, et tempore, et qui contrafecerit, vel non observaverit ipsa pacta solvat pro bampno pro singulis sapaturis solidos tres, et nichilominus teneatur domino interesse suum restituere taxando per iuramentum ipsius domini, et per iudicem curiae Thaurini, inspecta qualitate personarum, et vineae, absque libello, et litis contestatione summatim, et sine iudiciorum strepitu; et hoc locum habeat inter laicos, et si querela inde fieret per dominum vineae.

De bealeria qualiter debeat ampliari.

Item, ordinaverunt, quod alveus, et ripa bealeriae fluentis ex Duria ad civitatem Thaurini videatur per aliquos viros probos, qui per clavarios eligantur, et qui referant in credentia qualiter, et quibus locis dictus alveus debeat ampliari, et latus teneri, et secundum quod placuerit credentiae, audita ipsorum proborum virorum relatione, firmetur, et ordinetur, et inde fiat ordinamentum, quod cum ordinamentis aliis collocetur.

De non transversando bealeriam per viam pontis Padi, vel alibi.

Item, quod quicumque transversaverit per viam pontis Padi, vel per alias vias bealeriam extra civitatem solvat pro bampno solidos decem postquam fuerit ex parte curiae cridatum, nisi bonum cuniculum, et bene copertum fuerit, et tenuerit in ipsa via tali modo, quod via, seu strata non deterioraretur.

De poena ludentium ad taxillos.

Item, statutum est, quod de caetero aliquo tempore non debeat, vel possit aliqua persona cuiuscumque conditionis de Thaurino, nec extranea, sive forensis ludere in Thaurino, vel Gruglascho, nec eius territorio, nec etiam in districtu Thaurini ad aliquem ludum taxillorum, et qui contrafecerit solvat pro qualibet vice, qua contrafecerit de die, solidos sexaginta, et de nocte duplum, et dominus domus sive possessores, et habitatores in qua, vel in cuius pertinentiis, eo sciente, ludetur ad dictum ludum prohibitum eamdem poenam tam pro die, quam pro nocte, et qualibet vice solvat, et incurrat, et etiam eamdem poenam solvat, et incurrat quicumque taxillos, aut pecuniam in ludo mutuaverit, seu praestaverit, vel concesserit ludentibus ad praedictum ludum prohibitum taxillorum, et possit super hiis quilibet bonae famae esse accusator, et habeat accusator terciam partem bampni, sive poenae praedictae, et cuilibet accusatori bonae famae credatur cum iuramento de praedictis; et possit curia suo officio inquirere de praedictis sicut in aliis maleficiis, nec possit per dominum, seu vicarium, vel iudicem, vel alium officialem curiae dari licentia ludendi ad dictum ludum taxillorum, nec dicta poena relaxari, vel dimitti, vel quitari, nisi per dominum; et si data fuerit licentia, vel remissio non valeat, nec teneat, et qui praedictam poenam solvere non poterit frustigetur per Thaurinum, aut ad berlinam ponatur. Salvo quod in die natalis Domini, et duobus diebus sequentibus iuxta consuetudinem ludere possint sine poena.

De volaticiis, et salvacenis, et caseorum revenditoribus.

Item, statutum est, quod nulla persona exeat civitatem in die fori, seu in die sabbati pro emendis fasanis, perdicibus, leporibus, caponibus, pullis, caseis, oleo, et aliis victualibus, et volatilibus, lignis, fructibus, et aliis quibuscumque per se, vel per alium, verbo, vel facto, extra muros dictae civitatis, nec emere tractet; et quod nulla persona revenditrix aliquam inde emere possit per se, vel submissam personam, vel tractare emere nisi in foro publico; et quod nulla persona revenditrix caseorum audeat emere, vel emi facere pro se, vel pro alio caseum in toto die veneris, nec in die sabbati, nisi elapsa tercia, sub poena pro qualibet vice, et qualibet persona solidorum decem, et eamdem poenam solvat revenditor, seu revenditrix, qui, vel quae aliquid praedictorum emerit ante terciam, scilicet supradictorum victualium, et si id, quod emerit contra mentem praesentis capituli ascenderet ad summam solidorum xx, ut supra solvat duplum bampni supradicti; et quod omnes revenditores, seu revenditrices immediate postquam emerint aliqua volatilia, ipsa teneantur in publicum tenere, nec reponere quoquomodo de die, sub poena solidorum quinque pro quolibet, et qualibet vice.

De revenditoribus, et revenditricibus fructuum.

Item, statutum est, quod nulla persona revenditrix fructuum emat aliquos fructus in Thaurino, vel poderio, nec in platea ad revendendum, nisi elapsa tercia, sub poena solidorum duorum pro quolibet, et qualibet vice, et amissionis fructuum.

De gallinis, et aliis volatilibus non extrahendis de Thaurino.

Item, super facto gallinarum, et pullorum, et aliorum volatilium, et salvacinarum statutum est, quod nulla persona extranea, seu quae non sit de Thaurino, vel ibi habitans, possit, vel debeat emere, vel emi facere, vel extrahere in civitate, vel de civitate, seu finibus civitatis Thaurini aliquam gallinam, caponem, pullos, vel aliqua alia volatilia, seu aliquam aliam salvacinam, et etiam, quod nulla persona quantumcumque sit de Thaurino, vel ibi habitet, possit, vel debeat extrahere, vel extrahi facere causa vendendi, vel etiam vendere faciendi aliquod praedictorum extra civitatem, vel suburbia

ipsius, sub poena, et bampno pro quolibet, et qualibet vice solidorum decem, et quilibet bonae famae possit esse accusator, et credatur ipsius accusatoris sacramento, et habeat accusator terciam partem bampni. Hoc addito etiam, quod persona emens contra praedicta superius ordinata, perdat illud quod emisset contra praedicta ordinamenta, et sit tertia pars illius mercatoris accusatoris, aliae duae partes sint, et proveniant ad dominos vicarium, et iudicem. Additum est, quod quicumque apportaverit praedicta ad vendendum in Thaurino, si non vendiderit, possit praedicta reverti ad eius omnimodam licentiam, et voluntatem.

De revenditoribus caseorum.

Item, statutum est, quod nullus mercator, seu revenditor undecumque sit, possit, vel debeat in Thaurino vendere, seu vendi facere alicui revenditori, seu revenditrici aliquam quantitatem casey in die veneris post nonam, nec in die sabbati nisi post terciam, nec etiam cernere, seu cerni facere, sub poena solidorum decem pro quolibet, et qualibet vice tam pro revenditore, quam pro emptore, et amissionis casey, applicando ipsum caseum pro rata ipsis dominis vicario, et iudici, et accusatori; et quilibet bonae famae possit accusare, et credatur cum iuramento, et habeat terciam partem bampni; nec etiam aliquis possit, vel debeat nomine alicuius revenditoris aliquam quantitatem casey emere sub poena duplici bampni praedicti applicanda ut supra.

De poena committentium aliquam poenam contra praedicta capitula.

Item, statutum est, quod si aliqua persona de Thaurino, vel ibi habitans committeret aliquam fraudem quoquomodo in praedictis, vel aliquo praedictorum, emendo aliquid de praedictis nomine suo vel ad opus supradictorum revenditorum, vel portantium, vel portare volentium extra civitatem praedictam, vel portaverint ad opus ipsorum, solvat duplum bampni praedicti.

De extimatoribus, et notariis recipientibus instrumenta extimorum, et ipsorum salario.

Item, statutum est, quod extimatores habeant, si extimum ascenderit ad libras quinquaginta, et infra, pro eorum aextimo denarios duos pro quolibet, et qualibet libra, et de libris quinquaginta supra denarium unum pro qualibet libra, et pro quolibet ipsorum, et pro via quam ipsi extimatores facerent extra civitatem Thaurini habeant pro eorum via in primo fine, vel secundo pro quolibet extimatore solidum unum viannensem si extimum fuerit de libris quinquaginta vel infra, si vero fuerit de libris quinquaginta supra, habeant pro qualibet via solidos duos, et hoc intelligatur pro via

a tantum. Hoc salvo, quod si ipsi extimatores iverint Gruglaschum, vel in ultimo fine, habeant pro eorum via pro quolibet ipsorum, solidos tres viannenses; nec tres extimatores capiant solutionem quarti absentis, nec etiam ipse absens aliquid habeat; et notarius habeat pro lectura, et confectione instrumenti extimi si ascenderit a libris viginti usque ad libras quinquaginta, turonos quatuor, et infra, turonos duos; de libris quinquaginta usque ad centum, turonos sex, et de libris centum usque ad ducentum, turonos duodecim, et supra pro quolibet centenario turonos sex.

De finibus territorii civitatis Thaurini.

b In nomine Domini amen. Anno dominicae Nativitatis millesimo tercentesimo nonagesimo quinto, indictione octava. Cum per bonos, ac probos, et antiquos homines civitatis Thaurini, quorum nomina inferius continentur, vel ad maiorem partem eorum electos, et deputatos per maius Consilium credentiae civitatis praedictae iuratos repertum fuerit diligenti inquisitione praemissa, ac facta, quod fines territorii Communis, et hominum civitatis praedictae deversus Collegium durant, extenduntur, et protendunt, et sunt, esseque debent usque ad fines, sive in contractam illam, quae appellatur Avellium, et ab inde usque ad quandam motam galeriarum (1), quae est in angulo cuiusdam fossati veteris, quod fossatum distinguit fines territorii Thaurini a finibus
c territorii Altessani, et Collegii, et ab ipsa mota transversando versus Duriam ad quemdam monterucium lapidum, et terrae, quod appellatur, sive uti appellatur Puteus Yverardi, et a monterucio, sive a loco, qui appellatur Puteus usque ad quemdam alium monterucium lapidum, et terrae, qui est prope Fraschetos, et prope quamdam viam, et ab ipso monterucio transversando per boschum versus Duriam, ubi esse debet quidam alius Monterucius lapidum, et ab ipso loco transversando Duriam per quamdam viam, qua itur per ante quamdam ecclesiam sanctae Mariae de Gorzano, et ab ipsa via transversando ad prata Albrarum, et ad quemdam monterucium lapidum, qui esse debet in ipso prato prope viam Putey Stratae, et ab
d ipso loco transversando ad collos Gruglaschi, et ita ut supra praedicti fines distinguuntur, et terminantur; ipsi probi, et antiqui homines, quorum nomina inferius continentur, remotis odio, amore, timore, pretio, et precibus, iuraverunt per sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, verum esse, et ita vidisse, et audivisse a suis praedecessoribus, et antiquis hominibus verum esse. Nomina ipsorum proborum, et antiquorum hominum, qui praedictam inquisitionem, et designationem ipsorum finium iuraverunt esse ut supra, sunt haec, Matheus Levrati, Nicolaus Burdina, Iacobus Brachus, Brunus Capra, Andreas Futolus, Bertinus Capra,

(1) In altero codice legimus *glenarum*.

et Tharinus de Burgo. Et de praedictis declarationibus finium; et terminatione, postmodum fuit lata sententia per magnificum, et illustrem dominum dominum Iacobum de Sabaudia principem Achayae, prout de ipsa sententia apparet publico instrumento per Anthonium Monerium de Pinerolio notarium tradito anno M CCCLII, indictione quinta, die veneris, XV mensis iunii.

De defendendis finibus civitatis Thaurini.

Item, pro manutenendis, conservandis, et defendendis finibus praedictis, et iuribus Communis, et hominum civitatis iam dictae in praedictis, et circa praedicta, et etiam aliis finibus territorii praedictae civitatis undecumque, et ubicumque existentibus, statutum, et ordinatum est; quod fines territorii civitatis praedictae usque ad loca praedicta designati ut supra defendantur, manuteneantur, et conserventur per Commune, et homines Thaurini tam praesentes, quam futuros, et rectores eorumdem tam praesentes, quam futuros.

De eligendis custodibus finium praedictorum.

Item, statutum est, quod unus, vel duo in arbitrio clavariorum civitatis Thaurini eligantur per ipsos clavarios, et massarium praedicti Communis, vel maiorem partem eorum, camparii, et custodes dictorum finium superius designatorum deversus Collegium, et Altessanum, ad tempus tantum duraturi, quantum ipsi massarius, et clavarii, vel maior pars ipsorum ordinaverit; qui camparii iurare debeant fideliter exequi officium campariae praedictorum finium, quibus, vel cui eorum credatur, et credi debeat in eorum accusis, sicut creditur aliis campariis aliorum finium Thaurini, et valeat ipsorum electio perinde ac si facta fuisset per illos de Thaurino, qui alios camparios, et custodes eligunt, sive eligere consueverunt ad festum omnium Sanctorum, vel circa. Et habeant de salario dicti camparii, et custodes quantum eis, vel ei per illos clavarios, et massarium, vel maiorem partem eorum ordinatum fuerit, et tassatum, qui camparii, vel eorum alter teneantur dictos fines quolibet die visitare.

De poena extranearum personarum pascentium bestias infra dictos fines.

Item, statutum est, quod quicumque, et cuiuscumque conditionis existat extraneus, idest qui in Thaurino, vel suburbiis, vel Gruglascho non habitet cum foco, et catena, inventus fuerit citra praedictos fines pascere, seu pascuare boves, vel alia animalia grossa, vel minuta in pascuis, seu zerbis, solvat custos, seu pastor ipsorum animalium, et, eo deficiente, vel solvendo non existente, dominus, sive possessor ipsorum animalium, pro quolibet animali, sive bestia qualibet, tantum de bampno, et emenda, quantum ordinatum est in aliis pascuis, sive zerbis aliorum finium civitatis praedictae; si vero in pratis, blavis, et aliis bonis forensibus singularum personarum de Thaurino, vel ibi habitantium, aut habentium praedia citra, vel intra praedictos fines, solvat pro qualibet bestia, et qualibet vice duplum bampni, et emendae ordinati, et ordinatae in statutis, seu ordinamentis dampni bonorum forensium aliorum finium dictae civitatis; et si dampnum passus dicere voluerit esse maius, et iuraverit, credatur eius iuramento, et solvatur, sive emendetur emenda praedicta secundum quod iuraverit dampnum esse, sicut in praedictis aliis ordinamentis suprascriptis continetur.

Quod liceat campariis, et quibuscumque dampnum passis adducere inventos dampnum dantes in eorum possessionibus ante iudicem, vel gagia capere impune.

Item, statutum est, quod liceat praedictis campariis de omnibus, quos invenerint in praedictis pascuis, zerbis, sive bonis forensibus praedictorum finium citra, vel intra ipsos fines superius designatos, facientes contra ipsa ordinamenta, et instrumenta, vel aliquod eorum pignorare; seu bestias dampnum dantes inventas adducere ad iudicem, vel vicarium, sive rectorem Thaurini impune, et sine bampno, si custodem, seu pastorem ipsarum bestiarum non invenirent, vel non cognoscerent eos, tali modo, quod ipsa gagia, seu bestiae non restituantur, donec de bampno, de emenda curiae fuerit satisfactum, sive ydonee satisdatum.

De poena alicuius universitatis, sive loci, singularisve personae removentis praedictas designationes.

Item, statutum est, quod si Commune, universitas, aut collegium alicuius loci, vel singularis persona praedictas designationes ipsorum finium removere, vel destruere attemptaverit, solvat, et solvere debeat universitas, aut collegium pro poena, et bampno pro qualibet vice libras centum viannenses, et singularis persona libras viginti quinque pro quolibet, et qualibet vice.

Quod Commune teneatur defendere accusas factas de dictis finibus.

Item, statutum est, quod si aliquis fuerit occasione quod inventus fuerit in praedictis pascuis, sive zerbis, seu in bonis forensibus praedictorum finium supra designatorum, infra ipsos fines cum animalibus, vel bestiis, vel aliter dampnum dans, et voluerit se defendere dicens, quod ultra praedictos fines sit de finibus, et in finibus Collegii, quod Commune praedictum defendere teneatur quantum ad illud articulum ipsum, et se opponere contra talem defendentem, expensis ipsius Communis.

Quod nulla persona audeat, vel praesumat portare, seu deferre arma offensibilia per civitatem Thaurini (1).

Item, quod nulla persona audeat, vel praesumat portare seu deferre arma offensibilia per civitatem Thaurini, nisi de mandato, expressa licentia, et voluntate domini infra muros ipsius civitatis, sub poena decem solidorum de die, et de nocte dupli, si cum lumine iret, et sine lumine solidorum sexaginta, et in quolibet casu amittat arma; et non intelligantur arma offensibilia cultellus, qui non excederet mensuram ordinatam, videlicet uno raso minus uno octeno cum manubrio; et non intelligantur in hac poena incurrere forenses itinerantes per civitatem Thaurini, non facientes moram in ipsa civitate, nisi forte causa bibendi, vel pedagia solvendi, vel similia, apparentes bonae famae; nec etiam intelligantur dictam poenam incurrere cives, vel habitatores Thaurini euntes per civitatem extra civitatem ad eorum negotia arma deferentes, prout appareat verisimile; et contrafacientes in praedictis familiares curiae possint accusare, et arma auferre, et eorum accusae credatur cum iuramento, et habeant terciam partem bampni, et armaturarum.

De corporibus defunctorum non lugendis, et aliis observantiis circa exequias mortuorum faciendis.

Item, statutum est, et ordinatum pro bono statu civitatis Thaurini, et ad evitandas expensas, et labores, quod de caetero in obsequiis mortuarum personarum cum corpora portabuntur sepelienda, aut in septimis, mulieres, scilicet uxores, filiae, sorores, et neptes, et aliae mulieres attinentes dictae personae mortuae usque ad quartum gradum non exeant domum, seu domos, nec sequantur corpora defunctorum, et tunc quando corpora mortuorum extrahuntur de domibus eundo ad ecclesias, aut in ipsis ecclesiis, nullus omnino fiat ploratus, qui audiri possit, sub poena, et bampno solidorum centum pro quolibet, et qualibet vice; nec pro corpore alicuius defuncti, seu defunctae portentur, seu ponantur iuxta corpora, vel post, vel ante, aut eius occasione, nisi cerei quatuor ad plus, quantaecumque sit dignitatis corpus defuncti, et non possit esse cereus ad plus, nisi de quatuor libris, sub poena praedicta per haeredem solvenda; et quod nulla persona audeat, vel praesumat, ubi contra praedicta, vel aliquod praedictorum fieri contingeret per aliquem, ire, vel stare cum ipsis corporibus defunctorum, aut ipsorum sepulturis, vel septimis, seu obsequiis interesse, aut in eadem domo, sive in ecclesia, vel in itinere; aut alias quomodolibet honorare, vel associare corpus de-

a functi, vel defunctae personae, aut personam, vel personas taliter contrafacientes. Et qui praesens esset antequam sciret fieri contra praedicta, teneatur incontinenti discedere, sub poena, et bampno solidorum quadraginta pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice, et quolibet casuum praedictorum, et domini vicarius, et iudex, qui nunc sunt, et pro tempore fuerint, si praesentes essent ipsi, vel alter ipsorum vinculo iuramenti teneantur incontinenti recedere, et in publico praeconizari facere, quod quaelibet persona recedat, et quod nulla persona audeat talia corpora, seu tales personas honorare, seu associare, aut illorum sepulturae, vel septimae, seu obsequiis interesse, sub poena praedicta; et quod quaelibet persona, quae voluerit
b offerre in sepulturis, vel septimis, aut obsequiis mortuorum, offerat de suo proprio, et propria bursa, et non haeredis defuncti, sub poena solidorum quinque pro quolibet, et qualibet vice, et in domibus, in quibus habitabant defuncti, vel alibi occasione defuncti, non fiant convivia aliqua, vel portentur exenia, seu servitia, et quod nulla persona in dicta domo defuncti, sive defunctae, vel alibi, ut supra, possit a die sepulturae usque ad septimam diem inclusive proxime sequentem comedere, prandere, marendare, vel coenare; et persona, quae contrafecerit, solvat pro quolibet, et qualibet vice, et quolibet casuum praedictorum solidos viginti, salvis, et exceptatis patre, matre, filiis, filiabus, fratribus, et sororibus, quas per-
c sonas non liget praesens capitulum quantum ad convivia supradicta; et quod aliqua persona de domo defunctae personae, vel alius pro eo in sepulturis, obsequiis, et septimis invitare aliquas extraneas personas non audeat sub poena praedicta, salvo quod si venerint ipsae personae extraneae, videlicet de extra Thaurinum, absque eo quod requisitae fuerint per illos de domo defuncti, vel alios pro eis invitari possint, et in ipsa domo, vel alibi comedere impune: et hoc capitulum sit perpetuum, et perpetuo duraturum, et trunchum, et praecisum, nec de ipso, vel ipsis, quae in eo continentur, aut aliquo ipsorum possit dari licentia, vel parabola, et si data fuerit non valeat, nec teneat ipso iure, et facto, nec super ipso statuto renovando in toto,
d vel in parte, vel cassando possit peti, vel fieri credentia, nec inde fieri proposita, vel partitum, et si factum fuerit, non valeat, nec teneat; et si quis de credentia arengaret contra hoc capitulum, vel aliquam partem ipsius, vel de ipso daretur licentia, solvat pro quolibet, et qualibet vice solidos sexaginta, et quicumque de credentia esset de illo partito, solvat pro quolibet, et qualibet vice solidos viginti, et nichilominus hoc praesens capitulum ipso iure sit perpetuo duraturum, et in sua permaneat firmitate, nec aliquis possit petere licentiam a domino super ipso capitulo, nec de iis, quae in ipso continentur, etsi data fuerit, non valeat, et solvat, qui ipsam licentiam petierit, solidos centum pro qualibet vice.

(1) Iamdiu vetitum fuerat arma deferre apud Taurinenses; nam ex decreto curiae diei 13 novembris 1325 apparet Philippum Achayae principem iure singulari facultatem dedisse nobilibus Danieli, et Ambrosino fratribus de Castello, duobusque ex illorum famulis prohibita arma ferendi ad anni spatium.

Quod homines non intersint anniversariis defunctorum (1).

Item, statutum est, quod homines de caetero non vadant, nec intersint anniversariis defunctorum, et quod nulla persona audeat ad ipsa anniversaria aliquem invitare, vel invitari facere, sub poena, et bampno solidorum sexaginta pro quolibet, et qualibet vice in quolibet casuum praedictorum; foeminae vero possint ipsis anniversariis interesse.

De salario constitutò notariis in curia civili.

Item, quod notarii solutionem accipiant de qualibet interrogatione facta ante litis contestationem, et libellum, et de quolibet praecepto, saximento, seu termino denarios quatuor viannenses; et de qualibet peticione simplici facta in iudicio per actorem, vel reum quandocumque in actu iudiciali tres denarios, et tam ante litis contestationem, quam post, eo salvo, quod si qua requisitio, vel responsio per praesentantem peteretur, vel fieret in sua praesentatione, recipiant de ea praesentatione, et requisitione denarios sex; et de quolibet libello, seu petitione in actis curiae scribenda per notarium, recipiant ipsi notarii pro scriptura solidos tres; et de qualibet exceptione, vel replicatione, seu triplicatione in iudicio praesentata, et in actis scripta, denarios sex, et si ipsa exceptio, replicata, vel triplicata fuerit in uno capitulo per se, et si fuerint plures exceptiones in uno capitulo comprehensae, recipiant de omnibus ipsis exceptionibus, replicationibus, et triplicationibus in ipso capitulo comprehensis solidum unum, non considerato si sint declinatoriae, dilatoriae, vel peremptoriae dictae exceptiones, vel aliae quaecumque; et de quolibet titulo facto in actis ante scripturas eorum, denarios tres; et de qualibet litis contestatione, solidum unum; et de qualibet positione denarios duos, sive sit simplex, duplex, vel triplex, dummodo qualis sit respondeatur, et per partem non duplicata, vel partita, et hoc in quocumque loco iudicii ordinarii, vel extraordinarii, et de qualibet responsione facta cuilibet positioni in iudicio scriptae, et super uno capitulo comprehensae, denarium unum; et de productione cuiuslibet statuti, capituli, vel condempnationis, denarios tres; et de quolibet capitulo intentionum in actis scriptarum, denarios duos; et de productione testium, denarios sex quotquot sint tamen producti in causa; et de interrogatione qualibet facta in iudicio, seu sententia interloquutoria lecta, solidum unum a parte victi, et si ambas partes tangeret, quaelibet earum solvat denarios sex, et de qualibet commissione facta per iudicem, in actis

a scripta, capiant denarios tres, tam super consilio habendo, quam incidenti, vel definitiva sententia; et de literis commissionis in actis scriptis, solidum unum; et de aperiendo consilium datum super sententiis, vel aperienda sententia, et legenda, solidos tres si sit definitiva, et si interloquutoria, solidum unum; et pro scribendo sententiam interloquutoriam in actis, solidum unum, sive unum contineat articulum, sive plures, et pro sententia definitiva scribenda, solidos quinque; et si petitum fuerit fieri instrumentum, de hoc recipiant, et de ipso instrumento in carta tradito de interloquutoria, solidos sex, et de definitiva, solidos triginta, et de appellatione eiusdem, videlicet si appellabitur a praecepto iusto, vel iniusto, capiant denarios sex,

b et si ab interloquutoria, capiant solidum unum, et si a definitiva, capiant solidos tres, videlicet de scribendo dictas appellationes in actis; et si peteretur de hoc fieri instrumentum, quod tradatur in formam publicam, duplum quantitatum proxime scriptarum, videlicet de re pertinente ad rem superius scriptam tangentem sive ad praeceptum, sive ad interloquutoriam, sive ad definitivam, et de relatione facta per nuntios curiae, qui citaverint personas venturas coram curia, nichil capiant; et de scribendo interloquutoriam latam contra contumaces, nichil capiant; et de instrumento possessionis taedialis scribendo in publicam formam, capiant solidos quinque, et de instrumento possessionis corporalis tradito in publicam formam, recipiant so-

c lidos sex; et de instrumento tutelae, vel curae actoriae, vel procurae, recipiant solidos tres; et de instrumento dationis in solutum, solidos decem; et de instrumento inventarii, recipiant solidos viginti quinque; et de contractibus factis in consilio, recipiant de quolibet instrumento in libro Communis scripto, et in carta tradito solidos viginti quinque, eo salvo, quod de abreviaturis, vel pro abreviatura alicuius instrumenti nichil capere possint; et de dando acta per exemplum, accipiant pro qualibet carta papiri solidum unum; et de exemplo cuiuslibet instrumenti producti, et dati per exemplum solidos duos, et de qualibet exequutione sententiae solidos quinque, et de scribendo proposita, et reformationes in consiliis nichil capiant,

d sed eas absque solutione scribant, quando consilia celebrarentur, teneantur scribere, et legere, et idem fiat de ordinamentis, et de officialibus, et dictas solutiones prius accipere possint, et teneantur quando quaestiones praedictae ascenderent ad quantitatem librarum quinquaginta usque ad ducentum, et si minus libris quinquaginta quaestio ascenderet medietatem minus dictarum quantitatum superius taxatarum de qualibet scriptura, et si ultra quantitatem ducentarum librarum ascenderent quaestiones, accipiant duplum dictarum quantitatum superius taxatarum rei, seu solutionis tangentis ad rem scriptam; et si ob scripturas quaestio in praedictis oriretur, declaretur per iudicem curiae Thaurini; et praedicta notarii praedicti observare, et atten-

(1) Finis huiusmodi legis illa fuit, ne, ut moris tunc erat, homines commissationibus, et ebrietatibus post suprema officia defunctis soluta indulgerent; V. quae ad istiusmodi pessimas consuetudines vitandas scripsit Hincmarus Rhemensis archiepiscopus in suis capitulis ad sacerdotes, cap. 14.

dere teneantur; et si contrafecerint ipsi notarii, vel alter ipsorum, incurrant poenam periurii, et infamiae illi, qui contrafecerint, et ultra hoc, quod scripturae per eum, vel per eos scriptae a die, qua contrafecerint in antea, ipso iure sint nullae, nec eis fides adhibeatur; et de hoc credatur opponenti suo iuramento cum uno teste.

Item, de condempnationibus, quae fierent coram vicario, vel iudice per confessionem, de quibus non sit instrumentum, denarios sex, et si foret a libris decem, et ab inde supra, solidum unum; de aliis vero, de quibus sit instrumentum, solidos tres, si condempnatio fieret a libris decem, vel supra.

De notariis causarum criminalium.

Item, statutum est, quod notarii criminalium Thaurini nichil capere possint ab aliqua persona describendo in actis curiae gravamen denunciae, vel inquisitionem, quae ei fierent per aliquam personam, sed ipsam personam, et ipsas teneantur sub vinculo sui iuramenti scribere in actis curiae quando, et quociens fuerint requisiti sine solutione aliqua, vel praemio, et si accusa, denuncia, vel inquisitio, aut aliqua alia scriptura peteretur dari per inculpatum ab ipso notario per exemplum, tunc de ipso exemplo facto, et exhibito per ipsum notarium ipsi inculpato fiat solutio, prout infra. Primo exemplando accusam, denunciam, vel inquisitionem, si praedictae procederent pro bampno campariorum, vel dampno dato in bonis alicuius, si bampnum ascenderet, seu si limitatum esset per capitulum, ad solidos decem, vel infra, capere possint denarios sex viannenses monetae currentis in Thaurino tempore solutionis fiendae; si vero ascenderet a solidis decem supra, tunc capiant solidum unum, nec plus capere possint, eo salvo, quod si post ipsam accusam, denuntiam, vel inquisitionem darent per exemplum dictum principale, vel testium aliquorum, quod capere possint pro exemplando dictum cuiuslibet principalis, vel testium denarios tres; et si accusa, denuntia, vel inquisitio procederet aliis de causis, quam praedictis, tunc capere possint ipsi notarii, si bampnum limitatum esset per capitulum ad solidos decem, vel infra, denarios sex, si vero limitatum esset a solidis decem supra usque ad solidos sexaginta, tunc capere possint solidum unum, et ab inde supra solidos tres; et si praedicta non reperirentur per capitula limitata, tunc capere possint pro qualibet accusa, denuntia, vel inquisitione solidos duos, et si darent dictum principale per exemplum, aut dicta testium aliquorum, tunc capiant pro quolibet denarios sex; qui notarii teneantur in actis ponere dictum cuiuslibet principalis, et testium productorum super accusis, denunciis, et inquisitionibus sine solutione, vel praemio, et si notarii recusarent praedicta dare per exemplum pro dictis solutionibus, quod ipse inculpatus pro absoluto habea-

a tur, et ipse notarius solvat bampnum, quod solvere deberet inculpatus.

Item, capiat ipse notarius pro scribendo defensionem, et replicationem, ut infra. Primo teneatur scribere defensionem summariam, et brevem, et productionem capitulorum, et instrumentorum, si inculpato placuerit, super qualibet accusa, denuntia, vel inquisitione, qui notarius capiat pro ipsa defensione, vel scriptura, vel productione solidum unum quantacumque fuerit quantitas bampni, et magnitudo delicti.

Item, si defensio fieret per modum intentionum, vel positionum, si accusa, denuntia, vel inquisitio fieret de bonis, in quibus alicui esset dampnum datum, tunc capiat, et capere possit de ipsa defensione scri-
b benda in actis curiae solidos tres; si vero accusa, denuntia, vel inquisitio, super qua fieret defensio, procederet super delictis iniuriarum, in quibus percussiones factae non essent, et ipsa defensio fieret sine intentionibus, vel positionibus, tunc capiat, et capere possit ipse notarius pro ipsa defensione scribenda solidos duos; si vero ipsa defensio fieret cum positionibus, vel intentionibus, tunc capiat pro ipsa defensione scribenda cum positionibus, et intentionibus solidos tres; si vero accusatio, denunciatio, vel inquisitio procederet super delictis, in quibus percussiones factae essent sine sanguinis effusione, et defensio fieret sine intentionibus, vel positionibus, tunc ipse notarius pro scribendo dictam defensionem in actis capiat solidos tres; si
c vero super ipsis fieret defensio cum intentionibus, vel positionibus, tunc capiat solidos quatuor; si vero accusa, denuntia, vel inquisitio procederet super delictis, seu percussionibus cum sanguinis effusione, et defensio fieret sine intentionibus, vel positionibus, tunc capiat etiam notarius pro scribendo dictam defensionem in actis solidos quatuor; si vero fieret cum intentionibus, vel positionibus, tunc capiat notarius solidos sex; si vero accusa, denuntia, vel inquisitio procederet super homicidiis, falso, proditionibus, rapinis, et aliis arduis criminibus, et defensio fieret super ipsis sine intentionibus, vel positionibus, capere possit pro ipsa defensione scribenda solidos decem; si vero fieret cum intentionibus, vel positionibus, tunc capiat
d ipse notarius pro ipsa defensione scribenda in actis curiae solidos viginti.

Item, si positiones fierent super aliqua defensione, super qua actor, vel reus responderet, quod pro ipsis responsionibus nichil capere possit, sed ipsas sine praemio, vel munere in actis curiae, ubi actori, vel reo placuerit, scribere teneatur.

Item, si replicationes, duplicationes, et triplicationes fierent per actorem, vel reum coram ipso notario, tunc capiat, et capere possit ab illo, qui dictam replicationem, duplicationem, et triplicationem fecit, pro ea scribenda in actis curiae, quantacumque sit scriptura ipsius, et magnitudo delicti, denarios sex; et si testes producerentur pro aliqua defensione ad corroborationem alicuius

accusae, denunciationis, vel inquisitionis per actorem, vel reum pro scribendo productum, et iuramentum ipsius recipiendo, nichil capere possit; pro dicto vero, et attestato cuiuslibet testis facto super quolibet capitulo, vel articulo intentionum, capiat solidum unum, et non ultra, sive delictum sit arduum, sive sit minimum, vel alterius cuiuscumque conditionis.

Item, capiat pro quolibet instrumento sibi praecepto sine condempnatione, vel absolutione super principali negotio, incidenti, vel appellatione, solidos quinque; pro quo salario teneatur instrumentum, et instrumenta recipere, et abreviare, et in publicam formam redigere, sicut iuris ordo postulat, cum die et consule, et parti exhibere, et tradere quae praecepit dictum instrumentum fieri.

Item, statutum est, quod dictus notarius criminalium Thaurini debeat capere de qualibet appellatione facta, seu fienda, si condempnationes ascendunt ad libras decem, vel infra, denarios sex, si vero ascendunt ad libras quinquaginta, tunc capiat solidum unum, et ab inde supra, quantacumque fuerit quantitas condempnationum, capiat solidos sex; si vero essent personales condempnationes, tunc capiat solidos octo.

Item, pro scribendo libellum appellatorium super causis criminalibus, et scribendo, vel omnibus scripturis factis, et fiendis super ipso tam per actorem, quam reum, capiat solutiones similes, sicut accipiunt notarii civilium, in causa eadem persona, (1) et principali usque ad prolationem sententiae, de qua sententia legenda capiat solidos duos, et de instrumento fiendo solidos quinque.

Item, pro dando per exemplum accusam, denuntiam, vel inquisitionem, et omnia alia acta, et scripturas tam de positionibus, seu dictis principalium, quam testium, aut de exceptionibus, defensionibus, et replicationibus, si dicta exempla dari petierint ab ipso notario, accipiat solutionem ab illo, vel illis, qui dicta exempla dari petierint, ut infra. Primo pro dando accusam, denuntiam, seu inquisitionem, si procederet in dampnum datum in bonis alicuius tam per homines, quam bestias, accipiat denarios quatuor, et si daret cum ipsis dictum principale, vel testium, capiat pro dicto principalis personae, et cuiuslibet testis denarios quatuor; si vero procederet super iniuriis, dictis, vel factis, in quibus percussiones factae non essent, capiat pro dando accusam, denuntiam, vel inquisitionem per exemplum solidum unum; si vero daret dictum, vel positiones principalis, vel testium super ipsis actis per exemplum, accipiant tam pro dicto cuiuslibet positionis (2) quantitatis denarios quatuor; si vero denuntia, accusa, vel inquisitio procederent super percussionibus sine sanguinis effusione, capiant, et recipere possint de exemplo accusae, denuntiae, vel inquisitionis solidum unum, et si daretur exemplum dicti principalis personae, vel testium, capiant de exemplo dicti principalis, et cuiuslibet testis denarios sex; si vero procederent super crimine percussionis cum sanguinis effusione, capiant de exemplo accusae, denuntiae, vel inquisitionis solidos quinque, et de exemplo dicti cuiuslibet principalis personae, et testium, solidum unum; si vero procederent super crimine homicidii, rapti, proditionis, falsi, et aliorum criminum arduorum, capiant pro dando accusam, denuntiam, vel inquisitionem per exemplum solidos decem, si vero darent exemplum dicti principalis, et testium, capiant pro exemplo dicti cuiuslibet principalis personae, et testium solidos duos.

Item, quod omnes notarii criminalium, vel eorum locatenentes accipiant, et accipere possint solutiones scriptas in suprascripto capitulo, et non ultra, et si quis notarius receperit per se, vel per alium ultra quam in dictis, et infrascriptis capitulis continetur aliquo colore, vel ingenio, seu dari petierint ab aliqua persona, quod incontinenti, et ipso iure cassus sit ab officio notarii, nec possit habere officium aliquod in Thaurino infra quinque annos proxime sequentes, et omnes scripturae deinde per eum, vel per eius servitorem factae, sint ipso iure nullae; qui notarius pro dictis solutionibus receptis teneatur sine praemio, vel salario plenarie attendere semel, et pluries (1), tenoribus debitis, vicarius, ac iudex Thaurini, ac maiores inde omnes defensiones, et iura in actis curiae scripta, sub poena, et vinculo sui iuramenti, et si contrafactum fuerit, condempnationes, quae sequentur, sint ipso iure nullae.

Item, accipiant dicti notarii de qualibet securitate scribenda alicuius facti, ex quo possit sequi condempnatio a solidis centum infra, denarios sex, et de libris decem infra, solidum unum, et de libris decem usque viginti quinque, solidos duos, et de libris viginti quinque usque ad quinquaginta, solidos tres, et ab inde supra, cuiuscumque quantitatis fuerit, solidos quinque.

Item, accipiant dicti notarii de qualibet cancellatura condempnationum ascendentium a solidis viginti infra, denarios sex, et a solidis viginti usque ad solidos centum, solidum unum viannense, et a solidis centum usque ad libras decem, solidos tres viannenses, et a libris decem usque ad viginti quinque, solidos quatuor, et a libris viginti quinque usque ad quinquaginta, solidos quinque, et ab inde supra solidos decem viannenses, et non ultra, de illis videlicet condempnationibus, de quibus foret facta gratia per dominum in toto, vel in parte.

De modo pannorum Thaurini fiendorum.

Item, statutum est, quod quaelibet persona faciens, seu fieri faciens pannos in Thaurino, aut districtu

(1) Aliquid desideratur in codice.
(2) Hic pariter aliquid desideratur.

(1) Aliquid desideratur in codice.

Thaurini per se, vel alium, seu alios cuiuscumque conditionis existant, pannos huiusmodi fieri faciat, et operari de bona, et sufficienti lana, videlicet de lana ovium, agnorum, seu motonorum; et intelligatur bona, et sufficiens lana garzatura pannorum praedictorum, et qui contrafecerit, incurrat poenam pro qualibet petia panni, librarum quinque viannensium; ultra alias poenas in capitulis super hoc denotatas.

Item, statutum est, quod quaelibet persona faciens, aut fieri faciens pro eo pannos, aut officium ipsorum pannorum exercens in Thaurino, vel districtu Thaurini, urdiri debeat, seu urdiri facere telas, et clavetam, de quibus fiunt ipsi panni, de portatis xxv ad minus, quae portatae sint, et esse debeant quaelibet ipsarum de filis quadraginta, ut moris est; sit eis tamen licitum ponere in illis pannis ultra quantitatem, et numerum dictarum viginti quinque portatarum ad eorum liberam voluntatem, et qui contrafecerit, incurrat poenam pro qualibet tela solidorum decem, et pro quolibet claveto solidorum quinque.

Item, statutum est, quod lamae de teleriis, in quibus fient, et operabuntur dicti panni in civitate Thaurini, aut districtu, sint, et esse debeant, et teneri per eum, aut per eos, cuius, aut quorum fuerint ipsi telerii, aequalis longitudinis, et latitudinis eorum posse, et eodem modo esse debeant aequalis longitudinis urditores, in quibus urdiuntur telae dictorum pannorum; et qui contrafecerit, incurrat poenam pro qualibet vice, qua inde reperiretur culpabilis, solidorum decem.

Item, statutum est, quod quaelibet persona faciens, seu fieri faciens pannos in Thaurino, aut in districtu, aut officium dictorum pannorum exercens, de caetero habeat, et teneat, ac habere, et tenere teneatur unum pondus, sive libram unam non excedentem quantitatem librarum viginti quinque, et unius unciae, de quo pondere, et libra praedicta lanam filatam, et non filatam teneatur, et debeat ponderare, et qui contrafecerit, tenendo dictam libram, seu pondus in maiori numero, seu quantitate dictarum librarum viginti quinque, et unius unciae, causa ponderandi, seu ponderando lanam supradictam, incurrat poenam pro qualibet vice solidorum quinque; liceat tamen, praedictis non obstantibus, quibuscumque obratoribus tramae, et laborantibus ipsam tramam tenere, et ponere unum quartaronum, seu quartam partem unius librae pro contrapeyso, una cum dicta libra quinque librarum, et ultra ipsam libram, libere et impune.

Item, statutum est, quod nulla persona de Thaurino, vel aliunde audeat, vel praesumat de caetero in civitate, vel districtu Thaurini filari facere per aliquam personam, seu ad filandum tradere tramam, seu stamium in una, et eadem balla, seu in uno esse excedentem, seu excedens ultra praedictum pondus, videlicet quinque librarum, et unius unciae de stamo, et quinque librarum, et unius quartaroni de trama, et esse debeat ipsa trama de bona, et sufficienti lana, ut superius exprimitur, et qui contrafecerit, incurrat poenam amissionis pro quolibet, et qualibet vice dictorum tramae, et stami ipso facto; cuius poenae tercia pars sit accusatoris, et duae partes ad curiam nostram Thaurini perveniant.

Item, statutum est, quod eligantur per dominum iudicem civitatis Thaurini, qui nunc est, et subsequenter per alios iudices, qui fuerint in civitate Thaurini, cum consilio tamen duorum, vel trium de sufficientioribus mercatoribus facientibus officium dictorum pannorum in Thaurino, duo mercatores boni, et legales, qui duo cum mandatario, vel alio officiali curiae Thaurini, sibi dando per dominum iudicem, teneantur, et debeant saltem semel in mense ire per domos personarum facientium, seu fieri facientium pannos supradictos, et officium ipsorum pannorum exercentium, et etiam per domos mulierum, quae filaverint tramam, in quibus domibus ipsi duo mercatores cum dicto officiali visitare, et inquirere debeant tramam, stamum, lanam, telas, telerios, portatas, et filos ipsarum portatarum, lamas teleriorum, ac libram, et pondus supradictum, et urditores, ac omnia, et singula pertinentia ad officium pannorum praedictorum; et si quos invenerint ipsi duo mercatores, et inquisitores, ac officialis praedicti fraudem commisisse, in officio supradicto, vel aliter poenam, seu poenas incurrisse, de quibus mentio fit in capitulis supradictis, teneantur et debeant ipsi inquisitores, et officialis eos, qui fraudem commisissent, et qui poenam incurrissent ut supra, denuntiare, et accusare ex vinculo iuramenti ipsorum inquisitorum, et officialis curiae praedictae, intra secundum diem postquam praedictae fraudes, et poenae incursio ad eorum notitiam pervenissent; et habeant ipsi inquisitores, et officialis terciam partem bampni, et rerum commissarum de iis, de quibus facient denuntiam, sive accusas durante eorum officio supradicto, et iurare debeant ipsi duo mercatores, et inquisitores, ac officialis in manibus dicti domini iudicis, dictum eorum officium facere bona fide, odio, amore, timore remotis, duretque dictum eorum officium per spatium sex mensium, et in fine dicti termini, specialiter per octo dies in exitu dictorum sex mensium, procurare debeant, quod iudex Thaurini eligat duos alios bonos mercatores, et officialem ad officium supradictum; et ab ipsis eligendis ipse dominus iudex exigat iuramentum praedictum.

Item, statutum est, quod ad requisitionem duorum inquisitorum, seu alterius ipsorum quilibet laborans lanam in Thaurino, et poderio teneatur, et debeat praestare iuramentum in manibus inquisitorum de non batendo, seu verberando aliquam pravam, seu insufficientem lanam, et de non ponendo ipsam in aliquibus tramis, aut aliquo exercitio pannorum praedictorum; qui vero recusarent praestare iuramentum praedictum, incurrant poe-

nam solidorum quinque, et qui fraudem in praedictis committerent, ponendo pravam, et insufficientem lanam in tramis, seu exercitio dictorum pannorum, incurrant poenam pro quolibet, et qualibet vice solidorum viginti.

Item, statutum est, quod quaelibet persona exercens officium dictorum pannorum, ad requisitionem dictorum duorum mercatorum, et officialis praedicti, et inquisitorum, seu alterius eorum, teneatur, et debeat quandocumque ab eis, seu altero eorum fuerit requisita ostendere, et demonstrare eisdem telerios, lanam filatam, et non filatam, et omnia, et singula pertinentia ad exercitium, et facturam pannorum supradictorum, et etiam mulieres teneantur ostendere stamum, et tramam eis datos ad filandum, et alia tangentia ad officium earum circa praedicta; et quod nulla persona audeat, vel praesumat inhibere dictis inquisitoribus, et officiali, vel alteri eorum, durante eorum officio supradicto, quin vadant, et veniant in domibus ipsarum personarum facientium officium ipsorum pannorum, causa videndi, et inquirendi plenarie de praedictis; et qui contrafecerit in praedictis, vel aliquo praedictorum in praesenti capitulo contentorum, incurrat poenam pro quolibet, et qualibet vice solidorum quinque.

Item, statutum est, quod praedictis duobus mercatoribus, et inquisitoribus, ac officiali praedicto super denuntiis, et accusis, quas facient contra quoscumque venientes contra praedicta capitula, vel aliquod eorumdem, cuilibet ipsorum inquisitorum, et officiali detur plena fides, et eorum denuntiae, et accusae credatur in omnibus, et singulis supradictis.

Quod nullus civis, vel habitator Thaurini pro aliqua causa civili, vel criminali, principali, vel appellationis, possit, vel debeat extrahi extra civitatem Thaurini.

Item, statutum est, et ordinatum, quod nullus civis, seu habitator Thaurini, pro aliqua causa civili, vel criminali, principali, vel appellationis possit, vel debeat modo aliquo trahi extra civitatem Thaurini, sed omnes causae, definitiones, cognitiones, et sententiae tam criminales, quam civiles, et tam principales, quam appellationum cognosci, et definiri debeant in ipsa civitate, et inter ipsos cives, et contra ipsos, et quidquid fieret contra praedicta sit ipso iure nullum, irritum, et inane, eo salvo, et excepto, quod cognitiones, et definitiones super secundis appellationibus possint fieri extra Thaurinum, citra tamen montes, et in terra ipsius domini Comitis, etc.

Quod testores, et testrices teneantur, et debeant facere telas, prout in capitulo continetur.

Item, statutum, et ordinatum est, quod omnes, et singuli testores, et testrices teneantur, et debeant facere telas bene, et convenienter longitudinis, et altitudinis more solito, nichil inde recipiendo, excepto salario infrascripto, et quod ipsi testores et testrices cogi possint, et debeant ad ipsas telas faciendum, et factas reddendum pro salario infrascripto. Primo, habeant ipsi testores, et testrices, et non ultra pro quolibet ramo telae de stopa solidos tres. Item, de quolibet ramo telae de chozonis, solidos duos, et denarios sex. Item, de quolibet ramo de rista, solidos quatuor. Item, de quolibet ramo telae de lino, solidos quinque. Item, pro quolibet ramo mantilorum de maiori latitudine consueta, solidos decem. Item, de quolibet ramo mantilorum mediocrum, solidos sex, et denarios sex. Item, de quolibet ramo mantilorum minoris latitudinis, solidos tres, et denarios sex. Item, de quolibet ramo de toaglis de stopa, solidos quatuor. Item, de quolibet ramo de toaglis de rista, solidos quatuor. Item, de quolibet ramo de toaglis de lino, solidos quinque, et denarios sex, et pro dicto salario teneantur, et cogi possint testores, et testrices praedicta facere absque furfure, seu sepo, et non recusare, sub poena solidorum decem pro quolibet, et qualibet vice, qua contrafecerint; et quilibet bonae famae possit inde accusare, et eius iuramento credatur, et habeat terciam partem bampni, et nichilominus ad praedicta cogi possint, et debeant.

De capitulis quae sunt contra libertatem ecclesiae per dominum Comitem cassatis, et annullatis.

Item, statutum, ordinatumque est, quod si praedicta capitula contra libertates ecclesiasticas facta essent, quibus idem dominus noster Comes excommunicationis sententias possit incurrere quoquomodo, et in quantum de iure procederent, vel procedere deberent, ipsa capitula cassa, et nulla sint, et nullius sint efficaciae, et valoris.

Literae illustris domini Amedei de Sabaudia approbationis capitulorum suprascriptorum.

Nos Amedeus comes Sabaudiae notum facimus universis, et singulis praesentes literas inspecturis, quod visis, et examinatis capitulis supradictis, de nostro consensu factis per credendarios, et maiorem credentiam civitatis nostrae Thaurini pro honore nostro, et conservatione, ac gubernatione ipsorum civium, et civitatis nostrae Thaurini, praedicta ipsa capitula omnia superius descripta approbamus, ratificamus, et super ipsis auctoritatem nostram interponimus, et volumus ipsa capitula valere, et tenere, et observari, prout in ipsis capitulis continetur. Datum Thaurini, die sexto mensis iunii, anno Domini millesimo tercentesimo sexagesimo, sub sigillo iudicaturae Sabaudiae, cancellario nostro absente.

Lecta, lata, et solempniter publicata fuerunt omnia, et singula suprascripta capitula in plena,

et publica concione convocata in civitate Thaurini, a et amassata super palatio Communis, ubi ius redditur, de voluntate, et mandato egregii militis domini Humberti de Gorgerono, domini Melioraci, capitanei generalis citra montes illustris, et magnifici principis domini nostri, domini Amedei comitis Sabaudiae, ac nobilium virorum dominorum Boverii de Chignino, militis, vicarii, et Philippi de Bernetio, in legibus licentiati, iudicis civitatis praedictae, per voces praeconum, sono campanae, et sonitu tubarum, ut moris est, anno Domini millesimo tercentesimo sexagesimo, indictione tercia decima, die undecimo mensis octobris, praesentibus

Stephano Borgexio
Iacobo Bechuto
Iohanne Pontio b

Oberto Baracho, omnibus de Thaurino literatis, et omnibus aliis ad praedicta vocatis specialiter, et rogatis. De quibus omnibus Iulianus de Viniano de Thaurino, sindicus, et massarius publicus Communis, hominum, et totius universitatis civitatis Thaurini, suo proprio nomine, et ut sindicus, et sindicario nomine hominum Communis, et totius universitatis Thaurini, praecepit michi Iacobo Borgexio de Thaurino, publico imperiali auctoritate notario, scribaeque curiae civitatis Thaurini praedictae, fieri unum, duo, et plura publica instrumenta.

Et ego Iacobus Borgexius praedictus de Thaurino, publicus imperiali auctoritate notarius, scribaque ut supra dictae curiae civitatis Thaurini, hanc publicationem factam, ut supra, manu propria scripsi, c et in testimonium praemissorum omnium, et robur signum meum, ut supra et infra apposui consuetum.

Literae, et statutum illustris domini Amedei comitis Sabaudiae, etc. prohibentes quibuscumque personis alienationes possessionum, et rerum immobilium fieri in personas non supportantes onera, et taleas Communis civitatis Thaurini.

Nos Amedeus comes Sabaudiae, etc. tutor illustris Amedei de Sabaudia principis Achayae, nepotis, et fidelis nostri carissimi, notum facimus universis, quod nos circa utilitatem, et rempublicam nostrum, ut convenit, animum applicantes, ad supplicationem fidelium, et civium nostrorum credentiariorum, et d consiliariorum civitatis Thaurini super iis nobis factam, pro nobis, et successoribus nostris, quo supra nomine, et voluntate et consensu dictorum credendariorum, statuimus, et etiam ordinamus prout infra; videlicet, quod omnes, et singulae possessiones, et res immobiles tam in civitate, quam in territorio, et finibus, et iurisdictione, ac districtu dictae civitatis existentes, quae tenentur de praesenti, et obligatae sunt ad contribuendum, et contribuerunt ad solutionem talearum, et onerum civitatis praedictae Thaurini, et possidentur de praesenti, atque, Deo propitio, in futurum tenebuntur, et possidebuntur tam per cives, quam per habitatores Thaurini, sive iurisdictione eiusdem, quam etiam per quasvis extraneas personas perpetuo sint, et esse debeant obnoxiae, et obligatae versus Commune, et civitatem Thaurini ad solvendum, et pro solvendo taleas, collectas, et alias impositiones pecuniarias, sive reales in futurum imponendas, sive supportandas per ipsum Commune, sive universitatem dictae civitatis Thaurini, ita quod vigore praesentis statuti, sive capituli vim iuris civilis, et municipalis dictae civitatis Thaurini habere volumus: ipsae res immobiles ex nunc sint obligatae, et obnoxiae realiter, et obligatione reali ex lege civili, et municipali civitatis Thaurini versus ipsam Communitatem, et universitatem civitatis Thaurini, sic, et taliter, quod ipsae res immobiles perpetuis temporibus ullo modo inter vivos, seu causa mortis quovis contractu, sive specie alienationis non possint alienari, vel transferri in aliquam personam, collegium, vel universitatem, etiam, quae, vel quod de iure ad solutionem talearum non tenerentur, nisi cum onere, et obligatione suprascriptis, ita quod ad quemcumque de caetero ipsae res transferantur, transire debeant, et transeant ipso iure, et facto obligatae, et astrictae, ac obnoxiae, et affectae, auctoritate, et dispositione praesentis statuti, ad solutionem praedictam faciendam. Mandantes tenore praesentium omnibus, et singulis capitaneis, baylivis, castellanis, et aliis officiariis nostris praesentibus, et futuris quibuscumque, quatenus praesens statutum, et ordinationem, et omnia in praesentibus literis contenta firmiter teneant, et observent, nichil in contrarium faciendo. Datum Thaurini, die tercia decima mensis iulii, anno Domini millesimo tricentesimo septuagesimo sexto.

Per dominum, relatione dominorum

G. Destres cancellarii
B. de Chignino
T. de Canalibus
S. Dodolis iudicis vallis Secuxiae.

Reddantur literae portatori. Michaël de Croso.

Eodem anno nativitatis domini MCCCLXXVI, indictione quarta decima, die ultima mensis augusti in plena, et generali credentia civitatis Thaurini super domo dicti Communis, voce praeconia, et sono campanae de mandato egregii, et potentis militis domini Philippi de Colegno vicarii, et nobilis sapientis viri domini Surleonis de Mediis barbis de Papia, iuris utriusque doctoris, iudicis civitatis Thaurini congregata, ubi erant ultra quam duae partes credendariorum dictae civitatis, suprascriptum capitulum, sive statutum de verbo ad verbum vulgari sermone per supradictum dominum iudicem fuit lectum, et publicatum, et per dictos dominos vicarium, et iudicem, et credendarios approbatum, confirmatum; et ordinatum, et statutum, ut in eo continetur, volentes, et statuentes ipsum capitulum, seu statutum, ut ad literam iacet, perpetuam habere roboris firmitatem.

Et ego Iohannes Poncius civis Thaurini, publicus imperiali auctoritate notarius, et nunc dictae civitatis scriba praedicta omnia in hoc libro statuto-

rum ad aeternam rei memoriam de mandato, et auctoritate praedictorum dominorum vicarii, et iudicis, ac credendariorum scripsi, et me subscripsi cum appositione signi mei notarii in testimonium praemissorum.

Copia supplicationis.

Illustrissime princeps, exponitur humiliter parte eiusdem V. D. fidelissimorum subditorum hominum, et Communitatis civitatis vestrae Thaurini, quod licet ipsi Communitas, et homines, nedum longis, sed longissimis temporibus, quibus memoria hominum in contrarium non existit, fuerint, et sint, infrascripta turbatione excepta, in possessione pacifica pulsandi, et pulsari faciendi campanam custodiae civitatis praedictae supra turrim positam, tamen magnificus Claudius de Seysello locumtenens, et magnificum Consilium vestrum Thaurini residens quasdam dicuntur decrevisse literas prohibitivas, et mulctas satis excessivas indicentes ne pulsetur ipsa campana, quae quidem literae, et prohibitiones cum debita reverentia eo modo concedi non potuerunt, nec debuerunt pluribus de causis, tum quia agentes pro Communitate, de quorum praeiudicio agebatur praesentes non fuerunt, nec vocati, nec per consequens consenserunt.

Item, quia concernunt praeiudicium, et laesionem ipsorum Communitatis, et hominum, libertatumque, et franquisiarum, ac consuetudinum ipsius civitatis.

Item, quia ipsa pulsatio campanae fuit, et est plusquam necessaria pro rixis, et scandalis evitandis, ac pro custodia civitatis diurna, et nocturna, ac pro indempnitate subditorum vestrae antefactae illustrissimae dominationis, et in qua quidem possessione pulsandi pariter sunt omnia loca vestrae dominationis circumvicina: ipsae literae fuerunt per literas dominationis vestrae, ut asseritur, confirmatae. Et cum, princeps illustrissime, vestra praetacta civitas sit repleta gentibus extraneis, et alienarum nationum, quae de facili consueverunt se promoveri ad rixas, ex quibus proveniunt incommoda maxima, ut homicidia, percussiones, violentiae, raptus mulierum etiam honestarum, et alia gravia facinora, atque nephandissima, quibus occurritur per sonitum dictae campanae, quam cum pulsare audiunt se reprimunt et sic, quamplurimis malis, et scandalis, quae accidere possent, per illius pulsationem devitantur, et officiarii vocantur, qui scandala evitent, et facta prius pulsatione, culpabiles capiunt., et de eis potest iusticia ministrari, quod si aliter fieri non posset quam nisi eo modo officiales vestri cerciorarentur, antequam ad eorum scientiam devenirent rumores; et delicta committentes illa possunt capere fugam, et per consequens delicta remanent impunita. Propterea supplicant humiliter, quatenus dignaremini per literas vestras mandare ipsos supplicantes manuteneri, tueri, atque defendi in praedictis possessione, usu, et consuetudine pulsandi
a campanam praedictam, ubi, et quando expediens est iuxta solitum, literis praedicti domini Marescalli, etiam vestrae dominationis confirmatoriis, et aliis quibuscumque in contrarium facientibus, non obstantibus, prout honestum censetur, ac fore creditur de mente praetactae dominationis vestrae, quam conservet Altissimus.

Copia literarum.

Amedeus dux Sabaudiae dilectis Consilio ultramontes residenti, necnon vicario Thaurini, ac caeteris officiariis nostris mediatis, et immediatis ad quos spectaverit, et praesentes pervenerint, seu ipsorum officiariorum locatenentibus salutem. Etsi
b pridem literis magnifici consanguinei, fidelisque consiliarii, et cambellani nostri sincere dilecti domini Claudii de Seysello, Marescalli Sabaudiae, dum locumtenentiae nostrae in patria Pedemontana praeerat certis legitimis tunc subeuntibus rationibus prohibitum fuerit benedilectis fidelibus nostris hominibus, et Communitati civitatis Thaurini, ne de caetero pulsare, seu pulsari facere praesumerent campanam eorum custodiae locatam super turre ipsius civitatis, et ipsae literae nostrae inde confirmatae extiterint, nolentes tamen ex hoc eorum privilegiis, libertatibus, bonisque, et antiquis consuetudinibus quovismodo derogare, seu praeiudicium generari, verum potius eos, quibus plurimum afficimur, in ipsis confovere, igitur supplicationi ipsorum prae-
c sentibus annexae causas in ea expressas benivole annuentes, maturaque, Consilii nostri praehabita deliberatione, vobis, et vestrum cuilibet quantum ad eum spectaverit, et suo suberit officio mandamus per expressum, et sub poena centum librarum fortium per quemlibet dicto Consilio inferiorem actu contrario committenda, et nobis irremissibiliter applicanda, quatenus praedictos homines, et Communitatem supplicantes tam per se, quam per eorum officiarios in possessione, et eorum antiqua consuetudine pulsandi campanam praedictam, in qua erant ante inhibitiones praedictas, iuxta solitum, ut supplicant manuteneatis, tueamini, et defendatis adversus quoscumque, nec amodo in antea ratione inhibitionum praedictarum impedimen-
d tum aliquod quominus ipsa eorum possessione, et antiqua consuetudine gaudere possint inferatis, seu inferri faciatis, vel permittatis per quemquam, quoniam sic fieri volumus, literis praedictis, quibus praesentibus expresse derogamus, ac aliis quibusvis in contrarium adducendis, et facientibus non obstantibus quibuscumque, altero quoque non expectato mandato. Datum Chamberiaci, die vigesima secunda mensis novembris, anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo.

Per dominum, praesentibus dominis

Reverendo Urbano Bonivardi, episcopo Vercellensi

Humberto Chevrerii, cancellario Sabaudiae

C. de Seysello, Marescallo

Antelmo de Miolans
P. de Sancto Michaële, praesidente
Ludovico Bonivardi, domino Greilliaci
Francisco Bonivardi, domino Parre
Claudio de Challes, magistro hospicii
Michaële de Canalibus,
Iohanne de Lestelley, magistro requestarum
Oldrado Canavoxii, advocato fiscali
A. de Plastro, generali, et
Umberti Locterii, Thesaurario.

Copia literarum.

Yolant primogenita, et soror Christianissimorum Franciae regum, ducissa Sabaudiae, tutrix, et tutorio nomine illustrissimi principis filii nostri carissimi Philiberti Sabaudiae, et etc. ducis, dilectis vicario, et iudici Thaurini, caeterisque ducalibus officiariis mediatis, et immediatis ad quos praesentes pervenerint, sive ipsorum locatenentibus salutem, Visis supplicatione, ac literis praesentibus annexis, et omnium tenore considerato, non intendentes per aliquas literas forte in contrarium concessas dero-

a gasse, vel derogare velle franchisiis, et privilegiis supplicantium, supplicationique iteratae nobis super hoc factae parte civium Communitatis, et hominum civitatis Thaurini annuentes, vobis praecipimus, et mandamus, quatenus ipsas his annexas literas supplicantibus ipsis, iuxta earum formam, mentem, et tenorem, teneatis, attendatis, et inviolabiliter observetis, tenerique, attendi, et inconcusse per quoscumque faciatis observari, nil de contingentibus in eisdem obmittendo, literis, et aliis forte in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Vercellis, die ultima octobris, anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo secundo.

Per dominam, praesentibus dominis
b Humberto Chevrerii, cancellario Sabaudiae
P. de sancto Michaële, praesidente
P. bastardo de Aquis, magno magistro hospicii
Marcho de Guastamilliis
Oldrado Canavoxii, advocato fiscali
Ruffino de Murris, generali, et
Iohanne Locterii, thesaurario

Ranzo
Richardus.

FINIS STATVTORVM TAVRINI.

STATVTA

SOCIETATIS BEATI GEORGII

POPVLI CHERIENSIS

109

ALOISIVS CIBRARIVS

LECTORI S.

Civitatum Italiae quae sub finem saeculi XI se se in libertatem vindicarunt historia satis nota; at imperii forma atque intima civilis regiminis structura non paucis tenebris obvoluta erat. Harum rerum notitiam mihi Cheriense tabularium sedulo exquirenti primo aperuerunt leges quas sodales S. Georgii populi Cheriensis sibimetipsis dixerunt, si tamen plebiscita quae statum in statu inducerent, quae non communi commodo sed privatis cupiditatibus servirent, quae vim privatam publicae auctoritati praeferrent fas est leges appellari.

Haec, quocumque nomine censeantur, societatis S. Georgii Statuta, quorum specimen in Cheriensi historia iam dedimus, tibi exhibemus, candide lector. Considerabis maiorum nostrorum miserias, perpetuas civilium bellorum causas; videbis atroces iras, odia cruenta, flagitiosa consilia, impia facinora. Videbis in quos homines respublica inciderit.

Haec si paulo attentius perpendes, suscipies cogitationem dignissimam virtutis tuae. Vale. Dabam Augustae Taurinorum nonis februarii anno rep. sal. MDCCCXXXVI.

STATVTA

SOCIETATIS BEATI GEORGII

POPVLI CHERIENSIS

E codice membranaceo saeculi XIV quod servatur in tabulario civitatis Cherii.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen et ad honorem et reverentiam ipsius et beate Marie Virginis matris eius beatorumque Georgii et Guillelmi et tocius curie celestis.

Infrascripta sunt capitula seu ordinamenta societatis beati Georgii seu populi chariensis sumpta ex alio uolumine capitulorum dicte societatis quondam examinata prius diligenter per dominos Ruffinum Gribaudum Gribaudinum de Godiano Mussum Buschetum et Matheum Altare rectores siue consules dicte societatis et per dominos Milonem de Pasquerio et Philippum Sibonum iurisperitos et per quamplures alios sapientes dicte societatis habentes bayliam prouidendi et examinandi dicta capitula addendi diminuendi et de nouo faciendi et ordinandi eisdem a maiori dicte societatis consilio attributam et scripta per me Henricum Scutinum notarium in anno Domini millesimo tricentesimo tercio decimo.

De saramento rectorum.

Nos rector siue rectores societatis sancti Georgii et populi chariensis iuramus ad sancta Dei euangelia regere et manutenere bona fide et sine fraude et dolo res et personas ipsius societatis et iura nostro posse et uiribus secundum capitula et statuta dicte societatis et capitulis seu statutis deficientibus secundum bonas consuetudines approbatas et capitulis et consuetudinibus deficientibus secundum le-
a ges romanas tantum. Et si peccunia seu census uel iura ipsius societatis ad manus nostras peruenerit eam et ea saluam et salua faciemus et custodiemus et ipsam peccuniam et iura nemini occupare permittemus nec de ea donum aliquod faciemus et ipsam societatem in regimine dimittemus secundum modum et formam capitulorum ipsius ciuitatis.

De sequella rectori seu rectoribus facienda.

Item statutum est quod quilibet societatis predicte iurare debeat sequellam rectoris seu rectorum societatis in hac forma: iuro ad sancta Dei euangelia corporaliter tacta sequi et obseruare mandata domini rectoris uel rectorum societatis predicte qui
b nunc est uel sunt et qui pro temporibus fuerint de qua ego sum et esse uolo et confiteor et quandocumque faciet preconizari quod quilibet societatis ueniat ad ipsum munitus uel non ego ueniam ad complendam et faciendam suam uoluntatem et precepta in omnibus meo posse et deffendam honorem ipsius societatis et ipsum rectorem ne mortem recipiat uel membrum uel uitam perdat uel diminutionem sui honoris siue ipsius societatis in aliquo. Et si scirem aliquo modo aliquem tractare aliquod malum ipsius rectoris uel dicte societatis seu alicuius hominis ipsius quam cicius potero eidem denunciabo per me uel per alium et dabo fortiam et pro uiribus laborabo ut ipse suum regimen dicte societatis secundum formam sui iura-
c menti et capitulorum ipsius societatis faciat. Et qui predicta facere recusaret soluat pro pena solidos centum et tantum plus quantum per consilium ordinaretur.

De consilio celebrando pro nouo regimine.

Item statutum est quod rector seu rectores dicte societatis teneantur et debeant facere consilium de nouo regimine ipsius societatis eligendo per unum mensem ante exitum sui regiminis et tunc rector seu rectores teneantur et debeant cum tota sua familia exire de dicto consilio.

Quod aliquis cariensis qui non sit de societate non possit esse rector societatis.

Item statutum est quod aliquis de Chario uel poderio non possit esse nec debeat potestas uel rector siue consul ipsius societatis nisi fuerit de ipsa societate. Et qui contrafecerit uel facere attemptauerit soluat pro pena libras centum et sit infamis et priuetur a dicta societate. Cuius pene tercia pars sit potestatis qui pro temporibus fuerit et due partes dicte societatis.

Quod ille qui fuerit rector societatis uno anno non possit esse rector eiusdem in sequenti anno.

Item statutum est quod aliquis de Cario uel de extra qui fuerit rector uel consul dicte societatis in uno anno non possit esse rector uel consul per alium annum sequentem dicte societatis et quilibet qui contra predicta faceret uel tractaret palam uel priuatim incurrat penam librarum quinquaginta pro quolibet et qualibet uice et si fuerit consul a consulatu remoueatur cuius pene tercia pars sit potestatis qui eam exsenciet tercia societatis et alia tercia accusatoris uel denunciatoris.

De societate regenda per quatuor rectores.

Item statutum est quod si societas sancti Georgii non regeretur per rectorem de terra forensi quod ipsa societas regatur et regi debeat per quatuor consules uel rectores qui sint de ipsa societate sancti Georgii qui eligantur de quatuor mensibus et non ad mayus tempus et quilibet qui erit consul uel rector per quatuor menses non possit esse consul uel rector a predictis quatuor mensibus usque ad tres annos modo aliquo uel ingenio et tantum plus quod aliquis de domo illius qui erit uel fuerit rector uel consul per quatuor menses non possit esse consul uel rector per totum annum predictorum quatuor mensium. Cui capitulo additum fuit per credenciam ipsius societatis diu est. quod dictum capitulum cum ista additione sit trunchum et precisum ita quod nullus de societate predicta possit esse rector siue consul ipsius societatis nisi per quatuor menses tantum et ille qui erit rector non possit esse rector siue consul dicte societatis sub aliquo uiuo ingenio usque ad tres annos tunc proxime subsequentes nec aliquis de parentella sua per totum illum annum prout in dicto capitulo plenius continetur. Et eligantur dicti rectores uo-

a luntate credencie dicte societatis et si aliquis rector dicte societatis seu consul uel aliqua alia persona poneret in consilio uel poni pateretur diceret uel tentaret uel operam daret palam uel priuatim modo aliquo quod secundum capitulum et hec additio mutarentur uel corrigerentur uel de ipsis licentia peteretur seu daretur aliquo modo eligendo rectores seu rectorem uel regimen ipsius societatis aliter quam superius dictum est et tentatum incurrat penam ipso iure et facto quilibet rector qui contrafaceret uel ueniret uel fieri permitteret solidorum centum astensium et quelibet alia persona que contrafaceret solidorum quinquaginta et nichilominus qui contrafecerit sit periurius. preterea non possint eligi capitulatores per ipsam societatem pa-
b lam uel priuatim ad capitulandum aliquid contra predicta uel aliquod predictorum et si capitularent aliquid uel alio modo fieret contra predicta pro infecto penitus habeatur id quod contra esset isto capitulo cum additione in suo robore semper duraturis et hoc capitulum sit trunchum et precissum et actendi et obseruari debeat et ponatur et scribatur in libro capitulorum societatis ita quod de cetero aliquo tempore de predicto capitulo remoueri non possit corrigi uel mutari nec diminui modo aliquo uel ingenio quod dici uel excogitari posset. Cui capitulo nunc additum fuit per dictos dominos Ruffinum Gribaudum et socios consules et alios sapientes habentes inde bayliam quod dictum capitulum cum additione superius contenta obser-
c uetur ad uoluntatem consilii maioris dicte societatis non obstantibus aliquibus que superius sint scripta ita quod ipsum consilium super regimine dicte societatis possit facere quicquid uellit.

Quod ubi maior pars consulum fuerit in concordia ualeat.

Item statutum est quod quotienscumque quatuor consules fuerint in dicta societate et tres ipsorum fuerint in concordia aliquid faciendi quod quicquid factum fuerit per predictos tres sit ualidum et firmum et nullo modo possit remoueri et uox illius
d quarti qui nollet id quod alii uellent non ualeat ymo sit cassa et nullius ualoris et incurrat ille quartus penam nichilominus librarum uiginti quinque et hoc ualeat et teneat dum tamen hoc quod fieret fieret secundum formam capitulorum societatis et secundum quod placuerit maiori parti credencie.

Quod rector nullum munus recipiat.

Item statutum est quod rector seu rectores societatis nullum munus recipiant per se uel per aliam nisi ebsculentum uel poculentum.

Quod rectores non bibant nec comedant in tabernis.

Item statutum est quod rector seu rectores uel consules societatis ex quo iurauerint regimen ipsius societatis non possint nec debeant alique modo bibere nec comedere in taberna in Chario sub pena et banno iuramenti et solidorum uiginti pro quolibet et qualibet uice in qua pena subsequentes rectores teneantur eos condempnare et condempnationes exscutere si fuerint accusati uel denunciati.

Quod rector non iaceat ultra tres noctes extra Carium.

Item statutum est quod rector seu consul uel consules dicte societatis non possint nec debeant iacere ultra tres noctes in mense extra Carium absque parabola maioris credentie societatis.

Quod rector stet in Cario per octo dies post exitum sui regiminis.

Item statutum est quod rector siue consules dicte societatis teneantur stare in Cario per octo dies post exitum sui regiminis reddendo ius unicuique de societate et faciendo de omni eo de quo uoluerit eum conuenire. Et si condempnaretur in aliquo non possit exire de Chario quousque soluerit condempnationem et sindicus statuatur a societate qui debeat conuenire eum pro omnibus qui sindicus statuatur per duos menses ante.

De peccunia societatis custodienda et saluanda.

Item statutum est quod rector et consules massarius et notarius societatis et massarii teneantur custodire et saluare peccuniam siue censum et iura societatis si ad manus suas peruenerint et de eo siue de ea reddere rationem in credencia singulis sex mensibus.

De aduere societatis non dando.

Item statutum est quod aliquis homo dicte societatis non possit nec debeat in consilio maiori uel priuato comunis Carii uel societatis arengare nec esse de partita modo aliquo quod donatio fiat de bonis siue de peccunia comunis Carii siue societatis predicte sub pena solidorum uiginti pro quolibet et qualibet uice et rector societatis qui contrafecerit et qui penam non acceperit predictam amittat pro pena solidos uiginti.

Titulus consiliorum.
Et primo de maiori consilio societatis eligendo.

Item statutum est quod omnes illi de societate predicta qui erunt de maiori consilio siue credencia comunis Carii sint et esse debeant de maiori cre-

a dentia dicte societatis cum totidem hominibus dicte societatis uel pluribus et elligantur ad uoluntatem credentie ipsius societatis. Et nullus alius possit uel debeat uenire ad aliquod consilium ipsius societatis nisi uoluntate credentie ipsius uel maioris partis et si uenerit uox illius nullius sit ualoris et soluat pro pena solidos decem pro quolibet et qualibet uice.

Quod rectores debeant tenere firma consilia.

Item statutum est quod rector seu rectores dicte societatis teneantur obseruare et firma tenere consilia que ei dabuntur per consilium siue credentiam ipsius societatis uel per maiorem partem ipsius
b credentie.

De partitis faciendis.

Item statutum est quod rector seu rectores societatis teneantur in consilio facere partitum de omnibus arengamentis que fient per consiliatores ipsius societatis et quod firmatum fuerit per maiorem partem ipsius credentie teneantur obseruare precisse. Item statutum est quod nullus de ipsa societate debeat prouocare nec ad se tirare per pannos aliquem alium in consilio maiori uel minori ipsius societatis nec ei dicere quod sit de aliqua partita nisi de ea de qua esse uoluerit. Et qui contrafecerit soluat pro pena solidos decem pro
c quolibet et qualibet uice.

Quod ille qui requisiuerit consilium de eo exeat.

Item statutum est quod si aliquis de societate requisiuerit consilium ipsius societatis aliqua de causa quam habuerit facere quod exposita ipsa causa per ipsum in ipso consilio teneatur et debeat exire de dicto consilio cum omnibus suis parentibus paronalibus usque in tercium gradum.

De carta non precipienda in consilio.

Item statutum est quod nullus de societate predicta debeat aliquo modo precipere cartam in con-
d silio de aliqua re firmata in consilio uel concionata et qui contrafecerit soluat solidos decem pro pena pro quolibet et qualibet uice.

De noua credencia comunis elligenda.

Item statutum est quod rector seu rectores societatis teneantur facere consilium mayus societatis per quindecim dies antequam noua credencia comunis Carii eligatur in quo consilio ordinetur quomodo et qualiter ipsa credentia eligi debeat.

De sequendo rectores in consilio.

Item statutum est quod quilibet consiliarius co-

munis Carii ex parte societatis debeat sequi recto- a
rem siue consules societatis uel eorum locumtenentes et debeat esse de partitis in quibus siue ex quibus erunt ipsi consules in consilio comunis Carii si inde acceptum fuerit consilium in consilio societatis sin autem ex improuisso factum fuerit consilium comunis Carii petat rector uel consules societatis deliberationem habendi consilium societatis in ipso consilio comunis si eam habere poterit. Et si eam habere non poterit debeat sequi consilium illorum quatuor qui supra erunt dati a parte ipsius societatis ad consulendum habendo ipse rector supra dicto facto et habere teneatur consilium ab illis de societate predicta qui ibi erunt et ille consiliarius qui contrafecerit soluat pro pena libras uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice predicti uero b
quatuor qui sedere debent iusta consules remoueantur et cambientur de mense in mensem et predicti quatuor uel aliquis eorum seu rector predictus debeat consiliari seu concionare in dicto consilio potestati de dando terminum super negocio exposito in dicto consilio comunis Carii.

De ueniendo et stando ad consilium cum pulsabitur.

Item statutum est quod quilibet de predicta societate qui sit de maiori consilio comunis Carii teneatur uenire ad dictum consilium et stare quousque fuerit finitum quandocumque consilium celebrabitur uel pulsabitur et maxime cum fuerit pre- c
conizatum sub pena solidorum quinque et pluris ad uoluntatem rectoris uel consulum.

Quod rector possit precipere cui uoluerit ut concionetur.

Item statutum est quod rector seu rectores societatis habeant plenam bayliam et libertatem ac potestatem precipiendi cuicumque uoluerit de ipsa societate et usque ad quantitatem peccunie quam uoluerit siue in maiori consilio comunis Carii uel priuata uel eciam in societate ut dicat uel concionetur super quocumque negocio uel facto quod expositum fuerit per potestatem uel rectores adequando tamen eos et qui contrafecerit soluat pro d
pena solidos sexaginta.

De penis soluendis pro rectoribus et illis qui manutenerent societatem.

Item statutum est quod si rector uel aliquis illorum quatuor qui debent esse iusta ipsum uel erunt uel aliquis alius qui diceret uel concionaretur aliquid in consilio maiori uel priuato comunis Carii pro deffensione dicte societatis manutenendo ipsam solueret aliquam penam uel incideret in aliquam penam uersus comune Carii uel potestatem quod dicta societas debeat ipsum et ipsos extrahere indempnes ex toto.

De eo qui arengaret in consilio maiori contra hoc quod esset firmatum in consilio populi.

Item statutum est quod si aliquis de societate predicta in consilio maiori uel priuato comunis Carii arengaret contra hoc quod esset firmatum in consilio maiori ipsius societatis uel contra hec que essent dicta uel concionata per rectorem dicte societatis uoluntate illorum quatuor qui sunt et sedent iusta ipsum rectorem seu per alium dicte societatis de mandato tamen dicti rectoris soluat pro pena et nomine pene solidos centum et tantum plus quantum uidebitur ipsi rectori uel consulibus uel ipsis quatuor siue maiori parti ipsorum quatuor.

De non manutenendo illum qui percussisset aliquem de societate.

Item statutum est quod si aliquis de societate predicta fuerit percussus quod Deus aduertat ab aliquo qui non esset de ipsa societate et si aliquis de dicta societate diceret uel concionaretur in consilio maiori uel priuato ipsius societatis aliquid ad deffensionem illius percussoris uel manuteneret ipsum soluat pro pena libras decem societati predicte.

De aliquo officio non dando alicui qui non sit de societate.

Item statutum est quod nullus de societate predicta possit impertiri uel dare aliquod officium quod sibi euenerit pro comuni uel nomine comunis siue societatis alicui qui non sit de societate predicta et qui contrafecerit sit ipso iure remotus ab officio nisi esset officium dapnossum.

De rationatoribus et notariis societatis elligendis.

Item statutum est quod rector uel rectores societatis habere debeant notarium et quatuor factores rationum siue unum per quartenum et eligi debeant in credentia ad breuetum et stet notarius per duos menses tantum in officio ita quod de duobus mensibus in duobus mensibus remoueatur et nemo possit esse notarius societatis nisi semel in anno et non plus et qui habuerit breuetum possit eligere semetipsum notarium societatis et habeat pro suo salario solidos duos factores uero rationum stare debeant per sex menses in officio et non plus et habeant racionatores et capitulatores et notarii et nuncius qui cum eis erunt ad capitulandum uel ad racionem faciendam quilibet denarios tres et uinum et fructus et nichil aliud habere debeant.

Quod aliquis non possit esse notarius nisi per duos menses in anno.

Item statutum est quod nullus notarius qui sit de societate possit esse notarius comunis uel potestatis Carii nisi per duos menses in anno tantum

et qui contrafecerit soluat pro pena solidos centum a et nichilominus ab officio remoueatur et quilibet notarius cui euenerit electio notarie possit eligere semetipsum non obstante aliquo capitulo.

De massario societatis et eius notario.

Item statutum est quod massarius societatis predicte et eius notarius eligantur in maiori credencia dicte societatis ad breueta de sex mensibus in sex mensibus ita quod ipsi stent in dicto officio per sex menses tantum et habeat quilibet ipsorum pro suo salario solidos decem et non plus et ille qui fuerit massarius uel eius notarius in sex mensibus non possit esse massarius nec notarius massarii usque ad duos annos proximos subsequentes et istud b capitulum sit trunchum et precissum.

De seruicio non recipiendo.

Item statutum est quod nullus de societate predicta possit uel debeat capere aliquod seruicium uel extractam aliquo modo uel ingenio per se nec per aliquam submissam personam occaxione officii in quo erit pro comuni Carii siue pro ipsa societate ultra hoc quod sibi fuerit constitutum uel ordinatum per dictam credenciam siue per comune et qui contrafecerit in quadruplum restituat et remoueatur penitus ab officio et quilibet possit accusare et habeat terciam partem accuse ponendo eam in ueritate. c

De talea non facienda nisi ad solidum et libram.

Item statutum est quod nulla talea seu colecta uel tascha possit uel debeat fieri in Chario per comune Charii siue per dictam societatem uel per aliquam personam nomine ipsius comunis uel societatis predicte sub aliquo uiuo ingenio aliquo modo uel racione nisi ad solidum et libram et idem intelligatur de mutuo siue presto nisi esset de uoluntate creditoris et qui contrafaceret uel uenire attemptaret modo aliquo uel ingenio amittat pro pena libras quinquaginta et perpetua notetur infamia et sit infamis ipso iure. Quod capitulum sit precissum et firmum et ratum nec possit de eo peti d licentia nec dari nec poni in consilio modo aliquo sub penis superius nominatis.

Quod quilibet de societate soluat taleam de omnibus suis bonis et uxoris et filiorum eius.

Item statutum est quod omnes illi de dicta societate habentes uxores dotatas que fecerunt regestum per se et separatim a maritis suis et filios emancipatos qui fecerint uel fecissent uel facerent per se et separatim regestum ab eorum patribus quod ille et illi scilicet dicti uiri et patres teneantur soluere taleam de predictis regestis societati dum tamen pater et patres stent cum filiis emancipatis et uir cum uxore dotata.

De talea soluenda societati de hereditate.

Item statutum est quod omnes illi qui stetissent uel steterint heredes alicuius uel aliquorum qui fecissent regestum teneantur soluere taleam societati de ipsis regestis.

De talea soluenda societati pro parte sibi contingenti.

Item statutum est quod quilibet de societate predicta stans cum patre suo uel fratre suo seu fratribus uel eciam cum marastra qui non sint de societate teneatur soluere taleam dicte societati pro parte sibi contingenti de bonis patris uel fratris seu fratrum ita quod regestum diuidatur inter masculos tantum ita quod aliqua pars non possit extrahi uel diminui pro filiabus nuptis uel non nuptis.

De eo qui non soluerit suas talleas et penas.

Item statutum est quod si aliquis de predicta societate qui dare deberet aliquam taleam seu penas dicte societati que reddite fuerint in malis debitoribus consulibus siue massario societatis predicte et eas non soluerit uel soluere noluerit infra decem dies postquam fuerit ei personaliter denunciatum uel preceptum ex parte rectoris seu rectorum ipsius societatis quod remoueatur de dicta societate nec inde possit habere aliquod auxilium uel consilium seu iuuamen a dicta societate et quod aliquis de dicta societate non debeat ei dare uel impartiri aliquod officium nisi dapnossum et quod sit in grauamine et deterioramento ipsius quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat nec remoueri possit sub aliquo uiuo ingenio.

De non diminuenda aliqua condempnacione.

Statutum et ordinatum est quod rector seu consules societatis predicte non possint nec debeant sub aliquo uiuo ingenio cassare uel diminuere uel relaxare condempnacionem aliquam que reperiretur esse facta per rectorem seu consules precedentes dicte societatis uel quam ipsi facerent nec de ea relaxanda uel minuenda in toto uel in parte ponere in consilio palesio uel priuato nec ob hoc sapientes congregare insimul quod si contrafacerent uel presumerent ipso iure et facto penam librarum decem et periurii pro quolibet et qualibet uice se nouerint incursuros in quam penam subsequentes rectores condempnare eos et eam a contrafacientibus exscutere teneantur sub eadem pena quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit ullo modo et factum fuit in anno Domini MCCLXXXVIII. indictione prima die iouis XXVI. mensis februarii.

Quod ille qui percusserit aliquem de societate non possit exire de banno nisi soluerit penam.

Currente anno Domini MCCLXXXXI. indictione quarta statutum et ordinatum fuit ad honorem et pacificum statum dicte societatis quod si aliqua persona que non sit de societate predicta esset bannita uel fuerit de cetero a potestate Carii siue comune uel condempnata in aliqua peccunie quantitate uel in aliqua alia pena occaxione alicuius ferute uel iniurie facte uel commisse in persona alicuius hominis societatis beati Georgii non possit nec debeat modo aliquo uel ingenio exire de banno nec habere remissionem dicte pene uel habere aliquod consilium uel iuuamen in ipsis penis seu condempnationibus a rectoribus nec ab hominibus ipsius societatis nec ab ipsa societate nisi ipsi banniti uel condempnati soluerint dictas penas in peccunia numerata nulla compensacione admissa et quod rectores societatis et quilibet de dicta societate non possint nec debeant sub aliquo uiuo ingenio in predictis uel aliquo predictorum consentire siue per capitula facienda in comuni Carii uel alio modo sed penitus teneantur ipsi rectores et quilibet de societate prohibere et deffendere fortiter ne aliquid fiat contra predicta seu quod predicte pene non soluantur in peccunia numerata et sine aliqua compensatione et sine aliquo opere comunis faciendo uel fieri faciendo nec predicta possint poni in consilio publico uel priuato nec peti licentia de predictis nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure et si aliquis qui esset capitulator pro societate in comune Carii faceret contra predicta uel aliquod predictorum uel consentiret incurrat penam librarum quinquaginta. quod capitulum sit trunchum et precissum et actendi et obseruari debeat sub pena librarum centum pro quolibet rectore dicte societatis et pro quolibet alio homine ipsius societatis librarum quinquaginta et quod capitulum legatur in maiori consilio ipsius societatis singulis duobus mensibus.

De parte penarum contingenti rectori.

Item statutum est quod rector seu rectores societatis habeant octauam partem penarum quas excusserint et alie septem partes sint dictae societatis.

Quod rectores possint imponere penas.

Item statutum est quod rector siue consules ipsius societatis habeant licentiam et potestatem imponendi penam usque ad decem solidos pro quolibet die unicuique ipsius societatis et intra rixantes solidos sexaginta ad suam uoluntatem.

Infra quod tempus rector absoluere uel condempnare debeat.

Item statutum est quod rector siue consules societatis predicte teneantur absoluere uel condem-
a pnare quemlibet a quo petent securitatem in quibuslibet duobus mensibus et ipsas condempnationes exscutere infra alios duos menses proximos subsequentes.

Quod potestas Carii non possit aliquem condempnare de hoc de quo non est capitulum ultra solidos XX.

Item statutum est quod presens potestas et qui pro tempore fuerit in Cario et quilibet alius rector comunis Carii non possit nec debeat aliquem condempnare ultra formam capitulorum comunis Carii nec alicui petere securitatem ultra formam capitulorum comunis Carii. Et si aliquis faceret uel di-
b ceret aliquid de quo non esset capitulum et potestas Carii peteret ei securitatem quod non possit condempnare aliquem de eo de quo non esset capitulum ultra quantitatem solidorum uiginti nec petere securitatem ultra quantitatem solidorum quadraginta. Et si contrafieret non ualeat ymo ipso iure sit cassum irritum et inane et hoc capitulum sit trunchum et precissum quod ponatur in libro capitulorum comunis Carii et similiter in capitulis ambarum societatum. Quod capitulum consules dicte societatis teneantur in omnibus obseruare et in aliquo non contrauenire et deffendere precisse quod aliquis non possit condempnari ultra formam superius declaratam nec ab eo peti securitatem ultra quam superius dictum est. Et si contrafieret uersus
c aliquem extrahatur indempnis a societatibus predictis et si rectores predicte societatis in aliquo predictorum defficerent soluant pro pena libras uigintiquinque pro quolibet et qualibet uice societati et quilibet consiliarius libras decem. Quas condempnationes consules societatis exscutere teneantur in pecunia numerata.

Quod aliquis de societate non debeat alium percutere uel dismentiri.

Item statutum est quod aliquis de societate predicta non debeat alium de dicta societate dismentiri nec dicere in consilio uel in presencia rectoris uel alibi quod ipse mentitur. Et qui contrafecerit
d soluat pro pena solidos decem pro quolibet et qualibet uice. Et si extraheret cutellum soluat solidos uiginti et si eum percuteret de manu soluat solidos sexaginta. et si de gladio solidos centum.

De uerbo iniurioso rectori non dicendo.

Item statutum est quod si aliquis de predicta societate dixerit aliquod uerbum iniuriossum rectori uel consulibus societatis uel alicui ipsorum soluat pro pena in dicta societate solidos centum pro quolibet et qualibet uice. Et si aliquis aliquem predictorum percusserit dum fuerit in dicto consulatu uel regimine quoquo modo incurrat penam librarum quinquaginta et casetur de dicta societate. qua-

rum penarum tercia pars sit potestatis comunis Carii qui eas exscuciet tercia societatis et alia tercia accusatoris. a

De eo qui tractauerit malum societatis.

Item statutum est quod si aliquis de predicta societate tractaret aliquod malum uel machinationem contra praedictam societatem et hoc inueniri posset per rectores ipsius societatis et ex inde reprobatus fuerit cum ratione uel fama fuerit per tres partes credencie soluat pro pena libras uiginti quinque et sit infamis et perpetuo ab omni officio ipsius societatis priuetur.

De eo qui tractauerit malum societatis.

Item statutum quod si aliquis qui non sit de dicta societate fecerit a modo in antea uel tractauerit uel hinc retro tractauisset in Cario uel extra aliquod quod non sit honor dicte societatis quod nomen illius uel illorum scribatur in presenti capitulo de bona et grossa littera cum millesimo et indictione sub quo et qua hoc faciet et factum quod tractabat ad eternam rei memoriam. et quod consules nec aliquis ipsius societatis non debeant ullo modo illi uel illis qui fuerint scripti in dicto libro aliquo tempore dare uel prestare aliquod consilium uel iuuamen in aliquo suo negocio siue facto quod haberet facere in aliquo loco sub pena et banno c librarum uiginti pro quolibet et qualibet uice sed eis eorum posse nocere teneantur.

Titulus intrantium societatem. Et primo quod aliquis non recipiatur in societate nisi in consilio maiori.

Curente anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono indictione duodecima statutum est quod rector siue consules societatis non possint nec debeant a modo in antea recipere aliquem in societate predicta nisi in consilio maiori dicte societatis et tunc facta propositione et partita illius d uel illorum qui intrare uoluerit uel uoluerint in dicta societate si quatuor partes dicte credentie erunt in concordia tunc recipiatur. alioquin minime et qui contrafecerit rector siue consul incurrat penam librarum quinquaginta. et sit extra regimen dicte societatis ipso iure ab illa die in antea et de hoc non possit peti licentia nec aliquod relaxamentum nec dari. de qua pena potestas qui pro temporibus fuerit in Cario habeat terciam partem et societas duas partes et rectores qui erunt preter illos qui derelinquerint teneantur exscutere predictam penam infra unum mensem post quam iurauerint sub eadem pena et hoc capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit ullo modo.

Quod filii parui illius qui est de societate intelligantur de ipsa societate esse.

Item statutum est de nouo quod filii masculi omnium illorum qui sunt uel fuerint de dicta societate intelligantur de ipsa societate esse usque ad etatem quindecim annorum et semper possint intrare in ipsam societatem infra ipsum tempus quindecim annorum cum uoluerint non obstante capitulo infrascripto loquenti quod aliquis inimicus alicuius de societate non recipiatur in ea nec aliquo alio nec contradictione alicuius persone. Finita uero etate quindecim annorum esse non intelligantur de dicta societate nisi de ea iurauerint secundum formam capitulorum ipsius societatis et tunc habeant b locum omnia capitula ipsius societatis.

De aliqua condictione non facienda alicui intranti societatem.

Item statutum est quod aliquis uolens intrare in dictam societatem non possit habere a dicta societate aliquam peccuniam nec ei fiat aliqua condictio causa intrandi in ea et hoc capitulum sit trunchum et precissum et si aliquis contraueniret dicto uel facto incurrat penam librarum decem et si fuerit rector sit remotus ab officio regiminis ipso iure.

De aliquo forensi non recipiendo in societate nisi steterit in Cario ante per unum annum.

Item statutum est quod nemo forensis ab hodie in antea non possit recipi in societate predicta nisi steterit in Cario cum sua familia per unum annum ante quam recipiatur in dicta societate et quod aliquis forensis a modo in antea non possit dictam societatem intrare nec in ea recipi ullo modo nisi domum emerit uel habuerit in Cario et nisi soluerit talleam societati de omnibus bonis suis. Et si quis rector uel alius contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret incurrat penam librarum decem pro quolibet et qualibet uice. Eo saluo quod istud capitulum non intelligatur in hominibus Cambiani qui intelligantur esse carienses.

De non recipiendo in societate aliquem inimicum alicuius de societate.

Item statutum est quod nullus recipiatur in societate predicta qui sit inimicus alicuius hominis societatis modo aliquo uel aliqua ratione et si contrafieret non ualeat receptio et illi inimici intelligantur qui fecerint uel fecissent ferutam inter se se uel essent in treguis.

De non exeundo de societate.

Item statutum est quod non liceat alicui de predicta societate de ea exire nec aliquam aliam intrare que possit nocere uel uenire contra ipsam

societatem et qui contrafecerit soluat pro pena libras quinquaginta et sit infamis de dicta societate.

Quod duo libri fiant in quibus scribantur illi de societate.

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto indictione decima tercia die dominico uigesima nona mensis iulii. Statutum et ordinatum fuit in maiori credentia ipsius societatis quod duo libri fiant in quibus scribantur omnes illi qui sunt de dicta societate et fuerint Deo dante eo modo quod in utroque libro scriptura fiat eadem manu et quod unus dictorum librorum ad hoc quod fraus aliqua ibi fieri non possit custodiatur penes fratres minores uel aliquos alios quos uoluerit ipsa societas et alium custodiant consules dictae societatis. et quod nemo teneatur nec intelligatur esse de dicta societate nisi in dictis libris eadem manu reperiatur scriptus uel nisi inde habuerit publicum instrumentum scriptum manu notarii tunc societatis factum a tempore M CCCXIII a die nono mensis septembris citra. Et si a modo aliquis reciperetur in societate quod ante quam scribatur in ipsis libris defferat secum summam sui regesti si habuerit regestum. alioquin quod summa de eo quod debuerit soluere societati scribatur similiter ibidem que summa non possit esse minoris quantitatis librarum uiginti quinque donec habuerit regestum in comuni Cary. Quam summam consules scribi faciant in regesto dicte societatis similiter ante quam scribantur in dictis libris.

Quod aliquis de hospiciis balborum albuzanorum et pulloliorum non possit esse de societate populi.

In nomine Domini amen. Anno a natiuitate eiusdem M. CCLXXX. die sabbati XXVII. mensis aprilis. Statutum est et ordinatum in plena et generali credencia comunis Carii in ecclesia sancti Guillelmi per campanam et uocem preconiam more solito congregata et per ipsam credenciam siue per credendarios qui in ipsa credencia erant quasi nemine discrepante facto partito per nobilem uirum dominum Umbertum palidum Carii potestatem quod aliquis de hospiciis balborum albuzanorum et pulloliorum non possit intrare nec esse aliqua ingenii subtilitate in societate seu de societate sancti Georgii aliquo tempore et quod potestas qui nunc est et qui pro temporibus fuerit non debeant pati quod aliquis de predictis hospitiis superius nominatis sit nec esse debeat de societate predicta aliquo tempore in futurum. Et si potestas uel rectores comunis Carii qui pro temporibus fuerint uel consules societatis tam militum quam populi contra predicta fieri paterentur uel aliquod predictorum quod potestas uel rector comunis Carii incurrat penam librarum tercentum pro qualibet uice sui salarii et consules seu quilibet ipsorum incurrat penam librarum centum pro qualibet uice. Et si ali-
a quis alius diceret tractaret uel operam daret palam uel priuatim quod aliqui predictorum reciperentur uel admitterentur in societate predicta incurrat penam librarum quinquaginta pro qualibet uice. Quam penam seu penas potestas teneatur exscutere in pecunia numerata et ipsum uel ipsos condempnare infra octo dies postquam fuerit ei notum et ueritatem sciuerit de predictis in plena et generali concione et nichilominus potestas et rectores comunis Carii et consules societatum si contrafieri paterentur sint ipso iure officio eorum priuati et quilibet alius contrafaciens sit infamis. Item uoluerunt et statuerunt quod si aliquis qui sit de predictis hospitiis intraret in societate predicta incurrat penam librarum ducentum astensium quam penam si sol-
b uere non posset ponatur in banno comunis Carii in perpetuum de quo exire non possit nisi prius predictam penam soluerit in peccunia numerata et omnia eius bona interim publicentur. et eciam applicentur ut infra. et quod aliquis de predictis hospiciis non possit habere aliquod officium in societate predicta nec etiam dignitatem sub penis superius nominatis et si aliqui capitulatores per credenciam uel per aliquem uel aliquos nomine comunis Carii aliquo tempore elligerentur quod non possint super presenti capitulo in contrarium aliquid dicere uel tractare uel in aliqua parte dicti capituli nec ipsum capitulum in aliquo diminuere uel etiam derogare et si fieret aliquid in contrarium quod potestas non debeat pati quod futuri
c potestates iurare debeant super predicto capitulo et incurrat quilibet contrafaciens penas superius nominatas que distribuantur secundum quod continetur in capitulo seu capitulis loquentibus de amasamentis non faciendis et de non exeundo de societatibus et in adiunctis ipsorum capitulorum. Et hoc capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit nec etiam cancellari in totum uel in aliqua parte sui et ualeat et teneat in perpetuum aliquo capitulo facto uel facturo non obstante et hoc capitulum ponatur et scribatur in libro capitulorum comunis Carii et in capitulis ambarum societatum ita quod remoueri non possit et cuilibet uolenti fiat inde publicum instrumentum. Cui instrumento fides adhibeatur et detur tamquam ca-
d pitulo supradicto et que instrumenta potestates et rectores comunis Carii qui pro temporibus fuerint teneantur precisse in omnibus obseruare tamquam capitulum supradictum.

Titulus de iniuriis et percussionibus. Et primo de eo cui facta fuerit iniuria uel percussio.

Curente anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono indictione secunda statutum fuit in pleno et generali consilio ipsius societatis quod si aliquis de societate cui esset facta iniuria uel percussio ab aliquo alio qui non esset de societate uellet se uendicare et posset uel fieri facere uindictam super illum uel illos qui dictam iniuriam uel

maleficium commisissent uel super illos de parentella sua quod rector siue consules societatis iamdicte teneantur facere securitatem uel fieri facere unum uel plures uersus potestatem Carii et comune tocius terre et quod liceat rectori uel consulibus dicte societatis constringere quemlibet de societate et precipere sub pena librarum uiginti quinque ut fideiubeat pro eo uersus comune Carii.

De eadem materia.

Item statutum fuit quod si contingeret quod aliquis de societate cui esset facta percussio uel maleficium uel iniuria et quoadiutores sui incurrerent in aliquo banno siue pena pro uindicta aliqua facienda. rector siue consules societatis predicte teneantur illud bannum uel penam soluere in integrum de aduere societatis infra mensem unum postquam uindicta facta fuerit.

De eadem materia.

Item statutum fuit quod si aliquis de societate predicta cui esset facta iniuria uel percussio daret uel promitteret aliquam peccuniae quantitatem alicui occaxione uindicte faciende quod rector uel consules ipsius societatis teneantur soluere et solui facere ipsam peccuniam de denario societatis infra unum mensem in denariis numeratis et qui contrauenerit soluat libras uiginti quinque pro pena pro quolibet et qualibet uice.

De hominibus preparandis habenti discordiam.

Item statutum est quod rector uel consules societatis predicte teneantur et debeant precisse preparare de hominibus dicte societatis cuilibet de dicta societate habenti guerram uel discordiam cum aliquo qui non esset de societate tot quibus possit esse stare et reddire securus et similiter quoadiutores sui tam pro uindicta facienda quam pro omnibus aliis sibi necessariis ad conseruationem rerum et personarum et quilibet cui necesse fuerit possit inde habere instrumentum.

Confirmacio dictorum capitulorum.

Item statutum est quod si rector uel consules societatis ponerent aliquid in consilio quod ueniret contra predicta capitula facta occaxione iniuriarum uel percussionum factarum uel faciendarum in personis aliquorum societatis ab aliquibus qui non sint de ipsa societate uel ipsa capitula non seruarent uel defficerent in hiis seruandis in aliquo soluant et amittant libras quinquaginta et si quis de societate contra predicta uel aliquod predictorum arengaret in consilio maiori uel in consilio societatis predicte maiori uel minori aliquid uel quocumque alio loco uel foret de partita contra predicta uel aliquod predictorum soluat libras uiginti quinque pro pena
a quotiens contrauenerit uel fecerit quarum penarum quarta pars sit potestatis Charii alia quarta pars rectoris societatis alia quarta ipsius societatis et alia quarta pars illius uel illorum cui uel quibus predicta essent necessaria et instrumenta que inde facta fuerint de predictis capitulis illis personis quibus necesse fuerint fiant et fieri debeant expensis societatis predicte et hec omnia sint precissa non obstante aliquo capitulo facto uel facturo contrauenientе.

De stremia sonanda.

Item statutum est quod si quis qui non sit de societate sancti Georgii percusserit aliquem dicte societatis uel manum possuerit in persona alicuius dicte
b societatis quod potestas siue rector dicte societatis uel consules teneantur et debeant precisse et sine tenore facere sonari stremitam et se armare et currere ad arma omnes illos predicte societatis et ad se uenire armatos facere et facere cum ipsis ultionem de maleficio commisso secundum qualitatem maleficii et personae et si incontinenti ultionem non fecerit potestas uel rector uel consules habeant plenam licentiam et bayliam ad suam uoluntatem faciendi ulcionem in illo qui maleficium commisserit uel quoadiutoribus suis ita quod ultio fiat ut superius dictum est et non possit remanere ullo modo et si non fecerit dictus potestas uel rector uel consules remoueatur siue remoueantur ab offi-
c cio potestarie uel consularie ita quod amplius non sit siue sint potestas uel rector siue consules et totum suum salarium amittat seu amittant et quilibet societatis teneatur uenire armatus cum suis armaturis ad hospitium predicti uel predictorum potestatis rectoris uel consulum uel ibi ubi fuerint potestas rector uel consules predicte societatis ad faciendum ultionem predictam ad uoluntatem dicti potestatis uel rectoris uel consulum et ibi esse ut superius dictum est cum stremita ter pulsata fuerit et qui contra fecerit soluat pro pena libras decem et plus ad uoluntatem potestatis uel rectoris uel consulum dicte societatis de illic non se remouendo sine uoluntate predicti potestatis uel rectoris seu consulum sub pena predicta librarum decem absque
d parabola uel licentia potestatis uel rectoris uel consulum dicte societatis et quilibet societatis possit inde accusare mostrando accussam esse ueram donec concordiam fecerit cum eo cui maleficium esset factum. Et si quis dicte societatis ueniendo ad dictam stremitam ad hospitium potestatis uel rectoris uel consulum dicte societatis uel alibi incideret in aliquam penam illa de causa pro aliquo precepto sibi facto per maiorem potestatem comunis Carii quod societas predicta teneatur soluere penam pro eo siue pro eis et facere securitatem et eum uel eos indempnes trahere. Et hoc capitulum obseruari debeat per potestatem uel rectorem uel consules predicte societatis et ad consilium sapientum eiusdem societatis quod capitulum factum fuit per dominum Loy-

sium Scarampum rectorem tunc societatis predicte a et per uiginti sapientes electos per ipsos et per eius clauarium et notarium uoluntate maioris credentiè societatis.

De currendo ad arma et ueniendo ad confalonum.

Item statutum est quod si contingeret quod rector uel consules societatis ponerent manus ad arma siue ad stremitam uel facerent congregari homines societatis cum armis in mercadillo uel alio loco quod quilibet ipsius societatis teneatur ire et currere cum suis armis ad ipsos rectores et stare cum ipsis in loco ubi esset confalonum et facere precepta suorum rectorum sub pena librarum uiginti quinque b nisi haberet iustam deffensionem. Et si quis societatis iret ad aliquem alium locum siue ad domum alicuius uel aliquorum de Cario cum armis uel sine armis contra consules uel societatem predictam quod ipsi consules et homines societatis teneantur ire ante quam deponant arma ad domum illius qui esset cum illis qui essent rebelles ipsorum rectorum et societatis et eius domum funditus diruere et ipsum de dicta societate cancellari facere et eum condempnacione in libris quinqueginta.

De ferrariis et muratoribus et magistris manerie.

Item statutum et ordinatum est per credentiam dicte societatis et concionem quod si contingeret c quod consules societatis et ipsa societas ponerent manus ad arma uel currerent quod quilibet ferrarius et murator dicte societatis teneatur secum aportare unum pichum et quilibet magister manerie unam securim et quilibet habens albalistam uel archum debeat illam uel illum secum aportare ad dictam stremitam et quod consules teneantur ponere et facere anteire omnes habentes albalistas et archus ante confalonum societatis cum albalistis et arcubus teysis et quarellis et sagitis preparatis et habere quatuor centum homines de melioribus societatis ante confalonum siue aput in capite quorum quilibet habeat panceriam siue lameriam cum capello ferreo et in fine tocius populi ponantur retro ad caudam uiginti quinque homines de bonis so- d cietatis qui debeant restringere alios de societate ne fugiant et si aliquis fugeret incurrat penam librarum quinquaginta et predicti uiginti quinque possint impune percutere omnes fugientes et eis imponere penam ut stent firmi et tenere faciem et arma uersus inimicos et rebelles dicte societatis et si contingeret quod societas iret ad domum alicuius quod consules societatis qui tunc essent debeant cum confalono societatis adscendere super illam domum cum centum hominibus ipsius societatis qui uocentur per ipsos consules sicut eis uidebitur et cum omnibus magistris manerie et cum illis de pichis et ipsam domum integraliter diruere usque in fundamentum. Et si aliquis qui uocatus esset per ipsos consules siue ad eundum ante confalonum siue ad standum ad confalonum siue ad standum retro uel ad ascendendum super domum uel ad aliquid faciendum quod ille qui recussaret facere precepta consulum incurrat penam librarum quinquaginta et nichilominus incontinenti remoueatur de ipsa societate pena soluta et ipso iure sit remotus. Quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit et obseruetur habendo respectum ad qualitatem maleficii et personarum et secundum quod uidebitur sapientibus societatis. Et si aliquis balistarius uel archator inueniretur alibi quam ante confalonum soluat pro pena solidos centum. Et si aliquis magister manerie uel murator uel ferrarius non haberet asiamentum suum ut supra. et inueniretur alibi quam super domum super qua essent rectores soluat pro pena solidos centum. et quatuor centum qui debent esse aput confalonum cum pancerìis et uiginti quinque qui debent esse in fine scribantur in quodam quaterno papiri.

De currendo ad rumorem si rixa moueretur.

Item statutum et ordinatum est quod si contingeret quod absit quod rumor siue rixa moueretur in aliquo loco inter aliquas personas quod quilibet supradicte societatis qui hoc audiuerit uel uiderit illuc currat omni obmisso negocio et si uiderit quod dicta rixa esset inter aliquos qui essent de dicta societate cum aliquo uel aliquibus qui non essent de dicta societate quod ille et illi qui ibi erunt de dicta societate debeant fortiter et robuste prestare illi uel illis qui essent de dicta societate qui rixam haberent auxilium consilium et fauorem totis uiribus atque posse tam uerbis quam facto uel dicto et cum armis uel sine armis et si ille qui esset de dicta societate habere rixam cum aliquo uel aliquibus qui non essent de ipsa societate contingeret quod in continenti illi qui essent de dicta societate extrahant et extrahere debeant eorum gladium uersus alios aduersarios qui non essent de dicta societate et se antefacere uiriliter et opponere in deffensionem et adiutorium illius uel illorum de dicta societate et suorum quoadiutorum. Et si aliquis contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret penam librarum decem se nouerit incursurum ipso facto et iure pro quolibet et qualibet uice. Et si aliquis uel aliqui de dicta societate uel qui non esset de dicta societate in aliqua rixa rumore uel acauigluca prestarent auxilium uel fauorem uerbis dicto uel facto alicui de societate uel quoadiutoribus suis et ob hoc in aliquam penam uel bannum incideret uel inciderent uersus comune Carii uel aliam personam seu uniuersitatem seu quocumque alio modo aggrauarentur quod penitus extrahantur indempnes de predictis et quolibet predictorum per consules et rectores ipsius societatis et per ipsam societatem ipsius societatis sumptibus et expensis et ad que seruanda consules uel rectores qui tunc essent in ipsa societate teneantur proprio

a iuramento et sub pena librarum decem pro quolibet et qualibet uice.

De credendo percusso.

Item statutum et ordinatum est quod si contingeret quod Deus aduertat quod aliquis dicte societatis esset percussus uel uulneratus ab aliqua persona que non esset de dicta societate palam uel priuatim forensi uel cariensi quod si ille cui facta fuerit dicta percussio uel uulneratio uoluerit dicere quod aliqua persona alicuius hospicii uel aliquod hospicium de Cario fecisset fieri dictam percussionem uel uulnerationem seu in ea consensisset uel eam propriis manibus fecisset quod eidem percusso uel uulnerato credatur de ipsis de quibus dixerit *b* hoc fecisse uel fieri fecisse eius solo uerbo et parentibus dicti percussi et quod uindicta de dicta percussione et uulneratione debeat capi et fieri super illos et contra illos de quibus dixerit percussus seu eius parentes et contra illos fieri prout in capitulis continetur et tantum plus quantum placeret percusso et parentibus et societati sancti Georgii. Et istud capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit modo aliquo uel aliqua ratione et obseruari debeat sub pena et banno librarum quinquaginta astensium pro quolibet et qualibet uice contrafaciente in aliquo.

c *De impedimento non prestando alicui currenti ad arma.*

Item statutum et ordinatum est quod si contingeret quod Deus aduertat quod aliqua persona uel persone que non essent de societate faceret uel prestaret aliquod impedimentum siue insultum aliquibus uel alicui hominibus dicte societatis euntibus uel eunti uenientibus uel uenienti ad stremitam dicte societatis uel extraheretur siue prohiceretur aliquis lapis seu quarellus uel aliquod aliud armamentum uel aliquid aliud causa nocendi uel offendendi contra aliquem uel aliquos dicte societatis modo aliquo uel aliquo tempore seu aliqua die quod illa domus seu turris uel palacium de quo uel de qua prohiceretur aliquis lapis uel quarellus seu ali- *d* quid aliud ut supra causa nocendi contra aliquem diruatur et destruatur usque in fundamentum per ipsam societatem sancti Georgii et rectores ipsius societatis et quod uindicta fiat et capiatur contra omnes et singulos qui contra predicta fecerint uel aliquod predictorum ac si manus posuissent in persona alicuius uel aliquorum societatis predicte sicut in capitulis plenius continetur. et tantum plus quantum uideretur illis contra quos predicta facta essent et sapientibus societatis predicte. Que omnia et singula rectores ipsius societatis et ipsa societas et homines ipsius teneantur inuiolabiliter obseruare sub pena et banno librarum quinquaginta astensium pro quolibet et qualibet uice.

Confirmatio suprascriptorum capitulorum.

Item statutum et ordinatum est quod predicta omnia et singula et quodlibet predictorum sint capitula truncha et precissa et obseruari debeant et attendi per rectores qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint in societate predicta. Et quod quilibet dicte societatis possit habere publicum instrumentum de dictis capitulis et de quolibet ipsorum unum uel plura. Et quod notarius qui scripsit dicta capitula teneatur dare instrumentum de predictis et quolibet predictorum cuilibet dicte societatis uolenti et petenti quod instrumentum cum omnibus in eo et super penis ibi appositis consules et rectores qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint in dicta societate et ipsa societas et homines ipsi teneantur cuilibet obseruare qui dictum instrumentum obstenderet eisdem et siue si dicta capitula essent scripta uel non in libro capitulorum societatis predicte. Que omnia et singula predicti consules debeant iurare actendere et obseruare ad sancta Dei euangelia corporaliter tacta in omnibus et per omnia et sub penis superius nominatis et etiam omnes credendarii ipsius societatis. Que omnia facta et approbata fuerunt curente anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono indictione secunda die dominico decima septima mensis aprilis. coram Bruno Calza et Borio trombatore sub consulatu dominorum Rizardi Merlonis Rollandini Capastri Milonis de Medicis Boni Iohannis Rubei et Iohannis Orselli.

De ueniendo ad consules si fierit rixa.

Item statutum est quod si aliquis de societate predicta moueret rixam in consilio societatis uel alibi cum aliquo de societate dum societas esset ad arma uel crida facta esset per preconem societatis quod quilibet de societate deberet se armare et uenire ad locum ubi essent consules incurrat penam librarum uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice et canzelletur de societate et de ea expellatur.

Prologus capitulorum de parentella societatis.

In nomine Domini amen anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo indictione quarta. Hec sunt capitula siue ordinamenta facta per infrascriptos sapientes ad hoc specialiter deputatos ordinacione consilii generalis et insuper congregatione dicte societatis beati Georgii sub porticu beati Gullielmi uoce preconia et sonu campane more solito congregati et insimul quoadunati quadam die mensis septembris auctoritate et ex baylia eisdem a supradicto consilio et congregatione data et concessa quorum sapientum nomina sunt hec. Iacobus de Felereis. Petrus Mahonerius. Henricus de Tagloto. Ambroxetus de Balada. Iohannes de Godiano.

Bonus Iohannes Ruffus Bertinus Calozanus. Guilelmus Faber. a

De squara non facienda nec tenenda.

In primis ad honorem Dei et beati Georgii pro magno comodo et utilitate ac pacifico statu societatis predicte et comunis Carii tranquilitate magna et pace conseruanda in ipsa societate et in hominibus ipsius societatis. Et ut omnis scandali et disensionis materia sopiatur statutum et ordinatum fuit concorditer per supradictos sapientes quod aliqua squara non fiat de cetero in ipsa societate per aliquos homines ipsius societatis ultra corpus dicte societatis nec teneri nec fieri possit ullo modo palam uel priuatim inter homines ipsius societatis nec b cum aliquibus hominibus qui non sint de ipsa societate et si qua squara fuit facta hinc retro uel est in hominibus ipsius societatis uel cum aliis qui non sint de dicta societate uel promissio aliqua seu coniuratio uel immitatio ex nunc sit cassa et uana ipso iure et nullius ualoris ita quod ex ea seu ex hiis uti non possit ullo modo de cetero sub penis infrascriptis. hoc expressim aucto et dicto quod illi de hospitio merlengorum mercadillorum gribaudengorum et illorum de castello qui sunt de dicta societate teneantur et debeant prohibere ne alique square fiant in ipsa societate nec in hominibus ipsius societatis nec teneantur nec quod aliqua disensio in ipsa societate oriatur nec esse possit eorum posse et si oriretur uel fieret in ipsis homi- c nibus ullo modo non debeant consentire. Sed pocius omnes de dictis hospitiis qui sunt de dicta societate et quilibet ipsorum et generaliter omnes alii de dicta societate teneantur et debeant supradicta prohibere et ad inuicem inter se se diligere et amare et unum alium quoadiuuare et seruire quemadmodum boni socii et iurati et si aliquis uel aliqui dicte societatis faceret uel ueniret seu facere uel uenire presumeret uel attemptaret contra supradicta uel aliquod de supradictis dicto uel facto palam uel priuatim incurrat penam et bannum librarum quinquaginta et depellatur de societate tociens quotiens contra actum fuerit uel factum foret et soluta dicta pena semel uel pluries omnia et singula supradicta nichilominus in sua remaneant d firmitate quam penam rector uel rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate teneantur exscutere in peccunia numerata sub pena et banno librarum quinquaginta pro quolibet et qualibet uice.

De parentella siue hospicio societatis.

Item statutum et ordinatum fuit quod infrascripti homines dicte societatis sint et esse debeant et nominentur unum hospitium scilicet hospitium dicte societatis sancti Georgii qui homines debeant consulere recte et legaliter ipsam societatem et consules et homines ipsius societatis bona fide. Et si contingeret quod absit quod aliqua persona que non esset de dicta societate cuiuscumque conditionis esset percuteret aliquem hominem dicte societatis stantem in Cario uel uulneraret uel si esset seu contingeret de cetero quod aliquis dicte societatis habitans in Cario percuteret uel uulneraret uel guerram caperet aliquem uel aliquos qui non esset dicte societatis stantes in Cario quod infrascripti homines dicte societatis teneantur precisse et debeant sine tenore portare et defferre palam arma seu falcastrum iuxermam uel ensem et brazaleriam tantum quantum portaret ille de dicta societate seu illi qui discordiam haberet uel haberent et tantum quod uindicta fieret de dicta percussione. Et quousque ille qui haberet dictam discordiam uel cui facta esset dicta percussio uel qui faceret dictam uindictam ad pacem seu concordiam peruenissent cum aduersariis suis et ire et reddire et stare cum illo qui haberet dictam discordiam et ipsum asociare. ad quam uindictam faciendam infrascripti teneantur et debeant precisse inter ceteros dicte societatis et cum illis dicte societatis ita facere et procurare cum effectu quod uindicta predicta de percussione facta illi de societate fiat penitus et fieri debeat. hoc insuper addito et expressim dicto quod si contingeret quod aliquis qui non esset de societate percuteret aliquem seu aliquos dicte societatis et ille uel illi qui percussi essent se uindicarent uel uindictam facerent quoquo modo de dicto maleficio in illum qui dictum maleficium comisisset seu in aliquem uel aliquos de ipsius parentella qui non essent de ipsa societate. Quod rectores societatis et ipsa societas teneantur precisse et sine timore et sub pena et banno librarum centum pro quolibet rectore extrahere illum uel illos qui facerent dictam uindictam et eorum quoadiutores indempnes de aduere dicte societatis et ita facere curare et complere cum effectu dare et dari facere illi uel illis qui dictam uindictam facerent pacem et concordiam cum illis contra quos facta esset dicta uindicta et cum omnibus illis de eorum parentella siue essent uel non essent dicte societatis et ipsos constringere ad dictam pacem faciendam infra duos menses postquam dicta uindicta facta esset. Et si contingeret quod ille uel illi contra quos fieret dicta uendicta et illi de eorum parentella siue essent de societate siue non nollent in dicta pace facienda consentire quod rectores societatis et homines ipsius et ipsa societas teneantur precisse et sub eadem pena ponere manus ad arma et currere contra illos qui in dicta pace facienda nollent consentire et eos omnibus modis constringere quibus poterint ut dictam pacem faciant et eam obseruent et teneant perpetuo incorruptam ita et taliter constringatur ipse et omnes alii de sua parentella ad dictam pacem faciendam et tenendam quod ille uel illi de dicta sua parentella qui nollent facere dictam pacem et factam tenere quod societas predicta teneatur precisse guastare incontinenti bona sua integraliter omni anno et guasta tenere in perpetuum scilicet domum uineas segetes et prata quousque

in dicta parte consenserit. Et si aliquis de dicta a sua parentella propter quam predicta bona essent guastata daret eidem aliquod consilium palam uel priuatim seu iuuamen quod bona illius similiter debeant deguastari et deguastata teneri omni anno ut supra. Et si aliqua persona siue esset de societate siue non daret uel faceret aliquod malum uel iniuriam in persona uel rebus illi uel illis qui dictam pacem nollent facere quod extrahatur dicta persona indempnis per societatem predictam et penitus conseruetur. Que omnia sint truncha et precissa et attendi et obseruari debeant per rectores societatis et per homines ipsius societatis sub predictis penis et sub pena et banno pro quolibet dicte societatis et qualibet uice librarum uiginti quinque ultra alias penas contentas in aliis capitulis b ipsius societatis remanentibus ipsis capitulis nichilominus in eorum firmitate et presens capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit.

Nomina uero hominum dicte societatis qui sunt de dicto hospicio sunt hec.

Dominus Milo de Pasquerio
Iacobinus de Rosso
Bertholomeus de Bayhono
Mutinus de Ripa
Iacobinus de Masio
Bertotus Faber
Conradinus Centorius
Berardinus de Negro
Conradus Bara
Henricus Scutinus
Iacobus Cessarius
Magister Od. de sancto Stephano
Boseta Merlo
Neyronus Manzius
Oddonus Narro
Uricus Pometus
Ulinerius Zauancius
Bezonus Armannus
Dominus Ubertus Betrauiua
Laurencius Taglauigna
Maynfredus Coayda
Uricus Faber
Thomaynus Patrichus
Iohaninus de Herenzono
Iohanninus de Folia
Perotus Clapus
Bertolomeus Rabellator
Benentonus Seacerius
Raymundinus de Nauis
Conradus Gallus
Henrietus Merlo
Bucinus Bocia
Iacobus Capaster
Perceuallus Merlo
Bertolomeus Merlo
Mellaninus Manzius
Oddonus Merlo
Rizardus de Bocia
Iacobus Faretus
Iacobinus Fornerius
Iohannes de Becho
Raymundinus Cristinus
Guillielmus de Serbono
Perinus Anselmus
Iacomotus Zauantius
Conradus de Tagloto
Michael de Tagloto
Perceuallus de Tagloto
Ruffinus Aycardus
Mellanus Aycardus
Iacobus Moltonus
Iacobus de Folia
Alexander de Folia
Guillielminus de Iudeis
Guidotinus Bencius
Perinus Bencius
Ubertus Gribaudus
Benedictus Brolia
Scarampus Gribaudus
Perinus Gribaudus
Matheus Brenerius
Iacomotus Gribaudus
Martinus Gribaudus
Ruffinus Gribaudus
Maynfredus Valens
Urietus Ualens
Albertinus Dodelius
Dominus Philippus Sibonus
Rizardus Uigonus
c Iacomotus de Nigra
Bertolomeus Dodelius
Niger de Peyto
Thomaynus Scayranus
Luciotus Merlo

In Albuzano.

Matheus Bolengherius
Perinus Bezonus
Oddoninus Dininus
Perinus de Felereis
Mellanus Quarnerius
Thomaynus de Pariete
Thomazonus Gayetus
d Oddoninus Ucellus
Rauera de Riberio
Morinus Foacia
Bertellus Maritanus
Guillielmus Durandus
Mussus Buschetus
Thomaynus Mahonerius
Ardicio de Paxano
Matheus de Bestano
Ubertus Capra
Iohannotus Aloetus
Boninus Hughessus
Iohannotus Moleya
Obertinus Tauanus
Brunus de Gerbo

Henriotus de Gerbo
Ardicio Ceruinus
Robaudus Caxanus
Guillionus de Uiasca
Thomaynus Merlo
Iacobus Uetulus
Francischus de Canali
Milo de Cerio
Bertotus Tana
Guidetus Guartinus
Carlotus Guartinus
Conradinus de Corneto
Meletus Cauderarius
Bonus Iohannes Ruffus
Iohanninus Gosbertus
Michael Formagerius
Bertotus Formagerius
Bertotus Medalia
Iacomotus Medalia
Iohanninus de Mondouio
Iacobus Mastorchius
Conradus de Uilla
Oddonellus Gambinus
Perinus de Castello
Faciotus Guaschus
Iacobinus Pepinus
Bertotus Qhiuarellus
Obertinus Martellus
Thomaynus de Mondouio
Martinus Enuerardus
Magister Guido Mayacius
Henricus Bucius
Iacomotus de Garsia
Opicinus Follus

In Herenis.

Rollandinus Centorius
Iacomonus Cor
Iacomotus Spelluca
Guidetus Candelarius
Ubertus Dodelius
Carlotus Alamannus
Oddoninus Alamannus
Martinus Alamannus
Meminus Spelluca
Facinus Alamannus
Bertulinus de Herenis
Laurencius de Herenis
Raymundonus Fornerius
Milonus Faciglerius
Bertolomeus Bolgarinus
Matheus Braerius
Guillielminus Repetus
Nicholinus de Ponte
Urietus de Tondonico
Facius de Tondonico
Bertramus Corigiarius
Thomaynus Tana
Ardicio de Montafia

a Raymundus de Podio
Iacobus de Podio
Petrus Ualdonus
Oddonus Blanchus
Bertotus Carta
Perceuallus de Medicis
Bertinus de Romana
Marletus de Balada
Bertholomeus de Balada
Guillierminus Capra
Guillierminus Nauarotus
Oddonus Uiaschus
Nicholinus Caudellus
Oddonetus Riuanus
Michelotus Becherius
b Guido Baralis
Merlo de Toscana
Iohannonus Uerghanus
Iacomotus Robestus
Raymundus Maglanus
Maynus de Riualba
Iohannes Platus
Bertolomeus Dolius
Guillierminus Cosetus
Peronus Faber
Raymundus Cauicula
Conradus Carossus
Nicholinus de Orbezorio
Bertotus de Molia
Nicholinus Berianus
c Guillierminus de Frauia

In Vayro.

Maynfreotus Perinus
Obertus de Riuayrolio
Manuel Frexius
Gualfredus Frexius
Gribaudinus de Godiano
Mucius Faber
Ruffus Faber
Bertholomeus de Monaco
Matheus Carleuerius
Iacobinus Corbella
Iohannes Sucius
d Guidotinus Mazetus
Anthonius Pexina
Symundus de Constancio
Andreas Mandrollus
Perinus Pazanus
Oddoninus de Gabiano
Iacobinus Yratus
Anthonius de Montefalcono
Guidetus Salomon
Rizardus Frexius
Neyronus Carleuerius
Andreas de Aremberto
Oddonellus de Prato
Palmerius Griseuerdus
Milo Persenda

Bertinus Richus
Bonus Iohannes de Guarino
Ysodinus Alinerius
Oddoninus Guaschus
Oddonus Guaschus
Guidotinus Guaschus
Facinus Pentenarius
Milo Calozanus
Bertolonus Calocanus
Iohannonus Orsellus
Antonius Brennius
Iohanninus Giglinus
Guillielmus Rubeus
Facinus Scota
Guidotinus de Mercadillo
Surianus Guarcinus
Berardus Perutinus
Perinus Perutinus
Anthonius de Mercadillo
Francischus de Mercadillo.

De non iuuando aliquem qui haberet rixam cum aliquo de societate.

Item statutum est et firmatum in plena et generali credentia societatis sancti Georgii uidelicet in ecclesia sancti Guilliermi die dominico octauo mensis octobris ubi dicta credentia erat ad sonum campane more solito congregata quod si quis de societate militum uel aliquis alius qui non sit de societate sancti Georgii habuerit uel fecerit aliquam rixam seu ferutam cum aliquo qui sit de societate sancti Georgii quod aliquis de dicta societate non possit nec debeat ipsum iuuare in aliquo. et qui contrafecerit soluat pro pena societati tantum quantum faciet comuni Carii et quot continetur in capitulis comunis Carii et istud capitulum debeat obseruari per homines dicte societatis et inde debet fieri instrumentum per Guillermum Fortem notarium currente anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono indictione duodecima.

De non sociando illum qui manum posuisset in aliquem de societate.

Item statutum est quod si aliquis qui non sit de di-:ta societate percusserit aliquem dicte societatis uel nanum possuerit malo animo in personam alicuius licte societatis quod non liceat alicui dicte societatis psum asociare nec cum eo mercandare nec aliquam amiliaritatem habere nec ei aliquod auxilium uel iuamen prestare sub aliquo modo uel ingenio et qui ontrafecerit soluat pro pena solidos uiginti pro quobet et qualibet uice. Et quilibet societatis inde ossit accusare mostrando accussam esse ueram. Et oc intelligatur donec concordiam fecerit cum eo ui maleficium esset factum. Quod capitulum omni ıense legatur in consilio dicte societatis.

a *Quod aliquis de societate non possit esse securitas alicui qui non sit de societate occaxione rixe habite cum aliquo de societate.*

Item statutum est quod aliquis de societate predicta non possit esse securitas alicui qui non sit de societate coram potestate Carii uel rectore occaxione alicuius rixe uel discordie habite cum aliquo de societate et qui contrafecerit soluat pro pena solidos sexaginta tociens quotiens contrauenerit.

De castellanis et comunibus circumstantibus amonendis ne redducant aliquem qui percusserit illum de societate.

b Item statutum est quod rector seu consules qui pro temporibus fuerint in ipsa societate teneantur denunciare et amonere omnes dominos et comunia uillarum iurisdictionis comunis Carii et insuper omnes alios dominos et comunia quos et que uidebuntur sapientibus dicte societatis ne debeant redducere seu recoligere aliquem seu aliquos qui non essent de dicta societate qui ponerent uel posuissent manus uiolentas in personam seu personas alicuius dicte societatis quod si non fecerint dicantur et teneantur inimici mortales dicte societatis ita quod si haberent aliquid facere in Cairo uel alibi ubi posset sibi noceri quod consules dicte societatis teneantur et debeant eisdem facere totum nocumentum quod poterint.

c

De domibus solariis et turribus expediendis consulibus.

Item statutum est et ordinatum quod quilibet dicte societatis qui habeat aliquam domum de solario uel turrim uel palacium teneatur precisse ipsam domum turrim uel palacium expedire et liurare consulibus ipsius societatis et ipsi societati incontinenti cum fuerit requisitus et eam permittere guarnire sub pena et banno librarum centum et nichilominus depellatur de societate predicta si contra predicta aliquis ueniret et quod quilibet qui habeat palacium domum uel turrim de fortia teneatur eam facere preparari et aptari sub pena et banno librarum decem pro quolibet qui contrafaceret cum esset requisitus aperte rectoribus dicte societatis. Et si ille qui dictam turrim uel domum prepararet substineret aliquam penam quod de aduere dicte societatis inde extrahatur usque ad unum mensem proximum subsequentem.

De lapide proiecto de aliqua domo uel turri.

Item statutum et ordinatum est quod si contingeret quod de aliqua domo siue turri uel palacio alicuius hominis uel aliquorum dicte societatis prohiceretur lapis aliquis uel quarellus uel aliquod aliud armamentum siue gladius uersus ipsam societatem uel aliquem ipsius societatis dum societas ad arma

fuerit uel dum iretur uel reuerteretur ad stremi- *a* tam dicte societatis quod rectores qui pro temporibus essent in dicta societate et ipsa societas teneantur precisse et sine tenore ipsam domum turrim uel palacium de quo uel de qua proiectus esset lapis aliquis uel quarellus siue gladius uel aliquid aliud causa nocendi penitus diruere usque in fundamentum.

De sindico dando illi de societate qui fuerit appellatus ab aliquo qui non sit de societate.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquis de societate predicta ab aliquo qui non sit de dicta societate fuerit appellatus coram potestate Carrii uel eius iudice uel coram quocumque alio iudice *b* uel rectore quod rector uel rectores societatis predicte teneantur et debeant uinculo iuramenti dare eidem unum sindicum de societate predicta uidelicet illum quem ille qui appellatus fuerit requisiuerit in credentia societatis predicte. Eo modo et forma quod dicti rectores possint et debeant constringere dictum sindicum si se uellet excussare ad eorum uoluntatem et ei penam imponere usque in quantitatem librarum decem astensium et ipsum condempnare et condempnationem exscutere si dictum sindicatum non faceret bona fide ad opus et utilitatem predicti appellati. Et dictus sindicus remuneretur de aduere societatis predicte et soluatur eidem sindico de suo labore ad uoluntatem credentie maioris sancti Georgii ita quod sit ad expensas *c* dicte societatis et illud idem fiat cuilibet de dicta societate cui iniuria in suis bonis et possessionibus facta foret uel esset per aliquem qui non esset de dicta societate si dictum sindicum peteret uel requireret capitulo aliquo non obstante. Et predicta fieri debeant ad expensas dicte societatis et hoc capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit.

Item statutum est quod quilibet de societate predicta qui amisserit uel derobatus fuerit quod Deus aduertat iuuetur a societate predicta omnimode quousque fuerit restitutus et peruenerit in suum ius et si contingerit factum robarie uel maleficii poni in consilio comunis quilibet de consilio debeat esse *d* de partita quod restituatur ei sub pena librarum decem.

De uestibus et salario nunciorum.

Item statutum et ordinatum est quod in pannis nunciorum societatis qui fient eisdem in festo beati Giorgii uel aliis diebus et aliis expensis dictorum nunciorum non possit uel debeat expendi ullomodo de aduere societatis ultra libras decem astenses et in guarnachis que fient eisdem nunciis circa festum sancti Martini uel omnium Sanctorum et in caligis et sub tellaribus dictorum nunciorum pro toto anno ultra libras quatuor astenses saluo quod insuper habeant a societate et nichilominus solidos triginta astenses pro eorum feudo et habere debeant et de hiis sint penitus contenti ille uel illi qui sunt uel fuerint nuncii societatis et ultra supra dicta ullo modo aliquid habere non possint a dicta societate et pro hiis omnibus teneantur et debeant officium dicte societatis exercere ut actenus mox est et fuit integraliter cum una tubeta hoc preterea addito et expressim dicto in presenti capitulo quod quum fiet cereus dicte societatis quod aliquod torticium uel candela expensis societatis fieri non debeat alicui persone capitulo aliquo non obstante sub pena solidorum uiginti pro quolibet contrafaciente et qualibet uice quod capitulum attendi et obseruari debeat et trunchum et precissum sit sub pena librarum decem et sit ceteris aliis derogatorium. Insuper uero quilibet ipsorum nunciorum habere debeat omni anno a dicta societate unum par bonorum subtellarium magnorum et andareciorum.

De confalono societatis.

Item statutum et ordinatum fuit quod duo homines societatis sancti Georgii predicte debeant tenere et portare confalonum dicte societatis sancti Georgii per unum annum tantum et habeant pro salario quilibet ipsorum solidos uiginti astenses qui eis soluantur de aduere dicte societatis per massarium ipsius societatis omni anno in uigilia beati Georgii et remoueantur in capite anni et alii duo eligantur per alium annum per rectores societatis sancti Georgii omni anno et predictum capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit et rectores qui pro temporibus fuerint teneantur ipsum obseruare uinculo iuramenti.

De terris uillis et iurisdicione Carii manutenendis.

Ad honorem Dei et beati Giorgii. Statutum et ordinatum fuit quod quilibet rector dicte societatis siue rectores qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant precisse et uinculo sacramenti manutenere deffendere et gubernare totam terram uillas et castra que comune Carii hodie tenet et possidet quolibet titulo ad honorem sacri imperii et ad opus et utilitatem comunis Carii. Ita quod dicta terra uille uel castra non possint nec debeant in aliquo diminui uel transferri in aliquem aliquo modo uel titulo sub pena librarum quinqueginta et quelibet alia persona dicte societatis que contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel diceret in consilio uel extra palam uel priuatim dicto uel facto illam et eamdem penam se nouerit incursura. Et hoc capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit ita quod de eo nulla licentia peti uel dari possit et data non ualeat ipso iure.

De taleis non soluendis per illos de societate qui habent possessiones in finibus Bauduseti nisi in Cario. *a*

Curente anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione quinta in plena et generali credentia dicte societatis sancti Georgii in palacio comunis ubi dicta credentia erat per campanam et uocem preconis more solito congregata. Statutum et ordinatum fuit per ipsam credentiam uoluntate et consensu dominorum Iacobi Valentis Henrici Medalie Milonis Calozani et Nicholeti de Medico consulum dicte societatis et per ipsos consules mandato et consensu dicte credentie et credendariorum ipsius credentie nemine discrepante quod aliqua persona dicte societatis stans uel ha- *b* bitans in Cario non teneatur nec debeat de illis rebus siue possessionibus que habet uel haberet in fine seu finibus que nuncupatur de Bauduseto quas registrauerit aut registrate fuerint in regesto comunis Carii soluere aliquam taleam colectam neque tascham alibi nec alicui persone seu personis saluo et excepto in regesto comunis Carii ymo sint exempte et libere ab omni talea colecta et tascha preter quam de predicto regesto comunis Carii et si aliqua talea seu colecta eis uel alicui ipsorum pro predictis rebus uel aliqua ipsarum facta imposita seu precepta fuerit soluere seu ad predicta facienda ab aliquo appellaretur seu molestaretur uel constringeretur quod rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint in dicta societate et ipsa societas *c* et homines ipsius uinculo sacramenti et sub pena librarum decem teneantur et debeant omni excussatione cessante ipsas personas et personam que a predictis faciendis ab aliquo appellaretur ut supra deffendere et manutenere uiriliter et potenter sumptibus et expensis dicte societatis et de aduere ipsius societatis et ipsas personas et quamlibet earum sine dampno penitus conseruare occasionibus supradictis quod a predictis faciendis uel soluendis minime teneantur alicui neque alibi quam pro predicto regesto comunis Carii. Et illud idem fiat et intelligatur de omnibus aliis personis existentibus extra Carium que sunt de predicta societate aut que iurature sunt que habent possessiones in predicta fine regestatas in regesto comunis Carii si uenerint uel *d* uenire uoluerint ad standum in Chario. Quod capitulum sit trunchum precissum et ualidum et attendi et obseruari debeat capitulo aliquo non obstante facto uel facturo et istud capitulum teneantur consules dicte societatis qui pro temporibus fuerint in dicta societate quum capitulabitur in Cario et pro comuni Carii ita facere et cum effectu curare quod scribatur et ponatur in libro capitulorum comunis Carii et tanto plus quanto melius fieri et dictari poterit consilio sapientis. hoc addito et expressim dicto quod presens capitulum nullum faciat preiudicium nec tangat in aliquo Benciis nec alicui ipsorum et hoc dicto et saluo quod presens capitulum non uendicet sibi locum in rebus et bonis alicuius de Bauduseto qui amodo in antea ueniret ad standum in Cario que res et bona non sunt in presenti regesto comunis Carii.

De pace facienda.

Item statutum et ordinatum fuit quod si aliqua questio uel discordia erit de cetero uel oriretur inter aliquas personas dicte societatis quod Deus aduertat quod consules qui pro temporibus fuerint in dicta societate ipsam concordare debeant et eos ad pacem redducere de uoluntate partium si poterint. Et si eam de uoluntate partium concordare non poterint supradicti consules supradictas partes constringere ualeant ad predictam concordiam faciendam = imponendo penas et banna dictis partibus ad suam uoluntatem capitulo aliquo non obstante.

De turibus domibus uel sediminibus scitis prope turrim non uendendis alicui qui non sit de societate.

Currente anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo indictione undecima statutum et ordinatum fuit in pleno et generali consilio societatis sancti Georgii per campanam et uocem preconis more solito congregato quod non sit licitum alicui de dicta societate uendere nec donare uel aliquo ingenio siue modo alienare aliquam turrim seu partem alicuius turris nec aliquam domum que sit alta ultra unum solarium seu partem aliquam ipsius domus nec aliquam aliam domum seu sedimen uel partem domus seu sediminis positam seu positum prope per duas perticas aliquam turrim que sit alicuius uel aliquorum de societate sancti Georgii uel in qua aliquis de ipsa societate partem habeat alicui persone colegio uel uniuersitati que uel quod non esset de ipsa societate sub amissione rei alienate et sub pena et banno librarum ducentarum astensium in quam penam incurrat quilibet contrafaciens uel ueniens ipso iure et facto et res predicta ita data uel alienata sit aquisita ipsius societatis. Et si aliquis uel aliqui qui non essent de dicta societate cuiuscumque condictionis sint aquirerent modo aliquo aliquod de prescriptis. Rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate teneantur et debeant in continenti quum sciuerint uel eis dictum uel denunciatum fuerit palam uel priuatim ita facere et curare cum effectu omni negocio pretermisso quod dicta aquisitio casetur et cassari debeat ita quod dominium predicte rei sic alienate perveniat ad ipsam societatem et quod pena supradicta excuciatur per ipsos rectores ex uigore dicte societatis. Et si quis consul uel alia persona ipsius societatis contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret aliquo modo palam uel priuatim incurrat et incurrere debeat penam et bannum librarum quinqueginta astensium ultra suprascriptas alias penas. Quod capitulum sit trun-

chum et precissum et remoueri non possit sed at- a tendi et obseruari debeat perpetuo nec de eo possit peti licentia nec dari et data uel concessa non ualeat ipso iure.

De concordia facta inter populum per Iohannem de Godiano et socios consules societatis.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi et eius matris gloriose Virginis Marie beatorumque Georgii et Guilliermi et tocius curie celestis currente anno illius millesimo ducentesimo nonagesimo octavo indictione undecima. Pro bono statu pacifico et tranquillo societatis beati Georgii et ut Deus conseruet ipsam societatem et homines ipsius societatis in uera amicicia et tranquilitate et ut omnis materia tola- b tur de medio ipsius odii uel rancoris. Nos Iohannes de Godiano Petrus de Arenzono Petrinus Corigarius et Brunus de Gerbo consules et rectores dicte societatis habentes plenam bayliam et liberam auctoritatem nobis datam et concessam a maiori consilio dicte societatis capitulandi statuendi et ordinandi ac pronunciandi in ipsa societate et inter homines ipsius societatis ut omnis concordia in ipsa societate sit et perpetuo ipsa societas in tranquilitate remaneat prout in reformatione consilii inde facta plenius continetur.

De pecuniis solutis non repetendis.

Statuimus et ordinamus et perpetuo ordinatum esse uolumus in societate predicta quod de omnibus peccunie quantitatibus quas aliquis uel aliqui de societate predicta soluisset alicui uel aliquibus de ipsa societate siue in quibus condempnatus uel condempnati fuissent per potestatem iudicem uel militem uel uices gerentes comunis Carii siue per aliquem uel aliquos consules uel rectores dicte societatis hinc retro usque in presentem diem fiat et ex nunc facta sit et pro facta penitus habeatur in ipsa societate et inter homines ipsius societatis uniuersaliter et singulariter quictatio finis et omnimoda remissio perpetuo duratura. Ita quod non sit licitum alicui uel aliquibus de dicta societate uersus d ipsam societatem seu uersus aliquem uel aliquos de dicta societate occasionibus suprascriptis uel aliqua earum facere aliquam petitionem requisitionem uel molestiam sub pena et banno librarum quinquaginta astensium pro quolibet contrafaciente uel uenienti et pro qualibet uice. In quam penam consules dicte societatis uel rectores siue uices dicte societatis gerentes qui pro temporibus fuerint contrafacientem uel contrafacientes condempnare incontinenti teneantur et condempnationem ea facta infra unum mensem exscutere in peccunia numerata et nichilominus pena soluta uel non petitio siue requisitio de predictis facta aliquatenus non recipiatur.

De eodem facto.

Item statuimus et ordinamus quod si aliquis de predicta societate diceret uel opponeret in platea uia uel alibi alicui uel aliquibus de dicta societate. Ego dedi uobis meos denarios uel uos habuistis meos denarios in quibus condempnatus fui uel qui a me exportati fuerunt aliqua ex occasionibus suprascriptis uel ex illis ex quibus dicebatur societas beati Georgii seu aliquos homines ipsius societatis esse in rancore siue diuissione uel odio incurrat penam pro solo uerbo solidorum centum astensium pro quolibet et qualibet uice.

De squara non facienda.

Item statuimus et ordinamus quod omnes homines de dicta societate tamquam boni fratres socii et amici inuicem se diligant et quod non sit licitum alicui uel aliquibus de dicta societate extra corpus dicte societatis facere perquirere uel tractare cum aliquibus siue sint de dicta societate siue non aliquam squaram colegium siue aliquod iuramentum. Et si aliqua squara iuratio seu aliquod aliud rellamentum facta uel factum est in preiudicium uel grauamen corporis dicte societatis cum aliquibus siue sint de dicta societate siue non casetur et casari debeat de ipsa societate ita quod ex nunc cassa sit nec de ipsa amodo uti possit aliquo modo uel ingenio sub pena et banno librarum uiginti c quinque astensium que pena exscuciatur ut supra. Et quod uox que dici consueuit inter aliquos homines dicte societatis de squaris populi grossi et minuti cesset amodo. Ita quod non liceat alicui de dicta societate dicere alteri de ipsa societate tu es de populo grosso uel minuto de dicta societate uel uocare se uel alium de aliqua squara in dicta societate sub pena solidorum uiginti pro quolibet et qualibet uice que pena exscuciatur ut supra.

De hominibus Marentini Andexelli Ville et Peceti recipiendis in societate.

Item statutum et ordinatum est quod rector seu rectores dicte societatis teneantur et debeant recipere homines loci Marentini Andexelli Ville Stelloni et Peceti in societate sancti Georgii si placuerit consilio maiori societatis predicte non obstante aliquo capitulo facto uel facturo. Eo saluo quod si aliquis uel aliqua persona de dictis locis haberet aliquam discordiam cum aliquo dicte societatis quod non possit recipi ullo modo dum discordia durabit. Dantes et soluentes ipsi homines societati hoc quod placuerit consilio ad soluendum debita societatis. Et discordia intelligatur secundum formam capitulorum societatis.

De libertate et franchisia Charii manutenenda.

In nomine Domini nostri Ihesu xpi amen. Cur-

rente anno Domini millesimo tercentesimo quinto indictione tercia die dominico uigesima octaua mensis februarii. In plena et generali credencia societatis sancti Georgii statutum et ordinatum fuit per dominos Thomaynum Fарerium Obertum Tauanum Matheum Altare et Oddonem Guaschum consules et rectores dicte societatis et per credendarios eiusdem credentie quod rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate teneantur et debeant ipsi et homines societatis predicte precisse manutenere locum Charii et comune in sua libertate et franchisia ac ipsum locum et comune conseruare sine aliqua dominatione et segnoria et prohibere ac deffendere ne locus Carii siue comune Carii ueniat siue uenire possit in aliquo dominio seu segnoria uel iurisdictione alicuius baronis uniuersitatis uel colegii alicuius sub aliquo uiuo ingenio quod posset dici uel excogitari nec possit fieri uel celebrari consilium aliquod publicum uel priuatum contra predicta uel aliquod predictorum modo aliquo uel aliqua ratione. Et si aliquis rector uel aliquis alius dicte societatis faceret diceret uel tractaret modo aliquo contra predicta uel aliquod predictorum ipso iure et facto sit periurus et infamis et ab omni honore et rectoria ipso iure sit priuatus et nichilominus incurrat penam et bannum librarum centum astensium et depellatur de dicta societate. Et si fuerit rector qui contra predicta faceret uel ueniret seu diceret uel tractaret uel fieri permitteret in aliquo totum suum salarium amittat quod aquiratur et sit ipso iure aquisitum dicte societatis. Et ultra hec tam ipse rector quam quilibet alius qui contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret seu uenire presumeret uel attemptaret facere modo aliquo seu aliqua ratione proditor ac uendictor hominum societatis predicte ac ipsius societatis et eciam comunis Carii sit et habeatur et sic in perpetuum ab omnibus appelletur. Quod capitulum sit trunchum et precissum et precisse attendi et obseruari debeat inuiolabiliter nec possit ordinari contrarium per aliquod capitulum siue per aliquem alium modum quod si fieret non ualeat quod ordinaretur isto semper remanente cum omnibus supradictis in sua firmitate nec inde possit peti licentia nec dari et data non ualeat. Et sit semper istud capitulum derogatorium et arogatarium omnibus aliis que fierent seu fieri possent in contrarium.

Capitulum pro debitis comunis soluendis.

Currente anno Domini millesimo tercentesimo decimo quarto indictione duodecima die iouis ultimo mensis ianuarii statutum et ordinatum est in dicta societate quod domini Bertinus Richus Matheus de Castello Oddonus Blancus et Henricus Scutinus consules et rectores futuri societatis sancti Georgii teneantur sic facere et curare cum effectu infra quindecim dies postquam iurauerint regimen dicte societatis precisse et uinculo iuramenti quod fiat per dominum potestatem comunis Carii maius consilium comunis Carii cum iuncta dicti conscilii in quo conscilio ordinetur per consciliarios et adiunctos dicti conscilii quod uiginti sapientes de sapientibus Carii eligantur per dominum potestatem et ipsos rectores qui uiginti sapientes habeant et habere debeant plenam bayliam et liberum arbitrium tractandi ordinandi prouidendi et examinandi omnibus modis quibus melius et utilius eisdem uidebitur melius expedire pro quibus debita comunis usuraria que debentur pro comuni Carii melius solui possint. Et quos sapientes dominus potestas Carii teneatur ponere insimul et congregare ter ad minus qualibet epdomada usque ad mediam quatragesimam a die in antea quo ellecti fuerint ad prouidendum et examinandum et ordinandum super solucione dictorum debitorum quicquid uoluerint predicti sapientes quibus prouissionibus factis et ordinamentis per eosdem ordinata et prouissa ponantur et reducantur ad maius conscilium comunis Carii cum finita et fiat tunc quod placuerit super predictis dicto conscilio et iuncte ipsius uel maiori parti ipsorum.

Pro instrumento inuestiture domini imperatoris.

Item statutum est quod predicti rectores teneantur precisse ita facere et curare et tractare cum domino potestate et sapientibus Carii quod instrumentum inuestiture facte per dominum imperatorem potestati et sapientibus comunis Carii recipientibus pro ipso comuni de loco Carii et terra Carii fiat et redducatur in forma publici instrumenti.

Quod consules non ludant ad aliquem ludum taxillorum.

Item statutum est quod consules seu rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint et quilibet ipsorum dum steterint in officio consulatus non possint nec debeant ludere ad aliquem ludum tassillorum seu tabularum et scatorum in Cario nec posse Carii.

Currente anno Domini millesimo tercentesimo decimo octauo indictione prima die sabbati uigesima quinta mensis madii in pleno et generali consilio societatis populi Charii super palacio comunis Charii ubi ipsum conscilium erat ad sonum campane et uoces preconum more solito congregatum statutum est et ordinatum fuit per dominos Iacobum de Podio Franciscum de Mercadillo Coslinum Capastitum et .... Formagerium consules et rectores ipsius societatis et per consilium et consiliarios ipsius societatis ad postulationem dominorum de hospicio Benciorum de Chario facto prius partito ex parte ipsorum rectorum super infrascriptis. Quod rectores qui pro temporibus fuerint in societate predicta ipsa societas consiliarii et homines ipsius et quilibet de ipsa societate tempore regimine nobilis uiri domini Ricadi de Lucerna po-

testatis presentis comunis Charii usque ad annos a
decem proxime uenientes et completos teneantur et debeant precisse et sine tenore uinculo iuramenti et sub pena librarum quinquaginta pro quolibet rectore et pro qualibet alia persona contra uenienti uel facienti librarum uiginti quinque palam uel priuatim in conscilio uel extra manutenere deffendere et modis omnibus quibus poterunt prohibere quod aliquis potestas uel rector comunis Charii non possit stare uel habitare in domibus dictorum Benciorum que quondam fuerunt domini Mathey Bencii iacentes in Chario uidelicet in quarterio ialuo quibus coherent filii quondam Peroti de Nuolis strata publica filii quondam Scaranpi Bencii et uia Ruate repentite et si alie sunt choerentie permaneant contra uoluntatem predictorum Benciorum silicet illo- b
rum quorum sunt uel fuerunt dicte domus usque ad predictum terminum annorum decem et ecciam teneantur sic facere et curare cum effectu et complere quod capitulum comunis Charii factum in fauorem dictorum Benciorum super ipsis domibus siue stallo eisdem integraliter obseruetur et ecciam instrumentum factum et concessum eisdem de Benciis super dictis domibus cum omnibus scriptis et appositis in dicto instrumento inde facto manu (*sic*) notarii ad uoluntatem ipsorum Benciorum quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et seruari debeat in omnibus ita quod fieri uel ordinari aliquod non possit in contrarium per consilium uel capitulatores seu aliquo alio modo quod si fieret non ualeat nec teneat ipso iure isto sem- c
per capitulo in sua firmitate remanente nec de eo posit peti licencia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure et scripbatur in libro capitulorum societatis predicte et nichilhominus fiat de predictis dictis Benciis publicum instrumentum quod instrumentum rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate ipsa societas et homines ipsius et quilibet de ea teneantur et debeant dictis Benciis atendere et obseruare et atendi et obseruari facere cum omnibus his que in eo sunt scripta uinculo iuramenti et sub penis supra denotatis ad uoluntatem dictorum Benciorum.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Currente anno a natiuitate eiusdem millesimo tricentesimo decimo septimo indictione decima quinta d
infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta in societate sancti Georgii de Chario per dominos Thomaynum Patritum. Petrum Gualdonum. Melanum Guarnerium rectores dicte societatis dominum Milonem de Pasquerio. Michaelem Grassum. Carlotum Alamannum Bonum Iohannem Ruffum. Guifredum de Castello. Thomaynum Mahonerium. Henricum Scutinum Ruffum Far. Mussum Buschetum. Perceuallum Uetulum. Urietum Pomerum. Iohannem Gribaudum et Facium de Tondonico quibus data fuit baylia auctoritas et potestas a conscilio dicte societatis capitulandi in ipsa societate et capitula faciendi corrigendi et ordinandi prout in reformacione conscilii inde facta plenius continetur.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis homo dicte societatis habuerit aliquam questionem cum aliqua alia persona colegio uel uniuersitate que uel quod non sit de dicta societate. quod postquam per conscilium dicte societatis ordinatum fuerit dare auxilium et consilium illi homini dicte societatis. quod nullus de dicta societate prestet illi qui de dicta societate non fuerit aliquod conscilium uel iuuamen nec sit eius iudex procurator uel aduocatus in ipsa questione nec in aliquo quod de ipsa questione dependat sub pena et banno solidorum sexaginta astensium pro quolibet et qualibet uice. et quod ille de societate qui haberet ipsam questionem cum alio qui non esset de societate debeat capere iudicem aduocatum uel procuratorem ex illis de dicta societate.

De eo qui alium de societate offenderit dicto uel facto.

Item statutum est quod non liceat alicui homini societatis alium hominem dicte societatis percutere uulnerare interficere uel dismentiri seu ei aliquod uerbum iniuriosum dicere. et qui contrafecerit uel uenerit soluat pro uerbo iniurioso quod diceretur illi qui esset ad arengheriam solidos sexaginta. et diceretur alicui in conscilio dicte societatis maiori uel priuato solidos uiginti. et si diceretur alibi quam in conscilio solidos decem astenses. et qui extraheret gladium ferreum yrato animo contra alium soluat pro pena solidos uiginti. et qui percuteret de manu soluat pro pena solidos sexaginta. et si percuteret de fuste lapide uel gladio sine effusione sanguinis soluat pro pena solidos centum. et si sanguinem cum lapide fuste uel gladio effunderet soluat pro pena libras decem. et si quod absit aliquem hominem dicte societatis interficeret soluat pro pena libras uiginti quinque cassatis omnibus aliis capitulis loquentibus de ista materia isto tamen in suo robore permanente. Quas penas illi qui fuerint condempnati occasionibus predictis uel aliqua eorum teneantur soluere infra unum mensem postquam fuerint condempnati. et si non soluerint rectores qui pro temporibus fuerint teneantur eos de dicta societate expellere. et de cartis dicte societatis radi facere precipientes inde publicum fieri instrumentum uinculo iuramenti et sub pena et banno librarum decem astensium pro quolibet rectore qui in hiis in aliquo contrafaceret seu foret negligens uel remissus et si concordia inter aliquos de aliquo ex superius contentis facta fuerit infra dies quindecim post maleficium uel discordiam. et inde apparuerit per instrumentum publicum quod modietas pene derogetur in societate predicta.

Addictum est huic capitulo quod si quis de societate predicta non soluerit seu soluere nequiuerit condempnationem uel bannum quam et quod incurisset in ipsa societate uel condempnatus existeret aliqua de causa quod espellatur de societate predicta. et nichilominus rectores dicte societatis te-

neantur ipsam condempnacionem scutere si tantum a
reperiatur de bonis condempnati. Et ego Anthonius Frexius notarius palatii et tunc dicte societatis dictam aditionem hic scripsi de mandato et precepto dominorum Daniellis de Mercadillo Guillielmi Vetulli Millonis de Podio et Michaelis . . . . delii tunc rectorum dicte societatis currente anno Domini millesimo tricentessimo uigessimo quarto in . . . . . .

Item statutum est quod si aliquis petierit a rectoribus societatis aliqua occaxione consilium societatis. quod incontinenti ipsi rectores teneantur facere congregari de sapientibus ipsius societatis et occasionem illius petentis consilium coram ipsis sapientibus exponere. et super hiis facere et sequi quod ipsis sapientibus uidebitur faciendum remanentibus capitulis loquentibus de percussionibus b
factis in homines societatis et de uindictis faciendis in sua firmitate.

Quod castrum Auugloni non possit alienari.

In nomine Domini amen. In pleno et generali consilio societatis sancti Georgii et populi chariensis per campanam et uoces preconum more solito congregato super domo comunis Carii de uoluntate et beneplacito dominorum rectorum dicte societatis et consiliariorum ipsius statutum et ordinatum fuit quod consules seu rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et homines ipsius societatis precisse teneantur et debeant deffendere et manutenere tam in consilio communis c
Cherii quam alibi palam et priuatim omnibus modis quibus melius poterunt quod castrum Auugloni et uilla non possit uendi nec alienari alicui persone chariensi uel forensi ecclesiastice uel seculari nec pignori obligari seu concedi titulo aliquo nisi comuni Carii et quotienscumque tractaretur de uendicione translatione seu alienatione ipsius castri quod ipsi rectores et homines ipsius societatis teneantur sic facere et curare cum effectu et tractare et compelere quod comune Carii illud castrum et uillam cum omni iurisdictione habere et emere debeat precio competenti secundum formam pactorum et conuentionum factorum et factarum inter comune Carii ex una parte et dominum Ubertum de sancto Sebastiano ex alia de quibus pactis d
et conuentionibus est carta facta per Iacobum de Podio notarium quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit sed attendi et obseruari debeat finaliter sub pena iuramenti et uiginti quinque librarum pro qualibet rectore et quolibet alio dicte societatis qui contra predicta faceret uel ueniret.

Possessiones forensium qui possideant in Cario uel territorio non possint capi uel in solutum dari.

Item statutum et ordinatum est in dicta credentia quod si aliqua persona forensis cuiuscumque condictionis sit que habeat uel haberet seu acquireret de cetero teneat uel possideat aliqua de causa aliquam possessionem in Chario seu in finibus Charii et toto posse et territorio Carii quod illa possessio non debeat nec possit ullo modo capi seu occupari uel in solutum dari pro aliquo cambio seu represaliis que uel quod essent date uel de cetero darentur seu concederentur alicui persone aliqua de causa ad que manutenenda et prohibenda rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate et homines ipsius societatis teneantur uinculo iuramenti et sub pena librarum uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice et sic facere et curare quam cicius poterint quod fiat capitulum in comuni Charii de predictis sicut melius dictari poterit. Que quidem duo proxime scripta capitula facta fuerunt lecta et publicata in pleno et generali consilio dicte societatis ad sonum campane et uoces preconum in domo comunis more solito congregato in anno Domini millesimo tercentessimo decimo septimo indictione decima quinta die dominico decimo octauo mensis septembris.

Capitula henglexiorum.

In nomine Domini amen currente anno a natiuitate eiusdem millessimo ducentessimo septuagessimo quarto indictione secunda in ecclesia sancti Guilliemi de Chario die martis pridie kalendas augusti. hec sunt statuta facta per sapientes societatis sancti Georgii de Chario electos uoluntate maioris credentie dicte societatis per dominum Guillielmum Henglexium. ad hoc ut ipse et eius filii sint et permaneant securi et inoffensi Carii et extra Carium et in exercitibus et caualcatis que omnia statuta et singula lecta fuerunt in predicta credentia et approbata et confirmata per credentiam superius nominatam.

De eodem facto.

Primo statuerunt et firmauerunt quod quandocumque aliquis homo de societate beati Georgii audiret uel cognosceret uel scire posset quod rumor fieret causa offendendi dominum Guilliermum Henglexium uel eius filios quod ille uel illi de societate beati Georgii omnes qui hoc scirent teneantur expresse currere cum armis uel quocumque modo melius possent ad locum ubi esset predictus dominus Guilliermus uel eius filii siue hoc Carii esset uel extra Carium sub banno uiginti quinque librarum pro quolibet qui contraueniret et qualibet uice.

De eodem facto.

Item statuerunt quod si contingeret quod Deus aduertat quod aliquis homo uel aliqua persona percuteret uel offenderet in personam domini Guilliermi Henglexii uel alicuius filiorum suorum quod uindicta capiatur super personas balborum et su-

per res et personas illorum qui dicuntur balbi a Carii et super personam illius siue illorum si plures forent qui facerent offensionem ipsi domino Guilliermo uel alicui filiorum suorum et hoc fiat per homines societatis beati Georgii in omnibus et per omnia et ad uoluntatem ipsius domini Guilliermi Henglexii et illorum de agnatione sua siue unius siue plurium qui uindictam fieri quererent de offensione facta ipsi domino Guilliermo uel alicui de agnatione sua.

De eodem facto.

Item statuerunt quod si aliqua persona que offenderet uel inuasionem faceret in persona domini Guilliermi Henglexii uel alicuius de agnatione ipsius b exiret de domo alicuius persone de Chario. quod rectores siue rector societatis teneantur destruere illam domum et illam agnationem de qua exirent illi qui offensionem facerent predictam et omnia bona ipsorum cuius uel quorum esset ipsa domus de qua exiret ille qui offenderet ipsum Guilliermum uel aliquem filiorum suorum perueniant comunitati societatis predicte et super hoc fiat tantum plus quantum placeret illis de agnatione predicti domini Guilliermi Henglexii.

De eodem facto.

Item statuerunt quod si dominus Guilliermus Henglexius uel aliquis de agnatione sua siue aliquis c suorum adiutorum percuteret uel occideret aliquem uel aliquos qui uellent offendere uel inuasionem facere super personam ipsius domini Guilliermi uel aliquorum de agnatione sua. quod societas beati Georgii teneatur ipsum dominum Guilliermum et suos adiutores trahere de omni banno et pena in quem uel in quam posset ipse dominus Guilliermus cadere uel aliquis de agnatione sua uel aliquis suorum adiutorum.

De eodem facto.

Item statuerunt quod rector siue rectores societatis beati Georgii teneantur in quolibet exercitu uel caualcata in quo uel in qua esset ipse Guil- d liermus uel aliquis de agnatione sua dare ipsi Guilliermo uel illis siue illi qui essent in exercitu uel caualcata societatem et custodiam ad uoluntatem illius uel illorum qui essent in ipso exercitu uel caualcata de agnatione dicti Guilliermi et quod ille rector siue rectores qui essent pro parte populi in exercitu teneantur sociare ipsum Guilliermum uel filios si ibi essent siue unus siue plures. et sociari facere ad uoluntatem ipsius domini Guilliermi uel illius siue illorum qui ibi essent de agnatione eiusdem Guilliermi. et hoc sub pena solidorum sexaginta. et rector siue rectores populi qui contra predicta statuta faceret uel facerent amittat de suo salario libras uiginti quinque.

De eodem facto.

Item statutum est quod predictus dominus Guilliermus Henglexius et illi de agnatione sua debeant habere decem clientes siue socios bene munitos de illis de societate beati Georgii omni die et nocte donec discordia durauerit inter ipsos et balbos causa sociandi eos eundo reddeundo stando. et sua negocia faciendo. et si aliquis de predictis clientibus siue sociis cui uel quibus esset preceptum per nuncium dicte societatis non ueniret ad domum predicti Guilliermi uel illorum de agnatione sua soluat pro banno qualibet uice solidos quinque.

De eodem facto.

Item statutum est quod rector siue rectores qui sunt uel fuerint pro temporibus donec discordia predicta durauerit teneatur siue teneantur pro sacramento et sub pena solidorum uiginti quinque uisitare uel facere uisitari per suum notarium uel clauarium omni die domum ipsius domini Guilliermi et ipsum dominum Guilliermum et filios suos et ibi uidere qui custodes siue socii sunt. et qui non et qui esse debent.

De eodem facto.

Item quod dominus Guilliermus Henglexius et eius filii sint et esse debeant de maiori conscilio siue credencia societatis beati Georgii nec de ipso conscilio remoueri possint donec discordia durauerit inter ipsos et balbos et non teneantur uenire ad ipsum conscilium nisi ad uoluntatem ipsorum.

De eodem facto.

Item quod ipse dominus Guilliermus et eius filii semper debeant habere duas balistas de balistis societatis predicte donec discordia inter ipsos et balbos durauerit et eas tempore predicte discordie tenere et custodire.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod rector siue rectores societatis predicte qui sunt uel fuerint tempore predicte discordie domini Guilliermi Henglexii sint et esse debeant procurator siue procuratores ipsius domini Guilliermi et filiorum suorum in omnibus negociis ipsorum et contra quamlibet personam et coram quocumque iudice et potestate et hoc totum intelligatur secundum quod ipsi domino Guilliermo et filiis eius placuerit et rector siue rectores qui contra hoc uenirent soluat quilibet pro pena et banno libras decem.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod declaratio

et adiunctio predictorum statutorum semper fiat et fieri debeat per ipsum dominum Guilliermum et filios seu per illos quos ad hoc duxerit elligendos. ita quod liceat ipsi domino Vuilliermo et filiis et illis quos ad hec ellegerint predictis capitulis addere seu adiungere et in hiis declarare ea omnia et singula que eis placuerint semel et pluries ad eorum plenariam uoluntatem et rector seu rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant predictam declarationem et adiunctionem attendere et attendi facere et inuiolabiliter obseruare quemadmodum capitula supradicta sub pena uigintiquinque librarum.

De eodem facto.

Item quod predicta capitula omnia et singula sint et esse debeant truncha et precissa et scribantur semper in libro capitulorum dicte societatis ita quod remoueri non possint nec deleri de libro predicto. et si quis de dicta societate dicto uel facto aliquod diceret uel arengaret contra predicta capitula solnat libras decem pro pena et remoueatur ab omni officio et beneficio dicte societatis. et si rector dicte societatis seu rectores qui nunc sunt uel pro temporibus fuerint aliquod dicerent uel fieri paterentur contra predicta capitula amittat seu amittant de suo salario libras uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice.

Quod rectores non possint dare licenciam balbis de confinibus henglexiorum.

Curente anno Domini millesimo ducentessimo septuagessimo septimo indictione quinta. In plena credentia societatis sancti Georgii statutum est quod non liceat alicui potestati consulibus uel aliis rectoribus societatis beati Georgii de Cario uel alicui ipsorum per se uel per alium dare uel concedere parabolam licenciam uel absoltum quod illi de hospitio balborum uel aliquis ipsorum possit nec debeat ullo modo uel uiuo ingenio uel causa habere licenciam parabolam uel absoltum excedendi confines datos et positos et statutos inter dominum Guilliermum Henglexium et eius filios ex una parte et illos de hospicio balborum ex altera ymo stare et manere debeant ut dati et positi sunt inter ipsos ad inuicem uidelicet quod in illis diebus quibus concessum est ipsi domino Guilliermo et eius filiis ire et reddire quod illi de balbis uel aliquis ipsorum non debeant uel possint ire nec reddire ut dictum est et firmatum in capitulis comunis Carii nec e conuerso absque uoluntate et parabola maioris partis eius filiorum. et si predicti potestas consules uel alii rectores dicte societatis uel aliquis ipsorum contra predicta uel aliquod predictorum uenerit uel uenire attemptauerit incurrat penam ipso iure librarum uiginti quinque. et remoueatur ab offitio consulatus et expellatur de dicta societate. cuius pene tercia pars sit societatis predicte alia

a tercia pars comuni Carii et alia tercia pars accantoris. et istud capitulum sit trunchum et precissum et remoueri uel canzellari non possit ullo modo uel ingenio et semper reffici debeat meliorari et emendari semel uel pluries ad uoluntatem ipsius domini Guilliermi uel filiorum quotienscumque sibi placuerit ad eorum penitus uoluntatem aliquo capitulo facto uel facturo non obstante uel etiam reformatione consilii.

Capitulum tapeorum.

In nomine Domini amen nostri Ihesu Christi currente anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo quinto indictione decima
b tercia statutum est et ordinatum per dominos Milonem de Pasquerio Henricum de Tagloto Ubertum Vigonum Berardum Dodelium et Ambroxetum de Ballada. presentibus et uolentibus dominis Iacobo de Podio Guidotino Guasco Mellanino Manzio et Iacobino Ruffo consulibus societatis beati Georgii et de uoluntate et consilio ipsorum quibus concessa erat plena baylia capitulandi super infrascriptis ad postulacionem Petri Tapey a generali credentia ipsius societatis. quod si dictus Petrus Tapeyus uel aliquis de domo sua parens paronalis faceret uindictam uel fieri faceret aliquo tempore de percussione seu uulneratione facta in persona Guilliermi Tapey nepotis dicti Petri per Iacobum filium quondam Symundi Beliani in persona dicti Iacobi uel in
c aliqua alia persona de parentella dicti Iacobi qui non esset de societate predicta. quod consules supradicti et alii consules et rectores qui essent pro temporibus in dicta societate et ipsa societas teneantur precisse et sine tenore soluere penam siue bannum quem incurreret uersus comune Carii uel aliam personam seu comune ipse Petrus Tapeyus uel alii qui predictam uindictam faceret uel facerent secundum formam capitulorum dicte societatis et ipsum et ipsos qui predictam uindictam faceret uel facerent indempnes trahere et penitus conseruare propriis dicte societatis sumptibus et expensis ut supradictum est. et quod aliqua persona dicte societatis non debeat dare eidem Iacobo Beliano aliquod consilium auxilium uel iuuamen sub pena
d et banno solidorum centum pro quolibet et qualibet uice. cuius pene tercia pars sit consulum societatis qui eam excusserint et due partes societatis predicte. quod capitulum lectum et approbatum fuit in plena et generali credentia societatis sancti Georgii in ecclesia sancti Guilliermi per campanam et uocem preeonis more solito congregata die dominico decimo quinto mensis iulii in anno predicto.

Capitulum illorum de Orbezorio.

Statutum et ordinatum fuit quod si contingerit quod illi de Orbezorio seu aliquis ipsorum facerent uindictam uel fieri facerent mortis Carloti de Orbezorio in persona illius Ruffi qui illum interfecit

uel fratris ipsius et ea occasione aliquas expensas a
facerent uel penas soluerent quod societas predicta teneatur et debeat ipsos de predictis expensis quas ibi fecerint indepnes trahere penitus et conseruare usque in quantitatem librarum uiginti quinque minutorum.

Capitulum Mutini de Ripa et fratris.

In plena et generali credencia societatis beati Georgii in domo benciorum ubi credencia erat per campanam et uocem preconis more solito congregata. statutum et ordinatum fuit per ipsam credenciam et credendarios eiusdem. quod si contingerit quod Mutinus de Ripa et eius frater Guido uel alius
pro eis facerent uel fieri facerent uindictam aliquam b
de homicidio facto et commisso cum magna prodictione et sine aliqua causa in personam eorum fratris Macharii quondam ubicumque ipsam uindictam facerent et qualitercumque in Chario uel extra Charium in personis burgensium de Taurino seu aliquo de dicto hospicio uel in personis aliquorum aliorum qui fuissent culpabiles de dicto homicidio. quod rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate teneantur precisse et sine tenore. et omnes alii de dicta societate ipsa et ipsa societas extrahere penitus et conseruare ipsos Mutinum et Guidonem et eorum quoadiutores et illum seu illos qui predictam uindictam facerent uel fieri facerent et alios qui in ea facienda darent conscilium uel
iuuamen indepnes de aduere societatis predicte. et c
sumptibus et expensis ipsius societatis tam in penis seu in bannis soluendis quam in securitatibus pro ipsis faciendis et ponendis coram quocumque potestate domino seu rectore ad uoluntatem seu arbitrium predictorum Mutini et Guidonis et cuiuslibet eorum et etiam teneantur dicti rectores et ipsa societas precisse eidem Mutino et Guidoni et eorum quoadiutoribus preparare seu preparari facere et dare et dari facere de hominibus ipsius societatis tot quot ipsi fratres uoluerint et cum eis placuerit ad eorum uoluntatem ad dictam uindictam faciendam et ad eundum ad ipsam faciendam et ad ipsos ducendos cum armis et sine armis in Chario et extra Charium siue posse Charii et ubicumque
occasione dicte uindicte faciende et si aliquis qui d
esset electus per ipsos rectores ad predicta facienda uel requisitus per ipsos fratres recusaret ire uel facere ea de quibus esset amunitus uel requisitus per ipsos fratres occasione predicte uindicte incurrat penam ipso iure et facto librarum decem pro quolibet et qualibet uice. rector uero seu rectores qui contra predicta faceret uel ueniret in aliquo incurrat penam librarum quinqueginta ipso iure et nichilominus ab officio consulatus sit remotus quilibet autem alius dicte societatis qui contra predicta uel aliquod predictorum facere uel uenire attemptaret penam librarum uiginti quinque se nouerit incursurum ipso iure quarum penarum tercia pars sit et applicetur ipso iure rectori dicte societatis alia tercia ipsi societati et alia tercia accusatori. quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat ad uoluntatem predictorum Mutini et Guidonis in omnibus et per omnia. hoc tamen addito quod predicti Mutinus et Guido non possint uti de dicto capitulo nec debeant durante guerra que est inter dominum marchionem Montisferrati ex una parte et comune Ast Carii et comitem Sabaudie ex altera nec uti facere nisi in filiis domine Leone Burg.... si intrarent intus locum Carii durante dicta guerra uel post. quod uero capitulum factum lectumque publicatum fuit in ipsa societate et per ipsam societatem currente millesimo ducentesimo nonagesimo indictione tercia die nono mensis aprilis.

Capitulum filiorum quondam Mussi Surdi.

In plena et generali credencia societatis sancti Georgi de Cario sub porticu ecclesie sancti Guilliermi ubi dicta credencia erat per uocem preconis et sonum campane more solito coadunata infrascripta statuta et ordinamenta seu capitula facta ordinata et firmata fuerunt per dominos Iohannem de Godiano Henricum de Tagloto Conradinum de Corneto et Rollandum Centorium consules et rectores societatis predicte de uoluntate et consensu omnium credendariorum qui in dicta credencia erant et per credendarios ipsius credencie de uoluntate et beneplacito predictorum rectorum nomine et uice societatis predicte. et in adiutorium et fauorem filiorum quondam Mussi Surdi de Pezeto et infrascriptorum et parentum et quoadiutorum ipsorum filiorum et ad instanciam predictorum super eo quod Thomas filius quondam dicti Mussi Surdi interfecit Iacumellum Niellum et uulnerauit Iohannem eius fratrem ea occasione qua predicti Iacomellus et Iohannes Nielli iniuste et contra Deum et iusticiam tractauerant mortem dicti Mussi eorum patris et ipsum Mussum Surdum interfecerant siue interfici fecerant tempore regiminis domini Marenghi Cazo olim rectoris dicte societatis sicut hec sunt publica et notoria.

De eodem facto.

In primis statutum et ordinatum fuit per predictos rectores et conscilium supradicte credencie et in ipsa credencia. Quod si contingeret quod dominus potestas Carii uel eius iudex uel milex uel alia persona pro comuni Carii siue alia persona aliqua uel uniuersitas requireret uel requiri faceret seu inquietaret uel molestaret uel banniret siue condempnaret uel quoquo alio modo aggrauaret in aliquo tempore occaxione dicti homicidii seu percussionis factis seu facte uel commissi seu commisse in personis predictorum Iacomelli Nielli et eius fratris Iohannis. Thomam Surdum filium quondam dicti Mussi Surdi de Peceto uel fratres ipsius Thome Ruffinum et Bertotum. Iohannem de Iaualle et Pal-

merium Mellanum de Canepis de Cario et filios. a
Robertum de Canepis. Facinum Surdum. Iacobum Surdum. Maynfredum Gregem. Iohannem et Nicholetum eius filios. Pellerinum filium Cenagli de Passayrano. Iacobum eius fratrem uel aliquem predictorum seu aliquem alium parentem uel quoadiutorem predictorum filiorum dicti Mussi Surdi quondam uel aliquem alium qui predictis filiis dedisset conscilium uel auxilium ad faciendum predictum homicidium et percussionem in personis predictorum Iacomelli et Iohannis uel ad predictam uindictam faciendam seu maleficium consensisset siue fuisset uel de predictis inculparetur quoquo modo quod rectores et quilibet alii qui pro temporibus essent in ipsa societate uel fuerint et ipsa societas
et homines ipsius societatis precisse et sine tenore b
aliquo et uinculo iuramenti teneantur et penitus debeant extrahere et omnino conseruare predictos filios quondam dicti Mussi Surdi de Peceto et quemlibet supradictorum indempnes de aduere ipsius societatis et propriis sumptibus expensis dicte societatis uersus potestatem Carii et ipsum comune et uersus quamlibet aliam personam et uniuersitatem tam in securitatibus dandis et ponendis pro quolibet supradictorum contra quamlibet personam et uniuersitatem quam in peccunie quantitatibus dandis et soluendis pro predictis et quolibet predictorum et in omnibus aliis que occurrerent occaxione supradicta ad uoluntatem et arbitrium predictorum filiorum dicti Mussi Surdi quondam et
cuiuslibet ipsorum. c

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit in dicta credentia ut supra quod omnia et singula contenta et scripta in quodam publico instrumento de dicta uindicta facienda facto et composito manu Iohannis de Godiano notarii uoluntate domini Marenghi Cazo quondam rectoris societatis predicte et eredentie ipsius societatis attendantur et obseruentur integraliter predictis filiis quondam Mussi Surdi et cuilibet supradictorum et quoadiutorum suorum per rectores dicte societatis et per ipsam societatem et homines ipsius cum omnibus aliis capitulis dicte so-
cietatis facientibus pro predictis filiis dicti Mussi d
Surdi et predictorum quoadiutorum ipsorum sub penis et bannis que in dicto instrumento et capitulis continentur.

De eodem.

Item statutum et ordinatum fuit ut supra quod si contingeret quod absit quod aliqua persona cuiuscumque condictionis esset percuteret seu percuti faceret uel offenderet in personis predictos filios uel aliquem supradictorum seu aliquem alium parentem uel quoadiutorem ipsorum. Quod rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et ipsa societas teneantur precisse facere et fieri facere uindictam de predicta percussione seu offensione ad uoluntatem predictorum filiorum dicti Mussi Surdi et contra omnes personas quas dicerent dicti filii ipsius Mussi Surdi predicta fecisse uel fieri fecisse seu tractauisse uel in predictis consensisse seu operam dedisse. Et qui dictam uindictam facerent extrahere indempnes propriis sumptibus et expensis societatis.

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit ut supra quod si aliqua persona alicuius castri uel uille iurisdictionis comunis Carii de cetero percuteret aliquem supradictorum uel aliquem quoadiutorum suorum uel redduceret aliquem qui aliquem predictorum percusisset occaxione dicti maleficii quod consules ipsius societatis et ipsa societas teneantur uastare castrum uel uillam de quo uel de qua esset illa persona que hoc faceret uel redduceret ad uoluntatem predictorum filiorum et hoc sit et intelligatur postquam illi loco uel uille cuius esset illa persona que hoc faceret denunciatum esset per consules dicte societatis et per ipsam societatem ut eum seu illos qui supradicta committerent et omnes de parentella sua usque in tercium gradum depellerent de dicto loco et facere recussarent ad terminum ei uel eis datum per predictos consules et societatem.

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit ut supra quod rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et ipsa societas teneantur et debeant preparare predictis filiis dicti Mussi Surdi quondam tot homines de hominibus societatis de Chario uel de illis de Peceto cum quibus secure et sine periculo personarum predicti filii dicti Mussi Surdi parentes et quoadiutores sui possint ire stare et reddire qui homines cum armis et sine armis debeant cum eis stare ire et reddire ad uoluntatem predictorum filiorum dicti Mussi Surdi olim.

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit ut supra quod si contingeret quod aliqua persona aguaytaret seu asagliret seu offenderet uel perceuteret aliquem supradictorum uel aliquem quoadiutorum suorum et ipsi filii uel aliquis predictorum uel alius quoadiutorum ipsorum percuteret illam personam seu personas quod rectores ipsius societatis et ipsa societas teneantur et debeant extrahere eos indepnes de aduere societatis predicte expensis ipsius societatis tam in securitatibus dandis quam penis soluendis pro eo.

Item statutum et ordinatum est quod si rumor uel rixa oriretur uel fieret in loco Peceti quod omnes homines Peceti qui sunt de dicta societate et

quilibet eorum qui esset in dicto loco incontinenti debeant ire cum armis et currere ad domos predictorum filiorum Mussi Surdi quondam et eos tenere fortes et eisdem preparare auxilium et iuuamen totis eorum uiribus contra omnes personas sub pena librarum uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice. Et si aliqua persona intraret locum Peceti causa offendendi predictos uel aliquem predictorum quod predicti homines de Peceto qui sunt de dicta societate teneantur ad postulacionem predictorum filiorum ipsum personaliter capere et ipsum detinere quousque sit in fortia rectorum predicte societatis et quod ipsi homines de Peceto qui sunt de dicta societate quotienscumque fuerint requisiti per predictos filios dicti Mussi Surdi seu per aliquem ipsorum debeant cum armis et sine armis stare ire et reddire cum predictis filiis et eos asociare in Peceto et extra Pecetum ad uoluntatem predictorum filiorum dicti Mussi Surdi sub pena et banno librarum decem astensium. hoc etiam addito quod si aliqua persona de Peceto redduceret uel teneret in aliqua domo aliquam personam que offenderet aliquem ipsorum uel aliquem alium predictorum inimicum redduceret quod rectores ipsius societatis teneantur diruere et dirui facere domum predictam et illum depellere de societate si esset et contra ipsum siue ipsos procedere ad uoluntatem predictorum filiorum dicti Mussi Surdi. Et eciam aliqua persona dicte societatis non debeat loqui Iohanni Niello nec cum eo stare nec reddire in aliquo loco sub pena librarum decem Astensium pro quolibet et qualibet uice. Et si aliquis qui prestaret dictis filiis uel alicui ipsorum auxilium uel iuuamen aliquod cum armis uel sine armis incideret in aliquam penam seu bannum uersus comune Carii uel aliam personam seu uniuersitatem extrahatur et extrahi debeat indempnem de aduere societatis predicte.

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit ut supra quod si contingeret quod predicti filii dicti Mussi Surdi scirent aliquo tempore quod aliqua persona uellet ipsos uel aliquem ipsorum offendere seu offendi facere uel eius malum tractaret quod rectores dicte societatis teneantur sic facere et curare cum effectu eorum posse quod illa persona faciat bonam et ydoneam securitatem librarum centum uiennensium que securitas sit cariensis in manibus domini potestatis Carii de non offendendo alicui supradictorum et de non offendi faciendo nec in offensione consentiendo sicut melius dictari poterit per iuris sapientem.

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit ut supra quod rectores societatis predicte tam presentes quam qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant dare

a in preceptum infra unum mensem postquam iurauerint hominibus de Peceto qui sunt de societate quod predicta ordinamenta debeant obseruare et ipsos filios et quoadiutores ipsorum debeant custodire saluare manutenere et deffendere contra quaslibet personas et uniuersitatem sub penis et bannis que in dictis capitulis et in aliis ipsius societatis continentur.

De eodem facto.

Que omnia et singula sint capitula truncha et precissa ad quorum obseruationem rectores predicti et qui pro temporibus fuerint in ipsa societate precisse teneantur et ponantur et scribantur in li-
b bro capitulorum dicte societatis in quibus capitulis predicti filii dicti Mussi Surdi cum uoluntate rectorum seu consulum ipsius societatis qui pro temporibus fuerint in dicta societate possint predicta et quodlibet predictorum declarare interpretari et de nouo addere et capitulare ad eorum uoluntatem et consulum tociens quotiens fuerit eis opportunum et eis uidebitur faciendum et facere uoluerint. Et de predictis etiam predicti filii dicti Mussi Surdi quondam habeant publicum instrumentum unum uel plura si uoluerint cui instrumento cum omnibus que ibi fuerint scripta plena fides adhibeatur et quod instrumentum cum omnibus in eo continentibus et cum omnibus aliis capitulis et consuetudinibus dicte societatis facientibus pro pre-
c dictis filiis dicti Mussi Surdi et quolibet ipsorum et quoadiutoribus ipsorum sub penis que in dicto instrumento et capitulis dicte societatis continentur Rectores qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint in ipsa societate teneantur precisse et inuiolabiliter obseruare ad uoluntatem in omnibus semper predictorum filiorum dicti Mussi Surdi quondam nec de predictis possit peti licentia nec dari per consilium uel alio modo nisi de uoluntate predictorum filiorum et data uel petita non ualeat sed remaneant predicta semper in sua firmitate. Super quibus etiam predicti filii possint accusare et denunciare quaslibet personas contrafacientes quibus credatur de accussis et denunciationibus quas fecerint eorum sacramento demonstrante in ueritate.
d Et si aliquis consul uel rector ipsius societatis contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret palam uel priuatim incurrat penam et bannum librarum quinquaginta et quilibet alius homo de dicta societate librarum uiginti quinque ultra alias penas contentas in capitulis aliis ipsius societatis pro quolibet et qualibet uice. [Et que pena tociens committatur quotiens contrafactum fuerit et soluta pena uel non soluta commissa uel non commissa nichilominus predicta omnia et singula et quodlibet predictorum in quolibet capitulo et articulo in sua remaneant firmitate ipso iure. Et hec quidem capitula omnia et singula supradicta lecta fuerunt in plena et generali credentia dicte societatis sub porticu ecclesiae sancti Guilliermi de Cario

ibi congregata ut supra currente millessimo ducentessimo nonagesimo primo indictione quarta die dominico octauo mensis iulii et firmata publicata et coroborata per supradictos consules et per ipsam credentiam facto partito per eosdem consules nemine discrepante et sic lectis omnibus suprascriptis preceperunt dicti consules Bandoto Capastro notario dicte societatis in fauorem dictorum filiorum facere publicum et auctenticum instrumentum.

Capitula ultima Thome Surdi.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Currente anno Domini millessimo tercentesimo quarto indictione secunda die uigesimo septimo mensis septembris. In pleno et generali consilio societatis sancti Georgii super palacio comunis Carii ubi credentia dicte societatis erat more solito congregata statutum et ordinatum fuit per ipsam credentiam uoluntate et consensu dominorum Facii de Tondonico Michaelis Grassi Urici Pometi et magistri Guidonis Mayacii rectorum ipsius societatis et per ipsos rectores a parte et nomine dicte societatis quod si contingeret aliquo tempore quod Thomas Surdus de Peceto uel eius filius uel alius de sua parentella uel aliqua alia persona faceret uel fieri faceret uindictam aliquam de percussione seu uulneratione facta hoc anno de mense ianuarii proxime preteriti in montanea in persona dicti Thome Surdi per Francischum filium domini Thome de Ruuilliasco qui ipsum Thomam ibidem uulneravit malo modo et iniuriosse et sine aliqua causa rationabili et contra Deum et iusticiam in persona dicti Francisci siue in persona seu personis alicuius seu aliquorum de sua parentella quod predicti Thomas Surdus et filius et eius parentes et quilibet qui dictam uindictam faceret et qui ad eam faciendam daret consilium uel iuuamen uel prestaret extrahatur et extrahantur penitus indempnes et indempna tam in penis soluendis quam in securitatibus dandis et aliis que ex predictis orirentur de aduere societatis predicte et propriis sumptibus et expensis ipsius societatis ad uoluntatem ipsius et suorum parentum. Et facta ipsa uindicta rectores dicte societatis et ipsa societas teneantur ipsum Thomam filium et parentes et alios qui in ipsa facienda darent uel prestarent consilium et iuuamen manutenere et deffendere contra quaslibet personas et eisdem prestare tot gentes siue homines dicte societatis et preparare cum quibus secure possit stare in Cario uel Peceto et ire et reddire et etiam dare illi uel illis qui facient uel facerent omni anno de aduere dicte societatis uiginti quinque libras astenses dum discordia duraret et ultra hoc preparare domum unam in Cario in qua possent predicti se redducere et secure stare et ad ipsam uindictam faciendam dare similiter consilium et iuuamen teneantur rectores qui pro tempore fuerint in dicta societate quotienscumque fuerint requisiti ad uoluntatem dicti Thome et ultra hoc quod omnia ca-

a pitula scripta in libro societatis loquencia de iniuriis seu percussionibus factis hominibus societatis et de uindicta facienda et etiam capitula que ipse Thomas habet in dicta societate propria debeant integraliter eidem Thome filio fratri et parentibus et cuilibet qui ipsos iuuaret in predicta uindicta facienda uel in ea prestaret consilium uel iuuamen debeant attendi et obseruari in omnibus et per omnia ad uoluntatem predictorum quandocumque et quotienscumque eidem Thome et parentibus placuerit. Que omnia et singula et quelibet predictorum in omnibus et per omnia cum omnibus aliis scriptis in capitulis dicte societatis facienda pro ipso Thoma et parentibus rectores qui pro temporibus erunt in ipsa societate et ipsa societas et ho-
b mines ipsius societatis teneantur precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub pena librarum centum pro quolibet rectore et pro qualibet persona dicte societatis librarum uiginti quinque attendere et obseruare et attendi et obseruari facere ad uoluntatem dicti Thome filii et parentum capitulo aliquo facto uel facturo non obstante et de predictis habeat dictus Thomas publicum instrumentum cui semper fides habeatur et obseruetur cum omnibus hiis que in eo essent scripta. Que omnia et singula capitula superius nominata lecta et publicata fuerunt in pleno et generali consilio societatis sancti Georgii super palacio comunis congregato ut moris est currente anno quo supra et indictione die iouis octauo mensis octubris et apro-
c bata per ipsam credentiam nemine discrepante.

Capitula facta in fauorem illorum de Prato Guarneriorum et Henrioti Ceruini.

In nomine Domini amen. Currente millessimo ducentessimo nonagesimo secundo quinte indictionis. In pleno et generali consilio societatis beati Georgii de Chario scilicet in palacio comunis ubi uoce preconia et sonitu campane more solito congregato. Statutum et ordinatum fuit per credendarios dicti consilii ibi existentes uoluntate et consensu dominorum Ot de Herenis Petri de Gerbo. Petri de Herenzono et Guilliermi Perini consulum dicte societatis et per ipsos consules uoluntate et bene-
d placito dictorum credendariorum facto partito per ipsos consules nemine discrepante quod si contingeret quod aliquis uel aliqui forensis uel forenses undecumque sint uenerint aut uenire praesumpserint Charium uel iurisdictionem siue fines Charii ad offendendum et causa offendendi illos de Prato uel illos de domo Guarneriorum uel Henriotum Ceruinum siue aliquem predictorum uel quoadiutores ipsorum et cuiuslibet ipsorum qui fuissent uel consilium dedissent ad faciendum homicidium Raymundeti de Pinayrolio et nomine et occaxione mortis dicti Raymondeti de Pinayrolio quod quilibet dicte societatis teneatur et debeat precisse et sub pena librarum decem astensium pro quolibet et qualibet uice quotienscumque audiuerit cridam uel rumo-

rem illuc currere et expeditissime uenire omni suo a negocio et labore dimisso et predictis de Prato et Guarneriis et Henrico Ceruino et cuilibet eorum dare consilium iuuamen et fortiam et ipsos inimicos offendere eorum posse uiriliter et potenter tam in ere quam in personis. Et si aliqua persona dicte societatis uel ipsi de Prato uel Guarnerii siue Henricus Ceruinus uel aliquis ipsorum occasionibus supradictis incurrerent uel uenirent in aliqua pena siue penis quod consules dicte societatis et dicta societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore aliquo ipsos et quemlibet ipsorum de aduere ipsius societatis sine dampno penitus conseruare sub pena librarum uiginti quinque pro quolibet contrafaciente et pro ipsis et quolibet ipsorum ponere securitatem uersus pote- b statem Charii sumptibus et expensis dicte societatis.

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit in dicta credentia ut supra quod si aliquis predictorum de Prato uel Guarneriorum siue Henricus Ceruinus sciuerit aliquos esse forenses inimicos in Cario uel iurisdictione Charii causa offendendi ipsos aut aliquem ipsorum de Prato uel Guarneriorum siue predictum Henricum Ceruinum quod rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate teneantur et debeant si inde fuerint requisiti siue requisitus per predictos uel aliquem ipsorum preparare c eis et cuilibet eorum de hominibus dicte societatis tot quot uoluerint et requisiuerint ad eorum uoluntatem incontinenti facta dicta denunciatione uel requisitione. Et quod ipsi consules siue rector dicte societatis possint precipere cuilibet de societate ut uadant et socient supradictos ad eorum uoluntatem sub pena solidorum sexaginta pro quolibet et qualibet uice nolente ire cum armis uel sine armis cum predictis ad eorum uoluntatem.

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit in dicta credentia ut supra quod si aliqua persona dicte societatis d daret uel prestaret aliquod consilium uel iuuamen alicui uel aliquibus forensibus offendentibus uel offendere uolentibus supradictos uel aliquem ipsorum uel ipsos forenses hospitaret uel redduceret siue substentaret incurrat penam librarum centum secusie in qua quantitate consules dicte societatis siue rector qui pro temporibus fuerint in dicta societate teneantur et debeant precisse et sine aliquo tenore et sub pena librarum uiginti quinque pro quolibet predictam personam condempnare incontinenti et facta dicta condempnatione ipsam excutere et excuti facere infra unum mensem sine aliqua compensatione que uero pena aquiratur societati predicte.

De eodem facto.

Item statutum et ordinatum fuit ut supra quod si aliquis de Cario uel iurisdictione Carii qui non sit de societate predicta daret aliquod consilium uel fauorem supradictis forensibus offendentibus supradictos de Prato uel Guarnerios siue Henricum Ceruinum uel aliquem ipsorum ut supra in precedenti capitulo continetur quod consules siue rector dicte societatis qui pro tempore fuerint in dicta societate teneantur et debeant precisse facere uindictam quemadmodum si aliquis qui non esset de societate predicta aliquem de societate percuteret.

De eodem facto.

Que omnia et singula suprascripta et contenta in predictis quatuor capitulis et quolibet predictorum sint capitula et statuta truncha et precissa et attendi et obseruari debeant per rectorem siue rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint uel fuerit in dicta societate et per ipsam societatem et homines ipsius societatis uinculo sacramenti. Et si ipse rector seu rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint in dicta societate uenerint contra predicta uel aliquod predictorum seu fecerit uel fecerint in consilio uel extra dicto uel facto incurrat penam ipse rector et quilibet eorum si plures fuerint librarum uiginti quinque astensium et quilibet alius dicte societatis contrafaciens librarum decem que pene aquirantur dicte societati quibus penis solutis uel non predictis capitulis et quolibet predictorum in suo statu et robore nichilominus remanentibus et existentibus.

Capitula illorum de Plancha.

In nomine Domini amen. Currente millessimo ducentesimo nonagesimo primo indictione quarta. hec sunt statuta facta per capitulatores societatis Sancti Georgii ad requisitionem illorum de Plancha.

De eodem facto.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod si illi de Plancha uindictam facerent super infrascriptos de Ripa quod consules uel rectores dicte societatis et ipsa societas teneantur precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub pena librarum quinquaginta pro quolibet consule soluere penam uel penas pro ipsis de Plancha et quoadiutoribus ipsorum infra octo dies post uindictam factam et condempnationem et ponere securitatem pro ipsis et quoadiutoribus ipsorum de percussione facta in persona Sismundi de Planca.

De eisdem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod consules dicte societatis qui modo sunt et qui pro tempo-

ribus fuerint et dicta societas teneantur precisse et *a* sine tenore et uinculo iuramenti dare de hominibus dicte societatis illis de Plancha ad eorum uoluntatem ad faciendum uindictam de dicta percussione facta in persona dicti Symundi et si aliquis de dicta societate facere noluerit quod consules dicte societatis possint et debeant ei uel eis aufferre pro pena solidos sexaginta pro quolibet et qualibet uice. Cuius pene tercia pars sit consulum et due partes dicte societatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis de dicta societate non debeat dare consilium uel auxilium de infrascriptis de Ripa nec eos asociare nec cum eis aliquam mercandiam facere sub pena solidorum sexaginta pro quolibet et qualibet uice et *b* quilibet inde sit accussator et habeat terciam partem pene mostrando accussam in ueritate. Quam penam et penas consules teneantur exscutere in peccunia numerata infra octo dies.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod consules dicte societatis teneantur precisse et sine tenore ponere manus ad arma quando illi de Planca eos requisiuerint ad faciendum uindictam de dicta percussione super infrascriptos de Rippa sub pena librarum quinquaginta pro quolibet consule scilicet in finibus Carii.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod credatur eidem Symundo et fratri de illis qui possuerunt manus in persona dicti Symundi scilicet de infrascriptis.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si ipse Symundus uel alius de illis de Planca facerent fieri uindictam alicui persone in personam alicuius infrascriptorum quod consules dicte societatis et ipsa societas teneantur precisse et sine aliquo tenore incontinenti dare et soluere in peccunia numerata *d* usque in quantitatem librarum uiginti quinque ad uoluntatem illorum de Planca.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt in credentia societatis sancti Georgii apud sanctum Guilliermum ubi ipsa credentia erat congregata nemine discrepante quod supradicti de Planca non debeant facere pacem cum infrascriptis de Ripa usque quod uindicta facta sit de dicta percusione in persona uel in personis infrascriptorum de Ripa. et si facerent dictam pacem nisi esset dicta uindicta facta in personis infrascriptorum uel alicuius de eorum hospitiis quod illi de Plancha ab inde in antea sint priuati de dicta societate et non habeant aliquod auxilium, ab ipsa societate. et intelligantur quod dicta uindicta fiat cum effusione sanguinis.

De eodem facto.

Item quod omnia suprascripta capitula sint truncha et precissa et remoueri non possint per consilium uel arenghum aliquo modo. Nomina quorum de Ripa qui percusserunt dictum Symundum et ei iniuriam fecerunt sunt hec. Martinus Parpalea et illi de domo sua. Manuel Pilestortus et illi de hospitio suo. Iacomotus Raphinus et illi de hospitio suo. Rodulfus Pelatus et illi de hospitio eius. Calocius filius Manuellis Pilestorti debuit percutere dictum Symundum de gladio in capite.

Capitula Facini Caualli et fratrum.

Statuta facta per capitulatores ad hoc electos quibus data fuit baylia et licentia a maiori credentia societatis sancti Georgii capitulandi ad postulationem Facini filii quondam Iacobi Caballi et fratrum facto partito per dominum Rizardum Merlonem rectorem societatis predicte nemine discrepante.

De eodem facto.

c Primo statuerunt et ordinauerunt concorditer quod dominus rector seu rectores qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint in dicta societate teneatur seu teneantur et debeant precisse et uinculo iuramenti quotienscumque fuerit requisitus uel fuerint requisiti per predictos Facinum Caballum et fratres uel per aliquem ipsorum petere et peti facere et requirere coram domino potestate Carii et eius iudice dominos Montiscuchi qui habent facere in Cinzano et homines seu consules Cinzani nomine comunis Cinzani et teneatur dictus dominus rector siue rectores qui pro temporibus fuerint petere dictis dominis et hominibus ut debeant restitere et reddere totum id quod ipsi ceperunt uel capi fecerunt in domo predicti Facini et fratrum seu habuerunt de suo a sex mensibus citra quod si facere noluerint dominus rector seu rectores predicti teneantur incontinenti celebrare consilium societatis predicte et ibi facere unum sindicum ad uoluntatem dicti Facini uel fratrum. qui sindicus teneatur et debeat appellare supradictos dominos et homines coram potestate Charii ut restituant dictis Facino et fratribus supradicta alioquin teneatur et debeat ponere datam expensis societatis predicte contra ipsos libras mille astenses. et tantum cum ipsis litigare seu causari quod predictus Facinus et fratres sint plenarie restituti. et quod predicti Facinus et fratres sint bene contenti et quod predictus sindicus teneatur facere predicta per illam diem et crastinam postquam fuerit requisitus per

predictum Facinum et fratres seu per aliquem ipsorum. et quod dominus rector teneatur eis iudicem dare ad expensas societatis predicte et quod de rebus ablatis de domo ipsius Facini et fratrum credatur eis in eorum simplici uerbo.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquod dampnum seu guastum datum fuerit seu factum in rebus et bonis et possessionibus predictorum Facini et fratrum quod supradicti domini et homines teneantur et debeant emendare et restituere seu restitui facere dictum dampnum seu guastum in peccunia numerata infra octo dies postquam fuerit eis denunciatum per rectorem seu rectores societatis predicte uel eorum nuncium secundum quod dictum dampnum fuerit extimatum per sindicum supradictum. et si predicta facere predicti domini et homines noluerint quod rector seu rectores societatis predicte teneatur seu teneantur et debeant militare cum omnibus hominibus siue maiori parte societatis predicte ad locum Cinzani infra tercium diem et ibi tantum stare quod predicti Facinus et fratres habeant plenam restitutionem dicti dampni.

De eodem facto.

Item statuerunt quod si ab hodie in antea aliqua talea seu colecta imposita fuerit supradictis Facino et fratribus in loco Cinzani uel Montiscuchi quod societas predicta et debeat ipsos indempnes penitus conseruare uidelicet ultra quod continetur in eorum instrumento. et si aliquis de societate predicta contra predicta uel aliquod predictorum fecerit uel dixerit incurrat penam librarum decem astensium et quam penam dictus rector seu rectores in peccunia numerata infra octo dies excutere teneantur.

De eodem facto.

Item statuerunt quod si aliquis notarius de Cario dixerit seu alegauerit contra predicta seu aliquod predictorum in auxilio seu fauore supradictorum dominorum seu hominum Cinzani coram potestate Carii uel eius iudice quod ab illa die in antea usque ad unum annum aliquis de societate non possit nec debeat habere aliquod conscilium ab ipso notario nec ipsum constituere procuratorem seu auocatum sub pena et banno solidorum sexaginta astensium pro quolibet dicte societats.

De eodem facto.

Item statuerunt quod omnia et singula suprascripta sint capitula truncha et precissa et remoueri non possint non obstante aliquo capitulo seu pacto facto uel facturo currente anno Domini millesimo ducentessimo nonagessimo septimo indictione decima die dominico . . . . mensis septembris lecta

a fuerunt et publicata dicta capitula in plena et generali credencia dicte societatis per campanam et uoces precomum more solito congregata in palacio comunis et confirmata et approbata per dominum Ricardum Merlonem rectorem dicte societatis et per ipsam credenciam facto partito per ipsum dominum rectorem qui precepit michi Henrico Scutino notario ad postulacionem dicti Facini facere publicum instrumentum unum uel plura coram Georgio Garello et Mellano Dorerio nunciis dicte societatis ad hec testibus uocatis et rogatis.

Capitula filiorum Iacobi Caballi quondam.

In nomine Domini nostri amen. Infrascripta sunt
b capitula et ordinamenta facta per capitulatores electos per Peronum Neyronum filios quondam Iacobi Caualli et Iordanem eorum fratrem naturalem et Bertinum Cauallum ex forma bayliae eas concessas a generali conscilio societatis beati Georgii seu populi cariensis occasione mortis Facini filii quondam dicti Iacobi Caualli et uindicte de ipsa morte faciende.

De eodem facto.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod dominus rector societatis predicte qui nunc est uel rector seu rectores ipsius societatis qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant precisse et sine
c tenore et uinculo iuramenti et sub pena uiginti quinque librarum astensium quandocumque fuerit requisitus per ipsos de Cauallis uel per alterum ipsorum equitare uel facere equitari homines ipsius societatis omnes siue partem ipsorum sicut ipsis de Cauallis placuerit ad Cinzano et diruere siue dirui facere omnes domos quas ibi habent Gotefredus de Montecucho et filii eius usque in fundamentum uel sicut ipsis de Cauallis placuerit et ipsorum uineas et arbores guastare et guastari facere et alias possessiones ipsorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod predictus dominus rector seu rectores qui pro temporibus fuerint et uniuersi homines ipsius societatis et ipsa societas teneantur et debeant dictis iuribus atque
d posse deffendere et manutenere dictis filiis Iacobi Caualli contra omnes possessiones domos et res quas habent in pazano Cinzanorum posse et deffendere et prohibere ne eis . . . . in ipsis bonis fiant offensiones uel dampna. et si forte hoc prohibere non possent teneantur et debeant sic facere et curare cum effectu quod domini de Montecucho qui habent facere in Cinzano siue alii ex ipsis dominis qui uiderentur dictis de Cauallis constringantur per comune Carii emere res possessiones et bona dictorum Peroni et Neyroni et filiorum quondam dicti Facini quas habent in dictis finibus et posse precio competenti et quod inde fiat capitulum in comuni Carii sicut melius dictari poterit conscilio sapientum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contin- a
geret quod dicti de Cauallis facerent uel fieri facerent uindictam de morte dicti Facini Caualli in personis Gotefredi et filiorum eius seu alicuius ipsorum uel alterius eorum parentum paronalium seu Iacomelli de Sanctis et Anzoni de Montecucho uel alterius ipsorum seu alicuius eorum parentum . . . . quod rector predictus dicte societatis et rectores qui pro temporibus fuerint et ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant predictos de Cauallis et quemlibet ipsorum et quoslibet alios qui pro eis dictam uindictam facerent indempnes penitus conseruare et penitus extrahere de here proprio dicte societatis tam in penis soluendis quam in securitatibus prestandis et expensis ob hoc faciendis et omnibus aliis que ob hoc ipsis b
de Cauallis fieri uidebuntur.

De eodem facto.

Item quod rector dicte societatis qui nunc est seu rectores qui pro temporibus fuerint teneantur ipsis de Cauallis preparare tot homines ipsius societatis quot uoluerint occasione dicte uindicte faciende. et si quis cum eis ire recusaret et ad requisitionem eorum incurrat penam solidorum sexaginta astensium pro quolibet et qualibet uice. et inde credatur dicto sacramento dictorum de Cauallis et cuiuslibet eorum.

De eodem facto. c

Item si contingeret dictos de Cauallis facere uel fieri facere uindictam de morte predicta in personis predictorum uel alicuius eorum seu alicuius eorum parentum paronalium quod dicta societas et homines ipsius societatis teneantur eis omni anno dare dum discordia durauerit libras uiginti quinque astenses ad quam quantitatem peccunie soluendam teneantur rector qui nunc est et quilibet rectores qui pro temporibus fuerint uinculo iuramenti et sub pena librarum uiginti quinque astensium.

De eodem facto.

Item quod omnia capitula et singula ordinamenta d
scripta in uolumine capitulorum dicte societatis loquentia in generali siue in speciali in fauorem hominum dicte societatis quibus facta est offensio uel iniuria uolencium uindicare uel uindictam facientium locum habeant specialiter et expresse pro predictis de Cauallis et quolibet ipsorum occasione maleficii supradicti et intelligantur pro ipsis esse facta.

De eodem facto.

Que omnia et singula suprascripta sint capitula truncha et precissa et ponantur et scribantur in libro capitulorum dicte societatis et attendi et obseruari debeant per consules et rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint et per presentem rectorem et per uniuersos et singulos homines dicte societatis in omnibus capitulis et articulis et si quis contrafaceret uel diceret seu negligens esset in aliquo incurrat penam librarum uigintiquinque pro quolibet et qualibet uice et quilibet alius librarum decem astensium pro qualibet uice. et si aliqua obscuritas in dictis capitulis esset declaretur et interpretetur arbitrio dictorum Peroni et Neyroni et aliorum de Cauallis et de predictis peti non possit licencia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure.

Capitulum Memini Spelluce.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen anno eiusdem millessimo tricentessimo tercio die . . . . . mensis marcii. In pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii de Cario statutum et ordinatum fuit quod rectores qui pro tempore fuerint in ipsa societate et ipsa societas et homines ipsius teneantur et debeant attendere et obseruare et attendi et obseruari facere cum effectu capitula facta in comuni Carii scripta in libro capitulorum dicti comunis in fauorem Memini Spelluce super uindicta ipsius facienda occasione captionis et ferute facte in persona ipsius in strata apud sanctum Marcum de Bulgaro et omnia et singula que in ipsis capitulis continentur et eidem Memino dare et prestare consilium auxilium et iuuamen ad dictam uindictam suam faciendam quotienscumque uoluerit ad suam penitus uoluntatem in omnibus et per omnia ac eciam eidem Memino teneantur attendere et obseruare omnia capitula dicte societatis loquentia de percussionibus uindictis et iniuriis faciendis et penis soluendis ad eius uoluntatem et ultra hec ipse Meminus possit in ipsa societate capitula facere et ordinare circa dictam suam uindictam faciendam et omnia alia et singula que eidem fieri uidebuntur ad suam uoluntatem aliquo capitulo in contrarium loquente facto uel facturo non obstante contra illos qui fecerunt eidem Memino dictam iniuriam et contra omnes alios qui in dicta iniuria facienda consensissent uel fieri fecissent uel ad eam faciendam dedissent consilium uel iuuamen que omnia cum omnibus que ipse dixerit facienda in predictis et circa predicta rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate teneantur integraliter uinculo iuramenti et sub pena librarum uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice qui contra predicta faceret uel ueniret attendere et obseruare.

Capitulum Thomayni Mahonerii.

Anno Domini millessimo tercentesimo decimo indictione decima die martis uigesimo nono mensis iulii. Statutum et ordinatum fuit per dominum B. Cazo capitaneum populi chariensis et per sapientes dicte societatis sancti Georgii habentes bayliam et

liberum arbitrium ordinandi et prouidendi Thomay- a
no Mahonerio super certa quantitate peccunie danda et restituenda eidem Thomayno de aduere dicte societatis occasione quarundam condempnationum factarum hinc retro per consules ipsius societatis in persona Petri Mahonerii quondam eius patris et quas condempnationes ipsius quantitatis peccunie ipse Petrus Mahonerius soluerat eidem societati et ab eodem extouse fuerunt per consules indebite et iniuste ut dicebatur quod dictus Thomaynus habeat et habere debeat pro restitutione et satisfatione ipsarum condempnacionum de aduere dicte societatis in hunc modum ut infra et ita scribantur in libro dicte societatis libras quadraginta nouem astenses tali modo et forma quod ipse Thomahinus et
habens causam ab eo possit et debeat dictas libras b
quadraginta nouem astenses et usque in dicta quantitate compensare uel compensari facere in omnibus penis et condempnacionibus et taleis propriis et alienis factis et faciendis ad uoluntatem Thomayni et habentis causam ab eo et quod rector qui pro temporibus fuerit in Cario in dicta societate teneatur et debeat precisse et uinculo iuramenti ipsas compensationes admittere et facere et fieri facere semper ad requisitionem ipsius Thomaini in omnibus supradictis uel cuiuslibet alterius persone habentis causam ab eo. et hec omnia et singula supradicta attendere et obseruare integraliter cum effectu et attendi et obseruari facere teneatur ad uoluntatem dicti Thomayni uinculo iuramenti sub
pena et banno librarum decem contrafacientibus c
uel uenientibus et quod capitulum sit trunchum et precissum nec de eo possit peti licentia nec dari modo aliquo nec etiam in preiudicium dicti Thomayni aliqua ordinari. quod si fieret cassum ex nunc sit et irritum ipso iure supradictis omnibus et singulis nichilominus in eorum firmitate remanentibus.

Capitulum illorum de Castello et de Paxano et de Mahoneriis pro concordia inter eos facta.

De sententia concordie illorum de Castello de Paxano et Mahoneriorum attendenda.

Item statutum et ordinatum fuit quod predicti d
ut supra quod consules et rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate et ipsa societas et homines ipsius teneantur et debeant precisse et uinculo iuramenti et sub pena et banno librarum quinquaginta pro quolibet uice attendere et obseruare attendi et obseruari facere sententiam seu pronunciationem que lata et pronunciata fuerit inter illos de Castello ex una parte et illos de Paxano et de Mahoneriis et alios quorum interesset ex aliis partibus per dominum Merlonem de Pasquerio arbitrum seu arbitratorem et amicabilem compositorem ab ipsis partibus comuniter electum in omnibus et per omnia et in omnibus clausulis capitulis et articulis ipsius pronunciationis seu finis et cum omnibus penis et bannis que in instrumentis ipsius pronunciationis et finis continebuntur. quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat cum dicta sententia et cum omnibus que in ea continentur capitulo aliquo non obstante facto uel facturo imponentes etiam penas et banna contra quamlibet personam et personas ad eorum uoluntatem qui dictam sententiam et omnia scripta in ea obseruare nollent uel recusarent.

Quod Guido Falzonus sit de societate populi.

Item statutum et ordinatum est quod Guido Falzonus sit et esse debeat et permanere omni tempore et haberi et tractari in societate et de societate sancti Georgii et populi cariensis siue sit quod sit scriptus uel reperiretur esse in libris siue cartis ambabus uel aliqua ipsarum societatis predicte ubi sunt scripti alii homines dicte societatis siue non reperiretur uel non esset scriptus in dictis cartis et hoc obseruari debeat et attendi capitulo aliquo non obstante maxime capitulo quo loquitur quod duo libri siue carte sint in dicta societate in quibus scribi debeant homines societatis nec aliquo alio facto uel facturo et de hoc capitulo fiat instrumentum dicto Guidoni si ei placuerit cui semper fides adhibeatur tamquam capitulis scriptis in uolumine dicte societatis.

Capitulum Guilliermi Zorgni et filiorum.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Statutum et ordinatum fuit in plena et generali credencia societatis beati Georgii de Cario de uoluntate et consensu domini Bertoloti Grihaudi rectoris dicte societatis per campanam et uocem preconum ut mos est in domo comunis congregata per capitulatores electos a dicta credencia super eo quod Iohaninus et Bertinus filii Guilliermi Zorgni debuerunt percuti a Paganono filio Guilliermi de Valle ut dicitur. quod si fuerit quod supradicti Iohaninus et Bertinus uel aliquis ipsorum siue dictus eorum pater Guilliermus Zorgnus fecerint uindictam similem et cum moderamine seu fieri fecerint de percussione ut dicitur facta in personis supradictorum Iohanini et Bertini. quod predictus rector dicte societatis et quilibet alius rector seu rectores qui pro tempore fuerint in dicta societate teneantur et debeant precisse et sine tenore ipsos Iohaninum et Bertinum et dictum eorum patrem et quaslibet alias personas qui uel que facerent dictam uindictam indempnes ipsos et quemlibet ipsorum et eorum bona trahere et penitus conseruare de proprio auere et pecunia dicte societatis in omnibus et per omnia ponendo securitates pro ipsis uel aliquo ipsorum qui hoc faceret uel facerent in curia Carii et uersus potestatem et curiam cariensem et omnia alia facere que circa hoc occurrerint facienda ad hoc ut supradicti Guilliermus Zorgnus et dicti eius fi-

hi et alii qui cum eis essent ad predicta facienda *a* indempnes melius conseruentur et extrahentur. et si aliquis de dicta societate contradiceret opponeret uel faceret palam uel priuatim in conscilio uel extra contra predicta uel aliquod predictorum incurrat penam pro quolibet et qualibet uice solidorum sexaginta et nichilominus omnia et singula supradicta in suo robore perseuerent non dimittendo per presens capitulum aliqua alia capitula scripta in libro capitulorum dicte societatis loquencia de uindicta facienda in illos qui percusserint aliquem dicte societatis scilicet presens capitulum etc. alia capitula supradicta firma et in eorum statu semper perdurent et sint.

Capitula filiorum et nepotum Iacobi de Felereis. *b*

1 In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per capitulatores ad hoc ellectos in fauorem filiorum Iacobi de Felereis quondam et nepotum suorum occasione mortis Iacomoti filii quondam dicti Iacobi qui Iacomotus fuit inuentus mortuus in finibus Taurini aput pontem Durie altera die primo mensis decembris contra Deum et iusticiam et maliciose.

Statutum et ordinatum est per capitulatores ad hoc ellectos in pleno et generali conscilio siue credentia societatis sancti Georgii de Cherio siue populi. et de uoluntate dominorum Facii de Tondonico Matei de Castello Nigri de Payto et Bertini Calozani rectorum dicte societatis et de uoluntate *c* et consensu credendariorum dicte credencie et per ipsam credenciam quod si contingeret quod aliquis de filiis siue nepotibus dicti Iacobi de Felereis uel aliquis alius pro ipsis aliquo tempore faceret uel fieri faceret modo aliquo aliquam uindictam de morte dicti Iacomoti siue de homicidio commisso in personam dicti Iacomoti in personam illius siue illorum qui ipsum Iacomotum interfecerunt siue in personam alicuius qui ad predictum homicidium dedisset aliquod auxilium conscilium uel iuuamen uel in dicto homicidio modo aliquo conscensisset quod extrahantur et conseruantur indempnem et indempnes penitus omnes et singuli et quilibet qui ipsam uindictam facerent uel fieri facerent seu fieri mandauissent uel tractauissent per rectores societatis *d* predicte et ipsam societatem et homines ipsius et de here ipsius societatis et sumptibus expensis propriis ipsius societatis tam in penis soluendis quam in securitatibus dandis pro predictis et aliis faciendis uersus comune Carii et quamlibet aliam personam collegium et uniuersitatem aliam ubique fieret dicta uindicta et quilibet de predictis siue quilibet alius qui predictam uindictam facerent uel fieri facerent de dicto homicidio manuteneatur et deffendatur in Cherio et poderio ad standum et habitandum sine pena et banno et sine aliqua iniuria eidem facienda uel grauamine per potestatem uel comune Carii uel aliam personam eisdem inferendam. et quod ille qui predictam uindictam faceret uel fieri faceret si non esset de dicta societate sancti Georgii ipsa uindicta facta in continenti de ea societate sit ipso iure et facto et esse intelligatur et deffendatur et manuteneatur sicut alii homines ipsius societatis insuper quoque predicti filii dicti Iacobi de Feleriis et nepotes et parentes dicti Iacomoti quondam ex nunc habeant plenum arbitrium et liberam facultatem promittendi et dandi ac ponendi de here ipsius societatis usque in quantitatem librarum centum uiannensium cuiuscumque et quibuscumque uoluerint ad eorum liberam uoluntatem pro predicta uindicta facienda dicti Iacomoti in personis cuiuslibet qui interfuisset ad mortem ipsius et cuiuslibet sue parentele et cuiuslibet alterius qui in ea consensisset uel in ea conscilium et iuuamen prestitisset uel dedisset modo aliquo uel aliqua ratione qua uindicta facta per illum uel per illos cui uel quibus dicta peccunia promissa esset pro dicta uindicta facienda consules seu rectores dicte societatis teneantur et debeant conscilium maius ipsius societatis celebrare infra secundam diem postquam fuerint requisiti de dicta peccunia recuperanda et dictum conscilium tantum retinere insimul quousque dicta peccunia sit recuperata et soluta illi et illis qui dictam uindictam fecissent ad uoluntatem fratrum seu nepotum dicti Iacomoti quondam. teneantur eciam dicti rectores et alii qui pro temporibus fuerint in societate et homines ipsius dare et prestare pro dictis fratribus et nepotibus predicti Iacomoti et quolibet ipsorum auxilium conscilium et iuuamen ad puniendum malefactores dicti homicidii et ad uindictam faciendam de ea contra omnes et singulos qui illud fecissent uel fieri fecissent siue in eo faciendo consensissent uel dedissent auxilium uel conscilium ad illud faciendum. et etiam teneantur et debeant rectores predicti et ipsa societas prestare eisdem fratribus et nepotibus tot homines de illis de societate tociens quociens fuerint requisiti cum quibus possint predicti fratres facere uel fieri facere uindictam de predicto homicidio et ipsos homines extrahere et conseruare si in aliqua pena inciderent indempnes de auere dicte societatis et insuper teneantur rectores dicte societatis et ipsa societas sic facere curare et complere cum effectu quod fiat et fieri debeat capitulum in comuni Carii super quo iurare debeat primus potestas qui uenerit ad regimen comunis Carii et ante si fieri poterit in quo capitulo contineatur. quod si fratres uel nepotes predicti Iacomoti interfecti facerent uindictam uel fieri facerent de morte predicti Iacomoti quod conseruentur indempnes et sine pena et banno extrahantur per comune Carii et in quo contineatur capitulo quod predicti fratres et nepotes dicti Iacomoti quondam possint petere de auere comunis Carii usque in quantitatem librarum centum pro dicta uindicta facienda quod capitulum tunc dictetur per ipsos fratres sicut illud facere uoluerint et dictare ad eorum uoluntatem et ultra hoc statutum et ordinatum fuit in dicto conscilio quod omnia suprascripta et

infrascripta sint et esse debeant truncha capitula a et precissa et ponantur in librum capitulorum dicte societatis et attendi et obseruari debeant per rectores predictos et per alios qui pro temporibus fuerint in societate ad uoluntatem fratrum et nepotum dicti Iacomoti quondam cum omnibus aliis capitulis positis et scriptis in libro capitulorum dicte societatis loquentibus de uindictis faciendis et de iniuriis factis illis de societate et in omnibus supradictis predicti fratres et nepotes semper possint addere diminuere et omnia predicta interpretari et declarare ad eorum uoluntatem. et si aliqua persona contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret in conscilio uel extra incurrat penam et bannum librarum quinquaginta pro quolibet rectore et qualibet alia persona librarum ui- b ginti quinque pro qualibet uice que pene aquirantur ipso iure dicte societati.

Capitulum Nicholini Iordani et sociorum.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula facta in fauorem Nicholini Iordani Simondini Gambini et Bertini Ceruini per capitulatores eis datos a domino capitaneo et generali conscilio societatis sancti Georgii de Cherio occasione qua ipsi Nicholinus Simondinus et Bertinus cum eorum hominibus capti fuerunt et eciam uulnerati in strata publica iuxta guadum ecclesie et ducti ad Montilium ubi fuerunt compulsi reddimi infrascriptas peccunie quantitates quorum nomina sunt hec. Cuchus de Payto Guil- c lermus filius quondam Turelli de Montedonio. Iacomellus filius Guillermi de Sanctis de Montecucho. Auzonus de Montecucho Nicholinus Tinctor de Taurino. Perellus Guastapanis de Ripa. Bertolomeus Nebula de Ripa. Matheus Burellus de Ripa. Oddonellus de Fareriis de Ripa. Gulliermus filius Nigri de Minocio de Carmagnolia Guarinus de Carmagnolia Carchasonus de Carmagnolia. Petrus de Gayono de Carmagnolia. Ricardus de Carmagnolia et Murellus de Plebata de Coconato homo domini Guidonis de Coconato.

De eodem facto.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod do- d minus capitaneus siue rector dicte societatis teneatur et debeat quandocumque placuerit predictis Nicolino Symundino et Bertino seu alteri ipsorum requirere dominum potestatem Carii quod mayus consilium comunis Carii cum iuncta congregare debeat in quo consilio concionetur per ipsum dominum capitaneum et manuteneatur per omnes de parte populi qui sunt de dicto consilio et sic fiat quod penitus producatur ad effectum quod modo aliquo uel ingenio non possit fieri ordinari uel conferri per comune Carii seu aliquem uel aliquos pro ipso comuni cum dominis uel comuni Montilii seu aliqua alia persona pro eis pax aliqua concordia uel tregua nisi tregua presens que facta est cum eisdem. ymo in continenti finito termino ipsius tregue quandocumque placuerit dictis Nicholino et sociis seu alteri ipsorum dictum comune Carii teneatur eam frangere et cassare seu contramandare ad uoluntatem ipsorum Nicholini et sociorum et cuiuslibet eorum nisi prius emendauerint seu restituerint in peccunia numerata dicto Nicholino libras septuaginta et dicto Symundino libras sexaginta quinque et dicto Bertino libras triginta duo astenses quas quantitates peccunie se reddimerunt occasione predicta et quod etiam fiant instrumenta cambii seu represalie eisdem Nicholino Sismundino et Bertino de dictis quantitatibus peccunie in personis et rebus contra comune dominos et homines Montilii et districtus per ipsum consilium et iunctam. Quod capere eis liceat finita tregua superius memorata. Et etiam quod cum domino Marchione Saluciarum seu cum aliqua terra uel loco iurisdictionis ipsius non possit fieri tractari uel ordinari seu compleri pax aliqua concordia seu tregua finita praesertim tregua que est inter ipsum dominum marchionem et comune Carii nisi prius restituerit seu restitui fecerit predictis Nicholino et sociis et cuilibet ipsorum suprascriptas peccunie quantitates in peccunia numerata.

De eodem facto.

Item quod si aliqua bona ipsorum Cuchi de Poyto Guillermi filii quondam Turelli de Montedonio Iacomelli de Sanctis et Auzoni de Montecucho districtualium comunis Carii poterint reperiri quod ipsa bona dentur et lucrentur ipsis Nicolino Simondino et Bertino pro restitucione predicta usque ad illam quantitatem pecunie quam adscenderint uel si pocius dictis Nicholino et sociis placuerit uendantur ipsa bona proximioribus parentibus seu choerentibus ipsis possessionibus sicut actenus fuerunt possessiones quorundam bannitorum comunis Carii. Que bona uendere dominus potestas dicti comunis cercare et inquirere teneatur subtiliter. Ita et sicut eisdem per ipsos Nicholinum et socios uel per alterum ipsorum fuerit iudicatum.

De eodem facto.

Item quod predicti Cuchus et socii et quilibet ipsorum ponantur ex nunc in banno perpetuali comunis Carii de robaria et maleficio de quo exire non possint absque uoluntate dictorum Nicholini et sociorum et cuiuslibet eorum et si aliqua persona de Chario uel poderio amodo in antea eis seu alteri ipsorum daret conscilium auxilium fauorem ospicium uel reductum seu eos uel alterum ipsorum deffenderet in aliquo incurrat penam librarum centum astensium pro quolibet et qualibet uice de Chario et de iurisdictione Charii expellatur et de predictis omnibus fiant et procurentur fieri in comuni Carii capitula sicut melius dictari poterint conscilio sapientum.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingerit quod predicti Nicholinus Simondinus et Bertinus uel alter ipsorum aliquo tempore offenderent uel offendi facerent in personis uel rebus aliquem uel aliquos predictorum qui eos ceperunt in Cherio siue extra Cherium et ob hoc aliquas expensas facerent uel in aliquam penam inciderent uersus aliquod comune uel dominum alicuius loci quod societas predicta et homines ipsius societatis teneantur et debeant eos et quemlibet ipsorum inde indempnes conseruare et penitus deliberare et eis restituere quidquid ob hoc expenderint de quibus expensis stetur sacramento ipsorum sine aliqua probacione.

De eodem facto.

Item quod dominus capitaneus ipsius societatis teneatur eisdem Nicholino et sociis solui facere de here ipsius societatis quos expenderet solidos quindecim astenses pro presentibus capitulis dictandis et scribendis incontinenti . . . . requisiuerint in peccunia numerata uel saltim ipsam quantitatem peccunie scribi facere in bibia dicte societatis ita quod eam possint compensare in quibuscumque taleis et penis propriis et alienis.

De eodem facto.

Que omnia et singula suprascripta sint capitula truncha et precissa que attendi et obseruari debeant per dominum capitaneum dicte societatis qui nunc est et pro temporibus fuerit precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub pena librarum quinquaginta astensium et scribantur in libro capitulorum dicte societatis et ualeant et teneant aliquo capitulo non obstante uel ordinamento facto uel facturo. Et si aliqua persona dicte societatis que predicta uel aliquod predictorum diceret uel arengaret palam uel priuatim incurrat penam librarum decem astensium pro quolibet et qualibet uice et de predictis non possit peti licencia nec dari in conscilio uel extra et data uel petita non ualeat ipso iure nisi fuerit de uoluntate dictorum Nicholini et sociorum et cuiuslibet eorum.

Capitulum Laurencii de Comite.

In nomine Domini nostri Yhesu Christi amen. Anno eiusdem millessimo tercentesimo quinto indictione tercia die martis uigesima nona mensis iunii. In presencia testium infrascriptorum in pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii populi chariensis per campanam et uoces preconum in domo communis more solito congregato dominus Banetus de Solario capitaneus iam dicte societatis requirit conscilium sibi dari super requisitionem quam facit Laurencius de comite de Taurino ha-
a bitator Cherii et iuratus dicte societatis in continenti quod cum ipse fuerit per infrascriptos enormiter uulneratus et derobatus et captus et eciam captus tempore pacis quod detur ei per societatem predictam et dominum capitaneum et homines dicte societatis conscilium et auxilium ut inde et tempore suo suffragio ipsius societatis se uendicare possit in personis infrascriptorum uel eorum parentum paronalium quorum nomina sunt hec. Galuagninus de Bricairasio Francesius Carlinus de Saluciis Saluagninus de Pomuzia Maracanus de Saluciis Camparius Saluciarum et socii. In cuius conscilii reformacione placuit dicte credentie quod fiat predictum conscilium et homines dicte societatis dicto Laurencio quod superius requisiuit et instru-
b mentum uindicte fiat contra suprascriptos qui ipsum offenderent et eorum parentes paronales. In hac prima forma formatum est predictum dominum Banetum de Solario capitaneum societatis populi cariensis et per conscilium societatis eiusdem in domo comunis Carii per campanam et uoces preconum more solito congregato quod si contingeret quod Laurencius de comite de Taurino habitator Cherii et iuratus dicte societatis uel aliquis de agnatione sua aliquo tempore faceret uel fieri faceret de percussionibus et uulnerationibus et de robationibus et captionem eidem factis per supradictos in personis predictorum uel alicuius eorum seu alterius de agnatione alicuius predictorum quod ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant
c precisse et sine dilacione aliqua ipsum Laurencium et agnatos suos siue illum uel illos qui pro eo dictam uindictam faceret uel facerent extrahere et indempnes penitus conseruare tam in penis soluendis quam in securitatibus prestandis ubicumque propriis sumptibus et expensis societatis iam dicte. Item quod dominus capitaneus seu rector uel rectores societatis iam dicte qui nunc est uel pro temporibus fuerint teneantur et debeant precisse et sine tenore preparare eidem Laurencio seu agnatis suis et illos homines quod et quas requisiuerint in continenti qui uadant cum eo ad dictam uindictam faciendam per Carium et posse Carii et ubicumque. Et si aliquis ellectorum ad hoc faciendum recusauerit ire incurrat penam solidorum sexaginta asten-
d sium pro quolibet.

Item quod omnia statuta seu ordinamenta societatis predicte loquencia in generali in fauorem hominum dicte societatis offensorum se uendicancium uel uolencium se uendicare locum habeant specialiter et expresse pro ipso Laurencio et eius agnatis et contra suprascriptos qui offenderent et agnatos eorum.

De eodem facto.

Item quod dominus capitaneus predictus et rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate teneantur et debeant omnia predicta et

singula attendere et obseruare et executioni mandare ad uoluntatem dicti Laurencii sub pena librarum quinquaginta astensium pro quolibet et qualibet uice et uinculo iuramenti. Et sint omnia predicta capitula truncha et precissa que attendi et obseruari debeant pro quolibet dicte societatis et si quis contradiceret faceret uel ueniret incurrat penam librarum decem pro quolibet et qualibet uice. et de predictis nec de aliquo predictorum non possit peti licentia nec dari et data non ualeat ipso iure nisi fuerit de uoluntate Laurencii supradicti et de predictis omnibus et singulis iniunctum est mihi notario infrascripto ut faciam publicum instrumentum.

Capitulum illorum de Casana. b

Currente anno Domini millesimo tercentesimo tercio indictione prima. die iouis uigesima octaua mensis nouembris in pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii super domo comunis more solito congregato statutum et ordinatum fuit per dominum Bertolotum Gribaudum rectorem societatis predicte de uoluntate et asensu credendariorum ipsius societatis et per ipsos credendarios de uoluntate dicti domini rectoris nomine et a parte dicte societatis quod rectores seu rector ipsius societatis nec homines ipsius non debeant ullomodo uel ingenio inquietare nec aggrauare dominos Thomam de Troya et Raymundum Faletum nec alios seu aliquem qui starent ad eorum casanam Carii c toto tempore quo eam debent tenere nec res siue bona predictorum dominorum Thome et Raymundi pro aliquo seu iniuria uel maleficio dictis factis uel quoquo modo commissis seu committendis per aliquem de predictis siue per aliquem qui staret in dicta casana toto illo tempore quo eam debent tenere in persona seu personis alicuius seu aliquorum dicte societatis uersus aliquem seu aliquos homines de dicta societate sancti Georgii nec etiam debeant ipsi rectores nec homines ipsius societatis currere ad arma nec sonare stremitam pro aliquo homine dicte societatis qui diceret sibi iniuriam fuisse factam ab aliquo de predictis dominis Thoma et Raymundo et aliis qui starent ad dictam casanam nec etiam dicti rectores teneantur uel debeant d se intromittere de aliquo maleficio uel malefacto seu iniuria que fieret dicto uel facto siue uerbis inter aliquem hominem dicte societatis et aliquem predictorum dominorum Thome et Raymundi Faleti uel alium qui staret in dicta casana pro predictis toto tempore quo eam tenere debeant. Quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat sub pena et banno librarum uiginti quinque pro quolibet rectore et quolibet homine alio dicte societatis librarum decem qui contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret et pro qualibet uice. Hoc addito quod dicti rectores teneantur et debeant obseruare et obseruari faciant predictis dominis Thome et Raymundo

a et aliis de eorum familia instrumentum factum in fauorem ipsorum per consilium societatis predicte. Quod instrumentum factum est per Milonem de Podio hoc eodem anno et indictione.

Capitula filiorum Perceualli de Troffarello quondam.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per capitulatores electos per Iacobum et Guidetum filios quondam Perceualli de Troffarello in fauorem filiorum ipsius silicet Iacobini et Guideti ut infra continetur. In primis statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret ipsos Iacobinum et Guidetum fieri facere uindictam maleficii percussionis facte in persona Perceuagli eorum patris quod societas sancti Georgii teneatur et debeat et homines ipsius societatis soluere in peccunia numerata de proprio here dicte societatis et hominum ipsius societatis expensas omnes quas fecerint uel fieri fecerint integre et si opus fuerit ponere securitatem coram potestate comunis Carii uel alibi pro illis qui facerent dictam uindictam dicti maleficii uel ferute. Et si euenerit quod predicti filii darent uel expenderent uel aliquis alius loco eorum aliquam peccuniae quantitatem in faciendo dictam uindictam dicti maleficii quod eis credatur et soluatur de here et peccunia ipsius societatis et hominum iam dicte societatis silicet in personis Mercaboti Manuellis et Bozati filiorum quondam Merlonis de auocato de Troffarello et omnium quoadiutorum ipsorum et heredum ipsorum uidelicet usque in quantitatem librarum ducentarum astensium. et hoc intelligatur de quoadiutoribus siue de parentibus paronalibus qui non essent de societate predicta uel fuissent noua uel ueteri.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si daretur dampnum aliquod in bladis uineis et possessionibus ipsorum filiorum dicti Perceualli uel in aliis rebus quod facta extimacione dicti dampni per stimatores comunis Carii uel Troffarelli qui pro tempore essent eis emendetur de bonis et rebus predictorum Mercaboti Manuellis et Bozati et quod res ipsorum Mercaboti et fratrum uendantur proximioribus parentibus ipsorum Mercaboti et fratrum. Et quod rector dicte societatis qui nunc est et qui pro temporibus fuerit in regimine dicte societatis seu rectores teneantur facere et curare cum effectu quod potestas comunis Carii qui nunc est uel qui pro temporibus fuerit in regimine comunis Carii teneatur predicta obseruare et si res dictorum Mercaboti et fratrum non sufficerent ad dictam restitutionem quod de rebus aliorum parentum paronalium ipsorum Mercaboti et fratrum uendantur proximioribus uicinis ipsorum ita quod filii dicti Perceuagli haberent restitutionem dicti dampni si eis daretur ut supra dictum est.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona que non sit dicte societatis peteret dictis filiis dicti Perceuagli quondam dicendo eis tortum uel iniuriam et hoc denunciatum fuerit domino rectori qui nunc est uel pro temporibus fuerint in regimine dicte societatis ipse rector uel rectores teneantur dare dictis filiis dicti Perceuagli unum iudicem et sindicum expensis dicte societatis qui deffendant et manuteneant ius ipsorum filiorum quondam dicti Perceuagli et quod omnes homines dicte societatis teneantur manutenere ipsos filios et ius ipsorum.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si predicti filii dicti Perceuagli uel amici eorum facerent uel fieri facerent uindictam mortis dicti Perceualli et non fuerint ausi stare in Troffarello quod rector seu rectores dicte societatis qui nunc est et qui pro temporibus fuerint in regimine dicte societatis et homines dicte societatis teneantur expensis dicte societatis preparare unam domum idoneam in qua ualeant stare securi expensis dicte societatis et dare eis custodiam et de hominibus dicte societatis.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod rector societatis seu rectores qui nunc est uel fuerint in regimine societatis predicte teneantur precisse et uinculo iuramenti attendere et obseruare et non contrafacere predicta capitula et ordinamenta et infrascripta et omnia alia capitula et ordinamenta facta et scripta in capitulis societatis predicte loquencia de ferutis et interfectionibus factis in persona alicuius societatis sancti Georgii et predicta capitula ponantur et scribantur in uolumine capitulorum dicte societatis.

De eodem facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes res et bona filiorum dicti Perceuagli quondam et eorum homines sint et esse debeant in protectione et custodia societatis sancti Georgii eo saluo quod societas non teneatur ponere manus ad arma pro hominibus supradictis filiorum quondam dicti Perceualli. Additum est quod filii dicti Perceualli sint et esse debeant et intelligantur esse de dicta societate.

Currente anno Domini millesimo tercentesimo nono indictione septima. In pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii in palacio comunis Carii more solito congregato prius facto partito per nobilem uirum dominum Bertolotum Gribaudum honorabilem rectorem societatis iam dicte su-

a pradicta capitula lecta et publicata fuerunt firmata et retificata die mercurii nono mensis iulii.

Capitulum Oddonelli Dorerii et Facioni Fareri.

Item statutum et ordinatum fuit si contingeret quod Facionus Farerius qui dicitur Gaglx de Marcerasco. et Oddonellus Dorerius uel aliquis ipsorum uel alius pro eis facerent uindictam uel fieri facerent de percussionibus robariis et iniuriis eisdem factis hoc anno de mense presenti ianuario in personis Bertoti Buralli. Anthonii Castagni de Montecalerio et Guideti filii de Danio de Cargnano. Corseti de Podiguarerio et Bastardi. Bertini Carlonis quod ipsi Facionus et Oddonellus et quili-
b bet ipsorum extrahentur penitus indempnes per societatem sancti Georgii et per rectores ipsius societatis de here dicte societatis si inciderent in aliquam penam occaxione dicte uindicte faciende usque in quantitatem librarum quinquaginta astensium et ultra hec omnia capitula facta in societate loquencia de uindictis faciendis attendentur et obseruentur eisdem Faciono et Oddonello et cuilibet ipsorum quocienscumque fecissent dictam uindictam ad eorum uoluntatem et etiam teneantur ipsi rectores ita facere et curare quod mittantur ambaxiatores unus uel plures ex parte comunis Carii et expensis ipsius comunis domino Marchioni Saluciarum et comuni Carmagnolie quod faciant restitui supradictis robariam eisdem factam in finibus et
c posse Carmagnolie et de Carmagnolia malefactores exiuerunt et in terra ipsius marchionis conuersantur quod si predicti facere noluerint quod iustum fuerit tunc ipsi rectores teneantur sic facere et curare quod predicti habeant cambium per comune Carii contra illos de Carmagnolia usque in quantitatem quam amisserunt et que iusta uidebuntur dominis rectoribus et sapientibus comunis Carii qui percusserunt et uulnerauerunt et derobauerunt ipso.

Scribendo dixi Anthonius nomine Christi
Pronomen cuius de Scutinis dicitur esse amen.

Laus et honor pueris solet euenire.
Qui dimittunt occia se studio munire.
d Facto fine pia laudetur Virgo Maria.
Qui scripsit hunc librum animam tradat in Paradisum
Non in dolendo sed Deo seruiciendo.
Non sunt securi qui dant sua colla securi.
Versus. Quod noua testa capit
Inueterata sapit.

Illorum de Cambiano.

In nomine Domini nostri Yhesu Christi amen. Statutum et ordinatum est ad honorem societatis sancti Georgii et ad comodum et utilitatem ipsius et comunis et hominum Cambiani per ipsos homines Cambiani et per ipsam societatem quibus ho-

minibus Cambiani data est et concessa plena baylia et licentia capitulandi a parte consilii ipsius societatis occasione cuiusdam domus iacentis in uilla Cambiani cum sedimine simul tenenti cui coherent Berardus Guitonus et fratres Via et Capelli et si alie sunt coherentie permaneant. Quam domum cum sedimine Symundotus Gaschus et Vricus Galozanus emerant certo precio a Guydone de Nuuolis et fratribus et quam ipsi Symundotus et Vricus uendiderant certo precio Thomayno de Feruzascho ac ipse Thomazonus postea uendiderat certo precio Symundo Balbo de Panayrolio et ipse Symundus et predictus Thomazonus de Feruzascho certo ecciam precio uendiderunt Bartholomeo de Medico et Ogerio Borgarello consulibus Cambiani existentibus nomine et uice comunis et hominum Cambiani recipientibus. Quod consules et rectores dicte societatis Sancti Georgii qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant deffendere precisse et sine tenore nomine dicte societatis et pro ipsa societate et manutenere dictam domum cum sedimine superius choerenciatam dictis consulibus et dicto comuni et hominibus Cambiani ad opus et utilitatem ipsius comunis Cambiani et ipsum comune et homines ipsius et quamlibet aliam personam habentem causam de dicta domo et sedimine a dicto comuni Cambiani dum tamen esset de Cambiano deffendere et manutenere in possessione et proprietate ipsius domus et sediminis contra quamlibet personam et uniuersitatem propriis sumptibus et expensis ipsius societatis et quod ipsi rectores teneantur et debeant sic facere et curare ac cum effectu complere in primis capitulis que fient in comuni Carii quod tunc fiat capitulum in comuni Carii quod scribatur in libro capitulorum dicti comunis in quo contineatur quod predicti uendictores seu emptores et quilibet ipsorum quod ipsi et quilibet alii de Cambiano qui fecissent inter se se aliquam uendicionem emptionem seu alienationem uel acquisicionem de aliqua domo seu sedimine existenti in uilla siue castro Cambiani usque nunc et quilibet notarius de Cario qui aliquod fecisset instrumentum super premissis non possint nec debeant per comune Carii seu potestates ipsius comunis aggrauari uel molestari de aliqua pena et banno occasione alicuius alienacionis seu acquisicionis facte de ipsa domo siue de aliqua alia existenti in uilla Cambiani siue castro. Quod capitulum fiat et fieri debeat tunc in dicto comuni Carii ita et sicut placuerit hominibus Cambiani super predictis et super omnibus de predictis descendentibus ad uoluntatem ipsorum de Cambiano que omnia et singula rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate teneantur attendere et obseruare uinculo iuramenti et sub pena librarum xxv pro quolibet ipsorum et pro quolibet homine ipsius societatis qui contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret pro qualibet uice.

a

Ricardi de Rusignolio.

In nomine domini amen.

Infrascripta sunt capitula seu ordinamenta facta per capitulatores electos a Rizardo de Rusignolio quibus data fuit baylia et auctoritas a maiori conscilio societatis sancti Georgii capitulandi contra Iohannem Castagnum et Iacobum Foaciam de Andexello et eorum parentes paronales qui non sunt de dicta societate occasione percussionum et iniuriarum factarum per dictos Iohannem et Iacobum in ipsum Rizardum de Rusignolio.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod si dictus Rizardus de Rusignolio uel aliquis eius parens paronalis uel aliquis alius pro ipso Rizardo

b

faceret uel fieri faceret uindictam de percussione et iniuria facta in persona dicti Rizardi per ipsos Iohannem Castagnum et Iacobum Foaciam in personis dictorum Iohannis et Iacobi uel alicuius ipsorum seu in persona uel personis alicuius uel aliquorum eorum parentum paronalium seu alicuius eorum qui non essent de dicta societate quod rectores dicte societatis et ipsa societas et homines ipsius societatis debeant et teneantur precisse et sine tenore et uinculo iuramenti ac sub penis inferius denotatis ipsum Rizardum et eius parentes paronales et quemlibet alium qui pro eo dictam uindictam faceret indempnes penitus conseruare de proprio auere dicte societatis tam in penis soluendis quam in securitatibus prestandis et aliis que

c

circa hec fuerint facienda ubicumque et qualitercumque fieret ipsa uindicta. Et quod liceat ipso Rizardo et eius parentibus paronalibus et cuilibet ipsorum ducere secum uel sine ei mittere de hominibus dicte societatis ad dictam uindictam faciendam qui indempnes ab ipsa societate conseruentur ut supra. Et quod credatur uerbo proprio dicti Rizardi de hiis quos dicere uoluerit dictam uindictam fecisse pro eo si contingeret eam fieri per manus alterius quam per suas. Qui etiam a dicta societate indempnes conseruentur ut supra.

Item quod omnia et singula capitula seu ordinamenta scripta in uolumine capitulorum dicte societatis loquencia in generali in fauorem hominum dicte societatis quibus essent facte percussiones uel

d

iniurie se uindicancium uel uolencium se uindicare locum habeant specialiter et expresse pro ipso Rizardo et eius parentibus paronalibus et quibuscumque aliis qui pro eo dictam uindictam facerent et contra predictos Iohannem Castagnum et Iacobum Foazam et eorum parentes paronales et quoaiuctores ipsorum qui non essent de dicta societate ac si specialiter et expresse pro ipso Rizardo parentibus et amicis et contra ipsos de Castagnis et de Foaciis et eorum coaiuctores qui non essent de dicta societate facta forent.

Que omnia et singula suprascripta sint capitula truncha et precissa et attendi et obseruari debeant per rectores et quoscumque alios de dicta societate

ad uoluntatem ipsius Rizardi et illorum de domo sua nec diminui corigi uel mutari sine uoluntate ipsius Rizardi et suorum sub pena librarum quinquaginta pro quolibet rectore dicte societatis qui contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret seu fieri pateretur et pro quolibet alio homine dicte societatis librarum decem et qualibet uice et de predictis non possit peti licentiam nec dari et data non ualeat ipso iure sine uoluntate ipsius Rizardi et scripbantur hec capitula in libro capitulorum dicte societatis. a

Approbata et confirmata fuerunt predicta capitula Rizardi de Rusignolio currente anno Domini millesimo cccxvi. indictione decima quarta die mercurii uigesimo secundo mensis septembris per dominos Carllotum Alamannum. Oddonem Farrerium b Nigrum de Peytodo et Guidonem de Canali rectores dicte societatis et per dominum Milonem de Pasquerio. Conradinum de Cornero. Bosetam Merllonem Ubertum Gribaudum. Guidotinum Guascum. Thomam Tanam. Melaninum Bencium Matheum de Castello et May de Riualla seu maiorem partem ipsorum quibus supra premissis atributa fuit baylia a maiori credencia dicte societatis.

Infrascripta sunt capitula quibus continetur quod quis non debeat moueri seu turbari iniuriari tempore uindicte faciende per societatem.

In nomine Domini amen. Infrascripte et infra- c scripta sunt prouissiones et ordinamenta facte et facta per nobilem et potentem uirum dominum Petrum de Frassineto capitaneum populi societatis sancti Georgii de Cherio et sapientes quos cum eo habere uoluit ex baylia et auctoritate eidem atributa a maiori consilio societatis predicte qui quidem dominus capitaneus et sapientes prouiderunt statuerunt et ordinauerunt prout inferius continetur.

In primis prouiderunt quod postquam dominus capitaneus siue rector societatis fecerit congregari cum armis et confalono de societate homines societatis predicte non liceat alicui homini dicte societatis amouere percussum dicte societatis occasione cuius dicta congregacio facta fuerit seu eius d parhentes qui dictam congregacionem fieri fecissent nec etiam minari eis seu aliquod impedimentum prestare facto uel uerbis ne uadant ad uindictam faciendam de maleficio tunc comisso in personam illius dicte societatis. Et qui contrafecerit incurrat penam librarum decem astensium pro quolibet pro sola amonicione et si minaretur ei uel eis aut iniuriam aliquam diceret incurrat penam librarum uiginti quinque astensium. Et si aliquod impedimentum prestaret ne dicta uindicta fieret aut moueret tunc aliquam rixam cum aliquo uel aliquibus dicte societatis incurrat penam librarum quinquaginta astensium et depellatur de dicta societate et eius domus diruatur funditus quod uigore dicte societatis et quilibet inde sit accussator et habeat quartam partem omnium penarum supradictarum dominus capitaneus siue rector aliam quartam et medietas perueniat dicte societati.

Item quod uiginti quatuor probi uiri et sapientes dicte societatis elligantur per dominum capitaneum et eius quatuor sapientes qui stent cum confalonerio et confalono dicte societatis quotiescumque homines dicte societatis et consulant ipsi confalonerio et regant ipsum ad faciendum honorem et robur dicte societatis et stent cum eo donec homines dicte societatis steterint congregati cum armis et habeat quilibet ipsorum panceriam siue platas et alia arma conueniencia et qui contrafecerit incurrat penam solidorum sexaginta astensium pro quolibet et qualibet uice in aliquo predictorum et duret eorum officium per unum annum et postmodum totidem elligantur.

Item quod si contingeret quod aliquis dicte societatis esset taliter percussus uel uulneratus ab aliquo qui non esset de dicta societate seu mortuus quod absit et non haberet aliquos parhentes paronales seu alios qui uellent sumere confalonum occasione fieri faciendi per ipsam societatem uindictam de maleficio prenotato quod dominus capitaneus siue rector dicte societatis in manibus illius uel illorum cuius uel quorum uoluerit qui ipsum potestatem debeant ad faciendum uindictam secundum formam capitulorum dicte societatis sic quod cedat honori societati predicte et si quis recussaret recipere dictum confalonum in continenti quod ei impositum uel preceptum esset ex parte domini capitanei uel rectoris ipsius societatis incurrat penam librarum uiginti quinque astensium pro quolibet et qualibet uice.

Item prouiderunt quod quilibet dicte societatis teneatur et intelligatur uenire contra societatem et homines ipsius qui iuerit ad domum uel plateam alicuius uel aliquorum qui percuxisset aliquem de dicta societate uel ad domum siue ad plateam alicuius de agnatione illius percussoris dum homines dicte societatis fuerint sub armis occaxione uindicte faciende de percuxione illius hominis percussi dicte societatis nisi esset de licencia domini capitanei uel rectorum qui essent pro temporibus in societate predicta.

Item quod predicte prouissiones et capitula tangencia de percussionibus et uindictis faciendis legantur in maiori consilio dicte societatis singulis duobus mensibus et ad predicta dominus capitaneus seu rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate teneatur uinculo iuramenti. Primo capitulum de stremita sonanda capitulum de curendo ad rumorem si rixa moueretur capitulum de curendo ad arma et ueniendo ad confalonum capitulum de ferrariis et muratoribus capitulum de ore-

dendo percusso capitulum de impedimento non pre- a
stando alicui curendo ad arma capitulum de ueniendo ad consules si fieret rixa.

In pleno et generali consilio societatis beati Georgii per campanam et uoces preconum in palacio comunis Cherii more solito congregato statutum et ordinatum fuit quod rector siue rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti sic facere et curare cum effectu quod fiat capitulum in comuni Cherii infra tempus quo uenturus est proximus futurus potestas siue rector dicti comunis super quo iuret ipse potestas siue rector continens quod ipse potestas siue rector dicti co-
munis teneatur et debeat uinculo iuramenti facere b
cancellari de libris condempnationum comunis Cherii quandam condempnationem factam in persona Iohannis Gayeti librarum triginta astensium occasione cuiusdam percussionis facte in personam Iohannoni Gentilloni de ultra montes cum ipse Iohannes sicut legiptime probauit dictam percussionem fecit iuuando Milonem Macererium dicte societatis et infra ipsum rector siue rectores ipsius societatis qui nunc est siue qui pro temporibus fuerit teneatur prohibere et deffendere ne dicta condempnacio excuciatur. Quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit.

In nomine Domini nostri Yhesu Christi amen.
Anno natiuitatis eiusdem millesimo cccxviiii. indi- c
cione secunda die ueneris xxvii. mensis septembris.

Infrascripta sunt capitula seu ordinamenta facta per dominos Obertinum Richum Oddonem Blanchum Obertinum Caxaninum et Anthonium de Nigra rectores societatis sancti Georgii et per illos sapientes dicte societatis quos secum habere uoluerunt quibus data fuit plena baylia et autoritas et liberum arbitrium capitulandi in dicta societate et capitula faciendi.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate uinculo iuramenti et precisse teneantur et debeant sic facere curare et complere cum effectu quod fiat capitulum in comuni Charii et fieri de-
beant in primo regimine siue potestaria quo uel d
qua eligetur pro ipso comuni super quo potestas seu rector comunis proxime futurus debeant iurare continens quod omnes et singuli iurisdicionis seu districtus comunis Charii qui laborauerint extra campariam comunis Charii in toto posse iurisdicionis et teritorio dicti comunis aliquas terras seu laborari fecerint uel fuerint aliqui messores uel mexonatores unde aliquod granum habuerint uel illud granum habuerint seu aportauerint uel aportari fecerint de extra iurisdicionem uel territorium dicti comunis Charii ubicumque illud acceperint possint medietatem dicti grani portare et portari facere ad eorum uoluntatem ad ipsorum domos siue ad uillam uel castrum dicte iurisdictionis unde fuerint faciendum prius illud portari usque ad portam inferiorem Riui Charii ueniendo per rectam uiam dimitendo tamen et aportando in Chario aliam medietatem dicti grani et de illo faciendo cum fuerit in Chario quicquid uoluerit dum tamen non extrahat ipsum de Cherio postea. et hoc fiant et fieri debeant ita et sicut ordinabitur per sapientes comunis Charii ad hoc coligendos ne aliqua fraus in hiis fieri possit et in illis duobus quibus per ipsos sapientes siue per conscilium comunis Charii fuerit ordinatum non obstante capitulo loquenti quod de predictis non possit peti licenciam nec dari nec aliquo alio.

De denunciatione facienda rectoribus per illum qui dicere uoluerit fuisse percussus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret quod absit quod alicui de societate fuerit de cetero facta aliqua iniuria uel percussio ab aliqua persona que non esset de ipsa societate quod ille cui facta fuerit iniuria uel percussio teneatur et debeat ire ab inde usque ad duos menses tunc subsequentes ad rectores societatis predicte et dinunciare eisdem percussionem siue iniuriam sibi factam palam uel priuatim et nominare eisdem personam seu personas que iniuriam intulisset. Quod si non fecerit societas non teneatur occasione predicta quam ipso soluere aliquam penam seu bannum si contingeret ipsum uel alium pro eo de ipsa iniuria uel percussione facere aliquam uindictam saluo quod si inde condemnacio facta fuerit per potestatem uel rectorem comunis Charii quod denunciare non teneatur sed habeatur pro legiptima probacione.

Quod nullus de Ast possit esse de dicta societate.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis homo de ciuitate Ast uel districtus siue sit intrinsecus uel extrinsecus ipsius ciuitatis uel districtus ab ista die in anthea non possit recipi nec debeat ullo modo in habitatorem comunis Charii siue in custodia ipsius comunis nec in societate sancti Georgii et quod rectores societatis qui pro temporibus fuerint in ea teneantur precisse et uinculo iuramenti prohibere et deffendere in conscilio maiori comunis Charii et in conscilio dicte societatis et ubique ne contra predicta uel aliquod predictorum aliquid fiat uel ordinetur nec ipsi rectores pati possint ut aliquid in contrarium ordinetur aliqua de causa et quod in primis capitulatoribus ipsi rectores qui pro temporibus fuerint teneantur facere et curare quod inde fiat capitulum in comuni Charii sicut melius dictari poterit et hec obseruentur et obseruari debeant sub pena et bampno librarum uiginti quinque pro quolibet rectore et pro qualibet persona alia contrafacienti uel uenienti librarum decem et hec que scripta sunt locum habeant quousque ipsi de Ast concordes fuerint de discordia seu guera que est inter eos.

In Christi nomine amen. anno natiuitatis eiusdem millesimo tricentesimo uigesimo octauo indictione undecima in Cherio die dominico sexto mensis nouenbris. haec sunt capitula facta in fauorem et pro fauore Manuellis fratris quondam Guillielmi Gambini Perceuagli Henrici Guillielmi Nicholini Antonii et Bartolomei omnium de Gambinis de Cherio et omnium aliorum de Gambinis et cohadiuctorum ipsorum de consilio et uoluntate nobilis uiri domini Vesponi de Solario honorabilis capitanei societatis beati Georgii et populi Cherii ex baylia et auctoritate eisdem de Gambinis atributa a maiori credentia dicte societatis sancti Georgii de Cherio die supradicta contra et aduersus Melanonum de Azano et Iacobum eius patrem Iohanonum Bertotum Henrionum et Iacomonum Thomaynum Guidetum et Petinum filios Marchixii omnes de Azano de Monbello et omnes de eorum hospicio et cohadiutores ipsorum occasione maleficii comissi actenus per dictum Melanonum de Azano in personam Guillielmi Gambini fratris supradicti Manuellis et per dictum Melanum contra Deum et iusticiam ut infra sequitur.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod dictus dominus capitaneus presens et futurus et rectores qui pro tempore fuerint et omnes alii de dicta societate teneantur et debeant predictos de Gambinis et eorum cohadiutores manutenere et adiuuare. Et si quo tempore dicti de Gambinis uel aliqui uel aliquis ex ipsis uel alii eorum cohadiutores fecerint uel fieri fecerint uindictam de morte dicti Guillielmi de Gambinis quod per predictam societatem debeant manuteneri et deffendi et pro eo uel eis pena solui comuni Cherii de auere dicte societatis et pro eo uel eis satisdacionem siue securitatem prestare et alios sumptus facere occasione predicta de auere societatis predicte et hoc non solum de morte si cum morte se uendicarent sed etiam et de uulneribus si quoddam uulnus uel uulnera ipsi uel aliquis ipsorum de Gambinis uel eorum choadiutores in persona uel personis predictorum Melanoni et aliorum agnatorum ipsius ac etiam cohadiutorum suorum quoquo modo per ipsos ut supra fieret.

Pagani de Treuazoliis.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta in fauorem Pagani de Treuazoliis et ipsius fratris Bertrami et nepotum suorum et ipsorum coadiutorum occaxione homicidii comissi in personam Facini filii quondam dicti Pagani per Henricum Nebulam de Rippa dictum Sbirium qui ipsum Facinum interfecit contra Deum et iusticiam ut est publicum et notorium. In primis statutum et ordinatum est in dicta societate quod si contingeret quod predicti Paganus et alii de Treuazoliis uel aliquis ipsorum seu alia persona unde esset et qualiscumque esset siue esset de societate siue non facerent uel fieri facerent uindi-

a ctam seu percussionem de supradicto homicidio facto in personam dicti Facini in personam dicti Henrici Nebule seu alterius de agnatione paronali illorum qui uocantur Nebule quod societas sancti Georgii et homines ipsius teneantur precisse et debeant penitus extrahere et conseruare indempnes predictos de Treuazoliis et quemlibet ipsorum et eos et bona eorum et quamlibet aliam personam que faceret dictam uindictam seu percussionem et quemlibet eorum coadiutorem qui in predictis et circa predicta daret uel prestaret conscilium uel iuuamen propriis sumptibus et expensis dicte societatis ubicumque et qualitercumque fieret dicta uindicta tam in penis soluendis quam in securitatibus prestandis et preparandis. ad quam uindi-
b ctam faciendam ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur et etiam preparare homines de dicta societate predictis Pagano et aliis de Treuazoliis cum quibus possint facere dictam uindictam ad uoluntatem eorum quocienscumque uoluerint predicti de Treuazoliis et eis placuerit ac eisdem dare ad predicta facienda conscilium auxilium et iuuamen ad eorum uoluntatem et facta ipsa uindicta predicti de Treuazoliis habeant et habere debeant de auere dicte societatis omni anno libras decem astenses quousque concordiam habuerint cum inimicis predictis. et quod aliquis dicte societatis non debeat eisdem Henrico seu aliis de Nebulis dare uel impartiri in aliquo suo facto uel negocio in Cario siue extra aliquod conscilium uel iuuamen
c nec eis loqui nec eos asociare aliquo nec eis seu alteri ipsorum aliquod reductum prestare in aliqua parte sub pena librarum uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice. Item quod omnia et singula capitula scripta in libro capitulorum societatis predicte facta in fauorem illorum qui percucientur et loquencia in generali de iniuriis et percussionibus factis hominibus societatis et de uindictis faciendis et in fauorem hominum uolentium se uendicare et cetera alia que fieri possent in aliquo pro ipsis de Trauazoliis facta fuerint ex nunc in fauorem ipsorum et pro ipsis atendi et obseruari debeant specialiter et expresse eisdem de Treuazoliis et pro ipsis et eorum coadiutoribus in omnibus cum omnibus penis et bannis que in ipsis capitulis conti-
d nentur ad uoluntatem ipsorum quocienscumque eisdem placuerit. Item quod predicti Paganus Bertramus et alii de Trauazoliis possint expendere ponere et dare de auere dicte societatis cum conscilio tamen rectorum qui pro temporibus fuerint in ipsa societate ad faciendum ipsam uindictam in personam dicti Henrici Nebule siue alterius de agnatione paronali ipsius Henrici usque in quantitatem librarum centum astensium de quibus libris centum fiat et imponatur tallea in ipsa societate et super homines ipsius usque ad festum sancti Martini proxime uenientis et eam excutere et excuti facere teneantur rectores societatis elapso dicto festo infra terminum siue terminos qui ordinabuntur per dominos rectores societatis predicte cum uoluntate et

conscilio dictorum Pagani et Bertrami que tallea siue denarii que excucientur de ea colligantur et excuciantur per massarium dicte societatis et ponantur ad unum bonum tabulum nomine dicte societatis. Et facta dicta uindicta per quamcumque personam fieret et in quocumque loco in personam dicti Henrici uel alicuius de sua parentella paronali dicti denarii expediantur dentur et traddantur predictis Pagano et Bertramo seu alteri illorum de Treuazoliis qui dictam uindictam facerent uel fieri facerent quod de ipsis denariis faciant quidquid facere uoluerint ad eorum uoluntatem. Que omnia et singula supradicta ipsa societas et homines ipsius societatis qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant atendere et obseruare precisse et sine tenore et uinculo iuramenti quocienscumque et quandocumque fuerint de predictis uel de aliquo predictorum per ipsos de Treuazoliis uel per aliquem ipsorum requisiti sub pena et banno librarum quinquaginta et sub remocione officii rectorie seu consulatus. et si aliquis dicte societatis contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret incurrat penam et bannum librarum uiginti quinque pro quolibet ultra alias supradictas penas et quilibet possit super predictis accusare mostrando accusam in ueritate de quibus penis et bannis ipse accusator habeat terciam partem et rectores qui pro temporibus fuerint aliam terciam et societas aliam terciam que pene excuciantur per ipsos rectores in peccunia numerata non obstante aliqua compensacione. Que omnia et singula sint capitula truncha et precissa et atendi et obseruari debeant cum omnibus superius scriptis et sicut scripta sunt sine aliquo extrinseco tenore uel intellectu ad uoluntatem semper predictorum Pagani et aliorum de Treuazoliis cum omnibus penis et bannis suprascriptis. Et si aliqua obscuritas uel ambiguitas esset uel oriretur in predictis uel aliquo predictorum declaretur et interpetretur per predictos de Treuazolis cum conscilio rectorum dicte societatis quorum declarationi stari debeat et ponantur predicta in uolumine statutorum dicte societatis nec de ipsis possit aliquod diminui ullo modo uel ingenio nec ordinari aliquod contrarium predictorum per conscilium siue per capitulatores uel capitula aliqua nec statui modo aliquo aliquod in preiudicium predictorum de Treuazoliis seu predictorum capitulorum nec de ipsis siue super ipsis possit fieri conscilium aliquod publicum uel priuatum uel licencia peti nec dari et data non ualeat nullo modo nisi de uoluntate predictorum de Trauazolis sub penis et bannis superius declaratis de quibus eciam aliqua persona non possit habere nec petere exemplum sub predictis penis nisi de uoluntate ipsorum de Trauazolis saluo quod predicti de Trauazolis de omnibus predictis expensis societatis possint habere publicum instrumentum. Quod instrumentum cum omnibus hiis que in eo continebuntur ipsa societas et rectores qui pro temporibus fuerint in ea teneantur precisse et uinculo

a iuramenti et sub penis que in eo continebuntur semper attendere et obseruare et atendi et obseruari facere predictis de Trauazolis et cuilibet ipsorum ad uoluntatem eorum. que omnia et singula capitula lecta et publicata fuerunt per Henricum Scutinum notarium in pleno et generali conscilio societatis predicte et confirmata et approbata fuerunt per ipsos consules et rectores et consciliarios dicti conscilii qui in dicto conscilio erant currente anno Domini millesimo cccxiiii. indicione duodecima die dominico penultimo mensis septembris in palacio comunis per campanam et uoces preconum more solito dictum conscilium congregato et de predictis omnibus preceptum est mihi Iacobino Armanno notario tunc societatis predicte per supra-
b dictum Paganum de Trauazolis et per supradictos consules ad instanciam ipsius Pagani fieri publicum instrumentum presentibus Bertoto Barberio et Testa Blonda nunciis dicte societatis ad hec testibus rogatis et uocatis.

In nomine Domini amen. Currente anno Domini millesimo cccxiiii. indictione xii. die penultimo mensis septembris in plena et generali credencia comunis sancti Georgii super palacio comunis per campanam et uocem preconum more solito congregato statutum et ordinatum est per ipsam credenciam uoluntate et consensu dominorum Guidonis Mayacii Melanini Bencii de Muascha et Orioti Calozani et Laurencii de Solario et per rectores et
c consules dicte societatis consensu et uoluntate dicte credencie quod predicti domini rectores presentes et futuri teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti attendere et obseruare cum effectu quamdam reformacionem factam in fauorem domini Rizardi de Bozia Merlone scriptam in libro consciliorum dicte societatis die dominico xxiiii. mensis iunii quocienscumque et quandocumque inde essent requisiti ex parte dicti domini Rizardi et ad uoluntatem ipsius prout in ea continetur.

Quod quadam uia aptanda et facta est.

In nomine Domini amen. Currente anno Domini
d millesimo cccxiiii. indictione xii. die dominico penultimo mensis septembris. In pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii super palacio comunis ad sonum campane et uocem preconum more solito congregato statutum et ordinatum est per ipsum conscilium uoluntate et consensu dominorum Guidonis Mayacii Melanini Bencii de Muascha Vireti Erdozani et Laurencii de Solario rectores societatis predicte sancti Georgii et per ipsos rectores uoluntate et consensu dicti conscilii nemine discrepante quod domini Guido Baralis Melanius Brolia Iordanus Fruxius et Perceuallus Vetullus noui rectores ipsius societatis teneantur et debeant precisse et uinculo iuramenti ita facere et curare cum effectu quod fiat capitulum in comuni Carii

super quo iuret potestas uenturus comunis Carii a
in quo capitulo contineatur quod ipse dominus potestas teneatur et debeat uinculo iuramenti ita facere et curare cum effectu quod uia pro qua itur uersus domum domini Guidonis Mayacii incipiendo in confurcio marcadelli et eundo per portam illorum de Castello et reuertendo usque ad confurcium Thomayni Mahonerii et similiter uersus marcatum bobum usque ad domum Iohanoti Aloeti et tantum quantum tenet ipsa domus debeat solare et aptare et quod quatuor suprastantes elligantur per ipsos rectores presentes et futuri quod rectores presentes et futuri habeant plenam bayliam elligendi predictos suprastantes et dicta uia soletur expensis quibus debuerit et predicta teneatur ipse dominus potestas executioni mandare usque festum sancti Georgii proxime b
uenientis.

Iacomoti Gayeti et eius filii Guiazonii.

In nomine Domini amen anno natiuitatis eiusdem millesimo cccxvi. indictione xiiii. die vi. mensis februarii. Statutum et ordinatum est per sapientes capitulatores societatis sancti Georgii quibus data erat et atributa a generali consilio dicte societatis plena baylia capitulandi quidquid uellent in dicta societate quod consules et rectores ipsius societatis futuri et qui intrabunt et erunt in regimine ipsius societatis et eam regere debent a kalendis februarii proxime uenturi usque ad quatuor menses subsequentes et completos et quilibet alii rectores et c
consules societatis qui pro tempore fuerint in ea et omnes alii homines dicte societatis ac ipsa societas teneantur precisse et uinculo iuramenti et sub pena et banno pro quolibet ipsorum rectorum et cuiuslibet eorum librarum quinquaginta astensium ita et sic facere et curare et cum effectu complere quod Iacomotus Gayetus et eius filius Guiazonus et Rolandonus et quilibet predictorum extrahantur et extrahy debeant de banno seu bannis in quibus sunt et incurrerunt uersus comune Cherii occasione mortis Audoti de Auda quondam cum duo ex ipsis siue dictus Iacomotus et Guiazonus fuerunt inculpabiles de dicto homicidio ut est publicum et notorium inter homines Cherii. et qui predicti omnes pacem de dicto homicidio fecerunt d
cum Germana nepte dicti Audoti quondam uxore Simundi de Paxano que erat eidem Audoto proximior in gradum et heres eiusdem. de qua pace constat per publicum instrumentum inde factum per Albertinum Dodelium in anno Domini millesimo cccxiiii. indictione xii. die mercurii viii. mensis octubris. quod instrumentum predicti capitulatores uiderunt et eisdem obstensum est sic dictatum ut est scriptum et hec facere teneantur et complere cum effectu usque ad kalendas aprilis proxime uenientis. dantes et soluentes predicti Iacomotus et filii supradicti comuni Cherii siue massario dicti comunis recipienti pro ipso comuni libras centum uianenses in peccunia numerata sine aliqua compensatione et sine aliquo opere comunis faciendo. quibus libris centum uianensibus siue libris centum quinquaginta astensibus monete currentis per Cherium solutis in peccunia numerata ut supra teneantur et debeant predicti rectores et ipsa societas et homines ipsius infra dictam terminum facere cassari et anullari predictos Iacobum et filios et quemlibet ipsorum de dictis bannis et condempnationibus inde factis in predictos occasione dicti Audoti et eos et quemlibet ipsorum extrahere et conseruare indempnes de predictis et penitus liberare. hoc eciam ordinato quod ipsi rectores et ipsa societas teneantur et debeant ita facere curare et complere cum effectu et infra dictum terminum dictarum kalendarum aprilis et antequam aliquis potestas siue fuerit de Cherio uel foritanus ipse potestas unus uel plures ueniat uel iuret regimen comunis Cherii quod in dicto comuni Cherii fiat capitulum super quo iurare debeat potestas futurus qui uenerit ad dictum regimen dicti comunis continens quod predictus Iacobus et filii sint absoluti et esse debeant penitus et liberati a bannis et condempnationibus factis in predictos uel in aliquem ipsorum occasione dicti homicidii dantes et soluentes ipsi libras cl. astenses in peccunia numerata monete currentis per Carium ut supra dictum est. et quod capitulum quod fiet in comuni Cherii dictetur et ordinetur ad uoluntatem Franchoti Gayeti et Perceualli de Paxano uel alterius ipsorum uel alicuius eorum sicut ipsis melius et utilius dictari facere uoluerint in fauorem et utilitatem dictorum Iacomoti et filiorum et cuiuslibet eorum et ad hoc ut predicti Iacomotus et filii melius sint absoluti de dictis bannis et condempnationibus. que omnia sint capitula truncha et precissa et attendi et obseruari debeant cum effectu per ipsos rectores et per ipsam societatem et homines ipsius nec de predictis possit peti licencia nec dari in consilio uel extra publico uel priuato et data uel petita non ualeat ipso iure supradictis omnibus nichilominus in sua firmitate manentibus semper. et si aliquis predictorum consulum contra predicta faceret uel ueniret uel predicta non seruauerit cum effectu incurrat pena et banno ipso iure et facto librarum quinquaginta astensium in peccunia numerata et nichilominus sit priuatus ab officio rectorie et sit remotus et remoueri debeat de ipsa societate. et quilibet alius de ipsa societate qui contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret incurrat pena et banno librarum xxv. dandis et soluendis dicte societati in peccunia numerata. et hec scribantur in libro capitulorum dicte societatis super quibus iurent et iurare debeant dicti rectores infra octo dies post sacramentum rectorum predictorum.

Henrici Bucii et filiorum.

Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per capitulatores ad hoc ellectos in fauorem Henrici Bucii et filiorum nepotum et aliorum de domo

sua et quoadiutores ipsorum occasione mortis Mathei filii quondam dicti Henrici qui Matheus fuit uulneratus et interfectus maliciose et sine aliqua causa ad guadum Caliani poderii Cherii per aliquos malignos caualcatores.

In primis statutum et ordinatum est per capitulatores ad hoc ellectos in pleno et generali conscilio siue credencia societatis sancti Georgii de Cherio siue populi de uoluntate dominorum Urieti de Tondonico Boni Iohannis Ruffi Bartolomei Rabellatoris et Anthonii de Mercadillo rectorum dicte societatis et de uoluntate et consensu credendariorum dicte credencie et per ipsam credenciam quod si contingeret quod ipse Henricus Bucius uel filii sui seu aliquis ipsorum uel alius de domo dicti Henrici siue de eius parentela uel nepotes ipsius Henrici uel aliquis alius pro ipsis aliquo tempore facerent uel fieri facerent modo aliquo aliquam uindictam de morte dicti Mathei siue de homicidio comisso in personam dicti Mathei in personam illius siue illorum qui ipsum Matheum interfecerunt siue in personam alicuius qui ad predictum homicidium dedissent aliquod auxilium consilium uel iuuamen uel in dicto homicidio modo aliquo consensissent quod extrahantur et conseruentur indepnem et indepnes penitus omnes et singuli et quilibet qui ipsam uindictam facerent uel fieri facerent seu fieri mandauissent uel tractauissent per rectores societatis predicte qui modo sunt et qui pro tempore essent in dicta societate et ipsam societatem et homines ipsius et de ere ipsius societatis et sumptibus et expensis propriis ipsius societatis tam in penis soluendis quam in securitatibus dandis pro predictis et aliis faciendis uersus comune Cherii et quamlibet aliam personam collegium et uniuersitatem ubique fieret dicta uindicta et quilibet de predictis siue quilibet alius qualiscumque esset et ubicumque qui predictam uindictam facerent uel fieri facerent de dicto homicidio manuteneantur et deffendantur in Cherio et poderio ad standum et habitandum sine pena et banno et sine aliqua iniuria eidem facienda uel grauamine per potestatem uel comune Cherii uel aliam personam eisdem inferendam siue esset bannitus comunis siue non saluo de homicidio. et quod ille qui predictam uindictam faceret uel fieri faceret si non esset de dicta societate sancti Georgii ipsa uindicta facta incontinenti de ea societate sit ipso iure et facto et esse intelligatur et deffendatur sicut alii homines ipsius societatis. insuper quod predicti Henricus filii nepotes et alii de domo sua uel de eius parentela et parentes dicti Henrici ex nunc habeant plenum arbitrium et liberam facultatem promittendi et dandi ac ponendi de ere ipsius societatis usque in quantitatem librarum centum uianensium cuicumque et quibuscumque uoluerint ad eorum liberam uoluntatem predicta uindicta facienda dicti Mathei in personis cuiuslibet qui interfuisset et culpabilis ad mortem ipsius et cuiuslibet sue parentele et cuiuslibet alterius qui in ea comixisset uel in ea con- *a* silium uel iuuamen prestitisset uel dedisset modo aliquo uel aliqua ratione. et qua uindicta facta per illum uel illos cui uel quibus dicta peccunia promissa esset pro dicta uindicta facienda consules seu rectores dicte societatis qui nunc sunt uel pro temporibus fuerint in ea teneantur et debeant consilium maius ipsius societatis celebrare infra secundam diem postquam fuerint requisiti de dicta peccunia recuperanda et dictum consilium tantum retinere insimul quousque dicta peccunia sit recuperata et soluta illi et illis qui dictam uindictam fecissent ad uoluntatem dicti Henrici et filiorum et seu nepotum dicti Henrici. et teneantur etiam dicti rectores et alii qui pro temporibus fuerint in societate et homines ipsius dare et prestare predictis *b* Henrico et filiis dicti Henrici et nepotibus et aliis de sua parentela et cuilibet ipsorum auxilium consilium et iuuamen ad puniendum malefactores dicti homicidii et ad uindictam faciendam de eo contra omnes et singulos qui illud fecissent uel fieri fecissent siue in eo faciendo consensissent uel dedissent auxilium uel consilium ad illud faciendum. et etiam teneantur et debeant rectores predicti et ipsa societas prestare eisdem Henrico et filiis et nepotibus et aliis de parentela sua tot homines de illis de societate quando fuerint requisiti cum quibus possint predicti Henricus et filii et nepotes facere et fieri facere uindictam de predicto homicidio et ipsos homines extrahere et conseruare si in aliquam penam inciderent indepnes de auere dicte socie- *c* tatis. insuper teneantur rectores dicte societatis et ipsa societas sic facere curare et complere cum effectu quod fiat et fieri debeat capitulum in comuni Cherii super quo iurare debeat primus potestas forensis qui uenerit ad regimen comunis Cherii et ante si fieri poterit in quo capitulo contineatur quod si ipse Henricus filii uel nepotes predicti Henrici facerent uel fieri facerent uindictam de morte predicti Mathei quod conseruentur indepnes et sine pena et banno extrahantur per comune Cherii. et in quo capitulo contineatur quod predicti Henricus et filii nepotes et alii de domo sua posint ponere de auere comunis Cherii usque in quantitatem librarum centum pro dicta uindicta facienda quod capitulum tunc dictetur per ipsum Henricum et *d* filios sicut illud facere uoluerint et dictare ad eorum uoluntatem. prepterea uoluerunt et ordinauerunt dicti capitulatores quod credatur et credi debeat dicto Henrico filiis et nepotibus de omnibus hiis hominibus quos dixerint uel dicerent fecisse dictum maleficium in personam dicti filii sui siue ad illud faciendum dedissent consilium auxilium uel iuuamen sine alia probatione ab eis exigenda. et ultra hec statutum et ordinatum fuit in dicto consilio quod omnia suprascripta et infrascripta sint et esse debeant capitula truncha et precissa et ponantur in libro capitulorum dicte societatis et attendi et obseruari debeant per rectores predictos et alios qui pro temporibus fuerint in societate ad uoluntatem dictorum Henrici et filiorum cum om-

nibus aliis capitulis positis et scriptis in libro capitulorum dicte societatis loquencium de uindictis faciendis et de iniuriis factis illis de societate et in omnibus supradictis predicti Henricus filii et nepotes semper possint addere diminuere et omnia predicta interpretari et declarare ad eorum uoluntatem. et si aliqua persona contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret in consilio uel extra incurrat penam et bannum librarum quinquaginta pro quolibet rectore et qualibet alia persona librarum uiginti quinque pro qualibet uice. que pena aquiratur ipso iure dicte societati.

Iohannis de Rosignollo et fideiussorum eius.

Item statutum et ordinatum est in plena et generali credencia dicte societatis quod rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et ipsa societas teneantur et debeant extrahere et conseruare indempnes expensis dicte societatis et de aduere ipsius societatis Iohanninum de Rusignolio Guifreotum de Castello Guillelminum de Iudeis et Martinum de Frexia qui Guifreotus Guillelminus et Martinus intercesserunt et fideiusserunt pro ipso Iohannino et quoslibet alios qui pro eo intercessissent fideiussissent seu promississent et eorum res et bona de quadam condempnacione librarum quadraginta facta per dominum Georgium de Plozascho potestatem Charii in persona dicti Iohannini occasione maleficii comissi per ipsum Iohanninum in persona Uercelli Castagni de Andexello quandocumque fuerint requisiti per predictos seu per aliquem predictorum. quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat per ipsos rectores uinculo iuramenti et quod capitulum factum fuit lectum et publicatum in pleno et generali consilio dicte societatis ad sonum campane et uoces preconum in domo comunis more solito congregato in anno Domini MCCCXVII. indicione XV. die dominico XVIII. mensis septembris.

Facioni Fabri de Marterasco.

In nomine Domini amen. Currente anno Domini millesimo CCCXXII. inditione quinta die lune XIII. mensis septembris Bertinonus Faber et Iacobinus Faber de Marterascho ellecti capitulatores a parte Facioni Fabris de Marterascho filii quondam Facini Fabris de Marterascho secundum formam reformationis conscilii societatis sancti Georgii populi contra Laurenzonum de Maxio qui Lorenzonus percuxit ipsum Facionum dictum Gago in brachio de uno cultello ita quod sanguis inde exiuit et milius fecit et hec denunciauit domino Gualfredo de Bargis capitaneo populi qui liberaliter respondidit eidem quod paratus erat omnia ea que facere tenebatur et debebat et ponere manus ad arma et alia facere que in capitulis societatis continebantur ut hec omnia patent per publicum instrumentum inde factum per Iacobinum Armanum notarium hoc eodem anno

a et indicione mense die VIII. mensis augusti. Ideo predicti capitulatores statuerunt et ordinauerunt de uoluntate tamen dicti domini capitanei quod si contingeret quod dictus Facionus Faber dictus Gago de Marterasco faceret seu fieri faceret modo aliquo uindictam aliquam de percuxione predicta in personam dicti Laurencii de Maxio uel in aliquem alium de illis de Maxio qui non esset de societate predicta quod dictus Facionus dictus Gago et quilibet alius qui dictam uindictam faceret siue qui ad ipsam uindictam faciendam daret conscilium auxilium uel iuuamen extrahantur et extrahi debeant et conseruari et penitus liberentur indempnes de omni dampno pena et banno contra quamlibet personam collegium et uniuersitatem propriis sumpti-

b bus et expensis societatis predicte et de auere ipsius societatis et tam in securitatibus faciendis pro predictis et penis soluendis quam in aliis quibuscumque que contingerent uel emergerent de predictis quoquo modo et quod omnia capitula dicte societatis loquentia de illis qui uindictam facerent et alia facta in fauorem illorum qui uindictam facerent seruentur et seruari debeant dicto Gago et facta intelligantur pro ipso Gago et cuiuslibet alterius qui dictam uindictam faceret uel in ea facienda daret conscilium auxilium uel fauorem siue esset dicte societatis siue non. et quod aliquis ipsius societatis non debeat eidem Lorenzono dare uel prestare aliquod conscilium auxilium uel iuuamen sub penis que continentur in capitulis dicte socie-

c tatis. que omnia sint capitula truncha et precissa et ponantur et scribantur in libro capitulorum societatis predicte et atendi et obseruari debeant semper ad uoluntatem dicti Gago uel aliorum de domo Ferariorum de Marterasco per rectores qui pro temporibus fuerint in societate predicta et per homines dicte societatis sub pena et banno pro quolibet rectore qui contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret pro quolibet et qualibet uice librarum XXV. et pro quolibet alio homine dicte societatis librarum decem et pro qualibet uice in quibus penis quilibet predictorum contra predicta uel aliquod predictorum ueniens uel faciens se nouerit ipso iure et facto incursurum. que quidem capitula lecta et publicata fuerunt in pleno et ge-

d nerali conscilio societatis predicte et confirmatum et aprobatum per ipsum conscilium nemine discrepante currente anno Domini millesimo tercentesimo uigesimo secundo indicione quinta die martis uigesimo octauo septembris precipiendo mihi Iacobo Armanno de predictis fieri publicum instrumentum coram Bertoto Barberio et Testablonda testibus uocatis et rogatis.

Bertoti Irati et sociorum.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula siue ordinamenta facta in societate sancti Georgii per capitulatores ellectos a parte Bertoti Yrati Bertolomey eius filii Gulliermoti de Bagnascho et eius

filii Bagnolii occaxione rixe habite inter ipsos ex una parte et Raynerium Blanchum ex alia et percussionum et uulnerarum hinc inde factarum quibus Ubertoto et Gulliermoto ac filiis eorum dati fuerunt dicti capitulatores a maiori conscilio dicte societatis habentes bayliam et liberum arbitrium capitulandi et capitula faciendi in fauorem dictorum Ubertoti Gulliermoti et filiorum cum conscilio tamen nobilis uiri domini Gualfredi ex dominis Bargiarum honorabilis capitanei societatis predicte prout in reformacione conscilii dicte societatis plenius continetur quorum capitulatorum nomina sunt hec Andreonus Uarinus. Bachinus de Salice. Berardus de Orbezorio. Uliuerius Zauaterius et Matheus de Tagloto.

In primis statuerunt et ordinauerunt dicti capitulatores concorditer quod si contingeret quod predicti Ubertotus Yratus et eius filii Bertolomeus Gullielmotus de Bagnascho et eius filius Bagnolius seu aliquis eorum condempnarentur seu agrauarentur per dominum potestatem seu iudicem uel commune Charii seu alteram personam nomine dicti comunis occaxione rixe habite inter ipsos ex una parte et Raynerium Blanchum predictum ex alia et percussionum siue uulnerarum que dicuntur facte fuisse per ipsos seu per aliquem uel aliquos ipsorum in personam dicti Raynerii seu in persona alicuius alterius in dicta rixa facta de presenti mense ianuarii in Chario uidelicet in quarterio Uayro ante domum quam habitat Gullielmus de Rognono seu alibi in dicto quarterio quod quidem inde ex dictis percussionibus seu uulneracionibus accidat quod dictus rector qui nunc est et quilibet alius rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate et ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub penis inferius denotatis ipsos Ubertotum et filium Guilliermotum et filium et quemlibet ipsorum et eorum fideiussores qui pro eis et quemlibet ipsorum intercesserunt et fideiusserunt pro inde uersus dominum potestatem et comune Charii seu aliam personam recipienti nomine dicti comunis silicet dominos Michaellem Grillum Ubertum Gribaudum Bertolomeum Merlonem Bonum Iohannem Rubeum Manfredum de Riualba Thomazotum de Orbezorio Bertinum Buschetum Guidetum Salamonem Henricum Scutinum Michaelem Caxinum et Bertolonum Triperium et quoslibet alios qui pro ipsis uel pro altero ipsorum pro inde intercexisset uel fideiussisset extrahere liberare et penitus indempnes conseruare de proprio auere dicte societatis. et quod ipse dominus rector qui nunc est et quilibet alius rector seu rectores qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant precisse et sub eisdem penis quandocumque et quocienscumque inde fuerit uel fuerint requisitus uel requisiti a parte dictorum Ubertoti et Gulliermoti et filiorum eorum et dictorum fideiussorum uel alicuius ipsorum incontinenti conscilium maius dicte societatis congregare et ipsum tantum con- a gregatum insimul retinere una cum ipso domino capitaneo rectore uel rectoribus quod peccunia integra recuperata sit et quod ipsi inde indempnes extrahantur penitus sic quod sint taciti et contenti. insuper autem idem dominus capitaneus siue rector uel rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant sic facere et curare cum effectu quod detur et dari debeat a parte domini potestatis et comunis Charii eisdem Ubertoto Gulliermoto et filiis et quibuscumque eorum quoadiutoribus licenciam et parabolam portandi arma deffensiua et offensiua sine pena et banno non obstante aliquo capitulo.

Item statuerunt et ordinauerunt concorditer dicti capitulatores quod omnia et singula statuta seu ca- b pitula scripta in uolumine capitulorum dicte societatis loquencia in generali uel speciali in fauorem hominum dicte societatis quibus essent facte percussiones uel iniurie ab aliquo uel aliquibus qui non essent de dicta societate se uindicancium uel uolentium se uindicare locum habeant specialiter et expresse pro predictis Ubertoto Gulliermoto et filiis et quolibet ipsorum et quoadiutoribus eorumdem et contra ipsum Raynerium et quoadiutores eius ac si pro ipsis Ubertoto Gulliermoto et filiis proprie et specialiter facta essent. et si aliqua dubietas uel obscuritas in ipsis esset uel esse uideretur interpretetur et declaretur diffinicione seu arbitrio ipsorum Ubertoti Gulliermoti et filiorum conscilio semper domini capitaney qui nunc est c uel essent et semper ad requixicionem ipsorum ipsa capitula seu ordinamenta per capitaneum rectorem seu rectores dicte societatis debeant obseruari exceptione uel deffensione aliqua non obstante. que omnia et singula suprascripta sint capitula truncha et precissa que attendi et obseruari debeant per ipsum dominum capitaneum et quemlibet seu quoslibet alium uel alios rectores dicte societatis et quamlibet aliam personam dicte societatis sub pena et banno ipsi domino capitaneo et cuilibet alteri rectori dicte societatis librarum centum astensium. et si aliqua persona ipsius societatis contra predicta uel aliquod predictorum diceret faceret uel ueniret quoquo modo in conscilio uel extra incurrat penam librarum xxv. pro quolibet et qua- d libet uice et quilibet inde sit accusator habendo quartam partem dicte pene et de quo capitulo peti non possit licencia neque dari et data uel petita non ualeat ipso iure nisi fuerit de uoluntate ipsorum Ubertoti Gulliermoti et filiorum et cuiuslibet ipsorum. retinentes in se dicti capitulatores autoritatem et bayliam capitulandi iterum et capitula faciendi in dicta societate si eis uidebitur expedire conscilio semper capitanei prelibati uel essentis pro tempore et predictis capitulis addendi et minuendi. que omnia suprascripta facta fuerunt et ordinata de conscilio et assensu dicti domini Gualfredi capitanei societatis predicte currente anno Domini millesimo tercentesimo uigesimo secundo indicione quinta die mensis ianuarii.

Guidotini Maceti.

In nomine Domini nostri Yhesu Christi amen. Infrascriptum est capitulum seu ordinamentum factum per Guidotinum Macetum et eius filium Conradinum in societate sancti Georgii populi chariensis ex uigore cuiusdam reformacionis facte in credencia dicti populi et scripta in libro societatis predicte occaxione cuiusdam pene pro eis soluende in qua condempnati fuerunt quilibet ipsorum in libris xxv. astensibus per dominum Amicum ex dominis Lucerne Carii tunc temporis potestatem ea occaxione uidelicet quia debuerunt adsaltum fecisse in Wulielmum Rotondum ad domum in qua morabatur ipse Wulielmus occaxione quia predictus Wilielmus percussit supradictum Conradinum cum magna sanguinis effusione tamen conscilio domini Valfredi ex dominis Bargiarum tunc temporis societatis sancti Georgii capitanei ut inferius continetur. Primo statutum et ordinatum fuit in dicta credencia quod supradictus dominus Valfredus ex dominis Bargiarum capitaneus dicte societatis et quilibet alius rector siue rectores qui nunc est uel qui pro temporibus essent teneantur facere et curare cum effectu quod infra duos menses et medium debeant dicti Guidotinus et eius filius Conradinus seu condempnacio facta et scripta in libris curie cariensis de libris xxv. astensibus pro quolibet ipsorum occaxione asaltus de quo supra fit mencio et in dicta condempnatione plenissime continetur ita et taliter quod occaxione dicte condempnationis dicti Guidotinus et eius filius Conradinus per predictum dominum capitaneum et per homines ipsius societatis ab inde in antea de auere dicte societatis penitus indempnes conseruentur ita quod ab inde in antea predicti Guidotinus et filius nullatinus molestentur imo predicta teneantur attendere dictus capitaneus qui nunc esset uel qui esset seu essent pro temporibus nec non homines ipsius societatis uinculo iuramenti et conscilium celebrare postquam inde fuerit requisitus et ipsum conscilium tenere ad uoluntatem dictorum Guidotini et filii quam diu modus non fuerit inuentus propter que predicti Guidotinus et filius fuerint de dicta condempnatione absoluti et indempnes penitus conseruati sub pena librarum xxv. astensium ipsi rectori et rectoribus pro temporibus existentibus in dicta societate et pro quolibet et cuique homini dicte societatis librarum x. astensium si contra uenirent uel forte negligentes essent in aliquo predictorum pro quolibet et qualibet uice.

Capitulum Francisi de Tondonico.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula facta et ordinata per dominos de Tondonico occaxione percussionis iniurie et excessus facte et facti in persona Francisci de Tondonico filii quon- *a* dam domini Goslini de Tondonico per Barnaboum filium domini Conradi de Hostero hoc anno et de mense presenti die martis quarto mensis madii que capitula facta sunt in fauorem et iuuamen predicti Francischi et aliorum de Tondonico et omnium ipsorum coaiutorum ut inferius discripbuntur et notantur.

In primis statutum et ordinatum est in pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii et populi cariensis per dominum Gualfredum Aycardum de Bargiis capitaneum et rectorem dicte societatis et populi cariensis uoluntate consciliariorum dicte societatis et per ipsos consciliarios uoluntate et asensu ipsius domini capitanei quod si contingeret *b* quod dictus Francischus uel alius de hospicio illorum de Tondonico uel aliqua alia persona undecumque et qualiscumque sit faceret seu fieri faceret modo aliquo uindictam de dicta percussione sibi facta uel excessu predicto in persona Barnaboy seu in persona alicuius de domo ipsius Barnaboy quoquo modo et ubicumque quod ipse dominus capitaneus et consciliarii predicti et quilibet alius rector dicte societatis et ipsa societas teneantur precisse et sine tenore uinculo iuramenti et sub penis infra scriptis extrahere et extrahy facere et penitus conseruare ipsum Francischum et quemlibet alium qui dictam uindictam faceret seu fieri faceret siue ad ipsam faciendam daret uel prestaret conscilium auxilium uel iuuamen indempnem et in- *c* demnes et indempna contra quamlibet personam seu personas collegium et uniuersitatem tam in securitatibus dandis et prestandis coram quolibet potestate iudice rectore uel magistratu seu domino quam in penis soluendis pro predictis de auere proprio dicte societatis et propriis sumptibus et expensis ipsius societatis et ad quam uindictam faciendam ipsi credendarii et ipsa societas et quilibet rector ipsius teneantur et debeant prestare eidem Francischino et aliis de Tondonico auxilium conscilium et iuuamen et eciam equitare cum omnibus hominibus ipsius societatis uel parte ipsius societatis ad uoluntatem semper ipsorum de Tondonico et ita et sicut et quando eisdem placuerit et tociens quociens uoluerint cum conscilio tamen domini ca- *d* pitanei qui nunc est uel essent pro tempore conscilio sapientum quos secum habere uoluerit et quod omnia capitula dicte societatis loquencia de uindictis et iniuriis factis hominibus ipsius societatis attendantur et obseruantur eisdem de Tondonico quandocumque eis placuerit et pro ipsis et in fauorem ipsorum facta esse intelligantur. que omnia et singula sint capitula truncha et precissa et attendi et obseruari debeant sub pena pro quolibet rectore librarum quinquaginta et pro qualibet singulari persona librarum uiginti quinque et quod pene tociens comitantur quociens contra predicta uel aliquod predictorum factum fuit quibus penis solutis uel non solutis omnia et singula supradicta in sua remaneant firmitate.

Item quod dictus dominus capitaneus et quilibet alius qui esset rector dicte societatis et ipsa societas teneantur et debeant sic facere et curare cum effectu quod fiat capitulum in comuni Carii continens inter cetera quod dictus Barnabous condempnetur per dominum potestatem Carii de dicta percussione iniuria et excessu secundum formam capitulorum comunis Carii et banniri debeat et in banno stare donec solueret condempnationem que de eo fecerit occaxione predicta et quod fiat capitulum in comuni Carii quod eciam aliquis homo de Tondonico non debeat nec possit dare eidem Barnabo nec alicui de domo illorum de Hosterio aliquod auxilium conscilium uel iuuamen in aliquo suo facto uel negocio nec ire uel redire cum eisdem sub pena et banno librarum decem astensium pro quolibet et qualibet uice et quod dicti homines de Tondonico debeant iuuare et manutenere dictos de Tondonico in faciendo guaytam et excarauaytam et clausuras pertinentes ad forciam castri de Tondonico et ipsum castrum custodire tam in die quam in nocte ad opus et utilitatem comunis Carii et in predictis faciendis eisdem dominis obedire nomine dicti comunis Carii et dare eisdem auxilium et conscilium ad coligendum pedagium Tondonici nomine comunis Carii.

Item quod dictus dominus capitaneus et ipsa societas debeat et teneatur sic facere et curare cum effectu quod ordinetur in comuni Carii quod per ipsum comune dentur eisdem decem homines per quatuor dies et tres carros cum bobus expensis dicti comunis ad aiuuandum predictos de Tondonico ad claudendum et murandum castrum Tondonici nomine dicti comunis Carii in quo ipsi possint stare sine periculo et se redducere cum eisdem de Tondonico placuerit.

Que capitula lecta fuerunt et aprobata in pleno et generali conscilio dicte societatis currente anno Domini millesimo cccxxii. indicione quinta die iouis xiii. mensis madii et ponantur et scripbantur in libro dicte societatis expensis ipsius societatis tam factis occaxione ditaminis ipsorum capitulorum quam faciendis pro ipsis capitulis in libro capitulorum dicte societatis scripbendis.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per capitullatores datos et concessos Perceuallo de Taglotis et aliis de Taglotis a consilio societatis beati Georgii de Cherio contra Bartolomeum Grossum et Guillermum et Manuellinum filios Perini Grossi et alios de agnatione ipsorum de Grossis de Rippa occaxione percussionum et uulneracionum factarum per predictos Bartolomeum Grossum et filios Perini Grossi in personam Guideti filii dicti Perceualli de Tagloto in loco Podiiguarici quibus data fuit baylia auctoritas et facultas a dicto consilio capitulandi et capitula faciendi in dicta societate cum conscilio et asensu infrascriptorum rectorum ipsius societatis.

Perceualli de Tagloto et aliis de Tagloto.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret quod dictus Perceuallus de Tagloto uel aliquis filiorum suorum seu alius de agnacione ipsorum de Taglotis et Aycardis facerent uel fieri facerent uindictam de dictis percussionibus et uulneracionibus factis in personam dicti Guideti contra predictos Bartolomeum et filios Perini uel aliquem ipsorum seu contra aliquem alium de agnacione ipsorum de Grossis de Rippa quod dicta societas et rectores ipsius societatis qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant incontinenti facta dicta uindicta ipsos de Taglotis et Aycardis et quemlibet ipsorum et quemlibet alium qui pro eis uel aliquo ipsorum dictam uindictam faceret extrahere et indempnes penitus conseruare de aduere proprio dicte societatis et sumptibus et expensis ipsius societatis tam in penis soluendis quam in securitatibus prestandis et omnibus aliis que circa hec fuerint facienda. Et insuper teneantur dicti rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate quocienscumque et quandocumque requixiti essent a dictis de Tagloto et Aycardis uel aliquo ipsorum preparare eis de hominibus dicte societatis qui uadant cum eis ad faciendam dictam uindictam quoquo uoluerint et si aliquis de dicta societate recussaret ire cum eis incontinenti quod preceptum foret ei a parte dictorum rectorum incurrat penam librarum decem pro quolibet contrafaciente.

Item quod liceat dictis de Taglotis et Aycardis et cuilibet ipsorum dare uel promittere peccuniam occaxione dicte uindicte faciende usque in quantitatem librarum quinquaginta astensium quam peccuniam rectores dicte societatis et dicta societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant soluere et solui facere de aduere ipsius societatis infra unum mensem postquam dicta peccunia data uel promissa fuerit.

Item quod omnia capitula et ordinamenta scripta in uolumine capitulorum dicte societatis loquentia in generali in fauorem hominum dicte societatis quibus essent facte iniurie uel percussiones et contra illos qui dictas iniurias uel percussiones facerent locum habeant specialiter et expresse pro ipsis de Tagloto et Aycardis et quolibet ipsorum et quocumque alio qui pro eis dictam uindictam faceret ac si facta essent specialiter pro ipsis et contra dictos de Grossis.

Que omnia et singula supradicta sint capitula truncha et precissa que attendi et obseruari debeant per quoscumque rectores dicte societatis presentes et futuros et per quoslibet alios de ipsa societate uinculo iuramenti et sub pena et banno librarum xxv astensium pro quolibet rectore qui contrafaceret uel ueniret et pro qualibet alia persona dicte societatis contrafaciente uel ueniente librarum decem astensium et pro qualibet uice et scribantur in libro capitulorum dicte societatis et si aliqua obscuritas uel dubietas in ipsis esset in-

terpretetur et declaretur ad uoluntatem dictorum *a* de Taglotis et Aycardis et cuiuslibet eorum et remoueri non possint aliquo modo de uolumine dictorum capitulorum nisi uoluntate ipsorum de Taglotis et cuiuslibet eorum.

Que quidem capitula facta sunt cum consilio et asensu dominorum Iacobi Moltoni Laurencii de Solario Henrieti de Mercadillo et Perceualli Vetuli rectorum ipsius societatis.

Illorum de Papia.

In nomine Domini amen. In pleno et generali consilio societatis sancti Georgii per campanas et uoces preconum in domo dicti comunis more solito congregato statutum et ordinatum est per do- *b* minos Oddonem Farrerium Matheum de Tagloto Perinum de Castello et Bonum Iohannem de Tondonico rectores dicte societatis et consiliorum ipsius societatis facto inde diligenter partito per ipsum dominum Perinum de Castello rectorem quod cum Vercellonus de Papia et eius nepos Laurentonus filius quondam Anthonii de Papia fratris sui fatigati fuerint athenus indebite et iniuste occaxione cuiusdam pecie boschi iacentis in cerreto plano quam aquisiuerunt a Perono de Auglono uxore et filio eius et rectores dicte societatis qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint et ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant medietatem ipsius pecie boschi iacentis in cerreto plano cui coherent ipse Vercellonus Guidetus de Papia *c* et Buscheti et Riuus et si alie sint coherentie permaneant eisdem defendere et manutenere uiriliter contra quamlibet personam collegium et uniuersitatem ecclesiasticam uel secularem et si dicti Vercellonus et nepos uel alter ipsorum modo appellarentur conuenirentur uel molestarentur seu citati essent extra Cherium uel in Cherio ubicumque esset quod dicta societas faciat eis et cuilibet ipsorum expensas totius questionis silicet de procuratore siue sindico iudice et scripturis et expensas eundi et redeundi et de omnibus aliis que circa deffenssionem ipsorum fuerint facienda procurare et sic facere ipsis si opus fuerit ut habeant ipsum procuratorem et iudicem expensis predictis dicte societatis. ad que facienda et complenda rectores *d* dicte societatis qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint teneantur uinculo iuramenti et sub pena et banno librarum decem pro quolibet et qualibet uice. Qui rectores habeant plenam bayliam et liberum arbitrium recuperandi denarios et faciendi recuperare occaxione expensarum faciendarum pro predictis et quolibet predictorum et super omnibus et singulis suprascriptis semper ad uoluntatem dicti Vercelloni. Et si aliquis dicte societatis inquietaret uel molestaret in aliquo ipsum Vercellonum et nepotem in ipsa medietate dicte pecie boschi mouendo ei litem de ea uel alii qui ipsam litem uel questionem moueret dando auxilium uel fauorem incurat penam librarum xxv. pro quolibet et qualibet uice. Quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit et attendi et obseruari debeat semper ad uoluntatem dicti Vercelloni et ipsa medietas dicte pecie boschi ex uigore dicte societatis manuteneatur eidem et nepoti suo predicto.

De non equitando extra Carium ad certas uillas.

Item statutum et ordinatum est quod si contingerit quod absit quod aliquis de Pezeto Marentino Andexello et Villa sancti Martini de Stellono uel in dictis locis uel aliquo ipsorum stans uel habitans qui non sit de aliquo hospicio Cherii seu de dominis de Bulgaro quondam seu de aliquibus castellanis iurisdicionis comunis Cherii qui non sit de societate predicta percuteret seu uulneraret aliquem hominem de dicta societate seu aliquam aliam iniuriam inferret in eum quod dicta societas nec homines ipsius societatis in toto seu in parte non teneantur nec debeant propter hoc caualcare ad ipsas uillas nec etiam aliquam domum ipsorum hominum uel alicuius eorum dirruere uel dirrui facere nec res alias guastare non obstante capitulo quod loquitur de exstrimita sonanda et de uendicta facienda ad uoluntatem percussi et amicorum eius nec aliquo alio capitulo dicte societatis. In aliis uero que facienda fuerint circa uindictam faciendam pro illo de dicta societate qui esset percussus uel cui esset facta iniuria per aliquos dictarum uillarum remaneant omnia capitula dicte societatis in eorum firmitate tam in penis soluendis si se uendicaret et et in securitatibus prestandis pro eo quam in quibuscumque aliis contentis in capitulis dicte societatis. Additum est dicto capitulo currente anno Domini millesimo cccxxi. indicione iiii. in pleno et generali conscilio societatis predicte super palacio comunis Cherii more solito congregato die martis xxvii. mensis ianuarii per dominos Merlletum de Ballada Guidonem Salamonem Franceschinum Gribaudum et Iacobum de Gerbo rectores ipsius societatis consensu et uoluntate consiliariorum dicti consilii nemine discrepante et per ipsos consiliarios consensu uoluntate et auctoritate dictorum dominorum rectorum quod dicta societas nec homines ipsius societatis teneantur nec debeant equitare cum armis uel sine armis in toto uel in parte ad locum Agugloni nec ibi aliquam domum dirruere nec aliquas res guastare occaxione alicuius ferute seu iniurie que amodo fierent per aliquem seu aliquos dicti loci Augloni seu alii stantes et habitantes in aliquem de dicta societate nixi percussor esset de aliquo hospicio loci Cherii seu de dominis quondam de Burgaro seu de aliquibus dominis uel castellanis iurisditionis Cherii qui non esset de dicta societate non obstante capitulo de stremita sonanda et de uindicta facienda pro illo de dicta societate cui iniuria seu percussio aliqua facta foret per aliquem qui non esset de dicta societate. In aliis uero que fuerint facienda circa uindictam faciendam pro

illo de dicta societate qui esset percussus seu cui *a* iniuria aliqua facta foret per aliquem seu aliquos qui non essent de dicta societate tam de dictis uillis quam aliunde omnia capitula dicte societatis tam in penis soluendis si se uendicaret et in securitatibus prestandis pro eo quam in quibuscumque aliis contentis in capitulis dicte societatis excepto ut supra in sua semper remaneant firmitate.

Quod aliquis de societate non debeat alium percutere uel dismentiri.

In nomine Domini nostri Yhesu Christi amen. Currente anno Domini millesimo cccxxi. indicione quarta in Cherio die etc. Statutum et ordinatum est quod non liceat alicui homini societatis alium *b* hominem dicte societatis percutere uulnerare interficere uel dismentire seu ei aliquod uerbum iniuriossum dicere et qui contrafaceret uel ueniret soluat pro uerbo iniuriosso quod diceretur illi qui esset ad arengariam solidos sexaginta et si diceretur alicui in conscilio dicte societatis maiori uel priuato solidos uiginti et si diceretur alibi quam in conscilio solidos decem astenses et qui extraheret gladium fereum irato animo contra illum de societate soluat pro pena solidos uiginti et qui percuteret de manu soluat pro pena solidos sexaginta astenses et si percuteret de fuste lapide uel gladio sine effussione sanguinis soluat pro pena solidos centum et si sanguinem lapide uel fuste uel gladio effunderet soluat pro pena libras decem et si quod *c* absit aliquem hominem dicte societatis interficeret soluat pro pena libras uiginti quinque cassatis omnibus aliis capitulis loquentibus de ista materia isto tamen in suo robore permanente. quas penas illi qui fuerint condempnati occaxionibus predictis uel aliqua earum teneantur soluere infra unum mensem postquam fuerint condempnati et si non soluerit rectores qui pro temporibus fuerint teneantur eos de dicta societate expellere et de cartis dicte societatis radi facere precipiens inde publicum instrumentum fieri uincullo iuramenti et sub pena et banno librarum decem astensium pro quolibet rectore qui in hiis in aliquo contrafaceret seu foret negligens uel remissus. Et si concordia inter aliquos de aliquo ex superius contentis facta fuerit *d* infra dies xv. post maleficium uel discordiam et inde apparuerit per publicum instrumentum quod medietas pene erogetur in societate predicta.

Quorumdam debitorum societatis.

In nomine Domini amen. Curente anno Domini millesimo cccxxi. indicione quarta in Cherio die etc. In pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii per campanam et uoces preconum in domo comunis Charii more solito congregato statutum et ordinatum fuit per dominos Melaninum-Bencium Faciotum Guaschum Martinum Alamanum et Iohanonum de Raueta rectores dicte societatis et per uniuerssum conscilium ipsius societatis facto partito inde diligenter per ipsum dominum rectorem quod tam rectores proxime futuri quam quilibet alius rector uel rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint et ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore et uincullo iuramenti facere et curare cum effectu quod fiat solucio Thomayno de Buglo Gribaudo de quodam debito librarum triginta sex solidos sex et denarios tres astenses quos denarios infrascripti pro societate receptauerint mutuis infra tres menses proximos de auere dicte societatis et extrahere et indempnes penitus conseruare sumptibus et expensis dicte societatis infrascriptos homines dicte societatis et dominos Melanum-Bencium Faciotum Guaschum Martinum Alamanum et Iohanonum de Raueta Bartolomeum Merlonem Daniellum de Mercadillo Alexandrum de Folia et Bartolomeum Rabellatorem qui pro ipsa societate mutuo peccuniam receptauerint a Thomayno Gribaudo scilicet libras triginta sex solidos sex et denarios tres astenses ad soluendum usque ad tres menses proximos et ultra ad racionem denariorum trium pro qualibet libra omni mense dum starentur ad solupcionem dicti debiti faciendam sicut constat per publicum instrumentum factum et compossitum per Petrum Gualdonum notarium hoc eodem anno et indicione die sabati penultimo mensis madii de quibus ipsa societas indigebat uidelicet occaxione expensarum festi sancti Georgii istius anni et uestium nunciorum et questionis Vercelloni de Papia quam habet in casali sancti Euagii coram delegato domini Pape. et quandocumque et quocienscumque dicti rectores siue rector fuerint requisiti per ipsos debitores uel per alterum ipsorum aut per ipsum creditorem teneantur et debeant conscilium mayus dicte societatis congregare et ipsum consilium tantum congregatum tenere insimul una cum ipsis rectoribus quod ipsa peccunia sit recuperata et inde satisfactum dicto creditori et quod dicti debitores a dicto debito liberentur ita quod sint contenti. Quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit et de eo nec de licencia dicti conscilii non possit peti licencia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure nixi fuerit de uoluntate dictorum debitorum et ipsius creditoris et cuiuslibet eorum et si aliquis rector dicte societatis in hoc esset negligens uel remissus incurat penam librarum xxv. astensium et quilibet alius dicte societatis qui contrafaceret uel ueniret seu diceret in conscilio uel extra librarum x. astensium et hoc capitulum scribatur in libro capitulorum dicte societatis et obseruetur ad uoluntatem dictorum debitorum et cuiuslibet eorum.

Quod illi de Castello omnes et illi de Bosiis sint expulsi de societate.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Curente anno a natiuitate eiusdem millesimo cccxviii.

indictione prima die martis xxi. mensis februarii a
statutum et ordinatum fuit per dominum Milonem de Pasquerio et per capitulatores ellectos per eundem occaxione percussionis et iniurie facte in persona ipsius domini Milonis per Faciotum Bosium de Castello filium quondam Bertini Bossii de Castello quod ipse Faciotus et illi de Bosiis de Castello omnes et singuli et omnes et singuli alii de Hospicio illorum de Castello et quilibet ipsorum sint epulsi et extra de societate sancti Georgii ex nunc ipso iure et facto sic et taliter quod de ipsa societate de cetero non sint nec esse possint aliquo modo uel ingenio et radantur et radi debeant ex nunc et canzellari de libris dicte societatis et quod si contingeret quod ipse dominus Milo uel aliquis nepotum suorum uel alia persona aliquo tempore fa- b
ceret seu fieri faceret uindictam de iniuria facta uel commissa in persona ipsius domini Milonis per predictum Faciotum in persona uel personis dicti Facioti uel alicuius seu aliquorum de dicto Hospicio de Castello uel ipsorum quoadiutorum quod factores dicte uindicte qualitercunque fieret et ubicumque extrahantur et extrahi debeant indempnes et conseruari per rectores dicte societatis et per ipsam societatem propriis sumptibus et expensis ipsius societatis et de auere ipsius societatis tam in penis soluendis quam in securitatibus prestandis et de qualibet offensione que de cetero fieret predictis de Castello in rebus et personis rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate nullum eisdem teneantur prestare conscilium uel iuuamen c
et quod omnia capitula seu statuta dicte societatis loquencia de illis qui habent discordias et contra illos qui manum ponerent uel possuissent seu iniuriam inferrent uel intullissent alicui uel aliquibus hominibus dicte societatis facta esse intelligantur ex nunc pro ipso domino Milone et nepotibus suis et quoadiutoribus suis et contra predictos de Castello et atendi et obseruari debeant eidem domino Miloni et nepotibus et quoadiutoribus suis ad eorum et cuiuslibet ipsorum liberam uoluntatem et quocienscumque eisdem et cuilibet placuerit. Que omnia et singula sint capitula truncha et precissa et atendi et obseruari debeant per rectores dicte societatis qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et per ipsam societatem et d
omnes et singulos homines predicte societatis ad uoluntatem dicti domini Milonis et nepotum et quoadiutorum ipsorum uinculo iuramenti et sub pena librarum quinquaginta pro quolibet rectore et uiginti quinque libris pro quolibet alio homine dicte societatis contra uenienti uel facienti capitulo aliquo facto uel facturo non obstante. et de premissis fiat publicum instrumentum dicto domino Miloni et nepotibus suis cui fides adhibeatur ac atendi et obseruari debeat totaliter tamquam alia statuta et capitula dicte societatis per rectores et uniuersos homines ipsius societatis et hec fiant et obseruentur non obstantibus capitulis aliquibus in contrarium loquentibus et si quod esset in contrarium ex nunc sit cassum et uanum et nullius ualoris et si aliquo tempore rectores qui nunc sunt appellarentur uel molestarentur de predictis in aliquo ab aliqua persona quod societas teneatur ipsos indempnes conseruare sumptibus propriis et expensis dicte societatis que omnia et singula suprascripta obseruentur ad uoluntatem dicti domini Milonis et nepotum ipsius et ipsorum quoadiutorum.

Que quidem capitula et ordinamenta lecta et publicata et uulgarizata fuerunt per me Iacobinum Armanum notarium publicum et nunc dicte societatis in pleno et generali conscilio societatis predicte sancti Georgii in palacio comunis Cherii per campanam et uoces preconum more solito congregato die martis xxi. mensis februarii et confirmata et approbata fuerunt per ipsum conscilium seu credenciam dicte societatis et de predictis omnibus et singulis preceptum mihi iamdicto notario per predictum dominum Milonem de Pascuerio fieri publicum instrumentum coram Bertoto Barberio et Testa Blonda nunciis dicte societatis ad hoc testibus rogatis et uocatis.

Pro illis qui fuissent consules a duobus annis citra.

Anno Domini M CCCXVIIII. indictione secunda die XXVIIII. mensis madii.

Item statutum et ordinatum fuit ut supra per dictos dominos rectores et consciliarios dicte societatis supradictos quod cum rectores populi existentes in rectoria dicte societatis oporteat manutenere iura comunis Cherii et dicte societatis et honores in conscilijs et extra et debent defensari et non grauari pro predictis nec offendi quod si contingeret quod absit quod aliquis dicte societatis poneret manus uel poni faceret modo aliquo uel aliqua ratione in persona alicuius que fuisset rector ipsius societatis ab uno anno citra uel fuerit in futurum per duos annos post exitum sui regiminis soluat ille qui predicta comitteret et comitti faceret pro pena et banno ipsi societati libras quinquaginta astenses ultra alias penas contentas in capitulis dicte societatis quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat per consules et rectores dicte societatis et quamlibet personam dicte societatis que pro temporibus fuerit in ipsa societate uinculo iuramenti et sub pena librarum uiginti quinque pro quolibet ipsorum rectorum et qualibet uice et qualibet persona ipsius societatis.

Facii de Tondonico et Uberti Dodelli.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Curente anno a natiuitate eiusdem M CCCVIII. indicione prima die primo februarii. Cum in capitulo comunis Charii contineatur quod dominus Facius de Tondonico pro medietate et Ubertus Dodelius et eius uxor domina Ruffina pro alia medietate teneantur et debeant soluere comuni Charii pro re-

gimine Bartholomei de Tondonico quondam talleas a
et collectas et alias imposiciones impositas et imponendas dum presens regestum durabit de quantitate librarum ccc. astensium tantum in summa et non ultra et ultra ipsam quantitatem conpelli non possint occaxione regiminis dicti Bartholomei seu pro hereditate uel legato ipsius Bartholomei quondam sicut in dicto capitulo dicti comunis et hoc plene continetur ideo ne predicti uel aliquis ipsorum possint ultra illam quantitatem librarum ccc. astensium inquietari seu aggrauari uel molestari in aliquo aliqua de causa sicut in dicto capitulo continetur statutum et ordinatum fuit in credencia seu conscilio maiori societatis sancti Georgii facto prius partito per dominos Facium de Tondonico Luciotum Merlonem Bertinum Buschetum et Anthonium b
de Monfalcono rectores dicte societatis de uoluntate dicti conscilii et per ipsos consciliarios et dictos rectores quod predicti rectores et quilibet alii homines qui pro temporibus fuerint in dicta societate et consciliarii eiusdem societatis teneantur precisse et sine tenore et uinculo iuramenti facere et curare sic et taliter et cum effectu quod predictum capitulum scriptum in uolumine capitulorum comunis Charii cum omnibus scriptis in dicto capitulo debeat eisdem integraliter obseruari et cuilibet ipsorum et quod deffendere debeant quod predicti domini Facius Ubertus et eius uxor non grauentur ultra dictam quantitatem librarum ccc. astensium. et quod eciam predicti rectores in primo regimine quo elligentur pro comuni Cherii teneantur pre- c
cisse facere et curare cum effectu quod fiat et fieri debeat capitulum in comuni Cherii super quo iurare debeat dominus potestas proximus futurus qui uenerit ad regimen dicti comunis Cherii in quo capitulo contineatur quod supradicti domini Facius pro medietate Ubertus et uxor pro alia medietate soluere teneantur pro regimine dicti Bartholomei et hereditate ipsius de libris ccc. astensibus siue de suma librarum ccc. astensium solo modo et ultra illam quantitatem ullo modo possint predicti uel aliquis ipsorum uel eius bona inquietari nec aliquo modo aggrauari debeant et quod tallee et alie collecte seu exaciones semper que imponerentur pro comuni Charii dum presens regestum durabit imponantur et ab eis exigantur semper tan- d
tummodo usque ad illam quantitatem et summam dictarum librarum ccc. et non ultra imponi possit nec debeat et si plus imponeretur uel inpositum esset usque nunc superfluum dictarum librarum ccc. de libris comunis Charii cassetur et pro non inposito penitus habeatur sed ponatur in despenduto et recepto ita quod predicti de dicto superfluo non possint nec debeant ipsi uel res ipsorum aliqua de causa inquietari molestari nec aggrauari per potestatem comunis Charii nec per ipsum comune nec pro aliqua alia persona sed sint predicti domini Facius Ubertus et uxor et quilibet ipsorum a dicto superfluo dictarum librarum ccc. inposito uel inponendo penitus absoluti et pro absolutis et quietatis omni tempore habeantur ipso iure. quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat eisdem integraliter sub pena et banno librarum quinquaginta astensium pro qualibet persona contrafaciente uel ueniente.

Facii de Tondonico.

Quum apparet per publicum instrumentum inde factum per Anthonium Pullorium notarium Michaelem Cazulum de Montaldo astensi fore nomine et uice comunis Cherii inuestitum a parte dicti comunis de quadam sorte terre iacente in sortibus ipsius comunis cui coherent Gullielmus Russus et Henricus Vacherius et de quodam sedimine iacente in uilla sancti Martini de Stelono cui coherent Bonus Iohannes Remoxinus et uia item de quodam Cetale iacente in dicta uilla cui coherent Vayrenus Nayrus et Iohannes Sayracius item de uno ayrali iacente in dicta uilla cui coherent Uliuerius de Audeto et uia ad tenendum et possidendum dictas res nomine comunis predicti et pro ipso comuni ut in publico instromento inde facto per predictum Anthonium Pullorium notarium plene continetur et in capitulo seu statuto comunis Cherii contineatur quod dominus potestas Cherii teneatur et debeat manutenere et deffendere ipsas sortes comuni Charii sicut date sunt et dictus Michael Cazulus inuestitus de predictis possessionibus nomine dicti comunis siue dominus Facius de Tondonico ipsius nomine inquietetur in aliquibus rebus predictorum iniuste ac indebite per filios domini Iordani de Riuiallico contra et per aliquem ipsorum filiorum id circo uolentes rectores populi Charii scilicet idem dominus Facius de Tondonico Luciotus Merlo Bertinus Buschetus et Anthonius de Monfalcono et consiliarii societatis populi consules et rectores societatis sancti Georgii prouidere eidem domino Facio de Tondonico in predictis possessionibus et ad hoc ut ipse possit contra quamlibet personam in ipsis possessionibus pacifica et quieta possessione de cetero gaudere nomine dicti comunis statutum et ordinatum fuit in pleno et generali consilio ipsius societatis per ipsos dominos rectores et per consciliarios eiusdem societatis quod ipsi rectores et consciliarii dicte societatis et ipsa societas et quilibet alii rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate teneantur et debeant manutenere et deffendere dictas possessiones eidem domino Facio contra quamlibet personam et ipsum in possessionem earumdem deffendere et sic facere cum effectu et curare quod in comuni Charii silicet in prima potestaria que elligetur pro comuni Charii fiat capitulum in dicto comuni super quo iurare debeat potestas primus qui uenerit ad regimen dicti comunis quod ipse dominus potestas et quilibet alius rector dicti comunis et rectores societatis populi teneantur et debeant nomine dicti comunis deffendere et manutenere supradictam sortem et tenituram et possessiones predictas eidem domino Facio

contra quamlibet personam et non permittere ipsum dominum Facium inquietari uel molestari in predictis possessionibus nec aliqua ipsarum sed pocius deffendant ipsum dominum Facium et deffendere teneantur et manutenere in quieta et pacifica possessione dictarum rerum et cuiuslibet earum nec ipsius comunis et non permittere quod aliqua persona inquietet ipsum dominum Facium in dicta tenitura uel parte ipsius uel perturbet. quod capitulum ponatur in uolumine capitulorum comunis Cherii et attendi et obseruari debeat eidem domino Facio non obstantibus aliquibus pactis seu pactionibus factis cum aliquibus personis nec aliquo alio capitulo facto uel facturo in contrarium loquentibus sub pena et bano librarum xxv. pro qualibet persona contrafacienti uel uenienti saluis tamen capitulis comunis Cherii loquentibus de sortibus que remaneant in sua firmitate.

Capitulum hospicii quatorcentum societatis.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Curente anno Domini millesimo cccxxi indicione quarta die sabati xxv mensis iulli in pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii de Cherio per campanam et uoces preconum in domo dicti comunis Cherii more solito congregato statutum et ordinatum fuit per ipsum conscilium et per consiliatores dicti conscilii et rectores dicte societatis qui ibi erant in maiori quantitate nemine discrepante facto inde solempniter partito quod infrascripti quatuor centum homines dicte societatis sint et esse debeant et nominentur perpetuo unum hospicium scilicet hospicium societatis sancti Georgii qui homines debeant et teneantur perpetuo consulere recte et legaliter ipsam societatem et consules et homines ipsius societatis bona fide non declinando ad aliquam uoluntatem nixi ad comunem utilitatem corporis ipsius societatis. Et si contingerit quod absit quod aliqua persona que non esset de dicta societate cuiuscumque condicionis uel status existet percuteret aliquem hominem dicte societatis aut percuti faceret seu uulnerari seu ad dictam percussionem faciendam daret conscilium auxilium uel fauorem seu si contingeret de cetero quod aliquis dicte societatis percuteret uel uulneraret aliquem uel aliquos qui non essent de dicta societate uel cum eo seu cum eis guerram caperet quod infrascripti quatuor centum homines dicte societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore portare et defferre palam arma silicet falcastrum uel iussermam seu enssem uel mazam et brazaleriam seu tauollacium tantum quantum portaret ille uel illi de dicta societate qui dictam discordiam haberet uel haberent et tantum quod uendicta fieret de dicta percussione et quousque ille qui haberet discordiam uel cui facta esset dicta percussio uel qui faceret dictam uendictam ad pacem seu concordiam peruenisset cum aduersariis suis et ire et reddire et stare cum illo qui haberet dictam discor-

a diam et ipsum asociare ad quam uendictam faciendam ipsi quatuor centum homines et quilibet ipsorum teneantur et debeant precisse inter ceteros dicte societatis et etiam facere et procurare cum effectu cum illis de dicta societate quod uindicta de percussione que fieret illi de dicta societate fiat et fieri debeat penitus. Hoc insuper addito et expressim dicto quod si contingeret quod aliquis qui non esset de dicta societate percuteret uel percuti faceret seu ad ipsam percussionem faciendam daret conscilium auxilium uel fauorem seu uulneraret aliquem uel aliquos de ipsa societate et ille uel illi de ipsa societate qui percussi essent se uindicarent uel uendictam facerent quoquo modo de dicto maleficio in illum uel illos qui dictum maleficium co- *b* misisset seu comisissent seu comitti fecissent uel in aliquem seu aliquos de ipsius parentella qui non esset de ipsa societate quod rector seu rectores societatis iam dicte qui tunc essent uel essent in ipsa societate et homines ipsius societatis et ipsa societas teneantur et debeant precisse et sine tenore et sub pena et bano librarum centum ast. pro quolibet rectore extrahyere uel extrahy facere de auere dicte societatis illum uel illos qui facerent dictam uendictam et eorum cohaiutores indempnes siue essent de dicta societate siue non dicti cohaiutores et ita facere et complere cum effectu quod detur et dari debeat illi uel illis qui dictam uendictam facerent bona pax et firma concordia cum illis contra quos facta esset dicta uendicta et cum *c* omnibus aliis de eorum parentella siue essent uel non essent de dicta societate et ipsos constringere ad dictam pacem faciendam infra duos menses postquam dicta uendicta facta esset ex uigore dicte societatis. Et si contingeret quod ille uel illi contra quos fieret dicta uendicta et illi de eorum parentella siue essent de dicta societate siue non nollent in dicta pace facienda consentire quod rectores dicte societatis et homines ipsius societatis et ipsa societas teneantur et debeant precisse uincullo iuramenti et sub eadem pena ponere manus ad arma uiriliter et robuste et currere contra illos qui nollent in dicta pace consentire et eos omnibus modis constringere quibus poterint ne dictam pacem faciant et eam obseruent et teneant perpetuo incorruptam ita et *d* taliter constringantur ipse et omnes alii de sua parentella ad dictam pacem faciendam et tenendam cum effectu per rectorem et rectores ipsius societatis ac per dictam societatem. Quod si ille uel illi de sua parentella nollent dictam pacem facere et factam tenere quod rector seu rectores ipsius societatis et ipsa societas teneatur precisse guastare in continenti bona sua intellic . . . . et omni anno et guastata tenere imperpetuum silicet domum uineas segetes et prata quousque in dicta pace consensserint. Et si aliquis de dicta sua parentella postquam predicta bona essent guastata daret eidem aliquod conscilium auxilium uel iuuamen palam uel priuatim quod bona illius uel illorum qui darent dictum conscilium auxilium uel iuuamen similiter

debeant deguastari et deguastata teneri omni anno ut supra. Et si aliqua persona siue esset de dicta societate siue non daret uel faceret aliquod malum uel iniuriam in persona uel rebus illius uel illorum qui dictam pacem nollent facere quod illa persona que dictum malum uel iuiuriam daret extrahatur penitus indempnes per societatem predictam et ecciam conseruetur. qui uero quatuor centum quocienscumque et quandocumque eis iniunctum esset uel preceptum aut preconizatum aut ad aliquod aliud signum ordinatum faciendum ex parte rectoris uel reotorum dicte societatis ut uenirent ad eos cum armis uel sine armis uenire debeant ad locum ubi dictus rector uel rectores fuerint uel preconizari fecerint omni negocio pretermisso ad faciendum et complendum suprascripta et eorum precepta et illud quod dicto rectori uel rectoribus placuerit et honorem et comodum dicte societatis uincullo iuramenti et sub pena et banno librarum decem ast. pro quolibet et qualibet uice et eciam portare arma tantum quantum dicto rectori uel rectoribus placuerit. et quod rector seu rectores ipsius societatis teneantur et debeant omni anno de mense iullii appellari facere et reccare dictum ospicium dictorum quatuor centum et si inuenerint aliquem decessisse alium bonum suficientem subrogari faciant loco dicti defecti ita quod semper dictum ospicium in ipsa quatuor centum integra remaneant quantitate et qui quatuor centum iurare debeant predicta omnia et singula attendere et obseruare cum effectu qui omnes quatuor centum habeant scutum ad arma beati Georgii. Que omnia et singula ualeant et teneantur et obseruari debeant perpetuo per rectorem seu rectores dicte societatis et per uniuersos homines ipsius societatis infrascriptos ad uoluntatem semper et declaracionem illius uel illorum qui discordiam haberent ut supra dictum est et inde fiat et fieri debeat publicum istrumentum cuilibet uolenti quod instrumentum semper obseruari debeat. Et si predictum capitulum non reperietur scriptum in uolumine capitulorum dicte societatis sicut alia capitula ipsius societatis. Et si aliquis faceret diceret uel ueniret reputetur et appellari possit ab omnibus prodictor et rebellis dicte societatis et contra eum procedi possit et debeat ac si manum possuisset in aliquem hominem dicte societatis et quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit sed attendi et obseruari debeat per quoslibet rectorem et rectores dicte societatis et homines ipsius societatis sub pena et banno librarum uiginti quinque ast. pro quolibet et qualibet uice ultra omnes alias et singulas penas superius contentas remanentibus nichilominus omnibus aliis capitulis dicte societatis in eo quod forciores essent in eorum firmitate. In eo uero quod presens capitulum forcius esset aliis sit derogatorium dictis capitulis. Hoc tamen dicto et excepto quod si aliquis de dicta societate stans extra iurisdicionem comunis Cherii haberet discordiam cum aliquo uel aliquibus qui non essent de Cherio uel de poderio quod predictum capitulum locum non habeat quantum ad arma portanda. In aliis uero in sua remaneat firmitate.

Nomina quorum quatuor centum qui sunt de dicto ospicio sunt hec.

Primo de quarterio ialuo.

Nicholinus de Rosso
Dominus Papanianus de Pasquerio
Mondonus de Rippa
Guillielmonus Renaynus
Daniel de Masio
Bertotus Faber
Thomaynus de Pusterna
Maronus Candelerius
Filius Perini dicti Mongis
Nicholonus Naro
Conradus Bara uel eius filius
Berardinus de Negro
Thomas filius Manuellis Fabri
Dominus Ubertus de Parauina
Sismundus de Sacheto
Thomaynus de Parauina uel eius filius Gribaudonus
Nicholinus de Biano
Anthonius de Cortassono
Iohanonus Pometus
Henricus Scuarius
Iacobinus de Rosso
Perceuallus Fornerus
Obertinus Grassus
Perceuallus Zessalius siue Iohanonus Rosetus pro eo
Mayfonus de Becharia
Thomaynus de Nigra
Guyllielmonus Faber
Nicholius Patritus siue eius filius Nicholinus
Guidetus Ratus
Henrietus Pometus
Galuagnonus Paterius
Dominus Mellaninus Bencius
Nicholonus Ulitotus
Anthonius Bencius
Iohanninus de Nouelle
Bertonus Zauaterius
Mellanus Guarnerius
Iohanonus de Tagloto
Bartolomeus Putheus
Dragonus Carleuerius
Bertinus Cauallus
Maynfredus Taglauinea
Henricus Bucius
Vercellinus Mayanus
Henricus de Gauterio
Iacobinus Bucius
Guydetus Faber
Iacobinus Choayda
Ricardus Abas
Bartolomeus Taglauinca

Anthonius Faber
Iohaninus de Arenzono
Iacobinus de Ellia
Perotus Clapus siue filius
Perinonus Barberius
Bartolomeus Rabellator
Benedictus Stacerius siue eius filius
Gualotus Gallus
...... filius quondam Conradi de Vergnano.
Conraonus Faretus
Matheus de Petito boue
Bonacinus Fornerius
Bertinonus de Boglono
Iohannes de Becho
Raymondinus Crisantus
Thomaynus Duretus
Iacobus Aychardus
Iacomotus Zauaterius
Guydetus de Tagloto siue filius Guidet
Matheus de Tagloto
Phelyponus Aycardus
Ruffinonus Aycardus
Henrionus de Tribiea
Iacomotus Motonus
Iacobinus de Brandor
Guyllielminus Formagerius
Dominus Luciotus Merlo
Alexander de Follia
Ubertus de Folia
Secundinus Dodelius
Rolandonus de Iudeo
Perinus Bencius
Guydotinus Bencius
Bartolomeus Bencius
Bonus Iohannes Bencius
Dominus Ardicionus Bencius
Dominus Iohannes Gribaudus
Urietus Gribaudus
Ubertus Gribaudus
Milonus Gribaudus
Philippinus Gribaudus
Guyllielminus Gribaudus
Benedictus Brolia
Ieronimus Gribaudus
Anthonius Gribaudus
Ricardonus Gribaudus
Bertulinus Gribaudus
Danielus de Cassacko
Dominus Maynfredus Valens
Albertinus Dodelius
Iohanonus Cessarius
Bertinonus Fortis
Henronus de Rabella
Anthonius de Noualis
Iacobinus Formagerius
Ricardus Vigonus
Bartolomeus Dodelius
Ricardus de Nigra
Niger de Paytodo
Iohaninus de Monperdonio

a Henrotus Bocha Iohannes filius eius pro eo
Huyllierminus de Bucino
Iohaninus de Rosignorio
Ardezoninus Merlo
Perinotus Capaster
Bartolomeus Capaster
Anthonius de Grifo
Bartolomeus Merlo
Fulcherus Merlo
Anthonius Merlo
Facionus Merlo
Conradus Guygnolia
Maynfredus Guygnola
Bertinus Rauiolla
Goslinus Manzius.

b

Infrascripti sunt de Albuzano

Bertinus Bolongerius
Maynfredus de Auuglono
Bertinus de Canali
Paganus Grassendus
Oddoninus de Canali
Ruffinonus Olerius
Iorcius Canauerius
Peribonus de Villa
Bartolomeus Dompninus
Michelonus de Raberto
Bartolomeus Ceruinus
Ruffinonus Guarnerius
c Bartolomeus de pariete
Oddonus Veyllus
Fazonus Dianus
Iohannes Gayetus
Iacobinus Gayetus
Facinus Bezonus
Ardicionus Foacia
Iohannes Foacia
Bertellus Maritanus
Anthonius Buschetus
Guidotonus Buschetus
Matheus Canauarerius
Bertotus de Cillgnano
Bertinonus de Guarnono
Bertinus Becuellus siue eius filius
d Mayfreonus de Pauia
Martinus de Putheo
Franceschonus Valfredus
Simondus de Paxano
Brunellus de Castello uel filius eius
Berlotus Olmea uel filius eius
Iacomonus Mondini de Villa
Ubertetus de Bestano
Franconus de puluere - Franconus eius frater
Bartolomeus Tana
Guydetus Crapa
Michael Crapa
Filius Guyllielmi Crape
Odeuellus Ugexius
Vercellotus Gribaudus

Henricus de Vergnano
Iohaninus de Cornu
Oppecinus de Seta
Iacobus de Paxano
Iacomotus de Garxia
Iohannes Tauanus
Perinonus de Gerbo
Bertolinus de Gerbo
Conradus Becchus
Michael Tauanus
Obertonus Tauanus
Perinonus de Gerbo
Iacobus de Gerbo
Chicus de Gerbo
Peronus Germanus
Bertinus Caxanus
Iacomonus de Viascha
Filius Simondini Marcerii
Bachinus Fornerius
Robaudinus Bucius
Nicholinus de Aramo
Perinus Olerius
Anthonius Marcerius
Perinonus Veglus
Laurencius Pellicia
Bartolomeus de Cerio
Bertotus Tana
Faciotus Guaschus
Iacomonus Guaschus
Matheus de Boneto
Iorcius de Marcadillo
Nicholinus Guarcinus
Dominus Guydo Mayacius siue filius
Anthonius de Corneto dictus Magnus
Dominus Conradinus de Corneto
Perinus de Corneto
Maynfreotus Mayacius
Philipponus Candelerius
Georcinus de Auuglo
Iacomonus Corbellerius
Bonus Iohannes Russus siue filius Guidetus
Guyllielmonus Russus
Iohanninus Gosbertus
Bertolonus Formagerius
Guillielmus Thinellus
Perinus de Castello
Iohanonus de Alamana
Iohanotus Martellus
Bertinotus Pepinus
Germaninus de Gerbo
Perinonus Barella
Oddoninus Ratortus
Peronus Ratortus
Guyllermonus de Montaphia
Nicholinus Formagerius
Petrus de Villa
Stephanus de Frexia
Odonus de Frexia
Anthonius Castornus
Bartholomeus Pellarata

a Guidetus Macia
Guyllermonus Bechus
Iacomonus de Villa
Filius Conradi de Ardicio
Russus Vacha
Oddonellus Agacia
Mellanonus Gambianus
Rebaudonus Galuagnus
Peronus de Cessoliis
Matheus Follus
Nicholonus de Ghinolis
Bertinus Agacia
Mellanonus Boterius

Infrascripti sunt de Vayro

b

Franceschinus de Riualerio
Oddoninus de Mathoda
Nicholinus Frexius
Anthonius de Monfalchono
Oddoninus de Guarnono
Thomaynus de Boscho
Iordanus Frexius
Anthonius de Godiano uel eius filius
Mucius Faber
Perinus Faber
Rognonus de Plancha
Perinus filius Bertini de Plancha
Thomas Carleuerius
Vercellotus Vazetus
c Iacobinus Corbella
Guyllermonus Corbella
Guyllermonus de Auuglono
Iacomotus Rubius
Gualfredus Frexius
Oddoninus Manina
Iohanonus de Creto
Guidetus de Papia
Matheus de Constancio
Guyllermonus de Vercellis
Henrionus Monsurdus
Mondotus Pauexius
Conradus Mayraschus
Mellanus Marentinus
Iacobus Sucius
d Bartolomeus Sucius
Milo Pestellus
Guydatinus Mazetus siue eius filius Bertrandinus
Bertolonus de Arenberto
Caxinus de Caxiniis
Oddoninus de Plancha
Bertolonus Mestura
Henrionus de Prato
Filius quondam Oddonelli de Prato
Laurencius Piantaporus
Perinus Tanarellus
Iohannes Gracianus
Vercellus Crichus
Filius Iohannis Pugneti
Iohaninus Rubius

Perinus Pazanus
Iacomonus de Canali
Ardicio Farabaudus
Iacobinus Richus
Bertinus Richus
Michelus Richus
Perinus de Primellis
Guydo Salamonus
Maynfotus Gellinus
Oddonellus Frexius
Guyllermus de Gayre
Anthonius Grasseuerdus
Henrionus Plantapor
Anthonius Pexina
Guyllermonus Flos
Oddoninus Carellus
Franchotus Crapa
Iorzonus de Prato
Guydatinus Grasseuerdus
Baudinus Guaschus
Oddoninus de Berro
Thomazinus Grasseuerdus
Iohanonus Iospertus
Perinus Accarenus
Galuagnonus Calozanus
Corietus Calozanus uel eius filius Guillermus
Bertholomeus Yratus
Vercellus Bocius
Bartolomeus Guarinus
Andreonus Guarinus
Ysedinus Alinerius
Berardinus de Trana
Vercellus de Ponte
Oddoninus Guaschus
Perinonus Merlo
Oddonus Guaschus
Henrionus Guaschus
Hanonus de Raneta
Georgius Veglus
Iohanninus Barberius
Thomazonus Calozanus
Bertolonus Calozanus
Henrionus Calozanus
Franciscbus de Marcadillo
Anthonius de Marcadillo
Oddonus Grassus
Iulianus Guarcinus
Anthonius Grassus
Henrietus de Marcadillo
Bertotus Guaschus
Russus Grassendus
Bartolomeus Perotinus
Ardicionus Barucellerius
Facinus Paytenerius
Matheus de Boneto
Ardicionus Pexina

Infrascripti sunt de quarterio Harenorum

Thomazotus de Orbezorio

a Guyllerminus Bechinus
Anthonius Centorius
Petrus Colonbus
Castellanus Cor
Anthonius de Elia
Minacius Spelluca
Iacomotus Spelluca
Guydetus de Paglicio
Bertinus Cristinus
Bertolinus Sibonus
Iohannis Alamanus
Guyllermonus Alamanus
Martinus Alamanus
Gribaudinus Alamanus
Viterus Alamanus
b Guidetus de Solario
Milonus de Solario
Guillermonus Speluca
Guillelmus Borgarellus
Franceschonus Gayetus
Bertolomeus Scutinus
Facinus de Medico
Milonus Faciglerius
Matheus Braerius
Bertolomeus Borgolinus
Guyllermus Repetus
Iacobinus Bernardus
Guidetus de Tondonico
Andreonus de Tondonico
Obertus de Tondonico
c Guylermus Corigorius
Matheus Carleuerius
Maynfredus de Riualba
Anthonius de Orbezorio
Perinus Penenghus
Franchonus Candelerius
Thomaynus Tana
Anthonius Brouerius
Bertolinus Paterius
Antonius de Podio
Oddonus Blanchus
Matheus Blanchus
Perinonus de Guarnono
Millo de Podio
Perinus Catanius
d Petrus Vaudonus
Michelletus Vaudonus
Iohannes Cheenius
Henriotus Cor
Franceschus Valens
Bertinonus de Romana
Ardicio Bernardus
Bachinus de Salice siue eius filius Iacobus
Faber de Merterasco
Bonus Iohannes de Tondonico
Popullus de Tondonico
Luchetus de j. Ballada
Guillermonus Bouerius
Henricus de Montafia
Guyllermus Nauarotus

Iohannes Viaschus
Iohanonus Faber
Nicholinus Candellus
Guydo Baralis
Perinus Baralis
Vercellinus Baralis
Iacomotus Dorerius
Thomaynus Burllandus
Bertolomeus de Petito
Raymondus Maglanus
Oddonetus Riuanus
Iohanonus Rauicia
Henrietus Fornerius
Bertotus de Orbezorio
Guillermus Robestus
Iacomonus Mellianus
Iohanotus Fornaxerius
Thebaudinus Iolitus
Bertinotus Carussus
Iacomotus Rubius
Bertonus Bonus Petrus
Iacomotus Becherius
Bertinus Bechus uel eius filius Bertonus
Chonradonus Carbonata
Rogeronus Rauicia
Bertinus de Antelmo
Raymondus Gatus
Filius Rofini Defanti
Mellanus Bechus
Milonus Maglanus
Henrionus de Frauia et eius filius pro eo
Iacomonus Vitalis
Raymondus Cauigla
Iacomotus Faber
Manoellus Faber
Thomazonus Faber
Iohannis Sorba
Vercellinus de Orbezorio
Perinonus de Stoyra
Thomaynus Moysellus
Bertotus de Lamagla
Oddonus Berianus
Maynfredus de Frauia
Iacobinus Brocha
Henrionus Faber
Paganus de Valle
Iacobinus Cauterius
Iacomotus de Riualba
Mellanus Platus
Maynfredus Platus
Iohannes Foranus
Guyllermus Griffagnus
Peronus Braerius
Andreonus Alterius
Iohanonus Rubius
Meminus Conterius siue eius filius Guillermonus
Iohanonus Duglus
Henrionus de Meliore
Iohanonus Vecinus.

a Item statutum et ordinatum fuit in dicto conscilio quod rector seu rectores dicte societatis qui nunc sunt et pro temporibus fuerint teneantur et debeant precisse et sine tenore et uincullo iuramenti et sub penis et bannis infrascriptis deffendere et manutenere ad honorem comodum et utilitatem dicte societatis sancti Iorgii turim que dicitur illorum de Tranis seu de Alineris et domos simul contiguas et quamlibet aliam domum seu sedimen quam ipsi de Tranis siue de Alineriis habeant seu habere uideantur prope per duas perticas dictam turim ne possit aliquo contractu modo uel ingenio peruenire in aliquam personam ecclesiasticam uel secularem cuiuscumque condicionis uel status sit que non sit de dicta societate ipsam turim siue domum uel se-
b dimen uel partem dicte turis domus uel sediminis intraret seu se imisceret quoquomodo tenere uel possidere aliquo contractu facto uel faciendo quod ipse rector seu rectores dicte societatis teneantur et debeant incontinenti quod hoc sciuerint uel eis seu alteri ipsorum dictum seu denunciatum fuerit palam uel priuatim congregare facere uniuerssum populum dicte societatis et hoc ex uigore dicte societatis deffendere et uiriliter prohibere quemlibet contractum super hoc factum uel celebratum uel faciendum uel celebrandum quoquo ingenio uel quaque cautella facere canzellari et cassari penitus ita quod nullius ualoris sit. Et si forte contingeret quod illa persona que ipsum contractum fecisset seu que dicere uellet in ipsis turi domo et se-
c dimine aliquod ius habere que non sit de societate predicta ipsum contractum remitere cassare seu canzellare nollet uel aliter recussare quod aliquis de dicta societate non possit nec debeat secum aliquod habere facere in emendo uendendo molendo raddendo chocendo laborando seu laborari faciendo nec aliquo alio negocio siue modo quod dici uel cogitari possit contrahendo et quicumque de dicta societate contrafaceret uel ueniret aliquo modo incurrat penam librarum decem Ast. pro quolibet et qualibet uice et quilibet inde possit accussare habendo terciam partem dicte pene et mostrando accussam in ueritate. Quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit sed attendi et obseruari debeat perpetuo et si inde ali-
d quis rector dicte societatis esset in hiis negligens uel remissus et contrarium in aliquo fieri paterentur incurrant penam librarum centum Astensium pro quolibet et qualibet uice et quecumque persona dicte societatis que contra hoc capitulum arengaret diceret uel ueniret in conscilio uel extra palam uel priuatim similiter incurat pena et banno librarum quinquaginta Astensium pro quolibet et qualibet uice.

Item statutum et ordinatum fuit in dicto conscilio quod addatur capitulo quod est in car. xxvi. sub rubrica de turibus domibus uel sediminibus sitis prope turim non alienandis alicui qui non sit de societate ibi ubi dicitur quod non sit licitum

alicui de dicta societate etc. siue tunc sit ipse de *a* dicta societate siue non. ita quod semper ille qui contra ipsum capitulum faceret uel ueniret puniatur siue esset de societate siue non ac si ipse de dicta societate dum tamen ante ipsam alienationem fuisset de ipsa societate.

Guidotini Mazeti.

In nomine Domini nostri Yhesu Christi amen. Curente anno Domini millesimo CCCXXI. indicione quarta. in Cherio die mercurii ultimo mensis septembris in palacio siue domo comunis Cherii ubi maior credencia societatis sancti Iorgii erat ad sonum campane et uoces preconum more solito con- *b* gregata statutum et ordinatum fuit per ipsam credenciam et per credendarios eiusdem uoluntate et consensu dominorum Guyfreoti de Castello Thomayni de Orbezorio Urioti Calocani et Manoellis Farerii consulum et rectorum societatis eiusdem ad instanciam et requixicionem Guydatini Mazeti tam suo nomine quam filiorum suorum et nepotum silicet Conradini Bartolomey Iohannis et Iacobini filii quondam Iacomoti Mazeti fratris quondam dicti Guydotini Mazeti quod si contingerit quod predicti de Mazetis uel aliquis predictorum uel quilibet alius pro ipsis uel pro aliquo ipsorum uendictam aliquam facerent uel modo aliquo fieri facerent de uulneracione seu percussione facta in persona Conradini Mazeti filii dicti Guydotini per Guyllermo- *c* num Rotundum filium naturalem quondam Iohanis Rotundi in persona dicti Guyllermoni uel filiorum suorum seu personis aut in persona filiorum supradicti Iohanis Rotundi seu alicuius eorum ipsius Guyllermoni Rotundi quod predicti de Mazetis et quilibet ipsorum siue quisque alius qui dictam uendictam pro predictis de Mazetis uel pro aliquo ipsorum faceret et quilibet alius qui ad ipsam uendictam faciendam daret uel prestaret in aliquo conscilium uel iuuamen extrahatur et penitus conseruetur indempnis de predicta uendicta facienda et de percuxionibus et maleficiis que fierent uersus predictos Guyllermonum Rotondum filios fratres uel nepotes ipsius Guyllermoni circa predictam uendictam faciendam de auere predicte societatis beati *d* Iorgii et hominum ipsius societatis et quod dominus capitaneus futurus dicte societatis et quilibet alius rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in regimine dicte societatis teneantur seu teneatur precisse et sine tenore uincullo iuramenti illum uel illos qui dictam uendictam faceret uel facerent extrahere et conseruare indepnes penitus sine pena et banno uerssus comune Cherii potestatem et magistratum dicti comunis de auere societatis predicte et hominum ipsius et facere seu ponere uel fieri facere securitatem pro predictis de Mazetis et pro quolibet alio qui dictam uendictam faceret uel in ea facienda daret auxilium uel iuuamen et quod eciam omnia capitula scripta in libro capitulorum ipsius societatis facta in fauorem hominum societatis qui se uendicarent et que loquentur de uendictis faciendis facta intelligantur pro ipsis et quilibet ipsorum de Mazetis in predictis et circa predicta attendi et obseruari debeant cum effectu eisdem de Mazetis et quilibet eorum et eciam quilibet alii qui dictam uendictam faceret siue ad eam faciendam daret operam conscilium uel asensum per ipsam societatem et per dominum capitaneum futurum et alios rectores qui pro temporibus fuerint in eiusdem societatis regimine propriis expensis ipsius societatis quociensc umque et quandocumque fuerit seu fuerint idem dominus capitaneus futurus et quilibet alii rectores requixiti per ipsum Guydatinum Mazetum siue per aliquem de predictis siue filiis et nepote aut per aliam personam eorum nomine et que omnia suprascripta sint capitula truncha et precissa et attendi et obseruari debeant integraliter ad uoluntatem predictorum Guydatini et filiorum et nepotis et cuiuslibet eorum capitulo aliquo non obstante facto uel facturo et ponantur predicta capitula et scribantur in uolumine capitulorum dicte societatis nec remoueri aliquid de predictis possit uel cassari per conscilium dicte societatis uel alio modo nec de eo possit peti licentia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure ymo supradicta nichilominus in sua remaneant roboris firmitate. et eciam fiat eidem Guydatino de predictis publicum instrumentum cui instrumento fides plena adhibeatur et quod idem capitaneus dicte societatis futurus et alii rectores qui pro temporibus fuerint in regimine dicte societatis teneantur et debeant in omnibus obseruare et actendere uincullo iuramenti et sub pena et banno librarum quinquaginta Astensium sui salarii et pro qualibet persona singulari dicte societatis librarum uiginti quinque Ast. qui contra predicta uel aliquod predictorum contrafaceret uel ueniret et pro quolibet et qualibet uice contrafaciente. quibus penis solutis uel non soluptis predicta omnia et singula remaneant in sua firmitate et robore exceptione aliqua iuris uel facti non obstante. quod capitulum lectum et aprobatum fuit in dicto conscilio societatis.

In nomine Domini amen. Curente anno Domini millesimo CCCXXI. indicione quarta die dominico ultimo mensis septembris. Statutum et ordinatum fuit quod Guyfreotus de Castello Thomazotus de Orbezorio Manoellus Farerius et Henriotus Calozanus rectores societatis Thomaynus Paterius Iacomotus Motonus Obertinus Richus et Bertolotus Boxius qui se obligauerunt de libris uiginti quatuor et solidis tribus bonorum denariorum Ast. monete uersus Thomaynum de Boglo ad terminum trium mensium ut apparet in instrumento facto et compossito manu Iohanini Alamani notarii hoc eodem anno et indicione die supradicta pro dicta societate causa soluendi Petro Vaudono Henrico Scutino Bartolomeo Galee et Vercellono de Papia certas peccunie quantitates quas dicta societas eisdem dare

tenebatur extrahantur et conseruentur indempnes a per ipsam societatem et homines ipsius societatis de auere ipsius societatis et quod dicta peccunia quantitas eidem Thomayno soluetur de auere ipsius societatis usque ad terminum supradictum et quod dominus capitaneus futurus dicte societatis teneatur et debeat elapso dicto termino ad repparacionem et postulacionem dictorum debitorum et creditorum uel alterius eorundem conscilium magnum dicte societatis insimul congregare et tantum insimul cóngregatum tenere quod dicta solucio facta sit ipsi creditori de auere ipsius societatis cum efectu et quod dicti debitores inde indempnes penitus sint contenti ad uoluntatem ipsorum et cuiuslibet eorum nec ipsum conscilium separare flixi prius facta fuerit cum effectu uel nixi data licen- b cia ab ipsis debitoribus et creditoribus et quolibet eorum. quod capitulum ualeat et teneat et remoueri non possit nec contra ipsum possit fieri dari arengari nec aliquatenus ordinari in conscilio uel extra et si factum fuerit contra non ualeat nec ualere debeat ipso iure.

Capitulum Thomayni Monerii.

In nomine Domini amen. Curente anno a natiuitate eiusdem millesimo CCCXXI. indicione quarta die mercurii ultimo mensis septembris. Statutum et ordinatum fuit per Thomaynum Maunerium et per capitulatores eidem datos et concessos a generali c credencia sancti Georgii quod dominus Gualfredus de Bargiis nobilis capitaneus futurus dicte societatis infra terciam diem post iuramentum ipsius regiminis prestitum teneatur precisse et debeat expellere cassare et cassari facere de dicta societate Daniellum de Castello et ipsum abradi et canzellari facere de libris dicte societatis ita quod de ea de cetero amplius esse non possit ullo modo nec ab ea siue ab hominibus ipsius habere aliquod auxilium conscilium uel iuuamen ullo modo uel ingenio ea occasione quia contra Deum et iusticiam et contra pacem quam habebat cum eo dictus Thomaynus Maunerius ipsum Thomaynum percussit pluries et malo modo uulnerauit et quod aliquis de hospicio illorum de Castello et quilibet alius d dicte societatis non debeat nec presumat de cetero eidem Daniello dare impartire modo aliquo aliquod consbilium uel iuuamen in aliquo suo facto sub pena et banno librarum quinquaginta Ast. pro quolibet et qualibet uice nec eciam idem Daniellus possit se reducere uel stare in Cherio nec in aliqua uilla seu cassali quod sit alicuius hominis de societate sub eadem pena nec ire nec reddire et quod idem dominus capitaneus et quilibet alius rector ipsius societatis qui pro temporibus fuerit in ea teneatur precisse sic facere et curare cum effectu quod illi de hospicio illorum de Castello qui essent de dicta societate attendent et obseruent in omnibus sentenciam seu sentencias latas inter Petrum Maunerium et filios et nepotem ex parte una et illos de Castello ex alia maxime sentenciam de qua factum est instrumentum per Henriotum Scutinum notarium in omnibus capitulis et articulis ipsius sentencie infra mensem unum postquam iurauit regimen suum et sub penis que in dictis sentenciis continentur. et si contingeret quod dictus Thomaynus Maunerius uel filii uel aliquis alius pro ipsis undecumque sit faceret uindictam uel fieri facerent in personam dicti Danielli siue in persona alicuius de hospicio illorum de Castello qui non essent de societate predicta quod ipse Thomaynus et filii et quilibet alius qui dictam uindictam faceret quoquo modo extrahantur indepnes et penitus conseruentur de auere dicte societatis et per ipsam societatem et homines et rectores ipsius tam in securitatibus prestandis et dandis quam in penis persoluendis comuni Cherii uel alteri persone ad uoluntatem semper dicti Thomayni et filiorum et quilibet alterius qui dictam uindictam faceret de percussionibus et uulneracionibus factis per ipsum Daniellum in persona dicti Thomayni. Que omnia et singula idem dominus capitaneus et quilibet alius rector dicte societatis teneantur precisse et sine tenore et uincullo iuramenti et sub amissione sui salarii librarum centum astensium attendere et obseruare et attendi et obseruari facere. quod capitulum sit trunchum et precissum et si aliqua persona dicte societatis contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret incurrat pena librarum quinquaginta astensium pro quolibet et qualibet uice. de quibus omnibus credatur cuilibet accusatori et habcat terciam partem dictorum bannorum et idem dominus capitaneus siue rector dicte societatis quisque alius aliam terciam partem et societas aliam terciam retinendo ipse Thomaynus Maunerius balyam et auctoritatem addendi et minuendi in predictis semper que eidem uiderentur expedire et quod capitulum ponatur et scribatur in libro capitulorum societatis. quod capitulum lectum et aprobatum fuit per credenciam ipsius societatis in dicto conscilio.

In nomine Domini nostri Yhesu Christi amen. Curente anno Domini millesimo CCCXXI. indicione quarta in palacio comunis Cherii die mercurii ultimo mensis septembris. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per infrascriptos dominos rectores et capitulatores societatis beati Iorgii de Cherio quibus atributa est plena balya potestas et autoritas capitulandi in ipsa societate pro bono paciffico et quieto statu in ipsa societate perpetuo duraturo et quod omnis scandali et dissensionis materia de ipsa societate et hominibus ipsius societatis penitus amputetur a maiori credencia dicte societatis ut reformacione conscilii inde facta plene continetur nomina quorum rectorum et capitulatorum sunt hec uidelicet primo domini Guyfretus de Castello Urietus Calozanus Manoellus Farerius et Thomazotus de Orbezorio rectores dicte societatis et

domini Milo de Pasquerio iurisperitus Guydo Mayacius Carllotus Alamanus Conradinus de Mercadillo Urietus Pometus Maynfredus Valens Urietus de Tondonico Urietus Gribaudus Bartolomeus Merlo Obertinus Richus Iordanus Frexius Iorcius Boxius Guydotinus Bencius Bertinus Buschetus Guydo Salamonus Oddonus Blanchus et Petrus Vaudonus capitulatores solempniter constituti ab ipsa credencia occaxione capitulandi in ipsa societate quidquid eisdem uideretur pro meliori qui statuerunt et ordinauerunt concorditer ut infra continetur.

De pace fieri facienda per rectores inter popullares et hospicia societatis si rixa fuerit inter eos.

In primis statuerunt et ordinauerunt concorditer quod si aliquis de hospiciis infrascriptis seu de aliquo ipsorum hospiciorum societatis predicte percusserit quod absit aliquem alium de dicta societate siue butaret quod ille percussor incontinenti depellatur et canzelletur de societate predicta et de libris ipsius societatis ita quod ille percussor si fuerit unus uel plures non intelligantur esse a dicta percussione in anthea de ipsa societate nec habere ab ipsa societate aliquod auxilium uel iuuamen siue ab aliquo homine ipsius societatis et si percussus uoluerit se uendicare super ipsa percussione societas predicta teneatur et debeat ipsum uel illos qui dictam uindictam facerent seu fieri facerent per aliquam personam teneantur extrahere de auere dicte societatis indempnes et penitus conseruare tam in securitatibus faciendis coram curia chariensi quam in penis persoluendis sumptibus et expensis ipsius societatis et quod illi de hospicio de quo esset ipse percussor non debeant aliquo modo uel ingenio palam uel priuatim eidem percussori dare conscilium auxilium uel iuuamen nec etiam prestare in aliquo suo facto contra ipsum percussum siue parentes paronales ipsius quod si facerent ipsi uel aliquis ipsorum incurrant pena et banno librarum centum Ast. pro quolibet et qualibet uice et facta ipsa uindicta conuenienter quod illi de hospicio de quo esset ille super quo fuerit facta ipsa uindicta teneantur et debeant sic facere et curare cum effectu quod ille percussor et ipsi de dicto hospicio debeant et teneantur facere pacem bonam et concordiam cum illo uel cum illis qui dictam uindictam fecissent quod si facere recusarent ipsi uel aliquis ipsorum infra mensem unum post denunciationem eis factam per rectorem seu rectores ipsius societatis incurrat penam depellendi de ipsa societate pro quolibet ipsius hospicii qui predictam pacem facere nollet et pro qualibet uice et facta concordia de predictis reuertantur illi qui essent espulsi de ipsa societate occaxione predicta in ipsa societate. eo tamen saluo quod si aliquis ipsius societatis qui non esset de ipsis hospiciis infrascriptis uel de aliquo eorum percuteret aliquem de ipsis ho-
a spiciis uel de aliquo ipsorum et ille qui de ipsis hospiciis qui se uendicaret seu se uindicare faceret conuenientur quod propter hoc non depellatur de ipsa societate non obstantibus suprascriptis si de ipsa percussione in eum facta ut supra conquestus fuerit et eciam ante rectoribus ipsius societatis. eo tamen saluo quod si ille uel illi qui essent depulsi de ipsa societate occasionibus supradictis non intelligantur derelliti a dicta societate quantum est uersus illos qui non essent de ipsa societate sed deffendentur et manutenentur per ipsam societatem contra illos qui de dicta societate non essent si eisdem espulsis de societate predicta inferretur iniuria uel percussio ab aliquo qui non esset de ipsa societate soluendo taleam ipsi societati sicut
b alii homines ipsius societatis quemadmodum alios de ipsa societate ac si nunquam fuisset deiectus de ipsa societate uidelicet contra illos qui nunc sunt nec essent de ipsa societate. ad que omnia et singula et quodlibet predictorum rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate teneantur et debeant precisse et sine tenore et uincullo iuramenti omni dilacione pretermissa et sub pena et amissione librarum centum Ast. pro quolibet et pro qualibet uice et pro qualibet singulari persona et qualibet uice contraueniente uel faciente librarum quinquaginta Ast. attendere et inuiolabiliter obseruare et obseruari et attendi facere. de quibus penis et bannis rector seu rectores qui eam scuterent habeant et habere debeant terciam partem et
c accusator aliam terciam et aliam terciam ipsa societas. quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat in omnibus et per omnia capitulo aliquo facto uel facturo non obstante et inde de predictis quilibet ipsius societatis si uoluerit possit habere publicum instrumentum quod instrumentum rector seu rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate integraliter obseruare et sub penis superius denotatis siue reperietur scriptum dictum capitulum in uolumine seu in libro capitulorum ipsius societatis siue non. hospicia predicta uero sunt hec. hospicium Merlengorum hospicium Gribaudengorum hospicium illorum de Mercadillo hospicium Benciorum hospicium illorum de Tagloto hospicium illorum de Gerbo. quod
d capitulum lectum et aprobatum fuit per credenciam ipsius societatis in domo comunis Cherii ubi dictum conscilium societatis erat congregatum.

Beryardi de Trana.

In nomine Domini amen. Item statuerunt et ordinauerunt concorditer quod Berardinus de Trana possit uendere libere domos suas et iura que habet in dictis domibus que fuerunt illorum de Trana cuilibet homini de societate predicta et non alii persone non obstante condempnacione facta per rectores societatis de dictis domibus aplicandis ipsi societati et de libris cc. Ast. soluendis ipsi societati et que condempnacio sit cassa et uana et

nullius ualoris soluente ipso Berardino dicte societatis usque ad unum mensem proxime uenturum libras decem Ast. ipsi societati. a

Peroni Frexii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod Peronus Frexius naturalis Bonifacii Frexii sit penitus absolutus a quadam condempnacione facta in persona ipsius in solidis centum Ast. et quod dicta condempnacio ex nunc sit cassa et uana et nullius ualoris ac si numquam fuisset facta et quod ea occaxione non possit depelli de ipsa societate et quod etiam quedam condempnacio solidorum LX. facta in persona Bertoni de Coalle sit cassa et uana et nullius ualoris et canzelletur de libris condempnationum ipsius societatis et quod inde non possit canzellari de societate predicta seu depelli et illud idem fiat de quadam condempnacione facta in persona Graoni Bechey de quantitate solidorum uiginti Ast. idem intelligatur de condempnatione solidorum decem de Iacomono de Prato. que omnia capitula lecta fuerunt et confirmata in maiori conscilio societatis super palacio comunis ubi dictum conscilium erat congregatum. b

Eiusdem Frexii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod dominus capitaneus uenturus teneatur et debeat sic facere et curare cum effectu aliquo capitulo comunis Cherii non obstante quod in primo regimine comunis Charii finito regimine presentis potestatis comunis Charii fiat capitulum in comuni Charii quod Perinus Francexius de Cambiano et Bertolinus Paterius possint uendere quoddam sedimen seu domum quam ipsi uel alter ipsorum habent in castro Cambiani alicui homini de Cambiano aliquo capitulo non obstante ad eorum liberam uoluntatem et sine pena et banno. quod capitulum lectum et confirmatum fuit in dicto conscilio. c

In nomine Domini amen anno a natiuitate eiusdem MCCCXXIII. indicione sexta die dominico XXIII. mensis iulii in pleno et generali consilio societatis sancti Georgii per campanam et uoces preconum in domo comunis Charii more solito congregato. Statutum et ordinatum fuit per ipsum consilium et per credendarios ipsius consilii quod domini Carlotus Alamannus Obertinus Tauanus Iordanus Frexius Benedictus Brolia Guidetus Ratus Anthonius de Mercadillo Anthonius Brenius et Iohanninus de Herenzono qui confessi fuerunt mutuo accepisse a Iacomoto Spelluca nomine filie sue Leone libras duas Turonensium grossorum de O rotondo et ipsos denarios ei dicto nomine soluere promisserunt usque ad sex menses proximos et ab inde in antea si tunc non soluerint promisserunt ei dare pro primo ad rationem denariorum trium pro qualibet libra omni mense dum dictos denarios tenuerint sicut constat d

per publicum instrumentum factum et compositum per Henricum Scutinum notarium hoc eodem anno et indictione die dominico XXVI. mensis iunii extrahantur indempnes et penitus conseruentur per ipsam societatem et de aduere ipsius societatis cum ipsi denarii peruenerint in utilitatem ipsi societati et necessitatem et mutuo per ipsos recepti fuerint pro ipsa societate maxime occaxione soluendi salarium ipsorum denariorum Carloti Alamanni Obertini Tauani Iordani Frexii et etiam Conradi Guignolie rectorum dicte societatis et Iacobino Gascho de denariis quos habere debebat occaxione uestium nunciorum dicte societatis ut ipsi consiliarii firmiter asserebant. et quod rectores dicte societatis qui nunc sunt uel qui pro temporibus fuerint debeant et teneantur quandocumque et quotienscumque inde requisiti fuerint a dictis debitoribus uel ab aliquo ipsorum seu a dicto creditore consilium maius dicte societatis congregare et ipsum congregatum tamen insimul retinere una cum ipsis dominis rectoribus quod ipsa peccunia supra sit recuperata et quod ipsi creditori dicto nomine integre satisfiat. et quod ipsi debitores et quilibet ipsorum de predicto debito indempnes conseruentur et liberentur sic quod inde sint taciti et contenti. et insuper statutum et ordinatum fuit expresse per ipsum consilium quod ipsi domini rectores infra tempus eorum regiminis teneantur imponere et imponi facere super homines dicte societatis taleam occaxione dicti debiti soluendi que excutiatur et excuti debeat expresse in festum sancti Martini proximum et conuertatur in solutione dicti debiti facienda. quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit sed attendi et inuiolabiliter debeat obseruari per rectores presentes et futuros et homines dicte societatis uinculo iuramenti et non possit inde peti licentia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure nisi fuerit de uoluntate dictorum debitorum et creditoris et cuiuslibet eorum.

De certis spaldis.

In nomine Domini amen. Cum in quodam capitulo scripto in uolumine capitulorum comunis Charii contineatur quod quelibet persona que habet ad faciendum iuxta spaltos et fossata circharum comunis Charii teneatur et debeat sic facere et conplere cum effectu eius propriis sumptibus et expensis quod grossum fossati uersus spaltos et ubi erunt dicti spalti sit et esse debeat et permanere altum a sediminibus ipsorum circum circa Charium et fossata predicta pro una alna ad minus et latum siue amplum per unum trabuchum ab expaltis sub certa pena prout in dicto capitulo continetur quod quidem quasi impossibile esset Guideto de Canali filiis Iacomoti de Riberio qui dicebatur Raneta Oddono Guascho Perceuallo Vetulo et eius fratri Guillermo Bertino Agacie Perino de Feleriis et Oddonino de Pauerio qui ementes sedimina a comuni Charii apud portam Moleti et aquayrolium Albuzani iuxta spaltos

uel habentes causam ab ipsis emptoribus cum tempore emptionis dictorum sediminum facta a dicto comuni non erat ibi nec nunc est terra ex qua dicta altitudo et grossicies siue latitudo aliquo bono modo fieri posset statutum et ordinatum est per dominos Oddoninum Alamannum Guidotinum Bencium Conterotum Vetulum et Opecinum Tauamum rectores societatis sancti Georgii de Chario et per consilium mayus dicte societatis ad sonum campane et uoces preconum more solito congregato in domo dicti comunis quod rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate et omnes illi de dicta societate qui fuerint de maiori consilio comunis Charii teneantur precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub pena librarum uiginti quinque pro quolibet rectore et pro quolibet alio de dicto consilio librarum decem sic facere et curare cum esfectu quod fiat capitulum in comuni Charii quam cicius capitulabitur in dicto comuni sicut melius et strictius dictari poterit consilio sapientis super quo iuret potestas proxime futurus et alii subsequentes potestates et rectores dicti comunis quod predicti Guidetus de Canali filii quondam dicti Iacomoti qui dicebatur Raneta Oddo Guaschus Perceuallus et Guillelmus Vetuli Bertinus Agacia Perinus de Feleriis et Oddoninus de Pauerio non teneantur nec debeant manutenere grossum dicti fossati altum nec latum siue amplum sicut in dicto capitulo continetur et quod pernotatum capitulum in dicta altitudine et latitudine manutenenda in aliquo non tangat eos nec aliquem ipsorum nec ob hoc soluere teneantur uel debeant aliquam penam siue bannum sed inde sint exempti et immunes. de aliis uero contentis in dicto capitulo teneantur sicut alii qui habent ad faciendum iuxta dictos spaltos. quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat uinculo iuramenti et sub penis predictis et scribatur in libro capitulorum dicte societatis.

In nomine Domini amen. In pleno et generali conscilio societatis beati Georgii et populi cheriensis super palacio comunis Cherii ad sonum campane et uoces preconum more solito congregato die VIII. mensis octubris. Domini Leonardus de Marchadillo Oddinus de Butigleria Bartolomeus Carleuerius et Anthonius Alamannus rectores dicte societatis petunt et requirunt a uobis credendariis consilium sibi dari super infrascriptis. In primis super requisicione quam faciunt parochiani ecclesie sancti Georgii qui requirunt quod dentur eisdem sindici et procuratores spensis societatis pro eorum iure possessionis presentationis presbiterii dicte ecclesie et alio quocumque iure competenti eisdem parochianis defendendo et manutenendo et quod defendantur et manuteneantur per ipsam societatem in possessione predicta et quod fiat capitulum in societate quod unus quisque qui palam uel priuatim dicto uel facto daret auxilium uel fauorem aliquibus personis de excontrando seu impediendo ius dictorum parochianorum quod expellantur de societate incontinenti denunciatione facta rectoribus de predictis monstrando fore uerum quid uobis placet consulatis. eodem die in cuius consilii reformatione placuit dicte credencie facto inde partito per dominum Galuagnum de Caneuanoua iudicem ipsorum dominorum rectorum quod dictis parochianis fiat et fieri debeat in omnibus et per omnia prout eorum requixitione continetur uerum quod domini rectores loqui debeant prout eis uidebitur si concordia reperiri poterit et si reperiri poterit bene quidem. et quod predicta uim habeant capituli et obseruari debeant ut alia capitula societatis sancti Georgii per rectores presentes et futuros et de hiis fiat capitulum in comuni Cherii et prout forcius dictari poterit pro iure dictorum parochianorum defendendo pro quo etiam capitulum simile fiat in fauorem dictorum parochianorum in dicto comuni quale est illud domini prepositi Sancti Spiritus de Cherio mutatis mutandis in eo quod forcius et melius fieri poterit in fauorem dictorum parochianorum ad cuius obseruanciam teneantur homines societatis uidelicet in capitulo fiendo in comuni.

Lectum et publicatum fuit dictum capitulum in pleno et generali consilio dicte societatis super palacio comunis Cherii currente anno Domini millesimo tercentessimo quinquagesimo octauo indictione undecima die uigesimo octauo mensis octubris presentibus Martino Gambino et Martino Monsurdo testibus uocatis et rogatis.

In nomine Domini amen. In pleno et generali consilio societatis beati Georgii populli Cherii ad sonum campane et uoces preconum more solito congregato super palacio comunis Cherii statutum et ordinatum fuit per dominos Leonardum de Marchadillo Oddinum de Buttigleria Bertholomeum Carleuerium et Anthonium Alamanum rectores societatis beati Georgii populli Cherii et consilium supradictum ac consiliarios dicte societatis in ipso consilio existentes nemine discrepante pro conseruacione iuris comunis Cherii et societatis predicte et omnium et singulorum hominum et personarum Cherii et societatis predicte et ne indebite fatigentur quod si contingerit moueri aliquam questionem causam seu causas per aliquem prelatum episcopum uel aliam ecclesiasticam personam cuiuscumque maneriey tam per citacionem monicionem cominationem preceptum quam alio quocumque modo aliqua de causa tam occaxione incertarum quam alia quacumque de causa contra comune Cherii uel aliquam singularem personam de Cherio uel poderio aut singulares personas aut si contingerit ipsum comune aut aliquas singulares personas de Cherio uel poderio citari moneri molestari uel aliqualiter agrauari ad instanciam alicuius prelati episcopi capituli et cuiuscumque alterius eclesiastice persone pro aliquibus incertis uel aliis occaxionibus quibuscumque quod sindici comunis Cherii presentes et

ipsis deficientibus alii sindici dicti comunis solempniter *a* statuendi ac ipsum comune spensis propriis dicti comunis teneantur et debeant defendere ipsum comune et omnes et singulos homines et personas de Cherio et poderio qui ut premititur citarentur moniti essent agrauati uel aliter molestati seu contra quos ut predicitur moueretur questio aliqua seu causa et etiam ius dictorum comunis et hominum manuteneant in quacumque curia penitus et defendant in quibuscumque causis tam principalibus quam appellacionum spensis propriis comunis supradicti sic etiam quod ipsum comune ipsas causas et lites ac onus omne proinde in se suscipiat et suscipere teneatur et quod nullus homo de Cherio uel poderio posit uel debeat sub aliquo quesito ingenio modo uel colore esse sindicus procurator actor factor *b* negociator aut negociorum gestor auocatus pro aliquo prelato seu eius nomine episcopo capitulo uel alia qualibet singulari persona eclesiastica contra comune predictum uel aliquam singularem personam uel personas de Cherio uel poderio. Quodque si quis contrafecerit quod non sit contrafaciens uel contrafacientes in custodia protectione deffenxione societatis predicte seu comunis Cherii nec eorum bona seu res ymo ab omni dictorum comunis et societatis protectione defensione penitus sint exempti et ultra quilibet de dicta societate qui esset sindicus procurator negociator negociorum gestor uel factor palam uel priuatim pro predictis uel aliquo predictorum incurat penam librarum xxv. ipsi societati aplicandam ipso facto et expellatur in *c* continenti de societate predicta et quilibet inde acussare posit mostrando acusam ueram esse. Quod capitulum sit trunchum et precissum et atendi et obseruari debeat per quemcumque rectorem et rectores presentes et futuros sub pena periurii et librarum centum astensium aplicanda ipso facto societati predicte et per ipsam societatem et homines ipsius societatis sub pena librarum xxv. pro qualibet singulari persona dicte societatis ipsi societati aplicanda nec posit peti de ipso nec dari licencia in consilio uel extra et data seu petita non ualeat ipso iure et predicta non uindicent sibi locum in contractibus fictis et legatis factis et faciendis cuicumque et quibuscumque personis eclesiasticis consequentibus coram uicario comunis Cherii iudicibus *d* eiusdem et curie dicti loci remanentibus capitulis dicte societatis factis in fauorem iurium hominum dicte societatis in sua firmitate.

Lectum et publicatum fuit dictum capitulum in pleno et generali consilio dicte societatis super palacio comunis Cherii campanarum sonitu et uoce preconia more solito congregato currente anno Domini millesimo tercentesimo quinquagesimo octauo indictione undecima die nono mensis nouembris presentibus.

In Christi nomine amen. Infrascripta sunt statuta et ordinamenta facta per nobilem et potentem uirum dominum Baudrachinum de Solario ac dominum Vesponum honorabilem capitaneum societatis beati Georgii et populli et sapientes quos secum habere uoluit ex baylia eisdem a generali conscilio dicte societatis attributa contra et aduerssus illos quibus esset facta iniuria per non essentes de societate et ob id requireret arma et stremitam sonari faceret causa faciendi uindictam et postea eam obmitteret.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis de societate esset percussus ab aliquo qui non esset de societate predicta et ex dicta percuxione reccurreret ad dictum capitaneum presentem uel futurum seu ad rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate causa faciendi uindictam de dicta percussione contra illum uel illos qui dictam percussionem fecissent et eorum bona et inde sonari faceret stremitam quod si ad dictam uindictam faciendam non iret aut ire recusaret et ipsam integraliter et uiriliter non faceret et honor dicti domini capitanei presentis et futurorum seu aliorum rectorum dicte societatis non prosequeretur quod ille qui dictam extremitam requisisset et sonari fecisset incurrat penam et bannum uersus ipsam societatem ipso iure et facto librarum quinquaginta astensium et nichilominus expellatur et canzelletur de societate iam dicta ita et taliter quod de ipsa ulterius esse non possit nec ex ea aliquod auxilium conscilium uel fauorem inplorare sed teneatur rector seu rectores aut ipsa societas illis qui predicta obmitterent totum nocumentum quod poterint in omnibus eorum factis impartiri ad hoc ut predicta ceteris sint exemplo et ne aliquis de cetero tante audacie uel temeritatis existat. Quam penam si soluere non posset et domum haberet quod rector dicte societatis teneatur dictam domum funditus diruere et si domum non haberet faciat sibi dari bannum in comuni Cherii de maleficio per inde ac si hominem dicte societatis uulnerasset de quo banno exire non possit donec dictam penam ipsi societati integraliter soluerit. quod capitulum sit trunchum et precisum et attendi et obseruari debeat per ipsum dominum capitaneum et per quemcumque alium rectorem seu rectores dicte societatis sub pena periurii et librarum centum sui salarii et librarum decem pro quolibet dicte societatis qui contra predicta ueniret seu contrafaceret ne predicta effectui mandarentur. Et quod capitulum de duobus mensibus in duobus mensibus legi debeat in maiori consilio dicte societatis ne ygnorancia aliquis ipsius societatis se inde excusare ualeat.

Item statuerunt et ordinauerunt quod fiat capitulum in comuni Cherii super quo iuret proximus uenturus potestas comunis Cherii inter cetera continens ad hoc ut omnis materia iurgiorum cesset et sopiatur que oriri posset in talibus inter illos de Cherio qui non essent de societate sancti Georgii et homines ipsius societatis quod si contingeret deinceps quod dicta societas poneret ma-

mis ad arma aliqua de causa quod non sit licitum a
alicui de Cherio uidelicet de hospiciis non essentibus de ipsa societate postquam extremita ceperit sonari ire ad domum capitanei nec etiam ad locum ubi dicta societas congregaretur uel ad domum illius qui deberet dirrui seu ad domos uel plateas paronalium illius uel illorum cuius uel quorum esset domus contra quam iret dicta societas dum dominus capitaneus uel rectores dicte societatis et ipsa societas essent sub armis sub pena librarum quinquaginta astensium pro quolibet et qualibet uice qua contrafieret per predictos de hospiciis non essentibus de societate ipsa. Quam penam dictus dominus potestas excutere teneatur a quolibet contrafaciente in peccunia numerata absque aliqua conpensatione infra decem dies postquam predicta sibi b
denunciata forent. Quam denunciationem rector seu rectores essentes in eadem societate facere teneantur uinculo iuramenti per illum diem uel sequentem quo casus contingerit et quilibet de ipsa societate predicta sciens teneatur eandem facere denunciationem et accusam et de accusa credatur eidem cum duobus testibus et accusator si uoluerit priuatus teneatur et quam penam si soluere nequiuerint seu non poterint quod dictus dominus potestas qui pro tempore esset in Chario banno maleficii banire teneatur expresse et tamdiu a terra Cherii et iurisdicione tenere debeat quod penam predictam soluerit cum integralitate aliquo capitulo in contrarium loquenti non obstante. Et quod dominus capitaneus presens expresse requirat do- c
minum potestatem presentem quatenus faciat maius consilium Cherii congregari et in eodem consilio predicta proponere et quod per homines societatis predicta uiriliter manuteneantur et omnino effectui mancipentur ita quod ex nunc omnia predicta locum habeant et obseruentur omnino contra omnes et singulos qui contra predicta facerent uel uenirent. Et si predictus dominus potestas presens uel futurus in predictis negligens esset uel remissus et ipsam penam non excuteret et bannitum ut supra non teneret casu predicto quod incurrat penam sui salarii librarum cc. astensium et nichilominus predicta in sua maneant firmitate. Et quod predictus dominus capitaneus seu rectores qui pro tempore essent in ea teneantur uinculo iuramenti procurare d
et solicitare dominum potestatem qui esset pro temporibus in Cherio quod predicta per eos effectui mancipentur et exsequantur per eos penam predictam librarum cc. astensium quam incurreret potestas rector seu rectores per massarium Charii faciant retineri nec de ipsis libris cc. comissis eo casu soluptio ulla fiat.

Lecte et publicate fuerunt dicte prouissiones per Anthonium Frexium notarium tunc dicte societatis currente anno Domini millesimo cccxxviii. indictione xii. in pleno et generali conscilio dicte societatis die x. mensis marcii.

In nomine Domini amen. Infrascripte sunt prouisiones facte per dominum Vesponum de Solerio de Ast capitaneum societatis beati Georgii et populi Cherii cum sapientibus quos cum eo habere uoluit super facto grani ut infra sequitur et super custodia ipsius et ut granum in Cherio redducatur et ne de Chario siue poderio extrahatur quorum sapientum nomina sunt hec.

Primo statuerunt et ordinauerunt ac prouiderunt quod dominus Vesponus de Solario presens capitaneus societatis sancti Georgii de Cherio per se aut per suum iudicem uel militem domini potestatis Cherii cum aliis sapientibus comunis Cherii quos secum habere uoluerit bene et sapienter eorum subtilitate ingenii uadant ad casalia castra et uillas iurisdictionis comunis Cherii que eis uidebuntur et ibi diligenter curare debeant et inquirere omnibus modis quibus melius poterint paleas et blada que hoc anno recollecta fuerunt et de quibus paleis excussum est granum et scribi faciant quantas burllas quilibet habere poterit. Quibus factis sic diligenter in uillis et castris et casalibus suprascriptis et etiam facta inquisitione de grano inde excusso examinetur dictum scriptum cum alio scripto per alios extimatores facto quibus factis fiat extimatio per ipsum dominum capitaneum et illos sapientes quos secum habere uoluerit de grano quod inde extrahi poterit et haberi et facta rellaxatione cuilibet cui predicta extimatio facta fuerit secundum facultatem sue familie et causa seminandi precipiatur cuilibet ipsorum superfluum dicti grani apportari in Cherio per totum mensem augusti presentem sine aliqua alia prorogatione facienda non obstante capitulo comunis Cherii loquenti quod illi qui dictum granum apportare debent habeant terminum usque ad festum sancti Michaellis nec aliquo alio capitulo in contrarium loquenti. Et si aliquis de Cherio uel poderio seu aliunde infra ipsum terminum exitus augusti granum sibi preceptum ut aportaret in Cherio illuc non reduceret non aportaret uel aportari faceret secundum quod sibi preceptum esset incurrat pena contenta et statuta in capitulis siue ordinationibus inferius denotatis comunis Cherii in quam penam dominus capitaneus comunis Cherii condempnare contrafacientes teneatur infra quartam diem intrantem mensis septembris proximi et eas excutere uel excuti facere infra octauam diem tunc proxime subsequentem in peccunia numerata ad quod faciendum et fieri faciendum expresse teneatur presens dominus capitaneus ita quod omnino effectui mancipentur.

Item prouiderunt statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis cui preceptum uel iniunctum fuerit dictum granum in Cherio aportare maxime de casalibus iurisdicionis comunis Cherii ipsum granum in Cherio non aportari fecerit ut supra infra ipsum terminum exitus augusti proximi expresse amittat tantum quantum ualeret extimatio grani quod apor-

tare deberet et ultra soluat pro pena pro quolibet sextario sibi iniuncto ut aportaret solidos v. astenses et ultra quod bona dicti casalis non sint in custodia comunis Charii. Et si quis in bonis uel possessionibus domini dicti casalis offenderetur nullum bannum pro inde soluat nec ad emendam aliquam teneatur et etiam quod in ipso ille dominus blada reducere seu reduci facere non possit sua uel aliena sed in Chario in spicis reducatur. Si uero de uillis uel castris fuerit iurisdictionis comunis Cherii contraffaciens uel contemptor penam extimationis dicti grani et ultra solidorum quinque pro quolibet sextario incurrat et eius bona non sint in emenda uel custodia comunis Charii.

Item prouiderunt statuerunt et ordinauerunt quod non sit licitum alicui persone tam cheriensi quam forensi extrahere seu extrahi facere de Chario uel poderio nec operam uel fauorem dare ad extrahendum granum aliquod in grano uel farina. Et si quis contrafecerit uel uenerit incurat penam pro uno sextario uel minori menssura librarum decem pro quolibet et qualibet uice et si ultra unum sextarium esset incurrat penam librarum quinquaginta pro quolibet et qualibet uice et amittat bestias carrum et boues super quibus portaretur uel duceretur. quam penam si soluere non poterit amitat unum menbrum arbitrio domini capitanei de maiori quantitate unius sextarii frustetur per Cherium.

Item prouiderunt statuerunt et ordinauerunt quod dominus capitaneus presens per se et familiam suam et alius capitaneus uel rector seu rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint habeant plenam potestatem et auctoritatem et liberum arbitrium ponendi et ordinandi super predictis et quolibet predictorum accusatores et inquisitores publicos et priuatos ad suam liberam uoluntatem tam in Cherio quam extra et prouidendi ipsis accusatoribus et inquisitoribus de eorum labore de auere comunis Cherii sicut sibi uidebitur. qui accusatores seu inquisitores de accusis quas fecerint et de omnibus hiis que capi fecerint habeant partem que uidebitur domino capitaneo uel rectoribus supradictis et si aliquis uel aliqui tam Cherii quam extraneus undecumque fuerit eisdem domino capitaneo familie eius uel rectoribus seu custodibus accusatoribus uel inquisitoribus daret aliquod inpedimentum seu inpartiret dicto uel facto incurrat penam librarum xxv. pro quolibet et qualibet uice ultra omnes alias penas in aliis capitulis comunis Cherii seu ordinamentis contentas. Qui eciam dominus capitaneus et rector siue rectores qui pro tempore fuerint habeant plenam bayliam et potestatem ac liberum arbitrium super omnibus supradictis et quolibet predictorum inquirendi et citandi et procedendi per testes et omnibus aliis modis quibus eis et cuilibet ipsorum melius uidebitur expedire.

Item prouiderunt statuerunt et ordinauerunt quod

a omnia capitula et ordinamenta comunis Charii tam scripta in uolumine capitulorum dicti comunis quam in libris consiliorum ipsius comunis tam presentis domini potestatis quam aliorum precedentium potestatum sint firma et ualida et attendi et obseruari debeant in quantum sunt forciora istis presentibus capitulis seu ordinamentis et in quantum loquuntur super presenti materia grani habendi custodiendi et reducendi.

Item prouiderunt statuerunt et ordinauerunt quod de omnibus penis et bannis superius contentis et de omnibus hiis que habite fuerint capte uel detempte tam de bestiis grano quam aliis rebus dominus capitaneus habeat terciam partem accusatores siue
b captores aliam terciam partem maxime de hiis que capte fuerint et reducte seu detempte exercicio domini capitanei uel rectorum dicte societatis. de aliis uero que haberentur uel caperentur exercitio domini potestatis uel eius familie dominus potestas habeat terciam partem et alie partes perueniant ut supra. de grano uero extimato siue precepto et reducendo in Cherio et de penis quas contrafacientes incurrerent tercia pars sit domini potestatis alia tercia domini capitanei uel rectorum societatis et alia tercia comunis et dictus dominus potestas qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat penas corporales que subsequentur occaxione predictorum et suprascriptorum capitulorum executioni mandari.

c Item quod de hiis omnibus et singulis fiat capitulum in comuni Cherii.

Lecta et publicata fuerunt supradicta capitula in pleno et generali consilio comunis Cherii curente anno Domini millesimo cccxxxiiii. Indictione xii. die sabati xviiii. mensis augusti.

In nomine Domini amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo cccxxviiii. indictione xii. in Chario die lune xxiiii. mensis aprilis. Hec sunt capitula facta in fauorem et pro fauore Guillermoni Coste et nepotum suorum Maynffredi et Iohannis filiorum quondam Iacobini et Rogerini Coste de Cherio et omnium aliorum de Costis et coadiutorum ipsorum
d per capitulatores ellectos per eosdem de conscilio et uoluntate nobilis uiri domini Vesponi de Solario honorabilis capitanei societatis beati Georgii et populi chariensis ex baylia et auctoritate eisdem de Costis atributa a maiori credencia dicte societatis sancti Georgii de Cherio die supradicta contra et aduersus Iohannem de Roida de Peceto Milonem Anthonium et Maynffredum eius filios Carlem filium quondam Iordani de Roida siue Marochum de Roida Huum eius filium Rolandum eius fratrem Raynerium et Thomam eorum fratres et filios quondam dicti Iordani omnes de Peceto et contra omnes de eorum hospicio et coadiutores ipsorum occaxione maleficii comissi et perpetrati actinus per dictum Carlem de Roida in persona Rogerini Coste fratris

supradicti Guillermoni Coste quondam per supradictum *a* Carlem contra Deum et iusticiam ut infra sequitur.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod dominus capitaneus presens et futuri ac etiam rectores qui pro temporibus fuerint et omnes alii de dicta societate teneantur et debeant predictos de Costis et eorum coadiutores manutenere deffendere et adiuuare si aliquo tempore predicti de Costis uel aliqui seu aliquis ipsorum aut alii coadiutores fecerint uel fieri fecerint ubicumque uindictam de morte dicti Rogerini Coste quondam et quod per predictam societatem debeant manuteneri et deffendi ut supra dictum est et pro eo uel eis penam soluere comuni Cherii de auere proprio dicte societatis *b* et pro eo uel eis satisdacionem siue securitatem prestare et expensas quascumque dicta occaxione faciendas soluere de auere proprio iam dicte societatis tam pro morte si cum morte se uendicarent quam pro uulneribus si quod uulnus seu uulnera ipsi uel aliquis ipsorum de Costis uel eorum coadiutores in persona uel personis predictorum de Roida et aliorum de agnacione ipsorum et coadiutorum suorum quoquo modo per ipsos de Costis et coadiutoribus ipsorum fieret uindicta ut supra dictum est percuciendo hocidendo uulnerando uel alio quoquo modo ipsis de Roida et coadiutoribus ipsorum hoffendendo uel se deffendendo. dicti uero dominus capitaneus et alii qui pro temporibus fuerint in dicta societate uel rectores ipsius *c* societatis quoquo modo nomine censeantur teneantur et debeant precisse et sine tenore substinere et manutenere sumptibus et expensis societatis predictos ut supra dictum est et insuper quod predicti de Roida de cetero non possint esse de dicta societate modo aliquo seu causa nec in deffensione seu protectione dicte societatis aliquo tempore sub pena et banno librarum ducentarum astensium pro quolibet capitaneo seu rectore et librarum quinquaginta astensium pro quolibet de dicta societate qui diceret uel arengaret contra predicta seu aliquod predictorum quarum penarum tercia pars sit domini potestatis comunis Cherii qui eam excuteret seu excuti faceret alia tercia pars sit societatis et alia tercia comunis Cherii non obstantibus aliquibus *d* aliis capitulis dicti comunis siue ipsius societatis donec predicti de Roida fecissent pacem cum dictis de Costis uel cum eis erunt in concordia.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona de dicta societate fuerit aduocatus procurator consciliator uel quoadiutor palam uel priuatim supradictorum de Roida uel alicuius eorum contra ipsos de Costis uel aliquem ipsorum quod predictus dominus capitaneus qui nunc est seu qui pro temporibus fuerit in dicta societate uel rectores dicte societatis teneantur eis aufferre pro pena et banno libras decem astenses.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret quod predicti de Costis uel alter eorum aliquo tempore se uendicauerint in aliquem de ipsis de Roida seu de agnacione ipsorum quod predictus dominus capitaneus presens et futuri et ceteri alii rectores teneantur et debeant uinculo iuramenti ipsos manutenere et deffendere ut supra et eisdem de Costis dare duos uel quatuor clientes ad eorum uoluntatem expensis societatis predicte ad faciendum eorum uindictam et seruicia occaxione predicta et quod dicti de Costis cum conscilio domini capitanei presentis et futuri seu rectorum dicte societatis qui pro temporibus fuerint habeant plenam bayliam et liberum arbitrium ponendi et dandi de auere dicte societatis usque in quantitatem librarum uiginti quinque astensium cuicumque qui poterit presentare predictum Carlem in manibus dictorum de Costis aut domini potestatis ita quod possit de eo facere iusticiam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod sit eisdem de Costis et eorum coadiutoribus licitum ut possint portare arma hoffensibilia et deffensibilia sine pena et banno comunis Cherii persoluenda et absque eo quod teneantur securitatem prestare de non hoffendendo sed capitaneus presens et futuri uel rectores qui pro temporibus fuerint teneantur dare et prestare dictas securitates pro predictis de Costis si aliquo tempore requisiti fuerint per potestatem comunis Cherii et hoc occaxione iam dicta.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia capitula facta in ipsa societate et scripta in uolumine capitulorum societatis sancti Georgii siue sint generalia siue specialia in fauorem singularium personarum sint et esse debeant et intelligantur esse in fauorem dictorum de Costis et cuiuslibet eorum et coadiutorum ipsorum ac si ipsa capitula scribi et fieri fecissent et sint troncha et precissa et attendi et obseruari debeant per quoscumque rectores dicte societatis et per ipsam societatem et omnes et singulos homines predicte societatis ad uoluntatem predictorum de Costis uinculo iuramenti capitulo aliquo facto uel facturo non obstante et de premissis fiat publicum instrumentum dictis de Costis quibus fides adhibeatur tamquam aliis capitulis dicte societatis et attendi et obseruari debeant non obstantibus capitulis aliquibus in contrarium loquentibus si quod esset. Insuper dicti de Costis retinuerunt in se et penes se bayliam potestatem et auctoritatem iterum semel et pluries capitulandi et capitula faciendi in dicta societate per ipsos de Costis et contra dictos de Roida et eorum coadiutores que eis meliora uidebuntur quocienscumque et quandocumque eis uidebitur et eodem modo declarandi et interpretandi si locus erit semel et pluries ad eorum plenariam uoluntatem.

Item statutum et ordinatum fuit per ipsos de Costis et capitulatores ut supra quod aliquis homo

dicte societatis non debeat ire nec reddire cum armis uel sine armis nec asociare nec habere aliquam societatem cum aliquo homine illorum de Roida nec eciam placcare nec allegare nec fideiussorem esse sub pena et banno soldorum centum pro quolibet et qualibet uice nixi esset de uoluntate dictorum de Costis.

Item statutum et ordinatum fuit per ipsos de Costis et capitulatores eorum quod si contingeret de cetero quod Deus aduertat quod aliquis homo uel aliqua persona illorum de Roida percuteret uel hoffenderet seu iniuriam faceret in rebus ubicumque sint et personis predictorum de Costis uel alicui ipsorum quod dictus dominus capitaneus uel rectores societatis qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et ipsa societas et homines ipsius societatis incontinenti teneantur precisse et debeant ponere manus ad stremitam et arma et facere et capere et capi facere et fieri uindictam cum effectu super personis et rebus illorum de Roida et euiuslibet eorum et quolibet alio qui ad dictam percussionem seu iniuriam dedisset conscilium auxilium uel fauorem ad uoluntatem dictorum de Costis et hoc capitulo aliquo in contrarium loquenti non obstante. die mercurii tercio mensis madii.

Lecta et publicata fuerunt dicta capitula in maiori conscilio dicte societatis in domo comunis anno et indictione supradiotis congregato conscilio sono campane et uoce preconia more solito.

Capitula illorum de Ganbinis.

In Christi nomine amen. Anno natiuitatis eiusdem millessimo tercentessimo uigessimo octauo indictione undecima in Cherio die dominico sexto mensis nouembris. Hec sunt capitula facta in fauorem et pro fauore Manuellis fratris quondam Gullermi Ganbini Perceuaglis Henrici Guillermoni Nicholini Anthonii et Bartolomei omnes de Ganbinis de Cherio et omnium aliorum de Ganbinis et choadiutorum suorum de consilio et uoluntate nobilis uiri domini Vesponi de Solerio honorabilis capitanei societatis beati Georgii et pepulli Cheriensis ex baylia et auctoritate eisdem de Ganbinis atributa a maiori credencia dicte societatis sancti Georgii de Cherio die supradicta contra et aduersus Melanonum de Azano et Iacobum eius patrem Iohanonum Bertotum Henrionum et Iacomonum et Thomaynum Guidetum et Perinum filios Marchixii omnes de Azano de Montebello et contra omnes de eorum hospicio et choadiutores ipsorum occaxione maleficii comissi acthenus per dictum Melanonum de Azano in persona Gulliermi Ganbini fratris supradicti Manuellis et per dictum Melanonum hocisum contra Deum et iusticiam ut infra sequitur.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod domi-

a nus capitaneus presens et fucturi et rectores qui pro temporibus fuerint et omnes alii de dicta societate teneantur et debeant predictos de Ganbinis et eorum choadiutores manutenere et adiuuare et si quo tempore dicti de Ganbinis uel aliqui aut aliquis ex ipsis uel alii eorum choadiutores fecerint uel fieri fecerint uindictam de morte dicti Guillermi de Ganbinis quod per predictam societatem debeant manuteneri et defendi et pro eo uel eis pena solui comuni Cherii de auere dicte societatis et pro eo uel eis satisdationem seu securitatem prestare et alios sumptus facere occaxione predicta de auere societatis predicte et hoc non solum de morte si cum morte se uendicauerint sed etiam et de uulnere si quod uulnus uel uulnera ipsi uel aliquis
b ipsorum de Ganbinis uel eorum choadiutores in persona uel personis predictorum Melanoni et aliorum agnationis ipsius ac etiam et choadiutorum suorum quoquo modo per ipsos ut supra fieret uindicta percuciendo uulnerando uel alio quoquo modo ipsis obfendendo uel se defendendo dictus dominus capitaneus et alii qui pro temporibus fuerint uel rectores ipsius societatis quoquo nomine censsean tur teneantur et debeant precise et sine tenore predictos substinere et manutenere sumptibus et expensis societatis predicte.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona dicte societatis sancti Georgii siue alius de eorum agnatione qui presumeret ipsos de Azano uel
c aliquem ipsorum uel choadiutorum suorum iuuare aut iuuamen uel consilium dare defendendo ipsos uel aliter quod incurrat penam librarum decem astensium pro quolibet et qualibet uice quam penam dicti dominus capitaneus siue rectores qui pro temporibus fuerint teneantur excutere infra menssem unum post condempnationem factam. cuius pene et banni tercia pars sit dicti domini capitanei qui nunc est siue rectorum uel capitaneorum qui pro temporibus fuerint et alie due partes societatis predicte.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis de societate predicta non sit nec esse possit aut debeat aduocatus procurator aut aliter consiliarius
d uel choadiutor palam uel priuatim predictorum de Azano contra ipsos de Ganbinis et qui contrafecerit dictus dominus capitaneus teneatur ei auferre penam et bannum ut in superiori capitulo continetur.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingerit quod predicti de Ganbinis uel alter eorum aliquo tempore uoluerit et potuerit facere uindictam in aliquem ex ipsis de Azano quod dominus capitaneus presens et futuri et alii rectores teneantur et debeant uinculo iuramenti ipsos manutenere et adiuuare et dare eis duos uel quatuor clientes expensis societatis predicte ad faciendum eorum uindictam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod sit eis licitum *a* et possint portare arma offensibilia et difensibilia sine aliqua pena comunis Cherii persoluenda et absque eo quod teneantur securitatem prestare de non obfendendo sed capitaneus presens et futuri uel rectores qui pro temporibus fuerint teneantur dare et prestare dictas securitates pro predictis de Ganbinis si aliquo tempore requisiti fuerint per potestatem comunis Cherii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis de dictis de Azano non possint nec debeant recipi in societate et si recepti fuerint receptio non ualeat si quo tempore recepti fuissent in societate sancti Georgii donec dicti de Azano fecissent pacem cum dictis de Ganbinis uel cum eis essent in concordia. *b*

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia capitula scripta in uolumine capitulorum societatis sancti Georgii siue sint generalia siue scripta in fauorem singularium personarum sint et esse intelligantur scripta in fauorem dictorum de Ganbinis et cuiuslibet ipsorum et ut ipsa capitula scribi et fieri fecissent.

Capitula illorum de Albuzanis.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per dominum Iohanninum de Coperio honorabilem capitaneum *c* societatis sancti Georgii et populi chariensis et sapientes quos secum habere uoluit in fauorem omnium et singularum personarum illorum de Albuzanis et de hospicio Albuzanorum et coaiutorum suorum ex baylia ipsi domino capitaneo a generali consilio dicte societatis die xxiiii. mensis septembris atributa.

In primis statutum et ordinatum fuit per ipsum dominum capitaneum et sapientes quos secum habere uoluit ut supra quod omnes et singuli homines et persone de hospicio Albuzanorum et tam magni quam parui ex nunc sint et esse debeant in protectione et custodia societatis predicte contra et aduersus hospicium Balborum et omnium singularum *d* personarum hospicii dictorum de Balbis et de dicto hospicio se appellantium et potentiorum dictorum de Albuzanis exceptis illis de domo Pugloliorum et exceptis personis uillarum comunis Cherii et castrorum et omnibus essentibus de societate predicta secundum formam capitulorum societatis iam dicte ita et taliter quod si aliqua iniuria seu grauamen aliquod predictis de Albuzanis uel alicui ipsorum per predictos de Balbis uel aliquem ipsorum uel aliquem alium potentiorem predictis de Albuzanis inferretur seu fieret uel fieri faceret et tam in personis quam rebus quod uindicta capiatur et capi debeat seu sumi et fieri per predictum dominum capitaneum et per quemcumque alium rectorem dicte societatis et per societatem iam dictam eo modo quo fieret et sumeretur per aliquem qui sit de corpore societatis iam dicte ad uoluntatem iniuriati parentum et amicorum suorum et omnia capitula generalia dicte societatis sint et esse debeant et ex nunc sibi locum uendicent pro predictis de Albuzanis et in fauorem ipsorum quemadmodum pro aliquo dicte societatis saluis superius exceptatis in omnibus et per omnia.

Item quod predicti de Albuzanis teneantur et debeant soluere taleas imponendas per dictum dominum capitaneum et societatem predictam et omnia alia facere de ere et personis sicut et ceteri de societate predicta tenentur et adstricti sunt et quod eorum domus sint et esse debeant amodo in anthea et omnia alia eorum bona obligata et adstricta dicte societati et hominibus ipsius et sub protectione ipsius societatis ita et sicut sunt domus res et bona hominum societatis iam dicte et quod non ferrent nec facient in futurum aliquam iuram ligam seu squaram cum aliquo hospicio comunis Cherii quod sit de societate populi uel quod non sit et si quam fecisse reperirentur ex nunc etiam renunciant et abiurant et quod solo modo ad corpus societatis predicte conseruandum et manutenendum totis uiribus intendent et si contrafecerint ipso iure sint cassi et priuati ab omni ausilio et presidio atque fauore societatis predicte.

Cum in quodam capitulo societatis sancti Georgii facto per Thomaynum Mahonerium siue per capitulatores eidem datos et concessos per societatem predictam siue per credenciam ipsius societatis contineatur expresse quod idem Thomaynus retinuit in se bayliam et auctoritatem addendi et minuendi in predictis et super quibus que capitulauerat semper que eidem uiderentur expedire circa percussionem factam per Daniellum de Castello in persona dicti Thomayni sicut in capitulo dicte societatis continetur ecce quod dictus Thomaynus reductus ad bonam memoriam et instructus super hiis plus quam erat tempore maleficii et iniurie eidem facte per Daniellum supradictum addit dicto capitulo facto in fauorem ipsius Thomayni et ordinat ut infra continetur iuxta formam dicti statuti propter honorem dicte societatis et hominum ipsius et propter reuerenciam ipsius domini capitanei et ad hoc quod aliqua persona de cetero similia que facta sunt uerssus dictum Thomaynum per ipsum Daniellum facere audeat uel presumat in aliquo homine dicte societatis. In primis quod ipse Thomaynus uel alius pro eo possit ponere et expendere et poni facere et expendi de auere dicte societatis palam uel priuatim usque in quantitatem librarum c. astensium pro uindicta facienda in persona dicti Daniellis de Castello seu cuiuslibet alterius persone de hospicio illorum de Castello que non esset de societate sancti Georgii cum ipse Daniel contra Deum et iusticiam uulnerauerit dictum Thomaynum et pacem fregerit

eidem quod est turpissimum facere et audire et a facta dicta uindicta ut supra idem Thomaynus et filii habeant et habere debeant omni anno de auere societatis predicte libras quinquaginta astenses dum discordia duraret et quousque pacem haberent cum illis in quibus facta esset dicta uindicta et cum adiunctoribus ipsorum ad hoc ut ipse et quilibet alius de societate predicta habeant bonam uoluntatem et prontam materiam se uendicandi de iniuriis ei factis et faciendis. Hoc etiam addito et ordinato quod idem Thomaynus et filii et quilibet alius qui pro eis dictam uindictam facerent seu fieri facerent ubique et quocumque modo facerent extrayhantur et conseruentur penitus indempnes per ipsam societatem et rectores ipsius tam in penis soluendis quam in expensis et dampnis factis et faciendis et b maxime a tempore dicti maleficii commissi citra et que de cetero fierent occaxionibus supradictis et ex ipsis emergentibus seu contingentibus propriis sumptibus et expensis ipsius societatis ad uoluntatem semper dicti Thomayni et filiorum et quicumque faceret dictam uindictam seu ad eam faciendam daret uel prestaret consilium uel iuuamen in persona dicti Daniellis uel alicuius de suo hospicio qui non esset dicte societatis nunc sit et esse debeat societatis predicte et in ea recipiatur et recipi debeat ad uoluntatem dicti Thomayni et filiorum. Hoc saluo quod presens clausula loquens de essencium in societate ipso iure ad uoluntatem dicti Thomayni non uendicet sibi locum nixi in hiis qui possunt de societate sancti Georgii esse secundum c formam capitulorum societatis predicte et quod omnia capitula et singula dicte societatis loquencia de uindictis faciendis et iniuriis facta et factura pro illis qui discordiam habent et que facta sunt in eorum fauorem et iuuamen locum habeant et habere debeant et facta esse intelligantur pro ipso Thomayno et filiis et in fauorem ipsorum et pro ipsis obseruari debeant cum omnibus penis et clausulis que in eis continentur ad uoluntatem semper dicti Thomayni et filiorum. et si aliqua persona dicte societatis in aliquo contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel ueniret incurrat penam et banna ipso iure et facto librarum quinquaginta astensium et nichilominus tamquam malus homo de ipsa societate expellatur ad uoluntatem semper d dicti Thomayni et filiorum. Item quod dominus capitaneus et consiliarii et homines dicte societatis teneantur precisse et sine tenore sic facere et curare cum effectu quod condempnacio facta in persona dicti Daniellis occaxione dicti maleficii comissi in persona dicti Thomayni per ipsum per potestatem comunis Cherii excuciatur et excuti debeat super bonis dicti Daniellis et super illis que tenebat et possidebat tempore dicti maleficii ipsa bona uendenda parentibus ipsius quibus defficientibus consortibus ipsius dando tres denarios pro duobus ut moris est et sic facere et curare quod predicta effectui emancipentur et quod concedatur plena baylia domino potestati Cherii super predictis faciendis et complendis per consilium comunis Cherii pro predicta pena capienda capitulo aliquo non obstante facto uel facturo. rogando et requirendo dominum capitaneum et consiliarios quod predicta admittere et ordinare propter honorem suum et homines dicte societatis debeant et in fauorem et utilitatem cuiuslibet hominis dicte societatis.

Quod capitulum lectum admissum et approbatum fuit in plena et generali credencia dicte societatis per dictum dominum capitaneum et consiliarios dicte societatis curente anno Domini millesimo cccxxii. indictione quinta die dominico xxiiii. mensis ianuarii.

In nomine Domini amen currente anno Domini millesimo cccxxii. indictione quinta die dominico ultimo mensis ianuarii. In pleno et generali consilio societatis sancti Georgii de Cherio super palacio comunis Cherii sono campane et uoce preconia de mandato domini Gualfredi de Bargiis capitanei societatis predicte more solito congregato

Statutum et ordinatum fuit per dictum dominum capitaneum uoluntate . . . .

In nomine Domini amen.

Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per honorabilem uirum dominum Gualfredum Aycardum ex dominis Bargiarum capitaneum populi chariensis et societatis beati Georgii conscilio sapientum infrascriptorum autoritate et baylia eidem a maiori credencia societatis predicte concessa ad capitulandum in dicta societate et de nouo addendi minuendi ueteris capitulis prout eis pro meliori dicte societatis uidebitur expediri.

Nomina quorum capitulatorum sunt hii.

Dominus Milo de Pascuerio
Dominus Uricus Pometus
Dominus Bartolomeus Merlo
Dominus Ubertus Dodelius
Dominus Ubertus Gribaudus
Dominus Guidotus Bencius
Dominus Niger de Peyto
Dominus Coradinus de Cometo
Dominus Perceuallus Vetulus
Dominus Thomaynus Maonerius
Dominus Opecinus Tauanus
Dominus Bertinus Buschetus
Dominus Odoninus Alamanus
Dominus Perinus Catanius
Dominus Thomas Tana
Dominus Urietus Calozanus
Dominus Iacobus Facius.

Quod qui pacierit conscilium non exeat de conscilio.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod addatur capitulo loquenti de requisitione conscilii quod est scriptum sub rubrica quod ille qui requisiuerit conscilium de eo etc. quod si contingeret quod aliquis de dicta societate esset percussus uel iniu-

riam passus quod Deus aduertat ab aliquo dicte societatis uel non cuius pretestu per rectores uel rectorem datum esset sibi conscilium ad requisitionem ipsius quod ipse nec aliquis de parentibus suis exire teneantur de conscilio sed in eo possint stare non obstante predicto capitulo uel aliquo alio in contrarium loquenti remanente predicto capitulo in aliis causis et questionibus in sua perpetua firmitate.

Contra non subiectos iu....... comunis Cherii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis de societate predicta requisitus per rectorem uel rectores uel potestatem comunis Charii aliqua occaxione et nolens preceptis ipsorum uel alicuius ex hiis parere allegando et dicendo se clericum uel per instrumentum uel per alia documenta quod rectores precisse et sine tenore et uinculo iuramenti incontinenti ipsum expellere et canzellari facere de libris dicte societatis teneantur ita et taliter quod ab inde in antea non sint de dicta societate. quod capitulum sit trunchum et precissum et atendi et obseruari ipsum debeant rectores dicte societatis et non possit in aliquo remoueri et sit omnibus in contrarium loquentibus derogatorium ac si de ipsis hic esset specialiter et expresse facta mencio.

Adicio capituli de ferutis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod addatur capitulo et pro addito ab inde in antea habeatur loquenti de ferutis factis per aliquem de hospiciis in dicto capitulo nominatis quod capitulum fuit factum in anno Domini millesimo cccxx. primo indictione quarta et est scriptum in uolumine capitulorum dicte societatis ibi ubi dicitur circha in principium «siue butauerit» habeatur per inde ac si ibi non esset appossitum et dictum uerbum sit cassum irritum atque uanum in aliis uero dictum capitulum remaneat incoruptum.

Quod aliquis de societate non possit capere procuratorem aliquem qui non sit de dicta societate.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis de societate habuerit aliquam questionem quod absit cum aliquo uel aliquibus aliis essentibus de societate uel non non possit nec debeat aliquem capere procuratorem uel aduocatum nisi de hominibus societatis predicte hoc saluo quod conscilium habere possint ab aliis iuris peritis de dicta societate non essentibus et eciam iuris periti non essentes de societate predicta non possint nec debeant capi in procuratores per homines dicte societatis sub penis infrascriptis et quod procuratores et aduocati de dicta societate petiti uidelicet per habentem questionem cogantur et cogi debeant per rectorem uel rectores essentes pro tempore dictam

a aduocationem et procuram aceptare sub pena pro quolibet et qualibet uice solidorum centum astensium qua contradicerent rectori uel rectoribus societatis predicte uel facerent nisi alteri parti antea patrocinium prestitissent et sub eadem pena cuicumque de societate acceptanti uel capienti in suis questionibus uel causis procuratorem uel aduocatum alium nisi prout superius est declaratum. Quod capitulum sit tronchum et precissum et atendi et obseruari debeat et remoueri non possit aliqua ratione uel causa.

Item quod nullus de societate possit esse procurator alicuius qui non sit de societate contra illum de societate. De hoc est scriptum in cartis xxix.

b *Quod rectores possint portare arma ad suam uoluntatem.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod rectores societatis predicte possint et debeant si uoluerint portare arma cum illis quos secum ducere uoluerint et illa arma que sibi fuerint placibilia et quod rectores futuri teneantur et debeant facere et curare cum effectu quod fiat inde capitulum quod scribatur in uolumine capitulorum comunis Charii. quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit aliqua ratione uel caussa.

Berardoni Matsacii.

c Item statuerunt et ordinauerunt quod Milo de Frauia et Berardotus Mayacius eius fideiussor ipsi et quilibet ipsorum extrahantur et conseruentur indempnes de quadam condempnatione facta per dominum Henricum de Ripayrolio Charii potestatem de libris lx. astensibus occaxione quia debuit percuxisse Guillermum de Nicholayo cum sanguinis effuxione ad uindictam sui et quod rectores futuri teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti facere et curare cum effectu quod condempnatio facta de predictis canzelletur de libris comunis Charii infra mensem post aceptationem sui regiminis ita et taliter quod penitus indempnes conseruentur et extrahentur de auere dicte societatis et de omnibus dependentibus et emer-
d gentibus ex predictis. Quod capitulum sit tronchum et precissum et atendi et obseruari debeat et remoueri non possit nisi prius factum fuerit et completum quod est superius ordinatum.

De pannis nunciorum.
De hoc est scriptum in cartis xxiii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod addatur capitulo loquenti de pannis nunciorum possito sub rubrica de uestibus et salario nunciorum. possit expendi de auere dicte societatis in uestibus que fiunt eisdem in festo beati Georgii usque ad quantitatem librarum uiginti astensium et non ultra in aliis uero dictum capitulum remaneat inmutatum.

et quod dicti nuncii uel aliquis eorum non possit nec debeat se absentare a loco Charii nisi processerit de uoluntate rectorum et quod nullo modo possint quandocumque de uoluntate rectoris uel rectorum ambo se a loco Carii absentare nisi ipsos rectores uel rectorem. quod capitulum sit tronchum et precissum et atendi et obseruari debeat per rectores ipsius societatis.

Guilielmi filii domini capitanei.

Item statuerunt et ordinauerunt quod rectores fucturi teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti recipere et recipi facere et scribi in carta dicte societatis facere Guilelmum filium dicti domini capitanei infra VIII. dies post requisitionem inde expositam dictis rectoribus et quod dictus Guilelmus debeat habere regestum de libris centum astensium et soluere inde talleam. et si fieret regestum de nouo cassato regesto predicto librarum centum teneatur et debeat bona sua regestare et amodo in antea habeatur et tractetur et censeatur per ipsam societatem et homines ipsius societatis sicut alii homines dicte societatis censarentur et quod capitula facta in fauorem ceterorum de societate in sui personam sibi locum debeant uindicare. Quod capitulum sit trunchum et precissum et omnibus aliis in contrarium loquentibus derogatorium ac si de eis hic specialiter expresse mencio haberetur et mutari non possit in perpetuo nec per aliquem arengari in contrarium in conscilio palesio uel priuato sub pena periurii in contrarium arenganti pro quolibet et qualibet uice.

Que quidem capitula lecta et publicata fuerunt per me Iacobinum Armannum notarium societatis predicte currente anno Domini millesimo CCCXXII. indictione quinta die ueneris primo mensis octubris in pleno et generali conscilio societatis predicte.

Ubertoti Irati Bartolomei et Guilelmoti de Bagnasco.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula facta et ordinamenta per capitulatores silicet Matheum de Tagloto et Oliuerium Zauaterium alias datos et concessos Ubertoto Irato et eius filio Bartolomeo et Guilermoto de Bagnasco et filiis eius occaxione discordie quam habent cum Raynerio Blanco et aliis de Blanchiis de Cherio habentes inde bayliam prout in eorum aliis capitulis continetur cum conscilio tamen domini Gualfredi de Bargis capitanei ipsius societatis.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod quandocumque aliquis homo de societate sancti Georgii audiret uel cognosceret uel scire posset quod rumor fieret causa offendendi predictos Bertotum et filios uel aliquem ipsorum seu aliud indicium uel tractatum contra ipsos quod illi de dicta societate

a qui hoc scirent teneantur expresse et sub pena librarum XXV. pro quolibet currere cum armis uel quocumque modo quo melius possent ad locum ubi essent predicti Ubertotus Guillelmotus et filii uel alicuius ipsorum siue hoc esset in Cherio uel extra Cherium.

Item quod cum contra ipsos Ubertotum Guillermotum et filios per dominum episcopum Taurinensem uel eius uicarium ut dicitur lata fuerit sentencia excomunicationis eo quod debuerunt uulnerare Raynerium Blanchum predictum cuius occaxione oportet ipsos acedere ad dominum Papam uel eius Legatum seu penitenciarium quod rectores dicte societatis qui pro temporibus fuerint tenean-

b tur et debeant precisse et sine tenore uinculo iuramenti incontinenti quod requisiti fuerint per ipsos Ubertotum Guilelmotum et filios uel per aliquem ipsorum congregare magnum conscilium dicte societatis et in ipso proponere de peccunia recuperanda ad hoc ut dicti Ubertotus et Guilelmotus et filii ad dictam curiam possint accedere et redire de ea et expensas illuc facere pro solucione dicte excomunicationis et ipsum conscilium tantum retinere quod peccunia pro dictis expensis faciendis recuperetur et tradatur eisdem. de quibus expensis stetur arbitrio ipsorum Ubertoti Guilelmoti et filiorum cum conscilio dominorum rectorum qui pro temporibus fuerint.

Que omnia et singula suprascripta sint capitula

c truncha et precissa que atendi et obseruari debeant per rectorem seu rectores dicte societatis qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint et per omnes homines ipsius societatis et ponantur et scribantur in libro capitulorum ipsius societatis. Et si aliqua persona ipsius societatis contra diceret faceret uel ueniret in conscilio siue extra dicte societatis incurat penam si esset rector ipsius societatis librarum quinquaginta et quilibet alius librarum uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice et de predictis non possit peti licencia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure nisi fuerit de uoluntate dictorum Ubertoti Guilelmoti et filiorum et cuiuslibet eorum et si aliqua oscuritas uel dubietas oriretur in predictis uel aliquo predictorum inter-

d pretetur et declaretur secundum arbitrium et diffinitionem dictorum Ubertoti Guilelmoti et filiorum cum conscilio rectorum societatis predicte. Rectinentes adhuc in se dicti capitulatores bayliam et auctoritatem iterum capitulandi addendi capitulis predictis omnia ea et singula que cum honore dicte societatis in fauorem ipsorum Ubertoti Guillelmoti et filiorum uidebuntur utilia expedire.

Que quidem capitula et ordinamenta lecta et publicata fuerunt per me Iacobum Armannum notarium societatis predicte in pleno et generali conscilio dicte societatis die ueneris primo mensis decembris anno Domini MCCCXXII. indictione quinta.

Odonis de Godiano.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula seu ordinamenta facta per capitulatores datos et concessos Oddono de Godiano et aliis de domo sua quibus data fuit baylia auctoritas et potestas capitulandi et capitula faciendi a generali consilio societatis sancti Georgii de Chario.

In primis cum manifestum et noctorium sit quod decimaria sancti Martini de campagnoliis siue sancti Martini rupti que est in fine quarterii ialni ad ipsos de Godiano nunc et antiquitus pertinet statuerunt et ordinauerunt quod rectores societatis predicte et ipsa societas et homines ipsius societatis tam illi qui nunc sunt quam qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub penis infrascriptis manutenere et deffendere dicto Oddono de Godiano et aliis de domo sua dictam decimariam seu ius decimandi et decimari . . . .

Bertini Spolle.

Eodem anno et indictione die xxx. mensis marcii in pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii statutum et ordinatum fuit per predictos dominos rectores uoluntate consilii dicte societatis et per ipsum consilium quod si contingeret quod Bertinus Spola et Guilelmonus eius filius uel aliquis ipsorum condempnarentur in aliquo per dominum potestatem comunis Cherii siue per ipsum comune occaxione risse quam ipsi Bertinus et filius habuerunt cum Guilielmono Rotundo quod rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et ipsa societas teneantur et debeant precisse et sine aliquo tenore et uincullo iuramenti ipsos Bertinum et filium et quemlibet ipsorum et res et bona ipsorum et eorum securitatem silicet Bertotum Balberium qui fideiussit pro ipsis Bertino et filio preceptor uoluntatis dictorum dominorum rectorum uerssus dominum potestatem et comune Charii estrayre et penitus conseruare indempnem de ere proprio ipsius societatis et sumptibus et expensis ipsius societatis et sic facere et curare cum efectu teneantur rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate et ipsa societas quod dicti Bertinus et filius et dictus Bertotus non debeant grauari nec inquietari nec res predictorum occaxione dicte risse uel occaxione alicuius banni dati pro ipsa rissa uel alicuius condempnacionis que fieret in ipsis Bertino et filio uel aliquo ipsorum occaxione dicte risse sed conseruentur penitus ipsi Bertinus et filius et res et bona ipsorum et predictus Bertotus sine dapno de hauere dicte societatis et sumptibus et expensis ipsius societatis ad uoluntatem predictorum Bertini filii et Bertoti. Ad que omnia teneantur dicti rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate integraliter obseruare uinculo iuramenti et sub pena et banno librarum x. pro quolibet dictorum rectorum et pro qualibet alia persona *a* dicte societatis librarum x. qui contra predicta faceret uel ueniret semper predicto capitulo remanente in sua firmitate quousque predicti fuerint estrayti et conseruati sine aliquo grauamine et dapno.

Campariorum.

Anno et indictione quibus supra die ueneris xxx mensis marcii in pleno et generali consilio dicte societatis statutum et ordinatum fuit per supradictos dominos rectores uoluntate conscilii dicte societatis et per ipsum consilium quod rectores qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant at- *b* tendere et atendi facere et sic facere et curare cum effectu quod instrumenta facta campariis qui nunc sunt in campaneis custodiendis obseruentur et obseruari debeant et attendi dictis campariis et et quod soluatur eisdem pro finibus custodiendis et rebus forenssibus illud quod ordinatum est eisdem campariis sicut continetur in eorum instrumentis et quod etiam dicti domini rectores teneantur sic facere et curare cum effectu quod fiat eisdem campariis in comune Charii capitulum super quo iurare debeat potestas futurus qui uenerit ad regimen Charii de dictis instrumentis eisdem campariis obseruandis et eorum solucionibus habendis sicut melius dictari poterit super quo capitulo iuret potestas dicti comunis Charii qui uenerit ad dictum *c* regimen. Que omnia teneantur praedicti rectores qui erunt in ipsa societate integraliter obseruare et attendere uinculo iuramenti et sub pena et banno librarum decem astensium pro quolibet ipsorum.

Que capitula lecta et publicata fuerunt in pleno et generali conscilio dicte societatis per me Anthonium Frexium notarium anno quo supra et indictione die ueneris xxx mensis marcii.

Illorum de Rosso.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Currente anno a natiuitate eiusdem millesimo tricentessimo uicessimo quarto indictione septima die *d* mercurii xvii mensis octubris statutum et ordinatum fuit per Iacobinum de Rosso et per capitulatores electos per eum silicet Matheum Mahonerium Rizardum filium quondam Iohanoni de Rosso et Bartolomeum filium dicti Iacobini et datos a maiori consilio societatis sancti Georgii occaxione percussionis et iniurie facte in persona dicti Iacobini per Daniellem filium quondam Conradi de Castello quod ipse Daniel et omnes et singuli de hospitio illorum de Castello et quilibet ipsorum sint expulsi et extra de societate sancti Georgii ex nunc ipso iure et facto sic et taliter quod de ipsa societate de cetero esse non possint nec sint aliquo modo uel ingenio et radantur et radi debeant ex nunc et canzellari de libris dicte societatis. Et si con-

tingeret quod ipse Iacobinus uel aliquis filiorum suorum et nepotis uel alius de eius agnatione seu aliqua alia persona pro eis uel altero ipsorum aliquo tempore faceret uel fieri faceret uindictam de uulneratione et iniuria facta in persona ipsius Iacobini per ipsum Daniellem in persona uel personis dicti Daniellis uel alicuius seu aliquorum de dicto hospitio de Castello uel ipsorum quoadiutorum quod factores dicte uindicte qualitercumque fieret et ubicumque extrahantur et extrahi debeant indempnes et conseruari per rectores dicte societatis et per ipsam societatem propriis sumptibus et expensis ipsius societatis et de aduere dicte societatis tam in penis soluendis quam in securitatibus prestandis et de qualibet offensione que de cetero fieret predictis de Castello in rebus et personis rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate nullum eisdem teneatur prestare consilium uel iuuamen. Et quod omnia capitula seu statuta dicte societatis loquencia de illis qui habent discordias et contra illos qui manum ponerent uel posuissent seu iniuriam inferrent uel intulissent alicui uel aliquibus hominibus dicte societatis facta esse intelligantur ex nunc pro ipso Iacobino filiis et nepoti eius et aliis de agnatione sua et quoadiutoribus suis ad eorum et cuiuslibet ipsorum uoluntatem et attendi et obseruari debeant et contra predictos de Castello et quotienscumque eisdem et cuilibet ipsorum placuerit. Que omnia et singula sint capitula truncha et precissa et attendi et obseruari debeant per rectores dicte societatis qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et per ipsam societatem et omnes et singulos homines predicte societatis ad uoluntatem dicti Iacobini filiorum et nepotis eius et quoadiutorum ipsorum uinculo iuramenti et sub pena librarum quinquaginta astensium pro quolibet rectore et librarum uiginti quinque astensium pro quolibet alio homine dicte societatis contrauenienti uel facienti capitulo aliquo facto uel facturo non obstante. Et de premissis fiat publicum instrumentum dicto Iacobino filiis et nepoti cui fides adhibeatur tamquam aliis statutis et capitulis dicte societatis et attendi et obseruari debeant totaliter per rectores et uniuersos homines dicte societatis et hec fiant et obseruentur non obstantibus capitulis aliquibus in contrarium loquentibus et si quidem esset in contrarium ex nunc sit cassum et uanum et nullius ualoris. Et si aliquo tempore rectores qui nunc sunt appellarentur uel molestarentur de predictis in aliquo ab aliqua persona quod societas teneatur ipsos indempnes conseruare sumptibus propriis et expensis dicte societatis. Que omnia et singula suprascripta obseruentur ad uoluntatem dicti Iacobini filiorum et nepotis eius et ipsorum quoadiutorum.

Que quidem capitula et ordinamenta lecta publicata et uulgarizata fuerunt per me Henricum Scutinum notarium publicum et nunc dicte societatis in pleno et generali consilio societatis predicte sancti Georgii in palatio communis Charii per campanam et uoces preconum more solito congregato die mercurii xvii mensis octubris et confirmata per ipsum consilium seu credenciam dicte societatis. Et de predictis omnibus et singulis preceptum est mihi notario per ipsum Iacobum fieri publicum instrumentum coram Bertoto Barberio et Testablonda nunciis dicte societatis ad hoc testibus uocatis et rogatis. Insuper et in continenti dicti Iacobinus et capitulatores retinuerunt in se et penes se bayliam potestatem et auctoritatem iterum capitulandi et capitula faciendi in dicta societate pro ipsis Iacobino filiis et nepoti eius et contra dictos de Castello et eorum quoadiutores que eis melius uidebuntur quotienscumque et quandocumque eis uidebitur. Precipiendo inde fieri publicum instrumentum mihi notario supradicto coram ipsis testibus ad hoc uocatis et rogatis dictis anno indictione die et incontinenti.

Contra illos de Castello.

Item ultra predicta capitula statuerunt et ordinauerunt predicti capitulatores de uoluntate dicti Iacobini quod rectores populi qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint in societate populi Chariensis teneantur et debeant precisse et sine tenore ita facere et curare cum effectu uinculo iuramenti et sub pena librarum xxv pro quolibet rectore quod fiat capitulum et fieri debeat in comuni in exitu potestarie domini Conradi de Riparia nunc Charii potestatis et ante si ante in dicto comuni capitulabitur quod omnes illi de hospitio illorum de Castello nec aliquis ipsorum esse non possint de societate sancti Georgii nec in deffensione seu protectione dicte societatis aliquis predictorum esse possit uel debeat aliquo tempore sub pena et banno librarum ducentarum astensium quarum penarum tercia pars sit domini potestatis comunis Charii qui eam exscuteret seu exscuti faceret alia tercia pars sit societatis et alia tercia comunis Charii non obstantibus aliquibus aliis capitulis dicti comunis siue ipsius societatis et si quis diceret faceret uel tractaret contra predicta uel aliquod predictorum publice uel priuatim alegando uel dicendo seu de partito existendo in consilio uel extra publico uel priuato incurrat penam librarum centum astensium pro quolibet et qualibet uice ipso iure et facto que pena distribuatur ut supra. Et eciam statuerunt ut supra quod omnia capitula facta in ipsa societate in fauorem illorum de Castello uel alicuius eorum siue sint generalia siue specialia sint cassa et ex nunc irrita et nullius ualoris uel momenti ita quod ipsis uti siue se iuuare ullo modo possit ymo radi et aufferri de uolumine capitulorum dicte societatis penitus debeant Hoc addito quod rectores populi qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint pena librarum quinquaginta pro quolibet per sacramentum teneantur et debeant ita facere et curare cum effectu quod ordinetur in

consilio maiori comunis Cherii quod dominus potestas Cherii habeat plenam bayliam et liberum arbitrium ponendi et dandi de aduere comunis Cherii aliquibus personis et omnibus qui uellent ponere dictum Daniellem de Castello in forcia ipsius domini potestatis et comunis Cherii usque in quantitatem librarum centum astensium ad ipsum puniendum de percussione facta in persona dicti Iacobini de Rosso et de aliis penis quas dictus Daniel debet comuni. Et quod predicti de hospicio illorum de Castello nec aliquis de dicto non possint nec debeant habere aliquod auxilium consilium fauorem uel iuuamen a dicta societate nec ab aliquo ipsius societatis palam uel priuatim aliquo modo uel ingenio deinceps aliqua de causa nec occaxione alicuius capituli quod reperiretur in dicta societate sub pena et banno librarum xxv astensium pro quolibet rectore qui contra predicta ueniret et pro quolibet de dicta societate cuius pene tercia pars sit domini potestatis Cherii alia comunis et alia tercia dicte societatis.

Item statutum fuit per ipsum Iacobinum de Rosso et per capitulatores ipsius quod si aliquis de hospitio illorum de Castello siue de illis de Castello deinceps faceret aliquam iniuriam alicui seu aliquibus de societate sancti Georgii quod uindicta fieri et capi debeat per rectores dicte societatis et per ipsam societatem contra illos de Castello et hospitium illorum de Castello et in personis et rebus dictorum de Castello ad uoluntatem percussi siue iniuriati et amicorum et parentum suorum aliquo capitulo facto uel facturo in contrarium loquenti non obstante. Quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat per rectores dicte societatis et per ipsam societatem sub pena librarum xxv astensium pro quolibet rectore contrafacienti et sub pena librarum x pro quolibet dicte societatis in contrarium loquenti.

Illorum de Rosso.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per Iacobinum de Rosso auctoritate et baylia sibi data et concessa a credencia maiori societatis sancti Georgii prout infra continetur.

In primis statutum et ordinatum fuit per ipsum Iacobinum quod si contingeret de cetero quod Deus aduertat quod aliquis homo uel aliqua persona percuteret uel offenderet seu iniuriam faceret in rebus ubicumque et personis dicto Iacobino uel alicui filiorum suorum seu alicui alii de hospicio illorum de Rosso uel alicui de domo Pometorum uel de domo illorum de Pascuerio uel coadiutorum predictorum seu alicuius eorum quod rectores societatis qui pro temporibus essent et ipsa societas et homines ipsius societatis incontinenti teneantur precisse et debeant ponere manus ad stremitam et ad arma et facere et capere et capi facere et fieri vindictam cum effectu super personis et rebus illorum de Castello et cuiuslibet ipsorum et quolibet alio qui ad dictam percuxionem seu iniuriam dedisset conscilium auxilium uel iuuamen ad uoluntatem dicti Iacobini uel filiorum uel aliorum de Rosso seu dictorum de Pometis uel de Pascuerio et maxime illorum qui facerent fieri dictam uindictam uel recepissent dictam offensionem.

Item statutum et ordinatum fuit per predictum Iacobinum ut supra quod si contingeret de cetero aliquo tempore quod dictus Iacobinus uel aliquis illorum de Rosso uel aliquis de Pometis uel de Pascuerio uel aliquis eorum coadiutor percuterent uel ociderent seu percuti uel ocidi facerent aliquem uel aliquos de hospicio illorum de Castello uel aliquem alium qui esset cum dictis de Castello ad offendendum predictis de Rosso de Pometis uel de Pascuerio uel aliquem eorum uel coadiutorum suorum quod rectores dicte societatis et ipsa societas teneantur ipsos et quemlibet eorum et suos coaiutores extrahere et extrahi facere de omni banno et pena in quod uel in quam possent ipsi uel aliquis ipsorum seu aliquis de agnationibus ipsorum caderent uel incurrerent ubique seu incurissent propriis sumptibus et expensis ipsius societatis et de auere ipsius societatis tam in securitatibus dandis pro predictis et penis soluendis quam in aliis omnibus modis pro ipsis indempnes et indempna conseruandis ad uoluntatem predictorum Iacobini et aliorum supradictorum. De quibus omnibus credatur dicto Iacobino et aliis qui facerent dictam offensionem saluo contra eum qui esset de dicta societate de quo non credatur nixi ueritas aliter appareret remanente semper pace facta inter illos de Pascuerio et illos de Castello in sua firmitate.

Item statutum et ordinatum est per predictum Iacobinum ut supra quod si aliqua persona uel persone de hospicio illorum de Castello uel coaiutorum suorum exirent de aliqua domo Cherii uel poderii que facerent offensionem seu facere presumerent in personis predicti Iacobini uel alicuius illorum de Rosso seu illorum de Pometis uel de Pascuerio uel coaiutorum ipsorum. Quod rectores societatis et ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur precisse et debeant ipsam domum funditus diruere et dirui facere et dirutam sine refectione tenere omni tempore.

Item statutum et ordinatum fuit per ipsum Iacobinum ut supra quod rectores societatis qui pro temporibus fuerint in societate teneantur ita facere et curare cum effectu quod fiat capitulum in comuni Carii proximioribus capitulis que fient pro ipso comuni quod illi de hospicio illorum de Rosso qui non stent in Cario sint et intelligantur Carienses et pro Chariensibus habeantur et tractentur in omnibus soluentes talleam dicto communi secundum

quod placeretur et ordinaretur per rectores ipsius societatis.

Item statutum et ordinatum fuit per ipsum Iacobinum ut supra quod aliquis homo dicte societatis non debeat ire nec redire cum armis uel sine armis nec asociare nec habere aliquam societatem cum aliquo homine de hospicio illorum de Castello nec eciam placeare in eorum plateis nec alegare nec procurator esse pro ipsis nec fideiussor sub pena et banno solidorum centum pro quolibet et qualibet uice nixi esset de uoluntate dicti Iacobini et quod ipsi nec aliquis eorum non possint esse de conscilio maioris comunis Gherii finito regimine domini Conradi de Riparia potestatis comunis Cherii.

Iiem statutum et ordinatum fuit per ipsum Iacobinum ut supra quod declaratio predictorum capitulorum et aliorum dicti Iacobini semper fiat et fieri debeat per ipsum Iacobinum et filios et alios supradictos ita quod liceat eis predicta capitula interpretari et in hiis declarare omnia ea que eis plus placuerint semel et pluries ad eorum plenariam uoluntatem.

Que omnia et singula supradicta sint capitula truncha et precissa et obseruari debeant cum omnibus aliis capitulis factis in ipsa societate in fauorem dicti Iacobini et coaiutorum suorum ad uoluntatem semper dicti Iacobini et eius declarationem et scribantur in libro capitulorum dicte societatis et atendi et obseruari debeant uinculo iuramenti sub pena et banno pro quolibet rectore dicte societatis qui contra predicta faceret uel ueniret librarum quinquaginta et pro qualibet singulari persona dicte societatis librarum uiginti quinque et de quibus non possit peti licencia nec dari ullo modo in conscilio uel extra et data seu petita non ualeat ipso iure nixi esset de uoluntate ipsius Iacobini capitulo aliquo ipsius societatis generali uel speciali non obstante.

Lecta et publicata ac uulgarizata fuerunt supradicta capitula et ordinamenta per me Iacobinum Armannum publicum notarium et nunc dicte societatis in pleno et generali conscilio societatis predicte sancti Georgii super palacio comunis Cherii per campanam et uoces preconum more solito congregato currente anno Domini millesimo cccxxv indictione octaua die iouis uigessimo primo mensis februarii. Et eciam preceptum fuit per ipsos dominos rectores illis de societate qui erant in dicto conscilio ut supradicta capitula et ordinamenta debeant atendere et obseruare sub penis et bannis in dictis capitulis contentis.

Illorum de Rosso.

In nomine Domini amen. Hec sunt capitula facta in societate beati Georgii in fauorem Iacobini de

a Rosso et aliorum de domo illorum de Rosso de consilio dominorum Guidonis Salamonis Perceualli de medico Guillelmi Formagerii et Bertoti Farrerii rectorum dicte societatis super confinibus ponendis et habendis inter illos de Rosso ex una parte et illos de hospicio illorum de Castello ex altera ex baylia concessa dicto Iacobino a maiore credencia dicte societatis.

In primis statutum et ordinatum fuit quod domini rectores futuri dicte societatis qui debent intrare in regimine dicte societatis die primo mensis augusti et quilibet alius rector dicte societatis et sapientes ipsius societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore sic facere et curare cum effectu
b uinculo iuramenti sub pena uiginti quinque librarum pro quolibet ipsorum rectorum et cuiuslibet hominis dicte societatis quod fiat capitulum in comuni Charii super quo iurare debeat dominus Iorgius de Plozascho potestas futurus comunis Cherii .... et eius iudices et milites quod ipse dominus potestas iudices et milites ipsius teneantur et debeant precisse et uinculo iuramenti et sub pena librarum quinquaginta astensium sui salarii ponere confines inter illos de Rosso ex una parte et illos de hospicio illorum de Castello ex alia parte tam stantes in Cherio et poderio quam extra infra octo dies proximos subsequentes postquam inde dictus dominus potestas fuerit requisitus per aliquam dictarum partium in hunc modum uidelicet
c quod ipsi de Rosso possint ire ad libitum uoluntatis extra circas Cherii per fines quoscumque die lune die martis et die mercurii cuiuslibet edomade et ipsi de Castello possint ire ad eorum uoluntatem extra circas Cherii per fines quoscumque die iouis die ueneris et die sabati cuiuslibet etdomade diem uero dominicam extra circas Cherii per ipsum dominum potestatem diuidatur prout ei uidebitur pro meliori et quod dictus dominus potestas eius iudices et milites teneantur et debeant uinculo iuramenti sub pena predicta inter dictas partes ponere confines infra locum Cherium prout eisdem domino potestati iudicibus et militibus eius uidebitur fore conueniens atque iustum. Item quod ipse dominus potestas et quilibet alius qui pro tempore fuerit
d potestas in comuni Cherii et eius iudices et milites teneantur et debeant uinculo iuramenti et sub predicta pena dare et ponere treguas et firmare inter omnes et singulos habentes discordias seu guerras in Cherio et in posse Cherii et specialiter inter illos de hospicio illorum de Castello siue stent in Cherio siue non ex una parte et illos de Rosso et Matheum Pometum ex alia et exigere bonam et ydoneam fideiussionem a qualibet parte de predictis treguis tenendis et obseruandis et de offensionibus non dandis et ipsas partes cogere ad predicta facienda per penas et banna que continentur in capitulis comunis Cherii et inde facere fieri publica instrumenta et hoc fiat infra quindecim dies subsequentes postquam inde fuerit requisitus dictus

dominus potestas et iudices et milites eius per aliquam partem habentem discordiam eo saluo quod ipse non teneatur facere fieri securitatem percusso de non offendendo percussore nec percussori de non offendendo percussum. Quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat in omnibus capitulo aliquo non obstante maxime capitulo comunis Cherii in quo continetur quod percussor non sit in treguis cum agnatis percussi que uerba sint cassa et uana in quantum ad predicta ita quod percussor et agnati percussi esse debeant in treguis non obstante dicto capitulo nec aliquo alio facto uel facturo.

Quod capitulum lectum et publicatum fuit in pleno et generali consilio dicte societatis per me Petrum Gualdonum notarium dicte societatis in anno Domini M CCCXXV indictione VIII die primo mensis augusti.

Capitula illorum de Villa.

In nomine Domini amen. Currente anno natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo uicessimo tercio indicione sexta.

Infrascripta sunt capitula siue ordinamenta facta per capitulatores datos et concessos illis de Villa de Chario a generali consilio societatis sancti Georgii quibus capitulatoribus data et concessa ac atributa fuit plena baylia et auctoritas a dicto consilio capitulandi et ordinandi in fauorem predictorum occaxione percussionum factarum in persona Iacomoni de Villa et eius fratris Henrici per Iacomonum et Thomazonum fratres filios condam Belengerii de Gerbo et occaxione discordie uertentis inter ipsos ex una parte et dictos de Villa ex alia.

In primis statutum et ordinatum fuit per ipsos capitulatores quod si contingeret quod Iacomonus de Villa et eius frater Henricus uel aliquis eorum uel aliquis alius illorum de Villa uel aliquis alius pro ipsis uel altero ipsorum facerent uindictam uel fieri facerent uel in ea facienda darent seu prestarent consilium auxilium et iuuamen quoquo modo de percussionibus et uulnerationibus factis in personis predictorum Iacomoni et Henrici de Villa in personis predictorum Iacomoni et Thomazoni de Gerbo uel alicuius eorum quod societas sancti Georgii et rector seu rectores ipsius qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint et homines ipsius societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub penis infrascriptis extrahere et extrahi facere et penitus conseruare propriis sumptibus et expensis ipsius societatis indempnes predictos Iacomonum et Henricum de Villa et alios de eorum agnatione de Villa et quoscumque alios qui pro eis dictam vindictam facerent seu ad eam faciendam darent seu prestarent auxilium consilium seu fauorem et quemlibet ipsorum

a quoquo modo tam in securitatibus pro predictis dandis et prestandis quam in penis persoluendis coram curia Cheriensi seu qualibet alia iurisdictione comunis Cherii et ad ipsam uindictam faciendam predicti rectores et homines ipsius societatis teneantur precisse eisdem de Villa dare consilium auxilium uel iuuamen omnibus modis quibus placuerit dictis de Villa et ipsa uindicta facta ipsa societas teneatur et debeat preparare eisdem de Villa tot homines ipsius societatis quot uoluerint cum quibus possint ire et reddire et stare securi cum armis ad uoluntatem ipsorum de Villa et quod aliquis societatis predicte non debeat predictis Iacomono et Thomazono fratribus de Gerbo de cetero dare uel prestare aliquod auxilium consilium uel iuuamen
b contra predictos de Villa nec etiam reductum uel conductum nec etiam ire uel reddire cum eis nec eos asociare cum armis uel sine armis sub pena et banno librarum uiginti quinque pro quolibet et qualibet uice. Hoc etiam expresse ordinato et statuto quod si contingeret quod aliquis de dicta societate esset cum predictis Thomayno et Iacomono de Gerbo uel aliquo ipsorum ad faciendum aliquod asaltum iniuriam uel percussionem cum armis uel sine armis in personas dictorum de Villa uel alicuius eorum persoluat pro pena et banno dicte societati libras uiginti quinque astenses pro quolibet et qualibet uice et nichilominus incontinenti expellatur de dicta societate et de cartis et libris ipsius abradatur ultra alias penas contentas in capitulis
c ipsius societatis et si aliqua persona cuiuscumque condicionis sit siue sit dicte societatis uel non redduceret in aliqua domo in Chario uel posse dictos Iacomonum uel Thomazonum uel aliquem alium qui esset cum eis ad faciendum asaltum uel percussionem aliquam in ipsos de Villa uel aliquem ipsorum post factum dictum asaltum uel percussionem procedatur et procedi debeat contra ipsam personam et res suas ad uoluntatem dictorum de Villa siue maioris partis ipsorum per ipsam societatem rectores et homines ipsius.

Item quod si contingeret quod absit quod predicti fratres de Gerbo uel aliquis ipsorum facerent de cetero aliquod asaltum seu percussionem uel
d fieri facerent in aliquem predictorum de Villa extra posse Charii et ipsi de Villa uel aliquis ipsorum in dicto asaltu se deffenderet uel percussionem aliquam faceret quod societas predicta teneatur illum uel illos de Villa qui predicta facerent indempnes extrahere et penitus conseruare in omnibus.

Item quod omnia et singula capitula facta siue scripta in libro capitulorum dicte societatis in generali siue speciali in fauorem illorum qui habent discordiam uolencium se uendicare et quibus esset facta iniuria uel percussio intelligantur facta esse et ordinata in fauorem predictorum de Villa et pro ipsis et contra dictos Iacomonum et Thomaynum de Gerbo et pro eis debeant obseruari et attendi

et pro quolibet ipsorum ac si proprie et expresse a pro eis facta essent per rectores dicte societatis et per homines ipsius cum omnibus penis et bannis in ipsis positis et scriptis.

Que omnia et singula suprascripta sint capitula truncha et precissa et attendi et obseruari debeant cum omnibus hiis que in ipsis scripta sunt sub pena et banno pro quolibet rectore contrafaciente uel ueniente librarum quinquaginta et pro qualibet uice et pro qualibet singulari persona dicte societatis librarum uiginti quinque et qualibet uice et scribantur in libro capitulorum dicte societatis et obseruentur et obseruari debeant semper ad uoluntatem dictorum de Villa et eisdem fiat de predictis publicum instrumentum cui instrumento fides b semper habeatur siue dicta capitula reperirentur scripta in capitulo societatis siue non et quod instrumentum semper obseruetur eisdem cum omnibus que in eis scripta essent.

Thome Mahonerii.

Currente anno Domini millesimo trecentesimo uigessimo tercio indicione sexta. Statutum et ordinatum fuit per Thomam Mahonerium et per capitulatores eidem datos et concessos ex parte dominorum rectorum societatis sancti Georgii et de uoluntate ipsorum rectorum ex ordinacione consilii generalis ipsius societatis quod cum dicatur et publicum sit et notorium quod quidam minatur c grauiter offendere ipsum Thomam Mahonerium uel aliquem filiorum suorum quod si fieret quod absit non esset honor rectorum dicte societatis nec hominum ipsius societatis quod eciam uerum esse asseruit idem Thomas in pleno consilio quod si aliqua persona de Cherio uel forensis siue esset de ipsa societate siue non cuiuscumque condicionis esset de cetero offenderet in persona ipsius uel alicuius filiorum suorum quod uindicta debeat capi uel fieri per rectores qui tunc essent in dicta societate et per ipsam societatem et homines ipsius in personis et contra personas cuiuslibet persone seu personarum quam uel quas idem Thomas uel filii dicerent predictam offensionem eidem fecisse uel alicui filiorum suorum siue in dicta offensione d dedisset uel prestitisset consilium auxilium uel iuuamen palam et priuatim et contra omnes et singulos offendentes et consencientes in predictis offensionibus procedi debeat per ipsos dominos rectores et societatem predictam ad uoluntatem predicti Thomayni et filiorum et cuiuslibet eorum in omnibus de quibus omnibus credetur et credi debeat dicto Thome et filiis et quod etiam rectores qui pro temporibus fuerint in dicta societate teneantur sic facere et complere cum effectu cum domino potestate Cherii quod dictus Thomaynus et filii possint sine pena et banno portare arma per Cherium et aliunde quo uoluerint tam offensionis quam deffensionis ad suam uoluntatem et quod etiam omnia capitula dicte societatis facta et loquencia de uindictis faciendis et de percussionibus uel offensionibus factis uel que fierent hominibus societatis obseruentur et atendentur in omnibus predictis Thomayno et filiis et cuilibet ipsorum per rectores societatis predicte et per ipsam societatem ad uoluntatem semper dicti Thomayni et filiorum et cuiuslibet eorum cum omnibus penis et aliis scriptis in dictis capitulis ipsius societatis et quod capitulum sit trunchum et precissum et attendi et obseruari debeat sub pena et banno pro quolibet rectore contra predicta facienti uel uenienti et pro quolibet alio homine dicte societatis librarum quinquaginta astensium et pro qualibet uice que pena soluta uel non soluta nichilominus presens capitulum remaneat in sua firmitate.

Quod quidem capitulum lectum et aprobatum fuit in pleno et generali consilio societatis sancti Georgii super palacio comunis per campanam et uoces preconum more solito congregato die dominico xxv. mensis septembris.

Iohannis Pugneti.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula facta per capitulatores datos et concessos Iohanni Pugneto et eius filio Perino quibus data et atributa fuit plena potestas ordinandi et capitulandi contra Mayfredum Castagnum et Peronum de Cabiano et contra illos de eorum hospiciis siue domibus parentibus predictorum Maynfredi et Peroni et quoadiuctores eorum a generali consilio societatis sancti Georgii nomine et occaxione percussionis et iniurie facte per eosdem dicto Iohanni Pugneto eundo uersus Sautenam. Qui capitulatores ordinauerunt in fauorem predicti Iohannis et filii et suorum quoadiuctorum ut infra.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret quod dictus Iohannes uel filius uel aliquis alius pro eis facerent uel fieri facerent de cetero aliquam uindictam seu offensionem aliquam in personis predictorum Maynfredi et Peroni uel alicuius ipsorum seu in personis alicuius de eorum agnatione seu parentella quoquo modo et ubicumque quod rectores societatis qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant predictos Iohannem et filium et quemlibet ipsorum et etiam quemlibet alium qui dictam uindictam faceret pro predictis siue esset de dicta societate siue non extrahere et penitus conseruare indepnes de auere proprio societatis et sumptibus et expensis ipsius societatis tam in securitatibus pro predictis qui predicta facerent prestandis coram quocumque rectore quam in penis persoluendis ad uoluntatem predictorum Iohannis et filii et cuiuslibet ipsorum et quod omnia et singula capitula ipsius societatis maxime facta in fauorem illorum de societate qui uindictam facere uellent uel facerent seu ad ipsam faciendam darent uel prestarent consilium auxilium

uel fauorem debeant atendi et obseruari eidem Iohani et filio ad eorum uoluntatem et pro ipsis facta sint et facta inteligantur esse. et si contingeret quod absit quod predicti Maynfredus et Peronus uel aliquis alius de eorum parentella seu quelibet alia persona pro ipsis uel aliquo ipsorum de cetero facerent uel fieri facerent percuxionem aliquam uel iniuriam predictis Iohanni uel filio uel alicui ipsorum in aliquo loco societas et homines et rectores dicte societatis precisse et sine tenore et uinculo iuramenti teneantur et debeant uineas predictorum incidere et incidi facere et eorum bona deguastare et guasta tenere saluis domibus ad uoluntatem semper predictorum Iohannis et filii et contra predictos qui predictam percuxionem seu iniuriam facerent uel fieri facerent procedere debeant et res et bona ipsorum ad uoluntatem semper predictorum Iohannis et filii et de quibus omnibus semper credatur sacramento predictorum Iohannis et filii et cuiuslibet eorum. Hoc addito et ordinato quod Perinus filius dicti Iohannis et ipse Iohannes et eorum securitates de percuxione siue insultu quam uel quem predicti uel aliquis ipsorum fecit in persona Maynfredi Castagni de quibus inculpatur coram curia Cherii extrayantur penitus indempnes et indepna sumptibus et expensis dicte societatis. Que omnia et singula sint capitula truncha et precissa et ponantur et scribantur in capitulo dicte societatis et atendi et obseruari debeant eisdem Iohanni et filio et cuilibet ipsorum per societatem et homines ipsius et per rectores ipsius societatis sub pena et banno librarum uiginti quinque pro quolibet rectore et pro qualibet alia singulari persona librarum x. contrafacienti uel uenienti palam uel priuatim et quod eciam dicto Iohanni et filio inde fiat de predictis publicum instrumentum quod semper dicta societas et rectores qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant eisdem Iohanni et filio integraliter attendere et obseruare etiam si dictum capitulum scriptum in capitulo societatis minime inueniretur cum omnibus que scripta essent in dicto instrumento capitulo aliquo non obstante facto uel facturo.

In nomine Domini amen. Infrascriptum est capitulum factum et compositum per dominum Carlotum de Aschinis capitaneum societatis populi chariensis de conscilio sapientum quos cum eo habere uoluit et in fauorem boni Iohannis de Tondonico et Oddonelli Dorerii in anno currente M. CCCXXVII. indictione X.

In primis statutum et ordinatum est per predictum dominum capitaneum de conscilio et consensu sapientum quod rectores seu rector qui pro tempore fuerint in societate predicta teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub pena librarum quinquaginta astensium pro quolibet ipsorum sic facere et curare cum effectu quod fiat et fieri debeat capitulum in comuni Charii super quo iuret proxime futurus potestas conpleto regimine domini Raynerii de Macadio potestatis comunis Cherii quod condempnatio predictorum Boni Iohannis et Oddonelli uidelicet queddam condempnatio librarum octuaginta astensium facta de dicto Bono Iohanne per dictum dominum Raynerium potestatem occaxione uulneracionis per ipsum Bonum Iohannem facte in persona Guideti de Tondonico et de dicta uulneracione sit facta pax ad peticionem dicti domini capitanei et eciam queddam alia condempnatio Oddonelli Dorerii facta de dicto Oddonello per eundem dominum Raynerium potestatem supradictum de libris CLX. astensibus occaxione uulnerum per dictum Oddonellum illatarum in persona Henrici de Canali siue Bertoni de quibus facta est pax inter ipsos Oddonellum et Henricum infra quindecim dies post introytum sui regiminis predictus dominus potestas teneatur et debeat facere canzellari sine solucione peccunie dictas condempnaciones et quamlibet earum de libris condempnacionum comunis Cherii ita quod amodo in antea nullius sint ualoris et pro canzellatis et anullatis penitus habeantur et hoc uinculo iuramenti domini potestatis predicti et tocius sue curie et sub pena et banno librarum centum sui salarii si dictus dominus potestas aliqualiter foret negligens ad predicta facienda et complenda.

Lectum et publicatum fuit presens capitulum in maiori conscilio dicte societatis in domo comunis anno et indictione supradictis die dominico XXVII. mensis augusti.

Illorum de Valle.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta per capitulatores ellectos per Iacomonum de Valle Iohaninum eius fratrem et Bertolomeum eorum consanguineum ex baylia eis concessa a generali conscilio societatis sancti Georgii siue populi chariensis occaxione rixe et iniuriarum factarum inter Secondonum de Tondonico Nicholinum filium Bertoti de Tondonico et Francexium filium quondam Guigloni de Tondonico qui non sunt de dicta societate ex una parte et dictum Iacomonum de Valle qui est de dicta societate ex altera contra et aduerssus dictos Secondonum Nicholinum Franeexium et quoslibet alios illorum de Tondonico qui non sunt de dicta societate et esse non possunt ex forma capitulorum dicte societatis ut infra continetur.

In primis statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret quod absit quod aliquis ex dictis de Tondonico qui non sunt de dicta societate ut supra insultum facerent in aliquem predictorum de Valle uel aliquorum aliorum ex parentella paronali predictorum de Valle et predicti de Valle uel aliquis ipsorum uel aliquis de eorum parentella pre-

dicta ad eorum deffensionem aliquem seu aliquos a ex dictis de Tondonico qui non sunt de dicta societate percuterent seu uulnerarent uel eisdem uel alicui ipsorum iniuriam inferrent quod rectores populi qui nunc sunt et pro temporibus fuerint in societate predicta et ipsa societas teneantur et debeant uinculo iuramenti et sub pena librarum xxv. pro quolibet ipsorum rectorum illum et illos de Valle qui predicta comiterent indempnes penitus conseruare de auere proprio ipsius societatis tam in penis soluendis et securitatibus prestandis quam in omnibus aliis oportunis in hiis et circha ea faciendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod capitulum scriptum in capitulo societatis sancti Georgii in b carta xxii. sub rubrica de non sociando illum qui manus posuisset in aliquem de societate intelligatur esse factum per illos de Valle et contra dictos de Tondonico.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingerit quod aliquis de dicta societate quod absit faceret aliquam expiam contra illos de Valle uel aliquem ipsorum incurat penam librarum decem pro quolibet et qualibet uice.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia et singula capitula scripta in uolupmine capitulorum dicte societatis loquencia in generali in fauorem hominum dicte societatis quibus fieret offensio uel c iniuria intelligantur et locum habeant specialiter et expresse pro dictis de Valle et contra supradictos de Tondonico.

Que omnia et singula suprascripta sint capitula truncha et precissa et ponantur et scribantur in libro capitulorum dicte societatis et atendi et obseruari debeant per consules et rectores dicte societatis qui pro tempore fuerint in ipsa societate et per uniuersos et singulos homines dicte societatis in omnibus capitulis et articulis. Et si quis rector contra predicta faceret uel diceret uel negligens esset in aliquo incurat penam librarum xxv. astensium pro quolibet et qualibet uice et qualibet alia persona librarum x. astensium pro qualibet uice. d Et si aliqua obscuritas in dictis capitulis esset declaretur et interpretetur arbitrio dictorum Iacomoni Iohanini et Bertholomei et aliorum de Valle cum conscilio semper dominorum rectorum qui pro tempore erunt in ipsa societate et de predictis non possit peti licencia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure.

Lecta et publicata fuerunt supradicta capitula per me Iacobinum Armannum notarium in pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii super palacio comunis ad sonum campane et uoces preconum more solito congregato currente anno Domini millessimo cccxxv. indictione viii. die lune primo mensis aprilis.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula et ordinamenta facta et composita per dominos Guidetum de Canali Matheum de Tagloto Petrum Gualdonum et Oddoninum Guaschum rectores societatis sancti Georgii habentes bayliam capitulandi in ipsa societate cum illis sapientibus quos habere uoluerunt et per ipsos sapientes sicut in reformatione conscilii continetur et de quibus capitulis fuerunt in concordia maior pars ipsorum prout infra continetur.

Quorum nomina sapientum sunt hec.
Dominus Milo de Pascuerio
Dominus Maynfredus Valeys
Dominus Umbertus Gribaudus
Dominus Conradinus de Marcadillo
Dominus Thomas Mahonerius
Dominus Luciotus Merlo
Dominus Thomaynus Tana
Dominus Iacomotus Speluca
Dominus Mucius Faber
Dominus Guido Capra
Dominus Bartolomeus Capaster.

De circhis infortiandis.

In primis statuerunt et ordinauerunt per supradictos quod fiat capitulum et fieri debeat in primis capitulatoribus qui elligentur per comune Charii siue in primis capitulis que fient in ipso comuni quod quilibet potestas qui de cetero ueniet et erit in regimine comunis Cherii teneatur et debeat precisse et uinculo iuramenti poni facere omni anno ad inforciandas circhas et terram siue locum Cherii unum madonum pro libra circum circa ipsas circhas ubi et locis quibus uidebitur sapientibus dando et preparando expensis comunis madonos et calcinam et sablonum et illi qui habent domos uel ayralia seu sedimina in locis in quibus designabitur fieri murum teneantur et debeant facere uel fieri facere dictum murum et dictos madonos calcinam et sablonum ponere in opere ad faciendum dictum murum tantum altum longum et profundum quantum uidebitur sapientibus eorum propriis sumptibus et expensis et quod primo incipiatur aput pontem Paxani et fiat usque ad aliud murum factum tempore regiminis domini Merlonis de Plozasco tunc potestatis Cherii. Quod capitulum sit trunchum et precissum et atendi et obseruari debeat cum effectu per ipsum dominum potestatem et rectores populi et per ipsum comune sub pena librarum quinquaginta astensium pro quolibet potestate et pro qualibet alia persona librarum xxv. que contra predicta faceret uel ueniret nec de eo possit peti licencia nec dari et data non ualeat ipso iure.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet qui intrauerit in societate sancti Georgii teneatur et debeat soluere denarios xii. nunciis societatis

predicte silicet Bertoto Barberio et Testeblonde an- a tequam scribantur in carta dicte societatis.

Quod nullus sit procurator contra comune.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit esse procurator actor uel sindicus alicuius castellani tocius iurisditionis comunis Cherii quantum est uel esset occaxione dominii et iurisditionis alicuius castri iurisditionis Cherii cuius esset dictum castrum in toto uel in parte et si quis procurator actor seu sindicus reperiretur hactenus factum fuisse qui tangeret seu tangere posset ad predicta uel aliquod predictorum sit cassum et ipso uti non possit sub pena et banno librarum xxv. de quibus rectores populi qui erunt in regimine po- b puli teneantur et debeant facere fieri capitulum in primis capitulatoribus qui elligentur pro comuni Carii in comuni Carii sicut melius et utilius tunc fieri poterit et dictari per sapientes nisi hoc fuerit de uoluntate conscilii maioris comunis Cherii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod rectores populi teneantur et debeant in primis capitulatoribus qui elligentur pro comuni sic facere et curare cum effectu quod finis capituli quod est sub rubrica de congregationibus ministeriorum non faciendis que finis incipit « et si quis faceret etc. » cassetur et sit cassa ab illo uerbo usque ad finem.

Illorum de Rosso. c

Item statuerunt et ordinauerunt ad requisitionem Iacobini de Rosso et ad honorem et utilitatem illorum de hospicio de Rosso propter hoc quod fecerunt uindictam de percuxione facta in personam dicti Iacobini de Rosso quod Berardotus de Rosso Anthonius Franceschinus et Iohaninus eius filii Thomas de Rosso Henricus filius quondam Facini de Rosso et Thomas filius quondam Guillelmoti et omnes alii de hospicio illorum de Rosso ipsi et quilibet ipsorum sint et esse debeant societatis sancti Georgii de cetero et quod rectores qui pro tempore fuerint in ea teneantur et debeant ipsos et quemlibet predictorum deffendere manutenere iuuare et tractare et habere sicut alios ho- d mines dicte societatis et eos scribi et poni facere in instrumento ipsius societatis quo scribuntur alii homines dicte societatis. Quod capitulum sit trunchum et precissum et atendi et obseruari debeat capitulo aliquo facto uel facturo non obstante et si aliquis contra predicta faceret uel ueniret incurrat penam librarum xxv. pro quolibet et qualibet uice et de quo capitulo fiat eisdem de Rosso per me Iacobinum Armanum notarium publicum instrumentum quod instrumentum eisdem de Rosso in omnibus obseruari debeat et atendi per rectores qui pro temporibus fuerint et per ipsam societatem et homines ipsius soluentes dicti de Rosso dicte societati talleam secundum formam capitulorum dicte societatis quocienscumque fieret talleam in ipsa societate ad libram grossam et quod rectores predicte societatis teneantur conscilium ad peticionem dicti Iacobini celebrare ad faciendum iurare predictos de Rosso.

De capitulatoribus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod alicui persone non possit dari uel concedi aliquos capitulatores in conscilio dicte societatis nisi cum conscilio rectorum qui pro temporibus essent et quod dicti capitulatores debeant capitulare cum conscilio dominorum rectorum dicte societatis qui tunc essent uel maioris partis ipsorum.

Quod quilibet condempnatus aliqua occaxione soluendo penam non possit puniri.

Item statuerunt et ordinauerunt quod rectores dicte societatis teneantur et debeant ita facere et curare cum effectu quod fiat capitulum in comuni Cherii in primis capitulatoribus sicut melius dictari poterit qui elligentur pro ipso comuni quod si quis condempnatus esset peccunialiter uel criminaliter aliqua occaxione uel de cetero fuerit et perueniret in forciam domini potestatis quod ex quo esset captus uel detentus in forcia ipsius domini potestatis et soluetur condempnacionem pecunialiam cum restitucione dampni de quo fieret mencio in ea infra quindecim dies postquam esset captus quod non possit puniri nec debeat personaliter. Quod capitulum dictetur tunc sicut placuerit sapientibus.

Lecta et publicata fuerunt supradicta capitula in pleno et generali conscilio societatis sancti Georgii super palacio comunis ad sonum campane et uoces preconum more solito congregato per me Iacobinum Armannum notarium currente anno Domini millesimo cccxxv. indictione viii. die lune primo mensis aprilis.

Illorum de Tondonico.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Infrascripta sunt capitula siue ordinamenta facta per Ubertum de Tondonico et Bonum Iohannem de Tondonico pro se se et aliis de eorum hospicio de Tondonico occaxione decimarum finium sancti Lazarii et Moncoyraxii eisdem pertinencium antiquitus et questionum quas eis et illis qui habent possessiones in dictis finibus et eorum decimariis mouent et uidentur mouere indebite et iniuste Canonici ecclesie sancte Marie de Cherio quibus de Tondonico atributa est plena baylia auctoritas et potestas capitulandi et capitula faciendi in dicta societate cum consilio tamen rectorum dicte societatis prout in reformacione consilii dicte societatis continetur.

In primis quidem statuerunt et ordinauerunt a
quod rectores dicte societatis qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et ipsa societas et homines ipsius societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti dare et prestare sumptibus omnibus et expensis dicte societatis unum iudicem siue sapientem et unum sindicum siue procuratorem qui deffendant et adiuuent dictos de Tondonico et alios quoscumque qui habent ad faciendum in dictis eorum decimariis ubicumque fuerit inde questio aliqua siue in Cherio siue extra Cherium et facere omnes expensas dicte questionis siue questionum de proprio auere dicte societatis et dictos de Tondonico in possessione dictarum decimarum uiriliter manutenere et deffendere contra quamlibet personam cu- b
iuscumque condicionis seu status sit uel fuerit.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ipsi domini rectores presentes uel futuri dicte societatis et ipsa societas et consilium et homines dicte societatis teneantur et debeant sub penis inferius denotatis quocienscumque et quandocumque placuerit dictis de Tondonico uel maiori parti ipsorum constituere unum sindicum siue procuratorem siue plures qui conueniant et appellent canonicos dicte ecclesie beate Marie de Cherio siue illos ex ipsis quos uoluerint in curia domini Pape siue domini Archiepiscopi mediolanensis uel alibi ubi eis melius uidebitur pro bono et utilitate dicte societatis et hominum ipsius societatis tam occaxione decima- c
rum predictarum quam occaxione aliarum iniuriarum et grauaminum quas et que quotidie faciunt hominibus dicte societatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret quod absit quod aliqua uerba mouerentur siue aliqua facta uel percussiones fierent inter aliquos ex predictis de Tondonico seu aliquem uel aliquos alios de dicta societate ex una parte et aliquem uel aliquos alios qui non essent de dicta societate cuiuscumque condicionis uel status sint uel fuerint quod societas predicta et rectores et homines ipsius societatis teneantur et debeant ipsos de dicta societate qui dicta uerba uel facta haberent uel facerent indempnes penitus extrahere et d
conseruare ubicumque predicta fierent de auere proprio dicte societatis tam in penis soluendis et securitatibus prestandis quam in aliis que occurrerint facienda et hoc intelligatur si dicta uerba uel facta mouerentur occaxione questionum et iniuriarum atque grauaminum que fierent uel fient per dictos canonicos uel aliquos ex ipsis hominibus dicte societatis contra Deum et iusticiam.

Que omnia et singula suprascripta sint capitula truncha et precissa que attendi et obseruari debeant sub pena et banno librarum quinquaginta astensium pro quolibet rectore et si aliqua persona dicte societatis contra predicta uel aliquod predictorum diceret faceret uel ueniret seu de partita esset in consilio uel extra incurrat penam librarum decem pro quolibet et qualibet uice et de predictis non possit peti licencia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure et si aliqua obscuritas uel dubietas in predictis uel aliquo predictorum esse uideretur interpretetur semper ad declaracionem dictorum de Tondonico siue illius uel illorum de dicta societate qui haberent de predictis aliquam questionem cum consilio tamen dominorum rectorum.

Illorum de Guarnono.

Hoc est capitulum concessum per consilium societatis sancti Georgii et rectores ipsius societatis silicet dominos Peribonum de Villa, Guidetum Ratum Martinum Alamannum et Iohannem de Raueta die mercurii XXVIII. mensis augusti factum in fauorem et iuuamen filiorum Vercellini de Guarnono quondam uidelicet Bertinoni Iacomoni et Guillelmi dicti Neyroni causa percussionis facte in persona Guillelmi de Guarnono dicti Nigri predicti in quadruuio Mahoneriorum per Rebaudinum de Garssia qui non est de dicta societate requirencium quod fiat capitulum quod scripbatur in libro capitulorum dicte societatis continens quod si predicti de Guarnono facerent uindictam uel fieri facerent ab aliquo in persona Rebaudini de Garssia extrahyantur omnes de banno et de pena de auere dicte societatis et expensis ipsius societatis et indempnes. Et si aliquis de societate predicta daret predicto Rebaudino de Garssia auxilium uel iuuamen contra predictos de Guarnono et eorum iuuantes aliquo modo incurrat penam XXV. librarum pro quolibet et qualibet uice et nichilominus expellatur de societate sancti Georgii et reddatur et quod omnia capitula contenta in libro capitulorum societatis sancti Georgii sint in fauore et auxilio supradictorum de Guarnono et eorum iuuancium ut sunt in auxilio et fauore eorum pro quibus facta sunt uel fuerunt. Quod capitulum sit trunchum et precissum et remoueri non possit aliqua racione uel modo et sic ut supra legitur in omnibus et per omnia statutum et ordinatum fuit per capitulatores ipsorum de Guarnono cum consilio dictorum dominorum rectorum et insuper quod aliquis de dicta societate non debeat dictum Rebaudinum asociare nec cum ipso mercandare nec aliquam familiaritatem habere sub pena solidorum XX. astensium pro quolibet et qualibet uice.

Nicholini Candeli.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Infrascripta sunt capitula seu ordinamenta facta per

capitulatores ellectos a parte Nicholini Candelli ocasione percusionis eidem Nicholino facte per Franzonum Baralem contra predictum Franzonum et alios de domo Baraliorum cui Nicholino data fuit baylia et liberum arbitrium a generali conscilio dicte societatis eligendi dictos capitulatores qui posint ipsa capitula facere et ordinare ad liberam uoluntatem cum conscilio dominorum rectorum dicte societatis aliquo capitulo ipsius societatis non obstante. a

In primis statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret quod dictus Nicholinus uel eius filii Fredelicus Thebaudinus et Bertolomeus seu aliquis de eorum agnatione seu parentela aut aliquis alius pro eis seu pro aliquo ipsorum siue esset de societate b sancti Georgii de Cherio siue non facerent uel fieri facerent quoquomodo uindictam de percusione seu uulneracione facta in persona dicti Nicholini per predictum Franzonum contra ipsum Nicholinum Candellum contra ipsum quod dicti domini rectores dicte societatis qui nunc sunt uel qui pro temporibus fuerint in ipsa societate et homines ipsius societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et sub penis inferius denotatis ipsos Nicholinum et alios de domo sua et specialiter dictos filios suos et quemcumque alium seu quoscumque alios qui pro eis siue pro aliquo ipsorum qui dictam uindictam facerent uel fieri facerent ubicumque factura esset siue in Cherio uel poderio siue extra Cherium uel poderium indem- c pnem et indempnes penitus extraere et conseruare de auere proprio dicte societatis tam in penis soluendis ubicumque quam securitatibus prestandis et omnibus aliis que in his et circha ea fuerint oportuna ad uoluntatem dictorum Nicholini et filiorum et aliorum de agnacione sua non obstante aliquo capitulo comunis Cherii siue dicte societatis facto uel facturo generali uel speciali quoquomodo uel forma expressum sit uel ligatum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ipsi domini rectores dicte societatis qui nunc sunt et pro tempore fuerint seu alius rector dicte societatis teneantur et debeant precisse et sine tenore et uinculo iuramenti et penis infrascriptis et indilate quociens- d cumque et quandocumque requysiti fuerint a parte dicti Nicholini et filiorum uel alterius eorum uel alicuius alterius de agnatione sua preparare eisdem seu alteri eorum de hominibus dicte societatis tot quot uoluerint qui uadant cum eis redeant et morentur uel cum aliquo uel aliquibus pro eis ad dictam uindictam faciendam et quod etiam ipse Nicholinus et filii et alii de agnacione sua et quadiutores eorum possint eorum auctoritate requyrere quoscumque uoluerint de hominibus dicte societatis qui uadant et morentur cum eis ad dictam uindictam faciendam ad uoluntatem ipsorum et si aliquis cui iniunctum seu preceptum esset ex parte dictorum dominorum rectorum presencium et futurorum uel qui requisitus esset a parte dicti Nicholini et filiorum uel alicuius alterius de agnatione sua uel quoadiutorum ipsorum recussaret facere in his precepta dictorum rectorum presencium et futurorum incurat penam solidorum centum astensium pro quolibet et qualibet uice.

Item statuerunt quod omnia et singula capitula et ordinamenta facta in dicta societate et scripta in uolumine dicte societatis in generali in fauorem ipsius societatis quibus esset facta percusio uel iniuria uindicancium uel uolencium se uindicare et contra illos qui hominibus dicte societatis iniuriam seu percusionem facerent locum habeat specialiter et expresse pro ipso Nicholino et filiis et aliis de agnacione ipsorum et quoscumque alios qui eis uel altero ipsorum dictam uindictam facerent et contra predictum Franzonum ita quod pro eis et quolibet ipsorum facta esse intelligatur specialiter et expresse et ultra si contingeret quod in dicta uindicta facienda seu circha eam uel aliquod ex his aliqua percuxio seu iniuria fieret dicto Nicholino et filiis uel alicui alteri de agnacione sua uel alii qui pro eis dictam uindictam faceret uel uellet facere quod ipsi domini rectores dicte societatis qui nunc sunt et pro temporibus fuerint teneantur et debeant precisse ut supra accedere ad domos seu domum offendencium ipsos seu alterum ipsorum et diruere seu diruy facere ipsorum domos et uineas usque in fondamentum ipsasque etiam domos et uineas deteriastare non obstante capitulo dicte societatis loquente in contrario facto uel facturo dum predicti qui comiterent predicta non essent de dicta societate.

Que omnia et singula sint capitula truncha et precissa in societate predicta et atendi et obseruari debeant per ipsos dominos rectores presentes et futuros et quoscumque alios capitaneos et rectores dicte societatis et si aliquis ipsorum uel aliqua alia persona ipsius societatis contra predicta uel aliquod predictorum faceret uel diceret seu facere uel dicere attemptaret uel negligens seu remissus esset in aliquo incurat penam ipse rector seu capitaneus uel rectores qui nunc sunt uel qui pro tempore fuerint et quilibet eorundem librarum L. astensium et quilibet alius dicte societatis librarum XXV. astensium pro quolibet et qualibet uice de quibus uero capitulis in aliquo non possit peti licencia nec dari et data uel petita non ualeat ipso iure nisi fuerit de uoluntate dicti Nicholini et filiorum et aliorum de agnacione sua et cuiuslibet ipsorum et quod de espensis factis circa uindictam faciendam et de illis qui pro ipso Nicholino et filiis et aliis de agnacione sua dictam uindictam facerent et etiam de requisicione facienda de omnibus dicte societatis ad dictam uindictam faciendam et de quolibet ex his dependentibus credatur ipsi Nicholino et filiis et aliis de agnatione eorum proprio eorum iuramento seu alterius eo-

rum sine qualibet alia probacione ita quod dictum ipsorum et cuiuslibet ipsorum pro legiptima probacione habeatur.

Currente anno Domini MCCCXXVI. indictione VIIII. die sabati XV. mensis marcii publicata sunt suprascripta capitula in maiori conscilio dicte societatis *a* per me Bartolomeum Capastrum notarium et nunc curie ipsius societatis scribamque et in hoc uolumine capitulorum iam dicte societatis de precepto dominorum Henrici Buzi Anthoni de Marcadillo Iacobi de Gerbo et Thome Tane nunc rectorum ipsius societatis ad requysicionem dictorum de Candelis sic scripssi.

FINIS STATVTORVM CHERII.

STATVTA

COMMVNIS CASALIS

ALOISIVS CIBRARIVS
LECTORI S.

Qui de domesticis rebus multis abhinc annis scripserunt aiunt Luitprandum barbarum Italiae regem primum Casalis fundamenta jecisse prope sacellum divo Evasio Benevantano sacrum ut ipse novam urbem tuendam susciperet. Quidquid sit quum caeterae Italiae civitates impetu quodam animi potiusquam cogitatione ad libertatem ferebantur Casalis S. Evasii propriis legibus vixit. At indoles loci et levis habitatorum numerus impedimento fuere quominus alieno imperio diu careret. Namque ad Padi traiectum posita in magna discrimina deducta est, aliquando ne prohiberet, saepius quod non prohibuisset transeuntibus aditum. Primum ex imperatorum decreto Vercellensium episcoporum iurisdictioni paruit. Saeculo XIII Vercellensi municipio fidelitatem exhibuit. Partium etiam studiis dilacerata unde celebres Canium et Grassorum irae. Demum anno 1303 summam rerum marchionibus Montisferrati detulit quorum precibus dein a Sixto IV anno 1474 episcopali cathedra est exornata.

Vrbs, provinciae caput, olim armis nunc opibus potens, aedium tum sacrarum, tum privatarum magnificentia insignis longiorem sermonem non expostulat. Eius statuta nunc primum ex autographo in lucem prodita libenter accipe, lector amice, et vale. Dabam Augustae Taurinorum III idus februarii anno a p. Virg. MDCCCXXXVI.

STATVTA

COMMVNIS CASALIS

E codice membranaceo saeculi XIV extat in tabulario civitatis Casalis.

Hec sunt statuta et ordinamenta comunis Cassalis facta et compilata tempore et sub felici regimine dominationis illustris principis ac magnifici et excelentissimi domini domini Galeaz uicecomitis domini . . . . imperialis uicarii generalis.

De sacramento potestatis rubrica.

Ad laudem gloriam et honorem omnipotentis Dei et beatissime Virginis matris eius, necnon et sanctissimi Euasii martiris gloriosi atque pontificis et b totius curie celestis burgi Cassalis patroni dignissimi. Ego potestas iuro ad sancta Dei euangelia corporaliter tacta bona fide remoto odio amore et speciali lucro et dampno mei et alterius quod regam comune et homines Cassallis comuniter et equaliter et eos deffendam et manutenebo iuxta posse et possessiones res et homines comunis et hominum Cassallis et Paciliani (in burgo Cassallis habitantium) et omnes personas que habitare uenerint et iurauerint habitaculum Cassallis cum consensu et uoluntate totius conscilii generalis uel maioris partis comunis Cassallis et eos eorum bona et res manutenebo deffendam et gubernabo secundum statuta comunis Cassallis defficientibus statutis secundum iura romana legibus romanis defficientibus secun- c dum bonas consuetudines diu obtentas et longo tempore in Cassalli et omnia statuta et ordinamenta comunis Cassallis attendam et obseruabo sine ali- a quo extrinseco intelectu secundum quod littera sonat et secundum quod scripta sunt et saluare deffendere et manutenere iura orphanorum et uiduarum et iura sancti Euasii et domus laborerii et ceterarum ecclesiarum hospitalium et religiosorum in Cassalli uel eius districtu existentium remota omni exceptione precisse que dici uel excogitari possit ullo modo.

Quod rector Casalis uel eius familia expensis comunis Cassalis non possit equitare.

Item statutum et ordinatum est quod potestas seu rector comunis Cassallis siue aliquis de eius familia non possit nec debeat ire nec equitare in b aliquam partem expensis comunis Cassallis nec etiam eius periculo et non possit nec debeat petere nec habere restitutionem nec emendam alicuius equi mortui seu magagnati aliqua de causa uel modo que dici uel excogitari possit nisi mortuus uel magagnatus fuerit in batalia uel in strimio siue ad stremittam inimicorum factam per predictum comune. Et si acciderit quod potestas predictus per inimicos comunis Cassallis captus esset in caualchata aliqua pro comuni facta non possit habere nec de ere comunis nisi libras centum pp. (*papienses*). Iudex uero siue miles libras quinquaginta pp. (*papienses*) tantum pro quolibet precisse nec ire seu mittere ad expensas dicti comunis nec expendere nec donare de ere dicti comunis precisse. Et si quis contra predicta arengaret amittat libras decem papienses. Et sit periurus et infamis et ipso iure conscilium suum nullum sit et pro nullo et casso habeatur.

Quod potestas seu rector Casalis non possit per- noctare extra Casalem nisi per unam uicem toto tempore sui regiminis. a

Item statutum est quod potestas seu rector iudex et miles nec aliquis ipsorum possit nec debeat stare nec pernoctare extra terram Cassallis toto tempore regiminis ipsorum nisi per unam uicem tantum et non plus scilicet pro predicta uice per dies decem accipiendo dictos dies decem sicut placuerit dicto potestati seu uicario et hoc de uoluntate totius credentie uel maioris partis precisse et si contrafecerit soluat et soluere teneatur dictus potestas de suo sallario clau. (*clauario*) dicti comunis pro qualibet die et qualibet uice solidos sexaginta pp. (*papienses*) quos solidos sexaginta pp. (*papienses*) b teneatur clauarius ponere in introitu comunis. Et quod contra dictum capitulum potestas siue rector seu iudex uel miles non possint ponere nec poni facere ad conscilium per se nec per alium nec submissam personam habendi licenciam ultra id quod in hoc capitulo continetur precisse sub pena predicta et sub uinculo iuramenti precisse.

De dono non recipiendo per potestatem uel iudicem uel militem et de non comedendo cum ipso.

Item statutum est quod potestas Cassallis nec eius iudex nec miles nec aliqua alia persona pro ipsis, nec nomine ipsorum nec eorum occasione uel alicuius ipsorum non possit nec debeat petere a comuni Cassallis aliquid aliud nisi id quod concessum c est eis pro suo sallario nec aliquod donum seruitium carigium nec aliquid recipere nec habere in comuni Cassallis nec ab aliqua alia speciali persona que sit de iurisdictione et districtu Cassallis nisi suum salarium. Et si conscilium fecerit uel habuerit aut petierit uel contra predicta seu aliquod predictorum uenerit ipsi potestas uel iudex aut miles uel alius pro eis seu pro aliquo predictorum seu fieri uel arengari uel consulere permiserit per aliquem publicum uel priuatum quod potestas teneatur dimittere pro qualibet uice de suo sallario comuni Cassalis libras quinquaginta pp. (*papienses*). Et nichilominus restituat totum id quod recepisset ipse potestas uel aliquis de eius d familia incontinenti illi persone a qua recepisset siue dicto comuni. Et aliquis homo de Cassali non possit arengare predicta dare eidem potestati siue iudici uel militi uel alicui alteri persone pro eis. Et si quis contrafecerit solvat pro banno libras uigintiquinque pp. (*papienses*). Et quod quilibet homo de Cassalli possit pettere illam penam tamquam si predictos denarios ei mutuo dedisset. Et si aliquis homo uel persona de Cassalli dare deberet tam cum carta quam sine carta illi qui arengaret predicta ipso iure non teneatur ei dare nec soluere aliquod debitum nec aliquid aliud quod ei deberet quoquomodo et ultra predicta sit infamis. Et quod non possit dari nec recipi in testimonium pro aliquo et in quolibet mense debeat legi super pillam comunis ipsum esse falsarium. Illud iddem obseruetur in quolibet de conscilio qui esset de partito dicti arengatoris et solutis predictis penis totum presens capitulum et quod in ipso continetur ratum et firmum omnino perseueret. Quod capitulum legi debeat in conscilio generali comunis Cassallis quolibet mense quando ratio clauarii legitur per aliquem ex notariis dicti comunis.

Quod potestas nullum arbitrium possit habere nec absolutionem de aliquo capitulo statutorum petere nec habere.

Item statutum et ordinatum est quod potestas Cassallis nec iudex uel miles non possit nec debeat pettere arbitrium aliquod nec habere aliquam absolutionem nec pettere de aliquo capitulo statutorum comunis Cassallis et si contrafecerit soluat de suo sallario libras uigintiquinque papienses pro qualibet uice. Et si aliquis arengaret in conscilio uel ad ipsum partitum fuerit aliquis de consciliariis seu de partito dicti arengatoris quod potestas haberet predicta seu aliquod predictorum soluat pro banno pro qualibet uice solidos centum papienses et ultra predicta sit infamis et periurus. Et si potestas diceret uel opponeret se non iurasse sicut in statutis precedentibus et sequentibus amittat pro qualibet uice qua diceret uel opponeret se non iurasse libras uigintiquinque papienses de suo sallario precisse.

Quod potestas uenturus teneatur excuttere prosequi et finire banna et condempnationes facta per potestatem precedentem contra terrerios et habitatores Cassalis.

Item statutum est quod potestas uenturus teneatur uinculo iuramenti excutere omnia banna et condempnationes factas et facta per potestatem precedentem quemadmodum si tempore sui regiminis dicta banna facta fuissent et hoc intelligatur de bannis et condempnationibus factis per ipsum potestatem precedentem contra terrerios et habitatores Cassallis. Banna autem et condempnationes facta per dictum potestatem precedentem contra foresterios remaneant in dispositione proconsulum comunis.

Quod nullus rector comunis Cassallis uel de eius familia interesse possit ad emendandum aliquod statutum comunis Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod aliquis rector comunis Cassallis nec aliquis de eorum familia possint interesse nec presentes esse ad faciendum uel ad emendandum aliquod statutum comunis Cassallis modo aliquo uel causa que dici uel excogitari possit precisse.

Quod potestas Cassallis iudex et milites teneantur a *et debeant stare et permanere in Cassalli post exitum sui regiminis per dies quatuor ad sindicatum.*

Item statutum et ordinatum est quod potestas Cassallis et eius iudex necnon et milites teneantur et debeant stare et permanere in Cassalli post exitum eorum regiminis per dies quatuor ad rationem faciendam cuilibet homini et persone qui de ipsis uel aliquo ipsorum facere uellent querimoniam et ad soluendum debita que soluere et dare deberent in Cassalli et ad restituendum omnia alia que ipsi uel aliquis ipsorum seu de familia sua habuerit a comuni uel ab aliqua singulari persona ultra id quod concessum est ipsi potestati seu rectori b comunis. Et ob hanc causam consules comunis Cassallis et proconsules dicti comunis teneantur et debeant deponi facere libras centum papienses de sallario dicti rectoris et teneri in deposito penes clauarium comunis donec completus sit sindicatus ut in capitulo continetur uinculo sacramenti et sub pena solidorum uiginti papiensium pro quolibet predictorum officialium. Ita quod potestas non possit nec eius iudex uel milites pettere nec habere parabulam nec conscilium inde facere uel habere quod haberet licentiam de predictis quatuor diebus. Et si quis contra predicta arengaret soluat comuni Cassaliis solidos sexaginta papienses quod bannum nouus potestas teneatur precisse excuttere. Et quod ius in aliqua causa sibi non fiat nec reddatur per c totum dictum tempus de quibus penis et bannis non possit appellari nec peti sapiens nec dici nulla. Et dictus rector sequens teneatur et debeat excutere predicta habendo terciam partem. Et si contingeret predicta non posse diffiniri infra predictos dies quatuor quod ipsi potestas iudex et milites teneantur dare bonam securitatem de iuditio parere et iudicato soluendo in Cassalli. Ita quod si prima die et sequenti et tertia et quarta post exitum eorum regiminis non appareret qui faceret querimoniam de ipsis uel aliquo predictorum quod possint ire ad domum suam ad eorum liberam uoluntatem.

De sindicatoribus potestatis iudicis et militum et eius familie. d

Item statutum est quod si aliqua priuata persona seu comune Cassallis uoluerit mouere seu mouerit aliquam litem uel actionem uel interdictum uel aliquod aliud ius intenderit habere contra potestatem iudicem militem uel eius familiam tempore sindicatus ipsius contra ipsos seu aliquem de sua familia quod sindici proconsulles dicti comunis Cassallis eligendi per conscilium generale seu maiorem partem ipsius conscilii audiant predictam causam actionem uel interdictum et quodlibet aliud ius et predicti sindici proconsulles examinent dictam causam secundum statuta comunis Cassallis precisse et mandando predicta executioni in denariis numeratis infra octo dies sindicatus precisse et summarie tantum. Et si dicti sindici proconsulles hoc pretermiserint amittant libras uigintiquinque pp. (*papienses*) ultra ea que continentur in precedenti statuto de quibus dicti sindici proconsulles teneantur precisse cognouisse et executioni mandasse infra dictum tempus et nullomodo possint absolui. Ita et taliter quod potestas iudex et miles et quilibet ipsorum possit conueniri de toto et omni eo quod peruenisset in comune Cassallis contra ius uel factum fuisset alicui persone per aliquem predictorum rectorum uel de sua familia quemadmodum si peruenisset totum illud in eorum utilitatem uel alicuius ipsorum seu familie sue. Et si quis uoluerit conqueri de predictis rectoribus uel aliquo predictorum uel de eius familia dicendo quod ipsi seu aliquis ipsorum uel de familia sua aliquid habuissent uel cepissent in fraudem eorum offitii uel alia persona contra ius quod adhibeatur fides conquerenti si predicta poterit probare cum duobus testibus qui deponant sumarie obmissis questionibus atque omnibus contrariis et omnibus aliis solempnitatibus iuris de quibus dicti rectores nullomodo uel causa habere possint nec pettere absolutionem nec absolui. Et si potestas nouus seu eius iudex uel milites hoc posuerint ad conscilium uel consentirent quod predicti uel aliquis ipsorum rectorum absoluentur uel ipsos absoluerint amittant libras uigintiquinque pp. precisse et soluat comuni Cassallis scilicet clauario precisse.

De sindicis per proconsulles elligendis.

Item statutum et ordinatum est quod proconsulles comunis Cassallis infra tertiam diem post introytum proconsulatus eorum teneantur et debeant elligere de comuni concordia ipsorum duos sindicos qui debeant inquirere et deffendere iura comunis et sindicare rectorem comunis et eius familiam et omnes offitiales comunis simul cum consullibus populi et militum insimul et separatim. Et quod debeant uinculo iuramenti dictam sindicationem facere preconizari et si quis habuerit aliquid de ere comunis et inuenerint quod illud faciant restitui comuni Cassallis seu illi persone a qua habuisset et quod aliquis non condempnetur de aliqua restitutione facienda nisi quod potestas costringat predictam restitutionem fieri clauario comunis Cassallis sumarie seu illi persone uel personis a quibus habuisset eo saluo quod ille qui debuerit restituere comuni et si debuerit aliquid habere a comuni quod illud possit compensare et predicti sindici debeant habere pro suo sallario tantum solidos uiginti papienses pro quolibet. Et quod dicti sindici sint ad offitium appellationum communis Cassallis per comune ad deffendendum et manutenendum iura comunis et condempnationes factas per rectores dicti comunis.

De condempnationibus omnibus per statuta non determinatis fiendis cum conscilio et consensu procuratorum comunis.

Item statutum et ordinatum est quod potestas teneatur et debeat facere omnes condempnationes que non sunt determinate per statutum et quas fecerit ex offitio suo cum conscilio et uoluntate procuratorum comunis Cassallis uel maioris partis ipsorum et si contrafaceret uel ueniret ipso iure ipse condempnationes sint casse et irrite et nullius ualoris et pro cassis et irritis habeantur qui procuratores elligantur et elligi debeant in conscilio generali comunis Cassallis quatuor ad breue quando alii officiales elligguntur et duret eorum offitium per sex menses tantum qui omnes quatuor procuratores debeant esse presentes ad faciendum dictas condempnationes insimul cum domino potestate uel eius iudice. Et si sine presentia dictorum quatuor et absque consensu et uoluntate ipsorum procuratorum uel maioris partis ipsorum aliqua condempnatio facta fuerit per potestatem uel eius uicarium que non sit terminata per statutum ipso iure ipsa condempnatio sit cassa irrita et pro nulla habeatur. qui procuratores habeant et habere debeant de auere comunis Cassallis solidos uiginti papienses pro quolibet ipsorum pro sex mensibus.

De offitialibus et rectore elligendis.

Item iuro quod per unum mensem antequam exeam de meo regimine elligam uel elligi faciam omnes officiales comunis Cassallis exceptis sindicis comunis et campariis et exceptis limitatis per statuta comunis ad breue secundum quod uidebitur conscilio dicti comunis uel maiori parti. Et quod ille qui habuerit breue teneatur et debeat elligere illum quem uoluerit ad dictum offitium in ipso conscilio et antequam uicarius recedat de ipso conscilio et si contrafactum fuerit non ualeat dicta ellectio sed redeat ad dictum conscilium. Et quod aliquis non possit elligere se ipsum ad aliquod officium comunis et si se ellegerit non ualeat electio sed alium elligere teneatur modo quo supra. Saluo quod si aliquis ellegerit aliquam personam que non possit esse ad dicta officia seu uoluerit quod possit elligere illa die aliam personam quam uoluerit. Et quod attendet et obseruabit omnia statuta et ordinamenta que in libro statutorum et refformationum comunis Cassallis continentur secundum quod scripta sunt et secundum quod littera sonat sine aliquo extrinseco intelectu. Et si aliquis contradiceret uel arengaret seu contrafaceret uel ueniret soluat pro banno et pena comuni Cassallis solidos sexaginta papienses et non fiat nec reddatur sibi ius in aliqua causa ciuilli per totum annum. Et quod capitulum semper legatur totum in conscilio dicti comunis quando offitiales dicti comunis elligentur.

a *Quod potestas et iudex et miles non possint nec debeant aliquam condempnationem excuttere nisi prius facta fuerit in publica concione.*

Item statutum et ordinatum est quod potestas iudex et miles non possint nec debeant excutere condempnationem aliquam seu bannum nisi prius dicta condempnatio et bannum facta uel factum fuerit lecta seu lectum in platea comunis Cassallis et facta in publica concione et scripta in libro comunis. Et si alique condempnationes seu banna essent cassate in libro comunis que non scripte forent in libro et introitu clauarii ipsa cassatura sit nullius ualoris necnon irrita sed banna ipsa et condempnationes potestas integraliter excutere te-
b neatur et de eo toto quod excussum fuerit et remanserit ad excutiendum fiat suma de quolibet per se semper quandocumque ratio clauarii lecta fuerit similiter et de solutis et non solutis sume legantur quolibet mense in conscilio rationis clare. Que omnia et singula potestas et iudex subtiliter teneantur inquirere et rationem facere fieri cum effectu. Et quod potestas habeat libros duos unum de recepto et alium de expensis in quibus scribantur omnia sicut fuerint scripta in libris clauarii ita quod omnes predicti libri sint concordes alioquin uero predicti potestas iudex et miles non possint excutere banna aliqua uel condempnationes nec precipere alicui persone ut soluat aliquod bannum siue condempnationem nisi modo et forma ut supra.
c Et si preceptum inde factum fuerit per predictos scilicet potestatem iudicem seu milites uel per aliquem ipsorum ipso iure predictum preceptum sit nullum et ultra predicta amittat de suo sallario pro qualibet uice solidos centum papienses qua contrafaceret uel ueniret de quo enim capitulo potestas precisse teneatur. Et dictam concionem teneatur facere dictus potestas mane ante tertiam uinculo iuramenti et sub pena et banno solidorum centum papiensium de sallario ipsius potestatis. Et condempnationes aliter facte non ualeant nec teneant sed sint ipso iure nulle.

De impositione pene uel banni solidorum decem papiensium tantum et non plus per rectorem
d *cuilibet de Cassali et ibi habitanti imponende.*

Item statutum est quod potestas siue rector Cassallis non possit precipere seu banna uel bannum imponere cuilibet persone de Cassalli seu habitanti in Cassalli solidos decem papienses tantum pro quolibet die et non plus que pena in comune tota perueniat saluo occasione malleffitiorum uel in malleffitiis criminalibus tantum. Et quod potestas seu rector comunis Cassallis compellere non possit aliquem de Cassalli ut iuret stare mandatis suis nec capere eum seu petere aliquam securitatem ab aliqua persona de Cassalli nisi dixerit ei causam precisse. Et etiam non possit dictus rector aliquod preceptum facere alicui persone ex predictis nisi

unum pro quolibet die tantum et pena non possit excedere sortem et si aliter factum fuerit non ualeat nec teneat ipso iure.

De ratione clauarii facienda.

Item iuro quod faciam fieri rationem quolibet mense scilicet per illos qui ellecti fuerunt ad faciendam rationem cum clauario in fine cuiuslibet mensis de omnibus rebus quas clauarius comunis receperit uel habuerit de mense illo et quod illam rationem legi faciam in conscilio semper in fine cuiuslibet mensis in die penultimo mensis ante kallendas. Eodem quoquomodo de expensis per ipsum clauarium factis similiter. Et quod non compellam clauarium comunis quod accipiat aliquos denarios b mutuo pro comuni sine uoluntate et parabulla conscilii uel maioris partis precisse.

De sacramento iudicis et eius officio.

Ego iuro ad sancta Dei euangelia corporaliter tacta quod bona fide sine fraude remoto odio amore timore et speciali lucro et dampno diligenter audiam omnes causas coram me uel predecessore seu predecessoribus meis uentillatas seu que uentilabuntur tempore mei regiminis pertinentes ad comune Cassallis seu ad quaslibet singulares personas uel aliquam singullarem personam de Cassalli seu que habitet in Cassalli et eas diffiniam et executioni mandabo secundum statuta comunis Cassallis et c ipsis defficientibus secundum ius. Omnia autem alia que in statuto comunis Cassallis continentur attendam et obseruabo et que comissa et precepta fuerint michi per potestatem seu rectorem comunis Cassallis et omnia conscilia a potestate seu rectore siue a comuni Cassallis michi petita dabo bona fide et ea priuata tenebo si michi iniunctum fuerit et preceptum et dabo operam et iuuamen quod potestas se soluet de sacramento suo et quod attendet et obseruabit omnia que in statutis comunis continentur. Et quod non recipiam per me uel meum nuntium nec per aliquam submissam personam aliquod donum uel seruitium a comuni Cassallis nec ab aliqua persona neque de rebus comunis accipiam nec consentiam male modo sed si d sciuero quod aliquis contrafecerit illud manifestabo et in utilitatem comunis restitui faciam iuxta posse. Item quod condempnationes factas per potestatem seu rectorem Cassallis uel eius uicarium uel per me toto tempore mei regiminis contra aliquem de Cassalli uel aliunde a quibus fuerit appellatum deffendam et manutenebo et comune Cassallis manutenebo a principio litis usque ad finem absque eo quod aliquid habeam uel percipiam a comuni Cassallis predicta de causa. Et quod propterea capi non possit aliquis iudex sumptibus dicti comunis. Et quod ueniam omni die ad domum ubi redditur ius seu ad locum ad hoc destinatum uidelicet mane ante tertiam et post nonam ante uesperas nec inde

a recedam sine parabula potestatis preterquam in diebus exceptatis et casibus positis in statutis. Et librum statutorum comunis Cassallis quolibet die ad locum seu ad domum portari faciam ubi ius redditur quandocumque iuero pro iustitia facienda.

Quod milites potestatis non possint accusare aliquem nisi in dampno inuenerint.

Item statutum est quod milites potestatis aliquam personam non possint accusare nisi illam personam inuenerint in dampno et facientes aliquid contra statutum comunis seu refformationes conscilii. Et quod potestas iudex et miles aliquam constringere non possint de sacramento de bonis forensibus nisi per ipsum militem uel camparium in dampno persona ipsa fuerit inuenta.

De libro uno qui dicitur bouis quem proconsules teneantur tenere penes se in quo scribantur debita comunis et iura.

Item statutum est quod proconsules teneantur habere librum unum et penes se tenere qui liber appellatur liber bouis in quo scribantur debita comunis Cassallis que debita potestas solui facere teneatur ad uoluntatem conscilii comunis Cassallis et omnes solutiones factas pro debitis dicti comunis dicto comuni teneatur scribi facere in dicto libro sub uinculo iuramenti et in dicto libro scribantur omnia de quibus est necesse haberi memoria pro utilitate comunis.

Quod potestas Cassallis non possit extrahere aliquam personam de Cassalli extra burgum Cassalis in aliqua andata nisi de consensu generalis conscilii.

Item statutum et ordinatum est quod potestas seu rector Cassalis non possit nec debeat extrahere aliquem hominem de Cassalli nec secum ducere in aliqua andata extra burgum Cassalis aliqua occaxione sine consensu et uoluntate conscilii generalis uel proconsulum uel maioris partis.

Quod potestas non possit precipere alicui quod non coram eo uadat ad domum suam.

Item statutum et ordinatum est quod potestas non possit precipere alicui homini de Cassali quod non uadat ad domum potestatis uel coram eo uel militibus uel quod stet contra uoluntatem suam in aliquo districtu in Cassalli uel extra dummodo ille uel illi cui uel quibus faceret preceptum uoluerit et poterit dare seu dederit securitatem sufficientem quam securitatem potestas recipere teneatur si fuerit in regesto de libra una uel plus nisi esset occasione mallefficii uidelicet ferute uel homicidii uel furti nec precipere alicui persone quod non loquatur ad uoluntatem suam coram ipso. Et si inde

aliquod bannum seu preceptum poneret uel faceret a alicui persone dicta de causa quod ipsa precepta seu banna sint cassa et irrita et nullius ualloris precisse. Ultra quoque hoc dictus rector soluat de sallario suo libras uigintiquinque comuni Cassallis uinculo iuramenti.

Quod nullus in carcerem reductus sit qui securitatem dederit sufficientem uel dare uoluerit et de solutione facienda familie uicarii per illos quos capiunt et ponunt in zepo.

Item statutum et ordinatum est quod potestas iudex uel eius miles non possit nec ponere debeat b nec poni facere aliquem de Cassalli in carceres nec personaliter detinere aliquo modo seu causa que dici uel excogitari possit si ille quem uellet ponere in carceribus posset et uellet dare sufficientem securitatem soluendi totum id propter quod uellet ipsum detinere preter si pecatum tale esset ob quam causam deberet uitam amittere seu membrum uel nisi esset bannitus de malleficio uel nisi esset latro publicus uel prestator ad ludum taxillorum uel luxor. Et si aliquis potestas iudex uel miles uel familia ipsius contrafecerint soluant pro pena et banno comuni Cassallis pro quolibet et pro qualibet uice libras decem papienses de sallario potestatis precisse. Et si ponerent in carceribus aliquem contra predicta non possint ipsi posito uel c detento aliquid aufferre pro custodia nec pro zeppo nec allia occasione sub eadem pena et ultra predicta restituere debeant illud quod acceperint illi a quo acceperint. Et si aliquis positus fuerit in carceribus per predictos uel aliquem predictorum qui posset poni uel detineri non teneatur nec debeat dictus rector uel aliquis de eius familia recipere nec habere a predictis detentis siue sit foresterius siue terrerius nisi soldum unum papiensem inter diem et noctem pro qualibet uice et nocte et non plus sub eadem pena. Quas omnes penas si quam incurrerit dictus rector et familia proconsulles comunis tempore sindicatus teneantur et debeant uinculo iuramenti poni facere in introytu dicti comunis et retinere de salario dicti potestatis d et si aliquis de familia dicti rectoris ceperit personaliter aliquem ad petitionem alicuius de Cassalli uel aliunde non possit nec debeat a predicto ad euius petitionem caperetur capere nec habere nisi soldos duos papienses pro quolibet capto. Et si plus acceperint restituant illud quod plus acceperint ei qui soluerit et ultra amittant pro pena et banno soldos centum papienses pro quolibet et qualibet uice de qua pena fiat prout supra dictum est de aliis penis. Quod capitulum dictus rector teneatur et debeat legi facere omni mense quando ratio clauario legitur in conscilio dicti comunis a principio dicti statuti usque ad finem vinculo iuramenti.

Quod milles et unus ex proconsulibus semper intersint accusationibus campariorum.

Item statutum est quod milles et unus proconsul semper teneantur interesse et presentes esse accussationibus campariorum donec scripte fuerint quolibet die et teneantur scribi facere in libris comunis et non in foliis separatis a libro per unum notarium comunis ad illud officium deputatum et electum precisse.

Quod quilibet de conscilio uenire teneatur ad conscilium.

Item statutum est quod quilibet de conscilio uenire debeat ad conscilium quandocumque pulsatum fuerit si fuerit inter burgum Cassallis sub pena soldorum duorum papiensium et cum ibi fuerit non recedere donec fuerit celebratum sine licentia sub eadem pena. Et quod aliquis de dicto conscilio non debeat arengare nisi super eo quod fuerit propositum sub pena soldorum quinque papiensium et ultra eius conscilium non ualleat.

De conscilio consulibus militum dando.

Item statutum est quod potestas Cassalis dare teneatur conscilium comunis Cassallis publicum et priuatum consulibus et proconsulibus comunis qui pro tempore fuerit totiens et quotiens ei petierint et de eo partita facere quod in conscilio per consciliatores conscilii uel per aliquem ipsorum consciliatum et arengatum fuerit et dicta partita attendere et obseruare dum tamen non sint contra statuta comunis Cassallis. Si autem fecerit contra statuta non ualleat nec teneat et pro nichilo habeatur id quod factum fuerit. Et potestas comunis Cassallis non possit facere conscilium publicum nec priuatum sine uoluntate dictorum consulum aut proconsulum uel maioris partis scilicet duarum partium et si contrafecerit conscilium non ualleat et ultra predicta amittat libras quinquaginta papienses. Et quod potestas non possit condempnare dictos consules nec aliquem ipsorum occaxione alicuius processus facti per ipsos consules uel per maiorem partem ipsorum contra aliquem occaxione eorum offitii sui consulatus.

De notarijs qui adesse debent ubi ius redditur.

Ego iuro ad sancta Dei euangelia tacta corporaliter quod bis ueniam ad domum potestatis in qua quidem ipse habitat et ubi ius redditur scilicet mane et post nonam statim nec inde recedam ante tertiam uel ante uesperas sine parabula potestatis iudicis uel militis nisi in diebus festiuis et aliis casibus exceptatis potestati et nisi potestas iudex et miles recesserint a bancho ubi ius redditur. Et quod faciam et complebo omnia instrumenta mihi pro comuni et nomine comunis uel que ad ipsum

comune pertinent infra unum mensem sine aliquo pagamento. Et quod non accipiam aliquam remunerationem a comuni Cassalis nec ab aliqua alia persona nomine ipsius comunis occaxione mei offitii. Et quod litteras omnes quas comune Cassalis mittet et recipiet ab aliqua persona seu ab uniuersitate scribam et complebo in libro conscíliorum comunis Cassallis ita quod semper inueniri possint si necesse fuerit comuni uel alicui persone de Cassalli sine aliqua remuneratione quas litteras iudex comunis Cassallis teneatur dictare.

De cartis amissis et de cartis per alios imbreuiatis que de iure possint reffici per notarios Cassalis.

Item statutum est quod notarii Cassallis teneantur facere sine refficere cartas amissas que de iure possint fieri precepto potestatis uel eius iudicis prius citatis partibus ad quas dicta instrumenta pertinerent. Et omnia instrumenta eis precepta postquam satisfactum fuerit eis faciant infra quindecim dies si inde fuerint requisiti. Et saluo quod aliquis non possit nec debeat facere siue refficere instrumenta contra uoluntatem aliquorum tabelionum que alias essent facta uel imbreuiata seu precepta nisi de uoluntate conscilii generalis uel maioris partis et de mandato potestatis uel eius iudicis prius citatis partibus ad quas dicta instrumenta pertinerent. Et aliter si factum fuerit uel refactum ipso iure instrumentum illud sit nullius ualoris nec ei adhibeatur fides. Aliqua instrumenta uero nondum facta et imbreuiata per alios notarios possint reffici et in publicam formam reddigi per alium notarium post mortem primi notarii qui ipsa imbreuiasset dummodo habeat licentiam a dicto generali conscilio et sic ualleant et teneant.

Quod aliquis qui sit notarius comunis Cassallis durante eius officio aliquod aliud officium habere non possit nec esse notarius comunis nisi prius ellapsis sex mensibus postquam fuerit . . .

Item statutum est quod aliquis qui sit notarius comunis Cassallis durante eius officio non possit habere aliquod offitium neque in conscilíis publicis nec priuatis arengare nec etiam esse procurator tutor curator seu aduocatus nec pro ipsis aliquo modo placitare pro aliqua persona nec esse notarius populi sub pena et banno solidorum sexaginta papiensium pro quolibet et qualibet uice qui contrafaceret uel ueniret et de officio penitus expellatur. Qui uero erit uel fuerit notarius comunis non possit nec debeat esse notarius dicti comunis nec notariam comunis habere nec ipsam operari per se nec per alium nisi prius transactis sex mensibus post exitum sui offitii notarie sub pena librarum decem papiensium et ab officio expellatur omnino et ille loco cuius operati essent dictum officium amittat solidos centum papienses precisse. Et qui

a. habuerit aliquod officium pro comuni non possit illud iddem officium habere nisi semel in anno.

Quod potestas teneatur inquirere offitiales comunis si fraudem comisserint.

Item statutum est quod potestas uel rector uel iudex teneantur et debeant subtiliter inquirere pluries in anno si aliquis offitialium comunis Cassallis fecerit contra officium suum seu in offitio suo fraudem comiserit. Quod si inuenerit aliquem facientem contra offitium suum siue comittentem seu qui comiserit fraudem in offitio suo quod teneantur et debeant ipsum condempnare in solidis centum papiensibus. Et de periurio in publica con-

b cione et de offitio extra habere precisse.

De iure reddendo unicuique per iudicem seu militem.

Item iuro ego potestas quod rationem et ius reddam et faciam cuilibet persone conquerenti coram meo iudice seu milite per me uel per meum iudicem uel militem causas questiones et querimonias uertentes seu ventillatas coram me uel coram meo iudice uel milite diligenter audiam et examinabo et diffiniam secundum ius et statuta et consuetudines comunis Cassallis et ad domum comunis ueniam sine ad locum destinatum ad ius reddendum bis in die uidelicet mane ante tertiam et post no-

c nam ante uesperas nec uenire obmittam nisi acciderit ut essem impeditus in negotiis comunis uel nisi flobotomatus potionatus aut infirmus fuerim et exceptis infrascriptis diebus solempnibus et festiuis scilicet a sancto Thoma usque ad diem sequentem epifanie exclusiue et in carnelenario et in die precedenti et sequenti et in pascha resurrectionis septem diebus precedentibus et septem sequentibus et in assensione Domini et in pentecostes et in festis beate Marie Virginis et in diebus dominicis et in omnibus festis apostolorum et omnibus aliis festis principallibus ab ecclesia ordinatis et omnibus alliis feriis ratione messium et uendemie ordinatis in quibus feriis messium et uendemie non teneatur reddere ius in ciuillibus nisi in casibus

d concessis per conscilium generale comunis Cassallis et in uigilliis preceptis ab ecclesia et in diebus ueneris et omnibus diebus quadragesime non teneatur uenire ad banchum pro iure reddendo nisi semel in die uidelicet in mane a media tertia usque ad sextam nec etiam teneatur reddere ius ipsi quo laboreria fuerit . . . comune per decenas.

De citationibus et contumacibus.

Item statutum est quod si aliqua persona citata fuerit per seruitores comunis seu per aliquem ipsorum quod ueniat uel uenire debeat coram domino potestate uel eius iudice uel eius milite ad instantiam et postulationem alicuius et non uenerit soluat

pro prima uice pro banno soldum unum papiensem pro secunda soldos duos et pro tertia soldos tres. Hoc itaque facto potestas teneatur si inde requisitus fuerit dare bannum citato qui non uenerit ut supra de soldis quinque papiensibus et detinere debitorem ad uoluntatem creditoris facta prius fide de debito per ipsum creditorem potestati uel iudici per instrumenta uel per duos testes uel per unum testem cum sacramento creditoris donec prestiterit dictus debitor ydoneam cautionem de parendo iuri et iudicato soluendo uel dare possessionem tedialem contra ipsum citatum et contumacem ad uoluntatem creditoris. Et data dicta possessione tediali ille contra quem data fuerit eam possit redimere soluendo expensas creditori per ipsum factas occasione dicte possessionis et processus usque ad duos menses post dictam possessionem datam. Ellapsis uero duobus mensibus dictus potestas siue eius iudex ad petitionem creditoris citato debitore teneatur dare possessionem corporalem dicto creditori ex secundo decreto per mensuram debeat declarare et expensam secundum extimationem factam per extimatorem comunis Cassalis. Et si aliqua persona aliquem fecerit citari coram potestate uel eius iudice seu milite et ipse qui fecerit citare non uenerit et se presentauerit coram predictis rectoribus uel aliquo ipsorum antequam ipsi recedant ipsi recedant rectores a bancho quod soluat duplum ad uoluntatem requisiti seu citati. Si autem aliqua possessio data fuerit contra aliquem contumacem quod potestas teneatur capi facere pro iudicatura denarios tres papienses pro libra ab illo cui data fuerit possessio tediallis. Et si aliquis ostenderit condempnationem potestati uel iudici in qua aliquis condempnatus fuerit per iudicem uel militem ex sua confessione quod dicta condempnatio incontinenti executioni mandetur contra condempnatum detinendo ipsum condempnatum personaliter nisi incontinenti soluerit in pecunia uel in rebus uel bonis suis cesserit saluo quod si condempnatus dixerit se soluisse quod sibi assignetur terminus quinque dierum ad probandam dictam solutionem per duos testes fide dignos cum sacramento condempnati uel per instrumenta. Et dicto termino ellapso si non probauerit dicta condempnatio executioni mandetur ut supra cum restitutione expensarum fienda per ipsum condempnatum.

De libello in scriptis non dando a soldis sexaginta infra.

Item statutum est quod libellus in scriptis non detur in aliqua causa seu questione a sexaginta soldis infra.

De actione seu petitione aliqua non proponenda.

Item statutum est quod actio non proponatur in aliqua petitione seu libello.

a *De iudictiaria seu indicatura post litem contestatam.*

Item iuro quod capiam et capi faciam tantum pro qualibet libra pro parte pro iudicatura soldum unum papiensem post littem contestatam et non ante. Et quod non accipiam iudicaturam de denariis scamzatis a soldis quinque infra. Et saluo quod si debitum fuerit confessatum capi non debeat aliqua indicatura et inteligatur lix contestata si debitum uel petitum negabitur non obstante eo quod non sit scripta uel data in scriptis petitio.

De sacramento calumpnie non fiendo in aliqua causa.

b Item statutum est quod sacramentum calumpnie non fiat in aliqua causa seu questione nisi petitum fuerit a partibus ambabus uel aliqua ipsarum.

De questionibus diffiniendis per rectorem uel per iudicem.

Item iuro quod omnes causas et questiones coram me uertentes uel coram meo iudice diffiniam per me uel per meum iudicem secundum ius uel secundum statuta uel secundum consuetudines comunis Cassallis infra uiginti dies postquam michi fuerit liquidum uel conclusum in causa nisi remanserit de partium uoluntate. Et quod potestas et iudex comunis Cassallis teneatur diffinire causas
c et questiones coram ipsis uertentes seu coram aliquo ipsorum sine eo quod inde capiant consciliaturam aliquam nisi petitus fuerit cognitor a partibus uel aliqua ipsarum partium capiendo tantum consciliaturam ab illa parte que petierit sapientem. Et illud iddem intelligant de omnibus questionibus quas comune Cassallis habuerit cum aliqua singulari persona aliquo capitulo in contrarium loquente non obstante. Quod si non diffiniret ut supra perdat pro qualibet questione libras decem papienses nec possit opponere quod dubitet de questione. Si uero dubitaret habeat conscilium suis expensis. Et quod iudex dicti comunis teneatur et debeat dictare omnes scripturas et cartas pertinentes dicto comuni sine aliquo pagamento.

d *De dillationibus quarumlibet questionum.*

Item statutum est quod dillationes condempnationum factarum ex confessione partis siue cuiuslibet condempnationis que sit a libris decem infra sit in arbitrio potestatis uel eius iudicis a libris decem supra sit et esse debeat dierum decem.

De sententiis executioni mittendis.

Item iuro quod omnes sententias michi hostensas executioni mandabo infra decem dies si a me petitum fuerit nisi aliquid contra sententiam obitiatur et ostendatur propter quod de iure executioni man-

dari non possit quam obiectionem seu exceptiones probare teneatur infra dictum terminum alioquin dicta sententia executioni mandetur.

De condempnatione uicti uictori in expensis.

Item statutum est quod uictus uictori condempnetur in expensis secundum ius.

De iustitia non reddenda alicui de aliquo ludo.

Item quod potestas iudex et miles non teneantur nec debeant de aliquo ludo alicui iustitiam reddere facto contra statuta baratarie.

De aduocato dando cuilibet.

Item statutum est quod cuilibet persone detur aduocatus ille qui petitus fuerit nisi ille aduocatus seu iudex habuerit et ostenderit iustam causam et quod fiant distributores aduocatorum in partes precisse.

Quod alicui forensi aliqua iura nullus de Cassalli cedere possit aduersus comune Cassalis.

Item statutum est quod aliqua persona de Cassalli non possit alicui forensi aliqua iura cedere que habeat aduersus comune Cassallis sub pena librarum decem papiensium et si cesserit ipso iure cessio sit nulla et pro nulla habeatur.

Quod nulla persona cedere possit aliqua sua iura contra uicinum suum de Cassalli uel habitantem in Cassalli alicui forensi.

Item statutum est quod aliqua persona de Cassalli uel que habitet in Cassalli non possit nec debeat cedere alicui forensi aliqua sua iura contra uicinum suum de Cassalli uel qui habitet in Cassalli sub pena et banno librarum decem papiensium et ultra predicta si uicinus inde dampnum aliquod passus fuerit quod ille qui forensi iura cesserit contra uicinum suum ei restituere teneatur omnia dampna que fuerit passus occasione predicta et ultra predicta cessio iurium ipso iure nulla sit et pro nulla habeatur.

De aliquo debito seu iure non acquirendo ab aliquo foresterio contra aliquem de Casali et habitantem in Cassali.

Item statutum est quod aliqua persona de Cassalli non possit nec debeat aliqua iura seu debitum aquirere ab aliquo forense contra aliquem de Cassalli habitantem in Cassalli nisi hoc fuerit de uoluntate debitoris eiusdem forensis. Si autem acquisiuerit ipsa iura cassa sint et irrita ipso iure de qua itaque re teneatur potestas facere rationem.

a *De illo qui receptus est pro habitatore Casalis quod teneatur respondere de iure et iustitia omnibus de Casali coram potestate uel eius iudice.*

Item statutum est quod omnes qui recepti sunt et recipientur in habitatoribus Cassallis teneantur respondere et debeant de iure et iustitiam facere coram potestate Cassallis siue eius iudice omnibus de Cassalli uel qui habitant in Cassalli de omni et toto eo quod ab ipsis habitatoribus uel ab aliquo ipsorum pettere uoluerint non obstante aliquo pacto ipsis habitatoribus uel alicui ipsorum facto et non obstante aliquo capitulo facto uel facturo et si contingeret aliquem habitatorem facere nolle in
b omnibus et per omnia ut supra dictum est siue opponeret aliquod pactum propter quod se uellet deffendere ne ius faceret coram potestate uel eius iudice quod ab illo die in antea non habeatur pro ciue nec pro habitatore dicti comunis.

Quod principalis debitor prius conueniatur quam fideiussor tam aduersus comune quam alia causa.

Item statutum est quod si qua persona de Cassalli fuerit obligata uersus aliquem hominem de Cassalli pro aliquo in aliquo contractu uel occasione alicuius debiti seu obligationis seu erit uel fuerit fideiussor alicuius tam uersus comune quam alia quacumque occaxione quod principalis debitor
c prius conueniatur quam fideiussor non obstante quod fideiussor renuntiauerit in instrumento seu contractu illi legi quod principalis debitor prius conueniatur quam fideiussor et quod constringatur et cogatur ille principalis ad soluendum illud debitum de bonis suis uenditis seu obligatis illi emptori seu creditori dum possit conueniri personaliter et realiter in Cassalli dictus principalis tantum. Si uero creditor aliquis occasione illius debiti seu uenditionis uel obligationis fuerit positus in possessione alicuius rei sibi uendite uel obligate quod creditor ille contentus sit et esse debeat de ipsa possessione sibi uendita dummodo ipse habuerit integram solutionem de toto suo debito ita et taliter quod predicti debitores principales uel he-
d redes ipsorum uel aliqua persona nomine ipsorum uel alicuius ipsorum molestari non possint nec agrauare predictum creditorem de dicta possessione nec ipsam remouere sed ipsam possessionem eidem dimittat tenere et possidere quiete et pacifice absoluendo et liberando fideiussorem seu fideiussores ipsius debiti a debito antedicto. Et si aliquis creditor uel emptor in predictis casibus aliquem fideiussorem seu secundarium molestauerit seu molestare uoluerit quod amittat pro pena et banno comunis Casallis soldos centum papienses pro qualibet uice et ultra predicta nulla prestetur audiencia nec eidem fiat ratio de predictis et fideiussori seu secundario de predictis credatur suo sacramento si dicere et iurare uoluerit se esse fideiussorem seu

secundarium in ipsa obligatione uel contractu uel a debito. Que clausula de iuramento locum non habeat nisi principalis persona inueniatur habilis ad conueniendum et sit soluendo uel heredes ipsius in Cassalli. Et si aliquis soluerit uel coactus fuerit soluere pro alio uel alterius occasione aliquam quantitatem pecunie de qua sit obligatus in instrumento uel contractu de quo manifeste appareat si non peruenerit aliquid de ipsa pecunia in eius utilitatem quod ipse fideiussor qui soluit pro alio rellеuari et eidem satisfieri debeat et solui de bonis et rebus illius pro quo fuerit obligatus et soluerit dicte pecunie quantitatem precisse aliquo capitulo non obstante.

Quod nisi de capitali possit fideiussor conueniri. b

Item statutum est quod fideiussor non possit nisi de capitali et de expensis in litte factis conueniri. Et si fideiussor soluerit pro debitore suo capitale quod creditor teneatur dare et cedere eidem fideiussori omnia sua iura usque ad illam quantitatem quam receperit a fideiussore et ante eidem facere copiam de instrumento ad hoc ut possit debitorem conuenire prius habita securitate ydonea de ipso instrumento reddendo. Et si contingeret quod creditor conueniret fideiussorem de suo capitali et si fideiussor uellet eidem facere controuersiam seu mollestiam quod fideiussor teneatur eidem soluere omnes expensas creditori factas in illa causa. c

Quod fideiussor ostendere creditori possit de rebus debitoris expeditis.

Item statutum est quod si fideiussor poterit ostendere de rebus debitoris expeditis creditori in poderio Cassalis et in districtu eius de toto suo debito quod fideiussor non teneatur soluere de suis rebus licet fuerit condempnatus que capitula locum non habeant contra comune.

De rebus consignandis creditoribus.

Item statutum est quod quilibet debitor qui iurauerit consignare bona creditori suo teneatur con- d signare omnia sua bona mobilia et immobilia exceptis pannis dorsi lecti dum tamen debitor consignauerit tantum de alliis bonis unde creditor possit habere solucionem integram de ipso debito. et quod potestas seu rector uel iudex Cassallis non possit dare alicui creditori domum uel possessionem aliquam in Cassalli uel poderio Cassallis nec armaturas nec libros alicuius debitoris in solutum dum debitor consignauerit creditori tantum de alliis rebus mobilibus unde soluere posset creditori. Et quod creditor non teneatur accipere in solutum a debitore suo uel fideiussore pro aliquo debito quod sit a centum soldis infra terram uineam nec aliquam rem immobilem sed teneatur potestas facere fieri solutionem creditori a predicta quantitate infra. Et si aliquis debitor dimiserit aliquid ad consignandum potestas rector seu iudex teneantur in solutum dare creditori ea que remansisse ostenderit ad consignandum.

Si debitor recusauerit solutionem debiti sui sibi dari in bonis et rebus eidem consignatis.

Item statutum est quod si quis debitor consignauerit bona sua iureiurando pro aliquo debito creditori suo et consignauerit tantum unde possit ei satisfieri et creditor noluerit recipere solutionem debiti sui infra octo dies post consignationem factam quod debitor manuteneatur ab illa die in antea de expensis et guirdono. Et quod potestas seu rector uel iudex comunis Cassallis teneatur instrumentum facere fieri per creditorem si inde requisitus fuerit ab ipso debitore quod ab illa die in antea alique expense siue guirdonum pro ipso debito sibi non currant quod instrumentum ualleat et teneat et in perpetuum omni tempore seruetur et obseruetur. Si autem aliquis creditor habuerit in solutum aliquam rem a debitore suo et retinuerit instrumenta illius rei occaxione deffensionis et debitor uoluerit facere securitatem ipsi creditori de predicta re deffendenda quod potestas teneatur conpellere dictum creditorem dicta instrumenta reddere infra quindecim dies postquam coram ipso inde querimonia fuerit facta.

De eo quod creditores teneantur in solutum recipere.

Item statutum est quod creditores teneantur recipere in solutum a debitoribus terram uineas prata et buschum pro tanto pretio quantum dixerint extimatores comunis Cassallis maxime si debitor non habuerit mobilia unde soluere possit. Et si debitor non haberet unde soluere posset nisi feudum quod medietas fructuum illius feudi detur in solutum creditori et pro medietate fructuum ponatur creditor in possessione eiusdem feudi reliqua uero medietas dimittatur debitori pro alimentis suis. Ita tamen si debitor renuntiasset feudum in manibus domini cuius feudum est quod nihil noceat creditori quantum ad capitalle. Qui creditor consequatur medietatem fructuum feudi tam de debitis preteritis quam futuris. Iddem obseruetur si filius tenuerit feudum quod fuerit patris uel aui quamuis pater uel auus ipsi renunciauerit.

De extimatoribus rerum que dari debent in solutum creditoribus.

Item statutum est quod elligantur octo extimatores secundum modum et formam ordinatum et ordinatam per statutum positum sub rubrica de potestate uel rectore comunis Cassalis elligendo qui faciant extimationes rerum que dantur in so-

lutum creditoribus qui extimatores eas dent in solutum creditoribus auctoritate comunis et duret eorum officium per sex menses tantum. Qui quoque extimatores habeant et habere debeant de eorum extimo de libra mobilli denarios duos papienses et libra inmobilis denarios quatuor papienses. et quod quod potestas rector seu iudex teneatur facere eos iurare quod plus non accipient modo aliquo seu causa. et si contrafacerent soluant pro qualibet uice solidos decem papienses et pro quolibet ipsorum et nichillominus expellantur de officio et si rector comunis non expelleret de dicto officio contrafacientes postquam ei denuntiatum fuerit dictus rector sindicetur in libris decem papiensibus de salario suo. et quod potestas rector seu iudex Cassallis teneatur et debeat deffendere et manutenere quemlibet de Cassalli seu qui habitet in Cassalli in possessionem eidem datam in solutum per extimatores comunis Cassallis seu per dictum comune donec creditor illam rem seu possessionem amiserit per sententiam uel alio iure. et quod aliquis non possit elligi ad dictum officium nisi sit etatis triginta annorum. et si aliter ellectio facta fuerit dicta ellectio non ualleat nec de iure teneat.

De possessione data per extimatores Cassallis.

Item statutum est quod si aliquis creditor habuerit uel receperit aliquam possessionem a debitore suo in solutum pro aliquo debito per extimatores comunis Cassallis quod ille debitor possit recuperare illam possessionem infra unum annum et diem pro eodem pretio quo fuerit extimata quod capitulum potestas teneatur attendere et obseruare et obseruari facere si inde fuerit requisitus precisse.

Quod potestas teneatur manutenere quemlibet de Cassali in sua possessione.

Item statutum est quod potestas rector et iudex comunis Cassalis teneantur et debeant manutenere et deffendere quemlibet hominem de Cassalli in sua possessione usque ad diffinitiuam sententiam. si quis autem extractus fuerit per uiolentiam de sua possessione uel allio modo quod potestas teneatur ipsum restituere in sua possessione et deffendere et ultra id aufferre ei qui uiolentiam fecerit et uicinum suum de possessione eiecerit pro penna et banno libras decem papienses. et si aliquo modo fregerit uel occupauerit possessionem alienam et intrauerit uiolenter amittat soldos sexaginta papienses tantum. que omnia si potestas seu rector Cassallis non obseruauerit infra octo dies postquam ei denuntiatum fuerit amittat libras uigintiquinque papienses in quibus sindicetur de suo salario. et ultra hoc qui uiolentiam fecerit cadat ab omni iure quod haberet in dicta possessione uel re.

a *De forensibus debentibus aliquid alicui de Cassali.*

Item statutum est quod si aliquis qui non fuerit de Cassalli et qui non habitet in Cassalli habuerit certas possessiones et aliquid aliud in Cassalli et districtu et dare debuerit aliquid alicui homini de Cassalli qui inde habuerit cartam sententiam et condempnationem seu instrumentum possessionis uel aliam legiptimam fecerit probationem quod potestas et quilibet rector Cassallis teneatur et debeat dare seu dari facere dictas terras ipsi creditori de Cassalli in solutum secundum quod extimatores comunis extimauerint infra quindecim dies postquam requisitus fuerit ab ipso creditore et hoc cum expensis cognoscendo prius ueritatem de expensis ipsius creditoris. et si debitor forensis non
b haberet aliquas possessiones nec aliquid aliud in Cassalli uel districtu unde posset satisfacere creditori de Cassalli de suo debito quod potestas seu rector uel iudex Cassallis teneatur denuntiare et denuntiari facere per suas litteras uel per nuntium comuni illius terre in qua staret ille qui dare teneretur aliquid alicui de Cassalli uel illi debitori seu dominis suis facta prius fide de debito potestati seu rectori Cassallis infra octo dies si inde requisitus fuerit quod dictum debitum soluatur. facta autem dicta denuntiatione si satisfactum non fuerit infra dictum tempus ille qui habere debuerit possit auctoritate sua personaliter capere saxire et detinere et capi et detineri facere per rectorem Cassallis
c de rebus illius forensis obligati et omnium de sua familia in ere et personis et dicta de causa potestas non possit bannum aufferre ei qui predicta ceperit nec illis qui cum eo fuerint nec ipsum compellere ad ipsarum rerum restitutionem sed ipsas res teneatur potestas dare in solutum creditori precisse.

De pena debitoris ad certum terminum per potestatem imposita sibi per sacramentum quod soluat creditori.

Item statutum est quod si potestas seu rector uel iudex Cassallis preceperit alicui debitori ut suo
d creditori soluat per sacramentum ad certum terminum et non soluerit seu satisfecerit in denariis uel in pignoribus soluat pro banno solidos quinque papienses nisi creditor ei terminum alongauerit uel nisi ipse debitor consignauerit omnia sua bona creditori et eo saluo quod si debitum fuerit a solidis decem papiensibus infra soluat tantum pro banno solidum unum papiensem.

De usurariis qui ultra duos denarios non debeant audiri.

Item statutum est quod aliquis usurarius uel prestator ad usuram audiri non debeat de aliquo de-

bito nec ei ius reddatur ultra denarios duos pro a libra et si quis instrumentum ueneditionis uel alterius generis faceret non possit alicui usurario uel prestatori ad usuram de aliqua possessione que ualleret ultra summam contentam in instrumento duplum uel tertium plus quod potestas teneatur illam rem uenditam restitui facere creditori pro eodem pretio. Et quod de predictis tertio et duplo credatur debitori uel uenditori cum uno teste cum sacramento deponente sumarie omissis contrariis questionibus et aliis solempnitatibus iuris. Si autem debitor uel uenditor nolet uel non posset soluere in denariis numeratis quod creditor seu emptor teneatur et debeat recipere in solutum de re seu possessione sibi uendita uel obligata usque ad quantitatem contentam in dicto instrumento et b expensarum uel alliis bonis ipsius debitoris in ellectione creditoris secundum quod extimata fuerit per extimatores comunis Cassalis seu per maiorem partem ipsorum excepta domo et alliis rebus exceptatis per allia statuta que omnia fieri debeant sine strepitu et figura iuditii. Et si emptor uel creditor recusauerit facere et recipere predicta cadat ab omni suo iure et ultra predicta quod a die depositi in antea non currant alique usure super debitore et uenditore et nichilominus usurarius seu prestator seu creditor uel emptor teneatur restituere omnes expensas debitori quas fecerit a die depositi in antea. Et credatur debitori seu uenditori si iurauerit aliquem esse usurarium sine aliquo teste. quod capitulum locum habeat in omnibus in- c strumentis et contractibus ficti mutui et uenditionum et alliis contractibus factis a quadraginta annis citra. Et si aliquis usurarius seu qui consuetus sit uel fuerit prestare ad usuram dedisset seu dederit rem aliquam uel possessionem ad fictum alicui persone de Cassali et ipse usurarius stetisset seu steterit per decem annos sine eo quod petierit et habuerit dictum offitium fictum quod de dicto ficto non audiatur nec reddatur ei ius aliquo modo precisse.

De possessionibus rerum immobilium uenditis. quod fratribus uel sororibus uenditoris restituantur uel retrouendantur per emptorem pro eodem pretio. d

Item statutum est quod si aliquis homo de Cassalli qualicumque modo uendiderit rem aliquam immobilem seu possessionem alicui persone de Cassalli uel aliunde quod ille qui emerit dictam rem seu possessionem teneatur eam reuendere et restituere fratri uel fratribus sorori uel sororibus uenditoris pro eodem pretio quo emerit dictam rem infra duos menses iurante dicto emptore quantum pretium constiterit ei dicta res seu possessio et quod fuit uerum et iustum pretium numeratum et solutum precisse.

De penna illorum qui uendunt rem que iam semel uendita.

Item statutum est quod si aliquis homo de Cassalli uendiderit aliquam rem alicui persone quod amplius eam uendere non possit alicui alteri persone in banno librarum decem papiensium si inde accusa fuerit ab emptore facta et qui uendiderit rem alienam soluat comuni pro penna et banno solidos sexaginta papienses pro qualibet uice.

De ellectione cognitorum et notariorum appelationum.

Item statutum est quod potestas teneatur elligi facere duos cognitores appellationum et nullitatis sententiarum et condempnationum et duos notarios ad breue qui cognoscant et cognoscere debeant de omnibus condempnationibus sententiis et preceptis factis tam ex officio quam iure ordinario a quibus fuerit appellatum non obstante quod appelanti non pettantur. qui cognitores debeant diffinire et determinare ipsas appellationes per se et cum conscilio et appellationum causas et questiones et nullitatis sententiarum secundum modum et formam statuti comunis Cassallis loquentis de appellationibus eo saluo quod potestas iudex et miles non possint nec debeant precipere dictis cognitoribus aliquo modo uel causa quod ipsi cognitores non procedant nec procedere debeant in ipsis appellationibus. et si contrafacerent predicti rectores seu aliquis ipsorum preceptum per ipsos factum uel per aliquem ipsorum non ualeat sed nullum sit ipso iure. preterea potestas iudex et miles si ultra predicta facerent amittant libras decem pro qualibet uice. et si predicti cognitores noluerint procedere seu aliquis ipsorum in questionibus appellationum occaxione preceptorum eis factorum per rectores comunis Cassalis seu per aliquem ipsorum teneantur et debeant soluere comuni Cassallis pro quolibet et qualibet uice libras quinque et nichilominus expelantur de officio. et si fuerit cognitor appellationum non possit esse nec in ipsum officium reuerti usque ad duos annos post exitum sui officii. si uero predicti cognitores uel aliquis ipsorum sentirent seu substinerent aliquod grauamen per aliquem ex predictis rectoribus occasione eorum officii quod comune teneatur ipsos cognitores et quemlibet ipsorum indempnes conseruare et quod dicti cognitores aliquam iudicaturam habere pro parte comunis non possint precisse et quod dicti cognitores et notarii seu notarii ipsorum teneantur et debeant omni die stare diebus limitatis per statuta comunis Casalis de iure rendendo bis quando pulsabitur ad campanam rationis sub porticu domorum comunis Cassalis. uidelicet quando aliqua questio uentillabitur coram ipsis et hoc sub penna et banno solidorum duorum papiensium pro quolibet ipsorum et qualibet die. et quilibet possit ipsos accu-

sare et accusatori credatur çuius penne et banni a
tertia pars sit uicarii et tertia accusatoris et tertia comunis. qui notarii nichil habere debeant pro parte comunis de aliquibus scripturis factis in dictis causis.

De appelationibus condempnationum et sententiarum.

Item statutum est quod appelletur et appellari possit a quacumque condempnatione siue condempnationibus sententia seu sententiis precepto uel preceptis tam ex offitio quam iure ordinario uel allio modo preterquam interloquutoriis ad cognitores appellationum et ad secundos duos cognitores super hoc ellectos. qui cognitores teneantur et de- b
beant diffinire omnes questiones appellationum et nullitatis que facte essent uel fierent per officium potestatis seu rectoris uel iudicis infra duos menses et illas que fierent ordinario iure seu facte essent etiam infra duos menses diffiniantur et determinentur alioquin rata maneat sententia. Si quis uero appellauerit ab aliqua sententia seu sententiis precepto seu preceptis condempnatione seu condempnationibus facta uel factis per potestatem et rectorem uel iudicem aut militem quod aliquis predictorum rectorum precipere non possit nec debeat alicui notario Cassalis quod ipse non faciat instrumentum appelati si fuerit de uoluntate illius qui appelauerit si autem contrafecerit ipso iure preceptum sit nullum sed teneatur potestas iudex seu c
miles dare et copiam illi persone facere que appelauerit de omnibus scripturis de quibus copiam habere uoluerit et de toto processu facto contra ipsum quod potestas iudex et milles non possint nec debeant compellere aliquem condempnatum quod soluat aliquod preceptum condempnationis seu sententiam a quibus fuerit appellatum uel que fuerit dicta nulla in pignoribus nec in denariis donec pronuntiatum fuerit malle esse appelatum et bene esse condempnatum uel super nullitate cognitum precisse dummodo diffinita sint per predictos infra predictos duos menses. et si infra dictum tempus duorum mensium non fuerit prosecuta appellatio per appelantem tunc executioni mandetur sententia. quod quidem capitulum locum non habeat in cu- d
stodibus de nocte debentibus facere custodiam pro comuni precisse aliquo allio capitulo non obstante saluo quod non possit appellari ab accusis factis per camparios de rebus extrinsecis et quod omnes appelationes facte a soldis decem et a decem infra debeant prosequi infra quindecim dies a die appelationis numerandos alioquin sententia executioni mandetur. et quod omnis appellatio possit prosequi qualibet die feriato tempore feriato non obstantibus ipsis feriis exceptis feriis solempnibus.

De sequestrationibus.

Item statutum est quod si aliqua persona de Cassalli habere debuerit aliquod debitum uel dampnum aliquod receperit ab aliquo forensi de quo potestati seu iudici fecerit fidem plenam per cartam uel per unum testem cum sacramento creditoris quod potestas uel iudex teneantur et debeant ad uoluntatem illius qui debuerit habere debitum uel dampnum recepisse de bonis et rebus illius forensis si fuerint in Cassalli sequestrari facere et ipsa bona et res sequestrata tenere et etiam ipsum forensem personaliter detinere saluo quod alique persone que blauam uel legumina duxerint ad uendendum in platea comunis et ad molandinum uel ad molandina Cassallis non possint impediri nec sequestrari occasione supradictorum nec aliqua allia occaxione.

Quod comune Cassalis succedat decedentibus absque parentibus et prosimis.

Item statutum est quod si aliqua persona decesserit sine testamento sine ascendentibus uel a se descendentibus seu collateralibus heredibus de Cassalli et qui ibi habitet quod comune succedat ei et succedere debeat precisse.

De forensibus decedentibus sine heredibus.

Item statutum est quod si quis forensis habuerit terras et possessiones aliquas uel aliquam rem mobilem uel immobiles mobiles in districtu et iurisdictione Cassallis qui habeat dominium et sit sub alicuius dominio et decesserit sine herede legittimo a se descendente quod propinquiores ei succedant in omnibus suis bonis et non dominus.

De mulieribus nuptis per parentes uel parentem.

Item statutum est quod si qua nupta fuerit per patrem uel parentes uel agnatos et receperit dotem promissam quod ipsa non possit aliquid pettere in bonis patris si pater relinquerit filios masculos uel nepotes uel allios heredes a se descendentes.

Quod filii habere non possint nec etiam pettere dotem matris patre uiuente.

Item statutum est quod filii non possint pettere nec habere dotem matris uiuente patre siue sint emancepati siue non nisi hoc fuerit de uoluntate patris.

Quod si mulier decesserit absque heredibus a se descendentibus.

Item statutum est quod si quis duxerit aliquam in uxorem et uxor decesserit absque herede ab ea

recte descendente quod maritus succedat ei in dote a precisse. quod statutum locum habeat in hominibus de Cassalli ducentibus uxorem uel habitantibus in Cassalli tantum et non in alliis ibi matrimonia contrahentibus.

De legationibus relictis pauperibus.

Item statutum est quod si aliqua persona que ab hoc seculo migrauerit aliquid iudicauerit pauperibus et confratribus Cassalis seu in futurum iudicatum fuerit aliquid per aliquam personam pauperibus quod potestas teneatur precisse solui facere illud iudicatum illi persone seu personis cui uel quibus placuerit dari qui fecerit iudicatum sine datione libelli et sine petitione in scriptis et sine ali- b
qua solempnitate iuris et sumarie et absque strepitu iudicii si ille qui fecerit iudicatum relinquerit tot bona unde dictum iudicatum solui possit tam post mortem patris quam ante.

De filiis familias uel minore uiginti quinque annorum nisi fuerit mercator quod nullam possit facere cartam.

Item statutum est quod si aliquis filius familias uel filia uel minor uiginti quinque annorum et maior quatordecim de Cassali nisi fuerit mercator contraxerit uel quasi contraxerit cum aliqua persona nisi duo de propinquioribus et proximis parentibus et agnatis ipsius minoris uel filii familias interfue- c
rint ipsi contractui et ipso contractu prestiterint eorum consensum quod ipso iure et facto ipse contractus uel quasi et ipsa obligatio que inde fuerit subsecuta sit nulla et nullius ualloris non obstante quod iuratum fuerit in ipso contractu uel quasi et pro nulla habeatur nisi contra comune. et quod notarius qui fecerit dictum instrumentum amittat solidos sexaginta papienses et quicumque testis scriptus in dicto instrumento fuerit amittat pro penna et banno solidos uiginti papienses et quod creditor qui fieri fecerit dictum instrumentum perdat dictum creditum contentum in dicto instrumento et condempnetur in libris decem papiensibus de quibus rector Cassalis habeat tertiam partem et comune duas partes. in minoribus autem d
quatuordicim annorum sufficiat si contraxerint cum auctoritate tutoris. quod statutum refferatur tam ad preterita quam ad praesentia et futura. et si fuerit minor annorum septem solus tutor contrahere possit de bonis ipsius pupili.

De cognitore dando.

Item statutum est quod si aliqua inquisitio facta fuerit per potestatem iudicem uel militem seu per aliquem rectorem Cassallis contra aliquam personam aliqua de causa seu accusa aliqua uel denuntiatio facta fuerit coram aliquo predictorum rectorum uel per aliquem ipsorum rectorum uel per aliquam aliam personam et ipsa de causa aliqua persona petierit sapientem seu cognitorem occaxione se deffendendi de predictis uel aliquo predictorum de processu facto contra se aliqua occaxione quod potestas iudex uel miles seu rector comunis Cassallis quo nomine censeatur teneatur et debeat predicta comittere duobus ex hominibus de Cassalli magis ydoneis et sufficientibus ad artem notarie seu procure de colegio notariorum qui cognoscere debeant causam sibi comissam de conscilio unius iurisperiti de terris prefati domini et qui tempore quo pronuntiabunt super causa sibi commissa monstrare debeant conscilium iurisperiti in scriptis sigillatum sigillo dicti iurisperiti et si sic non monstrauerint pronuntiatio seu cognitio ipsa sit nulla et nullius ualloris et tunc persona que petiisset cognitionem pro condempnata habeatur et si monstrauerint ut supra pronuntiatio mandetur executioni prout in ea continebitur. ita quod appellari non possit nec ulterius procedi. et si accideret quod aliquis predictorum rectorum coram quo esset dicta questio nollet predicta comittere sed procedere ad condempnationem quod ipso iure ipsa condempnatio sit nulla neque ullo modo exequi possit nec executioni precisse mandari. et quod ille cui dati fuerint cognitores predicti possit et ei liceat coram dictis cognitoribus facere et producere omnem suam deffensionem et probationem quam facere uoluerit et poterit non obstante termino deffensionis sibi dato per rectorem predictum. qui cognitores teneantur et debeant predicta diffinire infra uiginti dies postquam fuerit sibi comissa sub penna solidorum uiginti papiensium pro qualibet uice nisi renuntiauerint ipsi comissioni ipsa die uel sequenti qua facta fuerit. Preterea dictus rector uel eius iudex non possint nec debeant sallarium cognitorum predictorum tassare sed teneatur ille qui cognitores petierit se concordare cum dictis cognitoribus de salario ipso ea die qua petierit cognitores uel sequenti. si uero steterit per eum qui petierit cognitores quominus dicta questio infra dictum tempus uiginti dierum terminetur tunc intelligatur dictus petitor renuntiasse dicte petitioni cognitorum saluo quod si causa fuerit a uiginti libris infra possint dicti cognitores ipsam causam cognoscere et terminare absque conscilio alicuius iurisperiti et teneantur et debeant dicti cognitores quolibet casu iurare ad sancta Dei euangelia in manibus iudicis domini potestatis Cassallis causam sibi comissam diligenter fideliter et sine fraude remotis odio amore timore prece pretio et humana gratia cognoscere et terminare.

De questionibus existentibus inter consortes.

Item statutum est quod si aliqua questio fuerit inter consortes aliquos de uia aliqua uel rupta in Cassalli uel districtu quod illa uia seu ruta discernatur et determinetur per uenditores uel uicinos ipsorum consortium per sacramentum et sicut discernita fuerit manuteneatur et deffendatur per po-

testatem siue rectorem Cassallis. illud idem inteligatur de terminis et finibus ponendis inter uicinum et uicinum tam in burgo Cassalis quam in districtu. et si predicti uenditores uicini uel consortes uel aliquis ipsorum recussauerint ire ad discernendum uel determinandum predicta si habuerint in mandatis a rectore comunis perdant pro penna et banno solidos decem papienses pro qualibet uice pro qua ire recussauerint. et si aliqua questio determinata est uel fuerit per predictos ut supra quod aliqua ipsarum partium non possit amplius de ipsa questionem mouere sub penna et banno solidorum centum papiensium pro quolibet et qualibet uice. et quod potestas Cassallis non possit ipsos ullo modo audire.

De comissione seu delegatione omnium questionum comunis quas habet uel habuerit cum aliqua persona.

Item statutum est quod potestas iudex et miles seu rector Cassalis teneatur et debeat committere seu delegare omnes questiones quas comune Cassalis habet seu habuerit cum aliqua singulari persona colegio seu uniuersitate coram aliquo ipsorum rectorum uertentes iudicibus de Cassalli et habitantibus in Cassalli tantum seu alicui ipsorum iudicum qui datus fuerit non suspectus precisse saluo quod dictum comune committere possit dictas questiones extra Cassallem. in arbitrio consulum et proconsulum precisse. et aliquis iudex de Cassalli non possit dari suspectus in aliqua questione singularum personarum Cassallis nisi sit aduocatus partis precisse. quod capitulum locum non habeat in comittendo questiones extra Cassallem in aliquibus questionibus seu causis de quibus sit facta mentio in suprascripto capitulo posito sub rubrica de cognitore dando.

De citantibus Cassalenses extra iurisdictionem Cassalis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat requirere citare nec citari facere aliquem de Cassalli sub examine nec sub iurisdictione alicuius iudicis secularis aliquo modo uel causa extra iurisdictionem et districtum Cassalis nec predicta de causa aliquas litteras presentare nec de presentatione instrumentum facere sed si quis contrafecerit soluat pro banno comuni Cassalis libras quinquaginta papienses et ultra id non fiat ei ius in aliquo donec predictas libras quinquaginta soluerit in pecunia numerata. Et quod aliquis homo non possit laborare nec collere terras et possessiones illius qui predictam citationem faceret seu fieri faceret nec esse cum illo in familia sub penna soldorum centum papiensium pro qualibet uice. Citatus quoque insuper deffendatur per potestatem uel rectorem per comune Cassalis ne extrahatur propter citationem ipsam de sub examine et iurisdi- *a* ctione ipsius potestatis et comunis Cassallis salua semper in hac parte libertate ecclesiastica. quod capitulum locum non habeat in causis spectantibus ad ecclesiam.

De emancipationibus.

Item statutum est quod omnes emancipationes hinc retro facte secundum comune ius et de iure comuni ualeant et teneant et robur et firmitatem habeant non obstante eo quod facte essent contra uel preter formam alicuius statuti quod esset in libro statutorum comunis Cassallis uel hinc retro fuisset. omnes autem emancipationes deinceps fiant secundum ius comune et si aliter facte fuerint non *b* ualeant non obstante aliquo statuto quod deinceps fieret in Cassalli uel sit.

De magistris gramatice iudicibus et medicis.

Item statutum est quod si aliquis magister gramatice fuerit in Cassalli docens scolares uel pueros non teneatur personaliter ire ad stremittas nec in exercitu pro comuni nec etiam esse in aliqua decena pro comuni nec facere guaytam per ipsum comune aliquo capitulo in contrarium loquente non obstante saluo tamen quod quilibet magister gramatice substinere teneatur expensas comunis. comune quipe inuiolabiliter teneatur conseruare securitatem scollarium. illud iddem inteligatur de om- *c* nibus medicis iudicibus de Cassalli et habitantibus in Cassalli precisse.

De clerico qui petit sibi iustitiam fieri de aliquo layco.

Item statutum est quod si aliquis clericus petierit sibi fieri iustitiam de aliquo layco quod clericus cauere teneatur ydonee et respondere de iustitia coram potestate illi quem dictus clericus conuenerit et de omni eo et toto quod laycus noluerit reconuenire.

Quod constringi non possint qui presonerii inimicorum comunis fuerint aut aliquas securitates *d* *dederint aut alteras promissiones fecerint pro sui redemptione ad attendendum.*

Item statutum est quod si aliquis de Cassalli fuerit presonerius inimicorum Cassallis qui dederit aliquas securitates uel uendiderit seu promiserit uel aliquo quocumque modo seu titulo alienauerit seu obligauerit de bonis suis quod ipse nec alter pro eo non possit nec debeat constringi ad soluendum et attendendum et ad obseruandum aliquid quod promiserit ipsa de causa. Ita et taliter quod potestas et quilibet rector Cassalis non possit constringere ipsum nec aliquem alium qui promisisset pro se uel pro alio predicta de causa aliquid facere uel attendere de predictis. et si in aliquo procederet

contra ipsos uel aliquem ipsorum amittat libras a quinquaginta papienses et insuper processus factus predicta occaxione ipso iure sit nullus. et si aliquis de Cassalli habuisset aliquam solutionem occasione presoneriorum inimicorum comunis quod nec potestas nec rector aliquis comunis Cassallis causam aliquam seu questionem contra illum audiat qui predictam solutionem habuisset occaxione antedicta.

De pedagio quod in Casali et districtu quod sit comunis.

Item statutum est quod pedagium totum quod coligitur seu quod colectum fuerit in Cassalli uel districtu uel iurisdictione Cassallis sit et esse debeat comunis Cassallis tantum. et si aliquis fore- b sterius uellet recedere absque eo quod solueret pedagium constitutum quod ille qui fuerit siue illi qui fuerint constituti ad coligendum dictum pedagium possint ab illo foresterio seu foresteriis auferre seu capere pignus absque penna et banno precisse.

De omnibus infrascriptis pedagiis soluendis per quascumque personas.

Item statutum est quod omnes et singulle persone undecumque sint ducentes uel portantes mercadantias ad locum Cassallis uel per poderium et districtum Cassallis uel extra poderium et districtum teneantur et debeant soluere omnia pedagia c infrascripta secundum modum et formam contentam in capitulis infrascriptis. et si aliqua persona contrafecerit perdat dictas mercantias uidelicet non pedagiatas et bestias cum quibus duxerit mercantias uel res et ultra hoc soluat et soluere debeat pro pedagio dictarum rerum denarios sex papienses et quilibet possit ipsas mercantias capere et detinere consignando ipsas clauario comunis habendo tertiam partem rerum predictarum et comune duas partes. et quilibet possit dictos contrafatientes accusare et accusatori credatur cum sacramento habendo accusator tertiam partem mercationum et comune duas partes. in quibus itaque accusatoribus familia potestatis non intelligatur in habendo partem aliquam dictarum mercationum. d

De omnibus et singulis portantibus mercandias tam per terram quam per aquam per districtum Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod rector qui nunc est et pro temporibus fuerit teneatur et debeat uinculo sacramenti preconizari facere publice in platea Cassalis et in locis consuetis infra octo dies post introitum sui regiminis quod quelibet persona que duxerit seu duci fecerit portabit uel portari fecerit aliquam mercantiam in Cassalli uel iurisdictione Cassallis tam per aquam quam per terram teneatur et debeat soluere pedagium pedagieriis comunis Cassalis secundum modum et formam contentum uel contentam in capitulis loquentibus de pedagio rerum et mercationum et ipsis pedagieriis manifestare et consignare dictas mercantias et res ut supra continetur in suprascripto capitulo.

Quod generaliter et spetialiter pedagia omnium rerum et bestiarum solui debeant prout infra.

Item statutum est quod generaliter et specialiter soluantur et solui debeant ab omnibus singullis personis undecumque sint pedagia omnium et singularum rerum et bestiarum ut infra.

Primo de qualibet bestia onerata de salle que uadat ultra Padum per poderium Cassalis et districtum per quamcumque personam ducatur denarios octo papienses si fuerit de Cassalli uel aliunde dare debeat et soluere pro pedagio et nomine pedagii dicti comunis. Item si bestia steterit et exonerata fuerit in Cassalli dare debeat dicto comuni et soluere pro predicto pondere denarios quatuor papienses.

Item de qualibet pecude capra castrono ariete agnelo craueto dare debeat pro quolibet denarios duos papienses.

Item de quolibet porcho uel porcha denarios quatuor papienses.

Item de paruis porchis a quadraginta soldis infra denarios duos papienses.

Item de quolibet boue et uacha exceptis de manzis tetantibus denarios octo papienses.

Item de qualibet bestia asinina denarios octo pp.

Item de qualibet bestia equina et mulina solidos quatuor pp.

Item de quolibet destrerio de guardia siue de armis solid. uiginti pp.

Item de qualibet destreria de guarda sol. decem pp.

Item de qualibet petia panni moizaschi franciscbi mediolanensis et similis sortis sol. duos pp.

Item de media pezia sol. unum pp.

Item de qualibet petia arbaxiorum uercelentium iporrigiensium nouariensium clauaxiniensium turinensium ianuensium et similium sol. unum pp.

Item pro media petia denar. sex pp.

Item de qualibet donzena fustanei sol. duos. pp.

Item de quolibet rubo de bambaxio sol. unum pp.

Item de qualibet somma lanne rulente lombarde sol. quatuor pp.

Item de qualibet somma lane lombarde et subtilis sol. sex pp.

Item de qualibet somma lane fiandrine de ultramonte sol. septem pp.

Item de pelibus uel coriis bouinis pillosis et grossis denar. octo pp.

Item de pellibus predictis de Cassalli extrahentibus sol. unum pp.

Item de predictis pellibus bouis afaytatis sol. unum pp.

Item de qualibet dozena bazanarum pellium denar. unum pp.

Item de pellibus rubeis seu de partis sol. unum pp. a
Item de qualibet dozena pecudum caprarum agniellorum pellium pillosarum den. octo pp.
Item de auoltronis agnynis afaytatis pro qualibet dozena sol. unum pp.
Item de qualibet dozena soatorum denar. octo pp.
Item de foribus pellibus fiandrinis et ultramontanis pro qualibet dozena sol. unum denar. sex pp.
Item de qualibet dozena de auotronis sol. unum pp.
Item de qualibet dozena agnonorum de facere borsetos et guantos et similia denar. octo pp.
Item de qualibet dozena de pellibus non afaytatis ad faciendum pellitias denar. octo pp.
Item de predictis pellibus afaytatis pro qualibet dozena sol. unum pp.
Item de qualibet dozena pilizonorum sol. unum pp. b
Item de pellitiis magnis de homine et femina pro qualibet denar. duos pp.
Item de pellibus agninis fiandrinis et cuiuslibet tramuntanis siue sint simul sute aut ex eis sit facta fodra uel aliud fornimentum siue separate pro qualibet dozena sol. unum pp.
Item de dozena de orpello denar. unum pp.
Item de qualibet dozena de carta uiridi denarios duos pp.
Item de qualibet dozena de cartis pecudinis edinis agninis ad scribendum denar. duos. pp.
Item de qualibet dozena zepellorum sol. unum pp.
Item de qualibet dozena subtillarium den. duos pp.
Item de qualibet dozena corrigiarum de zemossatis denar. sex pp. c
Item de qualibet dozena de corrigiis latis ultra digitos tres denar. sex pp.
Item de qualibet dozena de alliis corrigiis tam paruis quam strictis denar. duos pp.
Item de qualibet dozena de borsetis den. unum pp.
Item de qualibet dozena de borsetis magnis pisanis de seta et similibus sol. duos pp.
Item de qualibet dozena de borsetis de seta paruis sol. unum pp.
Item de qualibet dozena de cultellis magnis de lattere sol. unum pp.
Item de qualibet dozena de cultellis de panne denarios duos pp.
Item de qualibet una carezeria que extrahetur de Cassalli sol. unum pp. d
Item de qualibet mostaritia tina que extrahetur de Cassalli sol. quinque pp.
Item de qualibet carraria a decem stariis supra que ducetur in Cassalli uel circa sol. duos pp.
Item de quolibet botallo a decem stariis infra quod extraducetur Cassalle sol. unum pp.
Item de qualibet carraria que extraducetur de Cassalli pro quolibet stario quem tenet den. sex pp.
Item de qualibet carraria que extraducetur de Cassalli pro quolibet stario quem tenet den. sex pp.
Item de quolibet botallo quod ducetur in Cassalli uel circha sol. unum pp.
Item de qualibet donzena zeberorum sol. unum pp.
Item de qualibet donzena sutillarum den. sex pp.

Item de qualibet donzena lanzearum longarum sol. unum pp.
Item de lanzeis equestribus et asconis et alliis paruis sol. unum pp.
Item de carro de assidibus sol. tres pp.
Item de carro de dogis non laboratis de carraria sol. quatuor pp.
Item de barozia de assidibus solidum unum denarios sex pp.
Item de quolibet carro de dogis laboratis de carraria sol. quinque pp.
Item de quolibet siezio denar. quatuor pp.
Item de qualibet mesora denar. unum pp.
Item de quolibet rubo piscium sallatorum denarios sex pp.
Item de qualibet dozena de muzoliis de rota denarios sex pp.
Item de quolibet centenario fussorum de carro denarios sex pp.
Item pro quolibet scripneo et archa sol. duos pp.
Item pro qualibet bancha spondata sol. unum pp.
Item de qualibet trabe squarata que extrahetur de Cassalli sol. duos pp.
Item de quolibet molandino quod extrahetur de Cassalli sol. sexaginta pp.
Item de qualibet ..... que extrahetur de Cassalli sol. decem pp.
Item de qualibet molla que ducetur in Cassalli solidos sex pp.
Item de qualibet molla barberii ferrarii carpentarii et alliis mollis molandini sol. duos pp.
Item de quolibet pontono mollandini quod extrahetur extra districtum Cassallis sol. decem pp.
Item de quolibet carro lignaminis squarati de mollandino quod extrahetur de Cassalli solidos quinque pp.
Item de quolibet rubo ferri in uirgis den. duos pp.
Item de quolibet rubo massarum et cultorum denarios tres pp.
Item de qualibet dozena de bacillis trentis securibus et manariis sol. unum pp.
Item de quolibet rubo clauorum rigiarum et polleorum denar. sex pp.
Item de quolibet rubo arami laborati sol. unum pp.
Item de quolibet rubo arami non laborati denarios sex pp.
Item de qualibet somma lanzearum de petra denarios sex pp.
Item de qualibet somma fondorum de laueziis solidos duos pp.
Item de qualibet dozena scutorum sol. duos pp.
Item de qualibet spata uenalli denar. quatuor pp.
Item de qualibet armatura ferrea tangente corpus sol. unum pp.
Item de quolibet rubo plumarum intrantium et extrahentium de Cassalli denar. sex pp.
Item de quolibet carro carbonis exeunte de Cassalli sol. quatuor pp.
Item de quolibet carro intrante in Cassalli solidos duos pp.

Item de quolibet sacho carbonis exeunte de Cassalli denar. quatuor pp.

Item de quolibet sacho carbonis intrante in Cassalli denar. duos pp.

Item de quolibet modio linosse que extrahetur de Cassalli sol. quatuor pp.

Item de quolibet carro lini in gloria et sine groria non laborati saluo quod linum quod ducetur in Cassalli cum gloria ad introitum Cassallis nil soluat nec soluere teneatur sed illud quis seminasset et seminari fecisset extra poderium Cassallis saluo quod aliquis de Cassalli nil soluere teneatur de illo lino quod seminasset seu seminari fecisset in iurisdictione Cassallis uel extra faciendo fidem coram rectore Cassallis sol. quinque pp.

Item de qualibet tortea lini sol. unum pp.

Item de quolibet faxo lini denar. sex pp.

Item de qualibet soma tellarum sol. quinque pp.

Item de qualibet somma canepatii sol. tres pp.

Item de quolibet rubo caneue non pectenate denarios duos pp.

Item de quolibet rubo caneue pectenate denarios quatuor pp.

Item de quolibet rubo mellis denar. duos pp.

Item de quolibet rubo oley denar. duos pp.

Item de quolibet rubo cere sol. unum pp.

Item de quolibet rubo alumis denar. quatuor pp.

Item de quolibet miliario cuporum quod ducetur extra poderium Cassalis denar. sex pp.

Item de quolibet miliario matonorum quod ducetur extra poderium Cassalis sol. unum pp.

Item de quolibet miliario taxellarum den. sex pp.

Item de quolibet modio calzine que ducetur extra Cassallem denar. duos pp.

Item de qualibet dozena de furchis den. duos pp.

Item de qualibet libra sette sol. unum pp.

Item de qualibet petia zendallis et bocarami denarios sex pp.

Item de qualibet libra zafrani denar. sex pp.

Item de quolibet rubo spetiarie sol. unum pp.

Item de quolibet rubo carnium sallatarum denarios duos pp.

Item de quolibet rubo casey denar. duos pp.

Item de quolibet rubo gualdi moliti denarios quatuor pp.

Item de quolibet sacho capitum de zaffranio solidum unum pp.

Et generaliter de omnibus et singullis rebus et mercantiis tam non nominatis supra quam nominatis soluendis pro rata de menutis rebus et paruis non limittatis ut supra de quibus non est consuetudo aliquid solui sicut de aliis ita quod in dictis mercantiis et rebus nominatis superius et exceptatis et non nominatis aliqua persona non possit nec debeat excussari a solutione dictarum rerum non facienda si dictas res dicere uellet duxisse portasse duci uel portari seu ferri fecisse pro usu suo quin dictum pedagium soluat et soluere teneatur precisse sub penis contentis in capitulis loquenti- a bus de pedagiis. Et ubi dicitur pro rata intelligatur de omnibus mercantiis et rebus quibus nichil soluatur a duobus denariis infra sed a duobus denariis supra et de duobus denariis soluatur ad rationem duorum denariorum pro libra uidelicet de non nominatis.

De inquisitione et punitione fraudantium et furantium pedagia comunis Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona defraudauerit undecumque sit pedagium seu pedagia supradicta seu aliquod ipsorum uel soluere recusauerit et denuntiatum fuerit domino potestati Cassalis uel eius iudici presenti uel futuro b quod teneatur facere inquisitionem uel processum usque ad annum unum postquam foret ei denuntiatum ac si de presenti fecisset et ipsam personam uel personas contrafacientes punire secundum iura et statuta uel penam contentam in dicto statuto precisse.

Quod si quis duxerit uel portabit mercandiam in Cassalli uel per districtum hoc manifestum faciat pedagieriis et concordare cum ipsis.

Item statutum et ordinatum est quod quelibet persona tam de Cassalli quam aliunde undecumque sit que duxerit uel duci fecerit portauerit uel portari fecerit aliquam mercandiam in Cassalli uel ex- c tra Cassallem uel districtum teneatur et debeat ipsam mercandiam consignare et manifestare pedagieriis et concordare cum ipsis de pedagio ipsius mercandie in hunc modum uidelicet quod illa persona seu persone que duxerint uel portauerint mercandiam intus Cassalle uel cercos ut supra teneatur ipsam mercandiam consignare dictis pedagieriis antequam deponat ipsam et discaregari fecerit in aliquo hospitio domo uel curte sub penna amissionis rerum contenta in capitulis dictis comunis. Eo quoque modo intelligatur de qualibet mercandia que duceretur uel portaretur per poderium et districtum Cassallis debeat consignari ut supra antequam transeat burgum Cassallis ultra sub eadem pena suprascripta contrafacientibus. Iddem intelligatur de om- d nibus personis extrahentibus mercandiam de loco Cassallis uel cerchis sub eadem penna suprascripta. Et quilibet possit accusare contrafacientes habendo tertiam partem penne suprascripte et rerum predictarum. Et quod si aliqua persona que duxerit uel duci fecerit portauerit uel portari fecerit aliquam mercandiam post campanam platee dum pedagierius non esset in loco consueto quod illa talis persona teneatur ipsam mercandiam manifestare domino uicario habenda secum unam personam de Cassalli et ipsam mercandiam consignare pedagierio die sequenti ante tertiam sub penna contenta in suprascripto capitulo.

De bestiis ductis ad uendendum quod si non uendantur possint retroduci sine solutione pedagii.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona duxerit uel duci fecerit aliquas bestias cuiuscumque generis sint ad uendendum in Cassalli uel cerchis et ipsas bestias non uendiderit siue aliquam ipsarum possint ipsas retroducere sine aliquo pedagio soluendo accipiendo buletam a pedagierio sine aliquo pretio iurando quod ipsas duxit et non uendidit. Iddem intelligatur si aliquis de Cassalli uel qui habitet in Cassalli duxerit aliquam bestiam causa uendendi extra Cassallem et iurisdictionem. Iddem intelligatur de omnibus rebus que ducentur uel portabuntur ad nundinas Cassallis uidelicet quod non soluant nisi uendantur.

De retiffication pedagii secundum formam infrascriptam.

Item statutum et ordinatum est quod capitula loquentia de pedagiis rettifficentur et reducantur per hunc modum uidelicet quod ubi loquitur de rebus uendendis ad numerum siue ad duozenam non teneantur nec debeant pedagierii siue pedagierius comunis accipere aliquid a media duozena infra ullo modo nec de rebus uendendis ad pondus siue ad rubum non teneantur nec debeant dicti pedagierii siue accipere pedagierius aliquid a medio R (rubo) infra. Eodem modo de pannis tellis et fustaneis uendendis ad retalium non teneantur nec possint dicti pedagierii siue pedagierius accipere aliquid de dictis rebus retaliatis pro pedagio ullo modo et de aliis rebus non nominatis in dictis capitulis loquentibus de pedagiis possint et debeant dicti pedagierii siue pedagierius accipere pedagium secundum bonam consuetudinem diu approbatam non obstante aliquo capitulo speciali uel generali in contrarium loquente.

Quod expense non fiant nisi ad soldum et libram saluo in decenis.

Item statutum et ordinatum est quod alique expense non fiant in futurum aliquo modo uel causa saluo in decenis et laboribus comunis et custodibus eiusdem comunis nisi solum ad soldum et libram ita quod omnes et singulli de Cassalli soluant dictas expensas quilibet pro rata secundum eorum extimum quod capitulum teneatur potestas attendere et obseruare precisse uinculo iuramenti.

De ere comunis pro aliquibus negotiis ueteribus non dando nec expendendo.

Item statutum et ordinatum est quod de ere comunis non possit dari alicui persone aliqua occaxione nec etiam expendi pro aliquibus negotiis que non erunt ordinata per comune Cassalis ultra soldos centum nisi in generali conscilio comunis Cas-
a sallis dictum et ordinatum fuerit ad scrutinium de ipso ere dando siue de ipsis tallibus expensis faciendis dando in ipso scrutinio fabas albas et nigras siue ballotas. Et si contrafieret et consules comunis non denuntiarent per cartam ipsi potestati quod attenderet dictum presens capitulum et quod non contrairet quod perdant dicti consulles et quilibet ipsorum soldos uiginti papienses pro qualibet uice et quod statutum legatur omni mense quando legitur ratio clauarii.

De condempnationibus coram cognitoribus appellationum deffendendis per rectorem.

b Item statutum et ordinatum est quod potestas Cassallis et eius iudex ipsas condempnationes quas fecerint si ab eis fuerit appellatum teneantur et debeant ipsas condempnationes deffendere coram cognitoribus appellationum comunis Cassalis et si pronunciatum fuerit per ipsos cognitores bene fuisse appellatum ab ipsis condempnationibus non possit ipsas excuttere et predicta teneatur attendere uinculo iuramenti.

Quod aliqua persona de Cassali uel soluens fodrum in Cassali non possit detineri nisi per se et suo facto tantum.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua per-
c sona de Cassalli uel que soluat fodra in Cassalli non possit nec debeat detineri ipse nec eius bona per rectorem Cassallis pro aliquo banno nec pro fodris nisi per se et suo facto tantum.

Quod si quis tenet uel aliquam possessionem laborat alicuius teneatur fodra imposita per comune soluere pro ipso.

Item statutum et ordinatum est quod quelibet persona de Cassalli que laboraret seu teneret uel emerit fructus seu aliquas possessiones aliquorum foresteriorum seu domos teneret teneatur soluere fodra imposita per comune siue imponenda de iure pro illo foresterio cuius esset possessio quam labo-
d raret seu domus quam teneret et quod illa talis persona que solueret fodra ut supra possit tenere godimenta illius possessionis pro fodro soluto et si fructus defficerent comune teneatur ei satisfacere de ipsa domo seu possessione.

Quod nullus ducens uel ferens mercandiam in Cassalli non possit detineri pro alterius bannis nisi pro suis tantum.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona que duxerit mercandiam aliquam in Cassalli ad uendendum non possit detineri pro aliquibus bannis in quibus incurrissent alique alie persone nisi illa talis persona que duceret mercandiam incurrisset in aliqui-

bus bannis uel eius familia pro quibus suis bannis a bene possit detineri donec soluisset ipsa banna tamen licitum sit cuilibet persone posse uenire in Cassalli in die sabati et per dies octo ante festum natalis Domini et per octo dies ante Pascha resurrectionis dominice et in festo beati Euaxii et die precedenti et sequenti et tempore messium et uendemiarum ita quod non possit detineri in prefatis diebus nec pro se nec pro allio pro aliquibus suis bannis nec aliqua alia occaxione.

De conscilio generali comunis mutando.

Item statutum et ordinatum est quod uicarius futurus infra octo dies post introitum sui regiminis b uinculo iuramenti teneatur et debeat mutari et mutari facere conscilium generale comunis Cassallis si placuerit conscilio comunis et dictum conscilium sit et esse debeat numero centum uiginti et plus et minus sicut uidebitur conscilio.

De gratia in conscilio petita quod pettens non intersit.

Item statutum et ordinatum est quod si per rectorem comunis Cassalis uel per aliquam alliam personam petita fuerit aliqua gratia seu aliqua alia res que tangat comune Cassalis in aliquo aliqua occaxione uel causa in aliquo conscilio publico uel priuato dicti comunis quod ille tallis petens cuiuscumque c conditionis seu dignitatis existat non possit nec esse debeat in ipso conscilio. Et si consulles qui eo tempore fuerint consenserint quod predicta fiant et non denunciauerint amittant quilibet ipsorum pro pena et banno soldos sexaginta papienses. Et nichillominus si facta esset aliqua gratia contra dictum statutum ipso iure sit nulla et nullius ualloris aliquo statuto in contrarium loquente non obstante. Et predicta teneantur attendere dicti uicarius et consulles uinculo iuramenti ultra predictas pennas.

De pane ad pensam fiendo secundum modum et formam per consules qui sunt et pro tempore fuerint tassatam. d

Item statutum est quod quelibet persona uolens facere panem ad uendendum teneatur et debeat facere ipsum panem ad pensam secundum modum et formam sibi datam per proconsules qui sunt et pro tempore fuerint qui proconsulles uero teneantur eisdem facientibus panem dare metam secundum quod ualuerit starius furmenti. Et si quis igitur contrafecerit uel aliqui contrafecerint perdant panem qui non fuerit de pensa reppertus ad metam supradictam et denarios duos pro quolibet pane qui non esset ad dictam penssam qui quidem panis pariter et pena sit comunis et fiat dictus panis ad rationem librarum triginta pro stario.

De pensatore grani et farine elligendo.

Item statutum et ordinatum est quod rector Cassallis teneatur et debeat poni facere unam personam religiosam ydoneam si inuenire poterit et si non poterit ponatur laycus ad pensandum granum quod ducitur ad molandinum et etiam farinam et quod proconsules qui sunt et pro tempore fuerint possint ipsi pensatores secundum quod cum inuenerint ydoneum constituere pretium. Quod quidem pretium soluatur per comune que persona elligatur per proconsulles comunis.

De securitate turris luxende et turris monete bona et ydonea accipienda ab ipsis qui ipsas custodire uoluerint.

Item statutum et ordinatum est quod potestas Cassalis qui nunc est et qui pro tempore fuerit teneatur et debeat uinculo iuramenti una cum consulibus recipere bonam et ydoneam securitatem ab illis qui custodierint turrim luxende nec non et turrim monete pro predictis seruandis de libris mille papiensibus pro quolibet ipsorum de bene custodire et saluare et eas munitas tenere bene de uictualiis et aliis necessariis sicut opportet per unum mensem continue. Et quod dictus potestas qui nunc est et pro tempore fuerit teneatur et debeat cum duobus ex consullibus ire personaliter omni mense ad dictas turres ad uidendum et prouidendum si aliqua ex predictis defficiunt uel defficerent qui custodes teneantur et debeant in fine termini ipsas turres consignare et dare in fortia dicti comunis sanas et integras prout eis fuerint date per dictum comune ad custodiendum ipsas turres et qui custodierint turrim luxende sint et esse debeant tot ut placuerit illis de conscilio generali qui supradictis prouideant diligenter et illi qui positi erunt ad custodiam dictarum turrium non debeant aliunde recedere nec exire sine uerbo domini potestatis sub pena et banno floreni unius pro quolibet ipsorum contrafaciente et quilibet possit accusare et accusatori credatur cum iuramento habendo accusator tertiam partem et comune duas partes a quibus penis et bannis non possit appellari nec sapiens petti aliquo capitulo non obstante. Illud iddem intelligatur de turri monete. Illi uero de bichochis teneantur et debeant dare bonas securitates eas bene custodire et seruare die noctuque et facere bonam custodiam et stare unus de die de nocte autem duo ibi precisse et facere cerchas unus ipsorum ut moris est sub pena et banno soldorum xx. papiensium pro quolibet ipsorum et qualibet uice et quilibet possit accusare habendo tertiam partem et non possit appellari ut supra. Et quod dicti custodes debeant esse de Cassali tantum. Qui omnes custodes esse debeant ad minus etatis annorum decem et octo et non plurium.

De notariis comunis quomodo et qualiter pro eorum offitiis secundum infrascriptam formam debeat sibi solui et pro solutione sibi dari et ipsi quantum accipere debeant.

Item statutum et ordinatum est quod notariis comunis debeat solui de eorum offitio secundum infrascriptam formam precisse et non aliter. Et si ultra formam suprascriptam aliquid acciperint teneantur restituere id quod plus acceperint illi a quo illud superfluum accepissent que forma talis est. In primis quod non accipient pro remuneratione sua seu pro pagamento de testimonio non autenticato nisi soldum unum papiensem si questio fuerit a decem libris infra ab inde supra usque ad uiginti soldos duos papienses ab inde supra usque ad quinquaginta soldos tres et ab inde supra soldos quatuor papienses et de testimonio autenticato tertium plus et de receptione libelli seu exemplatura ipsius soldum unum precisse et de termino dato ianuinum unum et de qualibet interrogatione positione seu exceptione simul factis ianuinum unum de littis contestatione non possint habere nisi denarios duos pro libra a qualibet partium de diffinitiuis sententiis si sententia fuerit a decem libris infra denarios tres pro libra a qualibet parte et ab inde supra denarios sex a qualibet parte pro libra et de condempnationibus ex confessione factis usque ad decem libras soldos duos papienses et ab inde supra usque ad libras uigintiquinque soldos quatuor et ab inde supra denarios duos pro libra de omnibus bannis et condempnationibus cassandis a uiginti soldis supra denarios sex papienses pro qualibet libra et si aliquis requisiuerit aliqua ex predictis fieri in carta publica non possit accipere ultra duplum predictarum tassationum et predicte tassationes non habeant locum in condempnationibus factis contra cursum causarum ex confexione et de condempnatione corporali que sit ad mortem soldos xx. papienses et de illa que sit de perditione membri soldos decem papienses de ere comunis et de qualibet securitate a soldis sexaginta papiensibus infra soldum unum papiensem ab inde supra soldos duos papienses.

Quod si aliquis consul uel antianus ad rationem comunis faciendum deputatus scilicet clauarii et ad certas alias rationes faciendas continue non permanserit non soluatur a principio usque ad finem.

Item statutum et ordinatum est quod aliquis consul antianorum deputatorum ad faciendum rationem clauarii et generaliter ad omnes allias rationes comunis si non fuerint ad dictas rationes a principio usque ad finem et ibi non permanserint continue quod nichil habeant nec percipiant a clauario comunis Cassallis de solutione sua ad quas rationes fiendas interesse debeant ad minus due partes ipsarum et unus ex notariis comunis qui con- a sulles habere et habere debeant a clauario comunis et etiam notario comunis pro predictis rationibus omni mense soldos tres papienses pro quolibet ipsorum et pro qualibet ratione fodrorum soldum unum papiensem pro quolibet ipsorum de quolibet cantono.

Quod substineantur omnia onera comunis Cassalis et exactiones tam de guaytis et fossatis quam de ceteris rosiis per habitantes et stantes cum eorum familiis de nouo ad burgum Cassalis sicut ueteres burgenses.

Item statutum est et ordinatum est quod omnes et singule persone stantes et habitantes cum eo- b rum familiis in Cassali fouendo lares et dies festos collendo teneantur et debeant facere et substinere onera et exactiones omnes comunis Cassalis in guaytis et scaraguaytis fossatis et decenis et omnibus allys rosiis angariis et perangariis in omnibus et per omnia queadmodum faciunt et substinent ueri et uetteres burgenses Cassalis.

Quod pecunia aliqua non mutuetur ex aliquibus negotiis comunis ab aliqua persona tam intrinseca quam extrinseca sub nomine usure.

Item statutum est et ordinatum quod per comune Cassallis non possit mutuari pecunia sub usuris ab aliqua persona extrinseca uel intrinseca pro c aliquibus negotiis uel expensis cuiuscumque conditionis existat dicti comunis Cassallis et quod aliqua persona comunis Cassallis non possit nec debeat arengare seu consullere in conscilio publico uel priuato comunis Cassallis contra predicta et si quis contrafecerit uel contradixerit amittat pro pena et banno soldos xx. papienses pro quolibet et qualibet uice. Et nichillominus conscilium suum sit nullum et nullius ualloris et quod omnis obligatio facta contra predictum capitulum sit ipso iure nulla et si consulles consentirent quod proponeretur in proposta uel se obligarent nomine comunis pro aliquo debito usurario quod a dicto comuni non relleuentur.

d *De omnibus et singulis refformationibus et singulis consciliis et prouisionibus per uicarium faciendis coram credendariis antequam recedant de loco ubi celebrantur dicta conscilia legendis.*

Item statutum et ordinatum quod quilibet rector Cassalis uinculo iuramenti teneatur et debeat legi facere omnes et singullas refformationes in singullis consciliis et prouissionibus per ipsum uicarium faciendis in ipso conscilio et prouissione coram credendariis antequam ipsi credendarii recedant de domo in qua dictum conscilium et prouissio celebratum fuerit et celebrata. Et notarius qui legerit propostam seu propostas teneatur et debeat eas scribere incontinenti et ipsis scriptis legere sub

penna et banno soldorum quinque papiensium. Et a quod iudex uicarii teneatur et debeat ipsas refformationes consciliorum dictare scribi et legi facere atque publicari facere antequam uicarius iudex et capitaneus descendat de bancho sito in domibus comunis Cassallis uinculo iuramenti et antequam credendarii recedant de dicto conscilio.

De secundis cognitoribus appellationum elligendis et hoc quando offitiales comunis Cassalis eliguntur.

Item statutum et ordinatum est per comune Cassallis quando offitialles elligentur Cassallis elligantur duo secundi cognitores appellationum co- b munis Cassallis ad quos possit appellari a sententiis latis per primos duos cognitores sine petitione appellatorum qui secundi cognitores teneantur et debeant diffinire et determinare omnes questiones de quibus ad ipsos fuerit appellatum secundum ius infra tempus conuentum in statuto de appellationibus ita quod nulla sententia lata per predictos primos cognitores possit mandari executioni dicta appellatione interposita ad secundos cognitores et quod a sententia uel sententiis latis uel lata per predictos non possit appellari amplius nisi secundum quod iura permittunt.

De servitoribus comunis Cassalis et quod berretam portent. c

Item statutum est quod quilibet homo habitans in Cassalli esse possit seruitor dicti comunis habendo et portando berretam in capite sub pena et banno soldorum duorum papiensium pro qualibet uice qua fuerint inuenti sine berreta habendo super ipsis berretis arma domini domini *Galeaz* et comunis Cassallis habendo ipse seruitor siue ipsi seruitores pro qualibet requesta retracta denarios duos papienses. Qui seruitores teneantur intrare et exercere dictum offitium ad modum et formam suprascriptam et per sex menses et non minus ab initio sui iuramenti incipiendo habendo quilibet predictorum soldos sexaginta papienses pro quolibet mense tot seruitores quot uoluerint proconsul- d les comunis et quod panis sancti Stephani diuidatur equali portione inter dictos seruitores et si quis contrafecerit in aliquo predictorum perdat et soluat pro pena et banno soldos quinque papienses pro quolibet et qualibet uice Et quod potestas teneatur et debeat singullis sex mensibus emere suis expensis predictis seruitoribus gonellum unum caligas et caputium de (*brachiis*) sex panni pro quolibet ipsorum seruitorum ualloris soldorum quadraginta papiensium pro quolibet brachio et nichil aliud habere debeat a dicto comuni nec in guardiis nec allio modo nisi ut supra dictum est exceptis de pignoribus que pignorabunt de quibus habeant more solito.

Quod nulli licitum sit statuta comunis portare extra cameram rectoris uel iudicis uel militis.

Item statutum est quod non liceat alicui persone portare statuta comunis Cassallis nisi exemplata extra cameram uicarii uel iudicis seu militis comunis Cassallis nec etiam a bancho iuris precisse nisi presentibus suprascriptis dominis uicario iudice et milite seu aliquo ipsorum et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno soldum unum papiensem.

De uia coreorii que debet esse apud murum burgi ad conscilium ponenda quomodo et qualiter debet esse ampla et lata et de hoc debet fieri partitum.

Item statuerunt quod uicarius infra quindecim dies post introytum sui regiminis teneatur ponere ad conscilium quomodo et qualiter coreorium seu uia coreorii muri burgi Cassallis intus dictum burgum penes murum dicti burgi sit et esse debeat ampla et lata et expeditum apertum inter uicinos et murum predictum et quod de predictis fiat partitum celatum in dicto conscilio ad fabas albas et nigras seu ballotas et secundum quod uictum fuerit in dicto conscilio dictus dominus uicarius teneatur iuramenti uinculo obseruare et executioni mandare precisse.

De offitio proconsullum per ipsos non reffutando sub pena librarum decem pro quolibet et qualibet uice.

Item statuerunt et ordinauerunt quod illi qui fuerint proconsulles non possint dictum offitium reffutare sub pena et banno librarum decem papiensium pro quolibet et qualibet uice. Et nichillominus ipsi proconsulles dictum offitium operari a quibus penis non possit appelari nec sapiens petti nec condempnatus dicere nullam nec deffensionem sibi dari.

De deffensione padi facienda ad conscilium per dominum uicarium ponenda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet uicarius Cassallis teneatur et debeat infra mensem unum post introytum sui regiminis ponere ad conscilium generale comunis Cassallis si consciliariis ipsis aliquid prouidere uidebitur super deffensione padi prestanda.

Quod rector aliquis non presumat ad petitionem aliquorum consulum et anzianorum seu alio modo ponere ad conscilium generale comunis Cassalis quod proconsules ullo modo cassentur.

Item statuerunt quod aliquis rector Cassalis presens seu uenturus sit nec audeat nec presumat ad

petitionem aliquorum consulum uel anzianorum uel a
aliquo allio modo ponere ad conscilium generale comunis Cassallis quod proconsules ullo modo cassentur sed sint et durent in perpetuum ita quod tolli nec reuocari ipsi et ipsorum offitium non possit per aliquos statutores dicti comunis. et si aliquis rector consentiret predicta poni ad conscilium quod amittat de suo salario libras uigintiquinque papienses pro qualibet uice quas consulles et antiani dicti comunis teneantur et debeant facere dimitti de suo salario apud uel penes clauarium eiusdem comunis uinculo iuramenti et quod dictus rector quotienscumque stet conscilium de statutoribus et emendatoribus statutorum teneatur proponere in dicto conscilio quod dicti statutores non habeant bayliam aliquam in addendo seu diminuendo ali- b
quid in statuto proconsulum nec illud statutum remouendo.

De foresteriis in Cassalli non habitantibus aliquid pettere uolentibus ab aliquo terrerio uel habitatore Cassalis.

Item statutum est quod foresterius non habitans in Cassali uolens aliquid pettere ab aliquo terrerio uel habitatore Cassallis non debeat audiri nisi prius promiserit et dederit in Cassalli ydoneos fideiussores de parendo iuri et respondendo de iure in eodem loco Cassalis et de soluendis hiis omnibus in quibus ipse foresterius condempnaretur et de expensis restituendis a terrerio factis si foresterius c
subcumberet in causa.

De custodibus campanilium tam sancti Stephani quam sancti Euasii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas dicti comunis et proconsules habeant specialem bayliam super custodibus campanillium dicti comunis ut curiosius custodiantur secundum quod eis uidebitur expedire tam imponendo penas dictis custodibus quam utilia faciendo in predictis. et quod dictus potestas Cassallis et proconsulles teneantur et debeant uinculo sui sacramenti precipere dicto custodi campanilli sancti Euaxii quod non debeat descendere de campanille nisi bis pro qualibet edo- d
mada et stet ibi clausus et clauarius teneatur tenere claues et semper descendat cum licentia potestatis. et si contrafecerit soluat quinque papienses pro qualibet uice.

De cuniculis publicis et uicinalibus non occupandis per aliquem uicinorum.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona de Cassalli non debeat occupare nec occupatum tenere aliquem cunicullum seu aqueductum publicum uel uicinalem si fuerit denuntiatum per aliquem consortem sub pena soldorum uiginti papiensium pro quolibet et qualibet die qua staret ad expediendum seu ad despazandum predictum cunicullum. et insuper teneatur remondare seu remondari facere ipsum cuniculum pro rata sub eadem pena a qua pena non possit appellari nec sapiens peti nec dici nulla aliquo capitulo non obstante cuius pene et banni tertia pars sit uicarii et due partes comunis.

De aliqua edificatione non fienda super uiis Comunis sine requisitione proconsulum.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona edificare uoluerit seu eddificabit aliquod edifficium iuxta confinia aliquarum uiarum comunium que sit in burgo Cassallis tam circa menia muri burgi quam ubique per totum burgum et cerchos Cassalis penes uias publicas teneatur et debeat notum facere proconsulibus comunis antequam incipiat dictum edifficium teneatur facere et debeat secundum dispositionem et laudem predictorum proconsulum et si quis aliter dicta edificia facere presumpserit teneatur illud suis expensis dirruere siue iuste siue iniuste fecerit et quod ultra hoc perdat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos sexaginta papienses a qua pena et banno non possit appellari nec sapiens peti nec dici nulla aliquo capitulo in contrarium non obstante. de quibus penis et bannis uicarius habeat tertiam partem et comune duas partes quod capitulum legatur in publica concione infra quindicim dies post introitum sui regiminis et cridari facere in locis publicis consuetis.

Quod omnes et singuli quibus fuerit discernitum per discernitorem comunis habeant regressum contra uenditores.

Item statutum et ordinatum est quod omnes et singuli qui soluere tenentur nunc ad presens uel qui soluerent de discernimento comunis Cassallis seu quod fiat in futurum habeant et habere debeant regressum contra uenditores sediminum domorum et possessionum de quibus eis discernitum est et discernetur. et quod predicti uenditores non possint opponere exceptionem prescriptionis decem uiginti triginta quadraginta seu sexaginta annorum nec in ea exceptione opponenda aliquis audiatur. et quod dictum statutum sit perpetuum et perpetualiter obseruetur.

De illis qui ponunt ballotas debeant tenere ambas manus in bussolis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quotienscumque contingat fieri partitum aliquod ad scurtinium in conscilio uel prouixione comunis quod quilibet qui ibi fuerit teneatur et debeat ponere ambas manus in bussolis comunis et hoc sub pena et banno solidorum duorum papiensium pro quolibet contrafaciente et qualibet uice. et quod uica-

rius teneatur facere inforare dictas buxollas de panno *a* uinculo iuramenti.

De massariis forensibus non impediendis nisi pro se et suo facto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis massarius forensis alicuius persone de Cassalli non possit nec debeat detineri per rectorem Cassallis nec ad petitionem alicuius aliqua occasione nisi pro se et suo facto tantum.

Quod colectores fodrorum quilibet stet in suo cantono.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet *b* colector fodrorum que fodra imponentur in futurum per comune Cassalis debeat stare ad colligendum dictum fodrum in suo cantono uidelicet quod colector cantoni Vachar stare debeat continue ad coligendum dictum fodrum subtus porticum Mathei Codecha et colector Bergerani stare debeat subtus porticum Iohannis de Castello et colector lacus stare debeat subtus porticum Iohannis Bustarini et colector cantoni Montaroni stare debeat subtus porticum Mannuelli Binelli. et si dicti colectores non starent prout supra amittant pro pena et banno soldos duos papienses pro quolibet et qualibet uice qua steterint ad colligendum dictum fodrum.

De non soluentibus fodra quod non habeant partem in comunitatibus Cassallis et Paciliani.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quelibet persona de Cassalli que soluere debeat fodra in Cassalli et que non soluerit in futurum ipsa fodra imposita et imponenda per comune Cassallis non possit nec debeat habere partem aliquam in comunibus Cassallis uel Paciliani uidelicet de tanto extimo quanto reperietur ipsum non soluisse dicta fodra donec ipsa fodra soluerit integra. et quod proconsules dicti comunis una cum superstitibus et consullibus comunitatum teneantur et debeant uinculo iuramenti tempore dandarum sortium dictarum comunitatum antequam ipse sortes dentur in- *d* quirere in libris dicti comunis omnes de Cassalli debentes soluere dicta fodra et omnibus quos inuenerint non soluisse nullam dare partem in dictis comunibus donec soluerint dicta fodra integra dicto comuni et hoc sub pena et banno soldorum sexaginta papiensium predictis superstitibus et consullibus ipsorum comuni tantum pro quolibet ipsorum cuius pene tertia pars sit domini uicarii et due partes comunis.

Quod aliquis non possit contra aliquem allegare quod aliquis filius non sit patris uel matris sue.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona de Cassalli uel aliunde non audeat nec presumat nec possit opponere nec allegare nec excipere contra aliquam personam de Cassalli in aliqua causa ciuili uel criminali quod non sit filius uel filia patris uel matris sed habeatur et esse intelligatur unusquisque de Cassalli filius et filia patris et matris dummodo illa persona contra quam fieret oppositio exceptio uel allegatio non sit publice reputata uel uocata bastardus uel bastarda. et si quis contra predicta fecerit amittat pro pena et banno libras uigintiquinque papienses pro quolibet et qualibet uice et ultra hoc non ualeat exceptio oppositio uel allegatio nec teneat ullo modo cuius pene et banni tertia pars sit domini uicarii tertia accusatoris et tertia comunis. et possit quilibet accusare et accusatori credatur cum sacramento et intelligatur esse quilibet filius et filia patris et matris qui et que ipsum uel ipsam nutrierint in domo et tractauerint pro filio uel filia.

De terronis non fiendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona cuiuscumque conditionis existat non audeat uel presumat facere uel fieri facere aliquos terronos in aliqua parte poderii Cassallis in piorda Padi sub pena et banno solidorum sexaginta papiensium pro quolibet et qualibet uice de quibus possit quilibet accusare et accusatori credatur cum sacramento habendo tertiam partem banni uicarius *c* tertiam et comune aliam tertiam saluo quod quilibet possit facere terronos in sua possessione.

De interpretatione dubii per consules facienda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua questio oriatur inter potestatem Cassalis et comune uel aliam specialem personam pro aliqua obscuritate uel dubio alicuius capituli quod proconsules qui pro tempore fuerint teneantur ipsam obscuritatem seu dubium interpretari et declarare secundum quod eis uidebitur declarandum et quidquid fecerint in predictis ualeat et teneat aliquo capitulo in contrarium loquente non obstante. et uicarius teneatur dare attendere predicta sub uinculo iuramenti precisse.

Quod proconsules teneantur inquirere banna precedentis potestatis ad introytum clauarii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod proconsules futuri teneantur uinculo iuramenti inquirere et examinare infra decem dies post introitum sui offitii omnes condempnationes et banna precedentis potestatis cassata et non cassata cum introytu clauarii ita quod si aliqua condempnatio uel bannum fuerit cassatum et non positum in recepto clauarii quod illa persona sic cassata habeatur pro non cassata sed soluere teneatur dictum bannum dicte condempnationis et inde teneatur facere inquisitio-

nem de predictis sicut fuerit ei denuntiatum per a predictos proconsules.

Quod banna foresteriorum adequentur bannis illorum de Cassali.

Item statuerunt et ordinauerunt quod banna foresteriorum adequentur bannis illorum de Cassali in omnibus articulis et non teneantur plus soluere de aliqua re quam solent illi de Cassalli saluo si plus soluerent in terris suis tantum soluere debeant.

De questionibus sumarie diffiniendis per uicarium uel iudicem Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod potestas b Cassallis siue eius iudex aut alter ipsorum qui ius rediderit qui nunc est et qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant uinculo iuramenti omni exceptione iuris et facti remota cognoscere diffinire et terminare omnes questiones coram ipsis uel aliquo ipsorum uertentes sine libelli oblatione et actionis cuiuslibet oppositione sed simpliciter et de plano atque sine strepitu et figura iuditii cognosci et terminari debeant et ut dilationum materia amputetur dictuś potestas siue iudex dictam cognitionem et terminationem cuiuslibet questionis quantumcumque poterit facere debeat breuiores exceptiones et dillationes frustratorias partium repellendo. non tamen predicti potestas et iudex predictam cognitionem seu determinationem cuiuslibet questionis in c tantum abreuient quin probationes et deffensiones legittimas admittantur et citatio fiat et qualis qualis petitio fiat et in actis scribatur per actorem simplex et absque iuris solempnitate. super qua petitione simplici positiones et capitula formari possint et sententia ferri cuius simplicis petitionis facta copia reo expensis actoris et per ipsum actorem reo detur terminus trium dierum ad deliberandum et respondendum ipsi petitioni et non ultra nisi cum iusta et euidenti causa et si questio fuerit a decem libris infra non detur terminus ad deliberandum et respondendum nisi per unam diem tantum et maxime si actio personalis fuerit. quibus terminis ellapsis si per reum non fuerit responsum dicte petitioni confitendo uel negando tunc habeatur lix d pro contestata omnino in quibus causis si testes aliqui producantur citentur partes ad uidendum ipsos testes iurare et etiam ad publicationem ipsorum. et quod dictus iudex possit partes interrogare et quamlibet ipsarum tam ex offitio suo quam ad instantiam partis quolibet tempore cognitionis predicte ubi hoc equitas suadebit. et quod aliqua partium littigantium non possit nec ualeat sententiam latam modo quo supra in causis premissis uel aliqua ipsarum dicere nullam uel non ualere quia iuris solempnitas sit obmissa in ipsa causa. breues uero questiones que non excedant summam sexaginta soldorum papiensium dictus iudex per iusiurandum parti honestiori defferendum in arbitrio dicti iudicis absque littis contestatione et expensis omni modo decidere teneatur et sine eo quod petitio scribatur uel detur in scriptis. diffinitiuas uero sententias super questionibus excedentibus summam decem librarum dictus iudex in scriptis proferat postquam fuerit in causa conclusum infra octo dies nisi expectetur conscilium iudicis intus uel extra. quo conscilio habito ipsum conscilium ea die uel sequenti iuridica qua ipsum habuerit omnino faciat publicari. non excedentes uero summam dictarum librarum decem papiensium nec minores sexaginta soldorum tam sine scriptis quam in scriptis et tam stando quam sedendo ualleat et debeat infra tertiam diem post conclusionem terminare citatis tamen ambabus partibus ad ipsas omnes sententias audiendas. si uero in aliqua dictarum causarum aliqua sententia interlocutoria proferatur pars subcumbens in ipsa interlocutoria parti obtinenti expensas restituat secundum quod per iudicem fuerint taxate. et quod in causis in quibus exigetur probatio per instrumenta delato prius sacramento per iudicem partibus si probare uoluerint per instrumenta uel per testes uel per utrumque si pars dixerit se uelle probare per instrumenta suo sacramento ut supra dictum est non possit nec debeat eidem uolenti probare per instrumenta maior terminus trium dierum assignari pro primo termino nec pro secundo nec pro tertio etiam maior aliorum trium dierum pro quolibet termino minor uero sit in arbitrio iudicis parti uero uolenti probare per testes possit maior terminus assignari inspecta facti qualitate per ipsum iudicem. et si predicti potestas uicarius siue iudex contra predicta uel aliquid predictorum fecerit et dictum ius sumarium unicuique persone non redidierint et fecerint ut supra dictum est amittat pro pena et banno pro qualibet uice qua contrafecerint libras decem papienses in quibus sindicentur per proconsulles dicti comunis et consulles uel per aliquos ipsorum tempore sui sindicatus et quilibet possit predictos potestatem et iudicem accusare et accusatori credatur cum duobus testibus sufficientibus et hoc sub pena et banno librarum decem papiensium predictis consullibus proconsullibus et qui tunc temporis fuerint si predicta facere recussabunt.

De pontibus fiendis in possessione Cassalis super stratis comunis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes pontes necessarii super stratis comunis tam in uineis quam in agris ubi labuntur aque fiant et fieri debeant per proconsulles comunis et clauarium dicti comunis de ere comunis Cassallis et hec teneantur dicti proconsulles et clauarius facere et quando eis fuerit denuntiatum per quatuor uicinos propinquiores dicti pontis habentes ibi facere infra unum mensem sub uinculo iuramenti precisse.

De denuntiis manutenendis per eas facientes.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona fecerit aliquam denuntiam seu accusam de aliqua persona de Cassalli ex aliqua causa non declarata per statuta comunis Cassallis quod illa persona denuntians uel accusans teneatur et debeat dictam denuntiam seu accusam manutenere. et si ipsam denuntiam uel accusam per se factam non manutenuerit et probauerit teneatur et debeat illam penam pati et soluere quam pateretur et soluere deberet persona denuntiata uel accusata si probata esset dicta denuntia uel accusa et expensas restituere persone denuntiate uel accusate sicut per iudicem Cassallis taxate fuerint.

De pena petentium debita iam soluta.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona petierit in iuditio aliquod debitum seu aliquod aliud ab aliqua persona de Cassalli uel que habitet in Cassalli de quo debito uel re petita appareat uel probetur solutionem factam fuisse predicto petenti siue ei uel illis ad quos uel ad quem pertinebat dictum tale debitum uel res petita quod illa persona que predicta petierit post factam solutionem ut supra amittat pro pena et banno tantum quantum esset et est illud quod per illam personam petentem petitum fuerit cuius pene tertia pars sit potestatis Cassallis tertia comunis et tertia illius a qua predicta petita fuerint. et ultra predicta expensas restituat ei a quo petitum fuerit tassatas per iudicem Cassalis et a quibus penis et bannis non possit appellari nec dici sententiam nullam.

Quod nulla persona que habitet in Cassali non possit ponere nec tenere aliquod impedimentum in platea Cassalis nec in spatiis ecclesiarum sanctae Marie et sancti Iohannis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona de Cassalli uel que habitet in Cassalli audeat uel presumat ponere uel poni facere uel tenere d
aliquod impedimentum in platea Cassalis nec in spatiis sitis ante ecclesias sancte Marie et sancti Iohannis de Cassalli et hoc sub pena et banno soldorum decem papiensium pro quolibet et qualibet uice qua tenerent ipsum impedimentum in dictis locis. et quod potestas siue rector Cassallis teneatur infra octo dies postquam iurauerit suum regimen preconizari facere quod nulla persona teneat aliquod impedimentum in dictis plateis siue spatiis. et quod predicta teneatur dictus potestas inquiri facere omni edomada si in dictis locis esset aliquod impedimentum sub uinculo iuramenti precisse. cuius pene tertia pars sit dicti potestatis et due partes comunis Cassallis.

a *Quod nulla persona que habitet in Cassali ponere non possit aliquod banchum seu discum ante domum alicuius de Cassali.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona de Cassalli uel qui habitet in Cassalli non audeat uel presumat ponere seu poni facere nec tenere aliquod discum seu banchum ante domum alicuius de Cassalli. uel qui habitet in domo alicuius de Cassalli sub pena et banno soldorum quinque papiensium pro quolibet et qualibet uice et qualibet die cuius pene tertia pars sit domini potestatis et alie due partes comunis saluo si esset de uoluntate et parabola domini domus antequam ibi esset dictum discum uel banchum uel de uo-
b luntate proconsulum comunis in quibus casibus scilicet cum licentia predictorum teneri possit impune.

De clericis non euntibus in habitu clericali.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis clericus coniugatus qui non incedat in habitu clericalli comiserit aliquid contra ius uel contra statuta comunis Cassallis uel aliquid aliud fecerit uel dixerit propter quod debeat aliquam penam pati possit et debeat puniri et condempnari et ab eo pena debita exigi possit per potestatem et rectorem Cassalis sicut ab alliis laycis non obstante aliquo priuilegio uel instrumento clericatus. et si quis
c ex talibus clericis impetrauerit aliquas litteras uel presentauerit contra comune uel contra aliquem rectorem Cassallis uel alliam personam causa deffendendi de predictis uel causa non soluendi dictam penam quod tunc sit a comune Cassallis in omnibus derelictus taliter quod nulla persona penam aliquam patiatur de aliquo dampno sibi facto uel illato in bonis ipsius nec sibi aliqua fieri debeat restitutio a comune de aliquo dampno sibi facto uel fiendo nec aliquod auxilium uel fauorem habere possit a comune donec paruerit in totum mandatis dicti comunis et potestatis Cassallis.

Quod nullum carrigium fieri possit alicui forensi pro aliquibus fortiliziis fiendis.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona de Cassalli uel que habitet in Cassalli non possit facere aliquod carrigium in domo seu pro mercede alicui forensi uel alicui allii persone undecumque sit et cuiuscumque conditionis existat pro faciendo allias fortilitias extra possessionem Cassallis uidelicet ducendo cum bobus assinis uel assinabus equis uel equabus aliquod lignamen lapides cupos calzinam madonos sabienum nec aliqua allia necessaria pro dictis fortalitiis fiendis nec etiam predicta seu aliquod predictorum ducere cum predictis bobus assinis uel assinabus equis uel equabus que debet extrahi seu aliquo tempore extraheretur de predicto poderio et iurisdictione

Cassallis sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice librarum decem papiensium et quilibet contrafacientes seu contrafacientem possit accusare et accusatori credatur absque aliqua probatione habendo accusator tertiam partem dicti banni potestas tertiam et comune tertiam a quibus penis et bannis et accusationibus non possit appellari nec sapiens peti nec dici sententiam condempnationis seu accusas esse nullam seu nullas. quod statutum inuiolabiliter obseruetur secundum quod littera iacet et secundum quod scriptum est.

Baylia data per comune consciliariis comunis Cassallis de anno MCCCL. *sub regimine domini Alberti de Incissa.*

Hec est baylia data et attributa conscilias et consciliaris comunis Cassallis per comune uniuersitatem homines populum et personas Cassallis congregatis et conuocatis predictis sono campanae et uoce preconia de mandato nobilis et potentis et egregii uiri domini Alberti marchionis de Incissa potestatis comunis et burgi predicti sub anno currente MCCCL. indictione tertia die uigesimo octauo mensis octubris et existentibus apud ecclesiam beati sancti Euasii in tota plena predicta ac generali congregatione uniuersitatis comunis hominum populi et personarum Cassallis ibidem facto partito per sapientem et laudabilem uirum dominum Gregorium de Aragnaria iurisperitum iudicem dicti domini potestatis et comunis super dicta baylia danda conscilio et consciliariis predictis de sedendo ad leuandum ut moris est placuit et obtentum fuit inter omnes de uniuersitate predicta nemine discrepante quod illi qui sunt de conscilio comunis Cassallis et qui pro temporibus fuerint habeant plenam et omnimodam bailiam auctoritatem et potestatem deliberandi prouidendi ordinandi et refformandi de omnibus et super omnibus et singullis negotiis dicti comunis presentibus et futuris siue que et aliqualiter dictum comune tangere possent et que eisdem consciliariis siue maiori parti ipsorum pro dicto comuni utilia uidebuntur ita et taliter quod quicquid deliberatum prouisum et ordinatum refformatum et factum fuerit per predictos consciliarios siue per maiorem partem ipsorum in omnibus et per omnia et perpetue ualleat et teneat et plenum robur obtineat firmitatis ac si per prefatam uniuersitatem et predictos comune homines populum et personas factum foret. saluo quod predicti consciliarii non possint statuta condere corrigere emendare nec ipsis addere nec supplere nec etiam expendere dare remittere nec compensare aliquo casu uel ingenio de auere comunis Cassallis nec prouidere seu refformare de expendendo dando remittendo seu expendendo de auere comunis predicti nisi usque ad quantitatem librarum uigintique papiensium et nisi de infrascriptis et super infrascriptis uidelicet sallariis potestatum uel rectorum capitaneorum comunis Cassallis pro-

a consulum ambaxiatorum campariorum custodum campanillium turrium bichocharum clauarii et seruitorum dicti comunis presentium et futurorum et nisi super expensis elemosine que fit et denariorum qui dantur omni anno fratribus minoribus et heremitanis pro subsidio uestimentorum suorum et matonorum qui dari debent omni anno fratribus heremitanis occasione relleuatorum ecclesie ipsorum. si uero expedierit pro utilitate dicti comunis aliquid ultra quantitatem predictam de auere dicti comunis expendere dare remittere seu compensare quod tunc et in eo casu consciliarii et conscilium quadragintorum seu maior pars ipsorum qui pro tempore fuerint habeant bayliam et omnimodam potestatem statuendi statuta corrigendi emendandi
b suspendendi statutis detrahendi addendi et supplendi ac etiam expendendi remittendi et compensandi de auere comunis predicti et prouidendi et refformandi de expendendo dando remittendo et compensando de auere predicto in quacumque quantitate faciendo de predictis inter ipsos de conscilio scurtinium et aliter non ualeant predicta. Item quod dictum conscilium quadragintorum siue maior pars ipsorum habeant omnimodam auctoritatem et bailiam ratifficandi confirmandi et approbandi omnia et singulla que ab hodie retro per conscilium et consciliarios dicti comunis prouisa ordinata et refformata fuerint. Item quod conscilium et consciliarii uigintiquinque qui nunc sunt et pro temporibus fuerint siue maior pars ipsorum
c habeant illam auctoritatem et bayliam quod conscilium generale dicti comunis et ultra habeant plenam et omnimodam potestatem statuta condendi corrigendi suspendendi emendandi ipsis addendi supplendi et detrahendi ac etiam expendendi dandi remittendi et compensandi de auere comunis predicti in ea quantitate que dicto conscilio siue maiori parti ipsius pro utilitate dicti comunis uidebitur expendere et omne et totum id quod factum fuerit per predictos consciliarios et conscilium quadragintorum et conscilium et consciliarios uigintiquinque siue per maiorem partem ipsorum in predictis et circa predicta in perpetuo ualleat et teneat et plenum robur obtineat quemadmodum si per predictam uniuersitatem et predictos comune
d et homines populum et personas Cassallis factum foret et sicut si de predictis omnibus et singulis in statutis comunis specialis mentio facta foret. que quidem omnia et singula uoluerunt et decreuerunt nunc et in futurum pro statuto precisse et inuiolabiliter conseruari demum cum confirmata fuerint per prefatum dominum.

Quod mater uel auus maternus uel aua materna uel allia persona de ascendentibus uel de superioribus ex materna linea non possit nec debeat succedere alicui persone sine testamento decedenti.

Item statuerunt decreuerunt et ordinauerunt quod

mater nec auus maternus nec aua materna nec ali- a
qua persona de ascendentibus uel de superioribus ex materna linea tantum nec ex eadem linea tantum tamquam colateralis attinens non possit nec debeat succedere in toto nec in parte alicui persone deffuncte uel decedenti intestate proprie uel improprie nec de bonis uel hereditate eius aliquid in toto uel in parte pettere percipere uel habere existentibus agnatis dicte persone taliter deffuncte uel decedentis usque ad quartum gradum incluxiue computando gradus sicut inter colateralles de iure canonico computantur. et insuper non possint nec debeant persone predicte nec aliqua ipsarum testamentum donationem nec aliquam alliam ultimam uoluntatem eius deffuncti uel decedentis factam
uel que in futurum fieret inter predictos agnatos b
uel aliquem ipsorum tantum rompere querelare seu aliquo modo uel causa infringere uel anullare seu aliquid facere dicere proponere uel opponere propter quod aliquis ex predictis agnatis non habeat et percipiat totam et uniuersalem hereditatem ac etiam omnia et singulla et uniuersa bona persone deffuncte uel decedentis ut supra dictum est. et quod aliqua persona non possit nec debeat mouere uel moueri facere questionem littem causam seu controuersiam alicui persone contra presens statutum sub pena librarum centum papiensium cuilibet contrafacienti et qualibet uice nec debeat aliquis aduocare uel procurare in contrarium sub pena librarum uigintiquinque papiensium pro quo-
libet et qualibet uice et sub pena librarum de- c
cem papiensium pro quolibet notario pro qualibet uice qua aliquid scriberet ob causam predictam contra presens statutum quarum penarum tertia pars sit domini potestatis uel rectoris tertia prefati domini et tertia comunis Cassallis. et que pene incontinenti exigantur absque condempnatione et non obstante appellatione aliqua seu petitione cognitoris et sapientis. et quod potestas Cassallis uel eius iudex uel milles uel etiam aliquis alius rector Cassallis non debeat prebere nec audientiam dare alicui persone contra presens statutum sub uinculo iuramenti et sub pena librarum uigintiquinque papiensium de eorum salario. et nichilominus quicquid factum esset uel fieret contra predicta uel
aliquod predictorum non ualeat nec teneat ipso d
iure. quod quidem statutum uoluerunt locum et uigorem optinere tam in causis littibus questionibus seu controuersiis pendentibus et preteritis quam etiam in futurum mouendis uel que moueri possint quod statutum decreuerunt esse trunchum et precissum et perpetuo presens statutum inuiolabiliter ualiturum non obstante lege aliqua uel statuto generali uel speciali facto uel fiendo in contrarium loquente quibus per hoc statutum derrogatum esse uoluerunt.

De familia quam tenere debet potestas Cassallis et equis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas Cassallis teneatur et debeat habere et tenere continue in Cassalli durante suo regimine tres equos quorum unus sit de armis et unum iudicem bonum et sufficientem et duos collateralles et duos domicellos unum scuttifferum et unum cochum et tres barruerios et pro quolibet equo quem non teneret uel non haberet perdat pro quolibet die de suo sallario soldos decem papienses et totidem pro quolibet domicello et barruerio pro quolibet die et pro quolibet collateralli soldos uiginti papienses pro quolibet die et pro iudice totidem. et predicta inquirere teneantur proconsulles ad minus semel in mense sub debito iuramenti et sub pena soldorum centum pro quolibet ipsorum contrafaciente. qui iudex et collateralles teneantur attendere et obseruare atque facere omnia que ad eorum offitium spectant et spectabunt et que in statutis comunis continentur et dare operam et conscilium quod potestas se saluet de suo sacramento et quod obseruet statuta predicta. et quod dictus potestas teneatur et debeat constituere et ordinare unum de sua familia magis ydoneum qui sit exactor et exigere debeat banna condempnationes facta et factas per ipsum potestatem et predecessorem suum tempore eorum regiminis et fodra inquartata et alia debita et iura dicti comunis et facere et curare quod predicta omnia ueniant in comune seu in clauarium dicti comunis et quod potestas Cassallis qui nunc est uel qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat uinculo iuramenti legi facere in conscilio generalli dicti comunis scilicet per unum ex notariis dicti comunis hoc statutum a principio usque ad finem quolibet mense quando ratio clauarii legitur. et quod nullus potestas possit nec debeat secum tenere aliquem collateralem iudicem seu famulum allium qui stetisset cum potestate predecessore suo. et si quis potestas contrafecerit amittat de suo sallario libras quinquaginta papienses pro quolibet eorum quos teneret. et quod dictus exactor habeat unum ex notariis comunis et habeat pro suo labore et exactura dictus exactor soldum unum papiensem pro qualibet libra et notarius denarios sex. et berruarii domini potestatis habeant pro eorum labore pro quolibet pignore soldos quinque et ab inde infra imperialem unum et a soldis quinque supra usque in uiginti imperiales duos et ab inde supra imperiales duos pro qualibet libra. et seruitores comunis habeant de quolibet pignore a soldis uiginti infra denarios tres papienses et ab inde supra imperialles tres. et sunt dicta pretia parue monete. et hec omnia soluantur per debitores et expensis debitorum. saluo quod ubi supra dicitur quod dictus exactor habeat soldum unum pro qualibet libra inteligatur de fodris inquartatis tantum et non de aliis.

De sacramento proconsulum comunis faciendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet proconsul dicti comunis in principio sui offitii teneatur et debeat facere sacramentum in conscilio generali dicti comunis in hac forma. ego proconsul comunis et hominum Cassalis iuro ad sancta Dei euangelia corporaliter tactis scripturis facere et exercere meum offitium proconsularie usque ad tres menses proxime futuros bona fide et sine fraude ac sine aliqua barataria et cum diligentia exactissima curare et facere meo posse quod semel in mense ad minus inquiram et inquiri faciam omnes et singulos officiales comunis Cassalis tam pertinentes ad ius publicum quam priuatum singularum personarum dicti comunis et si inuenero aliquos offitialles fraudolosos uel erroneos eorum scelera et errores denuntiabo et notificabo rectori Cassallis. et malle comissa et omissa per ipsos offitialles toto posse curabo et faciam quod predictis tallibus officiallibus fraudolosis et malle comittentibus iniungatur pena debita et quod per potestatem comunis puniantur. et quod suadebo potestati et eius iudici seu uicario et collaterallibus dicti potestatis quod attendent et obseruabunt omnia statuta et refformationes seu prouisiones dicti comunis factas et que fient tempore sui offitii et regiminis. et quod in omnibus et per omnia equalis iustitia fiat et reddatur cuilibet persone non habendo respectum ad parentellas Cassallis nec ad partes et iura et honores cuiuslibet persone de Cassali conseruentur et specialiter comunis et quod statutum sindicatus potestatis dicti comunis et eius familie attendatur et obseruetur sicut littera sonat et iacet. et quod es dicti comunis saluetur et gubernetur nec expendatur nisi secundum quod permittunt et concedunt statuta et prouisiones dicti comunis. et generaliter omnia fatiam que michi uidebuntur utilia dicti comunis et inutilia pretermittam posse meo. et quod gratia et pretextu mei ofitii non accipiam per me uel per alium a dicto comune uel ab allia singulari persona publice uel priuatim aliquod munus donum uel promissionem modo aliquo qui dici uel excogitari possit nisi salarium michi concessum per dictum comune uidelicet libras tres papienses pro quolibet mense pro quolibet ipsorum. et quod procurabo et denuntiabo dicto potestati quod exigat et exigi faciat omnes condempnationes que fient tempore sui regiminis et etiam factas tempore sui predecessoris et pretium seu pignora ipsarum condempnationum consignentur et dentur clauario dicti comunis omni mense.

Quod quilibet possit alteri stipulari et acquirere.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet possit stipulari et aquirere nomine et uice alterius etiam abscentis et quod ex ipsa stipulatione et acquisitione ius acquiratur illi cuius nomine stipula-
a tum et acquisitum fuerit non obstante aliquo in contrarium faciente uel loquente.

De eo cui bonis interdictum est.

Item statuerunt et ordinauerunt quod cuicumque de quo probabitur per publicam uocem et famam saltem per quinque testes bone oppinionis et omni suspitione carentes quod sit prodigus et insensatus uel discipator bonorum suorum per ludum taxillorum uel uitium gulle uel luxurie uel quod sit mentecaptus uel prodigus uel furiosus quod ad petitionem patris uel matris uel fratris uel sororis uel uxoris uel filiorum uel eis defficientibus ad petitionem duorum ex propinquioribus suis interdicatur
b administratio bonorum sumarie et de plano et sine strepitu et figura iuditii per quemcumque iusdicentem uel rectorem Cassallis. et facto predicto interdicto teneatur et debeat iusdicens siue rector secundum interdictum in publico arengo facere anuntiari in plateam Cassallis super lapidem comunis. et ulterius teneatur et debeat super dictum lapidem uoce preconis et in contrata et uicinia ipsius interdicti per uicos Casalis facere preconizari quod tali-interdicta est administratio bonorum suorum quibus interdicto nuntiatione et crida sic factis nulla persona contrahat cum predicto sic et taliter quod interdicto nec cum ipso uel contra ipsum in iuditio actio esse possit. et si quis contractus uel distractus factus fuerit cum predicto taliter
c interdicto ipso iure et facto sit nullus et pro infecto habeatur sed ipsi taliter interdicto et eius bonis ad postulationem cuiuslibet predictorum qui interdictum petierit et ad petitionem cuiuslibet uollentes agere cum eo teneatur et debeat predictus iusdicens dare curatorem qui curator habeat administrationem bonorum rerum negotiorum et causarum predicti taliter interdicti secundum quod iura disponunt. duret autem et durare debeat predictum interdictum usque quo predictus taliter interdictus probauerit coram iusdicente Cassalis per quinque testes bone opinionis et fame omni suspitione carentes uicinos uel attinentes talis interdicti quod ipse interdictus post ipsum interdictum sit fuerit et steterit boni regiminis per duos annos tunc pro-
d xime precedentes a die oblationis siue petitionis. et in predictis omnibus et singulis procedatur per quemcumque iusdicentem comunis Cassallis sumarie et de plano sine strepitu et figura iuditii.

De cessione bonorum fienda super lapidem comunis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quicumque captus et detentus uolens cedere bonis suis admittatur ad bonorum cessionem seruata infrascripta forma uidelicet quod ipse probet coram potestate uel iudice Cassalis se stetisse et quod steterit in carcere comunis per dies sexaginta die noctuque. et ipsa probatione sic facta uoce preconia premissa per seruitores comunis in publica concione pre-

dictus uolens bonis cedere publice et alta uoce su- a
per lapidem comunis cridet et protestetur quod ipse talis captus cedit bonis et omnia bona sua et singula presentia et futura exceptis uestibus de dosso ipsius cedentis libere dimittit et rellaxat creditoribus suis liberam licentiam accipiendi et aufferendi eius bona quocumque et ubicumque ea inuenerint eorum propria auctoritate usque ad solutionem integram eius quod habere debent. et quod cessioni bonorum nec eius benefitio non possit renuntiari pacto renuntiatione remissione conuentione sacramento uel contractu seu aliqualiter. et ille qui amodo cedet bonis uel qui fecerit cessionem non possit habere aliquem honorem uel aliquod officium qui uel quod descendat a comune Cassalis nec possit esse procurator uel curator nec sindi- b
cus nec incantator redituum comunis nec etiam in aliqua causa actor.

De hiis qui possunt cogi ad compromittendum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si de cetero fuerit questio lis causa controuersia uel discordia aliqua inter ascendentem et descendentem uel inter agnatos et cognatos uel affines affinitate presenti uel preterita uel inter uicinos eiusdem contrate distantibus domibus ipsorum uicinorum una ab alia usque ad decem domos ab utraque parte strate uel uie teneatur et debeat potestas Cassallis et eius iudex postquam eis uel ei nuntiatum fuerit per aliquam partium cogere eos ad com- c
promittendum in amicum seu amicos comunes per partes eligendum seu elligendos omnibus iuris remediis uidelicet mulctando et penas aufferendo ad arbitrium potestatis seu iudicis et ipsos personaliter detinendo. et quod a sententiis preceptis arbitriis et arbitramentis predictorum arbitrorum et arbitramentorum non possit appellari nec dici nulla nec esse iniqua seu iniusta uel ad boni uiri arbitrium reducenda sed ellapso termino seu terminis consuetis in ipsis preceptis arbitriis seu arbitramentis uel ellapsis decem diebus si terminus non fuerit appositus in eis debeant executioni mandari omnibus iuris remediis ut supra dictum est per predictum potestatem et eius iudicem sub uinculo iuramenti quod statutum locum habeat in omnibus d
alliis personis de Cassalli et habitantibus ibidem.

De modo et forma dandi curatorem bonis uacantibus et indeffensis et personis non habentibus ad standum in iuditio et personis abscentibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona agere uoluerit uel causam mouere contra hereditatem uel bona uacantia uel aliqua ex ipsis bonis alicuius deffuncti tunc iudex comunis Cassallis et potestatis siue ipse potestas ad petitionem dicti actoris citari et requiri faciat et cridari in platea comunis Cassallis et ante domum solite habitationis dicti deffuncti publice et alta uoce quod si quis est uel esse uult heres dicti deffunti uel deffendere bona ipsius deffuncti debeat infra sextam diem tunc proxime futuram coram iudice uel potestate comparere alioquin daretur per predictum iudicem uel potestatem curator ad ipsam causam tantum quam dictus petitor seu actor mouere intendit in ipsis bonis uacantibus. et si occasione citationis uel cride comparuerit aliqua persona infra dictum terminum dicens se uelle esse heredem dicti deffuncti uel deffensionem ipsius cause littis uel questionis in se suscipere non audiatur nec propterea impediatur datio curatoris nisi prius infra tres dies a die comparitionis numerandos docuerit seu probauerit se esse heredem uel de suo interesse coram iudice uel potestate predicto que probatio sufficiat fieri in actis sumarie absque allia iuris solempnitate et si infra dictum terminum sex dierum aliquis non comparuerit qui uellit esse heres uel dicat se esse heredem dicte talis persone deffuncte uel suscipiens in se legiptime causam predictam tunc ellapso termino predicto sex dierum dictus iudex uel potestas bonis ipsius persone deffuncte quem uellit ipse iusdicens dare et constituere teneatur et debeat et det et constituat in curatore ad causam predictam. qui curator non teneatur facere inuentarium nec fideiussorem dare cum quo curatore sic facto et constituto possit agi et experiri et iuditium agitari et processus in ipsa causa fieri et peragi quemadmodum potuisset cum dicta persona deffuncta tempore quo uiuebat et fuisset legittime etatis et quicquid per ipsum curatorem et contra eum in ipsa causa litte uel questione factum et gestum fuerit tamquam cum legittimo curatore et legittima persona factum et gestum ualleat et teneat non obstante quod aliquis postea comparuerit dicens et ostendens se esse heredem dicte tallis persone deffuncte uel se legittimum deffensorem dictorum bonorum et hereditatum. si uero agere quis uoluerit contra aliquam personam uel eius bona non habentem legittimam personam standi in iuditio uel contra aliquem absentem uel eius bona et intelligatur absens qui tempore citationis et cride non habitauerit in Cassalli tunc fiat citatio ad domum dicte talis persone siue abscentis et etiam in platea comunis quod si est aliquis qui sit uel esse possit uellit tutor uel curator dicte tallis persone non habilis ad standum in iuditio uel qui uellit dictam personam abscentem et res et bona ipsius abscentis deffendere infra terminum sex dierum debeat comparere coram dicto iusdicente alioquin daretur curator dictis tallibus personis et bonis ipsorum quibus sic peractis et nullo comparente detur curator dictis tallibus personis modo premisso. qui curator datus ut supra dictum est possit et debeat et teneatur esse et prosequi in dicta causa principali et in causa appellationis et appellationum descendentium ab ipsis causis principalibus et cum ipso curatore et contra ipsum et bona ipsorum fiat executio cuiuslibet sententie quemadmodum fieret contra principalem per-

sonam si esset legiptime etatis et quemadmodum fieret nunc uel tunc abscentem si presens esset et ipsorum bona. et si per predictos talles curatores nichil repperiatur uel sit expeditum in bonis dictorum debitorum uel debitoris unde possit satisfieri creditori uel creditoribus sic agentibus de eo quod habere deberent tunc intelligantur bona predictorum esse legiptime excussa et per iusdicentem pronuntiari debeat creditorem uel creditores habere debere et posse regressum et ius pettendi et agendi contra possessores et bonorum detentores.

De compromissis.

Item statutum et ordinatum est quod addatur statuto superius scripto sub rubrica de hiis qui possunt cogi ad compromittendum et eidem statuto additum esse intelligatur ut infra uidelicet quod omnes ille persone de terra Cassallis et ibidem habitantes que receperint in se compromissa teneantur et debeant precisse infra unum mensem a die recepti compromissi sententiam pronuntiare et laudare et arbitramentari in dictis causis littibus questionibus ac controuersiis propter quas a partibus fuerint ellecti. et hoc sub pena librarum quinquaginta papiensium pro quolibet ipsorum arbitrorum et arbitratorum et qualibet uice qua contrafecerint quam penam dictus potestas presens et qui uenturi erunt teneantur et debeant uinculo iuramenti exigere.

Quod quando fiunt laboreria comunis per decenas iudex non teneatur ire ad banchum iuris.

Item prouiderunt super statuto posito sub rubrica de iure reddendo per iudicem quod iudex tempore quo comune Cassallis fecerit laboreria per decenas dicti comunis non teneatur ire ad banchum iuris.

Liber secundus de malefitiis.

Quod nullus presumat dicere iniuriam et uerba iniuriosa potestati iudici et eius militi que si dixerit soluat penam ut infra.

Item statutum et ordinatum est quod si quis dixerit iniuriam seu uerba iniuriosa potestati Cassallis uel eius iudici seu militi soluat pro quolibet uerbo quacumque uice soldos decem papienses. et si aliquis dismentiuerit iudicem potestatem seu militem uel diceret eis uel alicui ipsorum quod esset falsus uel traditor soluat pro qualibet uice solidos centum papienses.

De blasphematione beate Virginis Marie.

Item statutum est quod si aliqua persona blasphemauerit Deum seu beatam Virginem Mariam soluat pro pena et banno qualibet uice soldos sexaginta papienses et quilibet possit accusare et ei credatur de quo quidem banno potestas habeat tertiam partem accusator tertiam et comune tertiam. quam uero penam si soluere non poterit debeat fustigari per totum burgum Cassallis. quod capitulum potestas teneatur preconizari facere per uias publicas Cassallis. Iddem intelligatur de illis personis que dicerent mallum uel allia turpia uerba de Deo et uirgine Maria uel alliis sanctis.

De rixa non comouenda in platea.

Item statutum est quod si aliquis fecerit uel mouerit rixam in platea et in illa extraxerit gladium soluat pro pena et banno libras decem papienses et si clamaret et exclamaret ad arma contra bonum statum Cassallis et faceret tumultum in populo puniatur in libris quinquaginta papiensibus et si dominus potestas faceret fieri stermittam uel faceret poni sua banna et precepta per seruitores comunis quod homines Cassallis deberent capere arma et uenire ad domum suam siue ad plateam Cassallis quod tunc omnes homines Cassallis teneantur et debeant uenire cum armis ad domum potestatis uel in platea comunis ad deffendendum honorem potestatis et rectoris comunis Cassalis in omni bono statu potestate ac libertate et attendere et obseruare precepta rectorum cuiuslibet ipsorum. et si quis contrafaceret uel predicta facere recussaret dominus potestas uel rector plenam licentiam habeat et potestatem capiendi ipsum. ad que omnia facienda et executioni mandanda omnes de Cassalli teneantur prestare et auxilium dare et fauorem ipsi domino potestati uel rectori uinculo iuramenti sub pena et banno librarum decem papiensium non obstante aliquo statuto comunis precisse uel in contrarium loquente. que omnia statuta que repperientur contraria esse huic statuto in toto uel in parte ex certa scientia cassa sint et irrita et nullius uallori̇s.

De extractione gladii contra aliquam personam.

Item statutum est et ordinatum quod si aliquis extraxerit gladium aliquem ferreum super uicinum suum uel aliquem de Cassalli et non percusserit soluat pro pena et banno comuni Cassallis soldos decem papienses nisi agressus fuerit cum gladio uel nisi fecerit se deffendendo aut fuerit minor annis decem. Illud iddem intelligatur et locum habeat in forensibus.

De percussione pugni uel applicatione per capillos.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquis de Cassalli aliquem de Cassalli percusserit manu uel pugno uel eum per capillos acceperit seu applicauerit soluat pro pena et banno soldos centum papienses nisi ambo fuerint minores quatuordecim annis uel nisi hoc fecerint causa deffendendi se. et si aliquis percutteret uel percusisset bubulchum suum uel pedisecam suam manu uel per capillos applicauerit bannum non soluat. Illud iddem inteligatur in forensibus.

De feruta lapidis seu fusti faciente scissuram.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquis maior XIV. annis percusserit aliquem de Cassalli fusto uel lapide et fecerit scissuram det et soluat comuni Cassallis pro pena et banno soldos centum papienses nisi hoc fecerit causa se deffendendi uel diuidendi uel nisi fuerit minor annis quatuordecim. Illud iddem inteligatur in forensibus.

De agressione gladii quilibet possit se deffendere.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquis agressus fuerit uel percussus gladio se deffendere possit absque pena cum gladio dum non sequatur mors. et si agressus fuerit manu uel per capillos absque gladio et se deffenderit cum gladio et percusserit soluat bannum ordinatum per statuta. et si agressus fuerit aliquis absque gladio possit se deffendere sine gladio absque pena dum non sequatur mors ut supra.

De applicatione consanguineorum et mulierum simul applicantium.

Item statutum et ordinatum est quod si fratres uel consanguinei uel mulieres simul manentes se se percusserint et non fecerint sanguinem bannum non soluant.

De rixa uel applicantia per aliquem de Cassali cum aliquo extraneo uel forense facta.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquis de Cassali siue intus siue extra Casalem aliquam rixam habuerit siue applicantiam fecerit cum aliquo extraneo foresterio et si aliquis de Cassali iuerit ad diuidendum uel iuuauerit uicinum suum et percusserit uel uulnerauerit aliquem extraneum soluat illam penam quam solueret extraneus si percutteret Cassalensem in terra dicti forensis. Et si aliquis extraneus percutteret uel uulneraret uel percusisset seu uulnerasset aliquem de Cassali quod ibi omnes de Cassali qui erunt ibi presentes teneantur et debeant ipsum extraneum fugare et capere iuxta eorum posse sub pena et banno pro quolibet ipsorum solidorum LX. papiensium. Et si

a aliquis teneret seu tenuerit aliquem forensem priuatum in domo sua seu deffendere uoluerit qui percussisset seu interfecisset aliquem hominem de Cassalli soluat pro pena et banno libras quinquaginta papienses comuni Cassalis.

De uerbis iniuriosis non dicendis alicui persone et quod si dixerint in ecclesia uel coram potestate soluant duplum.

Item statutum est quod si quis uel si qua dixerit uerba iniuriosa alicui alteri persone soluat pro pena et banno soldos sexaginta papienses saluo quod si iniuria facta uel uerba iniuriosa dicta fuerint in ecclesia uel domibus comunis uel in platea
b comunis uel coram potestate uel iudice dicentes soluant duplum. Si uero dicta fuerint alicui sacerdoti uel in sacris ordinibus constituto uel iudici uel medico aut militi sit eadem pena soldorum LX. quam incurrat dicens iniuriam alicui ex predictis personis.

De illis qui inter se applicauerint uerbis uel manu quod si infra octo dies fuerint concordati nullum soluant bannum.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua rixa fuerit inter aliquas personas de Cassalli uel uerba iniuriosa inter se habuerint uel se percusserint manu uel pugno uel per capillos acceperint
c et concordati fuerint infra octo dies non soluant bannum.

De uulneratione et interfectione.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquis interfecerit aliquem capite puniatur sic quod moriatur si in fortiam comunis peruenerit et si in fortiam comunis non peruenerit ponatur in banno perpetuo de homicidio et eius bona publicentur et ipso iure publicata esse intelligantur camere comunis Casalis saluo iure creditorum et salua debita iure nature descendentium talis banniti et si postea in fortiam comunis peruenerit talis bannitus capite puniatur ut supra saluo quod si aliquis in-
d uenerit aliquem in domo uel in curia sua post campanam guardiarum que pulsatur de nocte et qui intrauerit ibi furtiue uel occulte et ipsum percuserit uel uulnerauerit uel interfecerit non soluat bannum nec penam patiatur.

De igne non ponendo in Cassali et Cercha et de guastis seu dampnis non faciendis.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquis posuerit ignem furtiue in Cassali uel in Cercha in domo seu domibus ibi existentibus aut dampnum seu guastum fecerit in districtu et iurisdictione Cassalis furtiue et hoc potestati Cassalis seu rectori manifestum fuerit quod qui ignem posuerit

si in fortia potestatis siue rectoris comunis Cassalis peruenerit puniatur capite et si fecerit siue dederit supradicta dampna seu guasta uel aliquod ipsorum et in fortiam domini potestatis peruenerit soluat comuni Cassalis libras xxv. papienses et similiter dampnum illi emendet in duplum cui datum fuerit determinato prius dampno illo per sacramentum illius cui datum fuerit premissa tassatione a potestate uel rectore. Si uero soluere et restituere aut emendare non poterit incidatur ei manus et si fiant predicte emende per comune Cassallis illi uel illis cui uel quibus dampnum fuisset datum secundum formam capitulorum loquentium de dampnis et guastis et si ille qui fecerit seu dederit aliquod guastum uel dampnum furtiue non peruenerit in fortiam domini potestatis nec haberi poterit aut non soluerit uel restituerit aut emendauerit predicta dampna ut dictum est quod in banno comunis ponatur de predictis libris uiginti quinque de quo quidem banno exire non possit nisi prius uenerit stare mandatis potestatis uel rectoris comunis et emendationes predictas fecerit qui dictum dampnum soluerit precisse.

De emendis fiendis per comune personis que furtiue dampnum receperunt.

Item statutum est quod si ignis furtiue positus fuerit in Cassalli uel in Cerchis in domo uel in cassina seu paglario aut in aliqua re uel guastum aliquod datum uel factum fuerit furtiue in districtu et iurisdictione Cassalis scilicet in uineis arboribus bladis leguminibus pratis et aliis quibuscumque rebus illorum de Cassalli et habitantium in Cassalli et illud dampnum fuerit denariorum duodecim uel plurium emendetur dampnum seu guastum uel incendium illi a comuni Cassallis cui fuerit datum seu factum. Iddem obseruetur si aliquod dampnum furtiue fuerit factum in bestiis siue animalibus in Cassali uel districtu alicui persone de Cassalli uel habitanti in Cassalli et predicte quidem emende fiant solummodo et tantum illis personis que soluunt fodrum comuni Cassallis et suis massariis et laboratoribus licet fodrum non soluant et tantum solumodo de rebus illis de quibus soluunt fodrum comuni Cassallis. Si autem notum fuerit quod aliqua persona non subdita dicto comuni fecisset dampnum uel faceret in futurum alicui habitanti in Cassalli uel esset talis persona que non posset satisfacere dictum dampnum tunc emendari debeat dictum dampnum de ere comunis Cassallis non obstante illo uerbo quod legitur furtiue in dicto capitulo saluo quod si qua persona dimiserit fenum suum secatum et sua ligna incissa ultra padum ultra duos menses et citra padum ultra unum postquam fuerit secatum uel incissa quod per comune nichil sibi emendetur nec habeat locum dictum capitulum eo saluo quod comune . .

De dampnis uel guastis furtiue factis ab extimatoribus comunis extimandis.

Item statutum est quod predicta dampna uel guasta furtiue data uel facta extimentur ab extimatoribus comunis Cassallis infra octo dies post dampnum uel guastum datum uel factum uel postquam denuntiatum fuerit rectori et non ualleat dicta extimatio nisi facta fuerit in presentia rectoris et consulum siue proconsulum dicti comunis seu maioris partis eorum et secundum extimationem ab ipsis extimatoribus factam debeant a comuni Cassalis predicte extimationes fieri de ere comunis infra mensem unum et soluantur et numerentur in publico conscilio Cassallis si fuerint a quinque soldis supra quod capitulum sit precissum et remoueri non possit de statuto comunis conscilio neque per statutores modo aliquo nec inde peti licentia uel parabula ullomodo uel causa que dici uel excogitari possit.

Quod si quis indicauerit potestati uel rectori aliquam personam dedisse uel fecisse aliquod dampnum uel guastum aut incendium posuisse furtiue.

Item statutum est quod si quis indicauerit potestati uel rectori comunis Cassalis aliquem qui ignem furtiue posuerit uel guastum siue dampnum furtiue dederit uel palam ut in capitulis superioribus continetur et manifestum fuerit potestati uel rectori si dictum dampnum uel guastum siue incendium fuerit a uiginti quinque libris supra habeat et habere debeat a comuni Cassalis libras decem papienses precisse.

De illis qui attemptau[er]int aliquam uirginem carnaliter cognoscere uel alienam uxorem.

Item statutum est quod si aliquis attemptauerit carnaliter cognoscere aliquam uirginem uel alienam uxorem uel alliam honestam mulierem soluat pro banno comuni Cassalis pro qualibet uice libras centum papienses et si quis per uim carnaliter cognosceret aliquam mulierem uel uiolenter cognoscere attemptaret si mulier fuerit uirgo uel maritata uidua uel sanctimonialis que sit bone fame qui carnaliter cognosceret aliquam predictarum capite puniatur si hoc fuerit legiptime probatum non obstantibus penis a iure comuni statutis quibus per hoc statutum derogatum sit et derrogatum intelligatur uidelicet in hiis que cum presenti statuto concordari non inueniantur.

Quod si quis produxerit uel usus fuerit carta falsa uel teste falso.

Item statutum est quod si aliqua persona scienter produxerit uel usa fuerit aliqua carta falsa uel teste falso in aliqua questione uel causa cadat ille qui produxerit uel usus fuerit carta uel falso teste

ab ipsa causa uel litte et insuper ille qui cartam falsam uel testem falsum scienter produxerit pari pena puniatur qua punitur notarius uel testis ut infra singulla singullis congrue refferendo et testes qui falsum testimonium dixerint coquuantur in fronte et pingantur in platea publice cum suo testimonio antescripto et notarius qui fecerit falsum instrumentum uel alliam falsam scripturam scienter amputetur ei manus et quecumque allia persona aliter quam supra dictum est falsum comiserit scienter soluat pro pena comuni Cassalis libras centum papienses. et inteligatur scienter produxisse falsam cartam uel falsum testem qui interrogatus in iuditio responderit se uelle uti dicta carta uel post publicationem testium responderit se uelle uti teste seu atestatione.

De furtis et ea committentibus.

Item statutum est quod si quis furtum fecerit in Cassalli uel districtu quod ualeat a uiginti quinque libris infra usque ad uiginti quinque libras restituat uel emendet furtum rei furtiue ablate domino et pro banno soluat comuni Cassallis duplum illius rei ablate furtive et insuper condempnetur in libris decem papiensibus ipse et quilibet qui fecerit dictum furtum. Si uero dampnum predictum soluere non poterit amittat membrum unum et si furtum fuerit a uiginti quinque libris supra puniatur ille uel puniantur illi qui fecerint uel ad faciendum fuerint dictum furtum secundum quod iuris ratio postulat et requirit. Latrones autem et robatores stratarum manifesti et famosi secundum ius puniantur.

De punitione reducentis uel ementis furta.

Item statutum est quod si aliqua persona quicquam reduxerit seu receperit uel emerit scienter furtum aliquod uel manifeste fuerit probatum quod sit furtum soluat comuni Cassalis pro banno pro qualibet uice soldos centum papienses et insuper furtum domino rei ablate restituatur.

Si quis male et indebite acceperit de bonis comunis.

Item statutum est quod si quis aliquid acceperit indebite de bonis et rebus comunis seu ad comune Cassalis spectantibus que de iure habere non debeat restituat seu illud emendet comuni duplum si manifeste fuerit per cartam uel testem seu per eius confessionem probatum.

Quod murum burgi Cassalis nemo transeat.

Item statutum est quod si qua persona burgi murum Cassalis transierit soluat pro qualibet uice pro banno comuni Cassalis tempore pacis libras a uiginti quinque et guerre libras centum uel amputetur pes.

De iactantibus iniuriam nundum uindictam fecisse de parentibus.

Item statutum est quod si aliquis diceret seu iactaret in occulis alicui de Cassalli tu nundum uindictam patris tui uel alicuius parentis tui seu iniuriam tibi uel parentibus tuis factam fecisti seu uindicasti amittat et soluat comuni Cassalis pro qualibet uice solidos LX. papienses quos si soluere non poterit ponatur ad berlinam et postea fustigetur et uerberetur per omnes uias publicas Cassallis et insuper ponatur in banno comunis Cassalis de quo b quidem non exeat donec suprascriptum bannum soluerit comuni Cassalis precisse.

De extrahentibus cum balistra uel archu seu lapide in rixa.

Item statutum est quod aliquis de Cassalli uel aliunde trahere non debeat in rixa cum balistra uel archu nec occasione rixe aliquem lapidem et si quis contrafecerit et traxerit cum balistra uel archu soluat pro pena et banno pro qualibet uice comuni Cassalis libras quinquaginta papienses et si traxerit lapidem libras decem papienses amittat et solvat quas penas si soluere non poterit amputetur ei manus destra. Si uero solummodo accepit bac listram uel archum seu lapidem in manu et non iactauerit soluat pro banno pro balistra uel archu solidos centum papienses et pro lapide solidos XX. papienses.

Quod nulla puella accipiatur in uxorem sine consensu parentum.

Item statutum est quod aliquis non presumat nec debeat accipere aliquam puellam minorem XV. annis in uxorem neque ullomodo ducere sine consensu et uoluntate trium proximiorum ipsius mulieris siue conscentiat puella siue non sub pena et banno librarum ducentarum papiensium et insuper restituere teneatur puellam et res ipsius puelle in d manibus parentum de quo quidem banno potestas habeat terciam partem et comune duas partes.

Quod si aliquis ambaxiator comunis de re sibi data furata in sua andata non habeat a comuni restitutionem.

Item statutum est quod si aliquis de Cassalli iuerit in aliqua caualchata exercitu andata uel ambaxiata pro comuni facta per se uel per alium et ei furatus fuerit equus aut bos asina uel aliqua allia res que dici uel excogitari possit quod ipsa re furata non possit assequi nec habere aliquam restitutionem seu emendam a comuni aliquo modo uel causa precisse.

De custodia turris monete et singularum bichocarum si alicui fuerint liuerate teneantur personaliter custodire.

Item statutum est quod illa persona qui incantauerit et ei fuerit liuerata uel explicata per comune Cassalis custodia seu guardia turris luxente turris monete et omnes et singule bichoche facte et que fierent per dictum comune Cassalis teneatur et debeat personaliter custodire predictas turres et bichocas ita et taliter quod non possit ponere seu facere poni aliquos alios extraneos per custodes preter personas illas quibus liuerate erunt uel qui stent ad unum pannem et uinum cum eis exceptis masnengis precisse et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno libras decem papienses et nichillominus rector teneatur predictas personas principalles quibus erint liuerate predicte custodie constringere ad custodiam faciendam sub iuramento suo.

Quod nullus de Cassalli nec qui habitet in Cassalli ire debeat in terram inimicorum.

Item statutum est quod aliqua persona Cassallis uel qui habitet in Cassalli non debeat ire in terram inimicorum Cassallis nec ad loquendum cum inimicis Cassallis modo aliquo sub pena librarum centum papiensium quam penam si soluere non poterit dirruatur domus in qua habitaret illa talis persona que contrafaceret uel ueniret et si uicarius non attenderet dictum capitulum soluat pro pena de suo sallario libras quinquaginta papienses et per consules Cassalis teneantur uinculo iuramenti dictam penam poni facere in introitu comunis Cassalis precisse et quod domus euntis seu euntium dirruatur usque in fundamentum ex offitio uicarii et si dictus uicarius non mandauerit executioni dictum statutum infra tertiam diem postquam ei fuerit manifestum per duos testes fide dignos sindicetur de suo sallario in dictis libris quinquaginta papiensibus saluo quod quilibet possit ire cum licentia conscilii generalis comunis Cassallis quod capitulum locum non habeat in fratribus ordinis paupertatum.

De ludis uetitis.

Item statutum est quod aliquis non debeat ludere ad aliquem ludum taxillorum nec ad ludum cui dicitur septum nec ad sertata nec ad ueynassum nec ad aliquem alium ludum qui dici uel excogitari possit in Cassalli uel in districtu uel in iurisdictione Cassallis nec extra districtum et iurisdictionem Cassallis per quinque miliaria accipiendo mensuram ad murum burgi Cassallis ab illa parte uersus quam luxerit sub pena et banno librarum trium papiensium pro qualibet uice et ille qui mu-
a tuabit seu prestabit peccuniam siue taxillos luxoribus soluat pro banno comuni Cassallis libras quinque papienses pro qualibet uice quam penam si soluere non poterit potestas teneatur et debeat ipsos prestatores et luxores et quemlibet ipsorum ponere in carceres et tenere per totum tempus sui regiminis ad uoluntatem suam precisse donec soluerit dicta banna. eo saluo quod liceat hominibus de Cassalli ludere ad schachos undique et ad tabulas in platea et toto districtu platee usque ad ecclesiam sancte Marie et ad forletum super glatiis ubique et similiter in fossatis burgi Cassallis et ad rubatam et ad palletum et quod super predictis potestas teneatur subtiliter inquirere qualibet edomada per quatuor bonos homines et legalles uel
b plures si ei uidebitur si contra predicta uel aliquod predictorum fuerit factum uel luxum et si inuenerit aliquem contrafacientem uel contra predicta uel aliquod predictorum fecisse quod possit ipsum uel ipsos condempnare per famam illorum tamquam si inuenisset per testes ita quod ab ipsis condempnationibus appellari non possit aliquo modo et quod potestas non possit nec debeat parabulam uel licentiam alicui dare nec aliquis alius de ipsius familia quod possit ludere ad ludum azarri aliquo modo quod capitulum sit precissum et non possit diminui nec remoueri de statuto comunis conscilio uel alio modo qui dici uel excogitari possit et quod si aliquis condempnatus erit de ludo uel occaxione ludi quod potestas non teneatur eidem rationem
c facere de aliquo debito per totum tempus sue potestarie precisse saluo quod una persona non possit compelli pro allia ad soluendum dicta banna precisse siue pater sit siue mater siue frater siue uxor et si rector Cassalis non exigeret dicta banna et non obseruauerit ut in dicto capitulo continetur soluat et soluere teneatur rector predictus de suo sallario precisse omnia et singula banna predicta per ipsum non excussa et procunsulles dicti comunis teneantur et debeant uinculo iuramenti eorum offitio in introitu dicti comunis omnia et singulla banna non soluta de predictis poni facere et hoc ante exitum penultimi mensis sui regiminis dicti rectoris et compellere et compelli facere dictum rectorem soluere in tempore sindicatus ipsius dicta
d banna per ipsum non excussa super quibus omnibus et singulis suprascriptis et infrascriptis loquentibus de ludis prohibitis et de prestatoribus et super omnibus clausullis conuentis in dictis capitullis factis occaxionibus antedictis quilibet possit accussare et accusantibus credatur cum sacramento et habeant tertiam partem si uero fuerit forensis qui non habitet in Cassalli soluant pro ludo seu prestito solidos xx. papienses quod si soluere non poterit ponatur ad berlinam et ultra frustetur cum uirgis extra terram et quod aliquis non possit ludere ad ludum qui dicitur par et dispar sub pena conuenta in dicto capitulo et quod aliquis non possit nec debeat ludere ad ludum qui dicitur baffadamater sub pena solidorum LX. papiensium cuius

pene et banni tertia pars sit uicarii tertia comu- a
nis et tertia accusatoris et uicarius teneatur pre-
conizari facere per Cassallem infra octo dies et te-
neatur dictus dominus uicarius dictos luxores et
prestatores consignare successori suo detentos in
carceribus et eos detinere donec soluerint dicta
banna et quod aliqua persona habens famam lu-
xoris seu prestatoris ad ludum seu qui possit pro-
bari aliter esse luxor seu prestator non possit ali-
quem de Cassalli siue habitantem ibidem accusare
ludentem seu prestantem denarios siue taxillos ad
aliquem ludum nec etiam aliquem de Cassalli siue
habitantem ibidem de aliqua domo in qua aliquis
accusatus fuisset per predictos in ea luxisse seu
prestasse peccuniam seu tasillos ad aliquem ludum
qui dici uel excogitari possit in Cassalli et iuris- b
dictione Cassallis nec extra iurisdictionem Cassallis
et si accusa aliqua facta fuerit per predictos ipsa
accusa ipso iure sit nulla et nullius ualoris aliquo
capitulo in contrarium loquente non obstante et
quod non obstante dicto capitulo quilibet pos-
sit ludere ad bibendum et ad comedendum cum
balista et archu ad repellandum et expendendum
tantum.

De uictualibus non extrahendis de burgo et districtu Cassalis.

Item statutum est quod aliquis non possit nec
debeat extrahere nec extrahi facere nec duci aliqua
uictuallia nec panellos sub pena solidi unius pro c
quolibet pannello neque furfurem de Cassalli uel
circhis et nec extra districtum et iurisdictionem
ipsius loci Cassallis sub pena et banno pro qua-
libet uice pro quolibet modio solidorum xx. pa-
piensium. Quapropter aleum siue cepe rappe car-
nes mortue fructus caseus sarazium uictuallia non
intelligantur nec etiam aliqua merchantia ianuen-
sium. Tamen liceat domino potestati parabulam
et licentiam dare omnibus personis existentibus
in cercha Cassallis et similiter illis de Villa mo-
nete causa comedendi cum eorum familliis usque
in quantitatem unius modii et plus et minus sicut
uidebitur ipsi domino potestati et de panne et
farina et de carnibus et de uino usque in stariis
duobus pro suo usu faciendo fidem in manibus d
uicarii eo saluo quod tempore seminum liceat
cuilibet de Cassalli et districtu extrahere blada
et legumina ad seminandum absque allia licentia
in districtu Cassallis et iurisdictione tantum. Si au-
tem dominus potestas uel aliquis rector comunis
Cassallis concederet seu daret licentiam alicui de
dictis uictuallibus siue pannellis aut furfure extra-
hendis extra Cassalle uel districtum quod ipso iure
ipsa licentia non ualleat et si inde scriptum ali-
quod factum fuerit sit nullum et nullius ualoris
quod capitulum sit precissum et si aliquod capi-
tulum repperiretur esse contrarium isti ipsum ex
certa scientia cassum et ipso iure sit nullum et
pro nullo casso et irrito habeatur. quod quidem
non obstante suprascripto capitulo et infrascripto
liceat cuilibet buchulcho bubulco de Cassalli et ha-
bitanti in Cassalli de Cassalli et districtu extrahere
starios tres spelte siue auene siue breni et pan-
nellos decem simul cum pastura bestiarum et quod
aliqua persona de Cassalli siue qui habitet in Cas-
salli seu aliunde cuiuscumque condictionis existat
non audeat seu presumat extrahere seu extrahi fa-
cere ducere seu duci facere portare seu portari
facere extra Cassallem et districtum aliquam lino-
sam sub pena et banno solidorum LX. papiensium
pro quolibet modio et qualibet uice et si fuerit
minus modio soluat pro rata et nichilominus amit-
tat dictam linosam et bestias cum quibus ducere-
tur et quilibet possit ipsos accusare et accusatori
credatur habendo dictus dominus potestas uicarius
tertiam partem comune tertiam et accusator alliam
tertiam et si inuenta fuerit per dictum rectorem
siue eius familiam comune habeat duas partes di-
cte pene et uicarius seu rector aliam saluo quod
liceat cuilibet persone de Cassalli et habitanti ibi-
dem extrahere de dicto loco Cassallis ducere et
duci facere portare et portari facere tempore se-
minum linosam extra Cassalem et districtum ad
seminandum pro suo usu tantum dando bonam fi-
deiussionem et iurando in manibus proconsulum
quod ducet in Cassali partem suam dicti lini in
gloria et non speygatum quod nascetur ex dicta
linosa.

Quod alicui forensi per aliquem de Cassali non uendantur blada legumina uel farina in Cassali et iurisdictione.

Item statutum est quod aliqua persona de Cas-
sali non debeat uendere uel alienare, nel dare ali-
qua blada uel legumina uel farina alicui forenssi
uolenti aliqua de predictis ducere extra Cassalem
uel extra iurisdictionem Cassalis et si quis contra-
fecerit amittat blada farinam et legumina et soluat
pro banno qualibet uice pro quolibet modio soli-
dos xx. papienses et ad rationem cuiuslibet modii
pro rata et quod aliqua persona non debeat nec
presumat predictas res emere pro foresterio in Cas-
sali uel districtu Cassalis et si quis contrafecerit
amittat ipsas res et bestias cum quibus portaren-
tur et quod aliquis qui ueniat ad mollendina Cas-
salis causa mollendi intra burgi muros Cassalis in-
trare non presumat sed debeat ire et redire cum
bladis et farina extra burgum muratum et si quis
contrafecerit amittat ipsas res et bestias cum qui-
bus ducerentur.

Quod quilibet possit accusare facientes contra ordinamenta.

Item statutum est quod quilibet possit accusare
et capere omnes facientes contra predicta statuta
loquentia de uictuallibus non extrahendis uel con-
tra aliquod predictorum habendo terciam partem

de bannis predictis et penis de predictis rebus et bestiis.

De bannis de nocte duplicatis.

Item statutum est quod omnia banna in nocte sint duplicata in nocte quidem esse et pro nocte intelligatur a sono siue a signo campane guardiarum usque ad sonum bataliorum qui pulsantur circa auroram per campanam comunis tantum.

De bladis et leguminibus uendendis in platea comunis.

Item statutum est quod omnia blada et legumina que uenduntur et uendentur in Cassali debeant portari et duci in platea comunis Cassallis ad uendendum et mensurandum et quod aliqua persona undecumque sit non possit nec debeat uendere nec mensurare causa uendendi aliquam linosam nec aliqua blada nec legumina in Cassalli nec in districtu nisi in platea comunis tantum sub pena et banno solidorum x. papiensium pro qualibet uice tam emptori quam uenditori nisi de uoluntate et licentia illius qui emit starium comunis et teneatur emptor dicti starii tenere in diebus sabbati staria quatuor mercati pro expeditione ementium et uendentium sub pena et banno solidorum v. papiensium pro quolibet stario qui defficeret dicta die et quilibet accusare possit et habeat tertiam partem uicarius tertiam et comune tertiam eo saluo quod quelibet persona possit predicta uendere et emere et mensurare in toto sedimine ubi solebat esse palatium comunis usque ad murum sancte Marie et in ecclesia sancte Marie non obstante capitulo terminante districtu platee.

Quod circulatores et masnengi possint ducere extra Casalem blada que lucrati fuerint.

Item statutum et ordinatum est quod quelibet persona que non sit de Cassalis et que non habitet in Cassali que uenerit tempore messium ad mettendum et ad triculandum blada possit ducere et duci facere extra Cassallem et iurisdictionem illa blada que lucrati fuerint pro aratura sua impune non obstante aliquo capitulo loquente in contrarium faciendo fidem de predictis potestati per se et per dominum cum quo lucratus fuerit dicta blada et legumina. Illud iddem in famulis forenssibus uenientibus stare in Cassalli cum aliquo de Cassalli quod possint blada que lucrati fuerint pro eorum feudis impune extrahere de Cassalli et districtu capiendo bulletam a pedagieriis comunis et soluendo comuni pro pedagio de quolibet sacho denarios sex papienses.

a *De possessionibus manutendis per comune Cassalis illis qui tenent ipsas.*

Item statutum est quod si aliquis de Cassalli aliquam possessionem tenet per inuestituram ad fictum uel ad certam partem reddendam ab aliqua ecclesia seu prelato occasione alicuius et de hoc ostenderit instrumentum potestas teneatur ipsum inuestitum deffendere et manutenere in possessione illius rei seu possessionis inuestite et si quis de Cassalli moueret uel faceret aliquam molestiam uel uiolentiam ipsi inuestito de ipsa re uel possessione amittat pro banno pro qualibet uice libras xxv. papienses nisi ille molestiam faciens haberet et ostenderet ius mollestandi habere in ipsa re seu posses-
b sione a domino predicte rei seu possessionis inuestite precisse.

De uino et uuis foresteriis non ducendis in Cassalli et districtu.

Item statutum est quod aliquis homo non possit ducere nec duci facere in Cassalli nec per totum districtum et iurisdictionem Cassallis aliquod uinum seu uuas quod uel que natum uel nate sint extra districtum uel iurisdictionem Cassallis sub pena et banno si fuerit de Cassalli pro quolibet et qualibet uice librarum xxv. papiensium de tina siue carro. Si autem fuerit forensis amittat uinum uuas et bestias et bottallum de quibus quilibet possit accu-
c sare et ei credatur cum sacramento et etiam contrafacientes capere habendo terciam partem banni et rerum potestas terciam et comune terciam eo saluo quod liceat cuilibet persone de Cassalli stanti et habitanti in Cassalli uel cerchis ducere et duci facere omnes uuas quas habuerit in suis uineis propriis tantum ubicumque habeat in Cassalli fidem faciendo rectori Cassallis de ipsis silicet natis super propria possessione. Et si receperit uinum uel uuas contra predictum statutum cadat in penis superius nominatis et potestas super hoc possit ponere guardias publicas et priuatas ad suam liberam uoluntatem quod capitulum sit precissum et inuiolabiliter obseruandum tamen quod predictum capitulum dependeat ad uoluntatem conscilii et si per con-
d scilium ordinatum fuerit quod uinum ducatur per poderium Cassallis quod ille qui duxerit dictum uinum teneatur et debeat soluere comuni Cassallis solidos duos papienses pro quolibet stario et non minus.

De axiamentis et lignaminibus non extrahendis de Cassalli et districtu.

Item statutum est quod aliquis non possit extrahere aliqua axiamenta seu lignamina nec rebias et salices carrazias et circullos nec aliqua allia ligna nisi illa ligna essent nata super sollo suo de Cassalli nec districtu absque uoluntate consensu et

parabolla generalis conscilii comunis Cassallis uel a
maioris partis sub pena et banno pro qualibet uice solidorum xx. papiensium et amissione rerum que ducerentur de quibus quilibet possit accusare et ei credatur cum sacramento et predicta capere et ea detinere habendo tertiam partem banni et rerum predictarum captarum et detentarum precisse saluo quod uicarius possit dare licentiam una cum duobus consulibus comunis uidelicet de lignamine et aziamentis tantum.

De hospitio non dando bannitis.

Item statutum est quod aliquis homo de Cassalli non debeat hospitium dare alicui bannito comunis Cassallis de mallefitio tali pro quo deberet perdere b
uitam nec ipsum bannitum in domo sua recipere nec tenere in domo in qua habitat se sciente nec dare ei comedere nec bibere uel permitti dare in domo sua aut in qua habitat ab aliqua persona nec dare aliquod auxilium ei nec iuuamen sub pena et banno soldorum centum papiensium pro qualibet uice. possit autem qoilibet de Cassalli capere et ferire et feritam facere sanguinis ac interficere absque pena aliqua quemlibet bannitum de malefitio comunis Cassallis uidelicet de homicidio de proditione terre Cassallis de robaria strate publice de incissione uinearum de ignis impositione de eo quod iuisset cum inimicis Cassallis uel de eo quod uenisset cum inimicis dicti comunis Cassallis ad offendendum in districtu et iurisdictione Cassallis c
precisse.

Quod quilibet possit accusare facientes contra statuta loquentia de bannitis.

Item statutum est quod quilibet possit accusare facientes seu committentes contra statuta predicta uel aliquod predictorum loquentia de bannitis et occaxione bannitorum et ei credatur cum sacramento habendo tertiam partem potestas tertiam et comune tertiam et si aliquis condempnatus fuerit predictis occaxionibus seu aliqua ipsarum non possit appellare ab ipsis condempnationibus nec ab aliqua ipsarum nec possit dicere condempnationem nullam esse ullo capitulo non obstante. d

De conscilio dando amicis banniti qui manum in personam alicuius de domo sua posuerit.

Item statutum est quod si quis possuerit manum in personam alicuius de domo sua citra mortem et fuerit bannitus seu condempnatus occasione predicta si fuerit in concordia cum illo uel amicis suis potestas teneatur amicis illius banniti uel condempnati dare conscilium generale comunis Cassallis si ab eo petitum fuerit et propostam facere et in partitum illud ponere quod consciliatum et arengatum fuerit et illud de quo uenerit in concordia conscilium uel maior pars conscilii potestas seu rector comunis Cassallis teneatur et debeat attendere et obseruare precisse non obstante aliquo capitulo.

De fauore non dando rebellibus comunis Cassalis.

Item statutum est quod si aliquis de Cassalli uel de districtu iuerit cum armis uel sine armis in adiutorium alicuius ciuitatis uel castri seu terre uel alicuius hominis qui uel que erint rebelles aut inimici comunis Cassallis seu qui prestiterit arma uel equos uel aliquod adiutorium uel seruitium modo aliquo dederit eis uel fecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro quolibet et qualibet uice libras xxv. papienses si fuerit eques et si fuerit pedester libras x. papienses et plus ad uoluntatem potestatis uel rectoris precisse.

De stariis stateris libris pensis et aliis mensuris omni mense inquirendis.

Item statutum est quod potestas teneatur inquirere uel inquiri facere omni mense libras pensas stateras et starios et omnes allias mensuras et quod nulla persona possit tenere seu habere in Cassalli aliquos starios libras pensas seu mensuras cum quibus mensuretur uel pensetur nec de ipsis mensurare pensare seu ad ipsas uendere nisi signate fuerint signo potestatis. Quis itaque contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos quinque papienses saluo quod non teneantur signare a media unzia infra dummodo sint iuste. Si autem ad mensuram uel pensam falsam seu iniustam uendiderit uel tenuerit soluat comuni Cassalis soldos centum papienses pro quolibet et qualibet uice et ultra quoque predictam penam sit infamis. Et nemo tamen penssare debeat nec uti penssa lapidea uel plombea. Brachium quoque sit et esse debeat ferratum ab utraque parte siue stagnatum. Qui autem ferratum uel stagnatum non habuerit soluat pro banno comuni Cassallis soldos quinque papienses et quilibet uendens ad minutum debeat tenere pensam seu libram altam per unum semissem a disco ita quod a parte illa que fuerit maioris ponderis teneatur libra uel penssa et si aliquis contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos v. papienses de quibus penis potestas habeat terciam partem et comune duas precisse et quod consignentur semel in anno tantum de mense madii.

Quod nulla persona laboret in diebus festiuis.

Item statutum est quod aliquis homo de Cassalli uel qui habitet in Cassalli et districtu non possit nec debeat laborare nec laborari facere in Cassalli nec in districtu et iurisdictione Cassallis in hiis infrascriptis festiuitatibus scilicet beate Marie Virginis Dominicarum Appostolorum nec in festo omnium sanctorum sancti Bernardi nec in festis principallibus preceptis ab ecclesia sub pena et banno soldorum decem papiensium pro quolibet et qualibet

uice. Et si contingeret quod si aliquis ueniret de a
extra terram seu de foris aliquo die uetito per statuta comunis Cassallis cum carro et bobus non amittat bannum precisse. Et quod uicarius seu rector comunis Cassallis teneatur et debeat preconizari facere per Cassallem in quolibet festo per se quodlibet festum publice et si preconizari non fecerit ut supra quod ipse uicarius seu rector nec eius familia non possit aliquem seu aliquos condempnare dicta occasione nec exigere precisse banna saluo quod non habeat locum in laboribus comunis nec in portantibus herbam bestiis seu ducentibus herbam super bestiis.

De sediminibus comunis. b

Item statutum est quod aliquis homo de Cassalli uel districtu non possit nec debeat dare ad fictum aliquod sedimen quod sit comunis alicui persone nec aliquo modo recipere et si quis contrafecerit soluat pro banno solidos xx. papienses pro qualibet uice et insuper restituatur fictum seu pretium comuni de quibus potestas teneatur et debeat inquirere et dare iuramentum et conductoribus et locatoribus et nichillominus utilitas mercedis dicte conductionis quanticumque sit perueniat et peruenire debeat in utilitatem dicti comunis precisse et quod proconsulles denuntiare teneantur dicto rectori quod curet ut hoc capitulum attendatur.

c

Quod nullus intret in fossatum burgi Cassalis.

Item statutum est quod aliquis non intret in foxatum burgi Cassallis aliqua de causa nisi tempore glatierum absque licentia potestatis uel rectoris comunis Cassallis sub pena et banno soldorum v. papiensium pro qualibet uice et si aliquis acceperit ibi cuniculos soluat duplum et si inciderit ibi aliquid seu aliquo modo laborauerit ibi absque licentia potestatis uel rectoris emendet dampnum de quibus quilibet possit accusare et habeat tertiam partem banni saluo quod quilibet possit intrare dictum fossatum et capere ibi fimum uel terram ubicumque uoluerit illud uerbum intelligatur d
in foxato cerche.

De bestiis non proiiciendis in fossatum burgi Cassalis.

Item statutum est quod si aliquis posuerit uel proiecerit seu duxerit bestiam aliquam in foxato burgi Cassallis soluat dominus ille cuius bestia est pro banno comuni Cassallis pro qualibet uice et qualibet bestia solidos quinque papienses.

Quod nullus ponat aliquam bestiam in Cassalli nec prope burgum Cassalis.

Item statutum est quod nullus ponere debeat aliquam bestiam mortuam in Cassalli nec in cercha nec prope cerchas sed ipsas prohiicere debeat in padum et si quis contrafeeerit soluat pro pena et banno pro qualibet uice soldos quinque papienses et possit quilibet accusare.

De igne non fiendo in domo aliqua nisi coperta et smaltata.

Item statutum est quod aliquis homo Cassallis non possit nec debeat facere ignem in aliqua domo que non sit coperta uel de tegulis uel de conibus smaltatis et de bona terra et non de pisina et clausa de terratio uel de gradis smaltatis de bona creta uel de muro uel asidibus et si quis contrafeerit soluat pro qualibet uice pro banno solidos xx. papienses et quod nichillominus teneatur et debeat potestas facere adimpleri usque ad mensem unum precisse postquam denunciatum fuerit ex parte rectoris et si quis contrafecerit soluat dictum bannum et predicta teneatur uicarius inquirere seu inquiri facere omni mense uinculo iuramenti.

De pignoribus minorum xxv. *annorum non recipiendis.*

Item statutum est quod aliquis non possit nec debeat accipere seu capere pignus aliquod ab aliquo filio familias minore xxv. annorum sine consensu et uoluntate patris et matris sub pena et banno solidorum x. papiensium pro qualibet uice et insuper potestas siue rector Cassalis teneatur illud pignus siue pignora facere reddi et restitui ipsi minori uel patri seu matri precisse in continenti quod ad notitiam ipsius rectoris deuenerit.

De copertoriis non tendendis.

Item statutum est quod aliqua persona undecumque sit non audeat nec presumat aliqua copertoria tendere in poderio Cassallis nec districtu cum quibus columbi capi possint modo aliquo uel causa et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro quolibet et qualibet uice soldos centum papienses et amittat copertoria. Eandem penam patiatur quicumque ceperit dictos columbos seu fuerit ad capiendum et quilibet possit accusare et habeat tertiam partem banni et teneatur priuatus et uicarius tertiam et comune tertiam et quod a dicta pena non possit appellari nec sapiens peti nec dici condempnationem nullam.

Quod nullus possit uendere forensibus.

Item statutum et ordinatum est ad honorem Dei et beate Marie Virginis et beati Euasii et ad pacificum et bonum statum comunis Cassallis quod nulla persona Cassallis uel que habitet in Cassalli et que substineat onera pro Cassalli audeat uel presumat uel possit uendere alienare seu quocumque genere alienationis transferre terras possessiones uel res aliquas immobilles comuttare que sunt super poderio Cassallis alicui persone comuni collegio nec uniuersitati que non sit subiecta in omnibus et per omnia comuni Cassallis in fodris dacitis et omnibus aliis oneribus substinentibus et si repperiretur contrafactum esse alienatio ipso iure non ualleat et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro qualibet uice qua contrafactum fuerit libras centum papienses dandas et soluendas comuni Casalis et notarius qui fecerit instrumentum soluat comuni Cassallis solidos xx. papienses et testes qui repperirentur in instrumento soluant pro quolibet solidos x. papienses comuni Cassallis cuius pene et banni tercia pars sit potestatis siue rectoris et allie due partes comunis precisse. quod capitulum omni mense legatur cum legitur ratio clauarii comunis Cassallis quod capitulum locum non habeat in relictis ecclesie uel intuytu pietatis uel miserabilibus personis.

Quod nullus excusetur a solutione fodrorum.

Item statutum et ordinatum est quod si repperiatur quod per comune Cassalis seu per quamuis aliam personam cuiusuis status gradus conditionis existat fuerit concessum priuilegium uel instrumentum alicui persone de Cassalli datum uel alicui quod non teneatur soluere fodrum uel taleam uel aliquid aliud quod contineret quod aliquis esset exemptus a predictis quod ex nunc sint cassa et irrita ipso iure et pro nullis habeantur precisse.

Quod uicarius fodra excutiat.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona de Cassalli uel qui habitet in Cassalli repperiatur in libris fodrorum comunis Cassalis que debeat soluere fodra potestas seu rector Cassalis teneatur ipsam uel ipsas personaliter capere et detinere et omnibus modis facere et exercere ad suam liberam uoluntatem per quod ipsi soluant et soluere teneantur dicta fodra et quod possit imponere penas et banna ad suam liberam uoluntatem et imposita exigere precisse non obstante aliquo capitulo et non possit appelari.

a *Quod strata qua itur a platea Cassalis ad portam nouam solletur ab utraque parte uie et sterni de bonis pioris.*

Item statutum et ordinatum est quod strata qua itur ad portam nouam a platea comunis Cassallis usque ad prefatam portam ab utraque parte uia uie sternetur soletur sterni et sollari debeat et aptari debeat de bonis pioris latis et grossis circa semissem unum ad expensas uicinorum qui habent facere super dictam stratam. Et hoc fiat per totum mensem madii in laudem proconsulum. Et hoc teneatur uicarius attendi facere sub pena et banno solidorum xx papiensium pro quolibet et qualibet uice quod
b contrafactum fuerit per quemlibet ipsorum precisse. Et quod uicarius uenturus teneatur ipsam sollari facere prout in ipso capitulo continetur infra xx dies. Et ultra hoc amittant pro quolibet die quo steterint ultra dictum terminum dierum xx. solidos xx. papienses. Et dictus uicarius teneatur attendere predicta sub uinculo iuramenti precisse sub pena librarum xxv. de suo sallario. Et quod supradicti uicarii possint et eis liceat capere lapides siue prioras ad predicta facienda in riuollos ubicumque eas inuenerint ad minus dampni, dampnum non faciendo in aliqua propria possessione sine aliqua pena. et dictus uicarius teneatur facere supplere dictam stratam uicinis in parca sui ubique et ubicumque non est solata sufficienter in laudem pre-
c dictorum per totum mensem madii proxime uenientis sub pena predicta. Et quod aliqua persona non debeat tenere seu facere fimum aliquem uel letamen palleas seu aliquam bruturam in parca sui sed teneant ipsam bene mondatam de predictis sub pena et banno soldorum v. papiensium pro quolibet et qualibet uice. Et dictus uicarius teneatur predicta inquirere a kallendis aprilis usque ad kallendas septembris omni mense semel tantum.

Quod nullus bannitus de homicidio uel strata rupta intret in Cassalli uel eius posse.

Item statutum est quod nullus bannitus ueniat undecumque uellit qui sit bannitus de homicidio
d et strata rupta accedat ad burgum Cassallis uel eius posse sub pena eris et persone et quilibet de Cassalli possit accusare et accusatori credatur de quo quidem banno potestas habeat terciam partem comune terciam et accusator terciam precisse.

De piscatoribus et capientibus aues et saluaticinas.

Item statutum est quod quilibet piscator seu captor pissium recentium auium seu saluaysinarum teneatur et debeat omnes pisces recentes seu aues uel saluaycinas quos uel quas ceperit seu habuerit omni die in continenti quando predicta habuerit

portare seu portari facere in platea Cassallis antequam uadat domum cum ipsis piscibus uel saluaticinis siue ad aliquem alium locum seu partem et ipsos pisces recentes uel aues seu saluaticinas palam tenere in ipsa platea et uendere omnibus personis uolentibus emere et nullus piscator seu uenator seu qui portauerit pisces aliquos recentes et aues seu saluaticinas ad uendendum in ipsa platea ipsos pisces recentes uel aues seu saluaticinas non possit remouere uel exportare uel exportari facere de ipsa platea donec ipsos pisces recentes uel aues seu saluaticinas uendiderit. Et quod quilibet piscator incidere teneatur piscem ualentem a tribus soldis supra cuilibet uolenti emere et dare ipsi emptori illam partem quam uoluerit et extra tectum in pedibus stare. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos xx. papienses de quibus possit quilibet de Cassalli accusare et accusatori credatur. Cuius pene et banni tertia pars sit comunis alia tercia accusatoris et alia tertia rectoris precisse. Et quod aliqua persona de Cassalli non possit nec debeat emere ab aliquo forensse in poderio et districtu Cassallis aliquos pisces aues uel saluaticinas causa reuendendi sub eadem pena.

De piscatoribus et capientibus aues et saluaticinas et de piscibus et saluaticinis non extrahendis de Cassali et eius districtu.

Item statutum est quod aliquis piscator de Cassalli seu uenator non possit nec debeat portare extrahere extrahi seu portari facere de Cassalli et districtu aliquos pisces recentes seu saluaysinas et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis pro qualibet uice solidos xx. papienses et insuper amittat pisces et saluaticinas. Et si aliqua persona que non esset de iurisdictione Cassallis portaret pisces seu saluaticinas extra Cassallem uel districtum pisces ipsos et saluaticinas amittat et licitum sit cuilibet piscatori tam intrinseco quam extrinseco in parte illa platee qua uoluerit dummodo non sit ad tectum uendere pisces. Quilibet ergo piscator teneatur habere unum banchum pro se tantum et tenere ipsum banchum unum ab altero longe distractum per duos trabuchos.

De pena periurii seu periurantis.

Item statutum et ordinatum est quod qui requisitus fuerit per potestatem uicarium iudicem aut militem seu aliquem de familia quod iuret dicere ueritatem uel tacuerit Deum turpiter negando in preiuditium anime sue quod amittat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos LX papienses et ultra quod infamis et periurus sit et toto illo anno non possit gaudere offitio aliquo uel benefitio descendenti a comuni cuius pene tertia pars sit potestatis.

a *De tabernariis et hospitibus emere non debentibus pisces nisi soldatas* x. *papienses.*

Item statutum est quod aliquis tabernarius uel tabernaria hospes uel hospita uel alius pro eis non possit nec debeat emere nec emi facere ultra decem soldatas papienses piscium per diem et si quis contrafecerit soluat pro pena pro qualibet uice soldos decem papienses et ille qui uendiderit soldos quinque papienses. pro persona autem illa que emerit uel emeret pro tabernario pisces uel pro tabernaria hospite uel hospita siue miserit pisces ad domum tabernarii uel tabernarie soluat pro pena et banno soldos v. papienses de quibus quilibet possit accusare de Cassalli et accusatori
b credatur et quilibet tabernarius uendens ad minutum intelligatur. Et quod uicarius uinculo iuramenti teneatur inquirere et inquiri facere omni edomada uidelicet in diebus ueneris et sabbati et in omnibus aliis uigilliis ad domum tabernariorum tabernariarum hospitum uel hospitarum si predicti fecerint contra predicta. de quo quidem banno potestas habeat terciam partem comune tertiam et accusator aliam tertiam saluo quod quilibet hospes uel tabernarius possit emere pisces pulsato sono tercie ad suam liberam uoluntatem non obstante dicto statuto.

c *Quod post pulsationem primi soni campane de platea nemo uendens uinum ad minutum alicui de Cassali det potum.*

Item statutum est quod aliqua persona que uendat uinum ad minutum in Cassali uel in cercha Cassallis non possit nec debeat dare alicui persone in sua taberna in Cassali siue districtu Cassalis uel qui habitet in districtu Cassallis post sonum primum campane de platea que secundum morem solitum pulsatur. Et quod aliquis non possit morari nec stare in domo in qua uendatur uinum ad minutum post sonum dicte campane saluo domino domus sue siue de familia sua tantum. Et si quis contrafecerit soluat qui inuentus fuerit in taberna solidos v. papienses tabernarius etiam solidos v. pa-
d pienses de quibus possit quilibet accusare qui sit de Cassali et ei credatur. de quo banno potestas habeat tertiam partem comune tertiam et accusator tertiam. Licitum tamen sit cuilibet tabernario et tabernarie uendere in domo sua cuilibet persone usque ad dictum sonum prime campane de platea exceptis meretricibus quibus non sit licitum nisi extra et de die tantum. Et si quis contrafecerit soluat pro banno et pena comuni Cassalis pro qualibet uice soldos quinque papienses cuius pene et banni tertia pars sit potestatis tertia comunis et alia tertia accusatoris.

De illis qui uolunt uendere uinum ad minutum quod publice uendere debeant ad pintam astensem. a

Item statutum est quod omnes tabernarii et tabernarie seu qui uendunt et uendere uolunt uinum ad minutum in Cassalli uel districtu Cassallis teneantur et debeant ipsum uinum uendere et mensurare ad pintam astensem de uitro uel stagno. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis qualibet uice soldos decem papienses de quibus quilibet de Cassalli possit accusare habendo terciam partem banni et comune allias duas partes. Et qui uendiderit uinum in grossum et emerit teneatur et debeat emere et uendere ad starium comunis qui starius comunis sit b et esse debeat ad pintas XLIIII. astenses. Et si quis contrafecerit amittat penam suprascriptam de facto uero quantum ad pintas remaneat in dispositione proconsulum.

Quod qui emerit uinum ipsum exportari faciat infra octo dies postquam mercatum fuerit.

Item statutum est quod quilibet de Cassalli uel qui habitet in Cassalli uel in cercha Cassallis teneatur et debeat portari et inuasellari facere ipsum uinum ad domum suam seu in qua habitat infra octo dies postquam ipsum emerit. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos decem papienses. c cuius banni tercia pars sit potestatis allie due comunis si inde accusa uel denuntiatio facta fuerit per uenditorem. eadem pena sit pro quolibet die quo steterit ad leuandum dictum uinum emptum post dictum terminum octo dierum.

Quod portatores uini tantum duo possint esse socii.

Item statutum est quod portatores uini de Cassalli non possint esse socii nisi duo tantum. Et quod non possint nec debeant ire ad domum alicuius qui uendiderit uinum ad careandum botallos nec ad standum ubi debuerit careari uinum nisi tres tantum uel minus et debeant dicti portatores d et teneantur habere seu recipere de portata seu careata uini pro quolibet stario denarios quatuor papienses tantum tam de burgo quam de cerchis. saluo quod de uindimiis possint accipere denarios sex de burgo ad tinam tantum et de cerchis Cassallis. Et teneantur pro predicto pretio lauare botallum seu carrariam et implere. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis soldos x. papienses pro qualibet uice. Et si aliquis portator esset uel fuerit in platea uel alibi eo quod haberet opus portandi uinum seu careandi seu quod non sit in dicto opere et petitus fuerit ab aliqua persona quod ipse uadat ad portandum seu careandum uinum et non iuerit incontinenti amittat pro pena et banno pro qualibet uice soldos x. papienses de quibus possit quilibet accusare et dominus potestas teneatur subtiliter ipsum portatorem uel qui esset inquirere. cuius pene tertia pars sit potestatis tertia comunis et allia tertia accusatoris. qui portatores comunis sint et esse debeant sex ad minus et habere debeant de dicto pretio quod receperint pro eorum portatura terciam partem dicti pretii et lucri comune duas partes et de eo quod mensurabunt ad tinam tempore uindimiarum habeant et habere debeant medietatem et comune aliam medietatem et ultra predictam partem nichil aliud habere uel recipere possint nec debeant sub eadem pena. Et quilibet uicarius Cassallis teneatur uinculo iuramenti ipsos portatores facere iurare attendere ea que in dicto capitulo continentur.

De tribus cebris largis et bassis per fondum fiendis per consules in quibus ponantur cebri portatorum cum quibus portant uinum.

Item statutum et ordinatum est quod proconsulles comunis teneantur et debeant infra xv. dies post introitum regiminis potestatis futuri sub eorum sacramento facere fieri expensis comunis tres ceberos bassos et maiores per fondum et plus latos quam sit illud ceberum ad quod et cum quo mensuratur starium uini. Ex quibus tribus ceberis teneantur et debeant predicti portatores semper quando mensurabunt aliquod uinum alicui persone tenere subtus ceberum mensuratorium uini ex ipsis tribus ita quod in dicto cebero basso et magis largo sic facto ut supra ponatur et stare et esse debeat tempore dicte mensurationis dictum ceberum mensuratorium et semper debeat sic impleri quod sit bene mensuratum et bene plenum. Et debeat esse dictum ceberum cum quo mensurabitur incisum in duabus partibus ipsius. Et per hunc modum semper debeant mensurare dictum uinum portatores predicti. Et si contrafecerit amittat pro pena et banno soldos v. papienses pro quolibet stario et pro quolibet ipsorum contrafaciente. Et etiam teneantur dicti portatores dictos ceberos sic factos postea manutenere suis expensis sicut modo facti fuerint sub eadem pena. Et quilibet possit ipsos accusare habendo tertiam partem comune tertiam et potestas tertiam. Quod capitulum locum non habeat tempore uindimiarum.

De Bollengariis que filare non debent.

Item statutum est quod quelibet Bollengaria seu persona que uendere uoluerit seu portare panem ad uendendum in platea Cassallis et ubique non possit filare neque rocham tenere super panem nec prope panem seu fructus nec dicere alicui persone uolenti emere panem tene de meo pane. Et si quis uel si qua contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice

soldos v. papienses de quibus possit quilibet de a Cassalli accusare et accusatori credatur cuius pene et banni tercia pars sit potestatis tercia comunis et alia tercia accusatoris.

De carnibus porcarum non uendendis ad becha-riam a Pasca resurrectionis usque ad sanctum Michaelem.

Item statutum est quod aliquis becharius non possit nec debeat interficere porcham aliquam ad mazelum nec ibi tenere seu uendere uel uendi facere a Pasca resurrectionis Domini usque ad sanctum Michaelem. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno pro qualibet uice soldos xx. papienses de quibus possit quilibet de Cassalli ac- b cusare et ei credatur cum sacramento habendo terciam partem uicarius terciam comune tertiam.

Item statutum est quod aliquis becharius non possit nec debeat uendere seu uendi facere occidere excoriare appendere uel incidere carnes morbosas seu de moria uel grimolosas uel marcidas uel calumpniatas seu infirmas sub tecto becharie. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos xx papienses sed debeant carnes morbose et predicte carnes uendi ad unam uel duas portarum comunis. Que omnia potestas teneatur iurari facere per becharios attendere et obseruare et contrafacientes accusare. Et si quis becharius interfecerit aliquam bestiam c alibi quam ad mazellum ipsam teneatur uendere extra macelum ad dictas portas et non subtus bechariam sub eadem pena diuidenda ut supra. de quibus possit quilibet de Cassalli accusare et accusatori credatur cuius pene et banni in dicto capitulo contenti tertia pars sit potestatis tertia comunis et allia tertia accusatoris.

De modo et forma uendendi carnes per becharios.

Item statutum et ordinatum est quod quilibet becharius et uendens carnes recentes de Cassalli uel habitans in Cassalli teneatur et debeat uendere omnes carnes modo et forma infrascriptis uidelicet libram puri castroni cuius quarterium fuerit a x. d libris supra uendere et dare teneantur cuilibet emere uolenti pro duodecim papiensibus qualibet libra et a decem libris infra pro denariis decem papiensibus pro libra. libram uero pecudis pro denariis octo papiensibus et libram bouis qui ualleat costet libras xx. papienses et a xx. supra pro denariis octo papiensibus et si costet a xx. libris infra pro denariis sex papiensibus pro qualibet libra et libram manzorum de lacte uel qui teneat quatuor dentes pro denariis octo papiensibus et libram capre et bechi pro denariis vi. papiensibus et libram capreti pro denariis xii. papiensibus toto anno et libram agnelli seu agnelle pro denariis octo papiensibus et libram porchi masculi pro denariis vi. et libram bien siue porche pro denariis x. papiensibus toto anno. Et predictas carnes plus quam supradictum est nullo modo uendere possint nec debeant. Et si contrafecerint soluant pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos xx. papienses. Eo saluo quod per tres dies ante Pasca resurrectionis Domini usque ad Pasca pentecostis omni anno possint uendere libram castroni puri cuius quarterium sit a x. libris supra imperiales vii. et si quarterium fuerit a x. libris infra imperiales vi. pro libra. Et quod dicti becharii nec aliquis ipsorum possit nec debeat occidere causa uendendi nec uendere in Cassalli uel cerchis aliquem arietem sub eadem pena. Et teneatur quilibet becharius ac debeat aufferre ab illis carnibus quas uendiderit et uendere uoluerit totum fiellum et carnem mattam et smeoltam totam de subtus rognonum et in aliquo rognono dictarum carnium nichil addere uel adiungere debeant nec aliquam grassam ab ipso rognono leuare sub eadem pena et omnes pecudes femineas teneantur et debeant betiare per totum corpus exceptis tibiis et garronis antequam aperta sit. Et quilibet possit contrafacientes accusare et ei credatur cum sacramento habendo terciam partem banni uicarius tertiam et comune tertiam et si familia accusauerit comune habeat duas partes et uicarius tertiam. a quibus penis et bannis non possit appellari nec dici sententia nulla non obstante capitulo de appellationibus. Eo saluo quod de mensibus septembris et octubris cuiuslibet anni teneantur et debeant dare libram cuiuslibet castroni pro denariis x. papiensibus cuilibet emere uolenti sub pena superius nominata que pena diuidatur ut supra et possit quilibet accusare ut supra dictum est.

De carnibus continue fiendis per becharios.

Item statutum et ordinatum est quod omnes becharii supra nominati modo et forma contentis in suprascripto capitulo teneantur et debeant dictas carnes recentes uendere et bechariam facere toto tempore et continue excepto tempore quadragesime et diebus ueneris ita quod qualibet die habere et facere debeant ad minus de carnibus castratinis uel pecudis siue bouis dummodo fuerint in Cassalli et sani et quod non possint associari nec esse socii simul ad uendendum dictas carnes nisi duo tantum ad unum banchum. Et quod non possint nec debeant tenere super uno bancho carnes de porcho cum carnibus de porcha nec carnes de pecude possint uel debeant mischare uel simul ponere uel tenere cum carnibus castroni super dicto bancho sed debeant dictas carnes pecudis separatas tenere a carnibus castroni super eodem bancho per unum brachium ad minus. Et si quis ipsorum contra predicta uel aliquod predictorum fecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro quolibet et qualibet uice soldos xx. papienses cuius pene et banni tertia pars sit potestatis tertia comunis et

tertia accusatoris et quilibet possit accusare et ei *a* credatur cum sacramento nec possit a dictis penis appellari nec dici sententia nulla non obstante capitulo de appellationibus.

Quod quilibet possit carnes suarum bestiarum uendere ubique preterquam in platea.

Item statutum et ordinatum est quod quelibet persona de Cassalli possit et ei licitum sit uendere et uendi facere bestias suas proprias non morbo affectas dummodo ipsas non emerit causa faciendi becharias ubicumque uoluerit in Cassalli preterquam in platea comunis quolibet tempore absque pena et banno dummodo non sit becharius et consuetus facere bechariam cui non liceat predicta facere *b* nisi secundum quod conceditur per statuta dicti comunis quas carnes predicti uendere debeant et dare pro pretio concesso bechariis per statuta dicti comunis et licitum sit unicuique persone non habenti partem in dictis bestiis nec de lucro ipsarum predictas bestias excoriare et ipsos adiuuare ad uendendum absque pena et banno aliquo capitulo in contrarium loquente non obstante.

De becharia facienda subtus becharias uetteres.

Item statutum et ordinatum est quod aliquis becharius de Cassalli uel qui habitet in Cassalli uel consuetus sit facere becharias non possit nec debeat dictam bechariam facere nec carnes recentes uen- *c* dere nisi solummodo in bechariis ordinatis uidelicet in becharia uacharum et in becharia sancti Stephani de nouo heddifficata. Et si quis contrafecerit amittat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice et die soldos xx. papienses. Eo saluo quod aliis bechariis et uolentibus facere carnes recentes ad uendendum non habentibus partem seu loca in dictis bechariis predicti becharii seu alie persone habentes in dictis bechariis ultra unum locum teneantur et debeant dare ad pensionem predictum locum siue loca quem uel que habuerint ultra unum secundum quod inter se potuerint conuenire. et si adinuicem de dicta pensione non potuerint conuenire tunc teneantur et debeant non habentibus a predictis partem recipere et habere *d* illud pretium quod per proconsules comunis fuerit limitatum et taxatum. Et si predicti habentes loca predicta facere recusauerint amittant pro quolibet et qualibet uice soldos LX. papienses. Et si contingeret quod in dictis bechariis non essent tot loca que sufficerent predictis non habentibus partem in ipsis et uolentibus dictas carnes facere tunc possint et eis liceat loca accipere sibi suffitientia in pasquario sancti Stephani post dictam bechariam deuersus domos quondam Anissini Calchanei in dispositione proconsulum dicti comunis recognoscentes dicta loca a comuni Cassallis et soluentes fictum ordinatum super dictis bechariis. de quibus penis et bannis potestas habeat tertiam partem et comune duas partes et quilibet possit accusare habendo terciam partem banni. a quibus penis et bannis et condempnatione uel sententia non possit appellari. Et eo saluo quod per quatuor dies ante natiuitatem Domini et ante Pasca resurrectionis possint dicti becharii dictas carnes uendere et bechariam facere ubique nisi in platea comunis.

Quod nullus becharius carnes recentes in domo possit tenere post solis ortum et ante solis occasum.

Item statutum et ordinatum est quod nullus becharius uel uendens carnes recentes non possit nec debeat tenere seu reducere aliquas carnes recentes in aliqua domo post ortum solis nec ante occasum solis sub pena solidorum xx. papiensium pro quolibet et qualibet uice excepto in diebus ueneris. Et quod dicti becharii teneantur et debeant dare et uendere cuilibet persone de illis carnibus quas petierit et in ea quantitate sub pena solidorum xx. papiensium pro quolibet et qualibet uice. Et teneantur quoque predicti becharii et debeant sub eadem pena pensare dictas carnes usque in quantitate librarum VIII. carnium ad ballantias et a dicta quantitate infra tantum et a dicta quantitate supra possint pensare ad rectas steras. Si quis igitur contrafecerit amittat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos xx. papienses. Et nullus dictorum bechariorum tenere possit ad suum banchum subtus bechariam nec alibi aliquas carnes uenditas plures quam de duobus quartis separatis sub eadem pena. De quibus omnibus et singulis quilibet possit accusare et accusatori credatur de quibus penis et bannis rector Cassallis habeat tertiam partem comune tertiam et accusator tertiam.

De bechariis quod nullus ipsorum debeat buffare in aliqua bestia nec occidere nisi ad macellum.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquis becharius seu aliqua allia persona excorians carnes supradictas siue eas uendens non possit nec debeat buffare nec buffari facere in aliqua bestia mortua ex supradictis bestiis. Et quod non possit occidere nec occidi facere aliquas bestias nisi ad macellum et nisi uenerint cum suis pedibus ad dictum locum absque eo quod sint portate et a terra leuate ante nec retro. Et quod eas occidere non possit nisi orto iam sole et ante solis occasum. Et si quis contrafecerit amittat pro pena et banno pro qualibet uice nec non et qualibet bestia et pro quolibet suprascripto crimine soldos xx. papienses de quibus quilibet de Cassalli possit contrafacientes accusare et accusatori cum sacramento credatur. de quibus penis potestas habeat tertiam partem comune tertiam et accusator tertiam. a quibus penis et bannis nullatenus possit appellari nec a condempnationibus inde factis.

De sacramento bechariorum qualiter rector teneatur eos facere iurare.

Item statutum et ordinatum est quod rector Cassallis teneatur et debeat omnes becharios facere qui sint de Cassalli iurare uel aliter uolentes uendere et facere carnes recentes ad supradictum modum et formam quod uendent ad supradictam formam bonas ydoneas et sanas carnes per totum annum tam in estate quam in hieme. Et aliquis bechariorum si facere recusauerit suprascriptum sacramentum et uendere et suprascriptas carnes facere ut supra continetur in singulis suprascriptis capitulis non possit facere bechariam nec uendere carnes recentes in Cassalli ipse nec aliquis de domo sua nec aliquis alius pro eo videlicet per duos annos completos. Et si fecerit bechariam predictam amittat pro quolibet et qualibet uice soldos x. papienses si ipsam fecerit infra dictum tempus. Et quod potestas teneatur et debeat ipsos facere iurare in presentia ipsius et consulum predicta attendere. quod sacramentum scribatur similiter cum illis qui iurauerunt in libro consciliorum comunis Cassallis. Et quod nullus possit facere predictam bechariam nisi ille tantum qui iurauerit licet esset de domo sua et staret ad unum panem et uinum sub pena predicta nec infra dictum tempus cum aliquo bechario se associare qui non iurauerit dictas carnes facere. Et si ipse cum aliquo se associauerit dictorum bechariorum quod ille talis becharius qui eum secum associauerit amittat pro pena et banno soldos lx. papienses et ultra hoc expellatur de offitio becharie usque ad tres annos et pro qualibet die qua bechariam fecerit amittat pro pena et banno soldos xx. papienses pro quolibet et qualibet uice si fuerit sanus uel steterit in Cassalli de quibus penis et bannis potestas habeat terciam partem comune tertiam et accusator alliam tertiam.

Quod consules bechariorum teneantur attendi facere quod alii becharii attendant capitula omnia et statuta comunis loquentia de becharïis.

Item statutum est quod consulles bechariorum teneantur et debeant iurare infra octo dies post ellectionem dictorum consulum sub uicario Cassallis attendere et attendi facere aliis bechariis omnia statuta comunis Cassallis loquentia de bechariis et omnia capitulla bechariorum sub pena et banno soldorum quinque papiensium pro quolibet et qualibet uice die quo non iurasset post dictum terminum octo dierum.

De bestiis ouinis et caprinis non tenendis.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona undecumque sit non audeat nec presumat nec possit tenere in districtu Cassallis nec in Cassalli aliquas bestias ouinas nec caprinas. Et siqua persona contrafecerit uel ueniret soluat comuni Cas-

a sallis pro quolibet trentenario libras x. papienses. Et si minus tenuerit soluat pro qualibet bestia ouina uel castratina penam ad supradictam rationem librarum x. pro rata. cuius pene tertia pars sit potestatis et alie due partes comunis. Et de hoc capitulo teneatur potestas precisse. Eo saluo quod quilibet becharius non obstante capitulo susuprascripto possit habere et tenere xxv. bestias ouinas grassas sine lacte et intelligatur esse unus becharius tantum omnes de una domo et qui stent ad unum panem et uinum et non teneatur neque dicatur esse becharius aliquis nisi carnes continue fecerit sub pena soldorum lx. papiensium pro quolibet et qualibet uice. Et quod aliquis custos pecudum de becharia custodire non possit nisi so-
b lummodo ipsas bestias xxv. et si contrafacerent cadant in penis superius nominatis. Et quod dominus potestas teneatur inquirere predicta omni edomada siue inquiri facere et non obstantibus hiis que superius continentur licitum sit mercatoribus bechariis mercatoribus illas bestias ouinas quas emerint pro mercadiis ducere in Cassalli et per poderium Cassallis. Et si ipsis mercatoribus placuerit ipsas talles bestias ouinas seu castratinas quod possint tenere eas in Cassalli et poderio per dies quinque tantum ab illa die qua duxerint illas bestias in Cassalli cum licentia potestatis que licentia scribatur in actis comunis. Illud iddem intelligatur in omnibus personis de Cassalli et habitantibus in Cassalli que dedissent seu haberent bestias ouinas
c extra Cassallem in socedo scilicet quod possint ipsas tenere per dies decem et plus cum licentia domini potestatis et proconsulum secundum quod casus exigeret. Et sic ellapso termino quinque dierum teneantur mercatores ducere et duci facere extra Cassallem dictas bestias et extra poderium Cassallis sub pena predicta. A quibus penis et bannis non possit appellari sed facta dicta condempnatione dictus dominus potestas teneatur et debeat dicta banna et condempnationes excuttere sine aliqua compensatione habendo dictus dominus potestas tertiam partem comune tertiam et accusator alliam tertiam. Quod capitulum sit precissum saluo quod si dicte bestie uel aliqua ipsarum iret in dampnum comunis uel hominum Cassallis et accusate fuerint
d perdant pro banno et pena quemadmodum ille bestie perderentur si inuenirentur in dampnum. Et licitum sit cuilibet de Cassalli uidelicet unicuique domui tenere capram unam sine dacito et unum agnellum uel castronum. Et etiam licitum sit cuilibet de Cassalli tenere in domo sua ad fenum ita quod non uadant ad pasculandum extra cerchas Cassallis illas pecudes quas haberet omni anno per menses decembris ianuarii februarii et marzii et non ultra sub eadem pena iurante dicto uolente tenere prout supra ipsas pecudes et bestias ouinas esse suas et non alterius persone.

Quod sine lumine post sonum campane guardiarum que secundum morem de nocte pulsatur nulla persona ire nec plateare debeat in uiis publicis. a

Item statutum est quod aliqua persona non debeat ire per Cassallem postquam fuerit pulsata campana guardiarum que pulsatur de nocte sine lumine absque parabula potestatis seu alicuius rectoris Cassallis. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis pro qualibet uice soldos II. papienses nisi iret ad stremittam uel causa coquendi panem uel ad puteum uel ad sacerdotem uel post bestiam que exiret de domo uel curte sua uel nisi iret ad barberium causa se radendi uel diminuendi sanguinem. In quibus casibus possit ire et redire sine lumine ad suam uo- b
luntatem absque banno. Nec etiam possit nec debeat aliqua persona stare sedere nec plateare in uiis publicis post dictum sonum sub eadem pena.

De pannis qualiter longe a puteis debeant ablui.

Item statutum est quod aliqua persona non debeat abluere pannos nec aliquid aliud prope aliquem puteum per unum trabuchum. Item quod nullus possit proiicere paleas uel facere fimum prope puteum per unum trabuchum. et teneatur rector inquirere contrafacientes omni edomada precisse. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos v. papienses de quibus possit quilibet de Cassalli ac- c
cusare, et accusatori credatur. cuius pene tertia pars sit potestatis tertia comunis et tertia accusatoris.

Quod nullus tenere possit aquayrolum uel strumeriam uel carrariam uel stabulum porchorum uel tinas in platea nec uiis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat facere nec tenere seu habere aliquod aquairolum desuper terram per unum bonum trabuchum uel plus nec in terra seu super terram nisi sit copertum et non debeat esse amplum latum ultra unum pedem. et quod aliqua persona non possit tenere aliquod aquairolum super terram nec supra d
terram quod ducat putredinem nec strumeriam nec aliquem stabulum porchorum seu tinam in platea nec in uiis publicis seu uicinalibus nec in sedimine ubi fuit palatium comunis. et quod aliqua persona non possit nec debeat claudere aliquem porticum qui sit in plateis nec super aliqua uia publica uel uicinalli nec ibi facere aliquos porcillos nec ibi proycere ebullos aliquam calzinam palleas fimum nec aliquam bruturam sed teneatur quilibet et debeat in parca sui tenere omnes uias tam publicas quam uicinalles intus burgum et cerchas Cassallis apertas et expeditas bene mondatas absque allio uituperio a se facto uel quod causam habeat ab eo et in uiis et in platea nec super ipsis aliquam priuatam facere possit nisi esset murata circumquaque. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro quolibet et qualibet uice soldos x. papienses de quibus possit quilibet de Cassali accusare et accusatori credatur cum sacramento. cuius pene et banni tertia pars sit potestatis tertia comunis et allia tertia accusatoris. eo saluo quod liceat cuilibet persone tenere et habere discos seu bancha uel trabes subtus portichus inter unam columpnam et alliam et iuxta muros causa sedendi et plateandi et quamlibet aliam rem ibi positam causa sedendi. super quibus omnibus homines plateare et sedere possint et etiam in die mercati et fere tantum quantum durabit mercatum et fera. et semper mercatores Cassallis possint tenere discos subtus eorum porticus ad eorum liberam uoluntatem impune aliquo capitulo in contrarium loquente non obstante. et in tempore uindimiarum licitum sit cuilibet persone tenere tinas carrarias et circulos in predictis plateis et uiis et eo tempore quo uinee fiunt possit quilibet tenere carrarias rebias tisirolios caratia et circulos absque pena et banno. quod capitulum potestas teneatur in principio sui regiminis preconizari facere infra xv. dies et significare predictis qui haberent seu tenerent aliquem fimum in predictis uiis quod predicta exportari faciant infra octo dies sub eadem pena. quod capitulum locum non habeat in fornariis. que autem in capitulo continentur teneatur inquirere et inquiri facere omni mense potestas comunis Cassallis. et quod omnes et singuli dantes paleas potestati Cassallis teneantur fimum ex ipsis palleis factum in domibus comunis Cassalis quotienscumque extractum fuerit de dictis domibus et positum in strata comunis ipsum exportare seu exportari facere ducere seu duci facere de dicta strata infra tempus limitatum per dictum statutum sub pena contenta in dicto statuto. et quod aliquis calegarius nec peliparius non possit nec debeat in dictis uiis uel platea aliquas pelles uel coria excoriare uel raspare nec ibi labi facere seu proycere aliquam aquam de afayto uel de moticio. et quod aliqua persona non possit nec debeat raspare nec aperire aliquam panziam uel buellas bestiarum in dictis uiis sub pena et banno soldorum xx. papiensium pro quolibet et qualibet uice que pena diuidatur ut supra. eo saluo quod quilibet qui uoluerit eddifficare et facere aliquod heddifitium possit tenere in dictis uiis lignamen causa eddifficandi et alia necessaria ad eddifitium predictum per unum mensem cum licentia rectoris absque pena. et eo saluo quod si dicte pallie uel fimus de quibus supra dictum est essent in minori quantitate quam esset onus unius bestie asinine quod nulla persona soluatur. quod statutum locum non habeat in aquairolis ducentibus aquam de domibus et sediminibus hominum de Casali uidelicet de subtus portas et hostia.

De lutrinis seu priuatis copertis tenendis.

Item statutum est quod si quis habet siue faciet aut facere uoluerit aliquam priuatam teneatur et debeat eam cooperire seu cooperiri facere et ipsam priuatam coopertam tenere usque in terram ita quod luttum et putredo uideri non possit. et si quis habet uel habuerit ruttam aliquam in qua fiat putredo que tangat uiam comunis uel publicam uel uicinallem debeat ipsam claudere ex parte uie uel deuersus uiam et faciat et facere debeat quod ipsa putredo decurrat in aliquem cunicullum. et si non poterit decurrere in aliquem cuniculum copertum teneatur et debeat ipsam ruttam claudere et stopare de muro cum calzina ita quod non possit decurrere deuersus uiam. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis soldos x. papienses de quibus possit quilibet de Cassali accusare.

De ruttis uicinalibus remondandis.

Item statutum et ordinatum est quod omnes persone de Cassalli siue habitantes ibidem habentes ruttas uicinalles inter se et uicinum suum teneantur ipsam ruttam remondare si requisitus fuerit a uicino infra octo dies postquam fuerit requisitus a uicino sub pena et banno soldorum v. papiensium pro quolibet die quo staret ad remondandum et netezandum ellapso dicto termino dierum octo. cuius pene tertia pars sit potestatis tertia comunis et tertia accusatoris. a quibus penis et bannis non possit appellari nec sapiens peti nec a condempnatione inde facta.

De fenestris uel hostiis uel aquarolis desuper ruttis uel sediminibus non tenendis neque faciendis.

Item statutum est quod aliqua persona de Cassalli uel que habitet in Cassalli non possit nec debeat facere habere nec tenere aliquod hostium siue fenestram nec etiam aquairolum nec priuatam super aliquam ruttam siue sedimen inter unum uicinum et alterum nisi ipse esset consuetus ire et redire per dictam uiam seu ruttam. quod capitulum locum non habeat in fenestris ferratis. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos centum papienses de quibus possit quilibet de Cassalli accusare et accusatori credatur. cuius pene et banni tertia pars sit potestatis tertia comunis et allia tertia accusatoris. et insuper potestas siue rector Cassallis teneatur et debeat hostia fenestras siue priuatas uel aquairola si qua facta fuerint super predictis stopari et claudi facere de muro ab illis personis que predicta fecissent usque ad octo dies postquam denuntiatum fuerit ei precisse. saluo quod quilibet possit accipere partem suam rutte uel sediminis claudendo de muro. a quibus penis non possit ap-
a pellari nec etiam a predictis predicta occaxione factis.

Quod nullus uadat ad rixam cum armis.

Item statutum et ordinatum est quod nullus uadat cum armis ad aliquam rixam que fieret in Cassalli uel districtu in offensione uel auxilio alicuius rixantis nisi causa diuidendi quod quidem causa diuidendi inteligatur iuisse ad dictam rixam si repertum fuerit ipsum diuississe inter ipsos rixantes et inteligatur iuisse dicta rixa causa offendendi aut seruiendi seu auxilium dandi si extraxerit aliqua arma in dicta rixa uel portauerit aliqua arma in predicta rixa preter cutellum. et de extractione cu-
b teli teneatur sicut si extraxisset altera arma. et hoc sub pena librarum decem papiensium pro quolibet et qualibet uice. super autem predictis dominus potestas possit procedere ad eius liberam uoluntatem. et si percusserit aliquem in dicta rixa uel offenderit seu iniuriatus fuerit quod puniatur in duplum pene qua punirentur principalles persone rixantes ad inuicem.

Quod foresterii non audeant portare arma per burgum Cassalis et hospites teneantur ipsis forasteriis denuntiare qui ad domos eorum hospitantur.

Item statutum et ordinatum est quod nullus fo-
c renssis possit nec audeat portare per Cassallem aliqua arma sine licentia domini potestatis sub pena soldorum xx. papiensium et quod hospites teneantur denuntiare ipsis forenssibus quod dicta arma deponant. et si non denuntiauerint teneantur soluere comuni Cassalis soldos v. papienses et nichillominus amittant arma dicti forenses pro quolibet et qualibet uice.

Quod si aliquis de Cassali uel ibi habitans aliquam iniuriam ab aliquo forense substinuerit adiuuetur.

Item statutum est quod si aliquis de Cassalli uel qui habitet in Cassali passus fuerit iniuriam
d grauamen uel dampnum in persona uel rebus in aliqua parte per aliquem forensem Cassallis seu per aliquem circumstantem uicinum quod per predictum dominum potestatem et comune Cassalis foueatur et adiuuetur ille burgenssis Cassallis contra illum qui fecerit sibi dampnum et iniuriam ad uoluntatem iniuriati uel qui passus fuerit lamentatione facta per illum qui fuerit passus dampnum uel iniuriam seu per procuratorem suum precisse.

De pena deffensorum et auxiliatorum et conscilium dantium bannitis de mallefitio.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona Cassallis uel aliunde daret auxilium con-

scilium uel fauorem in Cassalli uel etiam in toto poderio uel Pacilliani uel Cassallis uel deffenderet aliquem ex bannitis qui esset bannitus de tali mallefitio propter quod deberet perdere uitam domino potestati uel eius familie qui uellet aut qui uoluerit ipsos capere uel aliquem ipsorum soluat pro pena et banno libras centum papienses pro quolibet et qualibet uice.

Quod bannitus qui aliqua ex predictis causis sit bannitus possit capi et detineri.

Item statutum et ordinatum est quod quelibet persona de Cassalli possit impune et sine pena capere et detinere et interficere bannitum qui sit bannitus aliqua ex predictis causis et qui non sit de Cassalli et in toto poderio et districtu Cassallis et Paciliani ad suam uoluntatem. et si aliqua persona deffenderet uel associaret ipsum bannitum quem aliquis capere uellet in toto poderio soluat pro pena et banno libras xxv. papienses.

Quod uituperium ludum iocus ante ecclesiam fieri non debeat.

Item statutum et ordinatum est quod nulla persona siue parua siue magna facere debeat aliquod uituperium et nec ludere debeat ad aliquem ludum uel iocum ante ecclesiam sancti Francischi et sedimina a porta domus Fatioti manescalchi usque ad sedimen domini Oberteti de Ponte sub pena soldorum v. papiensium pro quolibet et qualibet uice. Illud iddem intelligatur in cimiterio et circuitu ecclesie sancti Euaxii et omnium ecclesiarum et cappellarum Cassallis nec possit nec debeat tenere seu tendere linum uel pallelas paruas uel magnas in cimiterio nec sub uoltis ecclesie sancti Euasii sub eadem pena pro quolibet et qualibet uice.

De illis qui habent facere super fossatis per comune factis ut remondatos teneant.

Item statutum et ordinatum est quod omnes et singulli qui habent facere super fossatis factis et que fient per comune et omnes coherentes predictis habentibus facere super dictis fossatis teneantur et debeant ipsa fossata quilibet manutenere in parca sui pro rata ut facta sunt et fient per comune Cassallis sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldorum x. papiensium postquam preconizatum fuerit infra xv. dies semel tantum de quibus possit quilibet de Cassalli accusare habendo terciam partem potestas tertiam et comune alliam tertiam ita quod dicta fossata sint in deffensione. Illud iddem intelligatur de gattola. et quod omnes et singuli laboratores aliquas terras laborantes non soluentes fodrum comuni Cassallis teneantur et debeant fossata facta per comune in parca ipsarum terrarum remondare infra quinde-

a cim dies postquam preconizatum fuerit sub pena et banno soldorum quinque papiensium et nichillominus teneantur ultra hoc dicta fossata remondare. et hoc omni anno semel ad laudem proconsulum de quibus quilibet possit accusare habendo terciam partem banni comune tertiam et potestas alliam tertiam et ad predicta fossata inquirenda semper intersint duo ex proconsulibus Cassalis. hoc tamen capitulum pendeat ad uoluntatem conscilii ad quod conscilium rector Cassallis poni faciat dictum statutum semel ad minus pro quolibet regimine infra unum mensem post introitum sui regiminis et sicut prouidebitur per dictum conscilium ita fiat.

b *Quod nullus presumat arengare aliquam mulierem mortuam.*

Item statutum est quod aliqua persona non audeat nec presumat arengare ad aliquam mulierem mortuam sub pena et banno soldorum quinque papiensium. et quilibet possit contrafacientes accusare et accusatori credatur habendo tertiam partem banni potestas tertiam et comune alliam tertiam.

De offendentibus aliquam personam in Cassali uel poderio siue de existentibus in eorum societate.

Item statutum et ordinatum est quod aliquis ho-
c mo de Cassalli siue sit bannitus comunis Cassallis siue non si dederit offensionem seu fecerit uel fuerit in societate alicuius qui dederit offensionem alicui persone in Cassalli seu poderio Cassallis uel Paciliani siue extra quod ille tallis offensor seu associator teneatur et debeat si habuerit unde possit restituere de suo restituere dampnum dicte offensionis seu uallimentum illi persone cui datum fuerit dictum dampnum seu dicta offensio et hoc potestas presens siue futurus teneatur uinculo sacramenti attendi facere et obseruari omnia predicta et singulla. et quod a predicto capitulo non possit appellari nec sapiens peti nec dari nec dici esse nullam sententiam. et quod aliqua persona non possit nec debeat aduocare pro ipsis qui essent in
d predicto casu sub pena librarum decem papiensium pro quolibet et qualibet uice aliquo allio capitulo in contrarium loquente non obstante precisse.

De capientibus bannitos et offensores et de maleffitio.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona ceperit aliquem bannitum de malleffitio seu offensorem aliquem tallis offensionis propter quam seu quod ille bannitus seu offensor deberet de iure perdere uitam seu daret inditium auxilium et fauorem potestati propter quod ipse bannitus seu offensor ueniret seu positus fuerit in fortia et uirtute presentis rectoris et futuri comunis Cas-

sallis habeat et habere debeat de ere comunis Cassallis libras L. papienses.

De debentibus portare lanzeas.

Item statutum et ordinatum est quod quilibet qui a decem et octo annis supra et a LXX. annis infra qui iuerit extra cerchas Cassallis causa laborandi tempore guerre teneatur et debeat portare lanzeam seu spetum archum uel balistam seu spatam sub pena et banno soldorum II. papiensium pro quolibet et qualibet uice. saluo quod ducentes bestias axininas uel equinas causa laborandi non teneantur ad predicta. quod capitulum locum non habeat nisi fuerit preconizatum per Cassallem tempore cuiuslibet regiminis semel ad minus.

De audientibus rumorem qui currere debent in subsidium uicini.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua stremitta aut rumor aliquis fuerit in aliqua parte in poderio Cassallis uel Paciliani quod quilibet qui audierit dictam rixam dictum rumorem siue stremittam teneatur et debeat currere cum suis armis ad dictam rixam rumorem seu stremitam et deffendere suum uicinum toto suo posse. et si quis contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice soldos x. papienses. et quilibet de Cassalli qui uiderit aliquem bannitum comunis Cassallis ex predictis de causis in Cassalli et poderio Cassallis et Paciliani teneatur et debeat cridare post ipsum bannitum et facere stremittam post ipsum et facere et capere seu curare toto posse suo quod ille tallis bannitus capiatur et detineatur et quod ponatur in fortia rectoris Cassallis et comunis sub pena et banno soldorum x. papiensium pro quolibet et qualibet uice.

De carratiis non emendis nec uendendis scilicet de cannis extra burgum Cassallis nisi in canetis ubi nate sunt.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona non audeat nec presumat emere nec uendere carratia de cannis extra burgum Cassallis nisi tantummodo sollomodo in canetis in quibus nate fuerint ipse canne. si qua autem persona contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos x. papienses.

Quod nullus stet in platea post primum sonum campane tabernarum.

Item statutum est quod aliqua persona non audeat nec presumat plateare nec stare in platea Cassallis post sonum primum campane tabernarum seu platea Comunis. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos duos papienses. saluis custodibus terre et
a eo saluo quod non obstante dicto capitulo quilibet possit plateare subtus pontille Iohannis Buttini de Allexandria tantum quantum durat dictum pontille usque ad sonum campane guardiarum absque pena et banno.

Quod nemo presumat ire in terram inimicorum.

Item statutum est quod aliqua persona de Cassalli uel que habitet in Cassalli non audeat nec presumat ire cum mercantiis uel sine mercantiis in terram aliquam inimicorum comunis Cassallis siue in qua tenentur uel tenerentur homines uel persone bona hominum Cassallis capta absque licentia generalis conscilii comunis Cassallis. et si
b quis contrafecerit uel uenerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis libras XXV. papienses et quilibet possit accusare habendo tertiam partem comune tertiam et uicarius tertiam pro quolibet et qualibet uice et insuper non fiat illi uel illis ius in ciuilibus causis.

De bestiis existentibus seu transeuntibus fossata per comune facta.

Item statutum est quod si aliqua bestia inuenta fuerit in fossatis factis per comune seu transisset ipsa fossata teneatur et debeat dominus illius bestie soluere pro pena et banno soldos duos papienses pro qualibet bestia. et quilibet possit ac-
c cusare habendo tertiam partem banni uicarius tertiam et comune alliam tertiam. eo saluo quod si aliquis dicta fossata cum bestiis de labore occaxione laborandi transiret dum relleuet dictum fossatum quod non teneatur soluere dictam penam. et quod si dominus illius campi ubi alius fecisset lapollam seu sappellum seu qui transisset amitteret itterum aliquod bannum quod ille qui transisset uel fecisset sappellum uel lapollam teneatur soluere dictum bannum.

Quod consules comunis nullum alterum offitium possint habere durante eorum consulatu.

d Item statutum et ordinatum est quod aliquis qui fuerit consul comunis non possit habere aliquod offitium durante eius consulatu nec post ille qui fuerit consul ponere aliquem loco sui nisi quod possit dimittere uocem suam uni de sociis suis. et quod consulles non possint nec debeant durante suo consulatu ire ad laborandum extra burgum nec uenire excalziati ad domum comunis sub pena et banno soldorum quinque papiensium pro qualibet uice et hoc teneantur precisse. et si aliquod offitium aliud acceptauerint durante suo offitio consulatus quod non ualleat sed alius loco sui restituatur in allio acceptato offitio. et quod uicarius teneatur attendi facere precisse sub uinculo iuramenti.

Quod nullus possit esse offitialis comunis nisi sit de Cassali et habitet in Cassali cum eius familia. a

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona non possit habere offitium nec esse offitialis comunis nisi sit de Cassalli et habitet in Cassalli cum eius familia et nisi steterit in dicto loco hic retro per quinque annos et plures.

De sponsis et mellis non fiendis.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona seu sit parua seu magna Cassalis uel aliunde non audeat neo presumat facere sponsam aliquam nec etiam mellum nec aliquod aliud facere occaxione petendi denarios uel pro quibus possent dari b
uel recipi denarii nec aliquid aliud. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno soldos quinque papienses. et hoc inteligatur pro sponsis que fiunt de kallendis madii. et quilibet possit accusare habendo tertiam partem uicarius terciam et comune alliam tertiam. Illud iddem inteligatur de petentibus strenam in anno nouo nec aliquid aliud. et quod aliqua persona non debeat dare alicui predictorum occaxione supradictis sub pena et banno soldorum v. papiensium pro quolibet et qualibet uice. quod capitulum potestas teneatur facere cridari per Cassallem in uigilia kallend. madii uinculo iuramenti. et etiam teneatur super contentis in dicto capitulo facere inquisitionem generalem illa edomada tam contra dantes quam contra recipientes c
predicta et specialiter contra seruitores trombatores et portatores uini dicti comunis.

De laborantibus possessiones ab illis personis non subditis comuni Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod quelibet persona que laborauerit uel laborari fecerit terras seu possessiones aliquas ab aliqua persona que non sit subdita comuni Cassallis non existente in Cassalli uel existente teneatur et debeat ratifficare et ratifficata tenere fossata illius possessionis quam laborauerit aut laboraret donec ipsam ad laborandum tenuerit ad expensas suas uel domini possessionis. et hoc inteligatur si dicta fossata facta et d
remondata fuissent per comune Cassallis a quinque annis retro uel fierent deinceps per dictum comune sub pena que in dictis capitullis continetur loquentibus de fossatis.

De personis dampnum dantibus uel iniuriam facientibus alicui de Cassalli extra poderium Cassallis.

Item statutum et ordinatum est quod si quis de Cassalli siue sit bannitus siue non uel qui habitet in Cassalli dederit seu fecerit aliquam iniuriam dampnum uel uiolentiam uersus aliquam personam de Cassalli seu qui habitet in Cassalli in personis et rebus et etiam extra poderium Cassallis existentibus ipsis personis seu rebus in quocumque loco quod potestas qui nunc est seu qui pro tempore fuerit in regimine Cassallis possit et teneatur et debeat illam personam dantem aut facientem dampnum uel iniuriam seu uiolentiam in personis seu rebus punire et condempnare et ad restitutionem faciendam compellere omnibus modis secundum statuta comunis Cassallis perinde ac si in posse et districtu Cassallis dictum dampnum et iniuria factum seu facta datum seu data esset et etiam alicui religiose et ecclesiastice persone et aliquibus aliis personis quibuscumque uel cuiuscumque conditionis existat exeuntibus et redeuntibus in Cassalli. quod statutum sit perpetuum et ponatur et semper esse debeat in uolumine statutorum comunis Cassalis.

De uino non extrahendo de Cassalli nisi prius soluerit clauario comunis soldos II. de stario et acceperit bulletam.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona de Cassali seu aliunde non debeat seu presumat ducere seu duci facere extra Cassallem aliquod uinum nisi prius soluerit comuni Cassallis soldos II. pro quolibet stario et fecerit sibi fieri bulletam dicto clauario seu proconsullibus de dicto uino. et quod dictum uinum non possit extrahi nec duci nisi per portam lachus tantum. et si quis extraxerit dictum uinum nisi per predictam portam incidat in penam dicti statuti precisse. et si quis contrafecerit amittat uinum carrum boues et bestias cum quibus duxerit dictum uinum de quibus penis dominus uicarius habeat tertiam partem comune uero duas. et quilibet possit accusare contrafacientes habendo terciam partem. et quod non possint petere sapientem nec etiam condempnatione facta dicta de causa aliqualiter appellare. hoc quoque capitulum inuiolabiliter obseruetur non obstante aliquo alio capitulo in contrarium loquente. quod capitulum locum non habeat pro uno quartarono si plus non haberet quam de illo quod soluisset pedagium et si plus haberet cadat in penas superius nominatas.

De terra similiter et glara in uiis publicis non accipienda.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona non possit nec sibi licitum sit capere seu capi facere ducere seu duci facere terram de aliqua uiarum comunium seu de aliqua dictarum uiarum nec etiam glaream. et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro pena et banno de quolibet asino soldos quinque papienses. de quolibet uero carro soldos x. papienses. et quilibet possit accusare et accusatori credatur habendo tertiam partem potestas tertiam et comune alliam tertiam. saluo quod quelibet persona possit accipere terram in piarda Padi deuersus ripam Padi ubicumque per

unum trabuchum cum dimidio et sine licentia absque pena et absque licentia alicuius persone.

De blada uel farina non transmittenda.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona de Cassalli seu que habitet in Cassalli non audeat nec presumat transmuttare ab una domo ad alliam aliquam bladam uel farinam a sono campane guardiarum ellapso. et si quis contrafecerit amittat blauam uel farinam et ultra libras xxv. papienses pro quolibet et qualibet uice. quam penam si soluere non poterit amputetur pes uel manus ac si dictam blauam uel farinam duxisset extra Cassalem et poderium. quod capitulum locum non habeat in blado equorum usque in stariis quatuor nec in aratoribus tempore messium.

De blaua ducenda ad pensam et ibi scribenda si et de qua farina fieri uoluerit.

Item statutum et ordinatum est quod omnes et singuli menatores de Cassalli seu ibidem habitantes blauam aliquam ducentes ad mollendum ad mollendina Cassalis teneantur et debeant ipsam blauam conducere ad pensam Cassallis et ibi ipsam scribi facere et pensari ad dictam pensam. et cum dicta blaua pensata fuerit et molta ipsam facere pensari in farinam ad dictam pensam et hoc infra v. dies et si ellapsis illis quinque diebus aliqua blaua repperta fuerit in libro pense non cassata amittat soldos lx. papienses. et quod potestas teneatur mittere suum militem ad inquirendum predicta ter in ebdomada ad minus saluo quod omnes et singulli de Cassalli et habitantes ibidem uolentes ducere et portare blauas ad molendum possint ipsam blauam ducere et portare sine eo quod ipsam penset fatiendo ipsam blauam scribere notario pense et ipsam cassari facere cum duxerit in farinam.

Quod aliquis molinarius non audeat dare farinam alicuius foresterii nisi illi foresterio cui uoluisset.

Item statutum et ordinatum est quod aliquis molinarius non audeat nec presumat dare aliquam farinam alicuius foresterii alicui alteri persone quam illi forensi cui moluisset uel moluerit qui duxerit seu portauerit blauam de qua blaua effecta fuerit dicta farina. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis libras x. papienses pro quolibet et qualibet uice. et quilibet possit accusare habendo tertiam partem banni uicarius tertiam et comune alliam terciam a quibus penis non possit apellari nec sapiens peti sed ipso facto dictus uicarius teneatur ipsam penam excuttere cum effectu sine aliqua condempnatione facienda.

a *De blaua que ultra Padum ducitur causa molendi ad mollendina Cassalis super portum transitura.*

Item statutum et ordinatum est quod omnes et singuli forenses qui duxerint seu portauerint aliquam blauam ad mollendum ad mollendina Cassallis et ultra Padum teneantur et debeant ipsam blauam transire et farinam ipsius blaue super portum comunis Cassallis et non alibi. et quod portanarius teneatur et debeat ipsam blauam transire et farinam ipsius blaue et non aliquam alliam farinam ultra Padum nisi illa persona duxerit seu portauerit blauam illam de qua facta fuerit dicta farina. et si dictus farinarius portenarius contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis
b pro qualibet uice soldos lx. papienses de quibus quilibet possit accusare habendo tertiam partem banni comune tertiam et uicarius alliam tertiam. a quibus penis non possit appellari nec sapiens peti sed ipso facto dicta pena excutiatur sine aliqua condempnatione facienda aliquo allio capitulo loquente in contrarium non obstante.

De dampnis uel guastis alicui persone factis in Cassalli uel extra extimandis.

Item statutum et ordinatum est quod si aliquod dampnum uel guastum datum fuerit uel factum in
c Cassalli uel districtu alicui persone de Cassalli quod dictum dampnum seu guastum extimetur uel extimari debeat per extimatores comunis Cassallis secundum modum et formam infrascriptam uidelicet si fuerit uinea quod extimetur uel emendetur per comune Cassallis medietas de eo quod fuerit registrata et extimata inuenta in libris consignamentorum comunis Cassallis aliquo capitulo non obstante. si uero guastum uel dampnum datum fuerit in aliquibus arboribus animalibus et alliis quibuscumque rebus et fructibus extimari debeat per extimatores comunis Cassallis. qui uero extimatores debeant habere pro suo labore et fatiga et offitio de qualibet libra rei immobilis denarios quatuor papienses et de libra rei mobilis denarios duos papienses
d secundum modum et formam illius statuti positi sub rubrica de extimatoribus elligendis. et si aliquis plus soluerit dictis extimatoribus pro predictis extimis faciendis et repertum fuerit illud positum plus fore super dicto extimo quod comune Cassallis de predictis toto extimo minime soluere teneatur. et quod quotienscumque dicti extimatores uenerint in presentia rectoris una cum illo cui datum fuerit dictum extimum et ad dictum extimum faciendum quod capitulum eis legatur et notario qui fecerit cartam dicti extimi si extimatio fuerit a decem libris infra quod non possit capere de carta dicti extimi plus sold. IIII. papiens. et a decem libris supra sold. v. papiens. usque in xx. et ab inde supra sold. x.

Quod nulla persona audeat uel presumat accipere in hospitium suum siue priuatim siue palam aliquam personam habentem inimicitiam capitalem. a

Item statutum et ordinatun est quod nulla persona siue sit parua siue magna que habitet in Cassalli uel in cerchis Cassallis audeat uel presumat hospitari receptare uel allio modo albergare palam aut priuatim personam aliquam forensem in domo que habeat inimicitias capitalles cum aliqua persona uel personis de Cassalli neque etiam eis dare auxilium neque fauorem neque cum dicta persona in aliquo participare. sed si aliqua persona contrafecerit soluat pro pena et banno quelibet pro qualibet uice libras xxv. papienses. cuius pene et b banni tertia pars sit rectoris et due comunis. saluo quod si quis iurare uoluerit se nescire et ignorare de dictis inimicis non teneatur ad penam.

De receptantibus personas dantes dampnum in rebus.

Item statutum est quod si aliqua persona de Cassalli uel habitans in Cassalli receptauerit aliquam personam in domum suam dampnum dantem seu facientem in rebus alicuius de Cassalli et accusata fuerit de dampno dato uel facto quod persona receptatrix teneatur et debeat soluere totum bannum in accusatione contentum si illa persona que dampnum fecisset soluere nollet dictum dam- c pnum quemadmodum si dicta persona receptatrix fecisset dictum dampnum sub pena et banno dupli accusationis predicte.

De punitione offitiallium comunis iniuste aliquos accusantium.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua accusa fuerit facta de aliqua persona undecumque sit per aliquem offitiallem comunis Cassallis de rebus extrinsecis poderii et districtus Cassallis et illa tallis persona reprobauerit dictum accusatorem seu dictam accusam per duos testes uel tres fide dignos non esse iuste factam quod ille tallis offitiallis seu accusator puniatur de periurio et ultra hoc d ad soluendum penam accuse seu accusationum facte uel factarum per ipsos uel ipsum et sit licitum cuilibet accusato reprobare predicta aliquo capitulo in contrarium loquente non obstante. et qui contra predicta fecerit expellatur de offitio et quod non possit gaudere dicti comunis in perpetuum aliquo offitio.

Quod nullus habens inimicitiam capitalem praesumat uenire habitare in Cassali et districtu cum aliqua persona Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona circumstantium uicinorum comunis Cassallis seu aliunde extrinsecha cuiuscumque conditionis et status existat non audeat nec presumat uenire stare seu habitare in Cassalli poderio et districtu que habeat inimicitiam capitalem cum aliqua persona Cassalis et si uenerit steterit siue habitauerit ut supra et aliquod malum seu dampnum in rebus tantum incurrerit uel sibi acciderit per aliquem suum uicinum sit suum et sibi imputetur sine aliqua punitione fienda per rectorem comunis Cassallis. et quod uicarius teneatur uinculo iuramenti preconizari facere alta uoce in platea comunis et in locis consuetis quod omnes et singulli habentes inimicitiam faciant se scribi in actis uicarii una cum maiori parte parentum suorum facientium fidem de inimicitia predicta infra xv. dies post introitum dicti sui regiminis alias non inteligatur habere aliquos inimicos predictos.

Quod si quis uulnerauerit uel interfecerit aliquam personam Cassallis constringi debeant omnes de eius parentela et ipsi apodiati ad reffutandum ipsum interfectorem perpetualiter.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona de Cassalli seu que habitet in Cassalli uulnerauerit seu interfecerit aliquam personam habitantem in dicto loco Cassalis quod rector Cassalis teneatur et debeat uinculo iuramenti compellere omnes et singulos de parentella seu ipsi parentele apodiatos dicti uulneratoris seu interfectoris ad reffutandum in perpetuum dictum uulneratorem seu interfectorem per iuramentum dictis de parentella predicta et apodiatis delatum per dictum rectorem comunis et hoc presentibus capitaneo populi Cassallis et proconsullibus dicti comunis infra octo dies post uulnerationem seu interfectionem et si dictam reffutationem facere recusauerint infra dictum tempus quod dictus rector teneatur et debeat uinculo iuramenti omnes et singulos predictos reffutare nolentes dictum malefactorem condempnare in illa pena et banno in qua incidisset dictus uulnerator seu interfector precisse. et quod facta reffutatione ut supra predictus rector teneatur et debeat compellere omnes et singulos de parentella et appodiatos ipsi parentelle persone uulnerate et interfecte uel interficientibus ad perpetuam pacem faciendam et obseruandam erga omnes et singullas personas de parentella et apodiatos que reffutassent dictum uulneratorem seu interfectorem uinculo iuramenti dellato illis de parentella dicto iniuriato precisse. et si predicti de parentella dicti uulnerati seu interfecti et apodiati predicte parentelle eiusdem iniuriati non uellent seu recusarent facere dictam pacem uersus predictos infra octo dies postquam requisiti fuerint per rectorem dicti comunis et ydoneam dare securitatem de dicta pace facienda et obseruanda infra dictum tempus dictus rector teneatur et debeat omnes et singullos infrascriptos cum suis familliis expellere de Cassalli et districtu et expulsos tenere et condempnare il-

los omnes et singullos de districtu bannitos in centum libris pro quolibet. et ultra hec omnia eorum bona mobilia et immobilia camere dicti comunis applicentur et perpetuo confischentur et non possint de dicta condempnatione exiri nec reconciliari ad standum in Cassali nec in iurisdictione Cassallis quoquomodo si dictam pacem non fecerint ut supra a quibus quidem penis non possit appellari nec sapiens peti nec dici nullas. quod capitulum sit perpetuum et executioni per rectorem comunis Cassalis mandetur in aliquo capitulo seu iure in contrarium loquente non obstante.

De pilizariis et caligariis non debentibus excarnare aliquas pelles nec etiam moticium seu afaytum fetens in platea nec per quatuor domos ab ipsa platea scilicet comunis prope.

Item statutum et ordinatum est quod pelizarius et calegarius non possit nec debeat excarnare aliquas pelles nec aliquod moticium seu afaytum quod feteat facere in platea comunis nec prope plateam predictam per quatuor domos nec etiam in platea comunis Cassallis tendere aliquas pelles ad sicandum nec aliquas pellitias seu pelles battere in ipsa platea nec per quatuor domorum spatium a predicta platea. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos x. papienses. cuius pene et banni tertia pars sit domini uicarii et due partes comunis.

De pensis seu ballantiis apertis ad pensandum monetam tam auri quam argenti.

Item statutum et ordinatum est quod omnes et singuli tenentes pensas seu ballantias ad pensandum monetas tam auri quam argenti teneantur et debeant predictas pensas uel ballantias tenere ad pondus clarum comunis Cassalis ita quod sint talles quales sint ille clauarii predicti signate signo comunis Cassalis. et sint et esse debeant lottoni cum signo comunis. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis soldos x. papienses et quilibet possit accusare et accusatori credatur cum sacramento. cuius pene tertia pars sit rectoris tertia comunis et tertia accusatoris.

De uino forensi generaliter per super poderium ducto per aliquos quod qui duxerit uel duci fecerit et uoluerit antequam intret cerchas Cassalis habeat bulletam a clauario et soluat pro pedagio de quolibet stario soldos papienses duos.

Item statutum est quod uinum forense generaliter a quibuscumque personis ducetur duci possit per super poderium et districtum Cassallis eo modo uidelicet quod quilibet qui duxerit seu ducere uoluerit siue duci fecerit per super cerchas Cassallis antequam intret ipsas cerchas habeant bulletam a clauario comunis Cassallis soluat soldos II. papien-

a ses pro quolibet stario pro pedagio. et si duxerit seu duci fecerit per allium locum quam cercham per poderium et districtum Cassallis simili modo soluat pedagium et habeat bulletam antequam transeat murum burgi Cassallis per miram undecumque et quandocumque ducat. igitur quis contrafecerit substineat ipsas penas quas substinent ducentes uictuallia contra capitulla comunis Cassallis. quod quidem capitulum obseruetur aliquo alio capitulo in contrarium loquente non obstante.

De bordello non tenendo in Cassali.

Item statutum et ordinatum est quod bordellum aliquod non fiat nec teneatur nec meretricium pa-
b lam seu publicum in Cassalli. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno libras decem papienses pro quolibet die et qualibet uice. cuius pene tertia pars sit potestatis et due partes comunis. et quilibet possit accusare et accusatori credatur. et si aliqua mulier que tenuerit bordellum uel que fecerit meretricium palam in Cassali denuntiauerit aliquam uel accusauerit de aliquo adulterio uel de aliquo stupro uel occaxione ipsarum facta fuerit inquisitio quod dicta denuntia accusa uel inquisitio non ualleat nec teneat sed sit ipso iure nulla. et ualleat dicta accusa facta occaxione bordelli dummodo iuretur per accusatorem et protestetur per duos uicinos fide dignos proximos illius tallis persone accusate tenere dictum bordel-
c lum quod ueritas ita sit. qui uicini requirantur per iudicem qui pro temporibus fuerit aliter enim dicta accusa sit nulla ipso iure.

De spatio expedito tenendo in uineis infra terminos inter unum uicinum et alium.

Item statutum et ordinatum est quod quelibet persona que habet facere in uineis Cassalis teneatur et debeat dimittere infra terminos suos tantum spatium expeditum et non occupatum quod una una persona asdossum possit ire et redire per ipsum spatium dimittendo quilibet ipsorum pedem unum de trabucho. et hoc sub pena et banno soldorum xx. papiensium pro quolibet et qualibet uice.
d et teneatur rector compellere predictos ad faciendum contenta in dicto capitulo. si inde fuerit requisitus ab aliquo ipsorum uicinorum.

De clausuris inter uicinos comuniter fiendis et ponendis si unus requisiuerit alterum.

Item statutum et ordinatum est quod si fuerint duo uicini uel duo fratres qui indigeant adinuicem clausura comuni inter eos in Cassalli uel in cerchis et unus requisierit alterum quod teneantur ad inuicem claudere uel claudi facere de uno muro et de uno matono cum calzina uel taxellis cum glixo ita quod sit altum per quatuor pedes de trabucho de super terram ad minus sub pena et

banno soldorum x. papiensium pro quolibet et qualibet uice. et ultra hoc si dictus uicinus qui requisitus esset nollet claudere uel claudi facere prout supra quod dominus potestas uel eius iudex teneatur uinculo iuramenti compellere et compelli facere quod predictus qui requisitus esset clauderet infra quindecim dies sub eadem pena soldorum x. papiensium pro quolibet die quo staret ad claudendum. et si uicinus requisitus recusaret facere quod alter uicinus requirens possit facere dictam clausuram dando requisitus eidem requirenti pedes duos de trabucho de suo sedimine apud dictun sedimen dicti uicini facientis dictum murum et fiat dictus murus deuersus uicinum dantem sedimen in fine dictorum duorum pedum. et ita facta dicta clausura et murus sit comunis predictorum uicino- b rum. et quod quilibet possit eddifficare super suam partem muri. et si dictum sedimen dare recusauerit amittat eandem penam. a quibus penis et bannis non possit appellari nec a condempnatione inde facta nec sapiens peti aliquo capitulo in contrarium loquente non obstante. et si ambe partes fuerint in concordia de dicto muro non faciendo tunc teneantur et debeant claudere inter unum uicinum et alterum et tam in burgo quam extra de bona sepe ita quod quelibet pars teneatur facere medietatem dicte sepis infra octo dies postquam a uicino fuerit requisitus sub pena et banno soldorum xx. papiensium pro quolibet et qualibet uice que pena diuidatur ut supra.

c

De fouea non fienda prope uicinum et puteum per unum trabuchum.

Item statutum et ordinatum est quod aliquis de Cassalli non possit nec debeat facere aliquam foueam in domo sua uel super solo suo nec aliquam alliam rem habere nec tenere que reddat fettorem seu puzam que sit proxima per unum trabuchum uicino suo seu alicui puteo uicinalli nec tenere et que ducat aquam in domum uicini uel dampnificet dictum uicinum. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis soldos LX. papienses de quibus dominus potestas habeat tertiam partem comune tertiam et accusator alliam tertiam. et nichillominus teneatur ipsam stopare postquam de- d nuntiatum fuerit potestati infra octo dies sub eadem pena et de bona terra et non de glarea nec de lapidibus talli modo quod non noceat uicino nec alicui puteo uicinalli a qua pena non possit appellari nec sapiens peti nec a condempnatione inde facta.

De custodia nocturna fienda.

Item statutum et ordinatum est quod omnes et singulli quibus preceptum fuerit quod mittat seu fieri faciat custodiam nocturnam secundum quod ordinata est et fuerit in futurum teneantur et debeant facere seu fieri facere eorum expensis dictam

a custodiam per personas suffitientes que sint etatis XIIII. annorum et plurium. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno soldos v. papienses. et quod ad extrahendum dictas custodias intersit unus ex proconsullibus una cum notario dicti comunis quando extrahentur nomina debentium facere dictas custodias. saluo quod aliquis qui fuerit proconsul consul et notarius comunis et populi durante eorum offitio non teneatur ad dictam custodiam faciendam. et de predictis teneatur precisse potestas inquirere. Iddem intelligatur in illis qui tenent claues et scallas portarum.

Quod omnes uendentes ad retalium et ementes teneantur uendere et emere ad libram Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod omnes et singuli de Cassalli et habitantes in Cassalli uendentes ad retalium teneantur et debeant omnes res quas uendiderint seu emerint uendere seu emere ad libram Cassallis tantum. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis soldos centum papienses cuius pene et banni tertia pars sit potestatis tertia comunis et tertia accusatoris excepto auro filato. et quod aliqua persona non possit tenere aliquam pensam seu marchum nisi solum pensas casallescas et marchum cassallescum sub eadem pena. et potestas tenere teneatur inquirere predicta omni mense habendo tertiam partem bannorum et comune duas partes.

De uituperio non fiendo.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona de Cassali seu aliunde non possit nec debeat facere aliquod uituperium a domo Antonii Rubei usque ad domum Iohannis Buttini de Allexandria apud murum platee ab una parte nec ab allia dicti muri nec etiam sub portichu qui est apud dictum murum. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis soldos v. papienses pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et accusatori credatur et teneatur secretus non obstante aliquo capitullo loquente in contrarium. cuius pene et banni tertia pars sit comunis tertia uicarii et tertia accusatoris. et quod proconsulles comunis teneantur et debeant expensis comunis facere fieri banchas ad sedendum iuxta dictum murum ab utraque parte per totum mensem madii proxime uenturi uinculo iuramenti. et quod aliqua persona non possit ibi teneri nec facere aliquod fimum sub eadem pena.

Quod nullus presumat redimi facere aliquam sponsam.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona de Cassali uel aliunde non audeat nec presumat facere redimi aliquam sponsam que iret ad maritum uel que duceretur ad maritum. et si quis

contrafecerit soluat pro pena et banno comuni a
Cassallis soldos x. papienses pro quolibet et qualibet uice. et quilibet possit accusare et accusatori credatur cum sacramento. cuius pene et banni tertia pars sit uicarii tertia comunis et tertia accusatoris. et quod aliquis de Cassalli uel aliunde non audeat nec presumat quando aliquis iret ad sponsandum aliquam mulierem in Cassali nec in cerchis trahere aliquam niuem nec aliquam bruturam contra uel post aliquam personam sub pena suprascripta.

De clausuris ortorum.

Item statutum et ordinatum est quod omnes persone Cassallis seu aliunde habentes facere in cer- b
chis Cassallis circhum cercham teneantur et debeant clausisse eorum sedimina et ortos sufficienter ita quod bestie et porchi non possint intrare in dictis ortis et sediminibus super stratis publicis teneantur clausisse per totum mensem marzii. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno soldos v. papienses pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerit. et nichillominus teneantur claudere. et quod aliqua persona non debeat exportare aliquam clausuram de alienis ortis et sediminibus sub pena soldorum LX. papiensium. et quilibet possit ipsos accusare et accusatori credatur. cuius pene et banni tertia pars sit domini potestatis tertia accusatoris et allia tertia comunis. et quod potestas teneatur inquiri facere omni mense semel ad minus c
et preconizari facere per terram Cassallis.

Si quis comiserit homicidium et furtum in Cassalli uel districtu suspendatur furchis.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona de Cassalli uel aliunde comiserit homicidium et robariam simul in Cassalli uel districtu furchis suspendatur. comittentes uero robariam tantum puniantur secundum statuta comunis Cassallis et ipsis defficientibus secundum ius comune. quod statutum locum habeat tam in processibus pendentibus quam futuris. et eadem pena puniantur ad predicta malleffitia comittenda prestantes et dantes auxilium conscilium et fauorem.

De termino deffensionis dando et assignando.

Item statutum et ordinatum est quod super quolibet processu facto et fiendo per potestatem uel familiam ex eorum offitio contra quamcumque personam et quacumque allia occaxione dictus potestas teneatur et debeat antequam perueniat ad sententiam et antequam pena exigatur dare et assignare seu dari et assignari facere terminum deffensionis quinque dierum exceptis de bannis et accusationibus factis et fiendis per camparios comunis. et si dictus potestas fecerit aliquam condempnationem contra aliquam personam non assignato prius dicto termino deffensionis seu penam uel aliquod bannum excusserit contra predicta condempnatio et exactio predicta sit nulla et nullius ualloris et non possit nec debeat executioni mandari ullo modo.

Quod per inquisitionem possit procedi super quolibet crimine.

Item statutum et ordinatum est ne mallefitia remaneant impunita quod potestas Cassallis possit super quolibet crimine et delicto comisso uel comittendo per quamcumque personam in Cassali uel districtu Cassallis procedere per inquisitionem ex offitio suo et processus taliter facti ualleant et teneant non obstante aliquo iure in contrarium loquente.

De remissione propter confessionem delinquentis.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua inquisitio uel processus facta uel factus fuerit contra aliquam personam per potestatem Cassallis uel eius iudicem aliqua occaxione si illa persona contra quam facta fuerit inquisitio uel processus super ipso processu uel crimine interrogata fuerit per potestatem uel iudicem et iurauerit dicere ueritatem confitebitur delictum se fecisse uel comisisse remittatur sibi quarta pars pene pecuniarie quam pati deberet occaxione dicti processus uel delicti quod confessus fuerit.

De ponendo aliquem ad torturam quod non ponatur nisi precedentibus inditiis legittimis.

Item statutum et ordinatum est quod potestas Casalis iudex uel colateralis ipsius potestatis seu aliquis allius de sua familia non possit nec debeat modo aliquo qui dici uel excogitari possit ponere nec poni facere ad torturam seu ad tormenta aliquam personam de Cassalli uel habitantem in Cassalli nisi precedentibus legittimis inditiis de quibus inditiis constare prius debeat. et si dicti iudex uel collateralis uel alius de sua familia contrafecerit
d soluat et soluere debeat et amittere de suo sallario comuni Cassallis pro quolibet tormentato seu posito ad torturam et pro qualibet uice libras centum papienses. quas libras centum papienses proconsulles comunis qui tunc temporis fuerint teneantur et debeant uinculo iuramenti retinere et retineri facere de sallario dicti potestatis et poni facere in introytu comunis. et etiam teneantur et debeant predicta denuntiare sindico qui ueniet ad sindicandum dictum potestatem tempore dicti sindicatus sub pena librarum xxv. papiensium pro quolibet proconsulle qui predicta ommisserit denuntiare. quod statutum locum non habeat in publicis et famossis furibus et latronibus nec in bannitis ad mortem seu rebellibus illustris ac magnifici domini no-

stri domini Galleaz uicecomittis etc. seu comunis a Cassallis.

De furtis et furta comittentibus et fatientibus.

Item satutum est quod si qua persona fecerit aliquod furtum in Cassalli et districtu quod sit uel ualeat a soldis xx. infra condempnetur comittens dictum furtum in libris x. papiensibus. et si fuerit uel sit a xx. soldis supra usque in soldos LX. condempnetur in libris xx. papiensibus et a soldis LX. supra usque in libras x. condempnetur in libris XL. papiensibus et a decem libris supra usque in libras xxv. papienses condempnetur in libris quinquaginta papiensibus et ab inde supra quantumcumque sit pro primo furto condempnetur in libris centum. b et si fuerint plura saltem usque in tribus amputetur ei auricula. et si dicta fuerint comissa de nocte omnes supradicte pene pecuniarie sint duplicate. et in quolibet dictorum casuum comittentes dicta furta condempnentur ad restitutionem fiendam ei cui uel eis quibus factum fuerit furtum in duplum ualloris rei furate. quam restitutionem potestas Cassallis teneatur et debeat uincullo iuramenti fieri facere dicte persone uel personis cui uel quibus fuerit factum incontinenti facta condempnatione uel sententia lata contra dictum furem sumarie omni iuris solempnitate uel facti obmissa ad omnem requisitionem dampnum passi. et si predictas penas predicti fures uel aliquis ipsorum soluere non possent et dictas restitutiones non fe- c cerint infra decem dies a die late sententie quod tunc fustigentur cum bonis uirgis per omnes stratas Cassallis publicas et ultra hoc banniantur et banniti teneantur de Cassalli et districtu per unum annum completum. et si postea ad pinguiorem fortunam peruenerint ex quo dictas restitutiones facere possent itterum ad dictas restitutiones fiendas teneantur et compellantur non obstantibus dictis fustigationibus et banno. publici autem fures et famosi latrones et stratarum robatores fürchis suspendantur.

De percussionibus tam cum sanguine quam sine.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua d persona de Cassalli uel habitans in Cassalli percusserit aliquam personam in Cassali uel in districtu Cassallis cum ferro ligno lapide uel pede et inde sanguis non exiuerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice et pro qualibet percussione comuni Cassallis libras decem papienses. et si manu percusserit soluat centum soldos papienses. si uero ex dictis percussionibus sanguis exiuerit soluat pro pena et banno si cum ferro ligno lapide uel pede libras quinquaginta papienses et si manu uel pugno et sanguis exiuerit soluat libras decem papienses pro quolibet et qualibet uice et pro qualibet feruta. et si cum gladio facta fuerit percussio soluat libras centum papienses ut supra dictum est. et si de dictis percussionibus facta fuerit pax infra octo dies inter ipsos et de ipsa pace appareat publicum instrumentum in libro comunis dicte pene eis uel ei mittigentur ad medietatem ipsarum penarum. si uero dicte percussiones facte fuerint in uxorem uel filios et sine sanguine ad nichillum teneantur percussores. et si cum sanguine condempnentur facientes sanguinem in libris x. papiensibus pro quolibet et qualibet uice. et si aliqua persona fregerit os caput alicui persone uel aliquod membrum percussor condempnetur et teneatur ad dictam penam librarum centum papiensium pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet membro de qua fractione nulla concordia uel pax frangentes iuuare possit a solutione dicte pene. si autem percussus ex dictis percussionibus moriatur percussor capite puniatur. que pene pecuniarie solui debeant clauario comunis in peccunia numerata et camere dicti comunis applicentur. et si dicti condempnati et delinquentes dictas penas seu banna soluere non potuerint ad penam amissionis unius membri teneantur et in electione dicti membri rectoris seu potestatis Cassalis que pene aliquo modo uel causa remitti non possint et si remissio fieret non ualleat ipso iure.

De testoribus et testricibus stantibus in Cassali.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod omnes testores et testrices stantes seu habitantes in terra Cassallis seu districtu teneantur et debeant bene facere et bene ordinare ac bene tessere omnes petias telle et omnia mantilia quas et que facient et teneantur et debeant facere petiam telle de lino bene textam et bene ordinatam longam brachiis decem et octo ad brachium mediolanense et non minus et teneantur et debeant dicti testores et textrices et unusquisque ipsorum et unaqueque ipsarum habere et tenere eorum petines ad quos faciant dictas tellas omnes et singullos longos prout est magnum signum longum signatum in quodam ferro fixo in quadam columpna existente in domibus comunis Cassallis penes banchum iuris et non minus. et habeant et habere debeant dicti textores et testrices pro factura petie telle lini decem octo soldos papienses et non ultra. petias autem telle de canepa seu grappa teneantur et debeant dicti testores et testrices facere longas brachiis decem et septem ad brachium mediolanense et non minus. et habere et tenere eorum petines ad quos facient tellas de canepa seu grappa longos prout est per unum signum signatum in dicto ferro fixo in columpna supradicta et habeant et habere debeant pro factura cuiuslibet petie telle de canepa seu grappa soldos xv. papienses et non ultra. et si quis textor et si qua testrix contra predicta uel aliquod predictorum in aliquo fecerit seu uenerit amittat pro pena et banno soldos xx. papienses pro quolibet et qualibet uice et ultra hoc restituat illud quod pro solutione sua recepisset si quid ul-

tra, tassationem predictam recepisset et quilibet possit accusare et accusatori credatur cum sacramento.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod dicti textores seu testrices capiant et capere debeant pro solutione sua de quolibet brachio mantillis quod sit latum quinque quartis solum imperialles decem imperialis bone monete et non ultra et de quolibet brachio mantilis quod sit latum ab inde supra capiant pro solutione sua et capere debeant. et quod non possint habere nec capere pro factura toaliarum de manu nisi denarios sex bone monete pro quolibet brachio sub dicta pena et si quis testor uel si qua testrix contra predicta uel aliquod predictorum fecerit amittat pro pena et banno soldos xx. papienses pro quolibet et qualibet uice.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod aliquis textor seu aliqua testrix habitans in Cassalli seu districtu non possit ponere ad ordiendum neque ordiri suum fillum causa faciendi tellam seu tellas cum aliquo fillo alicuius de Cassalli seu habitantis in Cassalli et si quis contra predicta uel aliquod predictorum fecerit amittat pro pena et banno soldos xx. papienses pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit unumquemque testorem et unamquamque testricem contra predicta uel aliquod predictorum facientem accusare et accusatori cum sacramento credatur.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod singulli procunsulles comunis Cassallis presentes et futuri uidelicet quilibet ipsorum in eorum tribus mensibus quibus durat offitium eorum teneantur et debeant ire semel tantum cum uno ex collateralibus domini potestatis Cassalis ad inquirendum omnes et singulos testores et testrices habitantes in Cassali si comitterent aliquod contra predicta uel aliquod predictorum et quoscumque testores seu quascumque testrices quos seu quas inuenerint aliquid comittere contra predicta uel aliquod predictorum accusent in pena et banno supradictis a quibus non possit appellari seu sapiens uel cognitor peti sed incontinenti contra eos dictarum pene et banni fiat exactio.

Incipit liber tertius

et primo de custodia rerum et bonorum.

Item statutum est quod elligantur camparii ad custodiendum uineas Cassallis et Paciliani et camparii agrorum qui custodiant agros Cassallis et Paciliani et possessiones de ultra padum poderii et hominum Cassallis et illi qui fuerint ellecti debeant esse etatis xxv. annorum aut plurium et si aliter ellectus fuerit aliquis in camparium seu custodem
a comunis et receperit offitium contra predictam formam soluat comuni Cassalis soldos xx. papienses pro qualibet uice et insuper ellectio eius non ualeat et si aliqua accusa facta fuerit per ipsum ipso iure non ualleat nec teneat sed ipso iure sit cassa et nullius ualoris et expellatur de offitio. Cum autem uenerit ad accusandum debeat quilibet camparius scribi facere accusationem suam in libro comunis in presentia potestatis uel alicuius rectoris et nominari diem in qua facta fuerit dicta offensio et cuius fuerit uinea campus pratum uel nemus in quo data fuerit offensio et nomen offendentis infra tertiam diem postquam offensio seu dampnum data seu datum fuerit et teneatur dicere illi quem inuenerit dampnum facientem uel dantem seu illi cu-
b ius fuerit uel esset bestia que dampnum dederit tu amittes dampnum de isto dampno et teneatur quilibet camparius accusare de toto poderio Cassallis. et si contra predicta uel aliquod predictorum facta fuerit aliqua accusa ipso iure sit nulla eo saluo quod in custodia agrorum nemorum et pratorum debeant duo camparii acombinari seu associari insimul ad custodiendum et ad accusandum et cum inuenerint aliquos facientes dampnum seu personas aliquas uel bestias debeant scribi facere per unum notarium comunis dictam accusam insimul et si aliter contrafactum uel accusatum fuerit ipso iure ipsa accusa sit pro nulla et pro cassa habeatur. Qui camparii habeant tertiam partem bannorum accusatorum per ipsos et per quos accusata fuerint
c tantum et duret eorum offitium per sex menses tantum precisse quod capitulum pendeat ad uoluntatem conscilii generalis comunis Cassallis.

De laborerio per camparios non fiendo.

Item statutum est quod aliqui camparii non debeant laborare in Cassali nec extra sed teneantur stare continue ad suam custodiam et facere offitium suum sub debito iuramenti et sub pena et banno soldorum decem papiensium pro quolibet campario et qualibet uice de quibus quilibet possit accusare et accusatori credatur cum sacramento habendo tertiam partem banni potestas tertiam et comune tertiam.

d

De campariis et eorum familiis aliquid exportantibus contra statuta durante eorum offitio.

Item statutum est quod aliquis camparius uel aliquis de sua familia non possit nec debeat portare uel portari facere ducere nec duci facere aliqua ligna fenum nec erbam nec aliquam aliam rem positam in banno per statuta comunis Cassalis de toto poderio Cassallis et Paciliani durante suo offitio et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro pena et banno pro qualibet uice de carro seu barotia soldos xx. papienses de soma soldos x. papienses de fasso soldos v. et insuper expellatur

de offitio et si aliquis camparius exportauerit seu duci fecerit aliquid a uineis soluat pro pena et banno soldos xx. papienses. eo saluo quod liceat cuilibet campario ducere uel portare seu duci uel portari facere quando allii sui uicini facerent uel portabunt et quod aliquis camparius uel aliquis de sua familia uel aliqua allia persona pro eo non possit nec debeat habere nec percipere aliquam couem nec panem nec aliquid aliud ab aliqua persona sub pena et banno solidorum xx. papiensium et totidem soluat ille qui daret aliquid campariis de quibus possit quilibet accusare et accusatori credatur habendo tertiam partem banni comune tertiam et potestas tertiam.

De campariis quod non possint facere aliquod amassum.

Item statutum est quod camparii qui electi erunt uel fuerint de mense augusti ad custodiendum uineas non possint nec debeant facere aliquod amassum fructuum uel lignorum nec alicuius alterius rei et si quis contrafecerit soluat comuni Cassalis pro banno soldos xx. papienses pro qualibet uice et insuper expellatur de offitio et amittat feudum suum de quibus possit quilibet accusare et accusatori credatur de quo banno potestas habeat tertiam partem comune tertiam et accusator alliam tertiam.

De bestiis pascentibus et inuentis in districtu uinearum.

Item statutum est quod aliqua bestia non possit nec debeat pascere nec stare in clausis uel districtu uinearum. Districtus uero sic declaratur et determinatur modo et forma infrascripta uidelicet a Pizio qui fuit quondam Yaxe eundo deuersus petram usque ad Muxanum sicut uadit uia Petre predicte et sicut uadit uia Muzani usque ad turrem Luxentem et a predicta turre usque ad Pasquarium et a Pasquario usque ad Molias sacerdotum et a predictis Moliis usque ad Braydam sacerdotum et a predicta Brayda usque ad riuum Paciliani sicut uadit costa ponendo uineam Raynerii Lupi intus. Ita quod in dicto districtu uinearum inteligatur esse Linentinum et si bos uel uacha asinus uel asina equus uel equa mulus uel mula seu bestia aliqua caprina seu porchina in dicto districtu pasceret seu inueniretur seu inuenta fuerit soluat pro banno dominus pro qualibet uice et bestia soldum I. papiensem et si bestia pasceret in uineis soluat dominus illius bestie pro qualibet bestia et uice soldos v. papienses. Liceat tamen unicuique ducere et tenere illas bestias cum quibus duxerit uuas suas tempore uindimiarum in uineis semper et in districtu uinearum suarum et etiam laborando cum ipsis bestiis. Similiter et sit licitum cuilibet laboratori tenere bestias in districtu uinearum de quibus laborauerit ipsa die qua laborauerit et non in

a uineis et si teneret in uineis seu inuenta esset aliqua bestia in uineis soluat dominus bestie comuni Cassalis pro banno pro qualibet uice pro qualibet bestia soldos v. papienses.

De pena illorum qui rapiunt alienos fructus seu uuas aut fregerint clausuras uinearum.

Item statutum est quod si quis acceperit uel exportauerit alienas uuas uel alienos fructus soluat comuni Cassallis pro qualibet uice et qualibet uua soldum I. papiensem et de quolibet persicho seu fichu denarios VIIII. et insuper emendet dampnum illi cui datum fuerit tantum quantum est dictum bannum et quod potestas teneatur excuttere dam-
b pnum sicut est bannum et dari facere cui datum fuerit ipsum dampnum. et qui fregerit clausuram uinee alicuius soluat comuni Cassalis pro banno pro qualibet uice soldos quinque papienses et qui iuerit uel transiuerit per uineam alicuius hominis de Cassali tempore uuarum soluat comuni Cassallis soldos v. papienses nisi iuerit ille cum eo cuius esset uinea uel eius licentia. In alliis uero temporibus amittat soldos II. papienses tantum.

Quod aliquis non possit portare a uineis nisi uuas tres absque licentia.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat portare uel portari facere aliquam
c uuam a uineis nec de suis nec de alienis ultra tres uuas tantum absque licentia domini potestatis et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro qualibet uice pro qualibet uua soldum I. papiensem et si quis non habuerit uineam soluat ultra dictam penam soldos v. papienses. liceat tamen tempore uindemiarum cuilibet persone super suis uehiculis de suis uuis ducere seu duci facere ad suam liberam uoluntatem absque pena et banno.

De uuis non uendendis usque ad medium septembris.

Item statutum est quod aliqua persona de Cassalli non possit nec debeat uendere uuas in Cas-
d salli usque ad medium mensem septembris et si quis contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice soldos v. papienses.

De fructibus non uendendis in districtu uinearum.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat uendere nec emere aliquos fructus in districtu uinearum et si quis contrafecerit soluat pro qualibet uice soldos xx. papienses de quibus quilibet possit accusare et habeat tertiam partem banni.

Quod aliqua persona non possit ire ad uineas a medio mense augusti usque ad medium mensem septembris nisi per tres dies.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat ire ad uineas Cassallis seu Paciliani a medio mense augusti usque ad medium mensem septembris nisi per tres dies edomade uidelicet in die lune die mercurii et die ueneris. eo saluo quod dominus domus et quilibet laborator qui iret ad uineas causa laborandi et ibi laborauerit possit ire quacumque uice ad suam liberam uoluntatem. si quis autem contrafecerit soluat pro qualibet uice soldos v. papienses.

Quod nullus possit nec debeat ire ad uineas antequam porte Cassalis sint aperte nec ibi stare post solis occasum.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat ire ad uineas Cassalis et Paciliani a medio mense augusti in antea usque ad medium mensem septembris antequam porte burgi sint aperte nec stare in dictis uineis seu districtu uinearum post solis occasum et si quis contrafecerit soluat pro qualibet uice soldos v. papienses si fuerit forenssis soldos x. papienses. quam penam si soluere non potest uel poterit ponatur in carceribus et ibi permaneat ad uoluntatem potestatis de quibus quilibet possit accusare et accusatori credatur et habeat tertiam partem banni potestas tertiam et comune aliam tertiam.

De molinariis menatoribus et bubulcis qui non debent intrare districtum uinearum.

Item statutum est quod aliquis molinarius menator et bubulchus de feudo non possit nec dedebeat intrare a medio mense augusti in antea usque ad medium mensem septembris in districtu uinearum post solis occasum et si quis contrafecerit soluat pro qualibet uice soldos xx. papienses et insuper si portauerit uel portaret uvas soluat pro qualibet uua soldos v. papienses quas penas et que banna si soluere non poterit ponatur in carceribus et ibi maneat donec soluerit predicta banna et quilibet possit accusare et accusatori credatur et habeat tertiam partem banni potestas tertiam et comune tertiam.

De hiis qui malam famam habent non intrandis in uineas.

Item statutum est quod nulla persona infamis uel que sit male fame seu habeat uocem malam capiendi et rapiendi aliena seu allia mala faciendi seu tractandi ire non possit nec debeat ad uineas Cassallis seu Paciliani nec intrare districtum uinearum eo tempore quo uue sunt. quis itaque contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice soldos

a LX. papienses quam quidem penam si soluere non poterit ponatur in carceribus et ibi permaneat donec soluerit dictum bannum de quibus possit quilibet ac etiam familiares domini potestatis accusare et eis credatur et possit contrafacientes capere et detinere et ad carceres ducere et habeant tertiam partem banni potestas tertiam et comune alliam terciam precisse.

De personis facientibus amassum fructuum in campis et redducentibus in cerchis Cassalis.

Item statutum est quod nulla persona possit nec debeat facere aliquod amassum fructuum in campis seu in uineis nec in cercha Cassallis reducere et
b si quis contrafecerit soluat pro qualibet uice soldos v. papienses.

De uindimia fienda.

Item statutum est quod nulla persona possit nec debeat uindimiare omni anno in districtu et iurisdictione Cassallis et Paciliani usque ad medium mensem septembris. Sed a medio mense septembris in antea sit licitum cuilibet persone uindimiare et ducere et duci facere suas uuas ad suam liberam uoluntatem postquam aliquis uindimiauerit uineam suam non possit ire nec reuerti ad dictam uineam nec in illa contrata nisi haberet ibi alteram uineam non uindimiatam et si quis contrafe-
c cerit soluat pro banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos xx. papienses. eo saluo quod ministro confrarie liceat uendimiare et uindimiari facere per octo dies ante dictum terminum ad suam liberam uoluntatem saluo etiam quod liceat habentibus uineas in poderio Paciliani et Rodolaschi uendimiare et uindimiari facere per quatuor dies ante dictum terminum. De montagna uero Cassalis due partes seu faxe prout uidebitur conscilio generali tempore dicte uindimie fiant et quod tempore uindimiarum aliquis non possit nec debeat tenere uel careare aliquam tinam carrum uel barrotiam seu carrariam uel bottallum in uiis uinearum nisi uia esset ita lata quod certi allii possint ire expedite et reddire cum carro et barotia et axino et bestiis
d per prefatam uineam sine ullo impedimento et si quis contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice soldos quinque papienses et quod consulles et antiani non possint nec debeant ponere ad conscilium aliquid contra dictum statutum sub pena librarum xxv. papiensium.

De cannis non exportandis a uineis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat portare nec portari facere uel duci facere aliquam cannam uiridem a uineis Cassallis uel Paciliani per totum annum absque licentia potestatis uel rectoris comunis Cassalis et si quis contrafecerit soluat pro qualibet uice comuni Cassallis

de quolibet faxo soldos v. papienses et de soma a soldos x. papienses et de carro et de barotia soldos xx. papienses. Liceat tamen cuilibet persone de Cassalli portare de suis cannis propriis ab una uinea ad alteram cum carro et barotia et bestiis absque pena et banno et ad dorssum cum licentia potestatis uel rectoris comunis Cassallis saluo quod de canetis subtillibus azinnis canarum non habeat locum pena et saluo quod quelibet persona possit cannas sfoliare et sfoliari facere ducere et duci facere et portare a festo sancti Michaellis in antea de suis propriis sine licentia et pena. et quod nulla persona possit seu debeat alienas cannas incidere nec exportare et si quis contrafecerit amittat pro banno pro qualibet canna et uice denarios sex papienses et emendet dampnum cui fuerit factum ui- b delicet tantum quantum fuerit bannum quam emendam teneatur potestas excuttere sicut bannum precisse.

De non aufferendo bannum dominis bestiarum in propriis uineis uel agris eorum pascentium eo tempore quo duxerint aliqui huc uel illuc.

Item statutum est quod si aliqua persona de Cassalli duxerit aliquod leamen uel fimum ad uineas uel a uineis aliqua ligna uel uuas seu aliquid alliud cum aliqua bestia et predicta scamuzauerit uel iuerit in uineam suam uel in agro suo non soluat c bannum aliquod ex causa illa die qua fuerit inuenta cum laborasset et laboraret uel quacumque duceret.

De lignis alienis non rapiendis nec incidendis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat capere nec incidere de lignis alienis nec cessiis in toto districtu uinearum Cassalis et Paciliani et si quis contrafecerit soluat pro banno comuni Cassallis de quolibet faxo lignorum soldos v. papienses et de soma soldos x. papienses de quolibet faxo cexiarum soldos xx. et de soma soldos xl. papienses de carro quidem lignorum uel barotia soluat soldos xx. papienses. Insuper et emendet d dampnum tantum quantum erit bannum illi cui cui fuerit dampnum datum quam emendam teneatur potestas excuttere sicut bannum et quod aliquis non possit portare aliqua ligna ad dorssum absque licentia domini potestatis seu rectoris comunis Cassallis et si quis contrafecerit soluat pro qualibet uice soldos v. papienses dato quod aliqua erint sua. liceat tamen cuilibet de Cassalli ducere uel duci facere ligna sua a uineis cum carro seu barotia uel bestiis ad suam liberam uoluntatem portare et portari facere dunglas siue scoppas de suis possessionibus tempore messium.

De arboribus qui non ferunt fructus et de cexis non tenendis inter uineam suam et uineam uicini sui in districtu uinearum.

Item statutum est quod nulla persona de Cassali tenere possit nec aliquam cexiam habere nec arborem aliquam non fructifferam in toto districtu uinearum inter unum uicinum et alterum seu inter uineam suam et uineam uicini sui nec etiam inter campum suum et uineam uicini sui nec prope uicinum suum per unum trabuchum nec aliquod facere fossatum nisi fossatum faceret super eo quod est suum ita quod termini remaneant salui ab utroque latere et si quis contrafecerit soluat pro banno comuni Cassallis soldos xx. papienses si inde per uicinum suum facta fuerit querimonia.

De capientibus alienas blauas et exportantibus.

Item statutum est quod nulla persona possit nec debeat exportare de blauis alienis et si quis contrafecerit soluat comuni Cassalis de coue soldos ii. papienses de faxo soldos x. de soma soldos xx. papienses de plaustro autem seu barotia soldos centum. Insuper namque potestas seu rector Cassalis teneatur et debeat facere emendari dampnum illi cui datum fuerit tantum quantum erit bannum quam emendam teneatur dictus potestas excuttere sicut bannum et comburrere et comburri facere plaustrum seu barotiam cum quibus duxerit alienam blauam siue super qua ducta fuerit in platea comunis Cassallis et quod aliquis arator nullam possit portare couem nec debeat de blauis alienis et si quis contrafecerit soluat comuni Cassalis pro qualibet uice soldos ii. papienses de qualibet coue et insuper amittat couem.

De spiculatoribus siue messonatoribus.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat messonare in aliquo campo ubi sit aliqua blaua donec blaua ipsa exportata fuerit et si quis contrafecerit soluat pro banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos v. papienses et uxores uel filii uel fratres aratorum pro qualibet uice et quolibet ipsorum soldos v. papienses eo saluo quod ibi possit stare messonator unus causa portandi aquam aratoribus tantum et quod aliquis messonerius non possit portare aliquod messorolium sub pena et banno soldorum v. papiensium pro qualibet uice. Item quod aliquis messonerius seu messoneria non possit portare aliquos mazolios scamzatos seu semerzatos sub pena et banno pro quolibet ipsorum et qualibet uice soldorum v. papiensium et teneatur portare mazolios omnes ligatos iuxta spicum ab una parte uel ab uno latere et non acoazatos uel acoaculatos sub eadem pena et quilibet messonerius et messoneria reducens uel re-

ducta sit et se reducere debeat intus burghum et a cerchas Cassallis sub pena et banno soldorum II. papiensium pro quolibet et qualibet uice et quod aliquis messonerius uel messoneria non possit exire burgum Cassallis causa messonandi antequam porte dicti burgi sint aperte sub pena soldorum v. pro quolibet et qualibet uice.

De mazoliis qui messonati fuerint per quascumque personas non ponendis nec reducendis extra burgum et iurisdictionem Cassallis et reducantur intus burgum in domo in qua habitant.

Item statutum est quod aliquis messonerius et messoneria non possit nec debeat portare ponere et reducere aliquos mazolios nec blauam extra di- b strictum et iurisdictionem Cassallis sed teneatur quilibet messonerius et messoneria de Cassalli seu que habitet in Cassalli portare ponere et reducere ipsos mazolios et blauam quam messonauerint intus burgum uel cerchas Cassallis ad domum suam uel in qua habitant et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro banno et pena pro qualibet uice soldos v. papienses.

Quod aliquis messonerius uel messoneria non possit accipere aliquam couem ab aliqua persona.

Item statutum est quod aliquis messonerius uel messoneria non possit nec debeat accipere couem c aliquam ab aliquo nec aliquis eis possit dare et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro pena et banno pro qualibet uice soldos v. papienses.

Quod nulli licitum sit messonare in diebus dominicis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat messonare in diebus dominicis nec in sancto Iohanne Baptista nec in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli nec in sancto Iacobo nec in alliis diebus festiuis principallibus ab ecclesia preceptis et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro pena et banno soldos v. papienses.

De mazoliis alicuius spiculatoris non ducendis super plaustris nec barotiis.

Item statutum est quod aliquis non possit nec debeat ducere mazolios aliquos nec couem aliquam qui uel que sit alicuius spiculatoris uel spiculatricis. Si quis autem contrafecerit soluat comuni Cassalis pro quolibet et qualibet uice soldos v. papienses. Similiter persona illa que mazolios seu couem super carrum uel barotiam posuerit totidem soluat. Et quod aliquis spiculator seu uel aliqua spiculatrix non possit nec debeat ire nec stare super carro uel barotia et si quis contrafecerit soluat comuni Cassalis pro pena et banno pro qualibet uice soldum I. papiensem. Bubulchus autem qui duceret ei soluat totidem et qui duceret dictos mazolios nisi staret cum illo cuius esset dictum carrum uel bestie cum quibus ducerentur predicta uel nisi esset de sua familia.

Quod tempore messium nemo iacere debeat in campis de nocte.

Item statutum est quod nulla persona iaceat nec iacere debeat nec stare possit in campis de nocte tempore messium absque licentia domini potestatis uel rectoris Cassallis et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro qualibet uice soldos XX. papienses.

Ne aliquis uadat per blauas alienas nec coligere erbam.

Item statutum est quod aliqua persona non uadat nec ire debeat per alienam blauam nisi causa necessitatis uidelicet si non posset habere uiam et si non posset ire ad fundum suum nisi per blauam et tunc liceat ei ire per eam partem per quam minus faceret dampnum uel nisi iret causa expellendi aliquas bestias de dampno uel nisi esset uenator et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro banno pro qualibet uice soldum I. papiensem. Et si cum carro uel barotia iret per alienam blauam seu iuerit soluat soldos quinque papienses nisi iret causa necessitatis ut supra eo saluo quod si transiuerit campos uel iret de uno suo campo ad alium suum pedester uel equester per alienam blauam non soluat bannum et aliqua persona non possit nec debeat coligere erbam in aliquibus blauis seu leguminibus et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis soldos v. papienses.

Quod nulla bestia debeat pascere in stipullis infra octo dies postquam blaua fuerit collecta.

Item statutum est quod aliqua bestia non possit nec debeat pascere in stipullis infra octo dies postquam blaua extracta fuerit preter boues de iugo d et si quis contrafecerit soluat bannum sicut inuenta esset in blauis alienis de quo quoquidem credatur domino fundi in quo esset stipulla cum iuramento si transacti essent dies octo aut non si inde fuerit accusatus aliquis.

De stipulis non cremandis tempore messium.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat toto tempore messionum ponere ignem in aliqua stipulla dummodo in tota illa contrata esset blaua aliqua absque licentia domini potestatis uel rectoris comunis Cassallis et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno pro qualibet uice soldos quinque papienses et insuper emendet si

quod dampnum alicui fuerit datum occaxione dicti *a* ignis illi cui datum fuerit quam emendam teneatur excuttere sicut bannum.

De alienis stipulis non legandis.

Item statutum est quod aliquis non possit nec debeat secare portare nec ducere stipulam alienam nisi sibi data fuerit uel uendita et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro banno et pena pro qualibet uice de faxo soldos II. papienses de somma uero soldos V. papienses de carro uel barotia soldos XX. papienses et insuper emendet dampnum illi cui datum est uel fuerit quantumcumque est bannum quam emendam teneatur potestas excuttere sicut bannum et amittat stipulam. liceat ta- *b* men unicuique portare uel portari facere et secare a festo sancti Michaellis in antea absque pena et sine licentia.

De bestiis facientibus dampnum seu inuentis in alienis blauis seu aliis rebus campestribus.

Item statutum est quod si bos uel uacha axinus uel axina equus uel equa mullus uel mulla inuenta fuerit ad bandam et sine guardia in aliena blaua uel in aliqua re que sit possita in banno dominus illius bestie soluat pro qualibet bestia soldos V. papienses pro qualibet uice eo saluo quod si bestia scamuzauerit et guardia iret per uiam cum bestiis et quam citius iret ut posset ad parandum uel ad *c* expellendum dictam bestiam de dicto dampno uicini sui non soluat bannum et si bestia azellauerit non soluat bannum et si porcus uel porca inuentus fuerit in alienis blauis seu ceteris dampnis soluat dominus bestie illius porchine comuni Cassalis pro qualibet bestia porchina pro qualibet uice soldos III. papienses sed uerri et tauri de dampno non teneantur. Si uero pecus uel capra inuenta fuerit in blauis alienis soluat dominus pecudis uel capre comuni Cassalis pro pena et banno pro qualibet uice de qualibet bestia pecudum seu pecudina et caprina soldum I. papiensem et de quolibet ansere denarios sex. Et si predicte bestie habuerint guardiam seu custodem et custos ille seu guardia custodiuerit predictas bestias seu aliquam *d* predictarum bestiarum in uinea uel blaua aliena et omnibus dampnis soluat comuni Cassallis pro pena et banno pro qualibet bestia bouina axinina ouina caprina equina mulina uel porchina soldos II. papienses et insuper emendet dampnum tantum quantum est bannum illi cui fuerit datum dampnum quam emendam potestas seu rector Cassallis teneatur excuttere sicut bannum eo saluo quod aliqua bestia non soluat bannum in aliquibus pratis siue pascuis glaris seu moltis citra padum nisi a medio martio usque ad kallendas augusti. Et postquam fenum mazengum secatum fuerit et colectum non sit in banno paratum nisi fecerit reseum aut fuerit preconizatum publice per Cassale. Et ultra padum nisi a kallendis aprilis usque ad kallendas augusti de quibus omnibus et singullis bannis contentis in omnibus suprascriptis statutis loquentibus de blauis et occaxione messionum factis potestas habeat tertiam partem.

De rapientibus seu exportantibus alienas zeppas seu erbas seu alea uel porra uel legumina.

Item statutum est quod aliqua persona si ceperit uel exportauerit de orto alieno siue possessione aliquas zeppas alienas uel aleum uel legumina porra uel erbas soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet planta zeparum alei leguminum porrorum uel herbarum pro qualibet uice denarium I. papiensem et de introytu agri seu orti solidos V. papienses et insuper emendet illi dampnum cui factum fuerit tantum quantum dominus illius rei ablate seu exportate iurauerit prius premissa tassatione facta per dominum potestatem seu rectorem comunis Cassallis de dicto dampno. Illud iddem inteligatur de rapis. Et si quis inueniatur in alienis ortis amittat pro quolibet et qualibet uice soldos X. papienses. Et quilibet accusare possit habendo tertiam partem banni potestas tertiam et comune tertiam.

De incidentibus alienas arbores.

Item statutum est quod si quis inciderit alienam arborem fructiferam in districtu et iurisdictione Cassallis soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos XX. papienses et de arbore non fructiffera soldos XX. pro qualibet arbore et insuper emendet dampnum tantum quantum iurabit dominus esse dictum dampnum.

De rapientibus et incidentibus et exportantibus nemus alienum.

Item statutum est quod si qua persona ceperit uel inciderit seu exportauerit uel duxerit seu duci fecerit de nemore alieno in districtu et iurisdictione Cassallis soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice de faxo soldos V. papienses de somma soldos XX. papienses de carro uel barotia soldos LX. papienses de qualibet nauata soldos centum papienses insuper autem emendet dampnum illi cui fuerit datum tantum quantum fuerit bannum. Quam quidem emendam potestas teneatur excuttere sicut bannum.

De rapientibus et exportantibus et secantibus alienam erbam seu fenum alienum.

Item statutum est quod si qua persona ceperit seu secauerit uel exportauerit seu duxerit uel duci fecerit alienam erbam seu fenum in districtu et iurisdictione Cassallis soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice de faxo erbe sol-

dos II. papienses de somma uero soldos V. et de a somma feni soldos X. papienses de faxo quoque feni soldos quinque papienses et de carro autem uel barotia soldos XL. de naui quoque soldos LX. papienses. Et insuper emendet dampnum illi cui datum fuerit bannum tantum quantum est bannum quam emendam teneatur potestas excuttere sicut bannum. Et quod aliquis secator iens ad laborandum et ad secandum alicui persone non possit ducere nec duci facere aliquam erbam super uel cum aliqua bestia. Si quis itaque contrafecerit soluat comuni Cassallis pro qualibet bestia uice soldos X. papienses.

De forensibus cum eorum bestiis dampna facientibus in rebus alienis hominum Cassallis et Paciliani. b

Item statutum est quod potestas et quilibet rector Cassallis teneatur et debeat manutenere deffendere et saluare pascua hominum Cassallis et Paciliani. Et si aliquis de Cassalli uel ibi habitans inuenerit aliquam personam que non sit de Cassalli nec de districtu et iurisdictione Cassallis in dampno suo seu facientem sibi dampnum in pratis et erbis loschis blauis uineis uel aliis rebus quod possit sua auctoritate capere pignus. Et si aliqua bestia alicuius forensis inuenta fuerit in dampno alicuius de Cassalli uel in dampno comunitatis Cassallis seu Paciliani quod quilibet de Cassalli possit eas bestias accipere sua auctoritate et ducere ad c domum potestatis seu ad domum suam et illas tenere donec satisfactum fuerit de dampno ei dato et donec soluerit comuni Cassallis seu comunitati Cassallis uel Paciliani pro qualibet bestia pro qualibet uice soldos II papienses et insuper emendet dampnum illi cui datum fuerit quantumcumque sit bannum. Et si acceperit sibi pignus et accipiendo uellet se deffendere et nollet ei dare pignus et dicta de causa dominus illius seu illi qui essent in eius societate uel aliquis ipsorum percusserit illam personam facientem dampnum seu que fecisset quod potestas seu rector Cassallis ipsa de causa non possit ei aufferre aliquod dampnum nec facere ei reddere pignus donec se concordauerit cum illo cui dederit dampnum. Et quod quilibet de Cassalli d dummodo sit in registro libr. XXX. uel plurium possit accusare omnes homines et personas facientes dampna super possessionibus Cassallis et Paciliani ac si essent camparii comunis Cassallis cum sacramento habendo dictus accusator tertiam partem uicarius tertiam et comune alliam tertiam.

Quod de suo proprio dampno quilibet possit accusare.

Item statutum est quod quilibet de Cassalli et quilibet de eius familia possit accusare de suo dampno proprio omnes personas et bestias facientes dampnum in suis rebus propriis et accusatori cre-datur de dampno cum sacramento de quo quidem banno dampni potestas habeat tertiam partem comune tertiam et accusator alliam tertiam.

De statutis et ordinamentis comunitatis Cassallis et Paciliani factis super custodia dictarum comunitatum attendendis et obseruandis.

Item statutum est quod potestas et quilibet rector Cassallis teneatur et debeat attendere et obseruare statuta et ordinamenta comunitatis Cassallis et Paciliani facta et que fierent per ipsas comunitates tam super debitoribus quam super custodia comunitatum Cassallis et Paciliani et occaxione custodie predictorum omnium quemadmodum et sicut essent scripta in uolumine statutorum comunis Cassallis precisse.

Quod potestas teneatur dare operam consulibus notariorum ut obseruent eorum statuta.

Item statutum est et ordinatum quod potestas teneatur dare fortiam et iuuamen et comune Cassallis consulibus notariorum quod obseruent statuta et ordinamenta facta inter ipsos notarios quod possint exigere penas et banna imposita et imponenda per ipsos consules suis notariis de colegio notariorum. Et ipsa statuta dictus potestas uinculo iuramenti teneatur attendere et obseruare dummodo ipsa statuta non sint contra statuta comunis uel aliquod ipsorum.

Quod uenditiones facte de bonis illorum qui fodra uetera non soluerunt ualeant et firme permaneant.

Item statutum et ordinatum est inuiolabiter obseruandum ex sententia et refformatione conscilii generalis comunis Cassallis solempniter celebrati die ueneris decimo mensis martii anno currente MCCCVI. indictione quarta quod omnes uenditiones et alienationes facte et que fient uel fierent per Frayllonum Gazzonum et Iorium Bataliam de Vacario notarios et sindicos comunis Cassallis uel per aliquem illorum constitutos et ellectos per dominum Pallauicinum de Cortexiis potestatem Cassallis per uiros sapientes dominum Conradum Bazanum Guillielmum Barbarinum Nicolinum Moytium Iacobum Beglazium Iorum Bataliam de Vacario Raymondum Paganum Bonifatium Nazarium et Iacobum de Tungo consules militum et populi qui habuerunt plenam auctoritatem et bayliam a predicto conscilio de bonis possessionibus et rebus illarum personarum que non soluerint uel non soluerunt fodra uetera sint et esse debeant rate firme et ualide et in perpetuum ualleant et teneant et cuiuslibet roboris firmitatem habeant et teneant et habere debeant ac si per totum generale conscilium facte fuissent uel forent. Et quod dominus potestas qui nunc est et omnes illi qui per tempora fuerint

rectores comunis Cassallis precisse teneantur et a debeant uinculo iuramenti suprascriptas uenditiones et alienationes deffendere et obseruare in omnibus et per omnia ad uoluntatem et maiorem securitatem illarum personarum que emissent uel emerint dictas res et bona ad expensas proprias comunis Cassallis in cuius utilitatem et comodum peruenerunt uenditiones iamdicte siue pretium uenditionis illarum. Et quod aliqua persona non possit nec debeat impedire mollestare nec inquietare illos emptores qui emissent res illas et bona. et quod aliquis non possit esse aduocatus contra predictos emptores occaxione dictarum uenditionum factarum per suprascriptos Fraylonum et Iorium Bataliam uel per aliquem ipsorum. Et si quis contrafecerit uel faceret soluat pro pena et banno libras x. pa- b pienses totiens quotiens contra predicta faceret uel aliquod predictorum a quibus penis et bannis non possit absolui per aliquod conscilium uel arengum comunis Cassallis uel per aliquod ingenium uel formam que dici uel excogitari possit. Et quod non possit fieri petitio alicuius sapientis nec dici uenditiones illas annullatas uel nullas et hoc capitulum sit precissum trunchum et perpetuo ualidum in omnibus et singulis clausulis notatis et scriptis superius et precisse et inuiolabiliter perpetuo obseruari debeat.

Quod emenda alicui banno addita de aliquo banno facto alicui persone de Cassalli excutiatur sicut bannum per uicarium.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua emenda fuerit addita banno alicui de aliquo banno dato uel facto alicui persone de Cassalli in aliquibus suis rebus quod uicarius Cassallis teneatur et debeat uinculo iuramenti excuttere dictam emendam sicut bannum qua habita clauarius comunis teneatur et debeat dictam emendam recipere et ea recepta scribere uel scribi facere in suo libro cuius sit dicta emenda. Qui itaque teneatur et debeat predictus clauarius et proconsul infra terciam diem denuntiare seu denuntiari facere per seruitorem comunis Cassallis illi cuius fuerit dicta emenda et cui dampnum datum fuerit ut uadat ad accipiendum dictam emendam et si non iuerit infra ter- d minum sibi assignatum quod dicta emenda ponatur in introytu comunis in libro de extra ordinem. Et si aliqua persona acceperit dictam emendam quod ipse clauarius amittat pro pena et banno soldos v. papienses et nichillominus teneatur restituere dictam emendam illi cui datum fuerit et totidem comuni.

Quod nullus facere debeat couarum uel uuarum amassionem alicuius camparie.

Item statutum est et ordinatum quod nulla persona possit nec debeat facere aliquod amassum couarum uuarum lignorum marzascorum uel fructuum aliquorum in toto poderio Cassalis et Paciliani et iurisdictionis nec petere aliquam couam uel legumina uel fructus aliquos marzascos alicui persone de Cassalli occaxione alicuius camparie seu feudi uel custodie. Et si quis contrafecerit amittat et soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro quolibet et qualibet uice soldos centum papienses et nichilominus restituat dictum amassum dicto comuni siue illi uel illis a quibus fuisset ablatum uel acceptum dictum amassum. Et quod aliqua persona de Cassalli non possit nec debeat dare nec concedere gratis nec aliquo allio modo alicui persone aliquam blauam seu fructus seu marzascos sub pena et banno soldorum xx. papiensium pro quolibet et qualibet uice et illud iddem inteligatur de cannis et sarmentis alienis amassatis contra uoluntatem dominorum quorum hec predicta sunt. a qua pena non possit appellari nec sapiens peti et nullam dici. cuius pene tercia pars sit uicarii tercia comunis et alia tertia accusatoris.

De bonorum extrinsecorum custodia per militem rectoris fienda.

Item statutum et ordinatum est quod miles potestatis cum uno notario comunis teneatur et debeat uinculo iuramenti ire extra burgum Cassalis ad custodiam agrorum et uinearum ad accusandum et inquirendum omnes et singullas personas facientes dampna in ipsis agris et uineis bis in omni edomada ad minus et tantum plus quantum ei uidebitur. c

Quod duo camparii elligantur pro custodia ortorum seu terrarum cercharum Cassallis.

Item statutum est et ordinatum quod ordinentur et elligantur duo camparii pro custodia ortorum cercharum Cassallis infra octo dies per consules et antianos dicti comunis post introytum regiminis uicarii qui camparii pro custodia dictorum ortorum et eorum labore et fatiga habeant pro quolibet stario terre tam ortate quam non per unum annum soldos II. papienses ab illis quorum sunt dicti orti. Et quod dictus uicarius teneatur compellere dictos habentes dictos ortos uel terras ad solutionem faciendam predictis campariis quando dictam solutionem requisiuerint uidelicet medietatem in medio anno et alliam medietatem in fine anni. qui camparii possint et debeant accusare omnes et singulos dampna facientes in dictis ortis secundum modum et formam contentam in statutis comunis Cassallis loquentibus de dampna facientibus in dictis ortis. Cuius pene tercia pars sit domini uicarii tertia comunis et allia tertia accusatoris a quibus penis non possit appellari nec sapiens peti nec dici condempnationem esse nullam. Et quod debeant ponere in eorum accussis tantam emendam quantum posuerit bannum et ita excutiatur emenda sicut bannum.

Liber quartus de rebus tangentibus tam ad singulares personas quam generaliter ad comune Cassallis.

De piscariis non fiendis ultra Padum.

Item statutum est quod aliquis non possit nec debeat facere aliquam pischariam in Pado ultra Padum seu iuxta rippam Padi deuersus Vercellas. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos centum papienses et insuper piscaria destruatur. licitum tamen sit cuilibet persone de Cassalli et que habitet in Cassalli facere piscariam in Pado iuxta rippam Padi deuersus partem Cassallis et comunia illorum de curte superius usque ad moltas illorum de Torzello ita et taliter quod dicte piscarie habeant caput in terram. Et quod aliqua persona non possit currere intus piscariam et terram. Et si quis contrafecerit soluat pro banno comuni Cassallis pro qualibet uice et qualibet piscaria soldos x. papienses et teneantur omnes piscatores de Cassalli piscantes ad tremalium dare et facere suam rationem illis quorum essent piscarie uel piscaria fuerit sicut in testibus uel testimoniis continetur autenticatis per Ruffinum de Petra notarium publicum precisse.

Quod mollinarii teneantur mollere granum illud quod prius fuerit ad molendum et de menatoribus.

Item statutum est quod molinarii teneantur mollere granum illud quod prius fuerit ad molandum et si quis contrafecerit soluat pro banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos v. papienses. Et quod aliqui mullinarii non possint nec debeant assotiare insimul nec esse sotii uel participes nisi in duobus uel tribus mollandinis tantum et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos xx. papienses et possit quilibet menator ducere tres asinas. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos quinque papienses. Et teneatur quilibet mulinarius et menator bene custodire granum farinam et blauam et predicta bene mollere et si malle moluerit siue amiserit teneatur mullinarius emendare predicta et insuper soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos xx. papienses. Et fiant predicte emende de grano male molto et de blaua seu farina amissa per molinarium uel menatorem qui esset culpabilis de predictis secundum quod iurauerit ille cui dampnum datum fuerit incontinenti uel allius de sua familia de dampno seu pena potestas habeat tertiam partem comune tertiam et accusator aliam tertiam.

a *Quod nec molinarius nec menator debeat nec possit comedere nec bibere in taberna seu reposito taberne in Cassalli uel cercha.*

Item statutum est quod aliquis mullinarius uel menator non debeat nec possit bibere neque comedere in aliqua taberna seu reposito taberne in Cassali nec in cerchis Cassallis nec facere aliquod corredum seu pascum in aliqua taberna nec in aliquo alio loco et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis soldos duos papienses eo saluo quod si non haberent aliquam domum ubi possent comedere et stare quod ipsi elligant unam domum sibi in qua ipsi stent et stare debeant et non alibi sub eadem pena. Et non
b possit aliquis mullinarius uel qui habeat partem in molendinis nec menator uendere aliquam blauam seu farinam in aliqua parte extra burgum Cassallis. Et si quis contrafecerit soluat pro pena comuni Cassallis pro qualibet uice soldos x. papienses de quibus possit quilibet de Cassalli accusare et accusatori credatur. cuius pene seu banni potestas habeat terciam partem comune tertiam et accusator alliam tertiam.

Quod uinculo iuramenti consules ripe Padi inquirant molendina et molinaria et menatores.

Item statutum est quod potestas seu rector Cassallis teneatur et debeat facere iurare consulles
c mollendinorum seu ripe Padi quod ipsi consules semper qualibet edomada inquirent bona fide molendina mulinarios et menatores ipsius ripe semel ad minus et si inuenerint aliquem facientem seu fecisse dampnum uel furtum de blaua seu farina quod ipsum accusabunt rectori Cassallis seu potestati ea die qua inuenerint dampnum seu furtum factum fuisse. Et quod non permittent stare seu quod non tenebunt ad ipsam ripam seu molendina aliquem mullinarium seu menatorem male fame. Et si predicti consulles uel aliquis ipsorum fecerit contra predicta uel contra aliquod predictorum soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro quolibet et qualibet uice soldos xx. papienses et insuper remoueatur a ripa Padi et a dicto officio
d consulatus et in perpetuum stent remoti.

Quod nullus qui non sit de Cassalli uel ibi habitans cum sua familia possit habere molendinum siue partem in aliquo molandino in districtu Cassallis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit habere molendinum seu partem habere in aliquo molandino in toto districtu et iurisdictione Cassallis nisi ipsa persona sit de Cassalli et habitauerit in Cassalli cum familia sua precisse. Et teneantur mulinarii seu qui habent uel habuerint aliquod molandinum seu partem in aliquo molandino tenere et habere unam nauem immaculatam

et bene guarnitam in Pado ad eorum expensas si placuerit comuni Cassallis.

De multura non ducenda ad Padum.

Item statutum est quod menatores non debeant ducere ad Padum multuram sed capta multura ad locum ubi pensatur blaua et farina debeant ipsam ducere intus burgum Cassallis ubi placuerit dominis suis et teneantur et debeant mullinarii habere et tenere tascam unam cum farina in archa comunis que fuerit ad domum seu ad locum ubi pensetur blaua et de qua etiam possit fieri restitutio illis personis quibus ablata esset uel fuisset farina ad Padum uel alibi postquam granum fuerit pensatum.

De fornariis debentibus facere eorum offitium.

Item statutum est quod omnes fornarii et fornarie de Cassalli et de districtu teneantur et debeant saluare panem et custodire bona fide et forniculas et bene coquere panem sub pena et banno soldorum v. papiensium pro quolibet et qualibet uice et insuper restituant dampnum illi cui datum fuerit secundum dictum suum. Et teneantur fornarii habere pararias que fuerint necessarie ad portandum panem et corbas et scatios et buratellos per totum annum que fuerint necessaria cuilibet furno et non possint nec debeant petere nec habere nisi duos panes de fornata et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro quolibet et qualibet uice soldos quinque papienses. Et quod aliquis fornarius seu fornaria seu qui custodiat furnos non possit nec debeat facere aliquas fossas uel bossas in uiis publicis. Et teneatur quilibet fornarius uel fornaria numerare panem coctum et crudum si placuerit illis personis quarum fuerit dictus panis. Que omnia et singulla potestas Cassallis teneatur et debeat facere iurare omnes fornarios et fornarias attendere et obseruare precisse sub pena predicta infra xv. dies postquam preconizatum fuerit publice per Cassallem et debeant iurare in presentia proconsulum comunis dando quilibet ipsorum pro dicto sacramento notario comunis denarios quatuor papienses.

De fornasariis et de modo et forma eis data ad mattonos faciendos et cuppos et eos qualiter uendere debeant et etiam calzinam.

Item statutum est quod fornasarii de Cassalli et districtu qui habitant in Cassalli seu qui operantur uel operari facient fornaces teneantur et debeant facere matonos ad modum et formam eis datos per comune uel que eis dari debeat per consulles Cassallis et etiam facientibus terronos et bene coquere eos matonos et cuppos. Et teneantur et debeant ipsi fornassarii uendere et dare miliarium mattonorum pro libris iiii. et soldis x. et miliarium cupporum pro libris vi. et soldis x. papiensibus tantum et *a* modium calzine grosse et petrosse pro soldis xvi. tantum et aflorate pro soldis xii. papiensibus et miliarium taxellarum pro libris ii. et soldis x. papiensibus et non plus et insuper restituant pretium illi qui sibi dederit ultra penam infrascriptam. Et si aliquis de Cassalli uellet seu uoluerit emere cuppos mattonos uel calzinam teneantur predicti fornassarii et quilibet ipsorum ipsos cuppos mattonos seu calzinam ei uendere et dare pro pretio superius nominato. Et si quis contrafecerit soluat comuni Cassallis pro pena et banno pro qualibet uiee soldos xx. papienses et insuper possit quilibet de Cassalli sua auctoritate ipsos mattonos cuppos et calzinam accipere dando fornassario uel fornassariis eius cuius esset dictum opus pretium superius ordinatum *b* quamuis fornassarius uendiderit alteri. Et non possit aliquis fornassarius uetare seu deffendere predicta alicui de Cassalli uolenti seu cupienti predicta capere. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos xx. papienses et teneatur potestas constringere omnes fornassarios et operantes seu habentes fornaces in Cassalli et districtu facere seu fieri facere matonos et cuppos et ipsas fornaces manutenere et calzinam coquere a kalendis marzii usque ad octauam sancti Michaelis et mensurari debeat calzina ad starium grani ferratum et plenum et culmum circumquaque garbas. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis pro qualibet uice soldos x. papienses precisse et predicta teneatur rector in- *c* quirere omni mense precisse.

De mattonis cuppis et calzina foresteriis uendendis.

Item statutum est quod fornassarius possit uendere mattonos cuppos seu calzinam et taxellas tam forasterio quam terrerio et predicta possint ducere et duci facere extra iurisdictionem Cassalis libere et absque pena et banno et sine licentia rectoris soluendo pedagium comunis consuetum. Et non possit aliquis de Cassalli nec de districtu emere matonos uel cuppos aut calzinam causa reuendendi et si quis emerit ipsos plus uendere non possit quam *d* ipsi fornassarii. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis pro qualibet uice soldos xx. papienses et insuper totum id quod plus receperit teneatur restituere illi qui dederit. Super quibus omnibus et singulis statutis loquentibus de fornassariis et fornacibus possit quilibet accusare et accusatori credatur et teneatur potestas predicta subtiliter inquirere de quibus penis et bannis potestas habeat tertiam partem comune tertiam et accusator alliam tertiam. Et quod dicti fornassarii teneantur et debeant uendere unicuique de Cassalli mattonos cuppos calzinam taxellas pro pretio quo conuenerit cum ipso non obstante eo quod dicti fornassarii dicerent se uendidisse dictos mattonos cuppos calzinam et taxellas alicui forasterio sub

pena suprascripta cuius pene tertia pars sit uicarii a
tertia comunis et tertia accusatoris et quilibet possit accusare cum sacramento.

De impeditis in ere uel personis ab aliquo extrinseco.

Item statutum est quod si aliqua persona de Cassalli impedita fuerit in ere uel in persona ab aliquo extrinseco uel ab aliqua terra quod potestas uel rector Cassallis teneatur ea die uel sequenti impedito dare cambium uel super illo uel allia terra a quo uel a qua impeditus fuerit si inde requisitus fuerit. Et si quis qui fuerit impeditus acceperit sua auctoritate cambium cum illis personis quas secum habere uoluerit infra octo dies post- b
quam fuerit impeditus quod potestas nec aliquis rector Cassallis non possit ei uel eis aufferre aliquod bannum uel penam. Et si quis de Cassalli fuerit captus in ere uel persona extra Cassalem pro aliquo debito alicuius hominis de Cassali quod ille pro quo est uel fuerit captus teneatur et debeat ei restituere omne dampnum et omnes expensas quod et quas substinuisset ille qui captus fuerit si inueniret quod ille qui ceperit ipsum deberet habere ipsum debitum. Que omnia et singulla potestas et quilibet rector Cassallis teneatur attendere et attendi facere et obseruari si a capto uel impedito fuerit requisitus eo saluo quod si prohibitum fuisset aut a potestate seu rectore comunis Cassalis uel conscilio Cassallis ire ad locum aliquem et aliquis postea c
iuisset seu iuerit ad dictum locum prohibitum et dicta de causa substinuerit uel habuerit aliquod dampnum non ei emendetur a comuni nec ab aliqua persona de Cassalli precisse sed sibi imputetur.

De mensuratoribus et rationatoribus terrarum ad trabuchum Cassallis mensurandarum.

Item statutum est quod rationatores et mensuratores terre debeant mensurare terram et uineas ad trabuchum Cassallis et dare unicuique persone suam rationem et iurare debeant eorum officium fideliter exercere.

De habitatoribus receptis per comune Cassallis. d

Item statutum est quod si aliquis receptus fuerit per comune seu per conscilium Cassalis in habitatorem Cassalis teneatur uenire ad habitandum in Cassali cum uxore sua filiis et tota eius familia infra unum mensem postquam iurauerit habitaculum Cassallis seu postquam receptus fuerit in habitatorem Cassalis et teneatur potestas seu rector Cassalis iurare facere quemlibet habitatorem et qui receptus fuerit in habitatorem Cassallis quod attendet et obseruabit totum illud quod promiserit comuni Cassalis infra unum mensem postquam receptus fuerit. Si uero non iurauerit et infra dictum tempus non uenerit et pacta que inter comune Cassalis et ipsum sunt non seruauerit quod omnia pacta que inter ipsum et comune sunt cassa sint et irrita et nullius ualoris et pro nichilo habeantur et pro habitatore non teneatur. Et quod quilibet qui receptus fuerit in habitatorem Cassalis teneatur facere omnes exactiones comunis et soluere fodra sicut alii de Cassali faciunt. Et quod non teneatur quis pro habitatore Cassalis nisi teneat domum et familiam suam cum catena et lauezio in Cassalli uel in cercha et nisi possideat immobilia et soluat fodrum et quod omnes qui habitant in Cassali teneantur facere custodiam et fossata comunis saluis prouixionibus et refformationibus factis et fiendis contra dictum statutum que seruari debeant dum sint confirmate a prefato domino non obstante hoc statuto.

De denariis quos comune tenetur Fratribus Minoribus et Fratribus Heremitis amore Dei.

Item statutum est quod potestas teneatur et debeat omni anno solui facere de ere comunis Fratribus Minoribus libras xxv. papienses et libras xv. Fratribus Heremitis pro ellemosina et subsidio uestimentorum suorum antequam recipiat aliquid de suo salario et ante festum sancti Michaelis. Quod capitulum potestas teneatur attendere uinculo iuramenti dummodo placeat consilio generali comunis Casalis et quod non permittet aliquid in contrarium ordinari modo aliquo uel causa precisse.

De guaytarolis ordinandis per conscilium.

Item statutum est quod guaytarole burgi et cerche ordinentur et ordinari debeant per conscilium generale comunis Cassallis secundum quod ei uidebitur pro meliori et quod potestas teneatur infra quindecim dies post introytum sui regiminis predicta ponere ad conscilium precisse.

De consignamentis et primo de bonis et rebus consignandis scribendis et ponendis in consignamentis.

Item statutum est quod quelibet persona tam de Cassali quam aliunde teneatur et debeat consignare omnia sua bona mobilia et immobilia et omnia ficta et debita et iura que habet seu tenet in Cassalli et districtu et iurisdictione Cassalis scilicet terram culturam per se pratum per se buschum per se terram inblauatam per se sedimen per se zerbum per se glaram per se uineam per se domum per se et ponere in qualibet possessione loca et coherentias et ponere proprietatem possessionis per se et fictum per se et quodlibet mobile per se. Eo saluo quod aliquis non teneatur ponere in consignationem equum seu equos iumenta arma pro suo usu libros utensilia coquine et minuta domus pannos de lecto usque in sex ad culcedras pannos dorsi neque sex coppas argenti si predictas coppas

non haberet in pignore neque comunia Cassallis a et Paciliani pendeant ad uoluntatem conscilii omnia infrascripta statuta loquentia de consignamentis.

De consignamento faciendo per illas personas que habent priuilegium et pactum a comuni que in habitatores et terrigenas comunis Cassallis sint recepte et per se ponantur in uno libro.

Item statutum est quod illi qui recepti sunt in terrigenas et in habitatores Cassallis et omnes priuilegiati ad tempus teneantur et debeant consignare omnia sua bona mobilia et immobilia et ponere diem et annum et tempus priuilegii sui. et predicta consignamenta ponantur in uno libro per se et teneantur de predictis soluere fodrum comuni b Casalis transacto tempore sui priuilegii seu pacti. et si predicta non obseruauerint seu fecerint eorum priuilegium et pacta ipso iure sint nulla et cassa et irrita et nullius ualoris et insuper non habeantur pro habitatoribus precisse.

Quod extimatio unicuiusque rei mobilis uel immobilis per se scribi debeat.

Item statutum est quod pretium siue extimatio cuiuslibet rei tam mobilis quam inmobilis scribatur et ponatur per se super qualibet re ita quod quilibet possit scire rationem sui extimi.

De illis personis que intrauerunt aliquem ordinem c *et postea de ipso exiuerint quod constringantur per potestatem sustinere onera comunis.*

Item statutum est quod si aliqua persona intrauerit ordinem aliquem et de ipso postea exierit quod potestas et quilibet rector Cassalis teneatur et debeat ipsam personam constringere quod ipsa persona faciat et substineat omnia onera et exactiones comunis Cassalis sicut alii seculares de Cassalli faciunt et tenentur facere precisse.

De habitatoribus Cassalis habentibus aliquas possessiones in districtu Cassalis sicut uadit et mirat culmen muzani usque in riuum Bouarii quod quidem eas teneantur consignare. d

Item statutum est quod omnes persone que habitant in Cassalli et habent aliquas possessiones in districtu Cassalis sicut uadit culmen Muzani usque ad riuum Bouarum reuertendo usque ad fontanam Pauexiam teneantur et debeant illam possessionem quam ibi habent seu habuerint consignare et fodrum soluere comuni Cassallis de ipsa. et si in predictis possessionibus seu aliqua ipsarum aliquod dampnum seu guastum datum uel factum fuerit furtiue teneatur potestas seu rector Cassalis illud dampnum emendari facere per comune Cassallis de ere comunis precisse.

De fece non comburrenda citra Padum.

Item statutum est quod aliquis homo tam de Cassalli quam aliunde non possit nec debeat comburere seu comburi facere aliquam fecem citra Padum nisi ipsam combureret de mensibus decembris uel ianuarii uel februarii. et si contrafecerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice libras decem papienses et nichillominus potestas qui tunc temporis fuerit teneatur ipsum ignem extinguere in dicta fece positum. et quod a predictis penis non possit appellari nec sapiens peti et quod in dictis tribus mensibus non possit coqui per aliquam personam predicta fex in burgo sub eadem pena et quod dictum statutum non habeat locum durante uenditione facta Symoni Musso de dicta fece per comune.

De correorio muri burgi Cassallis per rectorem Cassalis inquirendo circumquaque quater in anno.

Item statutum est quod potestas seu rector Cassalis teneatur et debeat inquirere quater in anno ad minus coreorium muri burgi si destructum foret quod est iuxta murum burgi circumquaque et si inuenerit dictum correorium destructum seu deuastatum teneatur et debeat ipsum correorium facere reffici et rehedificari ab illis personis que habent ad faciendum iuxta ipsum murum in parea ipsius correorii infra octo dies postquam ei uel eis denuntiauerit uel denuntiari fecerit ita quod ipsum correorium sit semper bonum bene factum et bene precisse aptum.

De sedimine a Britio Picho et ab hospitali sancti Stephani empto quod sit comunis Cassalis.

Item statutum est quod sedimen quod emptum fuit a Britio Picho et ab hospitali sancti Stephani sit et esse debeat comunis Cassallis in perpetuum et de eo uti possit tamquam de re publica excepto tamen quod becharii habeant ibi tantum de illo sedimine ad faciendum unam bechariam quantum fuerit sedimen quondam Iacobi Bellardi super quo facta est becharia uacharum. et quod aliqua persona non possit uti dicto sedimine in suam utilitatem sub pena et banno solidorum LX. papiensium pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare habendo terciam partem banni comune tertiam et potestas alliam tertiam precisse.

De pontilibus taxellandis.

Item statutum est quod quilibet homo de Cassalli qui habet aliquod pontile in Cassalli super uiis publicis teneatur eum taxelare seu taxelari facere usque ad kalendas septembris sub pena et banno soldorum decem papiensium.

De uiis cercharum Cassalis per duos trabuchos a largis et amplis sint sicut in principio dessignationis.

Item statutum est quod omnes uie cerche Cassalis sint et esse debeant large et ample per duos trabuchos sicut dessignate et liurate fuerunt per comune in principio designationis dicte cerche ita et taliter quod quelibet persona in parea sui teneatur et debeat ipsas uias tenere pulcras et bene inglaratas tali modo quod homines et carrigia possint ire et redire per ipsas libere expedite. et si aliqua uia ipsarum cercharum esset clausa seu stopata per aliquam personam teneatur et debeat illa persona que ipsam clauserit apperire et tenere amplam et largam per duos trabuchos sicut dessignata fuit et b esse debet. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis pro qualibet uice soldos x. papienses cuius pene tertia pars sit domini uicarii. que omnia dominus potestas teneatur adimpleri facere infra tertiam diem postquam ei denuntiatum fuerit precisse.

De terminatione et dessignatione burgi Cassallis et quod diuisum esse debeat per quatuor cantonos.

Item statutum est quod burgus Cassallis terminetur et dessignetur et diuisus esse debeat per quatuor cantonos modo et forma infrascripta scilicet primus cantonus latus sit et esse debeat a porta lacus usque ad portam aquaroli eundo per stratam c porte lachus usque in plateam et a pizio Cignoni per stratam rectam qua itur ante domum illorum de Cortixiis et ante domum illorum de Guirlandis usque in portam aquaroli. cantonus uero Montaroni sit et esse debeat a porta aquaroli usque in portam nouam eundo a porta noua usque in plateam comunis per rectam uiam et a pizio turris Grassorum eundo per rectam uiam et stratam usque in portam aquaroli. cantonus autem Bregnani sit et esse debeat a porta noua eundo per rectam stratam usque in plateam et a pizio domus illorum de Castello eundo per uiam castri per medium ecclexiam beati Euaxii usque in plateam et per stratam lacus usque in portam lacus. sed et predicti cantoni sicut determinati sunt superius ita sint et perpetuo d maneant. et quod quilibet potestas seu rector Cassalis teneatur uinculo iuramenti et iurare facere omnes statuterios qui pro tempore fuerint quod istud statutum non remouebunt nec cassabunt nec consentient quod cassetur uel remoueatur nec aliquid fiat quod esset huic contrarium uel quod istud cassaretur uel remoueretur sed habebunt ipsi et tenebunt istud statutum firmum et inuiolabiliter ipsum obseruabunt. et sic de potestate in potestatem iuretur per quemlibet rectorem Cassalis qui pro temporibus fuerit predicta attendere et obseruare et in aliquo non contrauenire et si quis autem arengaret uel diceret quod esset contra dictum statutum soluat pro pena et banno pro qualibet uice qua in conscilio arengaret uel loqueretur uel diceret quod esset contra dictum statutum soluat pro pena et banno pro qualibet uice ut supra dictum est libras. et quilibet potestas seu rector qui predicta non attenderet seu obseruaret amittat de suo sallario libras uiginti quinque papienses. quas libras uiginti quinque possit quilibet ab eo rectore petere tamquam si eidem mutuo dedisset et sint et esse debeant et intelligantur esse omnes homines habitantes in uilla monete et in cercha Cassallis deuersus portam nouam de cantono Bregnani precisse.

De uiis tam agrorum quam uinearum unusquisque in parea sui aptet ipsas et aptare teneatur et aptatas tenere.

Item statutum est quod quelibet persona que habet aliquam possessionem iuxta uiam tam in agris quam in uineis poderii Cassallis teneatur aptare seu aptari facere et aptatam tenere uiam in parea sui ad terminum sibi datum et assignatum per conscilium generale comunis Cassalis alioquin licitum sit cuilibet persone ire et redire per uineam seu agrum illius qui non aptaret seu aptasset uiam in parea sui absque pena et banno. Et si aliqua persona haberet aliquam uineam in districtu Cassalis ad quam non haberet aliam uiam quod potestas seu rector Cassallis teneatur facere ei assignari uiam per quam possit ire et redire et reuerti ad uineam suam ad minus dampnum et postquam ei assignata fuerit uendi et dari faciat eidem prout extimata fuerit per extimatores comunis Cassalis infra mensem unum postquam denuntiatum fuerit precisse. et quod si quis predicta facere recusauerit amittat pro pena et banno soldos uiginti papienses pro quolibet et qualibet uice cuius pene tertia pars sit potestatis et due partes comunis.

De cuniculo sancti Stephani aptando et complendo.

Item statutum est quod potestas seu rector Cassalis teneatur et debeat facere fieri et aptari et adimpleri cuniculum sancti Stephani ab hospitali sancti Stephani usque ad domum illorum de Lamolla et a turri de Grassis usque ad portam aquaroli et a domo quondam illorum de Paganis usque ad pizium Ruygloni per uicinos qui habent facere ab utraque parte uie et a domo domine Aldessie Salandrie usque in dictam uiam et a domo Iohannis Peluchi et Pezane Perneoti et a domo domini Iacobi Chalchanei usque ad uiam publicam sancti Stephani et ad expensas ipsorum secundum quod uidebitur Manuello de Polia et Henrico Cappello infra unum mensem postquam denuntiatum fuerit et per supradictos superstites precisse tamen pendeat ad uoluntatem conscilii capitulum istud.

Quod in ellectione uoluntate et dispositione conscilii generalis sint omnia laboreria fossatorum riuarum cuniculorum et de pontibus.

Item statutum est quod omnia laboreria tam de fossatis uiis riuollis cuniculis et pontibus faciendis seu refficiendis aptandis sollandis uel inglarandis tam intus burgum Cassalis quam extra sint et esse debeant in ellectione uoluntate et dispositione conscilii generalis uel maioris partis dicti comunis. et teneatur potestas seu rector Cassallis semper quando requisitus fuerit per quatuor uicinos super predictis uel aliquo predictorum ponere ad conscilium totum id de quo requisitus fuerit per predictos quatuor et de predictis facere propostam et super ipsam propostam recipere conscilium a consciliariis b qui super propostam uoluerint arengare. et de hoc quod arengatum fuerit per predictos consciliarios uel per aliquem ipsorum ponere in partitum et de hoc de quo uenerit conscilium in concordia de predictis uel aliquo predictorum executioni mandari et attendere et obseruare procuret dictus rector penitus et precisse.

Quod si quis prestiterit comuni aliquam pecuniam uel instrumentum mutui habuerit a comuni debeat presentare.

Item statutum et ordinatum est quod quelibet persona undecumque sit que prestiterit seu mutuo dederit per se uel submissam personam aliquam c peccuniam comuni Cassallis de quo sit aliquod instrumentum mutui in quo aliquis de Cassalli pro ipso comuni sit obligatus occasione dicti debiti uel pro ipso debito seu instrumento pro dicto comuni per se uel per aliquam alliam personam uel quod reuera posset dicere uel dici uel probari esse factum occasione dicti comunis et pretium esse conuersum in utilitatem ipsius comunis uel de quo posset probare quod predictum comune teneretur relleuare ipsum debitorem seu ipsos debitores indempnes uersus ipsum creditorem teneatur et debeat dictum instrumentum seu instrumenta presentare domino potestati et scribi facere per seriem quodlibet instrumentum per se et millesimum et diem et testes et nomen notarii per se et capitalle per d se et donum fictum seu guiderdonum per se et si inde habuerit uel receperit aliquod et quantum receperit et a quo receperit illud quod receperit si receperit pro guiderdono uel pro capitali per unum ex notariis dicti comunis scribatur in libris dicti comunis infra terciam diem post publicationem statuti. et si quis contrafecerit uel non obseruauerit seu recusauerit facere ipso iure cadat ab ipso debito et ille et illi qui fecisset seu fecerint aliquod instrumentum alicui pro predicto comuni uel in aliquo instrumento fuerit obligatus pro dicto comuni uersus aliquem sint ipso iure ab ipso debito absoluti. et insuper teneantur et debeant reddere instrumentum seu instrumenta incisum et incisa dicto domino potestati siue sindico comunis Cassallis et facere instrumentum confessionis et pacem et finem dicti debiti. et si quis peteret seu scribi faceret plus quam habere seu recipere sit infamis et periurus et ultra predicta condempnetur in duplum et de predictis condempnetur in publica concione in platea Cassalis per dictum dominum potestatem infra terciam diem postquam notorium fuerit dicto domino potestati.

De districtu platee Cassalis et diffinitione ipsius.

Item statutum et ordinatum est quod platea et districtus platee Cassalis sit et esse intelligatur prout infra uidelicet a muro merlato qui est super dictam plateam usque ad domum illorum de curia et usque ad sedimen in quo solebat esse pallatium comunis et a domo Iohannis de Castello et Iacobi Gobbi usque ad domum appoteche Guillielmi Codecha et alliarum appotecharum existentium a dicto latere et usque ad pillam domus heredum quondam Iohannis Buscarini ita quod omnes porticus existentes circumquaque dictam plateam infra dictas coherentias intelligantur esse de dicta platea.

De stratis cercharum inglarandis.

Item statutum et ordinatum est quod omnes de cantono uacharum habentes bestias de iugo uel de basto teneantur et debeant per totum mensem madii proxime futuri inglarare bene et sufficienter stratam magistram qua itur a porta uacharum usque ad confurchum qui est apud campum Pagani Bazani. et illi de cantono lacus habentes bestias ut supra teneantur et debeant inglarare alliam stratam magistram a dicta porta lacus usque ad pontem fossati cerche et stratam in parea ortum fratrum de Paciliano sicut tenet totus ortus predictus usque ad pizium campi Pagani Bazani. et illi de cantono montaroni habentes bestias ut supra teneantur et debeant inglarare stratam a porta aquaroli usque ad remollinum et illi de cantono Bregani habentes bestias ut una cum illis de cercha porte noue teneantur et debeant inglarare stratam a porta noua usque ad portam imperialem et per rutam qua itur a porta Robertinorum incipiendo ad cantonum domus hospitallis usque ad domum Attini. et predicta omnia fiant et fieri debeant in laudem duorum bonorum hominum pro quolibet cantono qui elligentur per consulles qui laudatores habeant de ere comunis pro quolibet ipsorum et pro quolibet die quo steterint ad predicta facienda soldos tres papienses. et omnes ducentes dictam glaram habeant et habere debeant de auere dicti comunis de quolibet carro soldum unum papiensem. exceptis illis de Bregano qui habere debeant pro quolibet carro soldum unum et denarios sex papienses si iuerint ipsam captum ad Padum sicut allii et de quolibet asino seu asina denarium unum papiensem et de qualibet bestia equina denarios II. pa-

pienses dummodo ducant onera sufficientia in lau- a dem predictorum et ad caregandum predictas bestias ire et esse debeant pro quolibet cantono quolibet die medietas decenarum dicti cantoni. et si quis contra predicta uel aliquod predictorum fecerit uel facere recusauerit amittat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos x. papienses pro quolibet pario bestiarum de iugo et pro qualibet bestia equina et asinina soldos v. papienses et pro quolibet homine dictarum decenarum soldos II. papienses. et ad predicta facienda et ordinanda semper interesse debeant capitanei populi et unus ex notariis comunis una cum dictis laudatoribus sub uinculo iuramenti. habendo dictus notarius pro quolibet die soldos III. papienses qui notarius debeat scribere per ordinem omnes predictos ducen- b tes dictam glaram et quodlibet carrum per se et quamlibet bestiam per se. que omnia et singula uicarius Cassallis et proconsules consulles et antiani dicti comunis teneantur et debeant uinculo iuramenti executioni mandari infra tempus superius declaratum. de quibus penis et bannis potestas habeat tertiam partem et comune duas. et predicta fieri debeant non obstante aliquo capitulo loquente in contrarium. quod capitulum pendeat ad uoluntatem conscilii.

De uia que est iuxta domum Antonii Bazani inglaranda.

Item statutum et ordinatum est quod per duo- c decim massarios Bregniani et uacharum de proximioribus infrascripte uie inglaretur et aptetur uia et fouea que est in uia publica in parte domini Antonii Bazani et domus habitationis presbiteri Iohannis Tismaschi uidelicet a cuniculo nouo usque in parea domini Cazeti Batalie et hoc in laude Petri Symeoni et Guillelmi de Maria. et dicti Guillelmus et Petrus teneantur dictos massarios magis propinquos dicte uie dare in scriptis uicario Cassalis et predicta fiant per totum mensem madii. et si predicti massarii predicta facere recusauerint amittant pro quolibet ipsorum soldos xx. papienses postquam eis fuerit preceptum.

De fossato fonzeti remondando.

Item statutum et ordinatum est quod omnes habentes facere iuxta fossatum nuper factum in pratis fonzeti per transuersum ultra rualdum et etiam citra per comune Cassalis teneantur et debeant quilibet in parea sui dictum fossatum remondatum tenere quod aque possint per ipsum decurrere sine aliquo impedimento. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno soldos decem pro quolibet et qualibet uice cuius pene et banni tertia pars sit uicarii et due comunis.

De statutis comunis ponendis in duobus uoluminibus.

Item statutum et ordinatum est quod potestas Cassallis et proconsules comunis teneantur et debeant uinculo iuramenti scribi et poni facere omnia suprascripta statuta et infrascripta in duobus libris et uoluminibus unus quorum librorum sit de cartis qui stet semper ad domum comunis alius sit de papiro qui semper stet penes guardianum Fratrum Minorum ad quem possit semper reuerti quando aliquod dubium seu obscuritas appareret uel oriretur in dictis statutis que essent in carta. et hoc teneantur et debeant adimplere per totum mensem iunii expensis comunis.

Liber quintus de extra ordinem.

De clauario comunis quod religiosa persona sit.

Item statutum et ordinatum est quod ille qui fuerit clauarius comunis sit religiosa persona et quod potestas secunda die uel tertia postquam iurauerit suum regimen teneatur uinculo iuramenti cum uoluerit in conscilio elligi facere illam personam religiosam que sit clauarius comunis per totum tempus sui regiminis modis omnibus quibus melius poterit ita et taliter quod aliqua persona secularis non possit esse clauarius dicti comunis.

Item statutum et ordinatum est quod potestas Cassalis teneatur et debeat remondari facere cuniculum uacharum a domo Henrici de Codecha usque in fossatum burgi per uicinos dicti cuniculi et per quemlibet in parea sui infra mensem unum a principio sui regiminis. super quibus faciendis dictus potestas imponere possit penam et bannum ad uoluntatem suam habendo terciam partem et hoc in arbitrio Marchionis Grassi et Guillermi Codecha.

De banchis fiendis apud ecclesiam sancte Marie et apud murum nouum.

Item statutum est quod potestas seu rector Cassalis teneatur et debeat facere fieri bancha ad se- d dendum apud murum ecclesie sancte Marie et apud murum nouum qui est apud plateam sicut uidebitur fore fienda pro meliori clauario comunis Cassalis et hoc teneatur dictus potestas uel uicarius a principio sui regiminis fecisse infra unum mensem precisse.

De pannis non uendendis in diebus festiuis et celebrandis.

Item statutum est quod aliqua persona uendens pannum in diebus dominicis uel in diebus festiuis Appostolorum uel in aliis festis preceptis ab ecclesia soluat pro pena et banno soldos quinque papienses pro quolibet et qualibet uice nisi in nun-

dinis et mercatis in quibus nundinis et mercatis a possint uendere sine pena et eadem pena sit omnibus aliis retaliatoribus et mercatoribus uendentibus ad retalium in dictis festiuitatibus.

De nundinis ad festum beati Euasii et Laurentii fiendis.

Item statutum et ordinatum est quod nundine fiant et fieri debeant ad festum beati Euaxii et beati Laurencii et teneatur rector significare per litteras comunis Cassalis suis circumstantibus uicinis quod possint uenire cum mercantiis ad dictas nundinas per dies octo ante dictum festum et postea eodem modo recedere aliquibus laudibus contracambiis et reprehensaliis non obstantibus. saluo b quod latrones et banniti comunis Cassalis non audeant nec presumant uenire ad ipsas nundinas. et quilibet qui habeat bestias bouinas asininas et caualinas teneatur et debeat ipsas ducere in dictis nundinis sub pena et banno soldorum duorum papiensium pro qualibet bestia in dicto festo sancti Laurentii. et quod omnes et singuli mercatores pannorum pellitiarum caligarum et marzarum et aliarum butearum teneantur et debeant ponere et tenere eorum robam extra appotechas et domos eorum per tres dies uidelicet per unum ante dictum festum per festum et per alium post ipsum festum sub pena soldorum quinque pro quolibet die precisse. et quod dominus uicarius teneatur ipsas nundinas notificare circumstantibus uicinis sicut pla- c cuerit consulibus et antianis.

De riuo merdario remondando a qualibet persona in parea sui.

Item statutum et ordinatum est quod quilibet qui habet facere super riuum merdarium a uillario Paciliani usque in Ozia teneatur et debeat quilibet ipsum riuum in parea sui campi prati zerbi seu nemoris remondare seu remondari facere. et hoc fieri debeat infra duos menses post introitum regiminis dicti domini uicarii. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos x. papienses et nichillominus soluta pena teneatur ipsum facere remondare sub eadem d pena de qua pena uicarius habeat tertiam partem et comune alias duas partes.

De mensuris uini de stagno fiendis infra terminum sibi datum.

Item statutum et ordinatum est quod predictus rector teneatur et debeat infra unum mensem post introitum sui regiminis facere fieri omnes mensuras cum quibus mensuratur uinum ad minutum de stagno ad mensuram astensem uidelicet mediam pintam tertium quartum quintum sextum octauum decimum duodecimum secundum quas mensuras debeant extimari omnes mensure tabernariorum et omnium uendentium uinum ad minutum in Cassalli et predicte mensure stare et teneri debeant semper penes Fratres Humiliatores et in domo ipsorum.

De possessionibus consignandis.

Item statutum et ordinatum est quod omnes persone de Cassalli habentes possessiones in iurisdictione Cassallis non regestatas possint ipsas possessiones regestare de nouo sicut sunt alie.

De uiis seu ruttis uicinalibus per uicinos inglarandis

Item statutum et ordinatum est quod si fuerit aliqua rutta uel uia uicinalis in burgo Cassalis propter quam aliquis uicinorum noluerit quod inglaretur uel soletur uel fiat cuniculum propter aquas discurrendas et si maior pars uicinorum rutte uel uie fuerit in concordia aptandi cum aliquo dictorum modorum ut dictum est rector comunis Cassallis teneatur et debeat compellere quemlibet dictorum rutte uicinorum ad soluendum si maior pars consenserit ad aptandum sub pena et banno soldorum quinque papiensium pro quolibet qui soluere nollet predicta de causa et soldos quinque pro quolibet die quo steterint quod non soluerint.

De recusantibus soluere dampnum occaxione declinationis iudicis comunis Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona fuerit accusata de aliquo dampno facto et dato in rebus alicuius persone de Cassalli si illa persona accusata recusauerit forum iudicis secularis de Cassalli pro predicta recusatione soluere debeat bannum in accusatione contentum et nullus de Cassalli possit accusari de aliquo dampno dato uel facto in rebus predicte persone recusantis iudicium fori secularis de Cassalli. et si accusata fuerit de dampno facto in rebus recusatis accusatio non ualeat ipso iure et ipso facto precisse.

De litigantibus contra comune Cassalis ut condempnentur in expensis litis.

Item statutum et ordinatum est quod si aliqua persona litigauerit uel litigabit contra comune Cassalis seu habebit aliquam questionem uel causam contra dictum comune siue in dicta causa procedatur iudiciario ordine uel legiptimo siue non quod illa talis persona que litigauerit et questionem mouerit et in predicta causa subcumbet debeat condempnari in expensis factis pro parte comunis per cognitores dicte questionis et quod a condempnatione dictarum expensarum non appelletur nec petatur sapiens nec dicatur sententiam esse nullam.

Quod nullum laborerium extra poderium uel iurisdictionem Cassalis alicui persone fieri non possit per comune Cassalis.

Item statutum et ordinatum est quod per comune Cassalis non possit nec debeat aliquod laborerium fieri extra poderium et iurisdictionem Cassalis alicui persone et quod consulles et antiani dicti comunis et uicarius teneantur uinculo iuramenti obuiare ne ad conscilium dicti comunis predicta ponantur et si consentirent ipsi uicarius consules et antiani quod predicta ponerentur ad conscilium amittat quilibet ipsorum consulum et antiauorum libras decem papienses et dictus uicarius libras xxv. papienses que diminuantur de sallario suo. quam penam quilibet de Cassalli possit petere a quocumque contrafaciente et ipsam exigere ac si eisdem mutuo dedisset a quibus penis appellari non possit nec sapiens peti nec dici quod dicta condempnatio foret nulla.

De toto eo quod pertinet comuni tento per illos qui habent facere cum correorio muri burgi quod emere teneantur ad rationem librarum xxx. pro tabula.

Item statutum est quod omnes et singuli habentes facere super correorium muri burgi emant totum id quod tenent quilibet in parea sui uidelicet ad rationem librarum xxx. pro tabula et tantum plus et minus quantum uidebitur pro consulibus dicti comunis. saluo quod ibi ubi non est ita latum uel amplum ut iri et rediri possit quod non uendatur silicet illis qui habent agere secus dictum correorium. et si emere recusauerint illi tenentes illud quod comunis est teneantur et debeant annuatim soluere comuni Cassalis pro ficto et nomine ficti pro quolibet pede terre et sediminis quod tenent et reppertum fuerit tenuisse ad rationem soldorum xx. papiensium.

De leuata seu senterio fiendo per quamlibet personam in parea suarum domorum.

Item statutum et ordinatum est quod omnes et singuli de Cassali et habentes domos seu sedimina intus burgum Cassallis super stratis publicis dicti comunis teneantur et debeant quilibet in parea sui ab utraque parte dictarum stratarum facere leuatam et senterium siue de glara siue de lapidibus siue mattonis latam et latum per duos pedes ad minus et hoc per totum mensem madii proximum. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno soldos tres papienses pro quolibet ipsorum et qualibet uice. et quod aliqua persona non possit nec debeat ire nec ducere super dictis leuata et senterio boues cum carro uel barotia sub pena et banno soldorum duorum pro qualibet uice cuius pene et banni tertia pars sit potestatis tertia accusatoris et tertia comunis et quilibet possit accu-

a sare contrafacientes habendo tertiam partem dicti banni et accusatori credatur cum sacramento. et quod potestas teneatur facere preconizari infra quinque dies post introytum sui regiminis et etiam predicta inquirere seu inquiri facere omni mense semel.

Quod soluatur per clauarium comunis expensis comunis starius I. uini quando illi de Burgare et Parronasca ueniunt ad Cassalem.

Item statutum et ordinatum est quod expensis comunis soluatur per clauarium dicti comunis starius unus boni uini et puri quotienscumque illi de Burgare et Peronascha uenerint ad Cassallem in
b reuerantiam beati Euasii martiris et confessoris comunis Cassallis prout uenire consueuerunt. quod uinum ponatur ubi placuerit illis de Burgare et Peronascha. et quod habentes transitum Padi teneantur ipsos transire sine aliqua solutione et si aliquid soluere debent soluant expensis comunis.

Quod quilibet possit remondare plateam comunis.

Item statutum et ordinatum est quod liceat cuilibet persone de Cassali remondare et netezare plateam comunis Cassallis circumquaque ducendo et duci faciendo portando et portari faciendo totam illam palleam et fimum quod colectum fuerit et massatum in dicta platea impune. Et si aliquis non
c remondaueritquod callegarii Cassalis teneantur ipsam remondare et limum exportare semel in anno octo dierum ante festum sancti Euasii sub pena soldorum decem papiensium pro quolibet ipsorum callegariorum.

Quod quilibet qui sit notarius comunis non possit cassare aliquod bannum seu condempnationem per lineam.

Item statutum et ordinatum est quod aliquis qui fuerit notarius comunis non possit nec debeat cassare aliquod bannum seu condempnationem per lineam nisi presente uno ex proconsulibus comunis scribendo nomen dicti notarii et causam. Et si ali-
d ter aliqua cassatio facta fuerit ipsa cassatio non ualleat nec teneat ullo modo sed excutiatur dictum bannum et condempnatio non obstante dicta cassatura predicta.

De lignis non uendendis forasteriis.

Item statutum est quod aliqua persona de Cassalli uel que habitet in Cassalli non audeat nec presumat sub aliquo ingenio uendere nec uendi facere aliqua ligna alicui foresterio nec dare et si quis contrafecerit soluat pro quolibet carro soldos xx. papienses. Et forensis qui duceret amittat boues siue bestias cum quibus ducerentur de quibus omnibus et singulis penis et bannis contentis in

infrascriptis capitulis uicarius habeat tertiam partem accusator tertiam ubi in ipsis continetur et comune tertiam in quibus uero non continetur accusator comune habeat duas partes. a

Quod aliquis rector Cassalis non possit uti aliquo statuto ubi sit scriptum siue in margine siue in linea illud uerbum pendeat ad uoluntatem conscilii.

Item statutum est quod aliquis rector Cassallis non possit uti aliquo statuto sito in aliquo uolumine statutorum comunis Cassalis super quo siue in ymargine siue in linea aliquorum positum fuerit scriptum in dicto uolumine statutorum illud uerbum et uerba « pendeant ad uoluntatem conscilii » b donec declaratum fuerit per dictum conscilium et in dicto conscilio quid teneatur facere dictus rector de dicto statuto ubi positum fuerit illud pendet precisse.

Quod nullus loquatur in mercatis uel in rebus uendendis nisi ad paruam monetam.

Item statutum et ordinatum est quod nulla persona de Cassalli uel habitans in Cassali nec aliunde audeat nec presumat in loco Cassallis siue emat siue uendat uel alio modo contrahat uel quasi contrahat emere uel uendere loqui uel apretiare aliquam operam siue rem corporalem uel incorporalem ad monetam grossam siue bone monete uel c aliam siue loquatur in denariis soldis siue libris nisi ad monetam solitam et usitatam uidelicet ad rationem librarum quatuor et soldorum XVI. pro quolibet floreno et hoc sub pena et banno pro quolibet contrafacienti et loquente ad monetam grossam uel ad alliam uetitam ut supra denariorum sex papiensium pro quolibet solido papiensi et pro quolibet denario usque ad quantitatem unius soldi sit pena denarii unius papiensis. Et nichillominus quilibet contractus initus et factus ad aliam monetam quam ad predictam papiensem sit nullus et nullius ualoris et factus intelligatur ad dictam paruam monetam et quilibet possit de predictis accusare habendo tertiam partem banni et comune duas.

Quod euntes in confinibus causa comunitatis Cassalis habeant florenos quatuor quolibet mense pro quolibet a comuni pro eorum expensis.

Item statutum et ordinatum est quod si contingerit aliquo tempore aliquos de Cassalli poni uel mandari in confinibus de mandato magnifici domini domini nostri domini Marchionis quod illis talibus confinatis dentur de auere comunis Cassalis pro eorum expensis floreni quatuor auri pro quolibet mense et quolibet ipsorum. Et si minori tempore unius mensis steterint in dictis confinibus satisfiat eis pro rata temporis ad dictum computum IIII. florenorum in mense.

De fece uendenda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod dacitum fecis uendatur et uendi debeat per comune Cassalis usque ad decem annos futuros incipiendo die decimo nono mensis presentis februarii anno Domini currente MCCCLXXII. soluendo de anno in annum in fine cuiuslibet anni pro rata et plus offerenti detur sub pactis et conuentionibus infrascriptis uidelicet quod nulla persona audeat uel presumat coligere uel coligi facere aliquam fecem seu greppum in Cassalli nec in districtu Cassallis nisi ille uel illi cui uel quibus uenditum fuerit dictum dacitum uel habentes causam ab eo absque licentia ipsius daciterii sub pena et banno pro quolibet contrafaciente et pro qualibet uice librarum decem papiensium. eandem penam incurrat quelibet persona que teneret aliquos sachos pro amassando dictam fecem et que fecem aliquam comburreret uel comburri faceret.

Quod nullus possit donare nec aliter alienare fecem alicui persone nisi daciterio.

Item statutum et ordinatum est quod aliqua persona non audeat nec presumat uendere nec uendi facere nec donare seu aliter alienare aliquam fecem uel greppum alii persone nisi daciterio predicto uel habenti causam ab eo nec extrahere nec extrahi facere de Cassalli uel districtu sub penis predictis. Et quilibet possit accusare et ei credatur cum sacramento habendo accusator tertiam partem daciterius alliam tertiam et comune aliam tertiam. Et si daciterius accusauerit habeat duas partes et comune tertium a quibus penis condempnationibus et bannis non possit appellari nec sapiens peti. Et conexum est hoc statutum cum statuto proxime suprascripto et approbata fuerunt ista duo statuta in conscilio generali dicti comunis de anno Domini M CCCLXXII. XVII. mensis februarii.

De fossato ab ozia usque in comunia remondando.

Item statutum et ordinatum est quod rector comunis Cassallis teneatur et debeat facere remondari fossatum alias factum a nemore ozie eundo d usque in comunia illorum de curtis et a dicta comunia usque in Padum et inter comunia et campos per decenas comunis et ipso remondato teneatur et debeat predictus rector fieri facere a nemore ozie usque in Pado et super ripam ipsius fossati unam bonam cexiam altam pedibus tribus de bonis spinis siue bozellis et bene spinatam et que debeat fieri expensis comunis dato prius ad incantum per proconsulles infra decem dies post introytum sui regiminis et teneatur compleri facere hoc usque ad kallendas madii proxime uenientis et pro faciendo ipsam cexiam possint capere bozellas et spinas ubique et de hoc teneatur precisse potestas in laudem proconsulum comunis qui sunt et pro temporibus fuerint. Et quod potestas uinculo iuramenti

teneatur et debeat facere plantari precisse dictam a
bozelatam de qua fit mentio in dicto statuto ubi continetur in dicto statuto quod dicta bozolata plantetur usque ad kallendas madii quod plantetur per totum mensem madii et relleuari facere teneatur ubi non est sufficiens per totum mensem madii incipiendo infra octo dies post introytum sui regiminis a Boscho ozie usque in comunia a Bichocha Gazolli usque in Scuria et a Fontana Pauexia usque in Canouam et hoc secundum modum et formam sibi datam per xxv. sapientes populi si uidebitur et ordinatum fuerit per dictos xxv. sapientes populi. Et quod predicti xxv. sapientes habeant plenam bayliam expensis dicti comunis facere fieri turrim et turres super poderio Cassalis pro custodia
facienda dicto comuni prout et sicut eis placuerit b
et ubi magis uidebitur utilius circa custodiam faciendam pro dicto comuni. Et predictus rector teneatur predicta attendere et obseruare sub uinculo iuramenti sub pena librarum centum papiensium de suo sallario in quibus sindicetur per procunsules comunis qui sunt et qui pro temporibus fuerint. et quod procunsules dicti comunis teneantur facere fieri expensis dicti comunis duas decenas in dicto fossato secundum quod eis uidebitur esse altum seu amplum et teneatur dictus uicarius omnia et singula facta et ordinata ac prouisa per predictos xxv. sapientes circa predicta attendere et obseruare et executioni mandare in omnibus et per omnia uinculo iuramenti et sub pena suprascripta
precisse et aliquo capitulo in contrarium non ob- c
stante. et possint dicti xxv. sapientes ad predicta omnia facienda expendere de ere comunis ad eorum liberam uoluntatem.

De remondatione et occupatione fossatorum scilicet fossati incipiendo ad oziam usque ad comunia aliorum.

Item statutum et ordinatum est quod uicarius Cassalis teneatur et debeat uinculo sacramenti per totum mensem augusti proxime uenientem remondari facere et aptari fossatum quod est in fine poderii Cassallis incipiendo a cantono ozie eundo usque in comuniam illorum de curia et in Padum. Item
fossatum quod est in fine dominorum de Cuniolio d
et de Torzello et comunis Cassalis et quod dicta fossata plantentur uel super ipsis plantetur bona cessia ab una parte dictorum fossatorum per miliare comunis predicti.

Quod per parrochianos ecclesie sancti Stephani reconscilietur termina dicte ecclesie.

Item statutum et ordinatum est quod per parrochianos ecclesie sancti Stephani reconscilietur et aptetur terminia dicte ecclesie que destruitur in laudem Martini Freoni Manuelli de Pullia Facini Cappelli et Petri de Grettono ita et taliter quod omnes et singuli parrochiani teneantur et debeant soluere quilibet pro rata secundum quod eis tassatum fuerit per predictos superstantes de expensis factis circa ratificationem terminie predicte sub pena et banno soldorum quinque papiensium pro quolibet ipsorum. Cuius pene et banni tercia pars sit domini uicarii tertia comunis et tertia dictorum superstantium.

Quod strata que tenditur a platea usque ad ecclesiam sancti Stephani debeat solari de bonis pioris.

Item statutum et ordinatum est quod strata que tendit a platea usque ad ecclesiam sancti Stephani inclusiue debeat sollari de bonis pioris grossis quilibet in parea sui ab utraque parte uie pro rata infra uiginti dies post introitum regiminis potestatis sub pena et banno cuilibet contrafacienti soldorum xx. papiensium et nichillominus teneantur ipsam sollare et adimplere et manutenere de qua pena potestas habeat tertiam partem et comune duas partes et dicta solatio fiat in laudem Francischi de Ponte filii quondam domini Uberti et Fatioti Cappelli et quilibet teneatur tenere ipsam remondatam in parea sui sub pena soldorum v. papiensium et uicarius teneatur facere attendi precisse sub uinculo iuramenti.

Quod nullus ex seruitoribus comunis possit stare prope discos uendentium pisces.

Item statutum et ordinatum est quod nullus qui sit seruitor comunis Cassalis possit nec debeat ire nec stare apud aliquos dischos ubi uenduntur pisces nec apud aliquam personam que uendere uoluerit pisces uel gambaros in platea Cassallis per unum trabuchum et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis soldos quinque pro qualibet uice et quod uicarius teneatur ipsos inquiri facere per familiares suos semper quando uenduntur pisces in platea uel alibi cuius pene et banni tertia pars sit uicarii tertia comunis et allia tertia accusatoris et quilibet possit accusare et ei credatur.

De strata solanda.

Item statutum et ordinatum est quod strata qua itur a porta incipiendo ad primam columpnam domus Philipponi de Lacaxina deuersus plateam usque ad portam lacus soletur et solari debeat per uicinos quilibet in parea sui habens facere super dictam stratam de bonis pioris grossis circa semissem unum et largis. Et quod uicarius futurus teneatur et debeat uinculo iuramenti facere fieri et adimpleri predicta per totum mensem madii proxime uenientis et si quis contrafecerit amittat pro pena et banno pro quolibet ipsorum soldos xx. papienses et a termino in antea soldos v. papienses pro quolibet die et nichilominus teneatur solare dictam stratam. Et si uicarius non faceret attendi

predicta sindicetur de suo sallario in libris xx. papiensibus cuius pene et banni tertia pars sit uicarii et due comunis et hoc fiat in laudem Filipponi de Serra et Antonii Rustici. Et quod procunsulles comunis qui tunc temporis fuerint teneantur et debeant dare duos almelatores expensis comunis qui debeant almelare dictam uiam quousque almelauerint ipsam et quod omnes et singuli habentes facere super dictam stratam ab utraque parte dicte strate teneantur et debeant dictam stratam manutenere bene solatam sicut in dicto statuto continetur et ipsam stratam bene remondatam tenere remondando ipsam omnibus sex mensibus semel quando placuerit procunsullibus sub pena et banno soldorum v. pro quolibet habente facere super dicta strata que non fuerit remondata in parea sui.

De bottinis plantandis.

Item statutum et ordinatum est quod omnes persone habentes uineas in possessione Cassalis et Paciliani teneantur et debeant plantare uel plantari facere pro quolibet stario uinee plantas duas de bottinis ad minus in mensem octubris proxime uenientis sub pena et banno pro quolibet qui non plantauerit ut supra soldorum v. papiensium. Cuius pene et banni tercia pars sit uicarii tertia comunis et tertia accusatoris. Et quod uicarius futurus teneatur et debeat facere preconizari per terram Cassallis et in locis consuetis de mense marzii et sequens uicarius de mense octubris. Et quod uicarius qui tunc temporis fuerit una cum proconsulibus teneatur et debeat inquiri facere contrafacientes siue non plantantes et quod aliqua persona de Cassali siue aliunde non audeat nec presumat accipere nec destruere alienos bottinos. Et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassalis soldum unum papiensem pro quolibet bottino. Cuius pene tertia pars sit uicarii et due partes comunis. Et quod uicarius teneatur facere preconizari predicta infra octo dies ante terminos supradictos. pendeat ad uoluntatem conscilii.

Quod strata qua itur a uinea Francischi de Bubulcho usque ad pontem uallis aptetur per comune Cassalis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod strata qua itur et incipit a uinea Francischi de Bubulcho usque ad pontem Vallis qui est prope uiam qua itur ad montem Saxe ab utraque parte uie accipiendo de terra uicinorum sine pretio ad uoluntatem ipsorum qui fuerint ellecti ad dictum opus faciendum aptetur per comune Cassalis et expensis dicti comunis usque ad medium mensem iunii proxime uenientis et ad laudem proconsullum et predictum opus potestas teneatur fieri facere uinculo iuramenti.

a *Quod aliquis tenens starium comunis et etiam habitans prope spatium ubi uenditur bladum non possit emere nec emi facere aliquam blauam seu legumina.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona que tenet seu que emerit starios comunis nec aliqua persona stans uel habitans prope sedimen et spatium ubi uendatur blaua et legumina in platea comunis nec aliquis pro eis non possit nec debeat emere nec emi facere aliquam blauam seu legumina causa ipsa reuendendi et uendi faciendi in dicto sedimine et circuitu alicui persone et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno soldos xx. papienses pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et accusatori credatur et habeat accusator tertiam partem et comune duas partes.

b

Quod habentes possessiones in Cerreto possint ponere custodes ibi ultra camparios ad custodiendum blauam ab anseribus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et singuli habentes facere in Cerreto possint et eis licitum sit ponere custodes ad custodiendum blauas existentes seu possessiones dicti loci Cerreti ab anseribus ultra camparios comunis et dictis custodibus salarium constituere secundum quod placuerit octo uicinis habentibus facere in dicta contrata soluendo sallarium dictis custodibus dicti habentes ibi
c facere prout eis tassatum fuerit per dictos uicinos in Cassali tantum sub pena et banno soldorum II papiensium pro quolibet et qualibet uice et nichillominus teneatur soluere dictum salarium quilibet pro rata. cuius pene tertia pars sit uicarii et due partes comunis. et quod proconsules comunis teneantur ponere dictos custodes per totum aliud poderium a medio mensis octubris usque ad medium mensem martii et eisdem constituere salarium ut supra.

Quod strata qua itur in Valisenda a campo heredum quondam domini Manfredi de Canibus usque ad uineam Iacobi Gobi aptetur.

d Item statuerunt et ordinauerunt quod strata qua itur in Vallisenda incipiendo ad campum filiorum quondam domini Manfredi de Canibus usque ad uineam Iacobi Gobi ab utraque parte uie aptetur per decenas comunis et hoc per totum mensem augusti in laudem Marchionis Grassi et Francisci Gobi et hoc teneatur uinculo iuramenti attendi facere.

Quod per decenas comunis aptetur lectum Gatulle.

Item statuerunt et ordinauerunt quod per comune Cassalis et per decenas dicti comunis lectum Gatule latum in dispositione consulum Paciliani fiat per totum mensem augusti et de hoc potestas teneatur uinculo iuramenti.

Quod tubatores et seruitores comunis debeant stare ad domum comunis horis debitis. a

Item statuerunt et ordinauerunt quod tubatores et seruitores comunis Cassallis debeant uenire et stare ad domum comunis Cassalis a mane usque ad tertiam et a nona usque ad uesperas et tantum plus quantum placuerit domino potestati et iudici et facere eorum offitium sicut eis preceptum fuerit per dictos potestatem et iudicem et per proconsulles sub pena soldi unius papiensis pro quolibet et qualibet uice qua non uenerint ad domum dicti domini uicarii. qui rector teneatur excutere sine condempnatione uel cassare de eorum sallario. qui tubatores et seruitores habeant de auere comunis omni mense soldos LX. papienses ultra uestes do- b mini uicarii et non plus.

Quod Pasquarium sancti Stephani inglaretur per comune.

Item statuerunt et ordinauerunt quod Pasquarium sancti Stephani inglarari debeat per comune Cassallis per totum mensem aprilis proximi et fieri debeat cuniculum unum per becharios inter bechariam et domum hospitalis sancti Stephani ad expensas dictorum bechariorum quod cuniculum ducat aquam in cuniculum comunis quod est pro dimidio becharia etc. et quod uicarius futurus tempore presenti debeat per totum mensem aprilis predicta fieri facere ut supra dictum est. c

Quod aque decurrere debeant tam per uineas quam per allia loca in toto districtu Cassalis et Paciliani more consueto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aque decurrant et decurrere debeant et ire in toto districtu uinearum Cassalis et Paciliani sicut per ea loca per que ire et decurrere consueuerunt ab antiquo. et si qua persona prohiberet seu deuiaret quod dicte aque non decurrerent et irent per dicta loca consueta soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice soldos LX. papienses postquam ei fuerit preceptum per dominum potestatem Cassalis et super predictis credatur duobus uel tribus d ex uicinis magis ueteribus habentibus facere in dicta contrata de qua esset questio cum sacramento. et quilibet possit accusare cuius pene tertia pars sit dicti domini potestatis tertia pars comunis et allia tertia accusatoris et non possit appelari nec sapiens peti nec dici sententia nulla.

Quod licitum sit unicuique cum bestiis et sine ire et redire per campos coherentes stratis publicis ex impedimento aquarum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingeret aliquo tempore quod propter magnas pluuias et multitudinem aquarum non posset iri et rediri comode per stratas poderii Cassallis consuetas quod tunc licitum sit unicuique cum bestiis et sine ire et redire per campos coherentes dictis stratis uidelicet uno anno ab uno latere et allio anno ab allio latere et dimittendo predicti quorum sunt dicti campi quilibet in parea sui trabuchos duos pro uia et non plus absque pena et banno. et si quis transiret dictas uias ultra dictos duos trabuchos in eundo uel redeundo cum bestiis uel sine soluat pro pena et banno penam contentam in statutis comunis loquentibus de dantibus et facientibus dampnum in campis alienis. et quod dicte uie incipere debeant ab ea parte que non fuerunt facte hoc anno.

Quod debitor liberetur a debito si creditor non petierit simul totum suum creditum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona habere debuerit ab aliquo aliquod debitum uel aliam rem et uoluerit petere illud quod sibi debebitur coram potestate uel iudice Cassalis teneatur et debeat petere totum dictum debitum simul et rem sibi debitam. et si minus petierit tunc debitor liberetur et liberatus sit ipso iure a residuo dicti debiti ita quod ab inde in antea super dicto residuo audiri non debeat ullo modo.

Quod statutum de inquisitione priuilegiorum cassetur ubi dicit quod potestas teneatur et debeat infra quindecim dies etc.

Item statutum et ordinatum est quod capitulum positum sub rubrica de inquisitione priuilegiorum siue instrumentorum etc. cassetur ubi dicit quod potestas teneatur et debeat infra quindecim dies post introytum regiminis inquirere et quod addatur quod consulles et antiani comunis teneantur priuilegia inquirere.

Quod nulla persona undecumque sit audeat nec presumat uendere fillum uel tellam subtus portichos in die mercati.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona de Cassalli siue aliunde non audeat nec presumat uendere fillum seu tellas subtus portichos qui tendunt a porta platee usque ad domum Fatiotti Cappelli sed teneantur in die mercati uendere in Pasquario sancti Stephani. et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno comuni Cassallis soldos duos papienses cuius pene tertia pars sit domini uicarii et due partes dicti comunis. eo saluo quod si plueret uel ningeret quod possit ibi uendere impune. et quod uicarius teneatur predicta omni edomada in die sabbati inquiri facere.

Quod nullus rector Cassalis possit habere aliquam a *partem de bannis et de condempnationibus comunis sed perueniant in comune.*

Item statuerunt uoluerunt et ordinauerunt quod omnia banna contenta in suprascriptis capitulis et in uolumine capitulorum perueniant in comuni in totum salua parte accusatoris et campariorum. et quod nullus rector qui nunc est uel pro tempore fuerit in Cassalli aliquam partem de dictis bannis siue condempnationibus factis in regimine suo uel precedenti habere possit. et quod predicti rectores uinculo iuramenti omnia banna ut supra dictum est excuttere uel excuti facere teneantur precisse non obstante aliquo capitulo in contrarium loquente.

Quod maritus succedat in dotem uxoris sue que peruenerit ex secundis nuptiis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua mulier de Cassalli que habuerit alium maritum uolens ad secunda uota transire et decesserit uiuente marito quod dictus maritus succedere debeat dicte uxori in dotem sic quod ipse maritus dictam dotem teneat et usufructum ipsius dotis toto tempore uite sue percipere debeat absque contradictione filiorum uel parentum ipsius.

FINIS.

Infrascriptas conuentiones de gratia speciali petunt et requirunt comune et homines Cassalis per infrascriptos sindicos et sindicario nomine comunis et hominum Cassalis uidelicet dominum Nicholinum Magniacaualum iurisperitum dominum Iacobum Bazanum Mannynum Grassum canonicum de Cassali. Guillielmum Galonum Guillielmum de Codecha Iohannem Barbarinum Thomam Ruyglonum et Bonum Iohannem Morenzanum a magnifico et excelso domino domino Galeaz uicecomitte domino Mediolani et Papie etc. cum quo magnifico et excelso domino domino Galeaz predicti sindici et sindicario nomine dicti comunis intendunt componere et se supponere dominio et iurisdictioni dicti domini Galeaz ipsis gratiis et conuentionibus factis si iuste uidebuntur prefato magnifico domino domino Galeaz.

Primo quod comune Cassalis sit et esse debeat exemptum ab omnibus et quibuscumque oneribus realibus et personalibus ac censu aliquo persoluendo prefato domino Galeaz propter grauitates et aduersitates quas dictum comune et homines substinuerunt a domino Marchione ac tenuitatem et paupertatem in qua dictum comune et homines Cassalis sunt prout prefato excelso domino Galeaz satis est notum usque ad decem annos uel saltem usque ad tantum tempus quod equum et iustum uidebitur (*soluendo*) prefato et excelso domino domino Galeaz per duos terminos florenos mille uidelicet florenos quinque centum ad festum sancti Martini et alios florenos quinque centum ad Pasca ultra quem censum dictus dominus Galeaz et heredes sui ab ipso comuni et hominibus nichil petere possit.

Responsio domini
facta super capitulo primo suprascripto.

Super primo capitulo placet nobis et uolumus comune et homines Cassallis gratiose facere exemptos liberos et immunes ab omnibus quibuscumque hinc ad unum annum proxime uenturum sicut fecimus illos de Vallentia fidelles et deuotos subditos nostros dilectos. disponentes ulterius dicto anno transacto predictos comune et homines de Cassalli taliter tractare quod de nobis poterunt merito contentari.

Responsio domini
facta super capitulo infrascripto.

Item quod de dampnis aliquibus factis per dominum Marchionem uel eius offitialles aliquibus de Cassalli in domibus sediminibus uel aliquibus aliis rebus comune et homines Cassallis non possint mollestari inquietari ab ipsis uel aliquo ipsorum quibus dampnum datum uel factum esset nec prefatus excelsus dominus Galeaz permittat ipsos comune et homines Cassalis inquietari et mollestari saluo quod si aliquis de Cassali teneret aliqua bona mobilia et inmobilia aliquorum quibus dampnum datum uel factum esset que bona apparerent quod illa bona teneantur restituere illi uel illis quibus dampnum datum uel factum esset. . . . .
. . . .

STATVTA

CIVITATIS EPOREDIAE

PETRVS DATTA

LECTORI BENEVOLO

In Penninarum alpium prope aditu ad laevam Duriae Balteae ripam Eporedia est, urbs perantiqua. Eam a Romanis conditam ab equorum domatoribus appellatam ait Plinius: Tacitus vero inter firmissima Transpadanae regionis Municipia recenset.

Deleto Romano imperio, regibus Longobardis suos habuit Eporedia Duces: sed progressu temporis et situs opportunitate et munitorum ad prohibendos hostes locorum inopia et incolarum frequentia ac virtute in eam prae caeteris auctoritatem venerat, ut tutissimum omnino Italiae propugnaculum haberetur. Tunc regio tota ut Marca dicta fuit, ita rectores Marchiones nuncupati: quibus, cum tutandorum finium demandata iis cura esset, ingruentibus hostibus, Comites cum armatis in praeliis praesto esse debebant. At Eporediensium Marchionum opes tum maxime sunt imminutae, quum Ardoinus Italico regno privatus in religiosum secessum se abdidit. Tunc enimvero divulsae uberiores Eporediensis regionis partes, ac in Vercellensis Pontificis ditionem imperatoris voluntate redactae: quod non odio solum in regem ipsiusque gentem factum, sed quo caeteri reguli ab affectando regno Italico facilius tali documento deterrerentur.

Licet autem per ea tempora totius Marcae nomen ac vires omnino intercidissent, civitas tamen ipsa iusti adeo Municipii iura retinuit, ut propriis usa legibus, pontifice, suisque consulibus regeretur, addita etiam cudendorum nummorum potestate. Quum enim extet nummus antica parte aquilam imperatoriam exhibens cum titulo *Fredericus*: postica vero crucem adiuncto verbo *Iporegia*: proclive id quidem erit intelligere, huic civitati et nummos cudere et imperialium privilegiis frui per imperatores licuisse: quare id quidem sentimus, eas hoc tempore conditas fuisse leges,

quas ab ipsius consulibus sequenti aetate in unum collectas, hodie nobis in lucem edere datum est. Nemini porro dubium esse poterit, quin ex Italicis ad occidentem positis civitatibus sit inter eas Eporedia, quae leges municipales cum antiquiores, tum omnibus numeris absolutas proferre possit.

Sed ob humanarum rerum varietatem et inconstantiam Municipii auctoritas sensim deminuta est. Eius enim pontifices cuncta ad se trahere nitebantur, quum cives intestinis dissensionibus atque discordiis fracti iam proprio marte iura sua tueri non possent. Hinc ineunte saeculo XIII vicos, qui municipio obtemperarent a pontificibus in feudum concessos, ad eorumque nutum omnia pendere videmus. At Montisferrati Marchiones, qui uberiora Eporediensis regionis obtinuissent, illorum potentiam labefactare aggressi, omnia in potestatem suam redigere conabantur. Quum tandem saeculo XV Eporedienses, ut a civilibus dissidiis requiescerent atque in fida pace manerent, Sabaudorum ducum imperio se ultro subiecerunt, qui benigne exceptos ad haec usque tempora feliciter adeo tutati sunt.

STATVTA

STATVTA

CIVITATIS EPOREDIAE

Pacta inita inter Amedeum et Philippum de Sabaudia et ciuitatem Yporegie.

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt pacta et conuentiones facta et celebrata inter illustres uiros dominos Amedeum comitem Sabaudie et Philippum de Sabaudia principem Achaye per se et eorum heredes ex una parte et comune et homines ciuitatis Yporegie ex altera MCCCXIII die iouis XV nouembris (1).

In primis quod dicti domini et eorum heredes uel alterius ipsorum masculi ex ipsis legitime descendentes amodo in antea perpetuo habeant dominium et segnoriam merum et mixtum imperium iurisdictionem omnimodam ciuitatis Yporegie districtus et pertinenciarum eius et exercicium predictorum et super dicta ciuitate districtu et pertinenciis et in personis et super personas quascumque dicte ciuitatis iurisdictionis districtus et pertinenciarum que nunc sunt et fuerint in futurum per se uel nuncios eorumdem.

Item quod predictum comune Yporegie et uniuersitas siue eorum sindici eorum nomine et omnes credenciarii nomine ipsorum comunis et uniuersitatis et singulares persone ipsius ciuitatis iurent et *a* iurare debeant ad sancta Dei euangelia tacto libro fidelitatem predictis dominis recipientibus pro se et heredibus suis predictis et quod amodo in antea erunt fideles ipsis dominis et eorum heredibus ut supra et quod attendent et obseruabunt omnia illa et singula capitula que in forma fidelitatis noua et ueteri continentur.

Item quod predicti domini uel aliquis ipsorum officialis uel nuncius non possit imponere excutere capere uel exigere a comuni Yporegie uel aliquibus singularibus personis ipsius ciuitatis uel districtus aliquod fodrum taliam collectam et impositionem quocumque nomine censeatur preter supra et infra sibi concessa nisi de eorum quos negotium tange- *b* ret procederet uoluntate nec aliquid aliud et ita tamen quod non obstante fidelitate predicta iam dicti ciues et districtuales possint de possessionibus suis uendere alienare et contrahere sicut ante faciebant saluo et reseruato predictis dominis et eorum heredibus ut supra mero et mixto imperio et iurisdictione predictis.

Item quod predicti domini et eorum heredes ut supra habeant et percipiant per se uel per alium seu alios omnia et singula banna et condempnationes sportulas et iudicaturas que haberi percipi et exigi poterunt et debebunt ratione meri et mixti imperii et iurisdictionis predictorum uel alia de causa occaxione iurisdictionis omnimode meri et *c* mixti imperii in ciuitate districtu et pertinenciis predictis rebus et personis quibuscumque et gabel-

(1) Primus haec pacta edidit clar. vir Aloysius Cibrario. *Della forma della monarchia di Savoia. Memorie della Real Accademia delle scienze di Torino, vol. 36.*

lam salis cum pedagio salis consueto que gabella- *a* tura est solidorum II imperialium pro quolibet stario et pedagium denariorum XVIII pro quolibet stario et pedagium grani et aliarum rerum quod consueuit percipi ad portam de fontana et pedagium porte de bando (1) consuetum pedagium molarum consuetum et pedagium equorum nuper impositum per bone memorie dominum quondam Henricum septimum Romanorum imperatorem et predicta exerceant et exerceri faciant predicti domini et aministrari per quoscumque uoluerint prout ipsorum fuerit uoluntatis. eo acto quod in ciuitate Yporegie uel districtu non possit apportari sal nisi ad gabellam ipsorum dominorum nec etiam alibi per ciuitatem uel districtum Yporegie et qui contrafecerit ipsam salem et bestias deferrentes perdat et ultra hoc pro ban- *b* no solidos LX imperiales qualibet uice et pro quolibet stario et plus uel minus pro rata predictis ad minus soluere compellatur.

Item quod nulla persona possit emere uel uendere salem ad grossum nisi in dicta gabella et exercitari uel ab exercitore gabelle dando et soluendo gabellatori siue exercitori dicte gabelle pro quolibet stario solidos II pro gabellatura et denarios XVIII imperialium pro pedagio cuiuslibet starii pro quo debet et consuetum est solui pedagium et plus uel minus pro rata maioris uel minoris censure et pro predictis gabellatura et pedagio teneatur ipse exercitor quod in gabella salem habuerit uolentibus emere uendere et tradere dummodo ementes secum *c* de precio sint concordes. hoc acto quod quicumque contrafecerit nomine pene soluat pro qualibet uice et quolibet stario solidos LX imperiales et mercandiam perdat una cum bestiis eam deferentibus. que pena mercandia et bestie predictis dominis applicentur et saluo quod non obstantibus predictis quilibet ciuis Yporegie fouens larem in ipsa ciuitate et subdictus habitans in districtu Yporegie possit et sibi liceat emere adducere seu adduci facere ad domum suam pro suo proprio usu et domus atque familie sue salem sibi necessarium ad utendum et non mercandandum uel aliter alienandum sine aliqua gabellatura uel pedagio inde soluendis et quicumque in hiis fraudem commiserit mercandiam et bestias deferentes perdat et bannum *d* solidorum LX imperialium soluat pro qualibet uice et quolibet stario et plus et minus secundum mensure quantitatem que quidem predictis dominis applicentur.

Item quod ciues habitantes in ciuitate Yporegie et suburbiis Yporegie non obstantibus predictis possint et eis liceat in Yporegia et suburbiis uendere salem ad minutum dummodo ipsum salem emant et accipiant in gabella et a gabellatore predictis soluendo gabellaturam per dictum salem solidorum II imperialium pro quolibet stario salis ut superius est expressum et dummodo quod ad minutum uendatur extra ciuitatem et suburbia non portetur.

(1) Nunc Vercellarum porta appellatur.

Item quod non obstantibus omnibus supradictis uel aliquo predictorum ciues Yporegie uidelicet dominus Ebalus domini de Valexia et de Ponte sancti Martini possint ducere seu duci facere de ciuitate Yporegie et districtu sine pedagio aliquo soluendo secundum eorum pacta quolibet anno staria octingentos grani uidelicet dominus Ebalus staria CCCC et domini de Valexia et de Ponte sancti Martini CCCC ad mensuram Yporegie.

Item eo acto quod pro predictis uel aliquo predictorum non fiat preiudicium alicui ciui Yporegie in eius iurisdictione mero et mixto imperio et aliis honoranciis que et quas haberet extra dictam ciuitatem in districtu uel extra in aliquibus terris possessionibus seu hominibus sed in omni suo iure remaneant ipsi ciues specialiter in iurisdictione quam habet dominus Petrus de Solerio uicecomes in Bayo qui habet iurisdictionem merum et mixtum imperium in homines de Bayo de omnibus contractibus uel quasi et maleficiis uel quasi que fierent uel committerentur inter predictos homines de Bayo in ipso loco et poderio Bay de quibus dicti domini uel aliquis rector Yporegie non possit se intromittere sed ipsi domino Petro et suis heredibus remaneant pleno iure.

Item quod comune Yporegie possit et sibi liceat facere et condere singulis annis quandocumque eis uidebitur statuta et alias ordinationes et reformationes dummodo non sint contraria siue contrarie repugnantia uel repugnantes pactis presentibus supra uel infra scriptis nec fidelitati seu fidelitatis capitulis facte uel faciende eisdem dominis per dictum comune et singulares homines ciuitatis Yporegie et districtus et iidem domini et eorum uicarii officiales et rectores qui fuerint pro tempore in ipsa ciuitate teneantur ipsa eorum statuta ordinationes et reformationes tam factas quam faciendas inuiolabiliter obseruare et facere obseruari.

Item quod comune Yporegie per duos menses ante exitum regiminis uicarii precedentis possit eligere sibi uicarium quolibet anno secundum modum infrascriptum uidelicet quatuor de terra et subditis dictorum dominorum uel alterius ipsorum et obedientibus eis et ipsi domini unum ex dictis quatuor electis concorditer nominatis teneantur dare et confirmare dicto comuni quem uoluerint dicti domini. et si dicti ciues infra VIII dies introitus primi mensis dictorum duorum mensium non nominauerint concorditer dictos quatuor tunc predicti domini tamquam domini dent et ordinent eis uicarium quem uoluerint dummodo sit miles uel castellanus uel de genere militum uel bonus ciuis uel aliter persona nobilis et si dicti quatuor sic nominati ipsum regimen recipere recusarent tunc

comune Yporegie possit iterum alios nominare secundum formam predictam et teneantur dare predicti domini ipsi uicario pro suo salario unius anni libras vi imperiales ad minus pro quibus teneatur ipse uicarius tenere unum militem seu socium et duos bonos iudices citramontanos et familiam condecentem.

Item quod predicti domini teneantur facere expensas infrascriptas uidelicet salarium iudicum collegii uidelicet solidos ii imperiales pro quolibet iudice qui est de collegio quolibet anno in natiuitate Domini. seruitorum nunciorum et preconum et aliorum officialium curie regimini necessariorum et ultra hoc teneantur dare singulis annis predicto comuni libras cl imperiales pro expensis necessariis eidem comuni et elemoxinis faciendis eo acto quod si comune Yporegie mitteret aliquociens ambaxiatores uel nuncios ad mandatum seu requisitionem dominorum predictorum uel alterius eorum teneantur dicti domini soluere eis consuetum salarium pro expensis.

Item quod quilibet uicarius qui fuerit pro tempore et eius miles et iudices si cum eo uenerint in eorum aduentu antequam descendant de equis teneantur iurare ad sancta Dei euangelia eorum regimen facere et complere secundum formam pactorum supradictorum et infrascriptorum et secundum formam statutorum comunis Yporegie factorum et faciendorum et omnia ipsa statuta obseruare et obseruari facere suo posse et bona fide et non contrafacere uel uenire que statuta non sint contraria uel repugnantia predictis pactis uel fidelitati predictorum dominorum ut superius est expressum et in defectu statutorum secundum iura comunia et bonas consuetudines ciuitatis Yporegie predicte et si miles aut iudices non uenirent cum uicario quando uenerint iurare teneantur quociens super hoc fuerint requisiti non obstantibus predictis uel aliquo predictorum.

Item quod predicti domini ordinent et ponant in predicta ciuitate clauarium quem uoluerint et alios officiales necessarios dicto comuni pro facto suo et notarios iusticie et maleficiorum possit dictum comune more solito ordinare liceat tamen uicario qui pro tempore fuerit quod si aliquem notarium insufficientem ad maleficia esse cognouerit uel inuenerit alium ydoneum et sufficientem ponere illa uice usque ad nouam electionem sequentem qui clauarius recipiat prouentus et reditus ad dictos dominos expectantes in dicta ciuitate et districtu. et qui iuret soluere salaria superius memorata et predictas libras cl imperiales ut est dictum nec habeat clauarius uocem procuratoris sicut actenus consueuit.

Item quod predictum comune et homines Yporegie et suburbiorum uillarum et districtus eius te-
a neantur et debeant ire in exercitus et caualcatas predictorum dominorum seu alterius ipsorum quolibet anno per expacium xxiiii dierum numerando annum primum a die conuentionis presentis computato in predictis xxiiii diebus tempore eundi ad locum et redeundi de loco ubi exercitus uel caualcata per ipsos dominos uel ipsorum alterum fuerit assignatus. hoc acto quod pro quolibet die eundi et redeundi xv miliaria computentur. et hoc teneantur facere predicti homines et comune pro medietate comunis et ire in predictos exercitus et caualcatas ad peticionem dominorum uel rectorum eorum de expensis ipsius comunis et hominum uel alterius ipsorum per xl miliaria complecta a ciuitate Yporegie computanda et citra montes et ultra
b montes autem uidelicet montis iouis et colonne iouis et montem cinicum nec ultra xl miliaria ire in exercitu cogi uel compelli non possint. et intelligantur pro medietate comunis in predictos exercitus et caualcatam ire si medietas capitum domorum uel focorum uel qui familie presunt iuerit personaliter uel filium fratrem nepotem uel alium bonum clientem bene armatum miserit loco sui. et quod si per aliquos dies minus quam dicti xxiiii irent ad peticionem predictorum dominorum uel alterius ipsorum semel uel pluries in exercitus uel caualcatas ipsorum teneantur nichilominus ad supplementum usque ad perfectionem xxiiii dierum superius iam dictorum. hoc acto eciam quod si predictum comune et homines non fuerint requisiti
c per dictos dominos uel eorum alterum uel nuncium eorum ad predictos exercitus uel caualcatas accedere uel etiam requisiti predictorum dierum numerum non complerent non possint predictos dominos uel eorum nuncium compelli in sequentibus annis de eo quod de dictis xxiiii diebus in toto uel in parte anno preterito non seruissent. predictis autem xxiiii diebus teneantur predictum comune et homines pro medietate ut supra dictum est ipsorum propriis expensis ipsis dominis seruire et in eorum exercitus ire continue et interpolate prout ipsorum dominorum fuerit uoluntatis usque ad complementum dictorum xxiiii dierum.

Item quod dicti domini teneantur ciuitatem Y-
d poregie et districtus et omnes eius ciues habitantes et districtuabiles ipsius ciuitatis et omnia bona et iura ipsorum ubicumque sint gubernare saluare defendere et manutenere et pro eis facere pacem et guerram et eciam recuperare et recuperari facere suo posse et bona fide omnia iura dicte ciuitatis et singularum personarum.

Item quod predicti domini et eorum heredes ut supra habeant in perpetuum et iuste teneant et possideant atque custodiant castrum Bolengii cum pertinenciis et iuribus eiusdem castri eorum propriis expensis ita tamen quod castellanus qui pro tempore fuerit in dicto castro uel qui custodiam ipsius castri habuerit teneatur promittere et iurare quod

nichil ab hominibus uille Bolengi indebite extor- a quebit nec per suos fieri uel extorqueri permittet sed eos et eorum bona et ciuium Yporegie et aliorum que in dicto loco et districtu Yporegie habent possessiones et bona gubernabit et custodiat bona fide.

Item quod dieti domini non possint mittere ducere uel duci facere aliquos ciues uel habitatores Yporegie ad aliquem locum in obsides nec ipsi teneantur nec compellantur nec etiam eos confiniare nisi iusta causa et uera subesset uel iusticia suaderet.

Item quod dicti domini possint facere et fieri facere et edificare castra unum et plura et fortalicias in b ciuitate Yporegie et extra in districtu ubicumque uoluerint super terreno comunis Yporegie expensis dominorum sine precio aliquo dando pro solo et eciam super solo inedificato singularium personarum dummodo de precio ipsius soli conueniant cum domino dicti soli et aliter non.

Item quod predicti domini non possint in ciuitate Yporegie uel districtu aliquas possessiones uel res que sint in contentione inter aliquas personas dicte ciuitatis uel districtus aquirere emere uel per donationem aliquam uel alio quocumque modo recipere uel retinere nisi de uendencium commutancium donancium et alienancium fuerit uoluntate tunc teneantur ipse res sic alienate subire comunis c onera prout debent.

Item quod predicti domini teneantur et debeant suo posse et bona fide facere et curare quod omnes discordie que sunt et essent pro tempore inter homines ciuitatis Yporegie sedentur et quod inter ipsos fiat pax et concordia et quod ad predicta facienda possint ipsos compellere sub certis penis et bannis uel aliis remediis ad eorum liberam uoluntatem. et hoc cum consilio trium bonorum hominum pro qualibet parte eligendorum.

Item quod predicti domini et eorum uicarius res et possessiones et iura proprietatis possessionis et quecunque alia ubicumque sint dicti comunis et d singularium personarum bona fide et suo posse teneantur manutenere defendere et recuperare a quacumque persona siqua contra ius ammissa sunt uel ab aliis detinentur uel de cetero ammittentur uel inuadentur per quamcumque personam et super hiis exhibere iusticiam quam breuius poterit summarie et de plano et dicto comuni atque cuilibet singulari persone dicte ciuitatis dare fauorem ad ea recuperanda auxilium et iuuamen.

Item quod dicti domini et eorum uicarii in dicta ciuitate teneantur reddere ius in palacio comunis tantum et intelligatur ipsum palacium ubi dicti domini duxerint ordinandum.

Item actum est quod amodo in antea in perpetuum non fiat nec possit fieri in credencia Yporegie aliquod partitum ad fabas uel aliter asconsum seu priuatum pro aliquibus rebus uel negociis tangentibus ipsos dominos uel ipsorum aliquem seu negocia eorumdem.

Item quod omnia pacta et conuenciones predicte et infrascripte intelligantur esse facte saluo iure domini episcopi Yporegie in fidelitatibus si quas sibi debent singulares persone ciuitatis predicte pro aliquibus possessionibus seu rebus et iuribus quas ut singuli tenere reperirentur ab eodem ita tamen quod non obstantibus fidelitatibus domini episcopi semper primitus ad fidelitatem dictorum dominorum et eorum heredum teneantur.

Item quod predicti domini teneantur omnes bannitos futuros ciuitatis Yporegie pro maleficiis tenere similiter bannitos per totam eorum terram et ipsos capere seu capi facere ad peticionem omnium quorum intererit et de eis facere quod iustitia suadebit.

Item quod omnia et singula pacta infrascripta et suprascripta non possint diminui mutari uel aliter infringi directo uel indirecto aliquo ingenio uel aliquo quoquomodo in dampnum uel in preiudicium dictorum dominorum uel heredum suorum uel comunis Yporegie uel alterius ipsorum.

Item quod predicti domini comes et principes et dominus Edoardus dicti domini comitis primogenitus iurare debeant corporaliter ad sancta Dei euangelia omnia supra et infrascripta pacta et conuentiones attendere et obseruare attendi et obseruari facere suo posse et bona fide et non contra uenire aliquo modo uel ingenio. et idem iuramentum fiat et renouetur in mutatione cuiuslibet domini per quemlibet eorum successorem et similiter comune et homines Yporegie teneantur facere et renouare iuramentum fidelitatis in qualibet mutatione domini noui.

Que omnia et singula predicti domini comes et princeps et dominus Edoardus ex una parte pro se et eorum heredibus et iam dicti sindici et procuratores eorum nomine et uice et nomine tocius comunis Yporegie et singularium personarum dicte ciuitatis et eorum heredum iurauerunt ad sancta Dei euangelia corporaliter tacta attendere et obseruare omni tempore et contra non uenire et ea inuiolabiliter obseruare.

Statutorum prohemium.

In nomine Domini nostri Ihu Xpi Filii Patris et Spiritus sancti indiuidue Trinitatis et gloriose Genitricis Marie et inclitorum martirum Sauini Bessi et Teguli huius ciuitatis defensorum Yporegie ciuitatis statutorum incipit prohemium.

Licet unicuique locorum statuta condendi a iure sit attributa potestas huic tamen alme urbi Yporegie que ab *ypo* quod est *supra* et *regia* quod est *supra ciuitates regias* ex collecta nuncupatur tanto licencius hoc munus largitum est quanto diguius inter ytalicas ciuitates singularibus predotatur. huic enim a regalibus fundamentis prestatur nobilitas hanc diuturna siquidem autorizat antiquitas hanc insuper imperialis decorat maiestas cuius camera speciosa fore dinoscitur immensis priuilegiorum largitionibus premunire.

Huius igitur sacre ciuitatis decuriones haec iura municipalia felici progressu per diuersa temporum spatia componere decreuerunt quum ex uarietate temporum iura uarientur humana quibus quidem unusquisque in statu suo disceret honeste uiuere alterum non ledere et ius suum unicuique tribuere ut tenetur iisdem namque iuribus boni premiorum exortacionibus inuitantur ad melius peruersi quoque ad melioris uite frugem agrediendam penarum acerbitate mouentur.

Verum quum propter uarias et diuersas addiciones detractiones suppletiones limitationes et correctiones super ipsis statutis diuersis temporibus edictas subsequenter que non erant sub congruis titulis situate sed sparsim et diffuse in statutorum uolumine conscripte ipsa statuta adeo per saltum legebantur quod ipsorum lector in confusionis et erroris cadebat sepissime laberintum.

Ideo prefacte ciuitatis uniuersitas prudenter decreuit iurisperitis collegii ciuitatis eisdem committendo ordinationem eorumdem ut iuxta datam eis a Deo prudenciam ipsas addiciones detractiones limitationes et correctiones sub congruis et debitis titulis situarent quibus ipse comperiantur subscripte attendentes quod librorum partitio animum legentis incitat et mentem intelligentis preparat et memoriam artificis reformat presens sacrum opus ad lucidiorem intelligentiam in VI libros seu partes ante omnia diuiserunt prout indagator presentis operis cui super hoc cura relinquitur indagandi poterit uidere.

a *Statutorum comunis Yporegie incipit liber primus.*

De statutis faciendis et meliorandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod in kalendis augusti singulis annis fiat credencia in qua ponatur de statutis comunis faciendis et reformandis et in qua statutarii iuxta uoluntatem credencie eligantur ad breuia et similiter unus notarius et qui statutarii breue habuerint ipsum sibi retinere non possint sed ipsum dare teneantur alicui de suo tercerio speciali suo sacramento quem crediderint esse ydoneum ad predicta et breue dare teneatur potestate seu uicario presente quicumque ipsum
b habens antequam discedat de palacio. Predicti uero statutarii et notarius iurent corporaliter ad sancta Dei euangelia dicta statuta bona facere et reformare et omnia que fecerint tenere secreta donec fuerint publicata ipsaque perficere et compleuisse instrumenta infra XV dies a die electionis predicte. confectioni autem dictorum statutorum seu reformatorum potestas seu uicarius eius iudices uel miles interesse non possint pro autem statutis faciendis expendat comune singulis annis solidos C quorum XXX habeat iudex siue iudices et . . . . seruitor qui campanam pulsabit pro dictis statutariis congregandis solidos X notarius uero solidos LX qui notarius teneatur ipsa statuta siue addiciones factas in papiro scribere et postmodum in cartis edinis
c ipsaque rubricare de cinaplo et semper interesse horis ordinatis per statutarios sub pena et banno denariorum XII pro qualibet uice.

De statuto comunis qui esset contra honorem domini imperatoris.

Item ordinatum est quod si aliquando statutum reperiretur scriptum in libro statutorum comunis Yporegie quod esset contra honorem regie magestatis illud statutum sit cassum irritum et nullius ualoris et si contingeret aliquando uerti in dubium inter aliquas partes siue inter dominum uicarium siue potestatem et eius iudices et personas seu personam utrum aliquod esset scriptum seu factum uel
d reperiretur hoc in libro statutorum contra dictum honorem quod dictum dubium siue questio uertens super dicto dubio decerni et determinari et declarari debeat per iudicem.

De statutis legendis per potestatem et iudicem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas et iudices teneantur legere seu sibi legi facere infra primum mensem sui regiminis et audire et intelligere omnia statuta ciuitatis Yporegie super quibus iurauerunt ut melius sciant ipsa et possint obseruare que in eis continentur et post dictum mensem predicti iudices teneantur eadem statuta legere seu legi sibi facere ad minus semel de quatuor in

quatuor menses et hoc capitulum sit precissum ita *a*
quod de eo non possit peti licencia neque dari.

De sapientibus eligendis qui reducant statuta ad memoriam potestatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod singulis annis infra octo dies principii regiminis uicarii siue potestatis per procuratores eligantur tres boni et experti sapientes qui sint de credencia et quorum unus sit iuris peritus qui habeant curam et prouisionem denunciandi potestati iudici et militi tam ad requisitionem cuiuscumque quam eorum officio quod attendent et faciant attendi omnia statuta comunis Yporegie et ea que continentur in ipsis specialiter illa de quibus fuerint requisiti. Dicti *b*
uero sapientes predicta et eorum officium non obseruantes ipso iure sint infames nec possint illo anno beneficium aliquod in comuni habere. et predicti tres sapientes iurent dictum eorum officium bene et legaliter exercere et de qualibet denunciatione tradi facere publicum instrumentum per notarium comunis sine aliquo precio et ipsam denunciationem non obseruatam poni facere in libro credenciarum comunis Yporegie et in uno alio libro qui remaneat penes ipsos forestanos. Ad requisitionem uero et denunciationem cuiuslibet requirentis dictus dominus uicarius siue potestas et eius iudices et miles et quilibet ipsorum cui denunciatum fuerit attendere et obseruare debeant aliquod statutum reformationem seu ordinationem illud atten- *c*
dere et obseruare et attendi et obseruari facere inuiolabiliter teneantur quod si attendere et obseruare noluerint uel recusauerint uel facere obmiserint processus inde factus uel secutus pro casso et irrito habeatur et nichilominus teneantur uicarius iudices et miles et quisque eorum in solidum illi uel illis cui uel quibus predicta obseruata non fuerint soluere restituere omnia dampna et expensas et interesse que et quas incurrerent uel aliquo alio modo substinerent occaxione predicta sine libello et aliqua iuris solempnitate de quibus credatur simplici iuramento illius uel illarum personarum cui uel quibus predicta non fuerint obseruata cum uno teste et de dampno comunis Yporegie sacramento procuratorum comunis uel maioris partis eorum. et *d*
preterea teneantur procuratores ad requisicionem cuiuslibet et quorumlibet requirencium predicta in credencia ponere et poni facere incontinenti cum requisiti fuerint in qua credencia prouideatur et ordinetur quomodo et qualiter ille uel illi cui uel quibus predicta obseruata non fuerint seruentur indempnes. et hic inde paragrafus sit precissus et trunchus ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari et qui contra predicta uel aliquod predictorum in eorum derogationem aliquid attentare presumpserit arogando uel alio quocumque modo sit incontinenti ipso facto periurus infamis et exclusus ab omni officio et beneficio comunis Yporegie.

De statutis obseruandis per potestatem iudicem et pena non obseruancium.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius obseruare et attendere teneatur omnia statuta et reformationes per credentiam factas et faciendas et omnes et singulas prouisiones factas et in posterum faciendas per sapientes boni status ciuitatis Yporegie qui modo sunt aut qui pro temporibus fuerint aut per alias quascumque personas que haberent bayliam et auctoritatem a comuni Yporegie seu credencia faciendi prouisiones seu ordinamenta et omnia que ipse iurauit et que in suo sacramentali continentur et obseruari facere et si contra uenerit faciet maxime postquam sibi per aliquem denunciatum fuerit amittat de suo salario ... imperiales pro quolibet capitulo et qualibet uice.

Item teneantur iudices siue uicarii domini potestatis ipsa statuta obseruare et super eis iurare sicut potestas tenetur et iurat pena cuilibet eorum solidorum xx pro quolibet capitulo et qualibet uice qua eis denunciatum fuerit qui perueniant in comune et exigantur incontinenti ab eis per potestatem et clauarium et ponantur in recepto clauarii et hoc capitulum sit precissum.

Que statuta debeant obseruari uel non.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia statuta in hoc libro contenta debeant obseruari sicut in eis continetur nisi ea que reperirentur esse contra libertatem ecclesie uel padronorum uel per que rectores consciliarii statutarii uel queuis alie singulares persone seu comune Yporegie inciderent in aliquam penam uel sententiam excommunicationis uel interdicti seu aliam canonicam uel legalem que sint ex nunc ipso facto cassa et irrita et nullius ualoris nec debeant obseruari sed de hoc libro debeant abradi in eo quod essent contra libertatem ecclesie uel padronorum et per quod incurreretur predicta sententia siue pena. teneatur etiam potestas et iudices ad requisitionem domini episcopi Yporegie conquerentis de aliquo uel aliquibus statutis quod essent contra libertatem ecclesie facere fieri cognitionem per sapientes iurisperitos comuniter eligendos infra duos menses post dictam requisicionem utrum predictum uel predicta statuta sint contra libertatem ecclesie uel non. Adeo debeant autem hoc statutum seruari quod si aliquis processus uel quid aliud factum fuerit per potestatem uel iudicem siue locumtenentes eorum siue de mandato eorum uel alicuius eorum seu quocumque alio modo siue etiam per conscilium uel credenciam comunis Yporegie contra formam alicuius statuti illud quod sic factum fuerit et quicquid secutum fuerit ex eo uel ob id non ualeat nec teneat ipso iure sed pro nullo et irrito penitus habeatur.

Ut prouisiones facte per dominum principem sint cassate.

Item statutum est quod aliquis uicarius siue potestas Yporegie non possit nec debeat aliquo modo uti prouisionibus seu ordinationibus dudum factis per illustrem uirum dominum Phylippum de Sabaudia principem Achaye que facte fuerunt sub anno currente millesimo ccc .... indicione xiii quas omnes et singulas prouisiones sapientes electi super bono statu comunis Yporegie credencia et credenciarii ciuitatis Yporegie cassant et cassauerunt reuocauerunt et irritauerunt et annullauerunt modis omnibus quibus melius potuerunt et sciuerunt cassantes quoque et reuocantes ex nunc prout ex tunc omnes et singulos processus et condempnationes qui seu que modo in antea fierent seu fieri attentarentur per aliquem uicarium ciuitatis Yporegie seu aliquem de sua familia ex uigore seu uirtute dictarum prouisionum seu alicuius ipsarum.

De statutis legendis in credencia qua petitur licencia.

Cum matura deliberatione ordinauerunt quod si contingerit in credencia peti licencia de aliquo uel aliquibus statutis ipsum uel ipsa statuta prius legantur in eadem credencia quam licentia detur de ipsis et hoc statutum sit precissum.

De statutis precissis non possit dari licentia.

Item statutum est quod de aliquo statuto precisso non possit dari licencia per credenciam sed ipsum statutum seruetur et si data fuerit licencia non ualeat ipso iure. Nec aliquis possit arengare quod de ipso detur licencia nec eius dictum in partito ponatur sed arengans sit priuatus ipso facto omni officio et beneficio comunis et de credencia nec possit infra annum aliquod officium uel beneficium habere in comuni et si de facto datum fuerit ipsum exercere non possit nec de hoc statuto possit dari licencia nec ei obstet aliquod de cetero et hoc capitulum sit trunchum et precissum.

Qualiter et quando debeat fieri credencia et consilium.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas iudices uel alii rectores Yporegie non possint facere fieri nec pulsari credenciam nec consilium nisi consilio et uoluntate trium procuratorum comunis concorditer si fuerint in Yporegia et debent eis dicere quare debeat fieri ipsa credencia uel consilium antequam pulsetur. Si tamen super aliquo negotio ponendo in credencia existentibus dictis tribus procuratoribus presentibus in Yporegia duo ex ipsis concordarent tercio discrepante rector Yporegie seu eius locumtenens teneatur ad ipsorum duorum requisitionem ad credenciam pulsari facere

a negociumque de quo ipsi duo concordauerint ponatur in credencia super quo non ualeat nec teneat quod in ipsa credencia reformaretur nisi due partes ipsius credencie concorditer reformarent. Item quod potestas uel iudices seu rectores teneantur precisso et speciali sacramento facere pulsari credenciam et consilium tociens quociens predicti procuratores uel maior pars eorum ipsos requisiuerint et de hiis de quibus ipsos requisiuerint et de hiis in credencia partitum facere quod si facere recusauerint possint ipsi procuratores comunis concorditer ad credenciam pulsari facere etiam contra uoluntatem uicarii iudicis uel rectorum et predicta in credencia ponere et super ipsis ponere facere et posita et reformata in predicta cre-
b dencia plenam obtineant roboris firmitatem statuto quocumque contra premissa edito non obstante perinde ac si per ipsum uicarium uel rectorem uel iudicem predicta solempniter facta forent. super hiis autem que ex forma statutorum in credencia poni debent potestas siue uicarius uel eius iudices credencia pulsari facere possint ea que in credencia ponere etiam sine ipsorum procuratorum scientia uel consensu. cum autem credencia fiet debeant duo seruitores ad minus disponi ad standum ad portam scalarum palacii prohibendo ne quis ascendat palacium qui non sit de credencia. Similiter cum consilium priuatum siue sapientum fuerit unus ex preconibus uel alius ex seruitoribus stare teneatur ad hostium camere extra ubi fiet consilium custodiens ne ali-
c quis qui non sit de ipso consilio sine licencia potestatis uel iudicis illuc intret. Alii seruitores nisi precones et qui ad predictas custodias fuerint deputati non debeant in consiliis uel credencia interesse sine precepto uel licencia potestatis uel iudicum sub banno imperialium xii pro quolibet et qualibet uice et illi qui interfuerint teneantur speciali sacramento que ibi ordinata fuerint et dicta tenere que fuerint tenenda secreta. In predictis autem consiliis et credenciis numquam debeant interesse uel stare aliqui de familia potestatis exceptis iudicibus et milite et illis qui dabunt fabas pro faciendis partitis. Cum autem fiat credencia non possit aliqua persona stare nec sedere super sede seu bancho super quo sedent notarii
d iusticie nisi predicti notarii et iudex reformator et procurator comunis sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidorum ii imperialium quam penam uicarius et eius iudices teneantur excutere a contrafacientibus incontinenti antequam recedat de palacio comunis et uicarius siue potestas nec eius iudices possint dare licenciam alicui ciui Yporegie contrafaciendi. Antequam uero pulsetur per tres uices ad credencias supradictam ea que proponi debent in ipsa credencia scribantur et sint scripta in libro credencie et postquam pulsatum fuerit per tres uices ad ipsam credenciam per uicarium uel eius iudices seu militem uel procuratores eadem die non possit proponi aliquid in credencia ipsa et si contra factum fuerit non ualeat

nec teneat quidquid ordinatum uel reformatum fuerit ipsa credencia ipso iure et presens clausula sit truncha et precissa ita quod de ea non possit licentia peti nec dari.

De partitis faciendis in credencia.

Item statuerunt quod partita credenciarum fiant de cetero ad fabas albas et nigras saluo in credencia de capitibus domorum et que fabe albe et nigre dentur per iudicem potestatis uel aliquem uel aliquos de eius familia due uidelicet cuilibet credendario una alba et una nigra et fiat partitum secundum quod melius et utilius sine fraude uidebitur potestati uel iudici ponendo dictas fabas in bussiis uidelicet piscidibus ut moris est secundum partitum factum et ita quod dicte fabe sic posite in piscidibus numerentur presentibus et uidentibus duobus saltem procuratoribus comunis qui teneantur dicere in plena credencia numerum ipsarum fabarum albarum et nigrarum. Quandocumque autem et quocienscumque contigerit partitum aliquod fieri in credencia ad uistam seu aliter quam ad fabas tunc potestas siue uicarius uel eius iudices uel miles teneantur precisse et speciali iuramento numerare seu numerari facere omnes et singulas personas que interfuerint predicte credencie ita quod manifeste appareat de quo partito quelibet persona de ipsa credencia sit et si quidem predicta non fuerint obseruata quidquid inde uel in dicta credencia fuerit ordinatum uel prouissum non ualeat nec teneat ipso iure et hoc sit precissum et trunchum ita quod non possit peti licencia nec dari. Nullus insuper credenciarius debeat dicere uel precipere alteri quod ponat fabam albam uel nigram de aliquo partito sub banno solidorum II pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur iuramento accusatoris.

De non dando bailiam uicario uel alicui de sua familia.

Item statutum est et ordinatum quod uicario seu alicui de eius familia de cetero non possit nec debeat a credencia aliqua dari balia eciam cum aliquibus aliis sapientibus et hoc statutum sit precissum et trunchum.

De statutis adimpletis pro cassis et nullis.

Item statutum et ordinatum quod si qua statuta reperirentur in libro statutorum comunis Yporegie que integraliter fuerint adimpleta ipsa statuta de ipso libro statutorum deleantur et pro cassis et nullis habeantur.

De credencia capitum domorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod credencia
a de capitibus domorum non possit fieri ullo modo nisi pro expensis comunis faciendis que ascendant ad libras X imperiales uel ultra uel pro facienda pace uel guerra uel pro uendendo alienando uel obligando de bonis dicti comunis siue non ex quo perciperet comune precium uel censum ultra libras XX que omnia predicta fieri non possint uel aliquod eorum sine dicta credencia. Possint tamen erbe comunis uendi de anno in annum et fossatum de bando ad censum dari usque ad XV annos et minus sine dicta credencia. dicte autem credencie credendarii sint numero LXXV. XXV uidelicet de quolibet tercerio qui eligantur per sex sapientes duo uidelicet per tercerium quos ad hoc procuratores deputare et eligere teneantur et qui credenciarii
b per supradictos sapientes eligantur usque ad dictum numerum de maiori estimo patresfamilias uel filii si eorum patres essent de alia credencia et qui sint inter XX annos et ultra habitent in ciuitate Yporegie uel suburbiis oriundi autem de ciuitate Yporegie uel districtu non oriundis licet habitantibus in existendo in dicta credencia preferantur et intelligantur dicti LXXV ultra aliam credenciam que non intelligatur esse de credencia capitum domorum. Dicti autem LXXV credendarii iurare compellantur uenire ad dictam credenciam quandocumque preconizatum fuerit et esse de illo partito quod eis uidebitur magis bonum et utile pro comuni. Ullus tamen alius possit interesse dicte credencie capitum domorum nisi predicti LXXV cum aliis creden-
c ciariis sed dicta credencia capitum domorum intelligatur esse LXXV. preconizetur autem dicta credencia de capitibus domorum die precedenti antequam fiat. Non tamen predictis casibus possit dicta credencia fieri sine uoluntate maioris partis alterius credencie que maior pars dicte credencie minorem transcendat de X credenciariis ad minus. seu pro expensis autem faciendis per comune que transcendant quantitatem librarum X non possit fieri credencia nec ad ipsam pulsari aliquo modo uel ingenio qui excogitari possit nisi de consilio uoluntate expressa trium procuratorum comunis et XXIIII de maiori extimo qui habitent in ciuitate Yporegie uel duarum partium ipsorum XXIIII facto inter ipsos partito ad fabas albas et nigras et si contra
d fieret non ualeat nec teneat ipso iure. Dicti autem XXIIII de maiori estimo eligantur per procuratores comunis pro ut melius et utilius uidebitur expedire nec in predictis casibus quibus debet credencia de capitibus domorum fieri aliquid possit ualide reformari nisi due partes eorum de dictis credenciis qui ad ipsas conuenerint fuerint in concordia aliter quicquid factum fuerit non ualeat nec teneat ipso iure. Cum autem in credencia comunis Yporegie uel capitum domorum poni continget de expensis aliquibus faciendis per comune Yporegie potestas siue uicarius uel eius iudices qui pro temporibus fuerint teneantur precisso et speciali sacramento facere partitum de non faciendis dictis expensis contra alia partita eciamsi nullus arengauerit de

dictis expensis non faciendis. et si contigerit in partito uinci de expensis faciendis predictus teneatur facere partitum de omni quantitate que fuerit arengata incipiendo semper partitum de numerata quantitate usque quod de dicta quantitate fuerit reformatum. Loco autem per tempora morientium de predictis LXXV credendariis uel aliter subtractorum subrogentur per procuratores eius tercerii cuius defunctus uel subtractus existet de dicto tercerio alius uel alii pro ut dicto procuratori uidebitur faciendum et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia neque dari.

De reformationibus credencie obseruandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia et singula que in credencia fuerint ordinata et ipsa credencia reformata attendantur et obseruentur nisi de uoluntate credencie postmodum fuerint immutata.

De electione potestatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod per XV dies ante kalendas septembris singulis annis fiat credencia in qua ponatur *de potestate seu uicario futuro eligendo* in qua credencia eligentur V electores in quolibet tercerio ad breuia uenturi rectoris qui etiam compellantur infra mensem augusti dictum eligere potestatem. preterea nullus habens breue dicte electionis possit sibi retinere nec cum alio permutare ulterius possit esse elector qui non sit in estimo comunis de libris V uel ultra. due uero partes dictorum electorum sint et esse debeant in concordia de dicta electione facienda. Item in eadem credencia eligatur denunciator potestatis ad breue si credencie placuerit et ille qui habuerit breue non possit illud retinere sed teneatur illud dare cui uoluerit de Yporegia et Yporegie habitanti dummodo sit notarius et de notariorum collegio cum quo denunciare nullus de nunciis comunis ire possit nisi sit preco cui tamen preconi cum denunciatore eunti ipse denunciator expensas in itinere integre facere teneatur preterquam de uectura et pastura equi quem duceret dictus preco. a dicto autem precone dictus denunciator notarius occaxione premissa nullum tributum uel donum possit petere recipere uel habere. preterea infra duos menses publicatione diete electionis potestatis debeat ire alicui denunciatum electionem ipsam esse factam nisi qui missus fuerit per comune sub banno solidorum XL quos si soluere non poterit detrudatur in carcerem ibi in compedibus uel cepo moraturus.

De familia potestatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestates qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant
a in principio aduentus sui regiminis una cum ipso ducere duos bonos iudices et expertos citramontanos ipsosque toto tempore sui regiminis secum tenere nisi iustam causam et euidentem habuerint et militem unum qui similiter cum eo suprascriptum sacramentum prestent et si dictos iudices et militem non haberet non recipiatur dictum sacramentum nec ad regimen admittatur et si contrafecerit idem dominus uicarius non ualeat nec teneat aliquid quod per ipsum uicarium uel eius iudices fieret ipso iure et predicta significentur singulis uicariis tempore electionis qui uicarius iudices et miles in eorum aduentu antequam descendat de equo in platea palacii comunis more solito teneatur publice iuramentum sue potestarie in hac forma
b prestare.

Ego talis potestas ciuitatis Yporegie iuro ad sancta Dei euangelia super hoc libro statutorum saluare custodire et manutenere bona fide et sine fraude ciuitatem Yporegie et homines habitantes in ea et omnes mee potestarie subiectos et qui faciant mihi sequelam. Item quod attendam et obseruabo attendi et obseruari faciam meo posse omnia pacta et conuentiones inita et celebrata cum domini adepti fuerunt dominium ciuitatis Yporegie inter illustres et magnifficos dominum Amedeum comitem Sabaudie et Philippum de Sabaudia principem Achaye ex una parte et comune et homines Yporegie ex altera et maxime infrascriptum articulum seu pactum cuius tenor talis est. Item quod
c predicti teneantur et debeant suo posse et bona fide facere et curare quod omnes discordie que sunt et essent pro temporibus inter homines Yporegie sedeantur et quod inter ipsos fiat pax et concordia et quod ad predicta facienda possit ipsos compellere sub certis penis et bamnis et aliis remediis iuris ad eorum liberam uoluntatem et hoc cum consilio trium bonorum hominum pro qualibet parte eligendorum et eciam attendet et obseruabit et attendi et obseruari faciet. Item quod faciam omnia statuta additiones et reformationes ipsius comunis omni remota conditione uel si uel quouis alio modo et fieri faciam ius et racionem euicumque coram me et meis iudicibus conquerenti agenti et defendenti secundum hec statuta ciuitatis Yporegie facta
d et facienda et in defectum statutorum secundum leges et iura comunia et bonas consuetudines ciuitatis eiusdem remoto omni malo ingenio commodo damno amore timore parentela et parte precio seu permittam uel consentiam per aliquem de familia mea capi de auere comunis Yporegie modo aliquo uel ingenio pro aliqua ambaxata caualcata seu exercitu siue quauis alia causa nisi salarium mihi concessum per dominos persoluendum. et si contra fecero perdam de meo salario libras XXV pro qualibet uice quas clauarius incontinenti in ratione sui dati et recepti ponere teneatur . . . . restitucionem alicuius equi uel equorum mihi faciendam arbitrio trium estimatorum eligendorum per comune si contigerit ipsum uel ipsos equos

mori uel mangagnari in aliquo exercitu uel caualcata pro comuni Yporegie si dicta restitutio per comune Yporegie facienda ordinata fuerit ad exercitum uel caualcatam quocienscumque et quandocumque ibi per me uel meum militem in electione dicti comunis quando ibo et stabo cum hominibus Yporegie in eis expensis quamdiu durabit dictus exercitus uel caualcata. Pro dicto uero salario tenebo mecum in dicto meo regimine duos iudices bonos et legales iurisperitos qui eis non sint forexiti uel expulsi seu confiniati uel alter eorum de terra sua quos non possim habere nec tenere nec etiam iurisperitos ciuitatis Yporegie uel districtus nisi pro causa necessitatis per octo uel xv dies si contingeret me iudicem uel iudices non habere uel si contingeret aliquem de meis iudicibus abesse b
uel causa necessaria impediri. Item quod per me uel meum iudicem in consiliis uel credenciis non informabo nec diminuam uel addam nec puliar uel sufisticabo dictum alicuius arengatoris sed de ipso dicto secundum quod arengatum fuerit faciam partitum et quod non faciam partitum modo aliquo nec de aliquo facto nisi de eo quod fuerit arengatum per aliquem seu aliquos de credencia uel consilio comunis non nominando aliquem arengatorem in dicto meo uel pro partito. Item quod ueniam omni die iuridica ad palacium comunis bis in die qua reddatur bis ius et ibi uel in platea ipsius palacii stabo ab exitu misse sancte Marie usque ad terciam et a campana que pulsatur post nonam usque ad uesperas nisi essem aliter impeditus causa mei officii c
exercendi. Item quod non petam nec recipiam per me uel meos iudices seu aliquam submissam personam bayliam aliquam uel arbitrium nec faciam quod aliquis dicat uel arenget quod mihi detur ullomodo et si quis contra faceret dictum arengamentum et consilium illius non ponam nec poni permittam in partito sed sit nullum et nullius ualoris nisi forte diceret uel arengaret quod potestas seu eius iudices cum procuratoribus comunis uel aliis sapientibus haberent bayliam aliquam super ambaxatoribus uel aliis sapientibus eligendis uel similibus factis comunis faciendis. Item quod attendam et obseruabo et attendi et obseruari faciam meo posse omnia arbitramenta facta. Item quod non permittam meo posse edifficium aliquod construi in loco d
et terreno in quo erat castrum sancti Mauricii et terre quondam domini Marchionis.

Et si predicta forma non prestiterit sacramentum uel adimplere noluerit quod liber statutorum sibi non tradatur sed remaneat penes illum qui sibi dictum sacramentum declarauerit. nec etiam credendarii uel aliqua alia persona iurisdictionis uel districtus Yporegie teneatur nec debeat sibi facere sequelam nec iurare credenciam seu ad eam uenire donec predictum sacramentum prestiterit sub forma predicta nec etiam pro uicario iudice uel milite habeantur. Procuratores autem teneantur et debeant delationi sacramenti predicti plures interesse et de ipsius prestatione precipere uni fideli notario fieri

a publicum instrumentum et hoc statutum et iuramentum sit precissum et trunchum ita quod de ipso in toto uel in parte non possit peti licencia nec dari.

Quod uerbum potestatis in statutis accipiatur nomine cuiuscumque rectoris.

Item statutum est quod in quacumque parte statutorum comunis Yporegie fit mencio de potestate Yporegie intelligatur etiam de quocumque rectore ciuitatis Yporegie quocumque nomine censeatur.

Quod potestas uel aliquis de sua familia non possit capere uel petere.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas et iudices miles uel aliquis de eorum familia per se uel per aliam submissam personam non possit capere recipere seu capi uel recipi facere modo aliquo uel ingenio ab aliquo homine layco clerico seu religiosso masculo uel femina qui sit uel esse debeat de sua potestaria uel qui habitet in terris seu locis uel finibus seu infra fines sue potestarie sed nec ipse potestas iudex miles uel aliquis de eorum possit predictis aliquid dare nec cum predictis uel aliquo predictorum comedere uel bibere excepto uino et fructibus que possint etiam simul cum eis bibere et comedere et etiam quecumque alia et caualcatis exercitibus et ambaxatis. non possit insuper potestas iudices uel alius de sua familia compellere aliquem de eorum iurisdictione quod eis mutuet prestet uel commodet aliquam rem nec ei super hoc aliquod preceptum facere quod si facerent ex tunc ipso iure sit nullius ualoris. uoluntarie uero possit potestas et eius familia res eis necessarias mutuo uel commodato recipere a quocumque. preterea non possit ipse potestas iudices uel alius de sua familia recipere aliquam commissionem uel consiliaturam in aliqua questione uertente inter aliquos de sua iurisdictione nec dare consilium in ipsa questione nec etiam aduocare nec de predictis occaxionibus aliquid recipere ab aliquo de iurisdicione comunis Yporegie. et teneantur precisse dicti iudices omnia iura dicti comunis conseruare et manutenere et defendere sicut melius poterunt bona fide. et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de eo non possit peti licentia nec dari.

Quod potestas siue uicarius teneatur conducere domum in qua habitat.

Item statutum est et ordinatum quod potestas siue uicarius qui pro tempore fuerit conducere teneatur domos in quibus habitat cum sua familia suis expensis.

Que et per quos possint in credencia poni.

Item statuerunt quod nullus de cetero possit fieri

uel poni de credencia uel subrogari per comune uel eos ad quos positio seu subrogatio spectat uel per quam aliam personam nisi sit in estimo comunis Yporegie de libris x ad minus et quod aliquis qui fuerit de credencia scriptus in libro statutorum comunis Yporegie ubi sunt credendarii scripti non possit ponere ipse credendarius nec aliquis alius uel alii loco sui aliquem credendarium pro toto illo anno et si contrafecerit non ualeat nec teneat illud quod contrafactum fuerit sed dominus uicarius iudices familia qui pro temporibus fuerit illum uel illos qui essent positi pro aliquo contra formam predictam expellere teneatur de credencia nec etiam possit ille qui fuerit positus pro aliquo habere aliquod officium uel beneficium seu breue in comuni uel extra et si contigerit aliquem de credencia mori infra dictum annum quod sex de maioribus de cuius parte esset dictus credendarius mortuus possint ponere alium bonum et sufficientem loco dicti mortui. et si contingeret aliquem de dictis credendariis scriptis in libro statutorum seu folio in quo sunt scripti credendarii predicti nolle esse de credencia uel credenciam predictam quod sex de maioribus de cuius parte esset possint alium loco illius qui nollet iurare seu esse de credencia ponere ita tamen quod si uideretur predictis sex de maioribus dicte partis illum qui nollet iurare cogi facere ad iurandum ad ipsorum requisitionem uicarius seu iudex ad iuramentum prestandum cogere teneatur eumdem qui uicarius teneatur predicta adimplere seu adimpleri facere ad uoluntatem predictorum sex imponendo predicto nolenti iurare penas et banna ad suam uoluntatem. Item quod omnes iudices oriundi de ciuitate Yporegie uel districtus qui sunt uel erunt de collegio iudicum ciuitatis Yporegie et qui fuerint subditi potestati siue uicario et rectoribus comunis Yporegie sint ipso facto de credencia et consilio.

De iuramento illorum de credencia et sequela facienda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et singuli qui fuerint de credencia et consilio priuato quando iurabunt ipsam credenciam et consilium et sequelam domini potestatis teneantur eorum iuramentum in hac forma prestare quod uidelicet quandocumque audiuerint pulsari ad credenciam uel consilium uel preconizari per ciuitatem ueniant ad ipsam credenciam uel consilium dummodo fuerint in ciuitate uel suburbiis nisi a potestate uel aliquo ex suis iudicibus petita licencia et optenta et cum fuerit in ipsa credencia uel consilio consulet illud quod crediderit in sua bona conscientia et secundum Deum et iusticiam fore melius et utilius pro comuni uel erit de illius partito qui melius sibi uidebitur et utilius consulere pro comuni remoto omni odio amore timore precio et precibus parentela et parte iuramento promissione precepto uel quouis alio statuto uel ordinamento in contrarium

a factis et faciendis que ipso facto ex nunc sint cassa et irrita et nullam obtineant firmitatem. Item quod non dabunt aliquam intentionem seu promissionem facient per se uel per alios uel opere sub aliquo colore uel ingenio quod dici uel excogitari possit alicui persone seu personis comuni uel uniuersitati ipsi nec alii pro ipsis ad cuius seu ad quorum requisicionem proponeretur aliquid fieri proponi uel reformari in predictis credencia uel consilio quod exigeret expensas per dictum comune faciendas per que possint predicti requirentes perpendere de uoluntate dicti credendarii uel consiliarii. Item quod in aliquibus statutis ordinandis siue in credencia uel arengo siue alio consilio comunis non dicent arengabunt uel ordinabunt quod aliquo modo uel
b ingenio detur potestati Yporegie iudicibus militi uel alicui de eorum familia uel alicui alii persone pro eis uel aliquo ipsorum aliquid ultra salarium ipsi potestati concessum uel constitutum ante suam electionem et qui contrafecerit soluat comuni totum id quod diceret statueret uel arengaret et ultra id pro banno libras xx pro qualibet uice. quam penam et banna potestas seu rector Yporegie teneatur precisse et speciali sacramento excutere ab eo infra tres dies a die dicte pene commisse et interim personaliter detineatur donec soluta fuerit dicta pena. expellatur insuper et cassetur de credencia comunis et consilio sine mora et perpetuo sit infamis nec possit ulterius aliquod officium comunis habere et nichilominus consilium et dictum
c ipsius nullius sit ualoris nec possit poni in consilio aliquo uel partito nec aliquod officium habere. Item quod non permittent eorum posse edifficium aliquod construi in loco et terreno in quo erat castrum sancti Mauricii et terre quondam domini marchionis. Item quod obseruabunt et attendent et obseruari et attendi faciant eorum posse statutum de seruiciis non mittendis ad requistas quod est foleo cxxxiii et statutum de seruiciis non mittendis ad domum alicuius defuncti quod est in foleo cxxix et hec forma tota legatur omnibus illis de credencia intelligibiliter quando sacramentum eorum sequele prestatur et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de eo non possit peti licencia nec dari. aliqua uero persona que stet uel habitet
d cum aliqua persona que non sit de iurisdictione potestatis Yporegie uel sit de eius familia non possit nec debeat de cetero fieri nec recipi de credencia uel consilio et si contrafecerit non teneat ipso iure. Item quod sacramentum prestandum per homines comunis Yporegie uicariis ciuitatis Yporegie pro sequela facienda prestari debeat et prestitum intelligatur si et dum ipsi uicarii obseruabunt pacta dominorum comitis et principis et comunis et hominum Yporegie et si et dum obseruabunt omnia et singula eisdem declarata in declaratione sacramenti uicariorum de qua declaratione fiat publicum instrumentum recipiendum per notarium quem procuratores comunis duxerint eligendum ad dictamen illius qui declarabit sacramen-

tum quod instrumentum teneatur ipsa die dictare *a* qua declarabit ita et taliter quod dictum instrumentum possit produci et legi si expediret in plena credencia quando credendarii iurabunt credenciam seu sequelam.

De excusatione eorum qui non ueniunt ad credenciam uel consilium.

Habita deliberatione solempni statuerunt et ordinauerunt quod quicumque fuerit de credencia uel consilio qui non uenerit ad ipsam credenciam uel consilium possit se proprio iuramento excusare et defendere si aliquam iustam causam habuerit quod uenire non potuerit et sic iurauerit uerum esse quo *b* facto non possit pro illa uice in aliquo condempnari.

Quod uicarius non ducat secum uxorem et de pernoctatione ipsius potestatis et iudicis extra ciuitatem.

Item statutum est et ordinatum quod potestas et eius iudices non possint pernoctare extra ciuitatem Yporegie sine uoluntate et licencia credencie quam licenciam non possit petere nec habere nisi duabus uicibus toto anno nec ultra xv dies pro qualibet uice saluis pro negociis comunis et sui regiminis faciendis et quod nullus de credencia uel alius quilibet audeat uel presumat dicere uel aren- *c* gare in credencia uel consilio quod uicario militi uel iudicibus siue alteri ipsorum detur licencia pernoctandi extra ciuitatem Yporegie contra uel preter formam predictam. et qui contrafecerit dixerit uel arengauerit in credencia uel consilio ab omni officio comunis Yporegie eo anno penitus sit exclusus et nichilominus dictum suum de iure non sortiatur effectum sed pro non dicto penitus habeatur nec in partito uel proposta ponatur. et si secus fuerit attemptatum id quod factum dictum arengatum uel ordinatum fuerit et quidquid ex eo sequitur uel ob id non ualeat nec teneat ipso iure. Insuper potestas uicarius siue rector qui pro temporibus fuerit in ciuitate Yporegie non possit nec debeat nec sibi licitum sit durante suo regimine ducere nec duci *d* facere uxorem suam si quam habuerit ad standum uel habitandum secum in ciuitate Yporegie. et quod non possit nec debeat esse compater alicuius ciuis uel habitatoris ciuitatis Yporegie. nec e conuerso aliqua persona eiusdem ciuitatis possit esse compater siue commater dicti uicarii nec alicuius de sua familia suo durante regimine sub pena et banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice et hoc capitulum sit trunchum et precissum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari nec poni debeat in credencia uel partito et si contrafactum fuerit uicarius et eius iudices et miles qui pro temporibus fuerint sint infames et ille qui arengaret uel diceret quod poneretur in credencia uel partito sit infamis et amoueatur pro toto illo anno de credencia nec habeat uocem in credencia.

De sindicatione et licencia preteriti potestatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas seu uicarius per xv dies ante exitum sui regiminis teneatur et debeat facere publice preconizari per ciuitatem Yporegie in locis consuetis quod quelibet persona que debuerit habere aliquid ab ipso potestate suisque iudicibus uel milite seu alio de eorum familia aliqua de causa ad ipsum uel alium in ciuitate Yporegie per que ipse potestas solutiones facere noluerit et omnibus satisfacere integre qui ab eis habere debebunt et de omni eo quod habere debebunt. post exitum uero sui regiminis sindicetur potestas tam pro suo facto quam suorum iudicum et sue familie. nec possit recedere nec licenciari de ciuitate Yporegie usque ad x dies si aliqua persona conquesta fuerit de ipso uel aliquo de sua familia infra duos dies post exitum sui regiminis seu apparuerit aliquem esse qui possit ab eis aliquid petere uel habere ita quod per procuratores comunis eligatur unus bonus et fidelis homo qui teneatur suo speciali sacramento pro omnibus a dicto uicario iudicibus et milite et eius familia aliquid petere uolentibus officium procuratoris suscipere et susceptum bona fide exercere qui eligatur in plena credencia tamquam sindacus comunis et hominum Yporegie ad predicta omnia et singula exercenda. In quibus autem x diebus teneatur respondere de iure pro suo facto suorumque iudicum et cuiuslibet de sua familia et coram illo qui fuerit ad hoc electus. ad quam cognitionem et definitionem per octo dies ante exitum regiminis potestatis seu uicarii eligatur unus de iudicibus collegii ad breuia que dentur per totam credenciam et ille qui breue habuerit ipsum sibi retinere non possit sed teneatur antequam recedat de credencia et quam loquatur cum potestate seu uicario seu aliquo de eius familia uel alia deposita persona eligere unum de iudicibus dicti collegii qui questiones predictas summarie sine strepitu et figura iudicii et sine libello ac solo ipsius officio cognoscere et decidere teneatur et quidquid per dictum iudicem fuerit iudicatum potestas infra diem terciam faciat obseruari nec ab aliqua sententia ipsius iudicis possit appellari. Nichilominus tamen si predicta non seruarentur liceat cuilibet habere debenti aliquid ab ipso potestate uel aliquo de eius familia per se uel per alios quoscumque sua propria auctoritate et in primo ipsum debitorem uel debitores capere et detinere in personis et rebus ab suam liberam uoluntatem donec sibi plene fuerit satisfactum. de quo non possit fieri aliqua accusa denuncia inquisitio uel processus. si uero infra duos dies aliqua persona non conquereret de ipso potestate iudicibus seu aliquo de eorum familia uel cum omnibus conquerentibus se concordarent tunc potestas nouus possit ipsum licentiare. et hoc statutum sit precis-

sum et trunchum et de ipso non possit peti licentia a
nec dari. et hoc non obstante capitulo seu dicione loquenti quod statuta predicta possint poni in credencia et dari licencia et quibuscumque aliis statutis et addicionibus in contrarium loquentibus.

Quod potestas siue uicarius et iudices non possint confirmari.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas seu uicarius seu aliqui iudices uel miles eius non possint confirmari nec refermari nec eligi per totum tempus anni proximi subsequentis preteritum eorum regimen. et hoc statutum sit precissum et trunchum et de eo non possit peti licencia nec dari non obstante capitulo siue addicione quod statuta precissa b
possint poni in credencia et de hiis dari licencia si credencie placuerit et denunciator potestatis siue uicarii teneatur et debeat presentare illi cui denunciabit uicarius dictum capitulum exemplatum et eumdem requirere ex parte comunis Yporegie quod dictum statutum debeat atendere et obseruare.

De sacramento declarando officialibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod notarii comunis Yporegie qui sacramentum recipiunt ab aliquibus officialibus ciuitatis Yporegie siue paraticis uel aliis personis qui iurare tenentur secundum formam statutorum eorum officia fideliter exercere c
teneantur et debeant omnibus singulis qui iurauerint eorum officia legere et declarare ipsa statuta in presencia uicarii uel iudicis ita quod ille uel illi qui sic iurauerint errare non possint in eorum officiis exercendis et qui contrafecerit non legendo et declarando ipsa statuta ut superius est expressum sit toto eo medio anno quo absumptus uel electus esset ad dictum officium comunis ipso officio incontinenti et ipso iure priuatus.

De electione officialium comunis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod semper per xv dies ante exitum officialium ueterum ponatur in credencia de eligendis procuratoribus notariis esti- d
matoribus raspiis et aliis officialibus comunis qui eligantur ad medium annum saluis illis qui eligantur per procuratores ad totum annum. predicti uero officiales eligantur ad breuia tantum et non aliter scripto in quolibet breue nomine officii et dentur ipsa breuia in terceriis more solito separatis et quando iudex dabit ipsa breuia misceantur uidentibus omnibus in medio palacii ita quod aliqua fraus inde fieri non possit. quicumque autem habuerit aliquod ex hiis breuibus non possit illud sibi sic datum retinere sed dare illud alicui de suo tercerio incontinenti antequam exiat de palacio exceptis breuibus procuratorum comunis et rationatorum comunis que non possit aliquis cui datum fuerit sibi retinere sed teneatur proprio et speciali iuramento in ipsa electione coram potestate uel eius iudice prestando illud breue. dare illi tali de suo tercerio quem crediderit ad illud officium magis esse ydoneum et fidelem. Procuratores uero comunis non possint esse nisi de illis de credencia et nisi sint etatis annorum xxx. de ipsa tamen etate credatur cuicumque cum duobus aliis iurantibus se credere ipsum esse dicte etatis. Quicumque autem qui habuerit breue procuratoris in ipsa credencia antequam remoueat se de palacio teneatur iurare ad sancta Dei euangelia in presencia credencie et domini uicarii uel eius iudicis quod ille cui dabit breue dicte procurationis est etatis xxx annorum ad minus. similiter non possit aliquis esse notarius comunis nisi habeat xx annos de qua etate credatur si in dubio uertetur iuramento suo et aliorum duorum testium iurancium se credere ipsum habere annos xx complectos nec eciam qui non sit de collegio notariorum Yporegie uel esse debuerit secundum formam statuti de colegio notariorum et qui non sit iurisdictionis potestatis comunis Yporegie nec etiam qui habeat officium notarie aliquod alibi quam sub rectore curie comunis Yporegie siue dominorum comitis et principis et quidquid contra factum fuerit et etiam quidquid exinde subsequetur non ualeat nec teneat ipso iure. qui uero fuerit procurator comunis notarius estimator uel raspius non possit ad illud officium eligi uel confirmari post complectum ipsum officium usque ad unum annum proxime subsequentem. manderii quoque pesatores panis et similes alii officiales comunis eligantur per procuratores comunis et hoc capitulum sit precissum et trunchum. nullus insuper qui non sit de iurisdictione comunis Yporegie et qui se de cetero defenderet pro clerico seu uteretur priuilegio clericali in aliqua causa non possit eligi ad aliquod officium comunis Yporegie non etiam aliqui eligi ad aliquod officium comunis Yporegie exercendum contra formam statuti comunis Yporegie et qui contrafecerit eligendo seu electionem ipsam acceptando soluat pro qualibet uice tam eligens quam electus solidos xx imperiales pro qualibet uice qua contrafactum fuerit et teneatur uicarius et eius iudices qui pro temporibus fuerint dictum bannum exigere incontinenti antequam recedat de loco in quo dicta electio facta fuerit et predicta electio nullius sit efficacie uel ualoris et hic § sit trunchus et precissus et duret ab anno currente MCCCXXVIII exclusiue usque ad v annos proximos et tantum plus quantum placuerit credencie.

Ne potestas siue uicarius iudices et credenciarii consiliarii uel alii officiales comunis de cetero eligantur ad uocem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius iudices et credenciarii consiliarii uel alii officiales comunis de cetero non eligantur ad uocem et si aliquis in credencia contrafecerit uel

dixerit factum suum uel dictum non ualeat ipso a iure nec in aliquo partito ponatur et quicumque in credencia potestatem uel iudices ad uocem elegerit ultra predicta soluat pro pena libras xxv que incontinenti exigantur ab eo antequam de palacio dimitatur.

Ne quis possit plura officia comunis habere.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis habet uel habuerit aliquod ex officiis comunis que ad totum uel medium annum durant et ex quo habere debeat remunerationem uel salarium aliquod a comuni taxatum et declaratum per aliquod statutum non possit eodem tempore aliquod aliud huiusmodi officium habere et teneatur potestas seu b uicarius et eius iudices infra xv dies principii sui regiminis inquirere si aliquis habeat plura officia contra hoc statutum et si aliquem inuenerit habentem plura officia contra hanc formam casset eum ab utroque officio et perdat utrumque salarium et loco eius eligantur ad dicta officia alii per procuratores de eodem tercerio.

Qui possit habere officium comunis uel non.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus possit habere officium comunis nisi sit et stet ciuis Yporegie et de iurisdictione potestatis siue uicarii et comunis Yporegie et habitans ibi per se et familiam suam et fecerit expenssas comunis et omnes c alias uicinancias sicut alii ciues et districtuales faciunt et facere debent et teneatur potestas et iudices ad requisitionem cuiuslibet ciuis inquirere de huiusmodi officialibus si sint de sua iurisdictione uel non.

De electione et iuramento notariorum comunis et solucione eorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur sex notarii comunis ex quibus tres sint ad banchum iusticie cum iudice qui ad ius reddendum fuerit deputatus et ad omnia et singula facienda que ad hoc necessaria fuerint et ad dictum officium pertinebunt. Qui etiam teneantur facere omnia instru- d menta eis uel alicui eorum per comune Yporegie uel aliquam personam nomine ipsius comunis imposita et precepta intra ciuitatem Yporegie et ea instrumenta facta infra mensem postquam ea receperint reddere comuni in credencia sine solucione aliqua a comuni recipienda sub banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerint. Alii uero tres notarii sint et esse debeant ad banchum maleficiorum et dampnorum datorum et executionum cum iudice qui ad dicta fuerit deputatus qui debeant officium notarie ad dicta officia pertinentia et omnia et singula necessaria et ad dicta officia et circa ea pertinentia fideliter exercere. et qui fuerit notarius ad unam de dictis banchis non possit ad illam nec etiam ad aliam bancham eligi uel confirmari usque unum annum post complectum eius officium proxime subsequentem et hoc sit precissum et trunchum et habeant notarii qui sunt ad bancham maleficiorum pro cassatura bannorum et aliorum que cassanda fuerint ab illis qui fecerint se cassari denarios IIII pro libra et sic a libra una descendendo pro rata usque ad solidos III. ab hiis quoque solidis III infra habeat papiensem I pro qualibet cassatura et hoc si fiat solutio comuni de illa quantitate cassanda. Si uero de ipsa quantitate nihil solueretur comuni habeant dicti notarii pro ipsa cassatione si fuerit quantitatis librarum x uel infra denarios XII et a libris x usque ad libras xxv solidos III et a libris xxv supra habeant solidos v et pro qualibet denunciatione defensionis scribenda papiensem I ab illa persona cui data seu transmissa fuerit defensio illi tamen qui suas condempnationes soluerint infra terminum ordinatum pro cassatura nichil soluere compellantur. teneantur etiam notarii ad banchum maleficiorum predicti instrumenta confessionum quas facit clauarius si fuerit requisitus facere precio competenti. teneantur eciam dicti notarii maleficiorum exemplare omnes condempnationes que pro temporibus fient super acusis dampnorum datorum tam per homines quam per bestias et omnes alias condempnationes de quibus alique singulares persone debeant habere partem aliquam et ipsa exempla penes se retinere et ipsa ostendere et copiam facere cuicumque petenti expensis ipsius petentis. et quod predicti notarii teneantur et debeant emendas et partes bannorum contingentes campariis et aliis specialibus personis excutere a quolibet sic condempnato et ipsis excussis teneantur infra tercium diem postquam fuerint requisiti dare et soluere et restituere ipsis habere debentibus retinendo ipsi notarii sibi pro suo labore quartum denarium de predictis per eos excussis et quod uicarius qui fuerit pro temporibus eorumque iudices et milites teneantur et debeant precisse et speciali sacramento predicta omnia et singula facere obseruari et quod clauarius dominorum comitis et principis teneatur cassari facere de suis libris in totum quemlibet soluentem dictam partem dicte curie contingentem non derogando iuri dicti exempli illis habere debentibus pro emendis et partibus bannorum. quod eciam notarii maleficiorum cassent omnia banna et condempnationes illorum qui soluerint seu solui fecerint sua banna clauario et habeant ipsi notarii pro cassaturis quantitates superius declaratas et aliter cassare non possint et ad predicta facienda uicarius et sui iudices faciant ipsos notarios fortes proprio et speciali sacramento. non debeant insuper nec possint predicti notarii utriusque banche nec aliquis ipsorum capere nec habere pro qualibet protesta seu termino sententie ultra imperialem I et de saximento ascendente usque ad solidos c uel a solidis c infra ultra imperiales IIII et si ascenderet a solidis c usque ad libras x imperiales VI et a libris x supra imperiales XII et pro qualibet que fieret

ad peticionem alicuius ciuis seu districtualis Yporegie imperiales IIII et non ultra et de recipiendo fideiussionem ad banchum maleficiorum siue ad banchum iusticie pro quantitate que ascendat a solidis LX infra imperiales II et a solidis LX usque ad libras X imperiales VI et a libris X supra imperiales VIII et pro recipiendo dicta testium pro quolibet teste tenente paginam unam uel minus imperiales VI et si plus teneret pro qualibet pagina imperiales VI et non ultra et pro exemplatura ipsorum testium medietatem eius quod dictum est de receptione. et pro quolibet conscilio legendo et scribendo si questio sit solidorum LX infra imperiales VI et si ultra solidos LX imperiales XII. et idem de comissione scribenda quantitatum predictarum. et pro instrumento emancipationis in qua donatio aliqua non contineatur possint capere dicti notarii solidos III et non ultra. Item pro possessione tediali et corporali data alicui non possint capere ultra imperiales VI pro ambreuiatura et pro confirmatione dicte possessionis et secundo decreto imperiales VI pro ambreuiatura et pro instrumento possessionis tedialis et corporalis confirmate ex secundo decreto non possint capere nec habere si questio ascendat usque ad solidos XX ultra solidos III et si ascendat ad libras XXV solidos V. et si questio ascendat a libris XXV usque ad libras L solidos X et si a libris L supra solidos XX et non ultra. pro pagamentis uero que darentur per raspios et seruitores et ascendentibus infra libras X habeant pro ambreuiatura solidos II tantum pro ascendentibus uero a libris X usque ad libras L capiant pro ambreuiatura solidos III et non ultra. pro instrumento uero dicti pagamenti et eciam quantitatis librarum X et infra habeant solidos V. a libris uero X usque ad XXV solidos X. et a libris XXV supra solidos XX. pro cassatura uero pagamentorum et estimi imperiales XII et pro cassatura possessionis tedialis et corporalis imperiales VI. dicta autem instrumenta dictarum possessionum confirmationum et pagamentorum in publica forma peragere non possint predicti notarii nisi ad peticionem illorum quorum instrumenta essent dummodo eis satisfactum fuerit pro abreuiatura ut supra proponitur et si contrafecerint non possint cogere nec cogi facere predictos quos tangerent dicta instrumenta ad satisfaciendum eisdem pro ipsorum scriptura. Item pro dando processum cum testibus et defensionibus alicuius maleficii pro qualibet pagina comunali imperiales VI. Omnes suprascripti sex notarii teneantur custodire et saluare bona fide et sine fraude omnia bona comunis Yporegie et eidem pertinentia in Yporegia et districtu et nullum fraudulossum lucrum occaxione dicti eorum officii facere uel facienti consentire attendere quoque et obseruare omnia precepta potestatis siue uicarii suorumque iudicum ad officium dicte notarie expectantia. uenire eciam ad palacium quocienscumque campanam officialium audiuerint uel crediderint ad eam esse pulsatum et eorum officia in omnibus fideliter exercere. et hoc totum capitulum
a legatur in plena credencia quando dicti notarii electi eorum iurabunt officium qui teneantur iurare in ipsa credencia omnia et singula suprascripta attendere et obseruare bona fide et sine fraude et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice ultra predictas penas solidos XX et quicumque possit accusare et habeat medietatem banni. iudex uero ad cuius banchum notarius deputatus contrafecerit teneatur et debeat incontinenti postquam sciuerit dictum notarium contrafecisse precisse et speciali sacramento dictos solidos XX ab ipso excutere incontinenti antequam permittat ipsum descendere de palacio et nichilominus obseruare seu obseruari facere omnia et singula supradicta.

b *De iuramento et officio procuratorum comunis.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod procuratores comunis debeant in plena credencia sacramentum eorum officii facere in hac forma. Ego talis procurator comunis Yporegie iuro ad sancta Dei euangelia procurare et facere bona fide et sine fraude officium mee procurationis et inquirere prouentus et iura pertinencia ad comune Yporegie et districtum et quod occasione huiusmodi officii aliquod fraudulosum lucrum non faciam nec consentiam facienti. faciam insuper et procurabo meo posse quod potestas et iudices eius et miles cetérique officiales comunis eorum sacramenta et statuta comunis attendent et eorum officium fideliter
c exercebunt. quocienscumque campanam officialium audiuero uel ad eam esse pulsatum putauero ueniam ad palacium inde non recessurus sine potestatis siue uicarii iudicis uel militis optenta licencia nec eciam sine dicta licencia extra ciuitatem Yporegie pernoctabo. faciam quoque fieri in mea presencia et sociorum meorum uel maioris partis nostrorum omnes rationes omnium forestanorum electorum uel eligendorum pro aliquo opere faciendo. uicarius insuper qui pro temporibus fuerit dictis procuratoribus seu alteri eorum non ueniendi ad dictum palacium quociens ei expedire uidebitur pro suo uoluntatis libito possit licentiam dare. Item quod procuratores comunis qui nunc sunt et pro temporibus fuerint teneantur et debeant quilibet ipso-
d rum si fuerit oportunum manuleuare comuni Yporegie pro nunciis mittendis solidos LX imperiales pro quolibet ipsorum quibus satisfaciatur et compensentur in primo fodro sequenti et quod iudex comunis tempore quo prestabunt iuramentum eorum officii exequendi legat et legi faciat eis presens statutum qui si facere et iurare que in ipso statuto continentur recusauerint eorum electio sit cassa et pro cassa habeatur et teneatur loco eius scilicet uel eorum qui recusauerint facere et iurare predicta et ille seu illi qui breue habuerit alium seu alios eligere procuret.

De clauario comunis eligendo et etiam officio et sacramento faciendo.

Item statuerunt et ordinauerunt pro magna et euidenti utilitate dominorum comitis et principis nec non comunis et hominum ac singularum personarum ciuitatis Yporegie quod amodo in antea singulis sex mensibus eligatur et eligi debeat unus clauarius ad breuia quemadmodum ceteri alii officiales in plena credencia eliguntur uidelicet de quolibet tercerio per ordinem et successiue que electio ex ordine capiatur a tercerio de Cita et postmodum ad tercerium de Burgo et subsequenter ad tercerium de Rucha sancti Mauricii perueniat et deuoluatur et sic in posterum perpetuo obseruetur. cuius clauarii officium sit et esse debeat pro ut inferius continetur. Teneatur enim dictus clauarius excutere et exigere recipere gubernare et conseruare omnes et singulos census et prouentus debitos ipsi comuni tam per dominos comitem et principem quam alias quacumque occaxione personas ex quacumque causa quam qui in posterum debebuntur dicto comuni quacumque occasione uel causa et incontinenti ipsos prouentus in libro receptorum scribere diem quantum et a quo reperitur.

Item teneatur predictus clauarius precisso et speciali sacramento emendas ex quacumque causa debitas personis singularibus ciuitatis predicte et districtus occaxione dampnorum datorum infra xv dies a die condempnationum factarum numerandos nisi ab ipsis condempnationibus appellatum foret uel petitum cognosci iuxta formam statutorum comunis Yporegie quo casu confirmata dicta sententia infra dictos xv dies excutere ipsisque excussis et exactis restitutionem facere ipsis habere debentibus infra tercium diem postquam per habere debentes requisitus fuerit retenta tantum sibi quarta parte pro remuneratione eius laboris. eodem modo idem clauarius teneatur emendas comuni debitas pro dampnis datis in comugnis non asortatis uel uiis seu aliis locis quibuscumque infra dictum terminum ut infra premittitur exigere et dictis exactis immediate in suo libro receptorum ut supra scribere et eas penes se tenere et saluas facere expendendas pro ut per credenciam contingerit ordinari in quibus tantum quarta pars lucro cedat clauarii qui pro temporibus fuerit pro eius labore. Teneatur insuper clauarius librum unum emere de cartis sumptibus comunis in quo omnes ambaxiatas que fierent tempore sue clauarie et omnia instrumenta pro comuni et contra comune faciencia que mandarentur per procuratores dicti comunis fieri tempore sue clauarie et omnes literas que ordinarentur per procuratores dicti comunis poni et regestrari et in ipso libro conscribi facere et registrari per notarios ad banchum maleficiorum deputatos per deputatos per tempora. qui notarii ad predicti clauarii requisitionem speciali sacramento et sub pena solidorum v imperialium pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerint quo-
a rum medietas perueniat in dominos comitem et principem et alia medietas in ipsum clauarium teneatur predicta ut supra premittitur conscribere ac eciam regestrare infra tres dies a dicta requisitione numerandos quibus elapsis si dicti notarii predicta non fecerint idem clauarius precisso et speciali sacramento teneatur infra alios tres dies per alium notarium quem uoluerit facere registrare predicta cui notario satisfaciat de parte banni predicta. Item teneatur idem clauarius omnia instrumenta pertinencia ad comune debita et quecumque iura perquirere et perquisita exigere a tenentibus sine recuperare nomine ipsius comunis eaque recuperata et exacta penes se tenere et de ipsis successori suo in dicto officio congruam reddere rationem.
b Item notarii maleficiorum qui pro tempore fuerint ad banchum maleficiorum deputati teneantur precisso et speciali sacramento omnes condempnationes faciendas per tempora per uicarium occaxione dampnorum dato sibi papiro per clauarium et ipsas exemplatas infra tercium diem a die publicationis dicto clauario tradere per ipsum clauarium gubernandas. quas etiam sibi traddi idem clauarius infra triduum requirere et petere teneatur. Clauarius uero contrafaciens pro qualibet uice perdat solidos v quorum medietas perueniat in dominos comitem et principem et alia medietas in dictos notarios maleficiorum et dicti notarii contrafacientes perdant pro quolibet et qualibet uice solidos v imperiales quorum medietas perueniat in
c dominos comitem et principem et alia medietas in dictum clauarium. dicti autem notarii maleficiorum pro eorum remuneratione laboris habeant cassaturas dictorum dampnorum datorum seu emendarum et partis banni pertinentis personis singularibus predicte ciuitatis et districtus pro qua cassatione eisdem fiat solutio per predictas emendas et partem bannorum recipientes uidelicet denarium i pro quolibet solido. dicti autem notarii in dicto libro expensis clauarii scribant quantitates que soluentur personis singularibus de qua scriptura habeant dicti notarii solidum i pro libra a supradictis personis. Item teneatur idem clauarius infra octo dies ante exitum sui officii coram nouo clauario qui sibi succedet in dicto officio et procuratoribus et ratio-
d natoribus comunis reddere rationem de datis et receptis et solutis per ipsum tempore sui officii et reliqua ac libros et instrumenta comunis prima die ingressus officii successoris sui restituere eidem et consignare presentibus dictis procuratoribus et de premissis facere fieri publicum instrumentum. Item predicta prouissio legatur in singulis sex mensibus in credencia qua officialium electio celebranda erit et cridetur publice per ciuitatem Yporegie prima die ueneris sequente dictam credenciam et hec prouissio duret ad uoluntatem credencie et sit precissa et truncha ita quod de ea non possit peti licencia nec dari. Item quod uicarius qui nunc est et qui pro temporibus fuerit teneatur precisso sacramento predictum clauarium iurare facere ad

predicta exequenda sine aliquo iuris ordine uel figura iudicii et hoc statutum ponatur in libro statutorum et pro statuto perpetuo obseruetur.

De here comunis non dando nisi certis personis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod per potestatem siue uicarium iudicem militem nec aliam aliquam personam non possit dari uel recipi de auere comunis saluis eleemoxinis dandis miserabilibus personis si credencie placuerit et saluis salariis iudicum collegii de Yporegia eis dari in festo natiuitatis Domini usitatis et aliorum officialium comunis et habere debencium ut in statutis continetur. Non possit insuper poni in conscilio credencia uel arengho de dando aliquo de dicto auere comunis alicui nuncio literas aliquas seu noua portanti seu referenti quacumque de causa potestati seu comuni Yporegie ab aliquibus personis seu comitatibus et hic ultimus paragrafus sit precissus ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari.

De libro faciendo pro debitis comunis scribendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod a principio regiminis potestatis fiat unus liber in quo scribantur omnia ea que dari debentur et debebuntur per comune tam officialibus quam aliis habere debentibus a comuni et dies et causa dictorum debitorum.

De rationatoribus comunis et eorum notario.

Item statuerunt quod in credencia in qua eliguntur alii officiales comunis eligantur tres boni et fideles homines unus uidelicet per Rucham ad breuia et qui breue habuerit ipsum sibi retinere non possit sed dare teneatur uni de suo tercerio quem crediderit esse bonum et sufficientem qui uidelicet sit in estimo de libris x ad minus et etatis annorum xxx qui tres sic electi iurent in credencia eorum officium fideliter exercere et iura comunis manutenere. predicti uero tres teneantur et debeant facere rationes comunis datorum et receptorum uidelicet et omnium ipsius comunis prouentuum et eligatur eciam modo predicto unus notarius qui scribat dictam eorum rationem et summas exemplet et habeant pro eorum salario solidos x imperiales a comuni pro quolibet et non ultra pro toto anno. supradictam autem rationem facere teneantur infra terminum eisdem per uicarium sub eius sacramenti debito statuendum quam si non fecerint infra ipsum terminum sint priuati ipso iure eorum officio et perinde habeantur ac si nunquam fuissent electi nec ad ipsum officium possint restitui nisi per credenciam comunis Yporegie.

a *De iudice deputando ad reformationes et alias scripturas comunis dictandas.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod in credencia qua alii officiales eliguntur unus ex iudicibus colegii Yporegie singulis sex mensibus modo quo alii officiales eliguntur ad breuia eligatur et qui dictum breue habuerit possit et debeat illud dare cui uoluerit iudici de colegio de suo tercerio qui iudex pro suo salario pro dictis sex mensibus habeat de auere comunis libras xl et qui habuerit dictum officium ipsum habere non possit usque ad annum proximum et completum post exitum sui officii supradicti et qui illud habuerit nichilominus similiter possit aliud habere officium non ob-
b stante statuto ne quis possit plura habere officia. Dictus autem iudex teneatur propositas reformaciones credenciarum et consciliorum literas per comune mittendas et cartas dicti comunis dictare. Teneatur autem dictus iudex cum uno notario banche iusticie quem uoluerit infra xv dies principii sui officii signare designare et subscribere seu signari et designari et subscribi facere singulariter super singulis capitulis omnes addiciones et singulas factas et positis in libro statutorum comunis Yporegie aperiendo et designando et subscribendo cuilibet statuto suas addiciones secundum quod sunt aperiende designande et subscribende et si non fecerit dictum suum officium perdat totum suum salarium.

c *De instrumentis et scripturis comunis custodiendis et eorum custodia.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod per credenciam eligatur unus sapiens qui habeat curam faciendi fieri omnia instrumenta comunis et ipsa instrumenta faciendi poni in libro comunis et fiat per notarios comunis Yporegie qui habitent Yporegie cum eorum familia et non per alios et sint facta ipsa instrumenta et posita in libro comunis infra xv dies postquam fuerint precepta alicui tali notario et dictata. Qui eciam sapiens habeat curam de omnibus aliis scripturis dicti comunis custodiendis et gubernandis ad maiorem utilitatem comunis. Omnia uero instrumenta comunis legantur in cre-
d dencia sicut abreuiata fuerint antequam extrahantur de abreuiaturis et partibus reddantur. teneatur quoque potestas sine uicarius et iudex et predictus sapiens electus inquirere et inquiri facere omnia instrumenta comunis perdita et faciat dictus custos fieri unum librum expensis comunis in quo scribantur omnes summe racionum que fient per racionatores comunis tam dati quam recepti clauariorum preteritorum presencium et futurorum qui fuerunt a tempore conuentionum domini marchionis citra. Notarius autem racionatorum teneatur dictas summas scribere tam in ipso libro quam in alio remanente penes racionatores. Curet igitur custos predictus diligenter inquirere omnes ciues seu habitatores comunis qui debent emere possessiones

pro eorum citanayco et ipsos inuentos incontinenti *a* potestati seu uicario suisque iudicibus presentare. qui potestas seu uicarius et iudex predictos ciues eorumque fideiussores infra tres menses post denunciationem predictam compellat mulcta indicta emere possessiones predictas ipsasque scribi facere in libro comunis et hec de hiis qui effecti sunt ciues et habitatores Yporegie a tempore citra conuentionum domini Guillelmi quondam marchionis Montisferati. Quod si potestas non fecerit ammittat de suo salario libras xxv quas clauarius incontinenti in dato salarii dicti potestatis siue uicarii scribi facere teneatur et nihilominus ipse potestas siue uicarius predicta facere compleri teneatur infra alios tres menses sub pena simili. dictus autem sapiens siue custos pro suo salario habeat singulis annis *b* solidos xx imperiales.

De quibus rebus debeant dari pedagia.

Item statuerunt et ordinauerunt quod de infrascriptis rebus que ducuntur uersus Vallem Augustam debeat dari pedagium pro ut inferius continetur ita quod de aliis non expressis in hoc capitulo pedagium nullatenus capiatur. Pro stario sallis dentur pro pedagio denarii xviii pro stario frumenti siliginis cicerum faxolorum castanearum pistarum et fabarum denarii viiii pro stario auene ordei millii panicii milice cisercarum arbeglarum lantiglarum et nucum et pro tanto oleo quod factum fuerit de uno stario nucum et pro gariglis unius starii nucum *c* denarii vi pro stario castanearum uiridum et ceparum pro uno miliari allei et pro xx solidatis porchorum et mezenarum piscium siccorum et anguilarum denarii iiii. Homines autem Yporegie et districtus pro sale quod portarent uel portari facerent ad usum eorum bestiarum et mercatores Yporegie euntes uersus Vallem Augustam pro medio quartarono auene pro qualibet bestia ad ussum earum non teneatur dare pedagium sed scriptum capiant de predictis. porci uero et bestie que ducentur inferius de Valle Augusta possint reduci ab eis quorum fuerint uel eorum nunciis sine pedagio cum scripto tamen comunis.

De pedagio molarum. *d*

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes mole et zape que ducte fuerint debeant poni in curte domus Sancti Spiritus uel infra ecclesiam sancti Francisci uel circa et qui contra fecerit ille cuius erunt mole uel zape soluat pro banno solidos v pro qualibet uice et pro qualibet mola seu zapa. Nullus autem debeat ipsas molas uel zapas remouere de dicto loco absque licencia pedagiarii sub banno solidorum lx postquam fuerit preconizatum et hoc preconizetur per Yporegiam in locis consuetis. Liceat tamen cuicumque ciui Yporegie ducere molas ad suum molendinum et habere ad suam uoluntatem ad necessarium usum suum. possit eciam ille cuius fuerint mole eas in ciuitate Yporegie ubi uoluerit ponere postquam in dicto ordinato pedagiariis fuerint presentate eorumque presentacio manu dicti pedagierii fuerit scripta. Illi autem qui dictas molas seu zapas defferri facient de ciuitate Yporegie super carris non possint facere ipsas portari nisi a boueriis et super carris Yporegie et districtus exceptis hominibus iurisdictionis Yporegie qui ad eorum ussum possint facere sicut uoluerint eas defferri. Nullus eciam possit extrahere uel extrahi facere de ciuitate Yporegie uel districtu molas aliquas ibi delatas donec homines Yporegie districtus et episcopatus et eciam illi de contrata de hiis molis habere uolentibus pro precio competenti quante fuerint eis necesse ad eorum molendina ubicumque sint et tunc demum possint extrahi soluto tamen pedagio supradicto. Item zape apposite in opere molendinorum uendite per molendinarios Yporegie libere possint soluto pedagio extrahi a quocumque. Non debeat quisquam molas aliquas ducere uel duci facere de Valle Augusta per ciuitatem Yporegie uel districtum nisi prius per eos qui tenent moleriam in Valle Augusta sic factum et ordinatum extiterit quod homines Yporegie et districtus de ipsa moleria et ualle possint emere molas et ducere libere Yporegiam soluendo tamen ex hiis id quod est actenus consuetum solui et qui contra predicta uel aliquod predictorum fecerit ammittat molas quas duceret uel duci faceret contra formam predictam. Quilibet tamen molendinarius ciuitatis Yporegie et districtus possit libere et secure tam per se quam per eorum nuncios ad dictam moleriam per Vallem Augustam ire et redire et emere molas bonas uel minus bonas precio consueto uel competenti et si quis habens molas in ciuitate Yporegie bonas et minus bonas teneatur uendere dictis molendinariis precio competenti arbitrio duorum molendinorum ciuitatis Yporegie electorum per dictum uenditorem qui duo iurent ad sancta Dei euangelia predicta bene et bona fide facere et se non habere partem in dicta uendicione uel emptione et qui contrafecerit soluat ultra predictas penas solidos lx pro quolibet et qualibet uice.

De precio molarum ducendarum. ponatur hoc statutum cum statuto loquenti de pedagio molarum etc.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quicumque duxerit aliquam molam unam uel plures alicui ciui Yporegie deuersus Vallem Augustam ad uecturam debeat ipsam uel ipsas ducere ad uecturam pro tanto quantum accipere et habere consueuerunt comuniter a sex annis citra uel ante. et idem intelligatur de clapis ducendis similiter pro precio consueto et si predicto precio ducere recusauerint liceat cuilibet ciui Yporegie habenti molas uel clapas ad ducendum et cuilibet eius nuncio eas duci facere ad suam liberam uoluntatem et super hiis obseruandis teneantur potestates siue uicarii et iudices et eciam

comune et homines Yporegie fortem facere quemlibet ciuem Yporegie ad predicta consequenda hiis iuribus quibus melius poterint contra quoslibet impedientes ipsos ciues in predictis quandocumque per aliquem ciuem fuerint inde requisiti.

De maistralium seu officialium sequela sacramentis ad banchum maleficiorum prestandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes officiales amodo in antea debeant eorum iuramenta prestare de eorum officiis fideliter exercendis ad banchum maleficiorum eodemque modo facientes et iurantes sequelam domino uicario debeant dicta eorum iuramenta scribi per notarios ad banchum maleficiorum deputatos aliquibus statutis non obstantibus.

De extimatoribus comunis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur tres extimatores comunis qui teneantur et iurent ad sancta Dei euangelia bona fide et sine fraude estimare et dare et liurare in solutum precepto et uoluntate potestatis siue uicarii uel iudicis creditoribus et habere debentibus de rebus et bonis debitorum secundum formam statuti de estimationibus et dationibus in solutum et eorum officium fideliter exercere qui estimatores habeant inter se denarios IIII pro libra monete eius debiti pro quo fiet estimatio sortis uidelicet et expensarum tantum et si extra ciuitatem Yporegie iuerint habeat quilibet eorum imperiales II pro uia pro quolibet miliari. possint autem duo ex ipsis estimatoribus cum requisiti fuerint eciam sine tercio estimare et eorum officium exercere.

De consulibus iusticie comunis et eorum salario.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur tres consules iusticie comunis Yporegie unus per Rucham qui habeant pro eorum salario solummodo denarios II pro qualibet libra quam raspauerint de rebus debitorum monete eius debiti quod soluetur et imperiales II pro uia pro quolibet miliari si eos exire contigerit extra ciuitatem et si non fecerint fieri solutionem uel quia eis uetarentur pignora uel alio modo habeant solutionem tantum competentem pro uia et si quantitas debiti quod raspabitur ascenderit ultra libras XII habeant pro qualibet libra ultra quantitatem librarum XII medietatem solummodo solutionis predicte. et non possint ipsi consules iusticie petere recipere uel habere solucionem pro aliqua rasparia nisi pro illa uice et quantitate quam raspauerint salua uia. nec possint ipsi consules et seruitores in domo alicuius quam intrauerint causa exequendi aliquam sententiam uel dandam aliquam solucionem alicuius seu alia de causa ad peticionem alicuius persone sibi pignus pro sua solucione capere sub pena solidorum V pro qualibet uice et
a nichilominus teneantur reddere eciam pignus et hoc credatur sacramento illius ad cuius domum ceperint dictum pignus. nec predicta intelligantur si dictus consul iusticie et seruitor fuerit missus pro bannis uel fodris excuciendis. teneantur insuper consules iusticie et seruitores qui per clauarium missi fuerint ad raspandum ipsa die qua raspauerint uel sequenti pignora inde capta ei qui eos miserit consignare. Si uero pro eorum rasparia aliqua pignora ceperint teneantur ea reddere illis quorum fuerint pro eo quod habere debent secundum formam statuti infra terciam diem postquam ab eis fuerint requisiti. consules autem uillarum et locorum districtus Yporegie teneantur et debeant speciali et precisso sacramento facere fortes *b* consules iusticie et seruitores comunis Yporegie qui iuerint ad dicta loca causa dandi in solutum alicui creditori de bonis alicuius debitoris ad capiendum et auferendum de bonis dicti debitoris que dare uoluerit in solutum et ipsa bona tenere penes ipsos ad peticionem creditoris habere debentis tenere penes ipsos salua et recomandata et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet consule solidos LX imperiales et de predictis credatur sacramento dictorum consulis iusticie et seruitorum. Consules uero iusticie et seruitores qui contra predicta eos tangencia fecerint soluant pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos V imperiales et restituat eciam qui plus acceperit quam debuerit duplum pluris accepti et ultra hoc ipso iure de *c* officio suo sit priuatus in quo non possit restitui toto tempore regiminis rectoris sub quo dictum officium exercebat et loco ipsius alius subrogetur per procuratores de tercerio illo de quo dictus remotus fuerat aliquo capitulo non obstante. predicti tamen consules in principio eorum officii iurent predicta omnia et singula obseruare et eorum officium fideliter exercere.

De seruitoribus comunis et eorum salario.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur manderii seu seruitores comunis boni et fideles qui habeant pro eorum salario in festis et feriis iuxta consuetudinem et statutum scilicet in festo natiuitatis *d* Domini quilibet eorum solidos II et totidem in carnispriuio Paschate resurrectionis et in festo beate Marie de medio augusto. Duo autem ex eis eligantur qui debeant temporibus feriatis stare continue ad palacium comunis apud potestatem siue uicarium uel iudicem exequentes ea que per ipsos fuerint imposita et habeat quilibet ipsorum duorum pro eorum labore solidos V in feriis quibuscumque. Habeat eciam quilibet dictorum seruitorum comunis denarium I pro qualibet libra quam cum consulibus iusticie uel sine dari fecerint in solutum et imperialem I pro uia pro quolibet miliari. et si non facerent fieri solucionem quia pignora eis uetarentur uel alio modo habeant solutionem eis competentem solum pro uia. et si quantitas debiti de qua

fieret solucio ascenderet ultra libras XII habeat pro *a* qualibet libra ultra quantitatem librarum XII solum medium denarium eiusdem monete. et non possint seruitores petere recipere uel habere solucionem pro aliqua rasparia nisi pro illa uice et pro illa quantitate qua et quam solui fecerint salua uia. pro saximento autem facto occaxione debiti ascendentis usque ad solidos XX habeant seruitores denarium I quod si ultra solidos XX ascenderit habeant pro uniuerso ipso debito denarios II salua uia ut supra si fieret extra ciuitatem. Pro possessione uero tediali uel corporali eius quantitatis uel rei que ualeat usque ad libras X habeat seruitor pro qualibet libra denarium I et a libris uero X usque ad L habeat pro tota quantitate denarios XVIII a libris autem L supra habeat solum solidos II pro tota quan- *b* titate salua uia ut supra. Et predicta omnia teneantur predicti seruitores actendere et non contrauenire sub banno solidorum V pro quolibet et qualibet uice et sub pena dupli eis a quibus plus acceperint per eos restituendi. teneantur insuper dicti manderii omnes ambaxiatas eis impositas et per eos receptas in termino eis imposito pro eis qui eas imposuerint et ubi debuerint fideliter protestari sub banno denariorum XII pro quolibet et qualibet uice. Debeat tamen potestas siue uicarius et iudices dictis seruitoribus de ambaxiatis et hiis que per eos fieri fecerint eadem uel sequenti die satisfacere fieri competenter. Non autem debeant seruitores ire mexonatum ad petendum blauas nec uuas tempore uindemiarum et qui contra fecerit sit cassatus ipso *c* facto ab officio mandarie et iurent dicti seruitores predicta omnia et singula obseruare et eorum officium fideliter exercere.

De non ponendo seruitores ad catenam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerint non possint nec debeant ponere nec poni facere aliquos precones nec seruitores comunis Yporegie ad catenam nec in carceribus nec in compedibus seu in cepibus nisi accíderit ipsos precones uel seruitores non uenire ad palacium comunis uel ad domum habitationis dictorum uicarii hora debita seu eisdem statuta. Nec possint ipsi uicarius seu eorum iudices *d* ipsos precones et seruitores sic non uenientes ut supra dictum est condempnare usque ad quantitatem solidorum II imperialium pro quolibet et qualibet uice et duret hoc statutum ad uoluntatem credencie et non ultra.

De duobus trumbatoribus tenendis per comune Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod per comune Yporegie in posterum teneantur in ciuitate predicta duo boni et sufficientes trumbatores cum trumbis grossis qui trumbatores habeant a comuni Yporegie singulis annis super censu becharie libras X et alias libras X imperiales a dicto comuni pro ut de ipsis soluendis duxerit ordinandum et qui trombatores sint nuncii et trombatores comunis et hominum Yporegie nec possint predicti trombatores uel alter ipsorum pernoctare extra ciuitatem Yporegie sine licencia procuratoris comunis uel duorum ex ipsis.

De preconibus comunis et eorum salario.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ex seruitoribus comunis eligantur et sint tres precones comunis et habeat quilibet eorum pro suo salario si tenuerit unum equum masculum estimatum per procuratores comunis ad solidos C ad minus et unam trombetam quolibet anno libras IIII. si uero non tenuerit dictum equum et dictam trombetam solum solidos XX omni anno pro quo salario teneantur dicti precones facere cridas necessarias pro comuni ad uoluntatem potestatis et iudicum tociens quociens fuerit eis preceptum et eciam cridas tempore uentosso quod ignes periculosi extinguantur et facere ipsos ignes extingui. habeant et ultra predictum salarium semper illos solidos II sicut alii seruitores debent habere prout in eorum continetur statuto pro quibus teneantur ipsi precones officium mandarie sicut ceteri seruitores exercere. non possint autem dicti precones extra ciuitatem pernoctare nisi uolentes ire ad nuptias cum licencia potestatis et procuratorum uel maioris partis eorum et dimittentes loco eorum unum ex seruitoribus comunis qui officium eorum exercens in omnibus interim uicibus eorum fungatur. predicta tamen licencia non possit eis concedi nisi in qualibet uice per sex dies ita quod sint sexta die regressi. teneantur insuper dicti precones semper cum fuerint Yporegie ire ad credencias et ibi debeant stare ad ea que eis iniuncta fuerint exequenda. illis uero absentibus duo ex aliis seruitores loco eorum eadem exequantur. Predicti uero precones et seruitores qui fuerint deputati ad ea que sunt exequenda in credenciis et consiliis secundum formam alterius statuti semper quando fient credencie et consilia ad predicta facienda teneantur uenire et inde se non remouere sine licencia potestatis seu uicarii sub banno denariorum XII pro quolibet et qualibet uice. et predicta omnia et singula iurent predicti precones attendere et obseruare et eorum officium fideliter exercere.

De magistris scolaribus gramatice.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet possit legere et docere in ciuitate Yporegie et omnes magistri legentes dictam artem et eorum scolares cum rebus nunciis familiaribus eorum possint libere et secure stare ire et redire in ciuitatem Yporegie et districtum et tractentur in omnibus tamquam ciues non obstantibus aliquibus excontris et contracambiis. in quorum etiam magistrorum scolarium

eorumque familiarium causis uel questionibus procedatur summarie iuris ordine non seruato.

De collegio et statutis notariorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis notarius qui non sit uel fuerit de collegio notariorum Yporegie uel qui ab hiis qui per ipsum collegium ad hoc deputati fuerint prius examinatus non fuerit approbatus non possit officium notarie comunis in palacio exercere nec illud officium comunis habere uel uti eodem exceptis iudicibus collegii iudicum Yporegie qui sunt uel erunt notarii. Hii eciam qui officio notarie usi fuerunt ante obseruacionem presentis statuti quod primo cepit esse in obseruatione principio kalendarum ianuarii currente MCCLXXXVIIII sine examinacione uel approbatione aliqua possint illud officium exercere. Si tamen consules notariorum fuerint requisiti per aliquem ciuem et habitantem Yporegie quod recipiatur ad eorum collegium et ipsi recusauerint eum recipere eo ipso gaudeat priuilegio in ipso officio habendo et exercendo ac si esset de collegio. Potestas siue uicarius insuper teneatur cum per ipsum collegium notariorum uel per destinatos ab eo fuerit requisitus una cum procuratoribus comunis et duobus ex iudicibus collegii iudicum de Yporegia duobus eciam eorumdem notariorum statuta eiusdem collegii notariorum uidere audire et examinare et que ipsi potestati cum predictis approbanda uidebuntur debeant approbare. Que autem sic fuerint approbata et presens statutum teneatur potestas siue uicarius obseruare ad uoluntatem dicti collegii et facere obseruari. Non possit esse preterea de collegio notariorum qui non sit de ciuitate Yporegie et iurisdictionis uel districtus et qui non steterit in ciuitate Yporegie per X annos ad minus et hoc sit precissum et trunchum. possit eciam quilibet notarius de dicto collegio scribere et extrahere instrumenta de protocollis notariorum uiuentium de mandato ipsorum notariorum dummodo ille notarius qui cartam receperit se subscribat et signum suum apponat et aliter dicta carta sic extracta non ualeat ipso iure. Si autem contingerit aliquem notarium morari uel habitare cum aliquo ciue Yporegie uel districtuali comunis Yporegie non possit nec debeat idem notarius recipere aliquod instrumentum in fauorem dicti ciuis uel districtualis cum quo morabitur uel ipsius familie et si contra factum fuerit non ualeat nec teneat dictum instrumentum sed perinde habeatur ac si numquam fuisset receptum. Insuper aliqua persona que non fuerit de collegio notariorum ciuitatis Yporegie et que non fuerit in estimo comunis Yporegie non possit nec debeat recipere nec facere aliqua instrumenta seu testamenta nec eciam quosuis alios contractus in ciuitate Yporegie nec suburbiis et si contra factum fuerit non ualeant nec teneant ipsa instrumenta contractus testamenta sed sint ipso iure nulla et nullius ualoris si per aliquam personam hoc oppo-
a situm fuerit contra ipsa instrumenta seu testamenta infra X annos proxime subsequentes a die receptionum dictorum instrumentorum seu testamentorum numerandos et si infra dictos decem annos dicta exceptio non fuerit opposita non possit ulterius opponi sed ualeant et teneant instrumenta predicta. Qui uero notarii fuerint de dicto collegio et in estimo dicti comunis quamquam sint clerici possint et eis liceat recipere et instrumenta cartas et testamenta et officium notarie exercere in ciuitate Yporegie et in suburbiis non obstantibus quibuscumque statutis et ordinationibus factis et faciendis tam per statutarios et credenciam comunis Yporegie quam etiam per dictum collegium et notarios ipsius collegii. Et intelligantur esse in estimo comunis Ypo-
b regie eius fratres filii et nepotes descendentes illorum qui sunt in estimo dicti comunis et quod omnia nomina et prenomina omnium notariorum dicti collegii ponantur et scribantur in libro statutorum comunis Yporegie et hoc statutum sit precissum et trunchum. Non possit enim aliquis notarius habere uel recipere officium notarie in palacio comunis Yporegie ad banchum maleficiorum uel iusticie nec illud exercere nisi fuerit de collegio notariorum Yporegie et in ipso collegio positus per sex menses antequam ad illud officium electus fuerit et quidquid contra factum fuerit eius electio uel quid sequeretur ex ea uel ob id sit cassa et irrita ipso iure.

c *De instrumentis extrahendis de protocollis notariorum et de ipsis protocollis seruandis.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus notarius possit extrahere instrumentum aliquod de protocollo alicuius notarii iam defuncti nisi de potestatis siue uicarii uel iudicis licencia siue precepto. potestas uero siue uicarius uel iudex uiso prius per eum et per notarios comunis protocollo defuncti et ad cognoscendum si est uere de litera tabelionis defuncti et citata aduersa parte cuius interest quod ueniat ad contradicendum si uoluerit possit et debeat dare licenciam supradictam. quod si pars aduersa predicta non fuerit de ciuitate uel districtu Ypo-
d regie cridetur solum per ciuitatem quod infra certum terminum ueniat ad contradictionem siquidem uoluerit in predictis alioquin transacto termino detur licencia et fiat ut supra. non possit autem nec debeat aliquis notarius uel eius heredes uel successores seu quecumque alia persona ciuitatis Yporegie uel districtus que aliquod uel aliqua protocolla notarii sua uel alieno habuerit in sua potestate tractare facere uel alio modo ordinare inter uiuos uel ultima uoluntate quod ipsa protocolla siue aliquod ex ipsis de ciuitate Yporegie extrahantur sed omnia protocolla que sunt in ciuitate Yporegie uel districtu ibidem remaneant ut de hiis copia semper ab omnibus quorum interfuerit habeatur. Nec possit aliquis apud quem deposita fuerint huiusmodi proto-

colla gubernanda aliter ea recipere nec habere nisi prius coram potestate seu uicario uel iudice ydoneam satisfactionem prestiterit de libris L imperialibus quod contra predicta non faciet sed omnino faciet et curabit quod de predicta ciuitate non extrahantur predicta protocolla uel aliquod eorum sub pena librarum L. teneatur preterea omnia ipsa protocolla sibi commissa et recommandata et numerum foliorum tam scriptorum quam non scriptorum consignare per publicum instrumentum suis expensis gubernatori librorum comunis qui de hiis faciat cuilibet uolenti sub banno solidorum LX pro quolibet et qualibet uice. teneatur insuper idem potestas siue uicarius suique iudices omnia protocolla notariorum decedentium infra decem dies post mortem eorum sibi facere presentare ipsaque de consilio et uoluntate trium propinquorum defuncti cuius fuerant protocolla penes aliquem notarium Yporegie extrahenda et gubernanda deponere. Notarius uero penes quem dicta protocolla ut supra deposita fuerint in ipsa depositione iurare corporaliter teneatur quod predicta protocolla uel aliquod eorum non dabit nec ponet nec dari nec poni faciet nec consenciet in manibus alicuius notarii qui non sit de iurisdictione comunis Yporegie et si contra faceret soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos LX imperiales pena extrahencium extra districtum permanente in suo robore et firmitate consules denique collegii notariorum ut melius impleantur predicta infra terciam diem postquam sciuerint mortem defuncti notarii eam teneantur potestati seu uicario uel eius iudicibus nunciare.

De instrumentis uulgarizandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet notarius quando recipiet aliquod instrumentum debeat ibi in presencia partium uulgarizare et clarare scribens incontinenti diem testes terminos quantitates ac predicta inter partes expressa in suo protocollo uel alio folio si fuerit illud instrumentum receptum in ciuitate Yporegie uel suburbiis nichilominus teneatur ipse notarius eciamsi alibi receptum fuerit instrumentum illud in suo protocollo infra VIII dies post receptionem ipsius quam melius et legalius potest illud abreuiare siue preceptum fuerit siue non ad dictamen fieri sapientis. Notarius uero contrafaciens soluat pro pena et banno solidos XX imperiales. potestas autem siue uicarius uel eius iudex infra XV dies principii sui regiminis coram se citari facere teneatur omnes iudices collegii notariorum Yporegie ipsosque iurare facere predicta omnia et singula inuiolabiliter obseruare.

De sollempnitatibus in instrumentis obseruandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod in omni instrumento facto super quocumque contractu quantitatis uel ualoris librarum X uel ultra ponantur tres testes ad minus et aliter instrumentum non ualeat

a ipso iure. in quocumque autem instrumento teneatur notarius ipsum recipiens nomina et prenomina ipsius notarii ac eciam contrahentium exprimere et quorum filii fuerint uel sint sub banno solidorum II pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerit. non possit autem aliqua persona ciuitatis Yporegie uel districtus omnia bona sua seu quotam partem ipsorum bonorum uidelicet medietatem terciam uel quartam uendere donare nec per modum emancipationis uel aliquo quocumque titulo donationis dare seu cambiare inter uiuos et hoc nisi predicta donatio permutatio uel alienatio fiat in actis coram domino uicario uel eius iudice et presentibus procuratoribus comunis et facta ipsa donatione permutatione uel alienatione teneatur coram predictis
b uicario seu iudice et procuratoribus seu maiori parte ipsorum procuratorum facere poni et legi in plena credencia ut omnes de dicta credencia sciant et ad hoc ut nullus possit ex ipsis donationibus uel alienationibus defraudari et si contrafactum fuerit non ualeat nec teneat ipso iure sed penitus sint cassa et uacua et nullius ualoris et predicta non habeant locum contra ecclesias uel personas religiosas. Nullus enim minor XX annorum possit uendere nec alienare aliqua sua bona immobilia etiam interueniente iuramento sine consensu et uoluntate duorum suorum propinquorum agnatorum si agnatos habuerit et si non habuerit tunc de consensu et uoluntate duorum aliorum propinquorum parentum masculorum quod si contrafactum fuerit non ualeat nec
c teneat quelibet alienatio sed sit ipso iure nulla et nullius ualoris. testari autem et legare causa mortis donare uel alias quasuis ultimas uoluntates facere possit et sibi liceat dummodo hoc sibi sit concessum a iure.

De instrumentis reddendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet notarius teneatur facere et reddere instrumenta illis quorum fuerint infra XV dies postquam ab eis fuerit requisitus et sibi fuerit demum satisfactum sub banno solidorum V exceptis instrumentis preceptis fieri ad consilium sapientum que tunc demum cum fuerint dictata reddantur. illi uero quorum fuerint
d instrumenta teneantur a notario ea redimere infra terciam diem postquam ab eo fuerint requisiti sub banno solidorum V. Notarius autem qui predictam solutionem sibi oblatam dolo uel fraude refutauerit nichilominus teneatur instrumenta ab eo quesita facere et reddere secundum modum et formam predictam et si de quantitate solutionis facture cuiusquam instrumenti questio seu dubium fuerit arbitrio iudicis uel duorum notariorum concorditer electorum uel quibus iudex committeret terminetur. non possit insuper notarius petere ab aliquo solucionem de aliquo uel aliquibus instrumentis uel scripturis iam redditis seu que uel quas ille a quo peteretur ipsa solucio habuerit penes se nisi ipse notarius probare poterit permis-

sionem sibi factam fuisse de ipsa solucione tempore a quo dicta instrumenta uel scripturas reddidit uel quo ceperunt esse penes eum a quo petitur dicta solutio uel eius predecessores.

De pessatoribus panis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod singulis annis eligantur tres boni et fideles pesatores panis uidelicet unus per Rucham qui debeat pesare panem uenalem ter in edomada et tantum plus quantum potestati et ipsis pesatoribus expedire uidebitur et quecumque persona que per eos inuenta fuerit facere uel fecisse panem minorem peyssa seu non uenientem ad peyssam amittat totum ipsum panem minorem et ultra hoc soluat pro banno qualibet uice denarios b xII cuius panis perditi tercia pars perueniat in dictum uicarium siue potestatem et alias duas partes et banni medietatem habeant pesatores predicti. eligantur eciam tres uiri discreti et fideles qui habeant semper preuissionem et curam de predicta peysa panis danda mutanda augenda et diminuenda secundum quod precium bladi minui contingeret et augeri. uicarius autem qui pro temporibus fuerit teneatur precisse et speciali sacramento cum dictis pessatoribus siue sapientibus quandocumque per ipsos uel ipsorum aliquem fuerit requisitus militem uel unum de suis iudicibus cum eis ad predicta inquirenda mandare et extendatur dictum statutum eciam ad hospites et albergatores et quascumque alias personas panem uendentes. Item quod c aliquis hospes seu albergator non faciat nec fieri faciat nec eciam in domo sua teneat aliquem panem trecialem minorem peysa quantumcumque uellet dictum panem ad suum usum et familie sue sub banno predicto.

De molendinariis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius uel iudex infra xv dies principii sui regiminis faciat uenire coram se omnes molendinarios et eorum famulos seu descentes faciens eos promittere et iurare quod saluabunt et gubernabunt fideliter totum granum et farinam quod et quam d habebunt et recipient ad molendina non consencientes modo aliquo uel ingenio fraudulosse quod inde fiat furtum seu lucrum fraudulossum uel rapina et quod ipsi non capient uel permittent capi uel consencient pro multura nisi tantum sextam decimam partem eius grani quod recipient ad molendina nec ipsam multuram capi permittent nisi ab eo uel eis qui mutauerint hoc statutum et quod ibunt per ciuitatem sicut consuetum est omni die portantes copenam signo comunis uel potestatis signatam nec aliter predicta pondera uel aliquas mensuras tenebunt nisi predicto signo fuerint signate. non eciam portabunt nec portari facient granum ad molendinum nisi ad uoluntatem eius cuius fuerit prius fuerit ponderatum. Item quod reddat farinam bene moltam et puram ad rectam peysam et quod non ponant nec permittent poni uel consencient saccum farine uel grani in aliquo loco lento uel alio pro aliquo malo ingenio unde magis ponderet. et quod non refutabunt nec retardabunt molere granum hominum Yporegie uel districtus pro aliquo alio grano alicuius forensis nec alia quacumque de causa. Quicumque autem contra predicta fecerit uel aliquod predictorum soluat pro banno pro qualibet uice solidos v. et super hiis ponantur accusatores et cuiuslibet accusatoris sacramento credatur nisi per testes ydoneos fiat defensio in predictis. Non debeat insuper aliquis predictorum caualcare super farinam seu granum sub banno solidorum x pro qualibet uice. Nec eciam possit uendere aliquas molas uel zapas nec consentire eas defferri nisi sciente pedagierio molarum sub banno solidorum x pro quolibet et qualibet uice et pro qualibet mola et zapa et quilibet in predictis possit accusare et habeat medietatem banni. liceat preterea cuicumque cuius farina fuerit retinere impune asinum siue bestiam molendinarii qui farinam ipsam non reddiderit bene moltam et bene pessatam donec eidem restituerit dampnum suum quod quidem molendinarius uel eius familiaris non possit alicui prohibere et credatur cuiuslibet sacramento de predicto dampno farine male molte seu male pessate uel ammisse. possint utique molendinarii supradicti uti riperia durie ad opus molendinorum die noctuque ubi actenus et antiquitus consueuerunt sine tamen iuris preiudicio alieni. et si aliqua persona uel persone uel uniuersitas uel collegium quod non sit de iurisdictione potestatis siue uicarii Yporegie prohibuerint aliquo modo ne ipsi molendinarii uel aliquis eorum possint uti ipsa riperia durie in alicuius loco ad opus molendinorum sicut consueuerunt potestas uel eius iudices non possint nec debeant recipere aliquam denunciationem uel accusam siue aliquem processum uel condempnationem de aliquo dampno eis facto uel alicui eorum donec permiserint ipsos molendinarios uti ipsa riperia ut est solitum et emendauerint omne dampnum quod dicti molendinarii uel aliquis eorum inde fuerint consecuti.

De consuetudinibus molendinorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod molendinarii ciuitatis Yporegie possint eorum bonas consuetudines obseruare et facere ea que consueti sunt facere pro bonis consuetudinibus obseruandis supra et infra molendinos a sancto Stephano supra et infra pro molendinis afondatis seu pro aliis quibuscumque causis necessariis pro dictis molendinis faciendis et gubernandis. In primis quod si reperiatur aliquis habens molendina seu molendinum super aqua durie a sancto Stephano usque ad peram formialem supra pontem qui nollet ibi interesse et facere que alii facerent secundum quod ordina-

tum esset per consules dictorum molendinariorum quod tunc possint dicti consules ibi ponere unum uel plures laboratores loco sui secundum quod eidem eueniret pro parte ad racionem solidorum II pro quolibet laboratore ad faciendum ea que alii facerent predictis et eciam ponere banna denariorum XII pro quolibet et qualibet uice quo uel qua aliquis ducens asinum ibit super asino per ciuitatem Yporegie ponderato uel non et quilibet possit accusare medietas sit accusantis et molendinariorum alia medietas dominorum comitis et principis et predicta omnia et singula non habeant locum quantum ad molendina Taliandorum et ad taliam cerei tantum ad quem cereum cum predictis molendinariis penitus teneantur soluere desentes ibi habitantes operantes officium in dictis molendinis Taliandorum et teneatur predictus potestas siue uicarius predicta obseruare et fortes facere predictos consules ad predicta exequenda et excutienda et quod quilibet habens molendinum quod molat seu moli faciat granum ciuitatis Yporegie et suburbiorum debeat soluere suam partem cerei sancte Marie exceptatis dominis Taliandis qui ad predicta non teneutur sed salui non eorum desentes eorum molendina tenentes ut supra qui penitus teneantur secundum quod impositum fuerit per illos qui super hoc eligentur. et quod dominus uicarius siue potestas ipsos fortes faciat ad predictam taliam excuciendam sine aliqua iuris solempnitate imponendo penas et banna ad eius liberam uoluntatem.

De forneriis.

Item statutum et ordinatum est quod potestas siue uicarius infra XV dies sui regiminis faciat uenire coram se uel suo iudice omnes fornerios et fornerias eorumque desentes et faciat eos iurare quod saluabunt et gubernabunt fideliter pastam farinam uel alias res que ad eorum furnos seu domos detulerint seu fieri fecerint et non capient seu capi permittent uel consencient pro coctura panis unius sestarii frumenti nisi imperiales VII et starii siliginis seu mesture imperiales VI et non ultra et quod bene decoquent et asaxonabunt panem ad uoluntatem eius cuius fuerit et qui contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos V imperiales et emendet dampnum ei cuius fuerit panis male araxonatus. et non consencient quod familiaris alicuius nutrix seu pedisequa uel alia persona furtum faciat de farina seu pasta uel aliis rebus et si uiderent contrafieri ipsam personam delinquentem accusabunt domino seu domine cuius erit predicta et quod non capient nec capi permittent crexentem nec aliquid aliud nisi precium supradictum sub banno predicto. debeant eciam ipsi fornerii facere decoqui ad eorum furnos artocleas et rauiolos illorum qui coquerint ibi eorum panem sine aliquo precio inde recipiendo sub banno imperialium XII pro qualibet uice et quod por-

a tabunt seu portari facient ad eorum furnum panem crudum cuiuslibet persone uolentis facere panem ad domum suam si inde fuerint requisiti et ipsum bene aptabunt et coquent ut supra sub banno solidorum II pro qualibet uice. et teneantur dicti fornerii tam masculi quam femine habere et tenere peysam panis uenalis secundum metam que eis dabitur per pessatores comunis et pesare omnes panes uenales coctos in eorum furnis priusquam extrahantur dicti panes de eorum domibus et omnes et singulos panes qui inuenti fuerint minores peysa non permittant extrahi de eorum domibus sed perdentur dicti panes et perueniant in eos in quos peruenire debent secundum formam supradictam. et fornerii contrafacientes soluant pro banno pro
b quolibet et qualibet uice solidos V et presens clausula siue paragrafus duret ad uoluntatem credencie et non ultra et in predictis omnibus teneatur unus alium accusare et ponantur super hiis plures accusatores qui iurent contrafacientes accusare et qui possint accusare et habeat accusator medietatem bannorum.

De speciariis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius infra XV dies principii sui regiminis faciat uenire coram se uel suo iudice omnes speciarios de Yporegia mares et feminas et facere
c ipsos iurare quod facient bonas species et legales et quod habebunt et tenebunt bonam peysam et legalem talem scilicet quod libre XXV facient unum rubum et aliter non intelligatur ipsa peysa legalis sub banno solidorum LX pro quolibet contrafaciente et qualibet uice et quod non pistabunt nec pistari facient uel permittent scienter alicui persone in ciuitate Yporegie uel districtu species in quibus ponantur fecie coglaudi uel plumenti et quod ipsi uel aliquis alius uenditor uel reuenditor maris uel femina non faciet per se uel per alios personas nec emet nec uendet cereos uel candelas quorum cera non reperiatur talis intus qualis de foris apparebit sub banno solidorum V pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet capitulo. et super hiis
d ponantur accusatores et habeant medietatem banni.

De canssoribus speciariis prestitoribus gabellatoribus et pannorum reuenditoribus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas seu uicarius infra duos menses principii sui regiminis faciat uenire coram se uel suo iudice omnes canssores sue iurisdictionis omnes speciarios gabellatores prestitores et pannorum reuenditores ipsosque facere iurare capere bona fide si conuenienter poterunt et consignare ipsi potestati siue uicario quemcumque qui aportaret eis aliquam monetam falsam que deberet ualere ultra imperiales XII et si non possent eum conuenienter capere uel habere de-

beant ipsum potestati siue uicario uel iudici accusare si uerisimile fuerit quod dicta persona sit suspecta de dicta falsitate et aliter non teneantur eam capere nec denunciare. Qui uicarius siue potestas eciam teneatur omnes canssores inquirere et delinquentes in eorum officio secundum iura punire. Ipsi uero canssores eodem sacramento teneantur ipsi potestati siue uicario manifestare omnes quos sciuerint esse monete canssores.

De olieris.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius infra xv dies principii sui regiminis faciat uenire coram se uel suo iudice omnes olierios et olierias et eos iurare quod saluabunt fideliter et gubernabunt omnes nuces et gariglos que eis dabuntur ad oleum faciendum. et quod de hiis uel de oleo furtum uel lucrum aliquod fraudulosum non facient nec facienti consencient. et quod facient oleum starii nucum pro imperialibus viii tantum et sic descendendo pro rata et qui contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos v et super hiis ponantur accusatores et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De fornaxariis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius infra xv dies principii sui regiminis faciat omnes fornaxarios iurare et atendere quod ipsi facient et fieri facient omnes cupos siue madones ad modum signatum in lapide arengatorio et quod ipsi et quicumque alius habens cupos et madonos uenales dabunt cuilibet et districtualibus Yporegie uolentibus de hiis emere milliare madonorum pro solidis xl et miliare cuporum pro solidis l et quamlibet nouenam calcine non exflorate pro solidis xv et exflorate pro solidis x imperialibus et quod facient dabunt et uendent bonum opus et rectum signo predicto arbitrio procuratorum comunis uel aliorum qui essent super hoc deputati sub banno solidorum xx pro quolibet dictorum capitulorum non obseruato et pro quolibet et qualibet uice. teneantur eciam dicti fornaxarii et omnes habentes opera fornacis uenalia ea uendere ad eorum fornaces tantum et non alibi et ea uendere omnibus qui sunt de ciuitate Yporegie uel districtu emere uolentibus soluto tamen precio secundum premissa uel assecurato per bona pignora uel aliter satisfacto eidem fornaxerio uel ipsius operis domino uel eius nuncio sub banno solidorum lx pro quolibet et qualibet uice et credatur cuilibet uolenti emere predicta in predictis suo sacramento sine aliqua probatione. et possit eciam quilibet accusare et habeat medietatem banni et si dicti fornaxarii uel predicta opera fornacis exercentes uel habentes dixerint in fraudem ipsa opera fornacis uel aliqua eorum alii uendidisse teneatur potestas siue uicarius uel eius iudex quandocumque
a ad peticionem cuiuslibet requirentis illud inquirere faciendo uenire personam uel personas illas coram se cui uel quibus debuerat uendidisse ipsum uel ipsos inquirere per sacramentum si dictum opus emerit et si emerit et plus dederit quam sibi continetur soluat uterque tam emptor quam uenditor pro banno solidos xx et si fornaxarius uel alius uenditor in hoc .... reperiatur soluat pro qualibet uice ultra penam suprascriptam solidos xx et nichilominus predicta opera cogatur uendere eidem emere uolenti sub banno predicto. Non possint eciam dicti fornaxarii uel eorum nuncii nec debeant aliquod opus fornacis dimittere uel asportari facere nisi prius facto precio certo cum illis qui dictum opus fecerint asportari et si contrafecerit tam
b emptor quam uenditor puniatur pro quolibet et qualibet uice in solidis xx imperialibus. possit quilibet impune opera fornacis asportari facere ad suam uoluntatem oblato uel soluto precio dicti operis et si fornaxarius uel eius nuncius prohibuerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos xx imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento ementis seu emere uolentis. Item quod aliquis qui faciat fieri seu coqui aliquam fornacem uel qui habeat aliqua opera fornacis non possit nec debeat aliquid de ipsis operibus uendere uel aliquo modo alienare alicui qui non sit de iurisdictione potestatis seu uicarii Yporegie nisi ad proprium usum illius cui illud alienaret ita quod de ipso proprio usu appa-
c reat euidenter et qui contrafecerit soluat pro qualibet uice pro banno tantum quantum ualuerit illud opus sic alienatum et nichilominus nullus debeat de dictis operibus emere ab aliquo qui non sit de dicta iurisdictione sub banno solidorum lx pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. nou possint eciam fornaxarii uel alii quicumque uendere cupos uel madonos infra viii dies postquam fornax fuerit euacuata aliquibus personis que non sint de iurisdictione comunis Yporegie sub banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice. debeant insuper fornaxarii et quicumque alii uenditores operis fornacis tenere bonam eminam et legalem ad mensurandum calcem signatam signo comunis uel pote-
d statis siue uicarii et latam undique tribus quartis unius rassi mensurandis de intus dictam eminam remanente ligno emine extra ipsam mensuram. et que emina non debeat habere ferrum per medium seu per transuersum nec ad aliam mensuram debeant mensurare calcem sub banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice. nullus preterea fornaxariorum propter predicta uel infrascripta seu aliquod eorum presumat ...... ipsum officium exercere sub banno solidorum xl pro quolibet et qualibet uice et in predictis omnibus ponantur plures accusatores et quilibet eciam possit accusare et habeat medietatem banni. Eligantur quoque infra xv dies predictos tres sapientes unus per Rucham qui iurati curam habeant de predictis eadem di-

ligenter singulis mensibus inquirentes et facientes *a* pro posse quod predicta omnia et singula obseruent et quod contra fieri uel factum esse adparuerit teneantur ire ad fornaces semel ad minus omni mense ad inquirendum predicta. si autem predicti tres sapientes predicta uel aliquod predictorum obseruare neglexerint ut supra teneantur soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet capitulo solidos v quod quidem potestas et iudex contra ipsos sapientes teneantur inquirere omni mense.

De testoribus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius infra xv dies principii sui regiminis *b* faciat uenire omnes testores et testrices ciuitatis Yporegie et districtus et omnes facientes et fieri facientes pannos de lana et eorum desentes ipsosque iurare faciat quod saluabunt et gubernabunt fideliter telam filum axungiam et brenum quem ad laborandum receperint ad maiorem utilitatem eorum quorum fuerint supradicta. et quod non accipient de pariete tele de lino nisi imperiales xviii et tele canabe subtilis imperiales xii et tele de stupa imperiales viiii et de pariete mantilorum et sacorum imperiales xiiii et cortine imperiales xviii et toagliarum imperiales xii et panni de albaxio imperiales vii et quod accipient filatum ad peysam et reddent telam ad peysam si inde fuerint requisiti sub banno solidorum v pro quolibet et quali- *c* bet uice et pro quolibet capitulo non obseruato. et quod non restringent telam nec pannum sed consuetam latitudinem obseruabunt sub banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice et quod de predictis uel aliquo predictorum non recusabunt texere et eorum officium exercere sub banno solidorum x pro quolibet et qualibet uice nec possit postea ulterius texere donec banna soluerit supradicta. Item quod non ponent nec miscebunt nec poni seu misceri facient uel permittent pilum bouinum nec boram de paratore cum lana in panno nisi ea emptoribus fecerint manifesta sub banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice. et de predictis omnibus teneantur uicissim alter alterum accusare et nichilominus ponantur super hiis accu- *d* satores et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni.

De ferrariis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes ferrarii equorum teneantur ferrare et eorum officium fideliter exercere facientes bona ferra equorum et bonas zapas bouium et dare et ponere ferrum destrarii pro imperialibus vii et ferrum palafredi pro imperialibus v et ferrum roncini pro imperialibus iiii et asini parui imperialibus iii et pro remonta ferri imperialis i et pro zapa bouis imperiales vii cum ferratura. et non possit aliquid aliud ultra predicta recipere pro predictis sub banno solidorum ii pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet capitulo et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. eo saluo quod si aliquis uoluerit facere fieri aliquod ferrum ad preuam possit dare de ipso ferro quicquid uoluerit etiam ultra id quod continetur in dicto statuto et eius additione. et ferrarii possint illud accipere impune et sine periurio et de hoc credatur iuramento dictorum ferrariorum si contingeret ipsos ferrarios uel alterum ipsorum accusari. et non possint ferrarii ultra duos simul in eadem domo manere exercentes officium ferrarie. nullus autem ferarius ciuitatis Yporegie non possit nec debeat in die sabbati post nonam in ciuitate Yporegie laborare uel laborari facere ad opus ferarie eo saluo quod possint bene equos mulos et mulas et alias bestias ferare et ferari facere ad eorum uoluntatem et hoc sub pena solidorum ii imperialium pro quolibet et qualibet uice qua contrafaceret et duret hic paragrafus usque ad annum currentem mcccxxxii exclusiue.

De corderiis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis corderius non faciat nec fieri faciat aliquas cordas in quibus misceatur uel ponatur tilium cum canepa sub banno imperialium xii pro qualibet uice.

De gerleriis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius infra mensem principii sui regiminis faciat preconizare per ciuitatem Yporegie et districtum quod omnes gerlerii qui uolunt et intendunt officium gerlarie in ciuitate Yporegie et districtu exercere debeant se coram dicto domino uicario siue potestate uel suo iudice presentare et facere se scribi in libro comunis et iurare dictum eorum officium gerlarie fideliter exercere secundum formam et tenorem presentis statuti et qui contrafecerit et qui se scribi non fecerit ut supradictum est et non iurauerit pro ut in presenti statuto continetur non possit dictum officium gerle seu gerlarie in dicta ciuitate et districtu exercere seu operari et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos x imperiales et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni. Qui uero gerlerii teneantur iurare quod ipsi habebunt nec tenebunt aliquam gerlam uel aliam mensuram cum qua uinum detulerint nisi signo comunis uel potestatis siue uicarii signatam et quam signari facient infra mensem predictum. et uinum quod portabunt tam pro dante quam pro recipiente recte et fideliter mensurabunt sub banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet capitulo et quod non habebunt nec tenebunt falsam gerlam uel falsam mensuram sub banno solidorum lx pro quolibet et qualibet uice et ultra hoc non possint exercere officium gerlarie toto tem-

pore regiminis potestatis. Item quod ipsi non petent nec recipient ultra imperiales II pro ponderando seu cariando et descariendo et reponendo unum botallum uini in aliqua domo de portichu ipsius domus uel alio loco prope ipsam domum per IIII domos et de portatura unius starii uini quod portabunt intra ciuitatem uel de loco consimili ultra imperiales II et si portauerint de aliquo alio loco de foris ciuitatis Yporegie per tantum spacium quantum esset alterum predictorum similem habeant solucionem in qualibet dictorum casuum nisi quis uellet sponte plus eis dare. Item quod ipsi ibunt cum gerlis ad omnes stremitas ignis et ubicumque fuerit exortum incendium portantes acquam ad ignem extinguendum sub banno denariorum XII pro quolibet et qualibet uice cuicumque tamen gerlerio sic acquam portanti ad ignem habeat imperialem I pro qualibet gerla acque et de ipsa acqua portata et de quantitate gerlarum credatur sacramento ipsius acquam portantis. et quicunque predictorum postquam iurauerit et se immiscuerit ipsum officium recusauerit exercere soluat pro qualibet uice solidos V pro banno et si aliquis predictorum recusauerit predicta iurare non possit toto tempore regiminis potestatis dictum officium exercere donec prius soluerit pro banno solidos X et teneantur eodem sacramento se uicissim alter alterum contrafacientem accusare et insuper ponantur super hiis accusatores et quilibet eciam possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento cuiuslibet accusantis.

De laneriis et testoribus pannorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas seu uicarius qui nunc est et pro temporibus fuerit infra XV dies principii sui regiminis faciat uenire coram se omnes testores et testrices ciuitatis Yporegie operantes misterium lane et facientes seu fieri facientes pannum de lana et ipsos et quemlibet ipsorum iurare et iurari facere quod in aliquo panno quod facient seu fieri facient non ponent seu poni facient aliquod pillum de boue seu de capra nec boram de paratori nec aliquod aliud pillum seu lanam preterquam de oue agno uel crastrono et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos LX imperiales. Item quod aliqua persona non possit nec debeat emere fillum filatum nec aliquam aliam lanam ab aliquo laboratore nec ab aliqua alia filleria operante dictum officium nisi prius dicat duobus operantibus ad minus dictum officium lane qui sint ciues Yporegie et illis qui super hoc fuerint electi et qui contra fecerint pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerit solidos X soluat. Item quod aliqua persona non possit nec debeat operare seu operari facere in ciuitate Yporegie uel districtus aliqua lana tincta in aliquo panno saluo in panno de colore sub banno solidorum X imperialium pro quolibet et qualibet uice. Item quod dicti exercentes dictum officium non possint nec debeant operare seu operari facere aliquod pannum de lana qui sit minus de octo centonariis pro qualibet pecia et pannum de raso quelibet pecia sit VII centonaria ad minus et qui panni sint signati quelibet pecia uno signo manifesto non mutando signum de alna in signo de rasso sed quelibet pecia habeat suum signum sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidorum XX imperialium qua contrafecerit et super hoc ponantur duo boni homines et fideles de misterio lane per procuratores et uicarium qui iurent ad sancta Dei euangelia bene et bona fide toto eorum posse inquirere semel in ebdomada ad minus contrafacientes in omni loco et parte ubi uoluerint ad eorum liberam uoluntatem et credatur eorum sacramento de contrafacientibus sine aliqua probatione facienda et si aliqua persona recusaret dictos sic inquirentes ne intrarent eorum domum seu habitationem ad predicta inquirenda tam in panno quam in lana si fuerit dominus dicte domus soluat pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerit solidos XX et si fuerit persona famulus uel famula uel descentus solidos X pro quolibet et qualibet uice qua contra fecerit et medietas omnium suprascriptorum bannorum perueniat in accusatoribus et officialibus electis et alia medietas in dominos comitem et principem et predicta intelligantur habere locum ad kalendas marcii proximas uenientes. Item quod nullus debeat laborare nec laborari facere nullum peluchetum. Item quod nullus teneat in domo sua nullam lanam contra uetitam et cridetur per ciuitatem Yporegie in locis consuetis omni anno. Item quod aliquis merchator seu laborator lane qui emat uel emi faciat lanam non debeat emere nec emi facere nec tenere in domo eorum habitationis nec in aliqua alia domo aliquam malam lanam de supradictis et de infrascriptis prohibitis et si repertum fuerit aliquem ipsorum habere uel tenere dictam lanam sic prohibitam quod soluat pro pena et banno pro quolibet qualibet uice solidos LX imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento cuiuslibet accusatoris cum teste ydoneo. Item quod aliquis lanarius seu factor pannorum non debeat facere seu fieri facere aliquam peciam panni que longa sit ultra parietes XIIII que parietes sint omnes equales super orditorem qui sit de alnis V et quarta una pro qualibet pariete et qui contra fecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos X imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Item quod omnes peiise stami et trame sint ad unum pondus uidelicet peiisa stami fillati librarum III et trame fillate librarum IIII tantum et non minus nec plus et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos V imperiales saluo quod pro una uncia que esset minus uel plus non possit quis dictum bannum incurrere. Item quod omni anno in principio regiminis uicarii qui pro temporibus fuerit eligantur duo consules boni et fideles de officio dicte lanarie qui ha-

beant curam et bayliam faciendi et inquirendi et uicario denunciandi eorum posse uidelicet una uice pro qualibet ebdomada omnia predicta et que in presenti statuto continentur. Qui consules iurent predictum eorum officium fideliter exercere et eisdem consulibus eorum sacramento credatur de hiis que denunciabunt uel accusabunt.

De muratoribus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas infra mensem principii sui regiminis faciat uenire coram se uel suo iudice omnes muratores Yporegie habitantes faciens eos iurare et obseruare quod nullo modo uel causa prohibebunt alicui muratori forensi murare et laborare cuicumque uoluerit. nec alicui muratori uel alii persone murare et laborare cum forensibus muratoribus nec aliis quibus laborarent ipsi muratores forenses et quod statutum uel ordinationem aliquam in contrarium non facient nec habebunt sub banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice et ponantur in predictis accusatores et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Compellantur insuper muratores predicti ad requisicionem forestanorum laborare ad uias et opera comunis pro precio competenti arbitrio ipsorum forestanorum taxando et inde ipsis muratoribus pene et banna per potestatem siue uicarium et iudices possint imponi pro ut eis uidebitur pro ipsis laboribus comunis faciendis.

De paratico bechariorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod becharii Yporegie possint inter se facere paraticum et habere consulatum sicut alii paratici de Yporegia ita quod quilibet qui uoluerit esse becharius et exercere officium becharie Yporegie teneatur esse de ipso paratico et consulatu et facere et iurare pro ipsis et cum ipsis omnes eorum bonas consuetudines et antiquas et aliter non possit quisquam dictum officium exercere nec carnes in ciuitate Yporegie interficere uel interfici facere ad uendendum ipsas carnes recentes sub banno solidorum x imperialium pro quolibet et qualibet uice saluo quod quelibet persona libere possit interficere carnes ad suum usum et familie et hospitium suorum et omni modo dum ipsas carnes non uendant crudas. et hec sint precissa ita quod de hiis non possit peti licencia nec dari. eo saluo quod liceat unicuique uendere ubicumque agnos capretos et saluaxinas. possint eciam facere becharii inter se eorum ordinamenta pro eorum bechariis bonis legalibus nitidis et puris tenendis et manutenendis et pro eorum bonis et antiquis consuetudinibus conseruandis et reformandis dummodo non obuient aliis statutis comunis et ita quod ipsa ordinamenta que fecerint et habuerint prouideantur et examinentur per consilium priuatum pro ut in statuto aliorum paraticorum continentur et que per ipsum con-
a silium fuerint approbata per eos demum debeant obseruari. Valeant insuper dicti becharii esse plures socii ad officium becharie et ad plura bancha et sicut uoluerint ad eorum uoluntatem. teneantur tamen dicti becharii quemlibet ciuem seu habitantem in ciuitate Yporegie recipere in becharium eorum paratico uolentem exercere officium becharie et qui uelit esse de eorum paratico pro solidis xx tantum. et teneatur potestas siue uicarius qui nunc est uel pro tempore fuerit predicto sic uolenti officii becharius compellere alios becharios de Yporegia ut ipsi banchum seu locum in domo becharie assignare debeant pro eo precio pro quo solueret dictus banchus seu locus de censu comuni occasione dicte domus. Item quod predictis
b bechariis et paratico ipsorum bechariorum seruentur eisdem eorum bonas consuetudines uidelicet in eo quod possint et eis licitum sit impune facere duos consules qui consules possint conuocare et constringere quemcumque becharium ciuitatis Yporegie ad faciendum eorum cereos quos faciunt et facere consueti sunt in honorem cuiuslibet becharii uxoris filii et fratris defuncti et illos cereos quos faciunt et facere sunt consueti in uigilia seu festo beate Marie Virginis de medio augusto. et facere omnia alia que ad pietatis causam et misericordiam spectant seu spectare possunt capitulo seu statuto seu additione aliquo uel aliqua in libro statutorum posito uel posita non obstante a quibus statutis uel additionibus huic statuto in contrarium
c obuiantibus sint ipse dominus uicarius siue potestas et iudices totaliter absoluti.

De iuramento et penis et bechariorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius infra xv dies principii sui regiminis faciat uenire coram se uel eius iudice omnes becharios de Yporegia faciens eos iurare ac inuiolabiliter obseruare quod ipsi non uendent carnes arietis ouis uel yrci pro carnibus crestoninis nec carnes porche pro carnibus porchi masculi nec carnes finossas nixi prius dixerit ementibus eas esse finossas sub banno solidorum LX pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet capitulo et quod non
d uendent dictas carnes finossas subtus domum uel porticum copertam sub banno solidorum x. Item quod non uendent nec uendi facient uiscera seu menuta bestiarum finossarum alicui ribalderie uel alii persone reuenditrici sub eodem banno et quod in ueritate manifestabunt omnibus uolentibus emere carnes ab eis quales carnes et de quali bestia fuerint si inde fuerint ab ementibus requisiti sub banno predicto. et quod ipsi becharii uel aliqua alia persona non debeant uendere nec uendi facere intra muros ciuitatis Yporegie nec in ipsa ciuitate aliquas carnes morbosas siue mortuas de aliqua moria crudas uel coctas sub banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice sed nec inflabunt carnes nec farcibunt nec farciri facient

rognonos nec coperient de aliqua pinguedine nec subtiliabunt uel raspabunt pinalerium sub banno solidorum x. Item quod non prohibebunt nec prohiberi facient nec statutum inde facient publicum uel priuatum quod aliquis bechariorum non possit occidere bestias ad suum libitum quandocumque uoluerit et excorchiare de die ab aurora in antea et uendere carnes dummodo ipse bestie sane fuerint sub banno solidorum x. Item quod dimittent pupas in pectore ouis et testiculos in carnibus yrci arietis et uerri et tauri quando ipsas uendere uoluerint sub banno solidorum x pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet capitulo. Item quod non dimittent buellum in bestia aliqua quam interfecerint ad uendendum in bechariis sub banno solidorum v pro qualibet uice et quod menuta bestiarum seu alias turpitudines bechariarum non ponent nec prohicient nec poni facient in uiis publicis nec in becharia uel ante. nec debeant aperire menuta nec ea defacere in becharia plateis porticubus seu uiis publicis nec ipsa ibi tenere sub banno solidorum II pro qualibet uice et super omnibus et singulis supradictis ponantur plures accusatores et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. nec possint de predictis facere defensionem nisi per bonos et ydoneos testes et hoc statutum sit precissum et trunchum.

De domo bechariorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod bechariae Yporegie de cetero imperpetuum teneantur et fiant in domo noua becharie facta per comune in contrata Burolii subtus palacium comunis et alibi non possit fieri nec teneri nec officium becharie ullatenus exerceri. et quod census ipsarum bechariarum pro quo sunt concesse becharìis sit et perueniat perpetuo in comune secundum pacta et conuentiones inter ipsum comune et becharios celebrata. et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de eo non possit peti licentia neque dari.

De peysa carnium becharìis imponenda.

Item statuerunt et ordinauerunt pro euidenti comodo comunis et hominum Yporegie quod singulis annis infra octo dies principii regiminis uicarii eligantur per procuratores comunis tres boni et legales sapientes unus per Rucham siue terceriun qui faciant asacium peyse de qualibet bestia et semper cum opus fuerit et qui sapientes iurent hoc facere bona fide quibus sapientibus teneantur procuratores comunis dare et manuleuare expensis comunis infra octo dies postquam eis denunciatum fuerit per dictos sapientes uel per maiorem partem ipsorum pecuniam unde possint emere bestias de quibus possint fieri dictum asacium. et quod interim donec factum fuerit dictum asacium possint dicti becharii impune uendere carnes sine peysa. facto autem asacio et ordinamento per dictos sa-

a pientes seu maiorem partem ipsorum quantum uendi debeat libra carnium recentium cuiuslibet bestie teneantur omnes et singuli becharii uendere ipsas carnes de quibus asacium factum fuerit ad peysam ordinatam per ipsos sapientes exceptis capitibus pedibus et menutis et aliis bestiarum uisceribus que sine peysa uendantur. et ille qui non uenderet ad peysam ordinatam uel daret carnes minus peysa uel male peysatas soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos v imperiales. et si aliquis uenderet pedem porchi uel porche ultra imperiales IIII soluat pro quolibet et qualibet uice solidos v imperiales. ille uero qui non teneret rectam et legalem peysam soluat pro quolibet et qualibet uice qua sibi inuenta fuerit solidos xx imperiales et teneantur
b quilibet becharii cuicumque uolenti de carnibus emere dare et uendere duas libras uel ultra ex illo latere de quo emptor emere uoluerit ad uoluntatem ipsius emptoris sub banno solidorum v imperialium pro quolibet et qualibet uice. Alie uero carnes de quibus nundum factum fuerit asacium et saluaxine uendi possint impune sine peysa. debeant insuper omnes et singuli becharii habere et tenere omnes eorum peysas stateras et omnes alias mensuras cum quibus peysari debent et peysabuntur carnes signo comunis et uicarii signa habentes in qualibet peysa seu pondere tot annullos quot libras fuerit dictum pondus si ascenderet ultra libram a libra uero infra solum sit signata ut supra sine annullis sub banno solidorum v imperialium pro quolibet et qua-
c libet uice. eo saluo quod statera non habeat dictos anullos et predicta teneantur seruare predicti becharii et quisque ipsorum in quolibet dictorum casuum sub predictis bannis pro quolibet et qualibet uice et super hiis teneantur speciali iuramento procuratores comunis infra octo dies principii singulorum sex mensium eorum officio ponere accusatores priuatos et publicos et nichilominus quilibet alius possit accusare et credatur cuilibet accusatori cum uno teste et iuramento et habeat accusator medietatem banni (1).

De cimatoribus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius
d qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat facere uenire coram se et iudicibus suis infra xv dies principii sui regiminis omnes cimatores et cimatrices pannorum et ipsos facere iurare ad sancta Dei euangelia bene et bona fide et legaliter cimare seu retondere omnes pannos qui dabuntur eis ad cimandum et ipsos cimare pro ianuino uno pro raso prime cimature et imperiali I pro raso secunde cimature et non ultra et pro garsatura cimatura et cotonatura cuiuslibet brachii imperialibus VI et pro auna imperialibus VIII et non ultra et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos v imperiales et quilibet possit

(1) In antiquo exemplari quod sub oculis habemus deest cartula.

accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento cuiuslibet sic dantis pannum uel eius nuncii.

De boueriis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod bouerii ciuitatis Yporegie possint inter se ponere banna usque ad solidos vi occaxione aptandi uias et occaxione talie cerei sancte Marie et aliis ceteris ad eorum officium pertinentibus que banna si ipsi non possent excutere debeat iudex ea excutere sicut alia banna.

De uendentibus saluaxinas.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quelibet persona habens seu portans aliquas saluaxinas uolatiles uel non ad uendendum in ciuitate Yporegie aportet eas seu aportare faciat ad plateam palacii comunis discopertas et apparentes et alibi uendi uel emi non possint per aliquam personam et qui contrafecerit tam uenditor quam emptor et ille qui eas postquam intrauerit ciuitatem Yporegie non portauerit discopertas soluat pro qualibet uice solidos v et ultra hoc emptor amittat totum id quod emerit et super hiis ponantur accusatores et possit quilibet accusare et habeat medietatem banni et rerum ammissarum et credatur sacramento cuiuslibet accusantis. et postquam dicte saluaxine apportate fuerint ad dictam plateam non possint inde reportari seu remoueri donec ibidem uendite fuerint sub eisdem penis et bannis. Et predicta omnia et singula potestas siue uicarius et eius iudex debeant inquirere tociens quociens eis uel alicui eorum denunciatum fuerit aliquem uel aliquos contrafecisse et omnes accusatores et denunciatores teneantur secreti.

De asinis et boueriis ducentibus uinum et eorum mensuris.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non ducat bariles nec mezarolas causa ducendi nisi due mezarole bene teneant starium Yporegie et una magna barilis teneat unum starium nec eciam bariles seu mezarolas amofatas qui tunc ultra bannum infrascriptum restituant dampnum conuenienter secundum iuramentum dampnificati carreandi etiam et asinerii non debeant portare uasa uinum in barletis nec uuas nec debeant dare de alienis uuis seu uino alicui nisi forte alicui mulieri pregnanti sub banno solidorum iii pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet capitulo et tantumdem pro emenda. Quos eciam camparii de hoc teneantur semper accusare sub eodem banno et credatur cuilibet accusanti seu sacramento. Illi uero qui faciunt bariles debeant ita eas facere quod contineat quelibet barilis starium i et due mezarole starium i ad minus sub banno solidorum ii imperialium pro quolibet et qualibet barili et tantumdem pro e-

a menda restituat ementi. nullus preterea bouerius uel asinerius seu mulaterius undecumque sit uel habitet non possit nec debeat ducere seu facere aliquam scannatam uel botallum bariles uel mezarolam nec tenere per ciuitatem Yporegie uel districtum seu episcopatu nisi sint signata uel signate signo comunis. Item quod quelibet scannata seu botalla teneat et tenere debeat staria viii uini ad minus ad mensuram Yporegie et si quis fecerit contra predicta uel aliquod predictorum perdat illud quod habere debuerit et nichilominus soluat pro banno pro qualibet uice solidos xx et super hiis ponantur accusatores et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. et cridetur hoc statutum de mensibus iulii augusti et septembris
b per ciuitatem Yporegie quolibet anno.

De mensuris uini et grani signandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod singulis annis eligantur tres boni homines et fideles scilicet unus per Rucham qui debeant signo comunis uel potestatis omnes mensuras grani et uini signare et eligantur ad breuia per credenciam comunis Yporegie et ematur per comune unum zeberum in quo staria uini et alie mensure necessarie ad uinum mensurandum mensurentur ad racionem lxiiii quartinorum pro quolibet stario et ad quas mensuras mensurentur et signentur mensure uini quibus mensurabitur et uendetur uinum in ciuitate Yporegie
c et districtu. Mensura uero grani capiatur in lapide de mercato obturato foramine de foris quod est in ipso lapide et ad ipsam mensuram et modum signentur per dictos officiales omnes mensure et ematur eciam per comune Yporegie emina una quartaronum i et medium quartaronum et sezenum i que mensure custodiantur et gubernentur per aliquam bonam personam et sufficientem eligendam per procuratores comunis singulis annis infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii apud quam dimitentur et custodientur mensure et que persona sit in estimo librarum quindecim qui teneatur de ipsis mensuris reddere racionem successori et habeat pro salario solidos v et eligatur uno anno de uno tercerio et aliis duobus annis de aliis
d terceriis que quidem mensure sic empte signentur et sperimententur per xii de maiori estimo. Item quod alie mensure singularum personarum signentur et estimentur ad similitudinem dictarum mensurarum et quod nullus possit eligi in signatorem mensurarum nisi fuerit etatis xxx annorum ad minus et in estimo librarum xii imperialium. inter quos signatores debeat saltem esse qui sit in estimo librarum xx ad minus ita quod ille qui habuerit breue non possit sibi retinere sed teneatur dare alicui de suo tercerio. et hoc non obstantibus aliquibus statutis in contrarium obuiantibus. et qui contra formam predictam electus fuerit uel absumptus ad officium predictum exercendum eius electio ut supra pro cassa et irrita habeatur. Item

quod nulla statera signetur nisi habeat auriculas a nec de ea pesari possit et quod quelibet persona que habitet in ciuitate Yporegie uel districtu uel quelibet alia persona pesare debeat ad peysam pondus seu stateram comunis Vercellarum que est XII unciarum et qui contra fecerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos X imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento cuiuslibet bone persone accusantis cum uno teste. et quod uicarius predicta diligenter inquirere seu inquiri facere teneatur per se uel eius iudicem siue militem quolibet mense semel ad minus. quelibet autem persona teneatur infra terminos et cridas inde factas mandato potestatis siue uicarii facere signari per officiales predictos omnes mensuras grani et uini b quas habuerit magnas et paruas nec possit ultra ipsos terminos aliquas mensuras non signatas tenere nec ad eas emendo uel uendendo aliquid mensurare sub banno imp. XII pro qualibet uice. In quibus tamen mensuris non intelligantur siphi et cieti in quibus possit uendi uinum eciam non signatis. teneatur tamen omnis uenditor uini illud dare et uendere ad mensuram signatam si inde fuerit requisitus. alique uero ex dictis mensuris non possint signari per aliquem nisi presentibus dictis forestanis uel altero ipsorum sub banno solidorum v pro qualibet uice et tam contra quemlibet contrafacientem quam contra illum qui signari fecerit, et quod predictum zeberum et omnes mensure supradicte remaneant penes dictos forestanos durante c eorum officio quo finito teneantur eas reddere dicto custoditori custodiendas sub banno predicto et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. De mensuratione autem et signatione dictarum mensurarum soluatur dictis officialibus pro mensura starii uini papiensis I tantum et pro quolibet quartino et infra medius papiensis et pro qualibet mensura grani papiensis I. tantum et qui predicti officiales teneantur et iurent dictum officium eorum fideliter exercere pro ut melius et racionabilius eis uidebitur pro toto comuni. teneatur insuper potestas semper tempore uindemiarum omnes mensuras uini et grani per omnia loca subiecta comuni Yporegie facere inquiri et recercari et non signatas signare et ad mensuram Yporegie retineri. qui eciam uicarius siue d potestas teneatur infra mensem principii sui regiminis mittere unum bonum nuncium et fidelem de ciuitate Yporegie ad ciuitatem Vercellarum omnes mensuras uini uidelicet starium eminam quartaronum et hoc intelligatur de stateris marcho balancis et omnibus aliis peysis qualiter est et sit in ciuitate Vercellarum et ad dictam mensuram debeat quilibet de ciuitate Yporegie et districtu signare et signari facere ac eciam mensurare et qui contra fecerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos v imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et que mensura uini dicte ciuitatis Vercellarum intelligatur de cetero esse mensura ciuitatis Yporegie. Item additum est quod pro mensura gerle non possit aliquis officialium nec aliqua alia persona accipere pro signatione dicte gerle nisi imperiales II.

De manoalibus et laboratoribus ut conueniant ad plateam et solucione eorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes laboratores et manoales masculi et femine habitantes in ciuitate undecumque sint teneantur et debeant de cetero facere plateam et ibi se congregare omni mane a domo Mathei Droi ubi consuenerunt morari prestatores de Cherio recta strata usque ad domum Macharii speciarii et non alibi sub pena solidorum II pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento cuiuslibet accusantis nisi dictus accusatus posset contrarium legiptime probare et hoc capitulum teneatur potestas siue uicarius facere preconizari ter in primo mense sui regiminis ac eciam publicari in primis duabus concionibus quas faciet ipse potestas seu uicarius et teneantur et debeant predicti laboratores manoales laborare suis expensis singulis diebus a festo sancti Michaelis usque ad carnispriuium pro imperialibus X et a carnispriuio usque ad festum Pascatis resurrectionis Domini pro imperialibus XII et ab ipso festo usque ad festum Pentecostes pro imperialibus XIIII et ab ipso festo usque ad kalendas augusti pro imperialibus XVI et ab inde usque ad festum sancti Michaelis pro imperialibus XII et qui contra fecerit tam dominus qui plus dederit quam laborator qui plus acceperit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos v et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni. et predictum statutum non intelligatur in praeris et reseatoribus nec eciam in uindemiatoribus qui pascuntur. et hoc statutum cridetur per ciuitatem Yporegie unum mensem et quod quilibet uicarius siue potestas ciuitatis Yporegie dictum statutum faciat obseruari cridari ut supradictum est et super hoc ponantur boni accusatores priuati quorum iuramento credatur.

Quod habitantes Yporegie tractentur tamquam ciues nec soluant aliqua fodra in Yporegia.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quecumque persona que uenerit ad habitandum cum familia sua in ciuitate Yporegie habeatur et tractetur tamquam ciuis in omnibus et per omnia quousque steterit in ciuitate Yporegie et ita quod non teneatur dum ibi cum familia habitauerit subire aliqua onera uel scufias cum burgo uilla uel loco aliquo in quo habitabat ante exceptis fodris mutuis seu aliis expensis factis per illum locum ubi ante habitabat usque ad illam diem qua uenisset habitare in ciuitate Yporegie et hoc si predictus habitans Yporegie habuerit in Yporegia libras x imperiales in ualimento uel ultra et fuerit positus uel scriptus in libro fodri comunis Yporegie in illo

terçerio in quo morabitur et registratus siue estimatus per credenciam comunis Yporegie per quam ciues recipientur et non aliter. et donec predicta facta fuerint non habeatur pro ciue. et predicta non intelligantur de hominibus Corgnati uel ibi habitantibus et hoc capitulum teneatur potestas siue uicarius uel iudex facere cridari bis in mense semper in die ueneris et in die dominico. Item quod nullus possit recipi in ciuem per credenciam comunis Yporegie nisi dederit ipsi comuni unam albalistam de duobus pedibus de banna fina cum apparatu et quod clauarius comunis teneatur altare in camera comunis Yporegie ipsas balistas et taliter collocare quod non destruantur et ipsas successori consignare.

De hiis qui non habent partem in comugnis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona habitans in ciuitate Yporegie que non substineat honera comunis Yporegie tam realia quam personalia et non faciat uicinancias alias quemadmodum faciunt alii ciues Yporegie non possit nec debeat aliquod ius uel partem siue utilitatem aliquam habere uel aquirere in nemoribus seu aliis comugnis comunis Yporegie.

De ciuibus compellendis ad emendum possessiones pro citanaico.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius uel rector qui pro tempore fuerit teneatur speciali sacramento facere inquisitionem generalem contra omnes ciues ciuitatis Yporegie et eorum fideiussores qui emere debent aliquas possessiones pro eorum citanayco secundum eorum pacta et conuentiones et qua inquisitione facta compellat eos et quemlibet ipsorum tam principales quam fideiussores ad emendum dictas possessiones infra IIII menses principii sui regiminis et factis dictis emptionibus teneatur quilibet emptor facere autenticari suum instrumentum emptionis suis expensis et ipsum poni facere in libro comunis Cyteinorum et possit potestas siue uicarius ponere penas et banna ad suam uoluntatem et eciam personas detinere pro predictis exequendis et adimplendis. et si predicta potestas siue uicarius uel rector non fecerit uel fieri non fecerit infra dictum terminum amittat de suo salario pro qualibet uice libras L quas clauarius teneatur speciali sacramento poni facere in dato et recepto dicti potestatis siue uicarii uel rectoris et quod supradictum est sit precissum et trunchum ita quod de eo non possit peti licencia nec dari. Si uero contigerit aliquem recipi in ciuem uel habitatorem ciuitatis Yporegie qui teneatur emere ex uigore pacti uel conuentionis facte cum comuni aliquam possessionem occaxione sui citanayci quod ille sic receptus in ciuem non tractetur nec tractari debeat per comune Yporegie tamquam ciuis uel habitator nisi prius

a dictam possessionem emerit cum effectu et idem intelligatur de aliis ciuibus et habitatoribus olim receptis.

De ciuibus compellendis ad instrumenta et pacta eorum citanayci domino uicario presentanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod dominus uicarius infra XV dies principii sui regiminis teneatur cridare et cridari facere per totam ciuitatem Yporegie quod omnes et singuli forenses recepti ad citanaycum dicte ciuitatis Yporegie teneantur et debeant infra XV dies presentare omnia instrumenta uetera et noua occaxione pactorum si que habent cum comuni Yporegie aliter si predicta instrumenta
b seu pacta infra terminum XV dierum post dictam causam non produxerint quod reducatur ad pristinum statum et estimum in quo erat secundum quod repertum fuerit per libros comunis seu instrumenta uel testes fide dignos quod estimum si soluere recusauerit post dictum terminum XV dierum ipso facto omnes possessiones et bona que haberet in ciuitate Yporegie uel districtu dicto comuni obligata ratione dicti estimi dicto comuni sint aperta et pro apertis habeantur. et teneatur uicarius siue potestas intrare ipsas possessiones et bona nomine comunis usque ad VIII dies proximos sequentes. Si uero possessiones seu fideiussores non habuerit obligatas dicto comuni occaxione predicta cassentur de eorum citanayco et pro cassis et exclusis a dicto
c citanayco habeantur et instrumenta que presentabuntur ponantur in credencia et scribantur in libris comunis et fiat quod placuerit ipsi credencie.

De hominibus Yporegie manutenendis in eorum iuribus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas seu uicarius teneatur manutenere et obseruare homines Yporegie sue iurisdictionis qui habuerint facere in Burono Paerno Bagnolio Piuerono Palazo et ubicumque locorum et eorum homines et comune Yporegie in sua plena iurisdictione et cum omni honore fodro banno exercitu itinere et canalcata et cum omnibus eorum honorenciis et facere fieri ho-
d minibus dicte castellate supradictis Burolii qui sunt homines hominum Yporegie sequelas et capere fodrum in eis quod eis imponetur secundum quod continetur in capitulo concordie Vercellarum et Yporegie et ab omnibus personis ipsos homines deffendere suo posse. si qua singularis persona collegium uel uniuersitas que non sit iurisdictionis comunis Yporegie occupauerit alicui ciui uel habitatori Yporegie qui substineat honera dicti comunis aliquam possessionem uel iura et postquam dicta persona collegium uel uniuersitas requisiti fuerint ex parte uicarii non concordauerint se de predictis cum eo uel cum eis quibus predicta occupauerint quod liceat predictis quibus predicta occupata fuerint capere arrestare et detinere ex auctoritate ipsi

et eorum coaiuctores de bonis personis et rebus illorum qui predicta occupauerint et occupari fecerint usque ad plenam solucionem satisfactionem emendam et restitutionem dampni sibi dati. et teneatur uicarius qui pro temporibus fuerit et eius familia predictos fortes facere in predictis. et credatur super hiis omnibus sacramento dictorum ciuium sine aliqua probatione et hoc statutum proximum sit precissum et trunchum.

De impositionibus faciendis super aquistis factis per foresterios in ciuitate Yporegie uel districtu.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona que non sit de iurisdictione comunis Yporegie acquisiuerit uel acquireret aliquas domos uel possessiones in ciuitate Yporegie uel districtu uel modo aliquo ad eam peruenerit in eis et super eis et eas possidentibus sicut aliis ciuibus et ciuium possessionibus talie mutua impositiones et fodra de cetero imponantur. que quidem omnia potestas siue uicarius teneatur ab eis excutere et excuti facere sicut alia ciuium imposita nulla inde persona excepta. et quecumque persona de ciuitate Yporegie uel districtu tenuerit possederit coluerit habitauerit quocumque titulo uel causa aliquas terras possessiones uel domos pro quibus et de quibus consueuerunt solui fodra expense et impositiones comuni Yporegie ipsa persona teneatur et compellatur precisse officio iudicis et sine libello et iuris solempnitate soluere fodrum talias et impositiones comuniter impositas et imponendas super dictis possessionibus et facere guaytas et scaraguaytas et alias expensas comunis occaxione dictarum possessionum.

De impositionibus faciendis habitatoribus Yporegie super acquistis eorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes habitatores ciuitatis Yporegie qui acquisiuerint aliquas terras seu possessiones uel ad eos modo aliquo peruenerint post eorum habitaculum in Yporegia poderio uel districtu debeant de ipsis postea acquisitis soluere comuni fodra mutua talias impositiones et subire omnia honera et expensas et uicinancias facere in Yporegia. Omnis eciam persona layca habitans in Yporegia uel districtu det et soluat comuni Yporegie et pro ipso comuni fodra mutua talias impositiones et alia honera et expensas ciuitatis de omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus habitis et habendis ubicumque in Yporegia et episcopatu sicut ceteri ciues dummodo de hiis rebus alibi fodrum non soluat saluis tamen cuicumque ciui uel habitatori Yporegie omnibus pactis et conuentionibus que et quas cum dicto comuni haberet. Teneatur quoque potestas siue uicarius omnes in ciuitate Yporegie habitantes sicut alios ciues Yporegie in omnibus eorum iuribus manutenere defendere et substinere exceptis forexitis seu confiniatis de eorum terris quos non teneatur deffen-

a dere neque eos nisi sicut placuerit credencie adiuuare.

De fodris et taliis excuciendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si ille persone quibus fodrum seu talia imposita fuerit siue comune collegium uel uniuersitas non soluerint ea infra terminum ordinatum omnes expensas que fient in raspiis seruitoribus et notariis pro ipso fodro seu talia excucienda seu excuciendo sint super illis non soluentibus et non super comuni et preterea nemo teneatur eisdem non soluentibus in causis ciuilibus respondere quousque seruauerint et soluerint predicta et dicta fodra denuncientur forensibus eorum expensis. *b* Si qua autem persona ciuitatis Yporegie uel districtus licet aliunde si fuerit ciuis Yporegie que non soluerit fodrum seu fodra impositum seu imposita per comune Yporegie a xxx annis currente millesimo cccxxvii non possit nec debeat esse de credencia nec aliquod officium habere in ciuitate Yporegie nec sibi reddatur ius si quam questionem mouerit aliquibus personis undecumque sint in dicta ciuitate Yporegie donec soluerit integre dictum fodrum siue dicta fodra ubi et cui soluere debuerit et intelligatur et locum sibi uendicet in hiis personis et de hiis personis qui non soluerint fodrum impositum nec eciam teneantur ciues Yporegie dare aliquod auxilium seu secursum aliquibus ciuibus Yporegie forensibus et *c* morantibus extra ciuitatem Yporegie et districtum donec soluerint omnia eorum fodra imposita per comune Yporegie. teneatur eciam uicarius siue potestas infra mensem principii sui regiminis facere fieri credenciam et in ea proponere quid placet prouidere super fodris comunis Yporegie excuciendis ab illis qui non soluerunt. Qui uicarius siue rector et iudices teneatur obseruare et obseruari facere illud quod dicte credencie placuerit ordinandum.

De ciuibus Yporegie conseruandis in eorum possessionibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas *d* siue uicarius et sui iudices debeant curare eorum posse et facere bona fide precisse et cum effectu quod omnes terre et possessiones et omnia bona et iura alicui ciui Yporegie pertinencia ubicumque de quibus uidelicet non possit ius habere sub potestate siue uicario Yporegie relaxentur et disbrigantur eidem ciui summarie et sine strepitu iudicii et iuris solempnitate et dare eidem ciui auxilium consilium et fauorem ad predicta habenda tenenda et possidenda et ipsum in eis habendis et tenendis fortem facere si per ipsum ciuem dictus potestas siue uicarius uel iudices fuerint requisiti et quod omnes ciues Yporegie in omnibus eorum possessionibus conseruentur contra quamcumque personam ecclesiasticam seu laycam de iure ita quod ipsi ciues

de aliqua eorum possessione ab aliquo requisiti a
prius euincantur de iure quam de ipsa possessione possint extrahi uel in ea aliquo modo impediri et quod potestas siue uicarius et eius iudices teneantur speciali et precisso sacramento manutenere et fortem facere quemcumque ciuem et habitatorem Yporegie et districtus in sua possessione contra quamcumque personam ecclesiasticam et secularem de iure et de facto dummodo ipse ciuis uel districtualis probauerit coram potestate Yporegie uel iudice suo uel paratus sit probare infra dilationem competentem quod ipse ciuis seu districtualis sit in possessione uel quasi illius de qua siue de quibus fuerit requisitus et si predicta dictus potestas siue uicarius uel iudices eius facere recusauerint seu
non fecerint amittat ipse potestas de suo salario pro b
quolibet et qualibet uice qua fuerit requisitus libras x imperiales et teneatur clauarius qui tunc temporis fuerit in suo dato et recepto computare.

De guayta et scaraguayta facienda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet habitans Yporegie habens tantum quod ualeat solidos LX teneatur facere guaytam et scaraguaytam sicut faciunt alii uicini de Yporegia saluis familiaribus et masnengis qui cum aliis morantur sub banno imperialium XII pro quolibet et qualibet uice qui non faceret uel mitteret ad ipsas guaytas uel scaraguaytas postquam sibi esset preceptum et dicti
custodes ponantur et recipiantur prout uidebitur c
forestariis. Circa tamen pauperes et miserabiles personas possit potestas et iudex prout eis uidebitur prouidere ita tamen quod qui fuerint scaraguaytani habeant saltem in etate XX annos et non minus sub banno solidorum II pro quolibet qui fecerit et qui eum miserit et guardiano qui eum receperit et pro qualibet uice et tali pacto quod predicte custodie ponantur et fiant equaliter per terceria ciuitatis ita quod tercerium de Cita faciat custodiam ad cursseriam et ad portam bosone et ad portam fontane et tercerium de Rucha sancti Mauricii faciat ad pusternam de mercato et ad portam calderariam et ad portam pontis tercerium uero de Burgo ad portam lachus et ad portam de bando et ad can-
tonum sancti Stephani nec eciam fiant nec pre- d
cipiantur fieri qualibet nocte nisi quatuor scaraguayte tantum et in quolibet tercerio de cetero imponantur qualibet nocte quatuor scaraguayte et non ultra. eo saluo quod plures possint poni tam guayte quam scaraguayte quocienscumque uidebitur domino uicario et procuratoribus et aliter non. nemo insuper ciuitatis Yporegie possit esse uardianus custodum qui non sit in estimo librarum VIII uel ultra. Item quod si fuerit aliquod dampnum datum de nocte alicui habitatori in ciuitate Yporegie in banchis seu portis assidibus seu quocumque alio genere lignaminis quod esset subtus aliquem porticum ciuitatis Yporegie et scaraguayte illius tercerii in quo esset factum dictum dampnum nescirent dicere quis fecerit uel dederit dictum dampnum teneantur et debeant dicte scaraguayte dictum dampnum emendare dampno passo iuxta eorum sacramentum dum tamen illud dampnum datum sit illa nocte qua facerent dictam scaraguaytam uel facere deberent. teneantur insuper guardiani et preceptores quilibet in suo tercerio singulis annis infra VIII dies postquam fuerint electi facere scribi et redigi in scriptis omnia nomina et cognomina illorum hominum qui debent et tenentur facere guaytam et scaraguaytam ad hoc ne possit fieri aliqua fraus super ipsa custodia et scaraguayta et ita quod unus non grauetur plus altero quod scriptum remaneat penes guardianum cuiuslibet tercerii custodiendum et predicta iurent fideliter obseruare.

Qui uero preceptores custodiarum accipere possint omni die guardam unam pro suo salario et non ultra et si contrafecerint accipiendo ultra guardam unam uel aliter delinquendo in suo officio quod ipso iure sit cassus de ipso officio et ultra hoc teneantur procuratores comunis in loco sic delinquentis incontinenti postquam eis denunciatum fuerit alium subrogare et credatur cuilibet accusanti cum sacramento et uno teste. Item quod officium preceptorum et guardianorum supradictorum non duret nisi per sex menses quibus finitis non possint dicti preceptores seu guardiani dicta officia habere nec exercere pro se nec aliis quibuslibet per annum proximum subsequentem et quidquid contrafactum fuerit non ualeat nec teneat ipso iure nec aliquid quod sequatur ex eo et teneantur procuratores noui in principio eorum officii dictos guardianos et preceptores eligere quos crediderint meliores.

De moneta Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod moneta Yporegie de cetero intelligatur et sit ad imperiales ita quod ubicumque fiat mencio de moneta in Yporegia intelligatur de imperialibus saluis contractibus hinc retro factis qui remaneant in eorum uigore et statu in quo erant ante presens statutum et omnia mercata que fient de cetero sint et intelligantur esse ad imperiales nisi aliter inter contrahentes dictum fuerit et expressum. liceat tamen cuicumque uolenti contrahere ad aliam monetam et quod inter partes inde conuenerit obseruetur. Factum fuit hoc statutum in anno Domini millesimo CCLXXXVI indicione XIIII die lune XXVIII mensis nouembris.

De debitis comunis contrahendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quandocumque contigerit comune et homines Yporegie contrahere seu contrahi facere aliquod debitum quod ascendat seu ascendere possit ad quantitatem librarum XX imperialium uel ultra quod uicarius et iudices qui sunt et pro temporibus fuerint teneantur et debeant speciali et precisso sacramento

infra xv dies a tempore dicti debiti contracti numerandos *a* facere poni fodrum et taliam pro satisfactione et solutione dicti debiti ita quod nulla usura per comune Yporegie de predicto debito soluatur sub pena librarum xxv imperialium pro qualibet uice qua contra formam dicti statuti uenirent et quam penam clauarius qui pro temporibus fuerit computare et compensare in salario dicti uicarii et in suo dato et recepto ponere seu poni facere infra tres dies a tempore dicti debiti contra formam dicti statuti connumerandos. et si contingeret dictum comune contrahere aliquod debitum seu contrahi facere contra formam seu preter formam dicti capituli quod dictum debitum seu contractus non teneat nec ualeat ipso iure ita et tali modo quod dictum comune non possit nec debeat *b* cogi ad solutionem et satisfactionem dicti debiti ac si numquam fuisset contractum. et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod in toto nec in parte non possit peti licencia nec dari.

De statutis illorum qui debent habere a comuni postquam facta est eis solucio.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si in hoc libro statutorum sint aliqua statuta seu ordinamenta scripta quod aliqua singularis persona a comuni Yporegie aliquid habere debeat quod postquam eidem singulari persone satisfactum fuerit quod dictum statutum seu ordinamentum sit cassum et uacuum et nullius ualoris et quod cassetur in libro *c* statutorum.

De sapientibus eligendis qui tractent paces et concordias inter habentes discordias in ciuitate Yporegie uel districtu.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas futurus teneatur et debeat infra mensem principii sui regiminis eligi facere sex sapientes prudentes et potentes per procuratores comunis Yporegie singulis annis qui sex sapientes habeant curam bayliam et auctoritatem faciendi et ordinandi paces et concordias et treguas inter homines ciuitatis Yporegie et districtus quandocumque sciuerint et cognouerint aliquam discordiam siue dissensionem *d* seu obscuritatem inter aliquas singulares personas ciuitatis Yporegie et districtus suboriri que uerisimiliter uideatur posse generare aliquod periculum uel scandalum in dicta ciuitate Yporegie uel districtu et quicquid dicti sapientes omnes in concordia siue maior pars ipsorum dixerint fecerint statuerint et ordinauerint in predictis et circa predicta uel alicuius predictorum teneantur uicarius et iudices eius et miles attendere et obseruare et attendi et obseruari facere imponentes penas et banna contra illos qui nollent seu recusarent predictis sex sapientibus uel maiori parti ipsorum parere et obedire ad liberam uoluntatem predictorum sex sapientum uel maioris partis ipsorum et qui sex sapientes dictum officium fideliter exercere iurent ad sancta Dei euangelia.

De leprosis inquirendis.

Item statutum et ordinatum est pro sanitate comunium Yporegie conseruanda quod uicarius qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat proprio et speciali sacramento ex officio suo infra xv dies principii sui regiminis et eciam ad peticionem uniuscuiusque sibi denunciantis quem denunciantem teneatur tenere secretum inquirere et inquiri facere omnes leprosos et leprosas habitantes et conuersantes in ciuitate Yporegie et suburbiis expensis illorum contra quos predicta inquirerentur et illa persona que reperiretur esse leprosa separetur a comunione aliorum ciuium imponendo eisdem per dominum uicarium penas et banna ad suam liberam uoluntatem et post constringendo predictas personas ad predictam separationem aliorum ciuium remediis iuris.

De fodris excuciendis.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis et hominum Yporegie quod uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit et sui iudices teneantur et debeant precisse et speciali sacramento attendere et obseruare et attendi et obseruari facere cum effectu infrascriptas propostam prouissiones et reformationes quarum tenor talis est. Millesimo tercentesimo decimo quinto indicione XIII die martis XVI mensis decembris conuocata et congregata credencia comunis et hominum Yporegie ad sonum campane et uoce preconia more solito de mandato nobilis uiri domini Uberti de Mazadio comitis de Gualperga uicarii ciuitatis Yporegie et districtus pro dominis comite et principe ipse dominus uicarius proposuit sibi consilium exhiberi super infrascriptis in primis siue inter cetera super prouisionibus factis pro fodris soluendis lectis ipsis prouisionibus in presenti credencia quorum tenor talis est. Infrascripte sunt prouissiones facte per infrascriptos sapientes ad hoc deputatos per credenciam super fodris excuciendis nomina quorum sapientum sunt hec.

Dominus Petrus de Berlenda
Dominus Manuel de Solerio et
Anthonius de Alberino.

In primis prouiderunt et ordinauerunt quod preconizetur per ciuitatem Yporegie in locis consuetis et in pleno foro quod quilibet qui non soluerit fodra hinc retro per comune Yporegie imposita debeat et possit ipsa fodra soluere sine aliquo quarto et usuris siue banno scilicet illi de ciuitate et suburbiis usque ad octauam anni noui proximi et illi de uillis et de foris usque ad medium ianuarium proximum et si non soluerint infra dictum terminum teneantur et debeant a dicto termino in antea sol-

uere ipsa fodra cum quarto pluri pro usuris dampnis et interesse in quibus comune incidit et denarios xii pro qualibet libra estimi pro banno quorum denariorum xii de banno medietas perueniat in dominos comitem et principem et alia medietas in excussores dictorum fodrorum.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas qui est et qui pro temporibus fuerit et sui iudices teneantur et debeant precisso et speciali sacramento fortes facere excussores dictorum fodrorum ad dicta fodra excucienda ita quod possint capere de bonis illorum qui debent dare ipsa fodra in auere et personis et de eorum hominibus et bonis ipsorum hominum et de hominibus uillarum comunis Yporegie qui pro se et eorum comuni dare debent dicta fodra et equitare et exercitum facere contra illas personas et loca que nollent uel non soluissent dicta fodra. Et quod uicarius ad requisitionem dictorum excussorum possit et ualeat imponere penas et banna ad suam uoluntatem et inde condempnationes facere capitulo de agrauaminibus non obstante seu quocumque alio statuto a quibus ipse dominus uicarius siue potestas et familia sint absoluti. et quod a dictis preceptis factis aliquis seu aliqui non possint se tenere grauatos nec grauamen aliquod allegare dicto capitulo de agrauaminibus non obstante. et predicta non habeant locum in hiis qui promiserunt soluere et dederunt fideiussores quod soluent ipsa fodra.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod quicumque qui non soluerit omnia sua fodra usque ad terminum supradictum quod uicarius nec eius iudices non faciant nec eis facere debeant ius nec rationem de aliquo debito seu debitis seu de alio negocio seu dampno facto uel faciendo in eorum possessionibus et quod predicti sic non uolentes dicta fodra pro se seu comune alicuius uille unde esset non possint nec debeant amodo in antea uti aliquo contracambio seu beneficio eis dato uel concesso per comune Yporegie contra aliquas personas seu comune quousque soluerint ipsa fodra ipsi et eorum comune et predicta prouissio locum non habeat contra comune et homines Palacii.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod quicumque qui habet partem in comugnis secundum suum estimum teneatur soluere dicta sua fodra et si non soluerit infra terminum predictum quod non possit habere aliquod officium in comuni et si contigerit aliquem allegare seu procurare contra hanc prouisionem quod eodem modo quilibet sic allegans seu procurans non possit habere officium in comuni nisi sit miserabilis persona.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod aliquis iudex auocatus procurator non debeat se presentare coram uicario uel suis iudicibus pro aliquo seu aliquibus qui dare debent dicta fodra causa

a ipsos defendendi uel pro ipsis allegandi et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos xx imperiales quod bannum uicarius teneatur et debeat exigere sine aliqua condempnatione antequam recedat de palacio. et quod inde aliquis non possit se tenere grauatum nec inde uicarius teneatur consilium habere capitulo de agrauaminibus non obstante.

Item prouiderunt quod illi creditores qui habere debent a comuni possint ponere excussores et ipsos tociens quociens eis placuerit remouere et mutare ad eorum uoluntatem.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod predicti
b sapientes possint predictas prouissiones declarare si aliqua obscuritas inde oriretur et quod possint quocienscumque et quandocumque eis placuerit alias prouisiones facere prout eis uidebitur ad dicta fodra melius excucienda.

Item prouiderunt quod denarii qui excucientur de dictis fodris debeant peruenire in illos qui prestiterunt denarios qui positi fuerunt in gabella et nullo modo possint expendi uel diminui in alio debito quam supradicto nec directe uel per obliquum et si contrafactum fuerit teneatur uicarius siue potestas et eius iudices de eorum proprio reficere.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod predicta
c non uendicent sibi locum contra illos de quibus pendet questio et super hiis ponantur sapientes.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod predicte prouisiones ponantur in libro statutorum comunis Yporegie et pro statutis seruentur non obstantibus aliquibus aliis in contrarium obuiantibus. in reformatione cuius credencie placuit maiori parti dicte credencie super dictis prouisionibus quod ipse prouisiones obseruentur et locum habeant contra quoslibet qui tenentur soluere fodra. eo saluo quod quilibet audiatur de iure suo nec fiat obliquum alicui.

De solutione ambaxiatorum.

d Item statuerunt et ordinauerunt quod quocienscumque contigerit per credenciam ordinari de aliquo ambaxiatore uel ambaxiatoribus mittendis extra ciuitatem Yporegie quod non possit dari alicui ambaxiatori nisi solidos vi imperiales pro quolibet equo et se ipso et familia et non possit ducere predictus ambaxiator nisi tres equos pro quibus habeat solidos xviii et non ultra ad rationem solidorum vi pro quolibet equo et si contingeret ex aliqua necessitate ducere iiii equos habeat pro dictis iiii equis et pro se ipso et familia solidos xx imperiales et non ultra et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari.

De eligendis sapientibus qui supplicent domino episcopo ut dignetur ferre sententiam excommunicationis contra capientes columbos et constringendo clericos de soluendo taliis eis impositis. a

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius futurus facere debeat infra mensem principii sui regiminis eligi per procuratores comunis Yporegie sex sapientes ipsosque sex sapientes compellere et cogere quod tractent et procurent et ad effectum perducant cum domino episcopo Yporegie quod faciat constitutionem solempniter ordinatam in qua feratur sententia excomunicationis contra omnes et singulas personas capientes et capi facientes et que dederint auxilium consilium et fauorem ad capiendum columbos aliquos ad recia nec ad filatos b
ita quod non possint de predicta sententia excommunicationis absolui nisi prius plene satisfecerint damnum passis secundum quod iurare uoluerint et postmodum ydonee satisdederint sub pena librarum x imperialium quod contra dictum capitulum in toto uel in parte non uenient. Item procurandi cum eodem domino episcopo et ad effectum perducendi quod predictus dominus episcopus una cum eius capitulo et clero eligant unum forestanum bonum et fidelem qui habeat curam et bayliam et auctoritatem cum singulis aliis forestariis qui per comune seu sapientes comunis Yporegie ad hoc deputatos pro temporibus eligantur ad aliqua opera facienda que cedant in utilitatem dicti domini episcopi siue cleri uel capituli uel alicuius de clero uel c
de capitulo imponendi et indicendi taliam seu talias contingentem seu contingentes iuxta qualitatem dicti operis et facultatem contribuentium in dicto opere. ita quod quidquid fecerit et ordinauerit predictus forestanus cum aliis singulis forestanis comunis Yporegie super impositione cuiuscumque talie soluende et excuciende quod predictus dominus episcopus inuiolabiliter sub certis penis et bannis ac eciam sub pena excomunicationis attendi et obseruari faciat.

De costringendo per dominum uicarium illos qui fuerint ad facienda pacta inter dominos comitem et principem et comune Yporegie et ipsos similiter conueniendo ut examinent dicta pacta et conuentiones. d

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas futurus teneatur et debeat infra mensem sui regiminis principii proprio et speciali sacramento cogere et compellere omnes illos de Yporegia qui fuerunt ad faciendum pacta et conuentiones pro comuni Yporegie cum illustribus et magnificis uiris dominis Amedeo comite Sabaudie et Philippo de Sabaudia principe Achaye et in unum locum conuenire et examinare pacta et conuentiones predictas et eciam prouisiones factas per predictum dominum principem infra tercium terminum per predictum dominum uicarium statuendum et si inuenerint plus esse scriptum quam fuerit dictum uel minus scriptum quam fuerit dictum in instrumento predictarum conuentionum et pactorum quod tunc debeat curare et facere cum predictis dominis quod predicti errores corrigantur siue dicti errores fuerint in fauorem predictorum dominorum et contra comune Yporegie siue in fauorem predicti comunis et contra predictos dominos et quod ad predictam examinationem faciendam et ad predictos errores corrigendos per predictos dominos et comune dabit consilium auxilium et fauorem quem melius poterit et sciuerit. Item quod coget et compellet clauarium predictorum dominorum infra predictum mensem facere instrumenta procuratoribus comunis Yporegie de hiis que predicti domini siue predictus clauarius pro ipsis tenentur dare et restituere predicto comuni pro salario quod recepit dominus Petrus Syrioldus cum uicario Yporegie a predicto comuni Yporegie plus quam debebat de pecunia predicti comunis Yporegie quam pecuniam tenebantur predicti domini dare et soluere predicto uicario. Item procurandi cum ipsis dominis quod studium generale sit de cetero et teneatur in ciuitate Yporegie sic priuilegiatum per summum pontificem quemadmodum est priuilegiatum studium bononie et quod nundine similes nundinis de Campania sint et teneantur de cetero in predicta ciuitate Yporegie per certum temporis spatium conueniens.

Ut priuilegiati in credentia sint cassati.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et singuli habentes priuilegium siue priuilegia non tenendi uenire ad credenciam et non tenendi recipere seu assumere officia in comuni sint cassati et priuati de dictis eorum priuilegiis ipsaque priuilegia sint cassa uacua et nullius ualoris. uerum si dicti priuilegiati uel aliquis ipsorum aliquid dedissent uel exhibuissent quomodocumque comuni Yporegie pro dictis eorum priuilegiis obtinendis quod per comune Yporegie eisdem satisfiat de hiis que dedissent occaxione predicta.

Explicit liber primus.

Incipit liber secundus.

De iure reddendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod iudex potestatis siue uicarii stet in palacio comunis et reddat ius cotidie bis in die a mane uidelicet usque ad terciam et de post nonam usque ad uesperas nisi in diebus festiuis qui ab ecclesia per statutum ordinati sunt celebrari et in festis sancti Sauini sancti Bessi sancti Teguli sancti Nicolay et sancti

Martini et in feriis consuetis. in quadragexima uero et in uigiliis ieiunandis teneatur ipse iudex tantum uenire ad palacium et ibi ius reddere a mane usque ad nonam uel circa. cum autem contigerit ipsum iudicem horis debitis pro credenciis fore uel consiliis seu aliqua causa impeditum debeat ipse uel potestas siue uicarius seu rector Yporegie delegare aliquem de iudicibus seu aduocatis de Yporegia et ei committere uices suas qui interim iuribus ordinarie iurisdictionis fungatur et cuius sententiis et processibus stetur sicut sententiis et processibus ipsius uicarii siue potestatis uel eius iudicis eciamsi non apparuerit de commissione seu delegatione ipsius. non possint insuper nec debeant iudices potestatis siue uicarii per totum tempus sui regiminis ludere ad taxillos uel ad alium quemcumque ludum.

De citationibus ad causas et penis contumacium.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona requisita fuerit per seruitorem comunis Yporegie ut ueniat alicui facere rationem et non uenerit siquidem fuerit de foris et comes soluat pro banno solidos x si uero castellanus soluat solidos v si autem alia persona solidos II sed si habitauerit Yporegie soluat denarios XII illi ad cuius peticionem citatus est ad tercium non ueniret soluat idem bannum et nichilominus causa procedatur in omnibus iustitia mediante possit tamen quicunque uolens citari aliquam ipsam citacionem in libro comunis scribi facere sine banno et ideo non possit in aliquo condempnari citatus.

De contumacibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona ciuitatis Yporegie uel districtus uel eius legiptimus procurator requireretur per seruitorem comunis primo secundo tercio et peremptorie et sine alicuius interuallo diei quod ueniret coram potestate siue uicario uel iudice alicui de iusticia responderi uel ad respondendum libello uel quid aliud in iudicio faciendum seu facta fuerit huius modi requisitio uel aliqua data dilatio per potestatem siue uicarium uel iudicem seu seruitorem eorum mandato una pro tribus et peremptorie et cum interuallo tantum unius diei et non uenerit per se uel ydoneum defensorem detur agenti seu agere uolenti contra dictum contumacem possessio tedialis. et si quidem ipse uellit actor realis signetur ipsi actori per seruitorem comunis ad hoc per potestatem et iudicem constitutum in ea que petitur possessio corporalis si uero actione personali agat detur huiusmodi possessio in bonis contumacis usque ad ualorem debiti declarati et expensarum factarum et faciendarum quibus peractis denuntietur per seruitorem illi contra quem fuerit data dicta possessio quod ueniat infra x dies ad contradicendum quicquid uoluerit contra predicta uel dictam possessionem recuperandam qui si nec infra dictum

a terminum curauerint comparere potestas seu uicarius siue iudex predicta ex secundo decreto debeat confirmare recepta tamen fide de debito per instrumentum uel testes uel hiis deficientibus per sacramentum petentis ita quod huiusmodi sacramentum cum contumacia faciat de cetero probationem. si autem per dictum seruitorem ad hoc constitutum non reperiatur tantum de bonis contumacis predicti in quibus dari possit dicta possessio corporalis eo seruitore hoc protestante in actis prenominatus contumax absens habita tamen fide de debito ut supra tamquam presens et confitens per sentenciam condempnetur et facta sibi denunciatione per aliquem seruitorem quod infra x dies ueniat ad contradicendum uel recuperandum ut supra nec uenerit
b habeat eadem sententia uires definitiue sentencie et sicut alie sententie facte per confessionem et denunciate executioni mandentur.

Quod si predictus contumax infra dictum terminum x dierum uenerit ad predictam possessionem uel sententiam recuperandam et contradicendum eadem cassata restitutis primo expensis postea demum in eadem causa iure ordinario procedatur. teneatur tamen ille qui contumax fuerat satisdare de lite usque ad finem coram potestate siue uicario uel iudice Yporegie prosequenda que satisdatio si eam prestare non poterit stetur eius iuratorie cautioni.

Et si contigerit predictum contumacem post recuperationem dicte possessionis iterum incidere in
c similem contumaciam tamen non detur aliqua possessio contra ipsum sed perinde habeatur ac si lis esset legiptime contestata inter dictas partes. et si contigerit per predictas partes siue alteram ipsarum siue per procuratores earum quando agitabitur predicta causa possit procedi contra contumacem ac si reuera esset facta litis contestatio.

De solucione procuratoris.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contigerit aliquem coram iudice uel uicario litigare et ab aliquo uel ab aliqua petere et super dicta peticione fuerit lis contestata inter ipsas partes et contigerit quod illa persona que obtinuerit habue-
d rit in dicta causa aliquem procuratorem et contigerit aliquam ex dictis partibus condempnari tam in sortem quam in expensas quod expense facte per illum qui obtinuerit in procuratore suo restituantur eidem obtinenti sicut alie expense que fierent per ipsum aliis de causis taxacione prius per dictum dominum iudicem facta et iuramento partis confirmata et hoc pro expensis dicte cause factis tantum in procuratore iamdicto et non in aliis.

Quod homines iurisdictionis Yporegie compellantur subire ius sub potestate siue uicario Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes homines habitantes in ciuitate Yporegie et districtu et

eorum homines ubicumque sint et omnes homines iurisdictionis Yporegie compellantur sub potestate Yporegie et eius iudicibus in Yporegia facere rationem.

De requirendis ciuibus quod ueniant facere sequelam et penam non faciendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis Yporegie fuerit per potestatem siue uicarium uel iudicem requisitus semel bis tercio et peremptorie ut ueniat ad faciendam sequelam ipsi domino potestati siue uicario et non uenerit ipso iure sit priuatus omni comodo et utilitate quod et quam haberet et perciperet a comuni Yporegie occasione sui citanayci nisi predictus sic requisitus infra terminum xv dierum sibi assignatum per supradictum potestatem siue uicarium uel iudicem legiptimam fecerit deffensionem et purgauerit suam contumaciam.

De causis summarie cognoscendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod in omnibus causis quarum quantitas solidos LX non excedit summarie procedatur nec teneatur aliquis a dictis solidis LX infra offerre libellum sed solummodo simplex peticio scribatur et redigatur in actis et demum breuiter et summarie procedatur. ceterum si quantitas non excesserit summam solidorum XX imperialium nulla detur uel scribatur peticio uel libellus in quo casu si copia probationis plene uel semiplene non fuerit sacramenti delatione ipsa questio terminetur prout religioni et discrecioni uidebitur iudicum et sic et prout gerit qualitas personarum idem quod dictum est de solidis XX seruetur in supradictis peticionibus laboratorum petencium solutionem de eorum laborerio si ipsa questio ascendat ad solidos V tantum uel infra de quibus eciam possit et debeat cognosci et determinari omnibus etiam diebus feriatis et compellatur debitor summarie ad solutionem faciendam ipsi laboratori non obstante statuto de agrauaminibus nec etiam audiatur opponens exceptionem minoris etatis uel aliam quamcumque personalem exceptionem.

De agrauaminibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona coram potestate siue uicario uel iudicibus Yporegie uel eorum altero allegauerit quod in aliquo agrauaretur ipsi potestas et iudices teneantur habere consilium iudicum non suspectorum tam in questionibus ciuilibus quam preceptis et criminalibus causis et aliis quibuscumque de quibus ipsi potestas et iudices fuerint requisiti. predicta autem locum non habeant in homicidiariis incendiariis uel falsariis in aliquo premissorum criminum deprehensis per rectorem uel aliquem eius officialem seu per aliquam aliam personam dummodo per te-
a stes possit fide dignos probari. in quibus tamen casibus dicti uicarius et iudices possint procedere prout eisdem de iure uidebitur procedendum. Quod si predicti potestas uel iudices seu alter eorum dictum consilium habere recusauerint uel habuerint omnis processus qui inde interim fieret uel factus fuerit contra predictum consilium requirentem et quidquid secutum fuerit ex eo uel ob id non ualeat nec teneat ipso iure nec inde quis aliquod bannum incurrat dum tamen dicta requisitio fiat presente et audiente aduersa parte si alicuius interfuerit uel ipsa ad hoc audiendum citata. in ciuilibus autem causis si qua persona ab aliquo processu facto uel faciendo reputauerit se grauatam petens inde haberi consilium secundum formam premis-
b sam non aliter audiatur nisi incontinenti dederit suos suspectos et consiliaturam deposuerit iuxta quantitatem a rectore uel iudice ordinandam seu bonum pignus dederit de predicta quantitate et tunc teneatur iudex habere consilium super ipso grauamine expensis petentis dictum consilium tantum ita tamen quod si ipse petens in articulo commisso secundum ipsum consilium obtinuerit compellatur incontinenti pars aduersa sibi restituere dictas expensas. aliter autem non teneatur iudex uel rector siue ius reddens habere dictum consilium sed nichilominus ualeat et teneat eius processus ac si numquam huiusmodi consilium esset petitum et si forte contigerit aliquam commissionem fieri secundum formam premissam non possit ali-
c quis pendente ipsa commissione ex aliquo articulo uel processu emergente uel dependente ex articulo iam commisso uel propter illud dicere uel allegare quod reputaret se grauatum nec consilium habere petere super eo sed nichilominus ualeat processus iudicis ipso grauamine non obstante et hoc habeat locum in ciuilibus tantum. uicarius insuper uel eius iudices non possint nec debeant committere aliquam questionem ciuilem uel criminalem interlocutoriam uel definitiuam nisi dicat parti uel partibus nomen iudicis et prenomen cui committere intendit dictam questionem et hoc antequam fiat dicta commissio. in hiis autem de quibus haberi debet consilium collegii iudicum de Yporegia omnes iudices de ipso collegio uniuersaliter non possint dari uel
d haberi suspecti. et si omnes iudices de ipso collegio nominati et singulariter darentur uel haberentur suspecti teneantur potestas siue uicarius uel eius iudices ipsam questionem seu articulum de qua uel quo queritur ipsi collegio iudicum committere consulendam et consulendum et ita quod aliqua questio uel articulus committendus cuiuscumque conditionis existat uel stando extra ciuitatem Yporegie et nisi iudicibus de dicto collegio nullomodo possit committi. si quam tamen questionem ciuilem uel criminalem de cetero contingat collegio iudicum committi uicarius qui pro temporibus fuerit seu alter ex iudicibus suis apud quem questio uentilabitur et qui ipsam questionem commiserit teneatur incontinenti facta dicta commissione taxare di-

cto collegio salarium congruum inspecta cause et litigantium qualitate nec possit ultra quantitatem taxatam ut supra per ipsum collegium quid peti exigi uel quomodolibet extorqueri ipsius autem collegii consilium dari uel scribi non possit nisi due partes ipsius collegii in excribendo consilio sint concordes nisi talis esset numerus ipsorum iudicum in collegio quod due partes non possent a tercia commode separari uel discerni. in quo casu maioris partis iudicio stetur atque consilio non tamen aduocati partium siue questionis commisse uocem habeant in collegio in dando consilio supradicto. non possint tamen potestas uel iudices aliquam questionem ciuilem de minori quantitate uel ualore solidorum LX uel articulum aliquem ex huiusmodi questione descendentem sine uoluntate partium committere collegio supradicto sed si in ea questione omnes iudices de dicto collegio nominatim darentur suspecti compellantur partes uel eius iudices dimittere unum uel plures ex hiis quos suspectos dederint quibus sic per partes dimissis alteri de dictis iudicibus tantum de Yporegia dicta questio comittatur. Quod si forte dicte partes nollent aliquos dimittere uel non dimitterent ex hiis iudicibus Yporegie quos dedissent suspectos nichilominus potestas et iudices teneantur ipsam questionem committere cui uel quibus uoluerint de iudicibus collegii supradicti. cum autem contigerit per potestatem seu uicarium uel eius iudicem seu alterum ipsorum committi alicui iudici uel iudicibus aliquam questionem ciuilem uel criminalem teneatur committens consiliaturam dicte questionis deponere seu deponi facere penes unum de notariis comunis ad banchum ubi esset dicta questio et quo uel que consilium dicti sapientis uel sapientum fuerit scriptum non debeat dictus iudex uel iudices dictum habere salarium si tamen dictus iudex uel iudices cui questio committeretur prius habere uoluerit alterius sapientis consilium possit illud habere expensis tamen illius qui peteret dictum habere consilium et non aliter si tamen is cui questio committeretur ipsum dare noluerit teneatur consiliaturam restituere et tunc ab alio uel aliis consilium habeat. illa uero persona que succubuerit in consilio et interlocutoria siue consilium illud amiserit compellatur incontinenti et sine dilatione aliqua per uicarium seu eius iudicem ad restituendum et soluendum parti obtinenti consiliaturam ex inde datam occaxione dicti consilii habendi et expensas predicti consilii per obtinentem exinde factas et eciam restituendum et soluendum expensas per procuratores partium in huiusmodi consilio solutas sicut compellerentur ut supra eorum nomine principales si essent presentes. Ille autem cui comissio siue questio siue sentencia interloqutoria siue sit definitiua quocumque nomine censeatur fuerit commissa per aliquem iudicem comunis curie Yporegie seu per uicarium siue potestatem qui sunt seu qui pro temporibus fuerint seu per aliquem delegatum ab ipsis uel altero ipsorum alicui

a iudici siue aliquibus iudicibus de collegio ciuitatis Yporegie et ille iudex seu iudices cui siue quibus commissa fuerit dicta questio interlocutoria siue sententia et consilium suum non dederit postquam sibi solutum fuerit et satisfactum de dicto consilio infra XV dies a tempore dicte satisfactionis numerandos quod liceat et licitum sit ipsi uicario seu iudicibus suis seu alteri ipsorum et teneatur speciali et precisso sacramento dictam commissionem sibi factam et commissam illi iudici seu iudicibus seu collegio iudicum dicte ciuitatis remouere cassare et anullare et alteri iudici seu iudicibus non suspectis ad peticionem ipsarum partium seu alterius ex dictis partibus primo requirentis de nouo comittere et ille iudex siue iudices cui siue quibus prius comissa

b fuerat dicta questio qui non dederunt suum consilium infra predictos XV dies non possint dictam questionem de cetero in perpetuo habere nec consilium suum dare et si darent quod sit nullius ualoris et momenti et si ad peticionem alicuius partium dicta comissio fuerit annulata ut dictum est quod teneatur potestas siue uicarius seu iudex qui fecerit dictam comissionem facere citare aliam partem ad uidendum comitti dictam questionem aliter non ualeat dicta secunda commissio et eciam teneatur iudex uel iudices alii uel aliis dictam comissionem dare et reddere solutionem quam receperit de predicto conscilio post predictos XV dies et ad restitutionem dicti eorum salarii faciendam teneantur potestas seu uicarius et iudex et quilibet ipso-

c rum proprio et speciali sacramento omni mora sublata. et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit uel de aliqua ipsius parte peti licentia nec dari.

De iudicaturis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod de aliqua causa non detur iudicatura nisi lite contestata. lite uero contestata scribatur iudicatura in libro comunis iudicaturarum primo super actore postea super reo scilicet denarii XII pro libra et si litigantes seu alter ipsorum essent de ciuitate Yporegie et soluendo exactio ipsius iudicature ad uoluntatem potestatis siue uicari uel iudicum differatur si uero

d non soluendo fuerint uel forenses cogantur incontinenti iudicaturam soluere uel pro ea ponere bonum pignus que quidem iudicatura primo ab actore postea et demum a reo et non ante si reus hoc requisiuerit exigatur. porro si reus post litem contestatam per confessionem fuerit condempnatus utraque pars iudicaturam soluere teneatur pro debitis autem confessatis ante litem contestatam denunciationibus et saximentis estimationibus et sententiis que petentur executioni mandari iudicatura non detur. sed nec pro accusis uel denunciationibus quibuscumque nec eciam pro uno debito iudicatura nisi similiter soluat. procuratores insuper et alieno nomine causas agentes ad iudicaturas soluendas ut principales cogantur exceptis hiis qui pro distri-

ctualibus potestatis siue uicarii seu Yporegie ecclesie procurant qui ad huiusmodi solutionem faciendam minime teneantur.

Quod nullus audiatur de iure suo qui dare aliquid teneatur comuni.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona a tempore citra concordie domini Guillelmi quondam marchionis Montisferrati manifeste de iure dare debuerit comuni Yporegie aliquod fodrum taliam impositionem banna et condempnationes iudicaturas seu aliquos prouentus ad dictum comune in ciuitate Yporegie et districtu pertinentes non audiatur interim de aliquo iure suo nec possit quis cogi predicte persone sic dare debenti in iudicio respondere. quod quidem et contra illos seruetur pro quibus aliquis ciuis Yporegie fideiubens pro eis soluerit aliquid de predictis uel occasione predictorum donec ipsi et pro eis exsolnenti satisfecerint de sorte et de expensis factis et faciendis occasione predicta.

De libris mercatorum exhibendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis mercator ciuitatis Yporegie uel districtus petierit ab aliquo debitum aliquod occasione sue mercationis uel alia de causa et ipse reus petierit librum rationum ipsius mercatoris uel suorum sibi exhiberi compellatur idem mercator dictum librum uel libros eidem exhibere ita ut ipse debitor de ratione sua scripta in ipso uel ipsis libris copiam possit habere. et si ipse mercator dictum librum uel libros non exhibuerit ut supra non audiatur de iure suo contra dictum debitorem predictam exhibitionem petentem. et idem obseruetur intelligatur et fiat in libris censualibus libris usurariorum et aliis libris cuiuslibet rationis credatur tamen sacramento cuiuslibet persone ad quam predicta edi uel exhiberi petentur an habeat rationum librum uel scripturam que petitur exhiberi et habeat facultatem edendi et exhibendi predicta nec ne.

De satisdactione in iudicio per forenses prestanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis forensis uel eciam de ciuitate qui non sit de iurisdictione potestatis siue uicarii et comunis Yporegie uel districtus primo teneatur bonam et ydoneam securitatem yporegiensem prestare de iuri parendo coram potestate siue uicario Yporegie et suis iudicibus de iudicatum soluendo eidem ciui et habitatori uolenti ab ipso forense aliquid petere usque ad quantitatem sortis et expensarum per ipsum forensem petitam et si dictam securitatem dixerit se prestare non posse relinquatur eius iuratorie cautioni quod iudicatum soluet et iuri parebit ut supra aliter non audiatur de iure suo nec
a eciam donec iudicaturam soluerit quam incontinenti soluere teneatur.

De saximentis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ad petitionem ciuium Yporegie et districtus omni die possint et debeant fieri saximenta de bonis et rebus debitorum forensium et eorum qui non sunt de iurisdictione potestatis Yporegie et illorum qui sibi non fecerint sequelam et omnium paruorum debitorum qui fuerint non soluendo licet essent de iurisdictione Yporegie ad uoluntatem petentium usque ad congruam rationem inter eos uel prestitam ydoneam satisdactionem de iuri parendo coram po-
b testate siue uicario Yporegie uel eius iudice et de debito et iudicato soluendo usque ad quantitatem seu ualorem rei saxite si creditor poterit ostendere quod de iure habere debuerit debitum uel paratus fuerit ad uoluntatem ipsius potestatis siue uicarii uel iudicum hoc iurare et quilibet seruitor comunis Yporegie possit propria auctoritate ad peticionem cuiuscumque de iurisdictione Yporegie predicta saximenta facere et res saxitas ubicumque reperte fuerint ponere in sequestro in quocumque loco domo seu habitatione iurisdictionis Yporegie ad uoluntatem petentis et penes quamcumque personam in ciuitate Yporegie et districtu habitantem penes quam essent res que tenentur saxiri usque ad rationem congruam uel prestitam
c satisdactionem predictam et si quidem aliquis non habens ius huiusmodi fecerit saximentum ei cuius res saxita fuerit expensas et damna sua restituere compellatur si uero contra eum cuius fuerit res saxita ius inueniatur habere detur et liuretur ipsi creditori in solutum eadem res saxita usque ad quantitatem sortis et expensarum quas de iure reperietur habere debere ipso tamen debitore prius citato semel quod ueniat ad contradicendum et ostendendum de iure suo si uoluerit et si non uenerit nec aliquid contradixerit res saxita creditori delliuretur et idem fiat et seruetur ad peticionem cuiuslibet ciuis Yporegie et districtus de dicta datione in solutum supra facienda contra quemlibet non facientem rationem sub potestate siue uicario
d Yporegie qui sibi dare debuerit de rebus ipsius forensis et suorum hominum inuentis in ciuitate Yporegie et districtu si constet de debito per confessionem rei seu per instrumentum uel testes. Et si persona illa penes quam factum fuerit saximentum sine licencia potestatis uel iudicis uel eius qui ipsum fieri fecerit saximentum seu alter indebite relaxauerit rem saxitam compellatur incontinenti facta fide per peticionem de debito secundum formam prescriptam sine libello ac solempnitate uel strepitu iudiciorum soluere ipsi creditori debitum cum expensis cuius occaxione predictum factum fuerit saximentum uel saltem usque ad quantitatem ualimenti rei saxite. si autem dicta persona talis fuerit a qua potestas uel eius iudices non pos-

sint penam aliquam uel banna exigere nec ab ea a
restitutionem rei saxite habere et ipsa talis persona
rem penes eam saxitam non custodierit uel eam
relaxauerit ante cognitionem potestas siue uicarius
et iudices non possint eidem persone ius reddere
nec causam audire de aliquibus suis debitis uel
dampnis eidem in aliquibus possessionibus uel re-
bus illatis nec de hiis intromittere donec predictam
rem penes se saxitam consignauerit et presentaue-
rit seu assecurauerit de restitutione ualimenti dicte
rei coram potestate uel iudice ad uoluntatem illius
qui predictum fieri fecerit saximentum. si tamen
episcopus Yporegie uel eius uicarius siue aliquis eius
nuncius uel procuratores ecclesie Yporegie aliquod
saximentum fecerint fieri de bonis cuiusquam de iu-
risdictione Yporegie uel occasione ipsius uel aliqua b
de causa ipsum tangente possit et debeat fieri saxi-
mentum de rebus dictorum episcopi uicarii et homi-
num ecclesie Yporegie ad uoluntatem illius ciuis uel
subditi contra quem factum foret saximentum predi-
ctum et contra predictos clericos et eorum homi-
nes et eorum terras debeat idem in predictis ser-
uari quod per eosdem fuerit contra ciues Yporegie
et districtuales seruatum. Non possint preterea equi
uel eque seu alie bestie siue arma saxiri uel aliter
impediri quas et que aliquis ciuis Yporegie ab ali-
quo forensi mutuo uel commodato cepisset dum
ipse ciuis habuerit et tenuerit supradicta ipso ta-
men ciue iurante ipsam defensionem in fraudem
non facere creditori. questio insuper aliqua siue
causa saximentorum ultra mensem a die facti sa- c
ximenti perdurare non possit si per eum qui fecerit
saximentum ob iurium eius defectum steterit quo-
minus in ea causa saximenti fuerit pronuncia-
tum infra mensem ultra mensem dicto saximento
pro nullo habito qui illud fecit fieri non audiatur
ulterius super ea. et si contra ipsum in ea causa
saximenti infra mensem pronunciari contigerit ab
ea pronunciatione seu sententia non possit qui sa-
ximentum procurauit fieri appellare. fideiussores
autem dati occasione saximentorum possint conue-
niri et excuti etiamsi non renunciauerint sicut prin-
cipales. non possit enim aliqua persona nec eius
bona in ciuitate Yporegie uel eius districtu saxiri
impediri arrestari uel personaliter detineri ad pe-
ticionem alicuius ciuis Yporegie eciam habitantis d
in ciuitate per se et familiam suam pro aliquo de-
bito contracto siue celebrato siue pro aliquo alio
facto commisso antequam efficeretur ciuis et uene-
rit ad habitandum in ciuitate Yporegie uel distri-
ctu. Item si contingat de cetero fieri aliquod saxi-
mentum ad peticionem alicuius et aliquis compa-
reat ad contradicendum uel defendendum rem sa-
xitam uel arrestatam dicens ipsam rem arrestatam
siue saxitam ad se pertinere uel sibi obligatam esse
ob aliquam causam et illud probet per testes uel
instrumentum nichilominus iurare teneatur ad san-
cta Dei euangelia ipsam rem saxitam ad se perti-
nere uel sibi obligatam esse reuera et non ficticie
nec per dolum uel machinationem. si quis autem
fieri fecerit aliquod saximentum uel arestationem
alicuius rei et conuictus fuerit dictum saximentum
uel arrestationem non esse legiptime nec de iure
factam ille ad cuius peticionem factum fuerit di-
ctum saximentum uel arrestatio teneatur inconti-
nenti restituere dampnum infitato expensas factas
occasione predicta et teneatur uicarius qui pro
temporibus fuerit expresso et speciali sacramen-
to facere quod predicta effectui demandentur.
Nulla enim persona undecumque sit possit uel de-
beat sub pretextu alicuius debiti seu contracambii
uel represaliarum personaliter detineri uel capi seu
bona sua saxiri uel arrestari ad peticionem alicu-
ius persone seu personarum que non sint ciues
districtus ciuitatis Yporegie et qui non habitent in
eadem ciuitate uel districtu per se et eius fami-
liam. insuper uicarius uel aliquis de sua familia non
possit nec debeat aliquam personam undecumque
sit detinere saxire uel arrestare in persona uel re-
bus pro alterius debito nisi persona que petitur
detineri saxiri uel arrestari se ad dictum debitum
obligasset quod uindicet sibi locum nisi debitum
dare deberet comune uel uniuersitas ubi staret illa
persona sic detenta saxita uel arrestata uel eius
dominus.

De excontris et contracambiis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas
siue uicarius uel eius iudex qui sunt uel pro tem-
poribus fuerint teneantur et debeant speciali sa-
cramento infra VIII dies principii eorum regiminis
facere cridari per ciuitatem Yporegie in locis con-
suetis quod omnes et singuli qui habent et habere
intendunt aliquod excontrum seu contracambium
contra aliquas personas collegia seu uniuersitates
uillas seu ciuitates seu prouincias quod debeant
et teneantur coram se personaliter presentare et
quantitatem sui excontri seu contracambii in scri-
ptis sibi tradere quo facto teneantur predicti ui-
carius et iudices ipsos facere iurare quod non re-
cipiant per se nec per alios aliquod tributum seu
aliquid aliud pro aliquo excontro uel contracambio
sub pena et banno librarum XXV imperialium pro
quolibet et qualibet uice nisi de uoluntate et scien-
tia predictorum uicarii seu eorum iudicum et tunc
teneantur nichilominus dictum tributum seu quid
aliud quod reciperent occasione dicti contracambii
in dictum excontrum seu contracambium compu-
tare et compensare. si autem contigerit predictos
habentes predicta excontra seu contracambia seu
qui in posterum habebunt contra predicta uel ali-
quod predictorum uenire seu contrafacere inconti-
nenti perdant et priuati intelligantur et excontris
et contracambiis ita quod non possint predictis
eorum excontris et contracambiis in perpetuum
uti perinde ac si eis numquam fuissent data nec
concessa dicta excontra seu contracambia. possit
enim credencia comunis Yporegie omnia cambia
et contracambia que de cetero dabuntur seu con-

cedentur alicui ciui Yporegie seu ciuibus seu alicui *a* subdito uel subditis eiusdem ciuitatis siue cuicumque alteri persone cuiuscumque conditionis et status existat per dictam credenciam siue per dominos comitem et principem seu per alterum ipsorum concessa dum tamen maior pars dicte credencie sit in concordia prolungare ad eius liberam uoluntatem. nulla autem persona possit nec debeat que non sit iurisdictionis comunis Yporegie seu districtus comunis Yporegie uti aliquo contracambio seu excontro in ciuitate Yporegie seu districtu sibi concesso per aliquam personam nisi sit de consensu et uoluntate credencie comunis Yporegie etiamsi fuerit uicarius ciuitatis Yporegie siue de eius familia et teneatur uicarius et eius familia precisso et speciali sacramento predicta attendere *b* et obseruare et obseruari facere et eciam teneatur ipse uicarius et debeat proprio et speciali sacramento singulis annis infra mensem principii sui regiminis proponi facere in credencia comunis Yporegie si placet dicte credencie quod omnia cambia et represalie concessa et concesse singularibus personis ciuitatis Yporegie et districtus prolongentur et dillatentur per totum tempus sui regiminis uel non et tunc fiat et obseruetur de predicta prolongatione uel non prout maior pars dicte credencie duxerit ordinandum et reformandum. et predicti duo paragrafi quorum unus incipit possit enim credencia etc. et alius incipit et eciam teneatur ipse uicarius etc. sint trunchi et precisi ita quod de ipsis in toto uel in parte non possit licentia peti *c* nec dari. insuper quod aliqua persona que habeat uel in posterum habuerit aliquod contracambium comuni Yporegie seu a dominis comite et principe uel altero ipsorum non possit nec debeat uti dicto contracambio contra aliquam personam ipsam personaliter capiendo in ciuitate Yporegie uel suburbiis sine licencia uicarii et nisi secum habeat familiam uicarius uel aliquem de sua familia. et idem intelligatur de aliis locis contiguis ciuitati et suburbiis Yporegie ubi consueuit fieri forum et nundine et qui contrafecerit cadat et sit ipso iure priuatus ab omni iure sibi competenti occasione ipsius contracambii sibi concessi et preterea supplicetur ex parte comunis Yporegie dominis comiti et principi quatenus presentem paragrafum uelint *d* et debeant confirmare.

De estimationibus et dationibus in solutum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contigerit per seruitores raspios uel estimatores comunis Yporegie dari creditoribus res aliquas in solutum siquidem mobiles possit debitor eas recuperare usque ad VIII dies et ultra donec fuerint uendite uel etiam estimate et sit in electione creditoris ipsas res sibi facere estimari uel eas uendere a dicto termino in antea VIII dierum et si ex illis rebus uenditis minus caperetur quam creditor habere deberet debitor teneatur id quod deficeret dare et soluere creditori. si uero plus caperetur debeat illud plus restitui debitori. quod si creditor dictas res sibi maluerit estimari estimentur per estimatores comunis et dentur sibi in solutum sine quarto tamen. debeat tamen debitor per seruitorem citari cum creditor uult sibi estimari facere res huiusmodi seu uendi. teneantur quoque raspius et seruitor si per creditorem fuerint requisiti omnes res mobiles quas dederint in solutum extrahere de domo debitoris et ponere in forciam creditoris uel alicuius boni uicini debitoris expensis ipsius debitoris si dicti raspius et seruitor eas non possent portare sub banno solidorum quinque pro quolibet ipsorum et qualibet uice et nichilominus teneantur dictas res extrahere uel extrahi facere de dicta domo ut supra et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et de predictis credatur sacramento creditoris si eos uoluerit accusare. ille eciam uicinus penes quem dicte res deposite fuerint teneatur eas recipere saluare et gubernare sub eadem pena et banno. res uero immobiles debeant dari et estimari in solutum more solito ciuitatis Yporegie quatuor uidelicet numatas pro tribus denariis quas quidem res sic datas et estimatas possit debitor recuperare infra annum unum et diem soluendo creditori sortem debiti et expensas. creditor autem interim possit et debeat eas res tenere et possidere et ex eis fructus et godimenta percipere et habere pro rata temporis tam perceptos quam percipiendos qui fructus sibi non computentur nec computari possint in solutum sortis et expensarum exceptis fructibus quarti qui bene computentur in sortem. quod si debitor infra annum et unum diem redemerit res immobiles datas et estimatas in solutum creditori quod pro rata temporis ipse debitor pro fructibus dictarum rerum immobilium denarios duos pro qualibet libra principalis debiti teneatur soluere creditori. transacto uero anno uno et die non possit debitor sic ipsas res estimatas et datas in solutum uel earum aliquos fructus redimere uel recuperare sine uoluntate propria creditoris sed ipsa datio in solutum et estimatio extunc perpetuam obtineat firmitatem rebus ipsis estimatis et datis in solutum remanentibus creditori cum deffensione debitoris et suorum bonorum et eciam uicarii seu rectoris Yporegie et comunis et ille contra quem factum fuerit estimum seu dacio in solutum incontinenti post quam sibi preceptum fuerit ex parte domini uicarii uel eius iudicis non disbrigauerit et relaxauerit infra terminum per dictum dominum uicarium seu eius iudicem ordinatum bona estimata seu data in solutum predictis habere debentibus quod predicti sic contrafacientes soluant pro predicto precepto non obseruato pro quolibet et qualibet uice solidos decem imperiales si dictum pignus fuerit a solidis centum infra et si a dictis solidis centum ultra soluat solidos uiginti imperiales et ultra hoc uicarius qui nunc est et pro temporibus fuerit et eius iudices precisso et speciali sacramento teneantur et

debeant predictos contrafacientes ad peticionem cuiuslibet habere debentis personaliter detinere in palacio comunis Yporegie quousque bona estimata et data in solutum dimiserint et disbrigauerint predictis habere debentibus pacifice et quiete et ea dimiserint pacifice possidere et fructus et godimenta eorum percipere et hoc habeat locum tam in estimis et dationibus in solutum factis ab anno currente millesimo tercentesimo undecimo citra quam in aliis de cetero faciendis et postquam per consulem iusticie et seruitorem contigerit dari in solutum alicui creditori res mobiles uel immobiles de bonis alicuius debitoris non possit debitor ipsas res sic datas in solutum uendere nec alienare alicui persone uel aliquem alium contractum facere de ipsis et si contrafecerit non ualeat nec teneat ipse contractus ipso iure sed ipsas res sic datas in solutum dicto creditori ipse creditor possit a quocumque possessore et tamquam res suas uindicare et petere. teneatur insuper dictus creditor cui dicte res fuerint per dictos consules et seruitorem date in solutum si fuerint mobiles facere estimari infra duos menses post dictam dationem et sit in electione ipsius creditoris ipsas res estimari facere infra dictum tempus uel eas uendere ad incantum et quod ille cui fuerint dicte res uendite teneatur ipsas res facere estimare et relaxare debitori cuius fuerint dicte res infra dies octo post ipsam uenditionem habita et recepta sorte debiti cum expensis. si uero dicte res fuerint immobiles teneatur ipsas facere estimari infra sex menses et si predictus creditor infra predicta tempora fieri non fecerit quod dictum pagamentum possessio et processus factus uel facti sint cassi et uacui et nullius ualoris et pro cassis et uacuis habeantur et teneantur. si autem contigerit aliquas res mobiles siue immobiles dari in solutum et extimari uel uendi alicui tercie persone iuxta formam presentis statuti et dicte res pereant infra terminum infra quem debitor poterat ipsas res recuperare quod dicte res pereant periculo debitoris nisi manifeste appareret de culpa dolo uel negligentia creditoris uel emptoris earum periisse. si uero contigerit aliquem creditorem accipere aliquam possessionem in solutum que fuerit censiua alicuius ciuis Yporegie uel districtualis seu in emphyteosim data contra censerium uel emphyteotam et estimata fuerit eidem creditori per estimatores comunis dictus creditor qui dictam possessionem ceperit in solutum teneatur denunciare infra duos menses post unum annum et diem transactum a tempore ipsius dationis in solutum illi domino a quo dicta possessio ad censum seu fictum teneatur quod ipsam possessionem si uoluerit recuperet et facta denunciatione ipsa liceat ipsi domino predictam recuperare infra duos menses post factam denunciationem soluendo dicto creditori sortem debiti pro qua fuerit dicta possessio in solutum data et expensas pro illis factas et illas dicte denunciationis et dationis in solutum et ipse creditor teneatur et compellatur ipsam possessionem reddere pro predictis summarie et sine libello uel figura iudicii. elapsis uero duobus mensibus non teneatur creditor predictam possessionem reddere sed sibi remaneat pleno iure saluo censu debito domino supradicto et idem fiat et seruetur censerio uel emphyteote de iuribus domini recuperandis et redimendis si contingeret ipsa iura contra ipsum dominum eius creditori dari et estimari in solutum ut supra per omnia continetur. si uero contingeret per seruitorem raspios uel estimatores comunis dari creditoribus res aliquas in solutum si fuerint res immobiles que date fuerint in solutum et creditor cui dicte res fuerint date in solutum non fecerit sibi infra duos annos postquam fuerint sibi date in solutum ipsas res expedire quod transactis dictis duobus annis non possit ipse creditor cui date fuerint in solutum per se uel eius procuratorem ipsas res sibi uel eius procuratori datas in solutum uindicare seu petere quod sibi deliurentur uel tradantur sed dicta datio in solutum ipso iure sit cassa uacua et nullius ualoris. si uero fuerint res mobiles que date fuerint in solutum et creditor steterit per sex menses postquam sibi uel eius procuratori eius nomine date fuerint in solutum non possit ipsas res petere uindicare uel exigere sed transactis sex mensibus sit cassa uacua et nullius ualoris et pro cassa uacua et nullius ualoris haberi debeat et teneri.

De censu confessato sine dilatione soluendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod pro censu confessato uicarius uel eius iudex debeat facere raspari censerium ad faciendam solutionem habere debenti sine aliqua sententia uel dilatione nisi de uoluntate habere debentis.

De censariis non perdendis pro censu retento.

Statuerunt et ordinauerunt insuper quod si aliqua persona tenens aliquam censariam censum seu fictum non soluerit infra terminum debitum tamen non amittat censariam predictam ipso iure capitulo aliquo non obstante sed cogatur idem debitor ad solutionem census illius seu ficti cum dampnis et expensis sine dilatione dummodo ipsum debitum confiteatur uel .... nisi ex aduerso posset solutionem probare et teneatur defensionem facere infra unicam dilationem et breuem sibi a iudice statuendam et si per eum qui debet censum habere uel eius nuncium denunciatum fuerit debitori per publicum instrumentum quod debitum censum soluat et ipse debitor predictum censum a die prefate denunciationis non soluerit infra mensem teneatur postmodum censum illius anni retentum soluere duplicatum. non possit autem quisquam propter census retentionem aliquam prescriptionem temporis allegare seu opponere quin semper teneatur ad solutionem census retenti et que supradicta sunt in ciuibus et districtualibus comunis Yporegie

non possint prodesse. quod si census aliquis uel
fictus in aliis rebus quam in denariis debeatur uel
aliqua fructuum portio, et illa persona que habere
debuerit ea recipere recusauerit uel non receperit
liceat debitori ea presentare coram iudice requisita
persona que habere debuerit et ibi ea dimittere
dum tamen per iudicem arbitratum fuerit res illas
fore recipiendas. quo facto debitor predictus sit ab
ipso censu et debito sic deposito totaliter absolu-
tus. hoc insuper additum est quod quelibet persona
comune uel collegium que tenuerit aliquas posses-
siones ab aliquo iure alicuius contractus censarie
locationis uel emphiteosis seu que rediderit uel
reddere consueuerit aliquem censum seu fictum
siue aliquam fructuum portionem teneatur et de-
beat et eciam compellatur per uicarium et iudi-
cem sine aliqua dilatione uel scriptura et omni
iuris ordine pretermisso semper et quandocumque
ad petitionem cuiuscumque qui dixerit ipsas pos-
sessiones a se tenere corporale iuramentum pre-
stare in actis de consignando per publicum instru-
mentum infra competentem dilationem sibi a iudice
statuendam omnia et singula que sciuerit et cogno-
uerit bona fide se ab ipso requirente tenere et
eciam omnia instrumenta et scripturas que idem
habuerit si de hoc fuerit requisitus et copiam ipso-
rum instrumentorum sibi dare autenticandam ex-
pensis ipsius requirentis dummodo ipse requirens
fidem fecerit proprio iuramento quod non habet
sua instrumenta et quod predicta non requirit in
fraudem nec ex causa grauandi partem aduersam.

Ut non prohibeantur raspiis et seruitoribus comunis pignora.

Statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua per-
sona uetauerit seu prohibuerit aliquod pignus ra-
spio comunis Yporegie uel seruitori soluat pro qua-
libet uice qua uetauerit raspio solidos duos impe-
riales et seruitori solidum unum imperialem nisi
uenerit incontinenti per se uel eius nuncium ad
faciendum in iudicio suam defensionem et ipsam
legiptimam fecerit qui raspius et seruitor tenean-
tur denunciare incontinenti illis qui uetauerint di-
cta pignora quod ueniant dictam eorum defensio-
nem facturi.

De prauis debitoribus capiendis.

Insuper statutum est et ordinatum quod si ali-
qua persona iurisdictionis comunis Yporegie dare
debuerit aliquod debitum alicui ciui Yporegie uel
ibi habitanti qui sit de iurisdictione comunis Ypo-
regie et qui substineat onera comunis secundum
extimum ei impositum de hiis bonis que habet in
ciuitate Yporegie et districtu et ipse debitor repe-
riatur non soluendo teneatur potestas siue uicarius
et eius iudices ipsum debitorem capere seu capi
facere et eum ad uoluntatem creditoris in carceri-
bus et compedibus positum detinere usque ad eius
a plenam solutionem et intelligatur debitor non sol-
uendo qui bona sua non consignauit expedita et
sine aliqua questione in iurisdictione comunis uel
ecclesie Yporegie et eciam qui non poterit ydonee
satisdare ipsi creditori seu creditoribus de ipso
conquerentibus de iudicio sisti et iudicato soluendo
usque ad quantitatem debiti seu rei petite coram
potestate seu uicario Yporegie aut eius iudice siue
ipse debitor iam fuerit condempnatus siue non et
qui condempnatus non soluerit infra terminum con-
dempnationis debeat quolibet mense cum iuramento
omnia bona sua si creditor maluerit ipsi creditori
dare in scriptis declarata. quilibet enim potestas
seu uicarius ciuitatis Yporegie qui pro temporibus
fuerit uel eius iudices teneantur et debeant spe-
b ciali sacramento et sub pena et banno librarum
uiginti quinque imperialium pro quolibet ipsorum
et qualibet uice postquam fuerint requisiti ab ali-
quo ciue habitante in Yporegia uel districtu capere
et detinere seu capi et detineri facere quamcumque
personam seu personas earum et etiam homines res et
bona que dare debuerint aliquid alicui ciui habi-
tanti in ciuitate Yporegie uel districtu usque quod
plene fuerit satisfactum habere debenti tam de sorte
quam de dampnis expensis et interesse dum tamen
dicta persona que dare debuerit fuerit legiptime
condempnata per eius confessionem uel per eius
contumaciam secundum formam capitulorum co-
munis Yporegie loquentium de contumacibus uel per
sententiam definitiuam a qua non extiterit appel-
c latum uel si fuerit appellatum et non fuerit prose-
cutus tempore debito dictam appellationem ita quod
dicta sententia fuerit consumata. et hoc intelligatur
et uindicet sibi locum transactis decem diebus post
prolationem sententiarum predictarum et ultra pre-
dicta possint et debeant et eis licitum sit eorum
propria auctoritate capere et detinere capi seu de-
tineri facere predictos eorum debitores sic condem-
pnatos ut supra qui non habitauerint in dicta ciuitate
Yporegie quamquam fuerint ciues Yporegie sub
certis pactis et homines predictorum debitorum et
res et bona predictorum debitorum et eorum ho-
minum ad eorum liberam uoluntatem sine licen-
cia et requisitione alicuius iudicis uel rectoris et
sine incursu alicuius pene usque ad eorum ple-
d nam solutionem sortis dampnorum interesse et ex-
pensarum et nichilominus uicarius et iudices qui
pro temporibus fuerint teneantur et debeant pre-
dictos creditores fortes facere ad predicta exe-
quenda quandocumque per ipsos requisiti fuerint
sub pena predicta non obstantibus aliquibus statu-
tis seu ordinamentis in contrarium obuiantibus que
in quantum obuiant presenti statuto ex nunc non
ualeant neque teneant sed sint casssa uacua irrita
et nullius ualoris.

Item quod si aliquis dominus seu aliqua persona
que non sit de iurisdictione Yporegie debuerit ali-
cui ciui Yporegie aliquod debitum et illud non
soluerit ipsi creditori ciui Yporegie termino con-
stituto quod ipse creditor possit facere detinere homi-

nes dicti debitoris et ipsum debitorem capere et res et bona ipsorum usque ad plenam solutionem debiti expensarum et uicarius siue potestas miles et iudices qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant uinculo sacramenti creditorem fortem facere et ipsum debitorem sic detentum siue eius homines seu eorum bona non dimittere nec relaxare contra uoluntatem predicti creditoris quousque fuerit sibi integre satisfactum uel ipse debitor iustam fecerit defensionem.

Item si quis uenerit ad defendendum bona cuiusquam debitoris non audiatur creditore hoc requirente nisi prius iurauerit se dictam defensionem dolo uel in fraudem non facere creditoris. Ille autem debitor cuius uxor uel filii se ad defensionem suorum bonorum et contra creditorem et solutionem obtulerint non possit esse de cetero de consilio uel credencia nec habere aliquod officium in comuni. pro aliquo uero debito de quo aliquis ciuis ab aliquo forensi seu etiam ciue habeat iura cessa nisi haberet ea occasione fideiussionis uel in solutum sine fraude nec etiam pro aliquo debito contracto ad ludum uel occasione ludi non possit personaliter capi nec in carceribus detineri. debitores quoque minores uiginti quinque annorum pro aliquo debito uel contractu ab eis facto sine tutoris uel curatoris auctoritate nec etiam mulieres nec aliquis debitor alicuius .... non possit ex uigore presentis statuti personaliter detineri. Non possit eciam nec debeat ad peticionem creditorum aliqua persona pro aliquo debito capi uel personaliter detineri. et hoc statutum intelligatur .....
....
....

De debitoribus forensibus capiendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas iudices et miles qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant proprio et speciali iuramento ad instanciam et requisitionem cuiuslibet creditoris ciuis uel districtualis Yporegie seu eius legiptimi procuratoris qui substineat onera comunis Yporegie facere estimare sibi et tantumdum de hiis bonis que habet in ciuitate Yporegie uel districtu capere seu capi facere per se seu eius familiam a quocumque debitore qui non sit iurisdictionis comunis Yporegie dicto creditori ad cuius requisitionem petitur fieri dicta detentio prius fecerit fidem de suo debito per instrumentum publicum seu per literas in formam publicam redactas seu per duos testes predictis uicario militi et iudici uel alteri eorum et predictum debitorem sic captum et detentum debeant detinere et detineri facere quousque integre satisfecerit predicto creditori ciui seu districtuali Yporegie de predicto debito de quo fecerit predictus fidem tam de sorte quam de dampnis expensis et interesse uel sibi dederit sufficientes fideiussores seu aliter dictus debitor idonee satisde-

a derit predicto creditori uel paratus fuerit ydonee satisdare cum effectu de iudicio sisti et iudicatum soluendo ....
....
....
....
....
....
usque ad quantitatem debiti quod habere debebat dictus creditor a dicto debitore qui non fuerit detentus uel si fuit detentus fuit indebite relaxatus hoc saluo quod aliqua persona non possit detineri seu capi pretextu alicuius debiti ad requisitionem alicuius ciuis Yporegie uel alterius persone in nundinis consuetis fieri per ciuitatem Yporegie et cri-

b datis in ciuitate et predictum statutum uindicet sibi locum tam in debitis supradictis quam eciam in uenditionibus factis alicui persone iurisdictionis Yporegie tam maris quam femine ac eciam in quibuscumque aliis contractibus initis in ciuitate Yporegie et districtu tantum factis postquam dicta persona aut creditor uel creditrix effecta esset ciuis Yporegie non obstantibus aliquibus statutis in contrarium obuiantibus.

De non relaxandis debitoribus captis per uicarium Yporegie et de personis non retinendis.

Statuerunt insuper et ordinauerunt quod uicarius siue potestas qui est et qui pro temporibus

c fuerit non possit nec debeat nec eciam aliquis de eius familia relaxare aliquem debitorem in eius forcia detentum ad petitionem cuiuslibet persone nisi esset de uoluntate creditoris uel quod pronunciatum esset esse relaxandum et si contrafecerit liceat cuicumque creditori qui sic detineri fecisset debitorem suum capere et habere de bonis et rebus uicarii siue potestatis tempore sui sindicatus impune ad suam liberam uoluntatem usque ad illam quantitatem quam iurare uoluerit se habere debere a suo debitore et uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit teneatur creditores facere fortes ad predicta exequenda et ultra hoc uicarius siue potestas cadat in penam de libris decem imperialibus que aplicentur dominis comiti et principi. in-

d super quod aliquis de quocumque casu ciuili seu criminali pro quo imponetur seu imponi deberet pena corporalis uel sanguinis non possit detineri qui uelit et possit in casu sibi contingente ydoneam cautionem prebere aut aliquod bonum pignus.

Quid soluere teneantur carcerati de eorum custodia.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingat in posterum aliquem capi uel detineri per dominum uicarium seu potestatem eiusque iudices quod captus seu detentus non possit cogi ad soluendum pro captione et custodia primi diei quo captus fuerit ultra imperiales XII. et quod uicarius

qui pro temporibus fuerit et sui iudices teneantur a et debeant precissò sacramento cuicumque ciui Yporegie et districtuali uolenti capere aliquam personam pro aliquo suo debito concedere de familiaribus suis ad capiendum dictum debitorem pro dicto salario et ultra dictos duos solidos non possint nec debeant dicti uicarius iudices miles nec aliqui alii sui familiares capere aliquo ingenio publico uel occulte directe uel per indirectum. quod si contra factum fuerit uicarius et eius iudices et miles ipso facto sint infames.

Item quod creditor qui aliquem capi fecerit teneatur singulis diebus quibus captus detinebitur ad instanciam dicti creditoris dare et soluere ipsi capto et detento pro suis alimentis imperiales IIII dum predictus detentus iuret se non habere unde possit b se alimentare. et quod uicarius non possit solutionem petere dicte captionis et custodie a creditore sed solummodo a carcerato. et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licentia nec dari.

De requirendis canapiciensibus pro sequela facienda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius teneatur infra quindecim dies principii sui regiminis requiri facere et citari omnes comites et castellanos de Canapicio quod ueniant sibi facere sequelam in ciuitate Yporegie imponendo cuilibet banna pro prima requista librarum decem c pro secunda librarum uiginti quinque et pro tercia quinquaginta et omnes alios nobiles et locorum consules et ceteros populares habitantes in Canapicio eodem modo requiri faciat quod ueniant coram eo uel alio cui uicarius commiserit ad faciendum dictam sequelam imponendo cuilibet bannum prout uidebitur potestati ut predicta seruentur. et si aliquis remanserit in contumacia teneatur potestas siue uicarius ei maiora banna imponere et ea excutere infra mensem in auere et personis postquam commissa fuerint et nichilominus postea requirentur ut sub magnis penis ueniant ad faciendum sequelam predictam hoc tamen capitulum prius in credentia ponatur et fiat de hiis quod credencie placuerit ordinare. d

De uassallis comunis Yporegie requirendis.

Item statuerunt et ordiuauerunt quod uicarius infra duos menses principii sui regiminis requiri faciat omnes illos qui tenent feuda a comuni Yporegie qui de hiis feudis faciant fidelitatem dicto comuni et si predictam fidelitatem recusauerint facere uel non fecerint infra mensem postquam eis denunciatum fuerit teneatur uicarius illud feudum auferre et comuni Yporegie aplicare. hoc tamen capitulum prius ponatur in credencia et fiat de ipso quod credencie placuerit.

De pignoribus alienis restituendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat nec possit capere pignora aliqua a familiaribus filiisfamilias uel uxoribus alienis seu minoribus uigintiquinque annorum ignorantibus dominis patribus maritis tutoribus uel curatoribus eorumdem et quelibet persona que contrafecerit illa pignora sic accepta predictis dominis patribus maritis tutoribus uel curatoribus sine aliqua solucione uel satisfactione reddere compellatur solo officio iudicum sine libello uel alia solempnitate iudicii facta summarie probatione per sacramentum petentis quod illa res sit sua uel minoris predicti.

Quibus locis debeant teneri mercata.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia mercata consueta die ueneris et die martis teneantur et fiant in hiis diebus et contrata ubi dicitur in mercato et non alibi. et debeat uicarius modis omnibus prohibere ne alibi teneantur mercata diebus predictis exceptis nundinis et qui contrafecerit soluat pro banno et pro quolibet et qualibet uice solidos duos. et intelligatur esse cum hac determinatione dicta contrata mercati uidelicet a domo Petri Sertoris de Romano supra usque ad domum nouam Arnaldini de Putheo que est citra domum Larupelli uersus mercatum et usque ad ecclesiam sancti Donati eundo deuersus domum illorum de Maxino et domum que quondam fuit Martini Tonsi et a dicta ecclesia eundo deuersus domum que quondam fuit Zapironi et domum Ubertini de Putheo usque ad dictam domum Petri de Romano.

De ueniendo secure ad mercatum Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quelibet persona possit uenire ad mercatum Yporegie secure et emere et uendere de omnibus mercandiis libere ad grossum et ad minutum et ad detaglium prout extitit usitatum durantibus tamen saximentis in eorum uigore exceptis illis qui aliquem hominem offenderint in personam bannitis latronibus prodictoribus et guerratoribus Yporegie qui in eadem ciuitate uel districtu non debent penitus conuersari.

De nundinis Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod singulis annis in festo beate Marie de medio augusto et in festo sancti Bessi cum tribus diebus precedentibus et tribus sequentibus et in festis sancti Georgii et sancti Marchi euangeliste sint et fiant publice nundine generales et per aliquos dies ante ipsas publicentur et denuncientur tam in ciuitate Yporegie quam in aliis ciuitatibus et locis circumstantibus sicut potestati siue uicario et procuratoribus comunis uidebitur expedire et in quibus omnes res uenales possint uidelicet in nundinis sancte

Marie in Glaro durie desuper pontem et in nundinis sancti Bessi apud ripam lacus et porcii in curreria et in nundinis sancti Georgii et sancti Marchi porcii extra portam de banno usque ad cantonum sancti Stephani iuxta duriam et alie bestie in blancheto ultra riuum molendinorum Taliandorum per illam contratam et in omnibus dictis nundinis fiant nundine per tres dies ante ipsa festa et per tres alios dies post proximos subsequentes post ipsa festa.

De festo et reuerencia Beate Marie de medio augusto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod singulis annis si credencia hec fieri ordinauerit quilibet de credencia comunis qui fuerit presens in Yporegia teneatur a die per credenciam ordinata habere unum cereum uel torticium nouum et non uetus et de cera noua ex parte exteriori et non de ueteri de libra una cere ad minus et portentur et offerantur in uigilia predicte festiuitatis sancte Marie de sero et non de mane cum aliis credendariis ad ecclesiam maiorem defferre pro reuerencia festi assumptionis beate sancte Marie. absentes uero a ciuitate possint se per alios excusare pro ipsis tamen singulis absentibus singulos cereos uel torticios presentantes et ut supra dicitur cum aliis defferentes. Quicumque autem ad dictam diem cereum suum uel torticium cum aliis non presentauerit uel presentari non fecerit ad predicta secundum ordinationem premissam non possit ab ipso festo usque ad annuin proxime subsequentem in alia credencia uel electione potestatis siue uicarii uel aliorum officialium interesse sed nec aliquod breue uel officium comunis seu electionem per se ipsum uel ab alio habere recipere facere uel modo aliquo exercere alioquin quidquid contra fecerit uel habuerit et quidquid ex eo uel ob id secutum fuerit ipso iure sit nullum. potestas siue uicarius insuper uel eius iudices quando dicti cerei defferri debeant pro reuerencia supradicta speciali sacramento faciat legi omnia credendariorum nomina et requiri et quos non inuenerit ibi esse presentes uel suos cereos non habere secundum formam predictam in uno libro per se scribi faciat ut possit omnia suprascripta melius et inuiolabilius obseruari. Cum autem ordinabitur cereos fieri supradictos in credencia presens statutum legatur. Ullus autem debeat carrum aliquem ferratum cum bobus uel sine tunc nec alio tempore de die uel de nocte ducere seu duci facere in dictam ecclesiam sancte Marie causa portandi aliquem de dictis cereis uel alia quacumque sub banno solidorum uiginti pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni. teneatur eciam quilibet notarius ciuitatis Yporegie qui sit de collegio notariorum uel pro temporibus fuerit omni anno semper in festo sancte Marie de medio augusto facere et portare unum cereum seu torticium de li-

a bra una cere ad minus ad ecclesiam beate Marie de Yporegia et ibi ipsum dimittere sicut alii de credencia et qui non fecerit non possit illo anno habere officium notarie nec aliquod aliud officium in comuni et ultra hoc soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos decem imperiales eo saluo quod ille notarius de dicto collegio qui fuerit de credencia non teneatur facere dictum cereum sed sit ab hiis absolutus propter cereum quod faciet in credencia et propter credenciam.

De festis et reuerencia sancti Dominici et sancti Francisci et sancti Theodori et sancti Teguli.

Item statuerunt et ordinauerunt quod donum et
b reuerencia que consueuit fieri per comune Yporegie singulis annis pro festo sancti Theodori sancti Dominici sancti Francisci fiat de cetero tantum in cereis et non in aliis in quolibet uidelicet dictorum festorum et in festo sancti Teguli Martiris omni anno duo cerei precii solidorum sexaginta ad minus cum quibus uicarius siue potestas et credenciarii uadant more solito in singulis dictis festis ad eorum ecclesiam seu altaria offerendis.

De festis celebrandis.

Item statuerunt et ordinauerunt ad honorem Dei et sanctorum suorum quod festiuitates sancti Dominici sancti Francisci sancti Theodori sancti Mauricii
c sancti Donati sancti Odderici sancti Dionisii sanctorum Ursi et Brigide maxime intra ciuitatem Yporegie celebrentur sicut alia festa precepta ab ecclesia celebrari tam quoad ius reddendum quam ad alia opera exercenda et qui contra fecerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos duos et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. idem autem obseruetur diebus quibus psalmi portantur donec reddierint ad ecclesiam sancte Marie in quibus in ciuitate Yporegie uel suburbiis non debeat aliqua persona aliquid operari palam nel occulte nec aliquam apothecam apertam tenere sub banno solidorum quinque imperialium pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. nullus eciam debeat iun-
d gere boues nec cum ipsis laborare diebus dominicis festis principalibus et festis sancte Marie et apostolorum nisi tempore messium et uindemiarum pro necessitate et nisi pro elemoxinis faciendis miserabilibus personis sub banno imperialium duodecim pro qualibet uice. Item quod festum sancti Guencii singulis annis solempniter celebretur in ciuitate Yporegie nec ea die ius reddatur in ipsa ciuitate et predicta cridentur in ciuitate Yporegie.

De elemoxina fratrum predicatorum et minorum.

Item statuerunt et ordinauerunt ad honorem Dei qui ciuitatem Yporegie et omnes habitantes in ea seruet et gubernet perpetuo in honore et statu paci-

fico et tranquillo quod conuentus fratrum predicatorum et minorum de Yporegia uterque uidelicet ipsorum conuentuum habeat et habere debeat in elemoxinam pro eorum uestibus uel aliis necessariis libras uiginti imperiales semper omni anno a comuni Yporegie quas potestas siue uicarius et iudices teneantur speciali sacramento eis dari facere singulis annis per comune Yporegie.

De confraria Yporegie et de eius questionibus.

Item statuerunt et ordinauerunt ut pie cause digno ac perpetuo releuentur fauore quod potestas siue uicarius et eius iudices seu rectores Yporegie qui pro temporibus fuerint teneantur precisso et speciali sacramento solo eorum officio sine dilatione b
libello uel alia scriptura et sine iuris solempnitate uel ordinis iudiciarii obseruatione compellere omnes et singulos debitores confrarie Sancti Spiritus de Yporegia cuiuscumque conditionis uel sexus existant quandocumque et quocienscumque per priorem sindicum uel massarios dicte confrarie fuerint requisiti ad soluendum uel satisfaciendum omnia debita dicte confrarie quocumque modo fuerint predictis priori sindico uel massariis mulctas eisdem debitoribus indicendo piguora capiendo uel eciam personaliter detinendo ad uoluntatem dicti prioris uel sindici sicut compelluntur et consueuerunt compelli debentes soluere banna dominis comiti et principi. et quod omnes questiones et cause dicte confrarie sic summarie cognoscantur ut supra et solo iudicis c
officio terminentur et executioni mandentur. et predicta intelligantur tam de debitis quibuscumque olim quantocumque tempore retentis quam de retinendis que non fuerint in terminis statutis soluta et eciam de censibus seu legatis et iudicatis tam preteritis quam futuris. omnes autem utriusque sexus confratres ipsius confrarie qui debent pro sua confraternitate et pro censibus seu iudicatis soluere certas grani et pecunie quantitates teneantur semper pro anno et pro confraria futura ipsas debitas quantitates soluisse in medio augusto anni proximi precedentis. illi uero qui debent soluere uinum quoquomodo teneantur illud soluere usque ad exitum octubris anni similiter precedentis alioquin ab ipsis terminis in antea compellantur ut supra. Nullus eciam confra- d
trum et consororum ipsius confrarie qui debet aliquid dare ipsi confrarie presumat ire cum aliis confratribus comedere ad ipsam confrariam donec satisfecerit de omni eo quod dare debuerit sub banno solidorum quinque pro qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Si eo quoque tempore quo in confraria contigerit aliquem ex officialibus ipsius confrarie suum officium exercendo percutere aliquem eciamsi sanguis exiuerit dummodo aliter non apparuerit ipsum maliciosse percussisse seu aliquam lesionem fecisse non possit propter hoc huiusmodi percussor modo aliquo condempnari nec contra ipsum per aliquem modum procedi sed ab omni pena et banno eo quod iustum sit ipso iure immunis. Ut autem negocia ipsius confrarie possint facilius explicari sicut est eciam concessum quod prior et massarii iam dicte confrarie qui pro temporibus fuerint presentes uel maior pars eorum cum illis consiliariis quos secum habere uoluerint de dicta confraria possint et debeant eorum nomine et predicte confrarie quandocumque et quocumque casu uoluerint constituere et ordinare sindicum unum uel plures simul et in solidum dicte confrarie qui possint et debeant omnes et singulas causas et negocia ipsius confrarie legiptime pertractare ac si essent per totam uniuersitatem eiusdem confrarie solempniter constituti eosque iudices et procuratores quandocumque eis uidebitur reuocare. et quidquid huiusmodi sindici uel procuratores ipsius confrarie fecerint legiptime tam in contractibus et negociis quam in causis auctoritate huius statuti plenam obtineat firmitatem non obstante predicte ordinacionis defectu. Quando uero contigerit debere ostendere uel probare aliquem esse de dicta confraria possit illud probare per solum librum uel scripturam in qua sunt scripta nomina confratrum nec possit aliqua persona exire de dicta confraria nisi per priorem et massarios fuerit absoluta. ille uero persone que fuerint electe et apsumpte super officiis confrarie predicte maxime confratres et consorores non possint nec debeant aliquod officium eis iniunctum pro confraria respuere sed teneatur illud recipere cum omni obedientia cum reuerencia alioquin illud infra octo dies post electionem et nominationem ipsius factam per officium iudicis recipere compellatur. Que omnia et singula ualeant et debeant inuiolabiliter obseruari non obstante statuto de agrauaminibus seu aliquo alio uel ordinatione comunis facta uel facienda per quod uel quam posset huic statuto in toto uel pro parte contrauenire uel modo aliquo derogari. Verumtamen cum dicta confraria a pluribus habere debeat plures redditus et prouentus de quibus non reperiuntur instrumenta et multi denegant ipsos redditus et prouentus licet reperiatur eos in libris dicte confrarie pro aliquibus annis soluisse predictos redditus et prouentus in fauorem ipsius confrarie et pauperum Christi ne propter inopiam probacionum iura sua depereant predicta confraria seu eius ministri uel massarii siue sindici qui sunt et pro temporibus fuerint in causis seu questionibus motis uel mouendis contra aliquos occaxione dictorum reddituum et prouentuum non teneatur probare dictos redditus et prouentus per instrumentum uel testes sed solum ex scriptura librorum dicte confrarie continente aliquam personam aliquem censum redditum uel prouentum alicui ministro massario uel sindico dicte confrarie saltem per duos annos soluisse seu ipsos ministros massarios uel sindicos illud ab aliquo recepisse et habeatur huiusmodi scriptura dictorum librorum pro plena probatione ac si predicta confraria probaret per publica instrumenta uel alias legiptimas probationes qua quidem probatione sic facta summarie compellantur debitores dicte confrarie

ipsa debita soluere secundum formam presentis sta- *a*
tuti nisi ille debitor infra unam dilacionem sibi a domino iudice statuendam legiptimam fecerit defensionem quod non teneatur soluere ipsum redditum quod ab eo petitur.

Item quod quecumque persona que fuerit caput sui hospicii seu que habet hospicium cum foco et catena que stat et habitat in dicta ciuitate Yporegie et suburbiis dicte ciuitatis uel de cetero stabit et habitabit per se et eius familiam que sit in estimo seu erit in futurum librarum quatuor imperialium et a quatuor supra usque ad libras uiginti teneatur et debeat sine aliqua exceptione iuris uel facti dare et soluere singulis annis eminam unam siliginis pulcri grani ad mensuram Yporegie et a dictis libris uiginti supra usque ad libras quinquaginta tenea- *b*
tur dare quartaronos tres siliginis et a dictis libris quinquaginta supra teneatur dare starium unum siliginis. hoc saluo quod si aliqua persona que habitet in ciuitate Yporegie et suburbiis fuerit obligata ex promissione uel alia obligatione propria et non pro censu siue aliquo iudicato dare et soluere aliquid predicte confrarie quod tunc non teneatur nec cogi possit ad dandum et soluendum dictam siliginem dum totum illud quod promiserit uel ad quod fuerit obligatus tantum ascendat uel ualeat uel plus cuiuslibet solutionis faciende quantum ascenderet et ualeret dicta siligo. si autem ualeret uel ascenderet ad maiorem quantitatem uel ualorem quam predicta siligo quod tunc possit et debeat compelli ad dandum et soluendum id quod *c*
deficeret usque ad ualorem quantitatis predicte siliginis. et quod per procuratores comunis omnes in concordia singulis annis eligantur tres boni uiri unus per tercerium qui habeant bayliam et auctoritatem extrahendi de dicta confraria omnes miserabiles personas que sunt in estimo librarum quatuor que eis uidebuntur non posse soluere dictam confrariam et predicti tres sapientes etiam habeant bayliam et auctoritatem ponendi in dicta confraria omnes illos qui sunt minori estimo librarum quatuor quos crediderint et eis uidebitur quod possint soluere dictam eminam siliginis et quod predicti omnes sic electi teneantur ad solucionem dicte siliginis secundum quod supra dictum est et omnes electi pro miserabilibus personis ad aliquam solu- *d*
tionem compelli non possint et quod iurent predicti tres sapientes predicta facere bona fide et sine fraude et quod massarii et prior dicte confrarie teneantur et debeant dare omnibus pauperibus uenientibus ad dictam confrariam saltem duobus diebus dicte confrarie panem uinum legumina et carnes decenter et competenter et in tercia die panem et uinum et serum et quod teneantur dare amore Dei singulis annis quando facient dictam confrariam tempore dicte confrarie fratribus minoribus seu conuentui fratrum minorum unam pernam ualentem solidos uigintiquinque imperiales uel circa et fratribus predicatoribus unum bonum seracium et aliquis uel aliqui confratres dicte confrarie non possint et debeant ire ad comedendum ad dictam confrariam nisi contingeret quod cibus esset de superfluo pauperibus sub pena et banno solidorum quinque pro quolibet et qualibet uice et quod uicarius uel eius iudex qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat speciali iuramento et sub pena librarum decem pro quolibet ipsorum attendere et obseruare et attendi et obseruari facere omnia et singula que continentur in presenti capitulo et ipsa executioni mandare sine libelli oblatione et sine aliquo strepitu et figura et solempnitate iudiciorum non obstante capitulo de agrauaminibus cum suis additionibus et quibuscumque aliis statutis et ordinamentis ouiantibus predicto capitulo in toto uel in parte et in quantum ouiarent statuto sint cassa uacua irrita et nullius ualoris et hic paragrafus qui incipit quod quecumque persona que fuerit caput etc continuando hucusque sit trunchus et precissus ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari in toto uel in parte.

Item quod ab aliqua sentencia siue sit interlocutoria siue sit deffinitiua lata in fauorem dicte confrarie non possit ullo modo appellari et si contigerit appellari pro nulla habeatur dicta appellatio et proinde mandetur dicta sentencia executioni ac si perinde non esset appellatum.

Item quod si aliqua persona tenuerit aliquam possessionem ad censum uel ad fictum a dicta confraria ad tempus uel in perpetuum que cessauerit de cetero per annos duos soluere predictum censum seu fictum seu non fuerit parata dare et soluere dictum fictum dicte confrarie et postmodum facta sibi denunciatione ex parte dicte confrarie siue nomine ipsius confrarie quod soluat predictum censum seu fictum infra unum mensem usque tunc retentum et cessauerit in dicta solucione quod tunc cadat ipso iure ab omni iure quod habet in dicta possessione ita quod ipsa possessio possit per dictam confrariam uendicari ac si dicta persona sic cessans nullum ius haberet in dicta possessione nichilominus possit dicta confraria capere censum duplicatum seu fictum. qui proximus paragrafus non uendicet sibi locum in possessione aliqua iudicata dicte confrarie.

Item quod fiat credencia singulis annis infra quindecim dies post festum Pentecostes in qua dentur tria breuia per totam ipsam credenciam quod illi qui habuerint dicta breuia uel quibus ipsi dederint ipsa breuia antequam recedant de palacio eligant massarios dicte confrarie qui sint de confratribus ipsius iurando ibidem coram potestate siue uicario eligere tales qui sint boni et sufficientes et legales ad dictum officium exercendum ita tamen quod nullus possit eligi massarius qui non habeat ualorem librarum centum imperialium. Potestas siue uicarius teneatur predictos massarios sic electos facere iurare predictum officium facere bona fide et utilia dicte confrarie facere inutilia pretermittere et de hiis que ad manus eorum peruenerint bonam reddere rationem eorum successoribus quando fue-

rint requisiti. et possint dicti massarii et eis licitum sit possessiones dicte confrarie locare usque ad decem annos cum consilio duodecim ad minus de melioribus personis confrarie. possint eciam et debeant dicti massarii eligere usque ad numerum illum qui eis uidebitur expedire de personis dicte confrarie ad adiuuandum eos et dispensandum dictam confrariam inter pauperes in illis tribus diebus quibus fit dicta confraria nec predicti electi possint se excusare sed teneantur predictum officium exercere.

Item quod potestas siue uicarius teneatur et debeat semper per quindecim dies uel circa ante festum Pentecostes facere coram se uenire massarios et sindicum qui fuerint pro temporibus in confraria comunis Yporegie et duodecim homines de Yporegia de maiori estimo et compellere dictos massarios et sindicum sub certis penis et bannis ad eius liberam uoluntatem ut reddant et faciant rationem predictis duodecim de maiori estimo uel maiori parti ipsorum infra tres dies proxime subsequentes et eciam debeat cogere predictos duodecim de maiori estimo seu maiorem partem ipsorum ad audiendum predictam rationem et quod fideliter exercebunt predictum eorum officium ita quod facta dicta ratione predicti massarii et sindicus teneantur et debeant dictam confrariam iuxta consilium et uoluntatem predictorum duodecim sapientum uel maioris partis ipsorum ordinare et facere.

De domibus comunis tenendis spaciatis et de prexoneria aptanda et custodienda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod maior domus comunis que est subtus palacium et alia camera que est ibi iuxta et in qua consueuit esse stabulum teneantur uacue expedite et spaciate ad opus et utilitatem comunis ut possint ibi consilia fieri et ius reddi cum oportuerit et alia fieri oportuna remanentibus ibi sedibus et banchis de assidibus ibi factis et eciam disco picolato pro facienda ratione comunis et scrineo que sunt in camera supradicta uel aliis locis. debeat insuper prexoneria comunis que est iuxta dictam cameram teneri bene aptata et meliorari et fortificari ita quod sit bene secura et fortis pro prixoneriis ibi tenendis et custodiendis secure. qui prixonerii in eadem ponantur et custodiantur et non alibi exceptis hiis qui caperentur pro aliquibus debitis qui ad uoluntatem potestatis siue uicarii et illorum qui facerent eos capi possint eciam alibi custodiri. Custodes preterea prexonerie supradicte per potestatem siue uicarium et procuratores comunis eligantur qui prixonerios ibi existentes custodiant nec alius uel alii ciues Yporegie possint et debeant per potestatem siue uicarium uel iudices ad predictam prixoneriam uel prixonerios custodiendam uel custodiri per alios faciendum sub aliquo precepto uel banno compelli. nullus autem de-

a beat dicere uel arengare quod predicte domus comunis prestentur uel concedantur potestati siue uicario uel alicui de sua familia ad iacendum habitandum uel quid aliud faciendum sub banno librarum uigintiquinque pro qualibet uice et hoc capitulum sit precissum et trunchum.

De assecuratione hominum ciuitatis Yporegie per uallem Augustam et comitatum Sabaudie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius infra mensem principii sui regiminis debeat facere et curare quod homines Yporegie et
b districtus possint ire stare et redire libere et secure manere cum rebus et personis per totam uallem Augustam et terram domini comitis Sabaudie et si domini et homines uallis Auguste ad requisitionem comunis Yporegie non fecerint et ordinauerint taliter quod ciues Yporegie et districtus possint per dictam totam uallem Augustam ire et secure redire libere et stare ut supra et usque ad montem Iouis et ad pedem columpne Iouis et citra per totam uallem Augustam predictam et si aliquis de dicta ualle teneret in reguardo aliquem de Yporegia uel districtu et ipsi de dicta ualle non bene assecurauerint comune et homines Yporegie de predictis infra mensem predictum non possit nec debeat aliquis de dominis uel hominibus dicte uallis et a di-
c ctis montibus citra uenire citra Alexium quod si uenerit et offensiones uel dampna aliqua in auere uel personis eis fierent uel darentur imputent sibi ipsis et pro hiis offensiones contra aliquem uel aliquos ad inquisitionem bannum seu condempnationes aliquas per potestatem siue uicarium uel iudicem ullatenus possit procedi sed sint ipsi offendentes ex hiis penitus absoluti. nec possint potestas uel iudices siue uicarius alicui dare licenciam contra predicta uel aliquod predictorum nec eciam in credencia ponere nisi uoluntate consilii priuati et illius uel illorum ciuium qui tenerentur in reguardo per aliquem uel aliquos dicte uallis uel quibus per illos de dicta ualle dicta seu facta esset iniuria uel offensa. requiratur preterea dominus
d comes Sabaudie per unum bonum nuncium ex parte comunis infra duos menses principii dicti regiminis quod ipse uelit facere et taliter ordinare quod homines Yporegie et distrctus possint eciam per totam suam terram ire stare et redire secure ut supra et si ipse dominus non fecerit seruetur hoc capitulum tam contra illos de terra sua et comitatu quam contra illos de ualle Augusta. omnes uero de dicta ualle Augusta quantumcumque sint ciues Yporegie intelligantur in dicto statuto. et predicta cridentur in foro in Yporegia a supra mense in antea hoc tamen capitulum infra mensem ponatur in credencia et fiat de ipso quod credencie placuerit ordinare.

De procurando ne noua pedagia exigantur ab hominibus Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius teneatur infra mensem principii sui regiminis ponere in credencia de inueniendo modum et uiam per quam coniunctum ciuitatis Yporegie non exigant ab hominibus et districtualibus Yporegie noua pedagia iuncta ab anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo citra et quod ipse potestas siue uicarius et eius iudices qui pro temporibus fuerint teneantur speciali et precisso sacramento facere terminari infra tres menses principii sui regiminis ne predicta pedagia exigantur a dictis hominibus et districtualibus Yporegie cum illis qui dicunt uel dicere uolunt se posse exigere pedagia aliqua a dictis ciuibus uel districtualibus Yporegie et hoc capitulum sit precissum et trunchum. nulla autem persona que sit de iurisdictione ciuitatis Yporegie siue de episcopatu eiusdem ciuitatis audeat uel presumat per se uel per aliam personam accipere seu capi facere seu alicui capienti consentire sub aliquo colore uel ingenio quod dici uel excogitari possit aliquod pedagium ab aliquo ciue Yporegie et districtuali et eciam habitatore dicte ciuitatis Yporegie quod sit positum inuentum et innouatum a uiginti annis proximis preteritis citra et si contra factum fuerit possit et licitum sit sine incursu alicuius pene illi persone pedagiate siue que soluerit dictum pedagii sua auctoritate cum aliquo de familia alicuius uicariorum fuerit accipere et detinere tot de bonis dicti domini siue hominum dicti domini et etiam dictos homines ad instantiam cuius dictum pedagium solueretur quod eidem datori dicti pedagium solutum esset et de dampnis et expensis que fierent et facte essent hiis de causis de quibus dampnis et expensis credatur solum sacramento datoris dicti pedagii. teneantur eciam uicarius qui pro temporibus fuerit eorumque iudices et milites ad predicta fortem facere quamlibet personam ciuitatis Yporegie et districtus per ipsam requisitos suo proprio et speciali sacramento. Preterea nullus possit fideiubere nec etiam principaliter promittere pro aliqua persona predictis de causis detenta quousque integraliter satisfactum fuerit de dampnis et expensis dicte persone pedagiate eo saluo et reseruato quod in presenti statuto non intelligantur pedagia dominorum principis et comitis que habent in ciuitate Yporegie et districtu.

De arboribus auferrendis plantatis contra metam legum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona plantasset aliquas arbores ab anno currente millesimo ducentesimo citra uel de cetero plantaret uel haberet prope possessionem uicinam infra quinque pedes ad rationem duorum semissium comunalium pro quolibet pede potestas siue uicarius
a et iudices ad requisitionem cuiuscumque uicini dampnificati illam personam que dictas arbores sic plantatas tenet seu plantauit incontinenti summarie sine libello et iuris solempnitate illas auferre compellat. et si aliqua persona que non sit de iurisdictione comunis Yporegie habuerit aliquas arbores contra dictam metam quas ad mandatum iudicis auferre noluerit teneatur iudex dare licenciam ipsi ciui incidendi impune dictas arbores. spine uero roueti cexie et sepes non intelligantur esse arbores dummodo non excedant ultra altitudinem unius teyse comunalis.

De possessionibus terminandis.

b Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona coram potestate siue uicario uel suo iudice pecierit aliquam suam possessionem terminari ab aliqua sibi coerente alicuius sui uicini potestas seu uicarius uel iudex infra octo dies post requisitionem predictam summarie et sine libello et iuris solempnitate faciat coram se partes uenire et pro qualibet ipsarum partium sibi dare unum qui sciet uel credet suo sacramento per ipsas partes ad hoc ibidem specialiter prestito melius ipsarum possessionum finium agnoscere ueritatem quibus per ipsas partes terminatoribus nominatis potestas seu uicarius uel iudex tercium superaddat. Qui omnes tres ibidem compellantur iurare fines et terminos bonos et lapideos infra dictum spacium octo dierum
c in ipsis possessionibus ponere bona fide et quod per ipsos tres uel ipsos duos factum fuerit circa predicta debeat inuiolabiliter obseruari.

De possessionibus non terminandis sine consensu dominorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona que tenet uel laboret aliquas terras uel possessiones ab aliquo ciue Yporegie non possit nec debeat illas possessiones designare determinare seu in eis aliquam nouitatem facere sine uoluntate et consensu expresso domini a quo ipse possessiones tenentur et qui contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos sexaginta et nichilominus non
d ualeat nec teneat quidquid factum fuerit contra predicta et teneatur et compellatur per potestatem siue uicarium et iudicem ad peticionem cuiuslibet domini predicta in statum pristinum reducere et hoc capitulum extendatur tam ad preterita quam ad futura.

De inueniendo modo et uia ne comune Yporegie defraudetur expensis imponendis super possessionibus ciuium Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius infra mensem principii sui regiminis teneatur ponere in credencia comunis et ipsam credenciam tamdiu retinere quousque per eam fuerit

inuenta et ordinata uia et modus quod possessiones ciuium et districtualium comunis Yporegie obligentur comuni pro fodris et oneribus et uicinanciis comunis et pro comuni faciendis. a

De camparia ordinanda a campariis Clauarani Bolengi et Albiani.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas seu uicarius infra duos menses principii regiminis teneatur facere fieri credenciam et in ea ponere de ordinando et faciendo nominari et designari per bonos forestanos campariam ciuitatis Yporegie a camparia Bolengi et Clauarani et Albiani et dictam credenciam tamdiu simul tenere quod inueniatur modus et uia ut predicta seruentur et fient et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de ipso in toto uel in parte non possit peti licencia nec dari. b

De restitutione facienda illis qui commodauerint equos uel arma pro comuni.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis equos uel arma aliqua prestiterit pro comuni et dicti equi uel arma mangagnarentur deteriorarentur seu perderentur emendentur et restituantur per comune estimatione duorum bonorum hominum unus quorum ponatur per comune et alius per illos qui dictam restitucionem deberent habere. non autem possit aliquis compelli pecuniam mutuare comuni nec pro ipso aliquam fideiussionem subire. c

De restitucione facienda illi qui pro aliquo impediretur extra ciuitatem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona de Yporegia uel iurisdictione extra ciuitatem Yporegie propter factum alicuius alteri de Yporegia uel iurisdictione esset impeditus de quo facto sit culpabilis ille pro quo fuerit impeditus compellatur ad peticionem dampni passi per potestatem siue uicarium uel iudicem ille culpabilis huius facti omni dilatione et solempnitate iudiciorum postposita satisfacere de sorte et expensis integraliter dampno passo. d

De simili iure reddendo forensi quod redderetur ciui in terra forensi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis forensis habitans extra iurisdictionem comunis et ecclesie Yporegie conuentus fuerit coram potestate siue uicario uel iudice Yporegie de aliquo ciue siue districtuali Yporegie occasione alicuius questionis pecuniarie et ciuilis tale ius demum eidem forensi reddatur quale Yporiensibus redderetur in terra dicti forensis capitulo seu sacramentali aliquo non obstante et idem intelligatur de hominibus ecclesie Yporegie sicuti intelligitur de aliis forensibus.

De excomunicatis constringendis per potestatem siue uicarium et iudicem.

Item statuerunt et ordinauerunt ut fraus legi non fiat et ut ius et iustitia non pereat quod si contigerit aliquam personam iurisdictionis potestatis seu uicarii comunis Yporegie fore excommunicatam et que persona postmodum conueniatur occaxione alicuius debiti coram potestate siue uicario Yporegie uel eius iudicibus et que persona conuenta coram dicto potestate siue uicario uel eius iudice opponat quod non potest nec debet conueniri coram uicario Yporegie uel eius iudice eo quod occaxione predicta primo conuentus fuerat coram iudice ecclesiastico quod non obstante eo quod conuentus fuerit seu citatus coram iudice ecclesiastico teneatur et debeat uicarius siue potestas Yporegie et eius iudices non obstante dicta oppositione seu exceptione de dicta persona conquerenti de ea facere iusticie complementum.

De herbis comunis uendendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod singulis annis fiat credencia in qua ponatur de uendendis herbis comunis et in ipsa credencia ipse herbe dentur plus offerenti que credentia cridetur per diem ante per ciuitatem Yporegie in locis consuetis.

Infrascripte sunt prouisiones facte per sapientes per credenciam electos super finibus Yporegie terminandis et declarandis a finibus uillarum et locorum circumstantium et eorum territoriis.

In primis prouiderunt et ordinauerunt quod comune et homines Yporegie ire debeant cum banderiis leuatis uidelicet quelibet persona a decem annis supra usque ad octuaginta annos debeat ire ad ponendum terminandum et definiendum omnes fines circumstantes dicte ciuitatis Yporegie ubi erunt terminande et definiende.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod primo eatur et ire debeat dictum comune super finibus comunis Yporegie et Clauarani et ibi continue stare quousque predicti termini fuerint positi inter dictos comune Yporegie et comune Clauarani et in pluribus partibus ubi dictum comune Yporegie poni uidebuntur ponere dictos terminos uidelicet per antiquos homines et expensis de dicta ciuitate Yporegie qui sciuerint de ipsis finibus et quousque antiquitus protendi debebant dicte fines et qui sciuerint de ipsis finibus iurare debeant ad sancta Dei euangelia terminos ponere bene et bona fide et sine fraude usque ad illa loca ad que crediderint extendi fines Yporegie a dictis finibus Clauarani et quod consules de bando teneantur domino uicario Yporegie et dicto comuni Yporegie manifestare omnes antiquos et scientes de ipsis finibus qui debeant ire cum dicto comuni Yporegie ad ponendum di-

ctos terminos et terminandum dictum comune Yporegie a dicto comuni Clauarani et secundum quod dicti termini positi fuerint sic perpetuo debeant remanere et defendi.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod positis dictis terminis inter dicta comunia Yporegie et Clauarani quod comune et homines Yporegie eodem modo infra tres dies postquam dicti termini positi fuerint debeant ire ad ponendum et terminandum fines et terminos inter comune et homines Yporegie et comune et homines Bolengi Albiani Maxini Romani et aliorum locorum et uillarum circumstantium dicte ciuitatis Yporegie.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod postquam dicti termini positi fuerint infra fines comunis Yporegie et uillarum et locorum circumstantium quod si aliqua persona seu persone dictorum locorum aliquem de dictis terminis sic positis aranchauerit seu aranchari fecerit dictos terminos soluat pro banno libras centum imperiales pro quolibet consule libras uigintiquinque et qualibet speciali persona libras decem imperiales et si nesciretur uel non probaretur quis dictos terminos aranchasset quod nichilominus predicta comunia et eciam persone dictorum comunium teneantur soluere penas supradictas.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod si predicta comunia et singulares persone inciderentur in penas supradictas quod uicarius Yporegie qui nunc est et pro temporibus fuerit ipsa banna et penas a contrafacientibus excutere teneatur et donec ipsas penas et banna soluisset liceat cuicumque ciui Yporegie de bonis dictorum comunium contrafacientium capere et detinere apud se ad eorum liberam uoluntatem et sine incursu alicuius pene iudicis uel rectoris comunis Yporegie et ipsis bonis seu personis detentis ille uel illi qui dictas personas et bona detinuissent seu cepissent ipsa bona et res et personas teneantur et debeant consignare et ponere in manibus domini uicarii de quibus uero rebus habeat persona sic capiens medietatem et domini comes et princeps aliam medietatem capitulo aliquo non obstante in contrarium.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod uicarius qui nunc est et pro temporibus fuerit teneatur speciali sacramento infra unum mensem principii sui regiminis una cum procuratoribus comunis et cum uiginti quatuor maioris estimi et alios quos cum eis ducere uoluerit ire ad uidendum dictos terminos et fines et cum eis ducere camparios comunis Yporegie ad uidendum si aliqui ex dictis terminis remoti fuissent.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod omnes iudices ciuitatis Yporegie et auocati et procuratores teneantur et debeant esse auocati iudices et pro- *a* curatores comunis Yporegie si contingeret dictum comune Yporegie questionem aliquam habere perpetuo cum aliquibus comunibus et finibus supradictis et eorum occasione. et quod non possint esse auocati nec iudices nec procuratores predictorum communium contra comune et homines Yporegie et qui contrafecerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice libras decem imperiales pro quolibet iudice et pro quolibet auocato seu procuratore solidos centum imperiales. Quibus uero iudicibus auocatis et procuratoribus si iudices auocati procuratores esse uoluerint et fuerint dicti comunis Yporegie fiat integre remuneratio secundum quod per credenciam fuerit ordinatum.

b Item prouiderunt et ordinauerunt quod camparii comunis Yporegie et Bolengi teneantur et debeant omni ebdomada semel ad minus in omnibus partibus in quibus dicti termini positi fuerint ire quilibet in sua camparia ad uidendum et inquirendum dictos terminos et si reperirent aliquem ex dictis terminis fuisse remotum teneantur incontinenti dicto domino uicario et procuratori denunciare et si contrafecerint soluant pro quolibet et qualibet uice solidos uiginti imperiales et nichilominus ab eorum camparia cassentur si predicta integre non obseruauerint.

Item prouiderunt et ordinauerunt quod uicarius qui nunc est et pro temporibus fuerit teneatur et *c* debeat speciali sacramento postquam sibi fuerit denunciatum per aliquam personam quod ex dictis terminis aliqui fuissent aranchati ire cum comuni et hominibus Yporegie ad realsandum dictum terminum seu terminos.

Item quod predicte prouisiones durent et locum habeant ad uoluntatem credencie.

Explicit secundus liber.

Incipit tertius.

d

De maleficiis inquirendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et eius iudex possint et debeant eorum officio inquirere omnia maleficia que de cetero fierent et committerentur lege uel iure aliquo non obstante saluo super delicto carnis suppositionis super quo et de quo nullam possint ex officio uel aliter inquisitionem facere nec aliter inde procedere nisi super eo delicto solempnis accusatio fiat cum subscriptione ad penam talionis et ceteris solempnitatibus que in accusationibus criminalibus de iure et regulariter requiruntur.

De inquisitionum processibus infra annum terminandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes processus qui fient ab anno millesimo tercentesimo decimo octauo exclusiue in posterum ex forma inquisitionum pro quibuscumque maleficiis uel delictis contra uniuersitatem aliquam uel singulares personas finiantur ad finemque debitum perducantur infra annum a die formate inquisitionis. elapso uero dicto anno super predicto processu et inquisitione procedi non possit sed ipsa inquisitio et processus et condempnatio que sequeretur ex eo et quidquid ulterius attentaretur ex eo uel ob id ipso iure uiribus uacuetur et nullius sit ualoris efficacie uel momenti.

De requirendis reis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona commiserit aliquod maleficium propter quod deberet solum in pecunia condempnari et exinde fugam ceperit seu se absentauerit potestas siue uicarius seu iudices faciant eam citari ad domum suam seu habitationem in qua consueuit morari si fuerit habitator uel iurisdictionis Yporegie et si non uenerit cridetur per ciuitatem ter de tribus in tribus diebus quod ueniat parere mandatis domini potestatis siue uicarii et suam deffensionem facere si uoluerit uel si non fuerit iurisdictionis Yporegie cridetur solum ut supra qui si non uenerit saltem ad ultimum terminum undecumque sit habeatur pro confesso et condempnetur sicut condempnaretur si presens et confessus esset maleficium computato tamen banno seu bannis requisitionis citationis et cride et absencie seu fuge in condempnatione nisi de sua absencia iustam faceret deffensionem.

De percussionibus et feritis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis percusserit aliquem a spatulis supra irato animo de manu uel pede soluat pro banno solidos sexaginta et si a spatulis infra ipsum irato animo percusserit de manu uel pede soluat pro banno solidos uiginti nisi ipsi percussores uel tiratores percusserint uel tirauerint aliquem de sua familia seu secum habitantem uel aliquem causa ipsum corrigendi uel percuterent diuidendo uel magister percuteret discipulum uel pater filium uel filiam uel maritus uxorem uel percussor uel tirator esset minor quindecim annorum qui percussores tiratores exinde pena seu banno nullatenus teneantur nec exinde modo aliquo possit procedi contra eos uel bona eorum etiamsi percusserint uel uerberauerint de baculis uel sine uel etiam butauerint dummodo exinde quis enormiter ledatur in quo etiam casu enormitatis non teneatur huiusmodi percussor tirator uel butator nec condempnari possit nec aliter con-
a tra eum procedi nisi persona percussa uel taliter lesa inde accusam fecerit. Et si aliquis super aliquem irato animo ei iniuriosse manum super personam posuerit eum crolando soluat pro banno solidos uiginti et si aliquem irato animo butauerit et butatus non ceciderit soluat pro banno solidos decem si uero ceciderit et sanguis non exiuerit inde soluat pro banno solidos quadraginta et si aliquem irato animo sub se summauerit soluat solidos quadraginta et si causa dictarum butarum percussionum seu summationum sanguis exierit soluat solidos sexaginta et si in aliquo dictorum casuum os aliquod frangeretur soluat libras decem et si membrum perderetur uel homo creparetur soluat libras uiginti quinque. et si occasione dictorum casuum aliquis
b moreretur soluat libras CL saluo quod si aliquis aliquem butauerit appensate de aliquo loco qui uideretur et esset uerisimilis et periculossus inferre mortem puta desuper aliqua terraci domo lobia balchone uel ponte seu alio loco simili. Siquidem butatus inde non moriatur soluat pro banno libras L. quod si inde moriatur condempnetur butator ad mortem quod si fugam fecerit ita quod capi et haberi non possit soluat pro banno pro ipsa fuga libras V et nichilominus semper in condempnatione mortis si culpabilis repertus fuerit remaneat puniendus. Et si aliqua mulier in aliquem dictorum casuum inciderit soluat tantum medietatem dictorum bannorum. Si quis autem contra aliquem irato animo gladium uel instrumentum ferreum uel me-
c tallicum extraxerit uel leuauerit soluat pro qualibet uice solidos XL et si tantum traxerit ictum soluat solidos LX et si percusserit et sanguis non exierit soluat solidos C et si sanguis exiuerit soluat pro quolibet ictu unde sanguis exiuerit libras X imperiales. si uero percussus inde membrum amitteret soluat libras L quod membrum semper intelligatur manus pes crura oculus et nasus. Si quis autem percusserit aliquem . . . . . speti uel lancee uel manubrio lancee uel aliquo alio manubrio quod intelligatur hoc fecisse de gladio uel instrumento ferreo uel metallico et si quis proprio motu apensate cum manu armata contra aliquam personam insultum fecerit et in ipso insultu percusserit uel uulnerauerit ita quod inde sanguis exiuerit soluat pro banno libras cen-
d tum imperiales quas si soluere non poterit uel ad terminum condempnationis non soluerit una manus et unus pes amputetur . . . .

. . . .

dictorum membrorum et pro lingua libras C et si quis percusserit aliquem ita quod percussus inde moriatur si quidem caperetur condempnetur percussor ad mortem et si fugam fecerit ita quod haberi non possit soluat pro ipsa fuga libras C et nichilominus ipse occisor si culpabilis reperiatur in condempnatione mortis remaneat puniendus. Si uero aliquis percusserit aliquem ita quod percussus inde moriatur non tamen appensate sed furore et luxuria condempnetur percussor in libras CC imperiales quas si soluere non poterit uel ad terminum con-

dempnationis non soluerit moriatur et si fugam fecerit condempnetur ultra predictas libras cc imperiales in libras xxv imperiales pro ipsa fuga qui percussor non possit stare in ciuitate Yporegie uel districtu eciamsi soluerit dictam condempnationem nisi de licencia patris si habuerit patrem seu eius filii seu fratris si habuerit filium uel fratrem et si habuerit patrem filium et fratrem de consensu omnium trium et si non habuerit patrem fratrem uel filium de consensu et uoluntate trium parentum propinquorum interfecti et aliter non possit stare nec habitare in ciuitate Yporegie uel districtu sub pena et banno librarum c ultra predictam condempnationem. si uero predicte percussiones fierent de aliis instrumentis quam de gladio seu instrumento ferreo uel metallico et ex ipsa percussione non apparebit lissura soluat percussor pro banno solidos uiginti quod si apparebit lissura soluat solidos xl. si autem ex ipsa percussione solum sanguis exierit sine lexione soluat solidos lx. si uero os inde frangeretur uel membrum perderetur uel ex inde quis moriatur puniatur in quolibet dictorum casuum sicut puniretur si predictas percussiones fecisset de gladio uel instrumento ferreo uel metallico ut supra . . . .

. . . .

maleficio facere tenetur et debet. et si dampnum passus de sententia super hiis lata per iudicem contentus non fuerit possit agere contra illum qui sibi dampnum dederit iure ordinario de predictis dampnis expensis et interesse. et tunc si agere taliter ad predicta maluerit inquisitio taxatio et sententia facte per iudicem super predictis in eius fauorem uel commodum non ualeant nec teneant ipso iure. et predicta omnia et singula banna pene et condempnationes locum habeant nisi fecerit predicta uel aliquod predictorum se uel possessionem seu alia bona defendendo uel nisi habuerit et fecerit aliam iustam et legiptimam defensionem contra predicta qui reliquatur iuri puniendus uel eciam absoluendus.

De debentibus ire ad cauiglancias et rixas euitandas et conducere rixantes in forciam rectoris.

. . . .

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua cauiglancia rixa uel maleficium furtum uel robaria factum uel facta perpetratum uel perpetrata fuerit in ciuitate Yporegie uel suburbiis de die uel de nocte teneatur quilibet de ciuitate Yporegie qui sciuerit uiderit uel audierit predicta uel aliquod predictorum uel scire audire uel uidere poterit ire cum armis et sine ad dictam cauiglanciam uel rixam maleficium furtum et robariam et predictos rixantes ducere et conduci facere coram potestate siue uicario Yporegie uel suis iudicibus et in for-
a tiam predicti domini potestatis siue uicarii et comunis ponere ipsos et quemlibet ipsorum malefactorum uel rixantium puniendos secundum eorum delictum et maleficium et secundum formam statuti comunis Yporegie et hiis deficientibus secundum formam iuris exceptis ciuibus Yporegie habitantibus in ciuitate Yporegie uel suburbiis qui essent soluendo qui non debeant conduci per uicinos in forciam potestatis siue uicarii ad que etiam omnia et singula melius obseruanda et adimplenda eligantur per uicinos uel uicinancias cuiuslibet parochie uel ipsius comunis qui pro temporibus fuerint omni anno duo superstantes qui habeant bayliam et . . . . ad predicta omnia et singula obseruanda. et qui uicini teneantur facere fortes dictos super-
b stantes cum armis siue ad predicta omnia et singula obseruanda et facienda et qui superstantes teneantur precisse et speciali sacramento denunciare palam occulte domino potestati siue uicario Yporegie qui pro temporibus fuerit omne maleficium furtum uel robariam factum uel factam perpetratum uel perpetratam in dicta sua uicinancia uel parochia publice uel occulte de hiis que sciuerint dicti superstantes uel ad eorum aures peruenerint et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice si fuerit superstans solidos lx imperiales et quelibet alia singularis persona masculus solidos xx imperiales et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni et nichilominus predicti superstantes teneantur iurare
c ad sancta Dei euangelia in manibus dicti domini potestatis siue uicarii predicta omnia et singula bona fide fideliter adimplere et exercere et predicta preconizentur de mense in mensem per ciuitatem Yporegie ut nullus possit causam pretendere ignorancie et ut maleficia non remaneant impunita.

De guastis dampnis uitandis et per comune restituendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si alicui persone ciuitatis Yporegie et eius iurisdictionis fuerit aliqua uinea seu arbor incissa seu escorzata seu bladum incissum uel secatum aut incendium fuerit extra muros ciuitatis seu dampnum aliquod
d seu guastum aliquod illatum quod uerisimile uideatur fore factum in odium pacientis de quibus possessionibus guastis seu dampnificatis soluatur fodrum in Yporegia et fiant et substineantur onera et expense pro comuni Yporegie ut alii homines ciuitatis Yporegie faciunt et facere debent de suis et non apparuerit legiptime infra mensem unum post dicta guasta dampna et incendia facta qui predicta fecerit seu dederit uel non apparuerit ut talis persona uel persone a qua uel a quibus non possint predicta restitui dampna passis uel non restituantur infra dictum terminum unius mensis predicta dampna per comune Yporegie emendentur et restituantur arbitrio et extimatione trium bonorum hominum de Yporegia qui eligantur per credenciam

et in credencia comunis Yporegie ad breuia quemadmodum eliguntur et eligi consueuerunt alii officiales qui eliguntur in predicta credencia qui tres boni homines iurent ad sancta Dei euangelia ipsum eorum officium bene et legaliter exercere et dampna predicta et guasta et incendia extimare infra terciam diem postquam ab aliquo fuerint requisiti uisis tamen prius infra eumdem terminum dampnis predictis. et compellantur predicti extimatores predicta adimplere. qua extimatione facta potestas siue uicarius et eius iudices comune et homines Yporegie teneantur et debeant restituere et fieri facere dictam extimacionem dampnificato infra duos menses postquam facta fuerit extimacio supradicta et predicta extimatio siue dampni emendatio non intelligatur nec uindicet sibi locum in illis dampnis que peruenerint occaxione alicuius ignis siue alicuius incendii impositi in aliqua uilla seu uinea et eciam non intelligatur nec uindicet sibi locum in aliquo dampno dato uel illato in aliquibus bestiis et non intelligatur dampnum esse datum in odium pacientis si contingat aliquod pratum uel bladum paschari uel aliqui paxoni uel salices incidi et asportari. teneantur tamen camparii predicta dampna sic illata emendare dampnum passis si predicta dampna dantes non accusauerint infra terminum a die dampni dati. si autem in aliqua domo uel habitatione existente ultra seu extra muros ciuitatis in qua habitauerit aliqua persona fieret ignis oriretur seu fieret incendium non propter hoc restituatur a comuni nisi apparuerit dictum incendium fuisse factum uel positum in odium pacientis. potestas siue uicarius et iudices teneantur eorum officio inquirere omnia predicta maleficia diligenter contra omnes et singulos predictos malefactores et de hiis suspectos et etiam contra eos qui predicta fecissent committi uel ad ea committenda dedissent opem consilium et fauorem. qui predicti malefactores et suspecti ubi haberi poterunt incontinenti ponantur tormentis et teneantur donec ab eis ueritas de predictis fuerit inquisita qua ueritate reperta compellantur antequam de carcere relaxentur restituere dampnum passo totum id quod per dictos estimatores fuerit estimatum et ultra hoc soluere pro pena et banno comuni libras centum pro quolibet infra decem dies postquam fuerit condempnatus et si infra dictum terminum non soluerit condempnetur ad mortem et quod trahatur ad furchas ad caudas equorum et ibi suspendatur per gulam taliter quod moriatur. teneatur etiam dampnum passus cum restitutionem a comuni receperit iurare ad sancta Dei euangelia dare et consignare comuni omnem restitutionem quam postea ab aliis reciperet occaxione predicta. Item predicta dampna sibi non fecisse nec fieri fecisse in fraudem ut predicta restituta habeant et si reperiretur ipsum fecisse puniatur sicut quilibet alius qui predicta fecisset et teneatur dampnum passus dare potestati siue uicario uel iudici omnes personas quas haberet de predictis suspectas. de bestiis uerumtamen

a furtiue subtractis uel de feris bestiis deuoratis non fiat restitucio alicui a comuni. si quis autem posuerit ignem non dolose in suo nemore uel possessione ex quo aliquid incendio comburatur emendet dampnum solummodo sine aliquo banno scilicet solidorum quinque et tantum plus quantum probatum fuerit illud dampnum sed si inciderentur sex uites tantum uel infra seu aliquod modicum dampnum uel guastum fieret ualens tantum solidos uiginti imperiales uel infra puniatur quicumque qui dederit dictum dampnum secundum formam statuti de dampnis datis. si uero inciderentur a sex uitibus supra usque ad uigintiquinque uel aliud simile guastum uel dampnum fieret equiualens puniatur quilibet qui huiusmodi dampnum dederit et

b qui fieri fecerit in libris uigintiquinque quas si soluere non poterit et infra terminum condempnationis non soluerit et restitutionem non fecerit et peruenerit in forciam potestatis et comunis abscidatur ei manus dextera et nichilominus emendetur semper dampnum ut supra. predicta autem legantur pluries et publicentur in arengis comunis et per ciuitatem pluries in diebus mercati cridentur et hoc quod supra dictum est in presenti statuto sit trunchum et precissum ita quod de eo in toto seu parte non possit peti licencia neque dari et si alicui ciui Yporegie in ciuitate Yporegie habitanti fuerit dampnum aliquod datum et illatum in caraciis palis et unzinis aliquarum uinearum quas ipse ciuis habeat seu teneat super poderio Piuceroni Pa-

c lacii et Bolengii seu Burolii quod dampnum ascendat ad solidos quinque supra et camparii illius loci non accusauerint eos qui dicta dampna dederint seu dicti accusati sint tales persone que non sint soluendo seu que non possideant tot bona de quibus possint dicta dampna restituere dampnum passo quod castrum uilla seu locus super cuius poderio fuerit dictum dampnum datum seu homines habitantes in dictis locis teneantur illud emendare dampnum passo et quod uicarius presens et qui pro tempore fuerit siue eius iudices teneantur facere fortem siue fortes predictos dampnum passos in ciuitate Yporegie ad capiendum de bonis et rebus dictorum locorum seu hominum in dictis locis habitantium usque ad plenam solutionem et satisfa-

d ctionem tocius dampni et expensarum et hoc elapsis quindecim diebus postquam dampnum datum extimatum fuerit per extimatores comunis Yporegie non fiat emenda restitucio per comune Yporegie alicuius dampni dati ab anno currente MCCCXX ultra et quod de cetero non fiat aliquod extimum alicuius dampni dati nisi prius cognitum fuerit per aliquem uel aliquos ex iudicibus collegii eligendos per procuratores quociens peteretur aliquod extimum fieri utrum dampnum passo restitucio fieri debeat per comune nec ne et teneantur ipsi procuratores uel maior pars eorum quandocumque necesse fuerit iurare ad sancta Dei euangelia eligere dictos sapientes legaliter et fideliter et teneatur quelibet persona post restitucionem sibi factam

de dampno. sibi dato reddere instrumentum sui extimi canzellatum et cassum procuratoribus comunis in plena credencia et primo que fiet post restitutionem sibi factam et ultra hoc teneatur facere confessionem dictis procuratoribus nomine dicti comunis recipientibus.

De restitutione facienda ciuibus et districtualibus Yporegie de offensionibus factis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si alicui ciui et districtuali Yporegie uenienti per stratam uersus Yporegiam data fuerit offenxio aliqua in ere uel personis super districtu Yporegie uel alibi quod castrum uilla seu locus de cuius territorio morarentur predicti dictas offensiones dantes uel in quibus se reducerent teneantur et debeant restitutionem facere dampnum passis de predictis eorum robariis dampnis et expensis et nichilominus potestas siue uicarius et eius familia ad requisitionem cuiuslibet sic dampnificati teneantur et debeant ipsum dampnificatum fortem facere in ciuitate Yporegie ad capiendum homines dicti castri uille et loci in ere et personis usque ad plenam satisfactionem predicti dampnificati dampnorum et expensarum. et etiam equitare si per ipsum fuerit requisitus cum milicia et populo ciuitatis Yporegie contra predictam uillam castrum seu locum ad predicta executioni mandanda. et presens capitulum per literas ipse dominus potestas siue uicarius omnibus locis circumuicinis notificare teneatur ad hoc ut predictos malefactores de eorum locis expellere debeant.

De malefactoribus et hominibus male fame per uicinancias perquirendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius qui est et pro temporibus fuerit teneatur et debeat eligere tres bonos et discretos uiros ciuitatis Yporegie uidelicet de qualibet parrochia tres et quos bonos uiros sic electos dictus dominus potestas siue uicarius faciat coram se uenire uidelicet quolibet de sua parrochia per se et ipsos facere iurare si sciuerint uel crediderint aliquem in eorum parrochia habitantem qui sit latro malefactor uel depredator uel alius homo male fame ipsos facere scribi uel nominari priuatim ipsi domino potestati siue uicario qui nominati uel scripti per predictos bonos uiros sic electos constringantur per potestatem siue uicarium incontinenti uenire coram se et ipsos facere assecurare dictum dominum potestatem siue uicarium nomine comunis Yporegie de libris centum imperialibus quod non offendent aliquem ciuem uel districtualem Yporegie uel in Yporegia uel districtu habitantem in personis uel rebus quod si predictus uel predicti sic nominati per dictos bonos uiros non poterint uel noluerint assecurare ut supra dictum est teneatur ipse potestas siue uicarius et iudices et miles ipsum uel ipsos incontinenti sine mora ex-

a pellere de ciuitate Yporegie et districtu et precipere eisdem sub dicta pena et banno librarum centum quod recedant incontinenti de ciuitate Yporegie et districtu sine aliqua spe redeundi et qui contrafecerit et uenerit in forciam dicti domini potestatis siue uicarii uel comunis Yporegie puniatur personaliter et incidatur sibi unus pes uel una manus in arbitrio dicti domini potestatis siue uicarii.

De non cridando foras foras et de non faciendo rumorem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis fecerit rumorem in ciuitate Yporegie uel districtu de nocte propter ebrietatem uel aliter sine iusta
b causa uel cridauerit foras foras et predicti peruenerint in forciam dictorum potestatis siue uicarii predictos sic clamantes et rumorem facientes fieri poni in carceres comunis et ibi ipsos facere tenere per quatuor dies et si de die clamauerit teneatur in dictis carceribus per duos dies et teneantur uicini in cuius uicinancia factus fuerit dictus rumor ipsum sic clamantem et rumorem facientem conducere in forciam domini potestatis siue uicarii Yporegie et predicta preconizentur per ciuitatem Yporegie.

De prohibendo accessum peilamatis et petionibus ad ciuitatem Yporegie et districtus.

c Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus peilamatus nec pecio interueniat in ciuitate Yporegie nec in districtu nec ibi habitet et quicumque contrafecerit per quemcumque ciuem et districtualem Yporegie impune possit conduci coram domino potestate siue uicario et eius iudice et nichilominus potestas siue uicarius cum eius familia ad requisitionem cuiuslibet sibi denunciantis ire teneantur ad locum ubi erunt predicti et ipsos capere et quandocumque aliquos de predictis habuerint in sui forcia teneantur et debeant ipsos incontinenti subiicere tormentis et ab eis inquirere quare ueniunt in ciuitate Yporegie uel districtu et si umquam offensionem dederunt in Yporegia uel districtu uel alicui ciui et districtuali Yporegie et si in-
d uenerint ipsos uenisse caussa offendendi aliquem in ere uel in personis uel offensionem dedisse teneatur et debeat ipse dominus potestas siue uicarius predictos punire et condempnare in ere et in personis suo arbitrio secundum quod meruerint capitulo de percussionibus et ferutis et capitulo de agrauaminibus uel quocumque alio statuto ad predicta obuiante non obstante et hoc capitulum teneatur ipse dominus potestas siue uicarius facere preconizari per ciuitatem Yporegie pluries.

De furtis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona commiserit furtum uini uel panis usque

ad solidos III uel infra soluat pro banno solidos XX et si commiserit a solidis III usque ad solidos V soluat pro banno solidos LX et si a solidis V usque ad solidos X soluat pro banno libras V et si commiserit a solidis X usque ad solidos XL soluat pro banno libras XV et si commiserit a solidis XL supra soluat pro primo furto libras XX pro secundo libras XXV pro tercio libras L et pro quarto moriatur et pro tercio uero si ascenderit ad libras L imperiales uel omnibus tribus coadunatis simul ascenderint ad dictam quantitatem librarum L uel ultra suspendatur per gulam ita quod moriatur. si autem predica furta non ascenderint ad libras L et non fuerit soluendo amittat pedem uel manum in eius electione et predicta intelligantur de non famosis. famosi uero committentes furtum unum uel plura in ciuitate Yporegie uel districtu relinquantur puniendi iuri Longobardorum siue Lombardorum et intelligantur esse famosi qui quatuor furta uel ultra confessi fuerint. predicta uero non extendantur contra illos qui dampna aliqua fecerint uel aliquid ceperint in campis uineis pratis nemoribus areis seu ortis in quibus seruentur alia capitula de dampnis datis. si tamen uue bladum castanee uel alii quicumque fructus de nocte fuerint asportati de alienis uineis terris et possessionibus ciuium Yporegie et districtualium eosque fructus uel aliquos eorum aliqua persona emerit uel redduxerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos LX et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et nichilominus ponantur plures accusatores priuati in Yporegia et districtu ubi uidebitur procuratoribus comunis quibus accusatoribus credatur eorum sacramento nisi accusatus iustam fecerit defensionem saltem per unum testem legiptimum et habeat accusator medietatem banni.

De falsariis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si quis fecerit uel fieri fecerit seu dictauerit scienter instrumentum publicum falsum uel aliam scipturam publicam in actis iudicialibus uel coram arbitro uel falsum testimonium reddiderit seu ipsum falsum testem produxerit uel ut producatur consulerit scienter in predictis uel aliquo eorum usus fuerit soluat pro qualibet uice libras L uel dexteram manum amittat et dampnificato ex hoc dampnum totum restituere cogatur quod quidem uissum fuerit substinere priuetur eciam ob hoc suo officio siue ut notarius siue iudex uel aduocatus uel cuiuscumque conditionis existat et de credencia et consilio comunis cassetur sine spe aliqua restitutionis ad predicta. in palacio quoque comunis in signum perpetue confusionis cum specie sue falsitatis pragatur. si quis autem in credencia uel consilio comunis consulerit uel arengauerit quod condempnatus huiusmodi ad predicta restituatur soluat pro banno pro qualibet uice libras L et nichilominus dictum suum uel arengamentum ipso iure non ualeat nec in aliquo partito

a ponatur et capitulum hoc sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari.

De blasphemantibus Deum et sanctos.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona dixerit malum de Deo uel aliis sanctis soluat pro banno pro qualibet uice solidos XX et si de beata Maria malum dixerit soluat pro qualibet uice solidos LX. illa uero persona in cuius domo uel portichu dicta fuerint sciente ea uel aliquo de sua familia si eadem die non accusauerit ipsum maledicentem soluat idem bannum et si predicti maledicentes soluendo non fuerint fustigentur publice
b per ciuitatem aut submergantur ter in Duriam uel ponantur ad catenam arengarie ibi per totam diem moraturi in arbitrio domini uicarii siue potestatis scilicet quam de suprascriptis tribus penis corporalibus decreuerit infligendam.

De hiis qui malefactores redduxerint uel occultauerint.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat auferre aliquos rixantes malefactores seu bannitos de manibus potestatis siue uicarii iudicis siue eius familie uel aliarum personarum que ipsos uellent ducere in forciam potestatis seu presumant ipsos rixantes malefactores seu
c bannitos tenere defendendo eos per uim contra uicarium iudices seu eorum familiam et comune Yporegie et prohibendo ne capiantur uel ducantur in forciam dicti domini uicarii et qui contra fecerit puniatur et condempnetur quilibet et qualibet uice sicut predicti rixantes malefactores et banniti puniri deberent si in pecunia tantum puniri deberent. si uero personaliter puniri deberent siquidem ad mortem condempnetur quilibet faciens contra presens statutum in libris centum imperialibus si autem aliter quam ad mortem personaliter essent puniendi condempnentur contrafacientes pro qualibet uice in libris decem imperialibus.

d *De bannitis qui uenerint in ciuitate Yporegie et districtu et eorum receptoribus.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis bannitus ciuitatis Yporegie undecumque sit occaxione alicuius furti robarie homicidii uel ferute unde sanguis exiuerit incendii guasti seu dampni facti et dati in odium pacientis non possit nec debeat modo aliquo seu causa palam uel occulte uenire stare uel habitare in ciuitate Yporegie uel districtu. non eciam debeat aliqua persona palam uel occulte aliquem sic bannitum recipere reducere hospitari nec ei dare uel uendere cibum uel potum nec aliquo modo eum substinere uel ei fauorem prebere nisi eum incontinenti conduxerit in manu et forcia potestatis siue uicarii et comunis et qui contrafe-

a cerit pro quolibet bannito qui predicta uel aliquod predictorum fecerit si fuerit bannitus in libris uigintiquinque uel ultra soluat pro banno libras decem et si bannitus fuerit a libris uigintiquinque infra soluat pro banno solidos centum pro qualibet uice. quicumque insuper uiderit aliquem de dictis bannitis debeat post ipsum clamare et omnes audientes ipsam criam et clamationem eodem modo simul cum eo clamantes predictum bannitum prosequi et ipsum si poterint capere et dare forciam et iuuare pro posse ad ipsum capiendum et consignandum in forciam potestatis uel uicarii sub pena solidorum decem pro quolibet et qualibet uice qua predicta neglexerint obseruare. si quis autem aliquem de predictis bannitis fugientem uel se defendentem ne caperetur qui tamen esset puniendus *b* ad mortem si caperetur offenderet modo aliquo in persona sed eciam ipsum occiderit non possit inde in aliquo condempnari nec aliquam penam pati uel modo aliquo contra eum procedi sed sit ex hoc penitus absolutus et ipso iure immunis. et de hiis credatur solum sacramento predicti sic offendentis uel occidentis qui uero aliquem alium bannitum alterius conditionis quam ex causis premissis scienter redduxerit uel fauorem eidem secundum prenominatam formam prestiterit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos decem et plus et minus arbitrio potestatis inspecta qualitate persone rei et facti. Ut autem predicti banniti omnibus sint manifesti et noti teneatur potestas siue uicarius infra unum mensem principii sui regiminis omnes *c* bannitos ciuitatis Yporegie facere inquiri in libris comunis et ipsos scribi in libro statutorum comunis cum hiis qui sunt ibi scripti et causas quare banniti sunt et quantitates in quibus sunt condempnati et eos sic scriptos facere legi in quolibet arengo quod fiet et non intelligatur aliquis esse bannitus quoad penam dicti statuti nisi publice fuerit condempnatus et non eciam aliqua persona de uillis iurisdictionis Yporegie ex forma presentis statuti condempnari nisi prius uicarius ciuitatis Yporegie consulibus dicte uille dederit seu miserit sic bannitos in scriptis et quod uicarius qui pro temporibus fuerit teneatur bannitos ciuitatis Yporegie consulibus dicte uille dederit seu miserit sic bannitos in scriptis et quod uicarius qui pro tem- *d* poribus fuerit teneatur bannitos ciuitatis Yporegie proprio et speciali sacramento facere poni in scriptis in libro statutorum infra terciam diem omnes bannitos ciuitatis Yporegie per ipsum postquam ipsos condempnauerit seu condempnari fecerit et donec uicarius predicta fecerit seu fieri fecerit non possit quis condempnari si dederit cibum potum uel fauorem alium prestiterit.

De bannitis et hominibus male fame foresteriis expellendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et iudices teneantur omnes bannitos foresterios alterius loci quam de Yporegia seu personas suspectas uel homines male fame alterius que ipsis denunciate fuerint esse in ciuitate Yporegie uel districtu de ipsa ciuitate et districtu licenciare et expellere postquam eis fuerit nunciatum. et si aliquis ex predictis postquam ei preceptum fuerit per potestatem siue uicarium uel eius iudicem quod recedat repertus fuerit esse uel habitauerit in ciuitate Yporegie uel districtu soluat pro banno libras decem quas si infra decem dies postquam peruenerit in forciam potestatis siue uicarii et comunis non soluerit amputetur ei unus pes sine aliqua condempnatione facienda capitulo aliquo non obstante. Nulla uero persona post denunciationem ex parte potestatis uel iudicis sibi factam debeat huiusmodi bannitos foresterios suspectas personas et homines male fame reducere hospitari uel eis seu alteri eorum dare uel uendere cibum uel potum uel aliquem fauorem prebere nisi eos statim conduxerit et presentauerit in forciam potestatis et comunis sub pena solidorum LX pro quolibet et qualibet uice. hoc autem capitulum locum non habeat in confinatis expulsis et malexardis suarum terrarum nisi essent homines male fame et nisi predictis bannitis uel alteri eorum per potestatem uel iudicem data fuerit licencia consilio tamen et uoluntate procuratorum comunis in quibus non habeat etiam locum hoc statutum.

De apostatis non reducendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona ciuitatis Yporegie et districtus non possit nec debeat palam uel occulte aliquem apostatam de ciuitate Yporegie uel districtu cuiuscumque ordinis recipere reducere uel hospitari nec ei dare uel uendere cibum uel potum nec aliquo modo eum subtrahere nec sibi fauorem in aliquo prebere sub pena et banno solidorum uiginti pro quolibet et qualibet uice et possit quilibet accusare et habeat medietatem banni.

De armis non portandis in ciuitate Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt tam pro utilitate publica quam singularum personarum et pro rixis et rumoribus euitandis quod nulla persona ciuitatis Yporegie uel undecumque sit audeat uel presumat portare arma offensiua uel deffensiua per ciuitatem Yporegie nisi quando ueniret uel rediret de foris in ciuitate Yporegie uel quando de ipsa ciuitate rediret eundo foras exceptis spaleriis dobinis et cultellis qui non sint in laya uno pede maiores comunaliter qui cultelli ultra dictam mensuram portari non possint nisi ut superius est expressum et qui contrafecerit portando ipsa arma uetita et prohibita soluat pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerit pro singulis armis uetitis solidos quinque imperiales nec propterea perdat arma.

De euntibus de nocte sine lumine.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat per ciuitatem Yporegie ire de nocte sine lumine uel igne apparenti post ultimam campanam que pulsatur de sero et qui contrafecerit si fuerit de Yporegia soluat pro banno pro qualibet uice solidos quinque et minus arbitrio potestatis nisi tunc fuisset rumor uel estremita in ciuitate inspecta qualitate persone rei et facti. si autem fuerit foresterius soluat duplum si hoc sibi denunciatum fuerit per suum hospitem qui si hoc ei non denunciauerit soluat pro ipso foresterio dictum bannum de qua denunciatione si facta fuerit uel non credatur sacramento dicti hospitatoris. in predictis autem euntibus de nocte sunt exceptati procuratores et notarii comunis et qui per uicarium uel iudicem mitterentur et qui cum eis essent guardiani guayte et scaraguayte et eciam medici molendinarii piscatores et fornerii euntes et redeuntes pro eorum officiis exercendis.

De iniuriis non dicendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona dixerit alicui irato animo aliquam iniuriam uel dedecus siquidem coram potestate siue uicario uel eius iudice soluat pro banno pro qualibet uice solidos decem si autem alibi si fuerit masculus soluat solidos quinque et si mulier soluat solidos tres et hoc si illa persona cui predicta dicta fuerint reputaret sibi ad iniuriam et non aliter et saluo eo quod arbitrio et declarationi condempnantis relinquatur utrum quod dictum fuerit sit iniuria uel dedecus reputandum et utrum dicens ex eo debeat condempnari. si autem quis dixerit iniuriam uicario uel eius iudici uel militi seu rectori Yporegie in eorum presencia soluat pro banno pro qualibet uice solidos LX quos ipse potestas siue uicarius uel iudex seu rector teneatur incontinenti ab eo excutere sine aliqua deffensione danda uel condempnatione facienda non obstante aliquo statuto sub pena ipsi uicario iudici uel rectori solidorum centum si predicta facere neglexerint quos ipse uicarius iudex uel rector teneatur incontinenti uel in crastino poni facere per clauarium in dato et recepto sui salarii et nichilominus teneatur excutere dictum bannum et hoc quod supradictum est sit precissum et trunchum ita quod de eo non possit peti licencia nec dari. uerumtamen si aliqua persona dixerit uel fecerit alicui predictorum aliquid propter quod potestas seu rector uicarius iudex uel milex reputauerit sibi ad iniuriam et illa persona dicat se non dixisse uel fecisse ei aliquid propter quod reputari possit sibi ad iniuriam quod tunc teneatur uicarius seu rector uel eius iudex ponere in cognitionem unius uel plurium sapientum de collegio iudicum Yporegie utrum illud quod sic dictum uel factum fuerit uicario seu rectori iudici uel militi possit et debeat sibi reputari ad
a iniuriam uel non et si contingerit dictum dominum uicarium uel iudicem committere alicui iudici cognitionem predicte iniurie quod aliqua persona non possit cogi ad soluendum pro consiliatura ultra solidos quinque imperiales non obstantibus aliquibus statutis obuiantibus in contrarium.

De percussionibus ribaldorum meretricium et aliarum personarum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua meretrix uel ribaldus ioculator uel ioculatrix saglobator uel saglobatrix furiossus uel mentecaptus seu alia quecumque persona masculus uel femina dixerit uel fecerit alicui bone persone uerba in-
b iuriossa contumeliossa uel inconueniencia uel quid aliud dixerit uel fecerit quod non placeret eidem bone persone liceat ei et cuilibet alii persone eos uerberare etiam usque ad effuxionem sanguinis sine incursu alicuius pene uel banni nisi ex ea uerberatione uel percussione aliquis predictorum esset in periculo mortis et intelligatur quelibet esse meretrix que a pluribus se facit supponi si hoc probetur per testes uel saltem per famam et non intelligatur aliquis uel aliqua esse uilis persona propter paupertatem tantum.

De prohicientibus lapides super domos et de offensionibus factis per insubiectos.

c Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona prohicerit lapidem unum uel plures iniuriosse super alienam domum siquidem de die soluat pro banno solidos XX et si de nocte soluat solidos LX si autem huiusmodi prohiciens non esset iurisdictionis potestatis Yporegie et ille qui deberet de ipso facere iusticiam eam non fecerit infra octo dies postquam ei denunciatum fuerit et postea eidem prohicienti ille in cuius iniuria prohicerit offensionem aliquam uel dampnum fecerit non possit sibi exinde aliquod bannum uel pena imponi excuti uel auferri nec possit potestas uel iudex de illo modo aliquo se intromittere nec procedere contra eum. et idem intelligatur obseruetur et fiat contra omnes de quibus potestas non
d potest intromittere pro omnibus aliis iniuriis maleficiis dampnis et offensionibus ab eis uel aliquo eorum factis et commissis quocumque nomine censeantur.

De occupantibus alienas possessiones.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona alienam possessionem intrauerit uel occupauerit uel aliquam personam de possessione sua eiecerit seu eici fecerit uiolenter et etiam clam uel furtiue soluat pro quolibet et qualibet uice solidos centum et emendet dampnum et insuper dictam possessionem restituat sub eodem banno infra terminum sibi dandum per potestates uel iu-

dices uel de mandato alicuius eorum quod si non fecerit potestas uel iudices possint et debeant predictam possessionem occupanti maiora banna imponere donec ipsa possessio integre fuerit restituta. et facta denunciatione potestati uel iudici per aliquem quod quis possessionem suam intrauerit uel quocumque modo occupauerit debeant predicti inquirere summarie sine strepitu iudicii iuris solempnitate et oblatione libelli ad uoluntatem dampni passi et predicta facere cognosci et determinari per iudices non suspectos incontinenti sine dilatione et cognito et determinato quod quis dictam possessionem occupauerit seu occupatam detinebit uicarius et eius iudices debeant illum occupantem compellere ad dictam possessionem restituendam cum fructibus inde perceptis et percipiendis et cum dampnis omnibus et expensis illi cui occupasset eam imponendo ei penas et mulctas ad eorum uoluntatem et hoc estendatur eciam ad preterita occupata ab anno citra et de quibus fructibus dampnis et expensis credatur et stetur sacramento illius cuius fuerit possessio occupata. et intelligatur eciam in possessionibus intrasse uel eam occupasse quicumque ceperit seu capi fecerit alienam possessionem siue redditum uel fructus ipsius possessionis contra uoluntatem possidentis uel eius nuncii nisi ea restituerit infra duos dies postquam ab eo requisitus fuerit cui dicta possessio fuerit occupata uel eius nuncio. nuncii uero intelligantur familiares tutores curatores auctores et procuratores.

De extraneis auferentibus possessiones ciuium.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona extranea comune uel uniuersitas que non sit de iurisdictione uicarii siue potestatis Yporegie uel qui non habitauerit personaliter in ciuitate Yporegie licet sint de iurisdictione abstulerint uel rapuerint alicui de ipsa iurisdictione terras possessiones uel quascumque res mobiles siue iura ubicumque sint sita potestas siue uicarius ipsum uel ipsos quandocumque ad uoluntatem illius de iurisdictione requiri faciat quod ipsa sic ablata uel detenta restituat et relaxet. quod si non fecerit potestas ipsum suum ciuem uel subditum taliter dampnificatum ad uoluntatem ipsius adiuuans et cum armis et sine mittat eum in possessione rei detente et positum in eadem manuteneat et conseruet. et si aliqua persona huiusmodi comune uel uniuersitas extranea uenerit super territorio Yporegie causa occupandi auferendi uel detinendi aliquam possessionem alicuius ciuis uel districtualis comunis Yporegie condempnetur quelibet singularis persona in libris xxv et quelibet comunitas in libris c pro qualibet uice et liceat cuicumque dampnum passo in omnibus predictis casibus se recambiare uel rescontrare contra illum uel illos qui contra presens statutum committerent uel committi facerent et contra eorum homines et eorum bona sua propria auctoritate impune et ubi-

a cumque et nichilominus teneatur potestas siue uicarius et iudices ad requisitionem ipsius facere ipsum fortem ad predicta facienda et predictam suam possessionem seu bona occupata uel detenta recuperanda et retinenda facta tamen per eundem fide coram potestate siue uicario uel iudice quod prius fuerit in possessione predicta.

De occupantibus comugnia et uias.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas singulis annis et semper ad peticionem cuiuslibet requirentis faciat inquiri possessiones et uias comunis et uicinales et omnia comugnia non uendita uel non alienata que sunt maxime a xxx annis ci-
b tra per aliquos occupata faciens ea disbrigari relaxari et aperiri comuni et super hiis eligantur infra xv dies principii regiminis potestatis tres superstantes fideles uiri et discreti et cum eis unus notarius ad scribendum in uno libro sibi dando per clauarium omnia ea que occaxione ipsius officii scribi necessaria uidebuntur et iurent predicti superstantes et notarius predicta infrascripta omnia et singula et eorum officium facere bona fide. Teneantur etiam statim postquam iurauerint predictum eorum officium inchoantes continuare in eodem sollicitare et predicta omnia pro utilitate comunis recercare fideliter inquirere bona fide et que per eos sic requisita inuenerint esse comugnia seu uias uel possessiones comunis debeant in scriptis poni
c facere per notarium supradictum. et que taliter conscripta fuerint et inuenta semper de tribus in tribus diebus in scriptis potestati siue uicario uel iudici consignare tali modo in eisdem continue operantes quod officium ipsum per eos infra tres menses postquam iurauerint sit complectum et post etiam tres menses teneantur quandocumque de aliqua uia comunis uel uicinali questio moueretur etiam per totum districtum Yporegie si requisiti fuerint eam determinare secundum libros comunis antiquos factos a xl annis citra et secundum quod eam ibi inuenerint terminatam uel alias legiptimas probationes ipsamque determinationem debeant potestati et iudici statim in scriptis offerre. potestas siue uicarius uero et eius iudices incontinenti et
d singulis uicibus teneantur requiri et citari facere omnes et singulos quos ex predictis scripturis inuenerint occupasse uel detinere aliqua de predictis et etiam de hiis que fuerunt aperta pro comugnis in anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono eisdem denunciare atque precipere sub pena et banno solidorum centum pro quolibet iugere sic detento et sic de maiori uel minori quantitate pro rata quatenus ea disbrigare debeant comuni et pacifice relaxare pro maiori utilitate comunis infra xv dies facti dicti precepti. quo quidem banno seu pena commissa contra aliquem uel exacta nichilominus predicta sub aliis penis maioribus facere compellantur nisi forte infra eosdem xv dies iustam et conuenientem deffensionem fecerint ea de iure

sua esse uel posse se de iure tenere. super qua *a* deffensione facta utrum iusta fuerit uel non potestas siue uicarius uel iudex cognoscere et determinare infra eundem terminum dierum xv teneantur. si autem aliqua persona uel persone que non sint de iurisdictione potestatis ciuitatis Yporegie comperte fuerint de predictis comugnis et uiis occupata aliqua detinere et mandatis potestatis siue uicarii uel iudicis uel superstantium nolentes parere recusauerint comuni ea pacifice relaxare tunc liceat cuicumque in ea intrare et hiis uti et tamquam aliis comugnis cum auctoritate potestatis siue uicarii et comunis Yporegie pasculari. et si iidem superstantes predictum eorum officium secundum formam premissam non compleuerint infra terminum eis superius assignatum soluat pro banno quilibet eorum libras *b* decem et si potestas siue uicarius et eius iudices predicta non obseruauerint et obseruari non fecerint et compleri prout tenentur secundum superius declarata amittat potestas siue uicarius in singulis casibus libras uigintiquinque et quilibet ex eius iudicibus solidos sexaginta quos omnes clauarius incontinenti in suo dato et recepto salarii potestatis siue uicarii ponere teneatur et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia neque dari.

De non impetrando literas contra comune et impetrancium pena.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua *c* persona impetrauerit aliquam graciam seu priuilegium ab illustribus et magnificis uiris dominis Amedeo comite Sabaudie et Philippo de Sabaudia principe Achaye seu ab altero ipsorum super aliqua re uel iure que et quod pertineat de iure comuni Yporegie sine consensu et uoluntate credencie comunis Yporegie seu maioris partis ipsius quod teneatur et debeat soluere pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice libras decem imperiales et ultra hoc sit ipso iure periurus et infamis nec possit in perpetuum habere in comuni aliquod officium nec esse de credencia comunis Yporegie.

Quod nullus audeat uel presumat impetrare literas uel rescripta repugnantia pactis dominorum et statutis in ordinationibus. *d*

Item statuerunt et ordinauerunt pro utilitate comunis et hominum Yporegie ne aliquis contra iusticiam opprimatur quod nulla persona ciuitatis Yporegie et undecumque sit possit uel presumat impetrare uel impetrari facere aliquas literas uel rescripta iuri comuni contraria uel repugnancia statutis uel ordinamentis comunis Yporegie seu pactis et conuentionibus dominorum comitis et principis et comunis Yporegie et si quis contra predictam ordinationem fecerit uel attemptare presumpserit tamquam falsus instigator careat penitus impetratis et pretera cadat ab omni iure sibi competente in re siue debito super quo et quibus predicta duxerit impetranda et ultra hoc qui huiusmodi literas impetrauerit uel impetrari fecerit uel procurauerit ab omni officio et beneficio comunis Yporegie perpetuo sit exclusus. et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia siue dari.

De comugnis apertis conseruandis ad utilitatem comunis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia comugnia uie et possessiones comunis Yporegie maxime nuper aperta in anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono per potestates et rectores comunis Yporegie et per ipsum comune manuteneantur et teneantur aperta et libera ad utilitatem comunis contra quascumque personas ita quod omnes homines ciuitatis Yporegie possint et eis liceat uti et frui. et quod potestas siue uicarius et rector Yporegie pro predictis obseruandis possint penas et banna imponere et excutere ad eorum uoluntatem prout eis uidebitur expedire. et si aliqua persona iterato rediret seu caperet uel laboraret siue capi et laborari faceret uel aliter occuparet uel prohiberet alicui aliquid ex eis comugnis apertis ultra terminos in eis positos que actenus tenuisset soluat pro banno incontinenti antequam recedat de palatio solidos uiginti si res sic capta occupata uel prohibita ualeret solidos quadraginta uel minus in estimatione estimatorum comunis estimanda expensis ipsius delinquentis et si ipsa res ualeret a solidis quadraginta usque ad libras decem soluat pro banno solidos sexaginta et si ualeret a libris decem supra tunc soluat pro banno medietatem ualimenti dicte rei et nichilominus ipsam possessionem relaxet incontinenti dicto comuni et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et insuper compellatur ipsa persona incontinenti iurare ad sancta Dei euangelia quod ab inde in antea dictam possessionem seu ius comunis non inuadet nec occupabit nec laborabit uel laborari faciet nec uetabit uel prohibebit per se uel alios alicui persone pro ipso comuni et eadem forma etiam seruetur contra omnes personas que de cetero occuparent aliquas possessiones pascua et iura dicti comunis eidem quoque occupanti tenenti uel prohibenti aliqua de dictis comugnis apertis in omni causa uel questione ciuili denegetur ius per potestatem siue uicarium Yporegie et eius iudices dummodo ille qui cum eo dictam causam habuerit probet et sit paratus probare legiptime infra terminum ad hoc sibi statutum per duos testes ad minus qui testificentur se uidisse a L annis citra comune et homines Yporegie eis usos fuisse pascasse tenuisse et possedisse tamquam pascua et comugnia dicti comunis per decem annos ad minus continue donec ipsa resignauerint et dimiserint dicto comuni per publicum instrumentum. Si aliqua uero persona remouerit seu arancauerit uel

aliter dolo malo scienter de terra uel alio modo cooperuerit terminos dictarum comugniarum ne uideantur uel inueniantur soluat pro banno pro qualibet uice libras uigintiquinque et tantum minus quantum uidebitur potestati siue uicario inspecta qualitate persone rei et facti quas si non soluerit teneatur in carceribus comunis donec eas soluerit et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Quod si aliquis uoluerit terminos comunis iuxta possessionem suam positos facere fieri suis expensis de bono muro uel alios grossiores uel maiores terminos lapideos ponere potestas siue uicarius teneatur sibi dare tres fideles homines de ipso suo tercerio et qui habeant facere in illa contrata et ipsos compellere ire cum campariis illius contrate ad ponendum ipsos maiores terminos lapideos et auferendum minores uel ibi stare donec foret factus dictus terminus de muro et possint etiam ipsi tres homines eorum auctoritate conseruando semper ius comunis ponere ipsos terminos cum campariis et poni facere in fine confinium duarum uel plurium personarum etiam alibi quam modo sint sicut eis uidebitur expedire. Item si aliquis de dictis terminis comugnarum fuerit arancatus remotus uel mutatus camparii ipsius contrate incontinenti ipsa die uel sequenti quod hoc uiderint uel sciuerint teneantur nunciare potestati uel iudici sub banno solidorum II pro quolibet et qualibet uice et pro quolibet capitulo et tunc potestas siue uicarius infra tres dies compellat illas personas iuxta quas terminus arancatus uel mutatus fuerit ibidem ducere seu duci facere unum magnum terminum lapideum de pondere unius carri uel fieri facere ipsum terminum de bono muro. et teneantur ipsi camparii cum aliis tribus sapientibus illius contrate electis et coactis per potestatem siue uicarium reponere ipsum terminum diffiniendo sicut prius et determinando ius comunis a possessionibus singularum personarum. Item quod quilibet deputatus ad inquirendum comugnia et pascua comunis teneantur et debeant consignare pro pascuo et comugnis omnes illas possessiones a quibuscumque personis detineantur de quibus erit memoria x hominum fide dignorum testificantium legiptime se uidisse comune et homines Yporegie eas habuisse et tenuisse et eis usos fuisse tamquam comugnis et pascuo aliquo tempore et per x annos continue non obstante aliqua temporis prescriptione et ipsas possessiones sic designatas potestas siue uicarius teneatur facere relaxari et aperiri comuni tamquam res ipsius comunis nisi essent alienate per ipsum comune et pro predictis statim exequendis possit imponere banna et penas ad suam uoluntatem. Quilibet autem camparius in sua camparia teneatur omni mense inquirere ita quod uideantur et manu tangere omnes dictos terminos positos pro comugnis sub pena solidorum II pro quolibet et pro quolibet mense. quod si inuenerit aliquos de dictis terminis arancatos possit indicare potestati siue uicario. potestas siue uicarius insuper infra xv dies principii sui regiminis committat alicui fideli notario de Yporegia ut de libris nouis et ueteribus comugnarum faciat unum librum nouum obmittendo comugnas alienatas et possit ipse potestas siue uicarius compellere ipsos sapientes homines de Yporegia quos crediderit melius expedire ut dictum notarium instruant ad faciendum dictum librum cui notario satisfiat de suo labore ad uoluntatem potestatis siue uicarii. teneatur quoque potestas siue uicarius in predictis comugnis inquirendis et aperiendis et relaxari faciendis procedere sine iuris solempnitate et de iure et de facto secundum quod crediderit melius expedire nec inde possit ab aliquo sindicari uel impediri sua familia non obstante aliquo alio statuto.

De defendendis hiis qui acquisiuerint de comugnis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et iudices faciant attendi et obseruari omnes uendiciones et contractus factos quandocumque per potestates et uicarium et comune Yporegie seu alias quascumque personas pro ipso comuni et que fient de cetero de comugnis realibus uel iuribus ipsius comunis et maxime eas que facte fuerunt per infrascriptos sex sapientes scilicet dominos Petrum de domino Andrea Iacobum de Solerio Petrum de Solerio Petrum de Berlenda Facium de Stria et Rogierium Taliandum et omnia alia acta et gesta in negociis comunis per ipsos sex sapientes et ea teneantur facere relaxari emptoribus et acquisitoribus et deffendere et guarentare expensis comunis prout in cartis ipsorum contractuum continetur et continebitur. quelibet autem persona que uendiderit seu dederit ad censum aliquam ex hiis possessionibus que fuerunt pro comugnis ablate uel determinate uel de cetero auferentur et determinabuntur uel super eis aliquem alium contractum fecerit uel fecisset uel eius heredes uel successores compellantur per potestatem siue uicarium uel iudices ad requisitionem cuiuscumque persone que eam receperit uel habentium uel habere debentium causam ab ea sine dilatione aliqua libello et iuris solempnitate ad uoluntatem ipsius requirentis restituere infra mensem quidquid ipsum datorem eiusdem possessionis pro ea ex quocumque contractu inde apparuerit uel confessus fuerit recepisse.

De riperiis et arenis Durie non capiendis uel recognoscendis nisi a comuni.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona possit nec debeat riperias Durie nec arenas nec aliqua alia que sint comunis specialiter rochas et terrenum que sunt circa pontem Durie et castrum sancti Mauricii et curseriam et mercatum capere ad censum uel recognoscere modo aliquo ab aliqua persona uel personis collegio uel uniuersitate quam a comuni Yporegie et qui contrafecerit

puniatur tam dans quam recipiens uel recognoscens pro quolibet et qualibet uice in libris x et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et nichilominus quidquid edifficatum fuerit in predictis sic recognitis diruatur per comune et hoc statutum extendatur tam ad preterita quam ad futura quantum ad reuocationem tractatus nisi qui sic acceperit concordauerit cum comuni infra dies VIII postquam ei denunciatum fuerit.

De ludis taxillorum et aliis prohibitis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona luxerit ad aliquem ludum taxillorum schachetorum bichacherarum macrorum seu grassorum raneti uel foratorum rianete seu ad aliquem alium ludum qui monstret punctum quocumque nomine censeantur in aliquo loco ciuitatis Yporegie uel districtus saluo ad tabulas uel ad scacos prout inferius continetur et quicumque ad aliquem dictorum ludorum uel eorum occaxione mutuauerit uel punctauerit soluat lussor seu punctator pro banno pro qualibet uice solidos XX et mutuator solidos LX et ultra hoc compellatur restituere sine aliqua solutione totum hoc quod ad ipsum ludum lucratus fuerit et pignora super quibus mutuauerit. ille uero in cuius domo portichu curte seu habitatione ad aliquem de predictis ludis prohibitis lussum fuerit eo sciente uel aliquo de eius familia soluat pro banno et pro qualibet uice solidos LX. hoc autem potestas siue uicarius infra XV dies principii sui regiminis faciat cridari per ciuitatem Yporegie et omnia loca districtus et quousque dicta crida facta fuerit non possit inde aliquis condempnari uel ab eo aliquod bannum excuti et maxime in eo loco ubi non fuerit facta dicta crida. Ad ludum autem tabularum et scacorum liceat cuicumque ludere preterquam ad ludum de set qui inter alios ludos prohibitos computetur. sed nec ad ludum tabularum uel alium qui monstret punctum liceat cuicumque ludere post primam campanam que pulsatur de sero pro non eundo per tabernas in ipsis tabernis uel earum domibus portichubus uel curtibus sub eisdem bannis tam ludentibus quam permittentibus ludere imponendis que superius statuuntur. Item quod pene et banna que imponuntur illis qui ludunt ad taxillos intelligantur contra illos qui ludunt ad biglas grossas rotundas et contra illos qui mutuarent et qui drizarent biglas et super hiis omnibus ponantur plures accusatores et habeat accusator medietatem banni et hoc quod supra dictum est sit precissum et trunchum ita quod de ipso in toto nec in parte non possit peti licencia nec dari nec possit poni in credencia uel consilio et si procuratores facerent poni in credencia uel consilio soluant pro quolibet et qualibet uice libras decem imperiales quas libras decem teneatur uicarius seu rector Yporegie et eius iudices dictum bannum a contrafacientibus antequam se remoueant de palacio excutere. Si uero contigerit aliquas personas ludere ad aliquem ludum taxillorum in domo uel portichu alicuius hominis habitantis Yporegia uel suburbiis nesciente domino ipsius domus quod ipse in cuius domo uel portichu lussum fuerit non teneatur soluere aliquod bannum propter dictum ludum dummodo iurauerit in sui deffensionem quod dicti lussores tunc non luxerint ipso sciente uel quod luxerint ipso prohibente. Nulla enim persona de cetero ludere possit aliquo tempore ad dictos ludos prohibitos sub pena superius contenta et nec ipsi ludi uendi possint nec obligari siue aliquo modo siue titulo concedi alicui persone uel personis nec de ipsis uendendis obligandis uel concedendis possit poni in credencia et consilio sed uicarius seu rector Yporegie qui est uel pro temporibus fuerit teneatur et debeat omni modo prohibere ne predicti ludi uendantur obligentur nec concedantur nec de hoc fiat credencia uel consilium sub penis et bannis ad suum arbitrium imponendis. aliqua uero persona cuiuscumque conditionis existat non possit nec debeat quoquomodo emere impetrare uel habere predictos ludos prohibitos in nundinis uel alio quocumque tempore et quod aliqua persona ciuitatis Yporegie et districtus non possit insuper conducere seu locare uel alio quouis titulo dare uel concedere aliquam suam propriam domum uel conductam uel cuiuscumque alterius conditionis loci et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos centum imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et ultra predicta quilibet qui contrafecerit perpetuo sit infamis nec possit habere usque ad decem annos proximos subsequentes aliquod officium uel beneficium in comuni.

De non ludendo ad taxillos ludos prohibitos in domibus clericorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ille clericus in cuius habitatione lussum fuerit ad taxillos non possit toto illo anno habere aliquod officium in comuni et dicto anno non audiatur nec sibi ius reddatur in aliquibus causis tam criminalibus quam ciuilibus nec pro offensa quacumque sibi facta personaliter siue realiter non possit nec debeat fieri inquisitio nec processus aliquis et quod uicarius non possit alicui dare licentiam faciendi gabellam ludorum seu eius familia et si contrarium fieret penam priuationis uicarie incurrat ipso facto.

De rebus non emendis extra ciuitatem Yporegie per unum miliarem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat emere aliquam mercandiam extra ciuitatem Yporegie per unum miliarem sub pena ammissionis ipsius mercandie et ualimenti si fuerit ciuis et si fuerit foresterius ammittat mercandiam tantum exceptis carnibus salatis caseo et seracio

quod nullus possit emere uel uendere extra ciui- *a* tatem prope duo miliaria et qui contra aliquod eorum fecerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos x. si autem aliquis uenditor reuenditor albergator seruitor comunis uel ecclesie siue aliquis foresterius utriusque sexus emerit seu emi fecerit pisces recentes saluaxinas pullastros capones oua fructus extra uel intra ciuitatem in diebus ueneris et in uigiliis ante nonam teneatur de ipsis rebus emptis uel aliqua earum dare partem cuilibet ciui et districtuali comunis Yporegie ipsum de hac re querenti pro illo precio quo sibi constarent. nullus autem albergator tabernarius seu reuenditor in diebus ueneris uigiliis et quadragexima possit nec debeat emere uel emi facere per se uel alium pisces recentes ante nonam ultra soldatas duas sub *b* banno solidorum quinque pro quolibet contrafafaciente et qualibet uice et credatur sacramento cuiuslibet accusatoris. Item quod nullus possit nec debeat emere agnos nec edos extra portas et muros ciuitatis Yporegie et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice tam emptor quam uenditor solidos quinque et quilibet possit accusare et credatur sacramento accusantis et habeat accusator medietatem banni. nullus autem foresterius per se uel aliam interpositam personam debeat emere uel emi facere seu habere causa portandi uel extrahendi de ciuitate capones pullastros oua nuces saluaxinas uel fructus recentes nec debeant ei uendi et qui contra fecerit soluat totum id quod portaret seu extraheret uel portari seu extrahi *c* fecerit de predictis seu aliquo predictorum et super hiis omnibus ponantur plures accusatores et quilibet possit accusare et auferre et habeat medietatem banni et rerum ablatarum predicta quoque faciat potestas siue uicarius singulis mensibus preconizari per ciuitatem.

De faciendo uenire consules Bolengi Piueroni et Palacii pro uineis et uuis custodiendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius qui pro temporibus fuerit siue eius iudices teneantur et debeant speciali iuramento singulis annis infra VIII dies post kalendas septembris facere uenire coram se siue suis iudicibus omnes consules *d* Bolengi Palacii et Piueroni cum quatuor de melioribus cuiuslibet loci dictorum locorum qui habeant et habere debeant plenam bayliam et auctoritatem una cum quatuor uel sex sapientibus ciuitatis Yporegie eligendis per procuratores comunis dicta ordinandi statuendi et prouidendi super uindemiis et uuis omnium predictorum locorum et cuiuslibet ipsorum seruandis ad maiorem utilitatem illorum quorum fuerint dicte uinee dictorum locorum siue uue dictarum uinearum et quidquid predicti sapientes duxerint super predictis statuendum et prouidendum ualeat et teneat ac si tota credencia fecisset et ordinasset. Et si contigerit predictos consules cum aliis hominibus dictorum locorum nolle uel non posse uenire nichilominus per predictos sapientes de Yporegia eligendos per predictos procuratores et compellendos per predictos uicarium siue potestatem et eius iudices possint et debeant fieri dicta ordinamenta et prouisiones et qui sapientes teneantur fideliter eorum officium exercere. Teneatur etiam dominus uicarius et iudices infra dictos VIII dies kalendas septembris facere poni in credencia quomodo et qualiter et quando debeant uindemiare loca et homines infrascripta et infrascripti uidelicet loca et homines Banchetarum Samoni Salarani Florani et Burgi uallis et Montis alti et homines Montaldi districtuales et subditi ciuitatis Yporegie dicti loci et Bolengi Palacii et Piueroni et sicut in dicta credencia fuerit ordinatum de dictis uindemiis faciendis teneantur et debeant predicta loca et homines dictorum locorum et consules ipsorum attendere obseruare et obseruari facere sub pena et banno solidorum sexaginta pro quolibet et qualibet uice qui contrafecerit. et super hiis ponantur boni accusatores et habeant medietatem banni et quilibet possit accusare et credatur sacramento cuiuslibet accusantis. et ultra predicta teneatur uicarius siue potestas et eius iudices facere uenire coram se omnes consules dictorum locorum qui predicta debeant iurare quod obseruabunt et attendent et attendi et obseruari facient in eorum locis in quibus seu de quibus erunt consules eorum posse ac etiam denuntiare dicto domino uicario et eius iudici contrafacientes.

De prohibita uendicione uuarum ayracii et auellanarum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat uendere nec emere aliquas uuas uel ayracium de suis uel alienis usque ad octauam sancti Michaelis sub banno solidorum decem pro quolibet uendente et emente et qualibet uice exceptis uuis luglenghis nec etiam auellanas usque ad medium mensem iulii sub banno solidorum decem pro qualibet uice et super hiis ponantur accusatores et quilibet etiam possit accusare et auferre predicta ubicumque inuenta fuerint uenalia et habeat medietatem banni et rerum ablatarum. et teneatur potestas siue uicarius semper a festo sancti Iohannis de iunio usque ad octauam sancti Michaelis facere cridari hoc capitulum singulis diebus dominicis et ueneris per ciuitatem et quod aliqua persona non possit nec debeat in ciuitate Yporegie uel districtu uendere uuas ad corbellos uel emere nec aliter uendere aliter emere nisi ea fierent in uuis que a montono emerentur et uenderentur ab illo cuius erit dicta uinea uel a tenitore et hoc sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice qua contrafactum fuerit solidorum uiginti imperialium quod bannum excutiatur et excuti possit tam ab emptore quam a uenditore et quod potestas siue uicarius qui pro tempore fuerit teneatur precisse et speciali sacramento diligenter predicta inquirere

seu inquiri facere bona fide et sine fraude et quod a
supradictum intelligatur etiam et extendatur ad uillas poderia districtus Bolengi- Palacii Piueroni Burolii Parochie Montisalti et Burgifranchi et ceterarum aliarum uillarum circumstancium et quilibet possit accusare et auferre dictas uuas et habeat accusator medietatem banni et uuarum ablatarum. Teneatur etiam potestas siue uicarius per xv dies ante festum sancti Michaelis precisso sacramento facere ad se uenire consules Bolengii Palacii et Piueroni et ipsos iurare facere quod diligenter inquirent omnes uendentes et ementes contra statuta et omnes facientes et tenentes amassum uuarum in dictis locis et eorum territorio et ipsos denuntiare domino uicario et possint ipsi consules ipsas uuas sic inuentas auferre et eas restituere illi uel illis b
cui uel quibus fuerint licte uue si inuenire poterint cuius sint si uero inuenire non poterint cuius sint dicte uue tercia pars sit dictorum consulum et alia tercia pars sit accusantis et quod tunc eligantur tres boni homines de ciuitate Yporegie cum quibus habeant consilium de predictis de illis qui plus habeant ibi facere et eligantur per procuratores comunis et teneantur predicti consules precisse ad predicta facienda sub uinculo iuramenti. si quidem dicti consules predicta non fecerint uel in hiis negligentes fuerint teneantur ipsi consules illi uel illis quibus predicta dampna facta fuerint restituere et emendare totum dampnum incontinenti et sine oblatione libelli uel alia iuris solempnitate iuxta taxationem duorum bonorum hominum eli- c
gendorum .... quandocumque et quocienscumque .... et teneantur ipsi boni homines electi iurare ad sancta Dei euangelia quod ipsam taxationem facient fideliter et bona fide infra terciam diem postquam fuerint requisiti et ponantur nichilominus super predictis accusatores priuati per dictum uicarium et procuratores qui iurare teneantur eorum officium fideliter exercere et facere et credatur eorum sacramento et preterea teneatur dictus potestas siue uicarius et iudices et omnis super predictis diligenter inquirere ad peticionem cuiuslibet requirentis. Non possint enim uue aque uendi nec donari uel alio quocumque modo amari ad grossum uel ad minutum nisi tempore uendemiarum et tunc pos- d
sint uendi a dominis uinarum uel a tenitoribus ad montonum tantum et iminea uindemiata exceptis lugliengbis et predicta indicent sibi locum tam in Bolengo Palacio et Perono quam in Yporegia et districtu Yporegie.

De non uendendo et emendo maglolas.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat emere nec uendere maglolas sub banno solidi I pro quolibet et qualibet uice et pro qualibet maglola et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et predicta faciat potestas siue uicarius preconizari per ciuitatem et semel in Bolengo Palacio et Piuerono et ultra predictam cridam teneatur potestas siue uicarius predicta cridari facere tam in ciuitate Yporegie quam in dictis locis semel in mense marcii semel in mense februarii et semel in mense aprilis et si quidem dicte cride facte non fuerint non possit inde aliquis condempnari uel ab eo bannum aliquod excuti.

Quod aliqua persona non emat nec recipiat nemus ad opus uinearum nec a capite domus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non emat nec alio modo recipiat et recipi faciat aliquod nemus ad opus uinearum nisi ab illo qui esset caput domus cuius esset dictum nemus sub banno solidorum x tam contra ementem quam contra alienantem et recipientem pro qualibet uice.

De carreandis euntibus super plaustra.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis carreandus non uadat super plaustra intus ciuitatem Yporegie sub banno solidorum x pro qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De pernoctatione plaustrorum in uiis publicis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non dimittat in ciuitate Yporegie plaustra uacua pernoctare in strata seu in uia publica uel sub portichubus saluo in mercato sub pena imperialium XII et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De feciis et sepo non comburendis in locis prohibitis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat facere sepum nec fieri facere intra ciuitatem Yporegie de die nec de nocte nec extra ciuitatem nec a sancto Nazario citra nec citra domum Michelanorum nec citra montem Campagnole uersus ciuitatem sub banno solidorum v pro qualibet uice. Nec possit quis coquere fecias ab ecclesia sancti Iohannis de strata citra nec a prato Ventignani citra nec a Rugia Merdenzone citra uersus Yporegiam sub banno solidorum x pro qualibet uice et super hiis ponantur accusatores et habeant medietatem banni et illud idem intelligatur de qualicunque alia turpitudine tam in untura quam aliis sub eisdem penis et bannis.

De falsis mensuris panni tele et terre.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona mensurauerit pannum uel telam uel quoddam aliud uenale falso rasso uel alna falsa soluat pro banno pro qualibet uice solidos x et quod fiat expensis mercatorum de Yporegia unus rassus et

una alna de ferro que custodiantur per comune et etiam signentur et sculpentur in lapide arengatorio ita quod quicumque uoluerit possit ibi capere et habere dictas mensuras. omnes autem qui uoluerint ipsas mensuras habere debeant eas tenere ab utraque parte ferratas sub banno solidorum II pro qualibet uice qua inuenti fuerint ipsas mensuras uel aliquas earum sic non habere ferratas et signatas ab utroque latere signo potestatis siue uicarii et ad eas tantummodo alias mensurare sub banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice et hoc capitulum cridetur per ciuitatem de mense in mensem et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni debeat quoque mensura pertice qua terra mensuratur signari in palacio comunis ut exinde quicumque uoluerit possit eam habere.

De offensionibus stallorum de mercato.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si qua persona fecerit aliquam offensionem seu dampnum in stallis de mercato soluat pro banno pro qualibet uice solidos v et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

Ne comandie de cetero fiant.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona Yporegie non debeat recipere aliquem de ciuitate Yporegie districtu uel iurisdictione in commandiam et qui contra fecerit tam ille qui receperit quam ille qui efficietur commandius soluat pro banno solidos LX nec debeat fieri ratio nec ius reddi de hiis commandiis uel de commandiis hinc retro sic factis uel de cetero faciendis nec debeant condempnari nec cogi ad soluendum. non tamen intelligatur presens statutum de hiis qui terras et possessiones tenent ab illis quibus aliquid ex hiis reddere et dare tenentur. potestas autem debeat diligenter inquirere si sibi de aliquibus fuerit denunciatum ita quod commandie de cetero cessent et remaneant.

De non portando facellas accensas tempore uentoso.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus debeat portare facellam accensam uel tizonum de nocte tempore uentoso a porta maiori inferius et a sancto Saluatore inferius nec ultra pontem nec in pasquerio sub banno solidorum quinque pro qualibet uice.

De possessionibus non alienandis hiis qui non sunt de iurisdictione comunis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona iurisdictionis ciuitatis Yporegie sine licentia potestatis siue uicarii et credencie Yporegie non debeat uendere nec alienare aliquam suam posses-
a sionem alicui qui non sit de iurisdictione ciuitatis Yporegie et qui non soluat fodra ipsi comuni et substineat onera et expensas et alias uicinancias pro ipso comuni de omnibus bonis suis et non habitet cum sua familia in ciuitate Yporegie uel districtu nec etiam hominibus Piueroni et Palacii et qui contra fecerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice libras XXV et si fuerit de credencia uel consilio de hiis cassetur et sit ipso iure priuatus et cassatus nec ei ius reddatur in aliquo donec soluerit dictum bannum et ultra hoc dicta possessio sic alienata cedat et aperiatur comuni et aperta de cetero teneatur pro tribus partibus et quarta pars perueniat in dominos comitem et principem si predicti domini faciant uenire in dictum comune cum
b effectu aliter non habeant partem aliquam. Eo saluo quod possit huiusmodi possessio cambiari impune pro alia possessione equiualen:i sine fraude que tamen sit in districtu et iurisdictone Yporegie et eo saluo quod liceat cuilibet pro remedio anime sue impune legare relinquere et etiam dare et alienare ecclesiis hospitalibus et locis religiosis quascumque possessiones pro hiis construendis edifficandis et dotandis dum ipsa alienatio fiat tantum ipsis ecclesiis hospitalibus uel locis religiosis et non singulari persone. Non possit preterea ıer aliquem ciuitatis Yporegie uel districtus seu pr potestates iudices uel rectores dari uel fieri seı confirmari aliqua possessio estimatio seu solutio ılicui huiusmodi supradicte persone prohibite dealiquibus siue super ali-
c quibus possessionibus aliuius ciuis uel districtualis Yporegie nisi prius i: forensis qui dictam possessionem confirmationer estimationem uel in solutum dationem sibi fier uel dari uoluerit coram potestate uel uicario ueleius iudice comunis ydoneam satisfactionem comni prestiterit quod ipsam possessionem non alienat contra formam presentis statuti sed tam ipse uam dicta possessio si ipsa sibi remanserit pro fodr expensis oneribus comunis et cunctis superimpsitis subeundis pro ualore ipsius possessionis et ocaxione ipsius ipsi comuni sint perpetuo obligati sut alii ciues et possessiones. quod si contrafactu fuerit talis possessio data uel confirmata estimatioıel in solutum datio super dictis possessionibus etquidquid ex eis secutum
d fuerit ipso iure non ualt et pro nullo et irrito habeatur. Et si prediis alienationibus possessionibus estimationibusuel solutionibus prohibitis aliquis pro seuert: seu mediator interuenerit uel notarius aliquisınstrumentum fecerit seu testis quis ipso instrumto fuerit uel quis ipsum instrumentum dictauerisit infamis ipso iure et in banno de maleficio de uo non possit exire nisi soluerit duplum precii i alienate contra formam predictam. Notarius auti si predicta non denunciauerit infra tres dies›otestati uel iudici soluat pro banno ultra predic libras x quas si soluerc non poterit non possit :c debeat ulterius exercere officium notarie in ciuite Yporegie uel districtu nec reddatur ei ius deliquo donec soluerit dicta

banna. Ad hec autem diligenter inquirenda eligantur forestani tres uiri discreti unus uidelicet per Rucham et unus notarius per procuratores comunis infra xv dies principii sui regiminis potestatis siue uicarii qui iurent ad sancta Dei euangelia eorum officium secundum infrascriptam formam fideliter exercere qui debeant statim postquam sic iurauerint diligenter inquirere omnes possessiones a x annis citra contra formam presentis statuti alienatas estimatas siue in solutum datas easque sic inquisitas in scriptis reduci facere per supradictum eorum notarium et omnia que semper continuando eorum officium inuenerint et in scriptis reduci fecerint debeant semper de viii in viii diebus potestati uel iudici consignare taliter in eorum officio procedentes quod omnia que facere tenebuntur et totum eorum officium infra tres menses a die qua iurauerint sint completa. Prouideant autem potestas siue uicarius et iudices quod dicti forestani eorum officium diligenter exerceant et compleant infra terminum supradictum et in hiis omnibus et super hiis que per dictos forestanos inuenta secundum formam praescriptam in scriptis fuerint consignata debeant incontinenti potestas siue uicarius et iudices tenorem presentis capituli seruare et facere obseruari. Qui predicti forestani si dictum eorum officium infra dictum terminum trium mensium non fecerint et compleuerint secundum modum et formam predictam soluat pro banno quilibet eorum libras x potestas siue uicarius uero si ipse uel eius iudices infra eumdem terminum predicta ut tenentur non obseruauerint et obseruari non fecerint ut superius continetur amittat de suo salario libras xxv quas clauarius incontinenti teneatur ponere in suo dato et recepto salarii potestatis siue uicarii. Si autem contigerit aliquam possessionem huiusmodi alienatam fuisse actenus ab anno currente mcclxxxiiii citra estimatam uel in solutum datam alicui non subiecto iurisdictioni comunis Yporegie et non facienti et non substinenti omnes expensas et omnia onera comunis de omnibus bonis suis uel non habitanti in ciuitate Yporegie uel districtu cum tota sua familia etiam de licencia potestatis siue uicarii et credencie et secundum formam huius statuti uel de cetero in futurum contigerit sic alienari estimari uel in solutum dari liceat ei qui sic alienauit uel dedit seu contra quem estimatio uel solutio data uel facta fuerit uel etiam suis heredibus seu hiis deficientibus uel nolentibus propinquioribus parentibus suis usque ad tertium gradum inclusiue predictam possessionem sic alienatam estimatam uel in solutum datam recuperare data illi in quo predicta possessio translata fuerit uel suis heredibus eorumue certo nuncio seu causam ab eo habenti uel ipsam possidenti uel oblata cum effectu tanta pecunia pro quanta translata fuerat possessio supradicta cum ualimento melioramenti per eum facti quod per estimatores comunis sub eorum iuramento debeat estimari. Quod si ille qui habuerit dictam possessionem predictam pecuniam cum estimatione melioramenti ut supra nollet recipere facta de hiis legiptima oblatione et depositione ubi potestas siue uicarius uel iudex mandauerit teneatur statim potestas siue uicarius et iudex ipsum recuperare uolentem inducere seu induci facere per nuntium comunis in corporalem possessionem dicte possessionis et inductum omni tempore defendere et manutenere cum auctoritate et defensione rectoris et comunis Yporegie que inductio pro uero et iusto titulo habeatur et nichilominus liceat ipsi recuperare uolenti seruando semper omnia supradicta et ipsam possessionem auctoritate propria intrare eamque de cetero tamquam suam propriam possidere eo iure et modo quo ille qui eam alienauit uel dedit seu contra quem estimatio uel in solutum datio facta fuit eamdem possessionem prius tenebat. Quicumque enim qui receptus fuerit ciuis pro tercia quantitate de qua debeat soluere fodrum et expensas comuni et qui habitet in ciuitate Yporegie possit emere et aquirere possessionem a quocumque ciue Yporegie et quilibet ciuis possit ei dictas possessiones uendere alienare ita tamen quod dicte possessiones semper remaneant obligate dicto comuni et quod ipsi acquisitores teneantur de hiis soluere fodra et expensas ultra illam quantitatem pro qua recepti fuerunt. Hoc autem capitulum faciat potestas siue uicarius legi semper quando fiet arengum quod etiam consules notarii teneantur ponere in eorum statutis et quilibet possit accusare contrafacientes et habeat accusator medietatem banni.

De non alienando possessiones que tenentur ad censum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus tenens aliquas possessiones ad censum ab aliquo ciue uel districtuali Yporegie ipsam non possit uendere donare pignori obligare alienare uel in alium quoquomodo transferre in preiudicium domini a quo ipsa tenetur possessio sine consensu et uoluntate ipsius domini et quidquid in contrarium factum fuerit uel etiam attemptatum non ualeat nec teneat ipso iure et sit irritum et inane.

De censeriis compellendis ad faciendum copiam instrumentorum de eorum censariis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas et eorum iudices teneantur et debeant compellere omnes et singulos censerios et feudatarios ad petitionem domini censarie uel feudi requirentis facere ipsi domino uel dominis a quibus mouetur censaria uel feudum copiam instrumentorum ipsius censarie seu feudi et hoc si ipse dominus iurauerit se amisisse ipsa instrumenta et uersa uice teneatur dominus ipsi censerio et uassallo copiam facere ipsorum instrumentorum si ipsi censerii uel uassalli predicta iurauerint amisisse. Teneatur insuper uicarius siue potestas et eius iudices ad petitionem domini uel dominorum requisi-

tionem compellere omnes et singulos censerios uel a
feudatarios ad consignandum nominatim ipsas censarias et feuda et terras et possessiones ipsorum quandocumque et quocienscumque fuerint requisiti.

De comugnis Bolengi non alienandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod homines Bolengi non possint nec debeant uendere nec alienare aliquid de eorum comugnis alicui speciali persone sub pena et banno librarum xxv excucienda tam ab emptore quam a uenditore pro qualibet possessione alienata et si quis habitans Bolengi aliquid de ipsis comugnis tenet et possidet teneatur illud libere relaxare comuni apertum ita quod quelibet
persona de Bolengo et de Yporegia possit impune ire b
ad pascandum. et hoc capitulum habeat locum tam ad possessiones actenus per eos alienatas uel asortatas quam ad alienandas et asortandas. Non possit etiam comune uel aliqua persona Bolengi sua propria auctoritate aliquas possessiones detentas uel occupatas per aliquem ciuem Yporegie ab eo auferre uel occupare nisi prius data fuerit defensio ipsi ciui per rectorem Yporegie super ipsa possessione. Item quod alique persone comune uel uniuersitas extra ciuitatem Yporegie non possint nec debeant aperire nec designare aliquas possessiones pro pascuis uel comugnis uel uiis sine uoluntate illorum qui tenent ipsas possessiones uel credencie donec ipsi tenitores fuerint de iure conuincti et qui
contrafecerit soluat pro banno quelibet singularis c
persona solidos centum et quilibet consul libras decem imperiales et comune seu uniuersitas libras L et semper emendent dampnum et nichilominus non ualeat nec teneat ipso iure quidquid contrafecerint nec ex hoc perdatur aliquod ius proprietas uel possessio et extendatur tam ad preterita facta a v annis citra quam ad futura quantum ad hoc quod preterita non teneant nec eis aliqua proprietas admittatur uel possessio sed dicto banno non teneantur et presens ultima clausula que incipit « item quod alique persone etc. » fuit de anno currente MCCCVII.

De non faciendo uim sponsis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nemo de- d
beat facere uim seu prohibitionem aliquam aliquibus ducentibus sponsam aliquam seu ipsi sponse nec claudere eis aliquam portam ciuitatis ea de causa ut redimatur uiolenter nec inde rixam facere sub banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice et quod uicarius seu iudex infra VIII dies principii eorum regiminis predicta cridari faciant per ciuitatem Yporegie in locis consuetis. et si quidem predicta preconizari non fecerit non possit inde aliquis condempnari nec ab eo aliquod bannum excuti quousque dicta crida facta fuisset.

De non locando domos personis adulteris.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat locare nec concedere uel dimittere in ciuitate Yporegie nec in contrata Pasquerii domum seu habitationem aliquam alicui persone mari uel femine qui uel que sint palam adulteri uel teneant palam postribulum sub banno solidorum XL pro quolibet et qualibet uice quo banno soluto uel non nichilominus compellatur ei auferre domum illam seu habitationem non obstante aliqua permissione sibi facta et hoc prout melius poterunt inquiratur ut predicta bene seruentur et super hiis ponantur accusatores priuati et habeant medietatem banni et hoc statutum et pena uindicet sibi locum quocienscumque probatum fuerit de fama per duos testes fide dignos contra sic facientem.

Quod male femine siue meretrices expellantur de contrata sancte Clare.

Item statuerunt et ordinauerunt ad honorem Dei et beate Clare uirginis quod a domo et a cantono heredum Vercellini Baralis et a Cantono domus heredum Iacobi de Ponza ab utraque parte uie et a domo habitationis magistri Facii de sancto Paulo ab utraque parte uie usque ad domum Iacomelli de Strata ab utraque parte uie non possint stare nec habitare de die nec de nocte alique meretrices siue mulieres male fame et quod aliquis non possit eisdem domos concedere siue locare neque alii permittere alio quocumque modo habitare et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos xx imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et nichilominus super hiis ponantur accusatores priuati et ille intelligantur esse meretrices et mulieres male fame que denunciate fuerint in presencia uicarii per tres uiros ydoneos estimi librarum IIII uel saltem uicinos illius contrate et de dicta parochia.

De signis hospiciorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis albergator maris uel femina non possit ponere nec poni facere uel tenere ante suum hospicium aliquod signum simile in aliquo uel habens aliquam similitudinem ad aliud signum quod habeat in Yporegia aliquis alius hospitator et qui contrafecerit compellatur incontinenti illud auferre nec ibi reponi ulterius permittatur.

De non capiendo aliquid super carris et bestiis ponderatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat aliquid capere seu extrahere desuper carribus uel bestiis aliquid portantibus per

ciuitatem Yporegie sub banno solidorum II pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. et si bouerius uel asinerius percuteret capientem uel tirantem de aguglata uel de aguglono non soluat inde aliquod bannum nec possit procedi in aliquo contra eum.

De non excarnando uel pellando pelles in ciuitate Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus debeat excarnare nec pellare pelles seu coria in ciuitate Yporegie in aliquo porticu uel uia extra domos sub banno solidorum III pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De leamis scouiciis et aliis putredinibus non ponendis in locis prohibitis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat ponere nec poni facere calcineriam afaytamentum caligariorum paglucium scouicium zeneratam marzuram leamum uel aliquam aliam putredinem uel turpitudinem uel fectorem facere in uia qua itur ad sanctum Franciscum nec ea qua itur ad Duriam inter ayrale quondam Ottini de Ast et ortum hospitalis nec in uia que est subtus solarium domus quondam Dominici de Cucelio qua itur uersus Duriam nec in uia qua itur ad sanctum Mauricium a domo quondam Peracii et Ottini Zigneti usque ad sanctum Mauricium nec in uia a cantono domus in qua consueuit morari Agnexia de Astrua usque ad cantonum domus in cuius muro penduntur mezene in diebus mercati et ab illo cantono usque ad pusternam de mercato et ab illa pusterna usque ad sanctum Donatum nec in uiis quibus itur ad curseriam nec a porta rufrana usque ad domos quondam domini Iacobi Loge et Martini quondam de Sexano nec in aliquibus uiis publicis seu porticubus ciuitatis Yporegie uel suburbiorum sub banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice. alibi uero inter ciuitatem quam in prenominatis uiis et locis poni fimus impune et ibi stare per IIII dies et non ultra sed compellatur qui ibi illud posuerit seu poni fecerit post IIII dies illud auferre sub banno predicto. in uiis tamen solatis seu ante porticum seu portam alicuius domus non debeat aliqua persona predicta uel aliquod predictorum ponere uel amassare uel permittere poni nisi eadem die uel sequenti fecerit auferri sub eodem banno. de foris autem ciuitatis a porta fontane usque desuper uineam Iohannis Delagrassa in Capuzono item ab ipsa porta fontane usque ad portam calderariam non possit aliqua persona interponere fimum nec aliquod paglucium. Item nec in strata publica qua itur in Campagnolam a loco seu muro ayralis quondam domini Martini de Prato usque ad Ronchum quod est desuper portam ayralis Richardi de Berlenda

a nec a strata que est ante domum Martini de Orieta ultra pontem usque ad Tornaffollum quod est ultra portam Georgii Michellani sub eodem banno pro quolibet et qualibet uice sed nec prope ciuitatem per medium miliare possit quisquam aliquam carognam ponere seu poni facere sub banno solidorum II. ultra que omnia supradicta compellantur etiam qui contrafecerint ad auferendum omnia supradicta et super hiis ponantur accusatores et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. et hoc statutum habeat locum in glaro Durie supra pontem usque ad uineam Reseti et etiam a porta Calderaria usque ad dictum glarum sub eisdem penis et bannis in dicto statuto contentis et idem intelligatur de uia que est extra portam bandi iuxta
b fossatum comunis de longo in longum scilicet a ponteto Rugie Taliandorum citra ueniendo usque ad portam lacus.

De latrinis et aquarolis claudendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quelibet persona que habet uel habuerit cloacam uel latrinam quarum sterquilinium uel fector discurrant in uiam seu stratam publicam teneatur ipsam ita restringere et obturare quod aliquis fector uel sterquilinium non discurrat nec possit aperire. tempore uero magne pluuie liceat cuicumque aperire latrinas ut mundentur et lauentur et postea statim claudantur. omnes etiam habentes foramina et aquarolia per
c que discurrant uel possint discurri et prohici aque uel alie turpitudines in stratas uel uias publicas et in domum Graudi et in domum ubi consueuit stare Andreas Oliuerius ea auferre obturare et claudere compellantur nec debeat aliqua persona immittere uel prohicere aliquam aquam uel aliqua liquida in aliquam stratam seu uiam publicam per aliquam seu de aliqua fenestra foramine lobia solario uel balcone. Super hiis autem omnibus eligantur tres forestani unus per Rucham qui iurent omnes predictas latrinas ciuitatis Yporegie foramina aquarolia per que aque fectores sterquilinia et alie turpitudines discurrunt seu discurri possunt in stratas uel uias publicas inquirere et recercare et ea sic inquisita et in scriptis posita debeant potestati
d siue uicario uel iudici presentare ita quod illud eorum officium per eos infra xv dies postquam iurauerint sit completum. Potestas siue uicarius uel iudex predictis scripturis receptis incontinenti citari faciant coram eis omnes personas que habent dictas latrinas foramina seu aquarolia precipiens cuicumque ipsorum quod ipsa debeant obturare et claudere ut supra legitur usque ad xv dies a die dicti precepti facti et omnia supradicta obseruare sub banno solidorum LX pro qualibet uice a quocumque qui contrafecerit et predicta non obseruauerit exigendo quo quidem banno exacto uel non nichilominus potestas siue uicarius et iudex eos quos per eorum inquisitionem quam teneantur facere inuenerint non fecisse predicta compellantur sub

penis maioribus prout eis uidebitur adimplere et super *a* hiis ponantur accusatores et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. non habeat locum presens statutum nec intelligatur de riana que est in medio domorum fratris Ambroxii Portiglole et Boni Iohannis de la Blaua eo quod forestani qui erant tunc temporis super solandis uiis fecerunt pendere uiam in pariam dicte riane ita quod de necessitate oportet quod aqua puthei de burgo nouo et alie aque de dicta contrata discurrant per dictam rianam. et non intelligatur etiam in presenti statuto riana que est inter domos domini Giroldi Tagliaferri et fratris Ambroxii Portiglole supradicti. Que enim persona que habuerit aliquam rianam per quam possit putredo uenire in uiam publicam teneatur ita aptare obturare et obturari facere quod *b* dicta putredo non possit uenire in uiam publicam nisi tempore pluuiali et qui contrafecerit soluat penam superius contentam et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. et si contingeret aliquem habere dictam rianam qui uelit dictam rianam obturare et aptare et consors ipsius alterius domus dicte riane nollet dictam rianam obturare uel obturari facere suis expensis infra xv dies postquam fuerit denunciatum liceat dicto uolenti predicta facere dictum opus per se ipsum adimplere et postquam dictum opus factum fuerit teneatur uicarius siue potestas et iudices qui est et qui pro temporibus fuerit facere fieri restitutionem dicti operis de parte contingenti uolenti fecisse infra x dies et de expensis credatur sacramento facienti *c* seu fieri facienti dictum opus.

Item quod latrine omnes ciuitatis Yporegie quarum fectores siue sterquilinia cadunt super uiis publicis seu aliis locis ne publice nocere ualeant diruantur et destruantur. et teneatur potestas siue uicarius et iudices destrui et dirui facere infra viii dies postquam requisiti fuerint in quibus non intelligantur latrine et riane existentes inter duas domos uicinas que solum aperiri et discurrere possunt tempore pluuiali prout supra dictum est.

De porcilibus et bestiis non tenendis in uiis publicis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua per- *d* sona non debeat facere nec tenere porcilem nec troum nec dare comedere porcis in uiis publicis seu porticubus intra ciuitatem sub banno imperialium xii pro quolibet et qualibet uice et nichilominus predicta compellantur auferre. nec etiam debeat aliqua persona tenere aliquas bestias bouinas ad iacendum in dictis uiis uel porticubus de nocte sub banno imperialium iii pro qualibet bestia et pro qualibet uice et si aliqua persona permiserit ire aliquem porcum uel porcam in mercatum siue in contrata ubi dicitur in mercatum in diebus ueneris et martis ab hora tercie usque ad uesperas soluat pro banno pro qualibet uice solidos ii et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

Statutum de capris non tenendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona ciuitatis Yporegie et districtus non possit nec debeat tenere seu teneri facere aliquas capras sub banno solidorum x imperialium pro quolibet et qualibet uice exceptis hominibus et uillis Burgifranchi Couazolii Lezolli Bar Tauagnaschi et Quincenati et hominibus dictorum locorum qui possint tenere capras si eis placuerit impune ad eorum liberam uoluntatem in predictis uillis et locis et eorum poderiis et districtibus et exceptis bechariis et aliis uolentibus emere capras ad interficiendum dummodo ipsas interfecerint infra viii dies postquam eas emerint et exceptis infirmis et aliis personis habentibus aliam iustam et legiptimam causam qui possint quilibet tenere unam capram de licentia uicarii durante infirmitate. et si aliqua persona que non sit iurisdictionis comunis Yporegie et uicarius eiusdem ciuitatis et sibi non fecerit sequelam tenuerit dictas capras contra formam huius statuti non fiat nec reddatur sibi ius de aliquo dampno sibi facto in aliqua sua possessione uel rebus nec uicarius uel iudices possint inde procedere contra aliquem huiusmodi dampnum dantem nec camparius aliquis possit eum accusare sed sit omnino huiusmodi dampnum dans ipso iure immunis. et nichilominus quicumque fuerit de iurisdictione Yporegie qui inuenerit ipsas capras eius qui non sit de iurisdictione predicta in suo dampno liceat ei ipsas interficere impune.

De non tenendis paleis lignis et aliis in uicinanciis propter ignem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit habere nec tenere intus ciuitatem Yporegie magnum lignamen uel magnam multitudinem feni uel palearum in aliqua uicinancia que possint portare periculum ignis. nec habere uel tenere aineas feni uel palearum intus ciuitatem prope domos muratas uel copertas cuppis per iiii teysas propter pericula ignis euitanda et si qua persona aliquod predictorum contra presens statutum habuerit compellatur per potestatem siue uicarium uel iudices sub dictis penis et bannis illud infra viii dies auferre et predicta auferre teneatur infra viii dies postquam sibi preceptum fuerit per dominum potestatem siue uicarium uel eius nuncium si ille uel illi uicini qui habuerint ibi domum muratam uel cuppis copertam illud fieri uoluerint et hec denunciauerint potestati siue uicario. et si denuntiatum fuerit potestati siue uicario quod in aliquo loco ciuitatis esset aliquod predictorum seu quid aliud ex quo immineret periculum propter ignem ut supra debeat potestas siue uicarius illud inquiri facere et illud sic inuentum incontinenti destrui uel auferri et nichilominus teneatur soluere pro pena et banno libras x imperiales et totidem potestas siue uicarius si non fecerit solui dictum

bannum siue penam infra diem postquam fuerit a preceptum quod deberet predicta seu aliquod predictorum auferre seu auferri facere. super hiis autem omnibus ponantur tres sapientes unus per Rucham qui circa ea prouideant et quorum prouisionem potestas siue uicarius faciat obseruari et qui predicta iurent fideliter exercere. si quis autem habuerit intra ciuitatem domum aliquam copertam de paleis seu tectum debeat usque ad unum annum illam uel illud muris edificasse et coperuisse alioquin ab inde in antea eam remouere et destruere compellatur sub banno solidorum LX ita quod intus ciuitatem alique domus uel tecta coperta paleis non debeant de cetero remanere. et hoc quod potestas siue uicarius inquiri diligenter faciat ut integraliter obseruetur in hiis etiam maiora banna b pro sua uoluntate imponendo. Insuper annis singulis eligantur per procuratores ciuitatis Yporegie duo forestani boni homines et unus notarius in qualibet parochia ciuitatis Yporegie qui duo habeant curam et bayliam tempore uentoso faciendi ubicumque eis uidebitur ignem extingui et aquam portari et alia facere que eis uidebuntur pro periculo ignis euitando et pro predictis faciendis possint imponere cuicumque uoluerint penas et banna ad eorum liberam uoluntatem et quidquid ipsi fecerint potestas siue uicarius et iudices faciant inuiolabiliter obseruari. quod si dicti forestani non fecerint dictum eorum officium soluant pro quolibet et qualibet uice solidos x imperiales et tantumdem notarius et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. c si qua autem persona ecclesiastica se premissorum defensionem obtulerit nollens supra contenta efficaciter adimplere denunciato sibi prius quod attendat et obseruet predicta sit priuata omni protectione comunis ipso facto et quod sibi non reddatur ius ullo tempore in quibuscumque causis criminalibus et ciuilibus uel iniuriis eidem illatis.

De non faciendo ignem in domibus palearum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat facere ignem in aliqua domo coperta paleis intra muros ciuitatis postquam denunciatum siue preconizatum fuerit quod quidem fieri debeat infra mensem principii sui regiminis potestatis d nisi ipse palee bene fuerint marcate siue inmaltate sub banno solidorum x pro quolibet et qualibet uice. si qua tamen persona habuerit domum copertam paleis intus ciuitatem ubi fit ignis teneatur edificare et coperire de cupis usque ad medium augustum qui si non fecerit non debeat ab inde in antea aliqua persona ibi facere ignem uel fieri facere sub banno solidorum LX pro quolibet et qualibet uice.

De locis prohibitis meretricibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua publica meretrix non debeat se reducere nec moram facere a domo quondam Ymarey de Crespa que est de foris portam de bando supra usque ad cantonum Roche que est ultra cantonum uinee Romani Gambe que est ultra possessiones quondam domini Iacobi Loge uersus Vicelocham et predicta uicarius siue potestas faciat cridari ut melius obseruentur.

De illis qui uendunt aliqua diuersis personis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona uendiderit aliquam rem uel possessionem diuersis personis una ignorante de alia potestas siue uicarius teneatur ipsum cogere ad satisfaciendum decepto usque ad quantitatem precii rei uendite et expensas et interesse decepti ipsumque uenditorem ad uoluntatem emptoris decepti in carceribus detinere donec integre satisfecerit de predictis et ultra hoc soluat pro banno libras L imperiales.

De iniuriis et minis factis ciuibus per forenses.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona que non sit de iurisdictione potestatis siue uicarii Yporegie fecerit iniuriam alicui ciui uel habitatori Yporegie uel qui sit de iurisdictione Yporegie facto uel dicto et in persona uel rebus et infra unum mensem post requisitionem factam per potestatem siue uicarium Yporegie quam facere teneatur incontinenti cum fuerit requisitus non fuerit facta concordia uel dampnum et maleficium non fuerit restitutum liceat patienti predictam iniuriam in casu simili uel circa sine incursu alicuius pene . . . . . et si aliquis fecerit minas contra aliquem ciuem uel habitatorem Yporegie uel eum tenuerit in reguardo siquidem huiusmodi minator uel insidiator fuerit iurisdictionis Yporegie cogatur per potestatem siue uicarium bonam securitatem prestare de ulla offensione uel dampno inferendo illi qui tentus fuerit in reguardo uel passus fuerit dictas certas minas. si uero is minator uel insidiator non fuerit iurisdictionis Yporegie potestas siue uicarius faciat eum requiri ut predictam securitatem de non offendendo debeat eidem ciui Yporegie prestare quam si infra x dies post dictam requisitionem non prestiterit uel concordia inde facta non fuerit liceat eidem ciui uel habitatori per se et per alios ipsum forensem minantem uel insidiantem offendere in persona uel rebus sine incursu alicuius pene uel banni nec debeat potestas siue uicarius uel iudex inde se intromittere nec aliquam inde condempnationem facere et ultra predicta teneatur uicarius siue potestas predictum minantem uel insidiantem qui uoluerit uel non poterit dictam securitatem prestare expellere de ciuitate Yporegie et districtu.

De non capiendo guaglas.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua per-

sona non debeat capere guaglas ad guaglarolium a
nec ad fillatum nec ad cantoriam per v milliaria citra circumcirca ciuitatem Yporegie sub pena et banno solidorum x imperialium et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni et camparii teneantur accusare et intelligantur dicte guagle tam de masculis quam de feminis.

De columbis non capiendis nec uendendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona possit nec debeat in ciuitate Yporegie nec prope ipsam ciuitatem per iiii milliaria recia seu ingenia aliqua pro columbis capiendis ponere nec ipsos columbos capere infra dictos terminos et qui contrafecerit soluat pro banno pro quolibet et qua- b
libet uice solidos x imperiales et nichilominus liceat unicuique recia seu alia ingenia imposita dicta de causa infra predictos terminos auferre et destruere ad suam liberam uoluntatem impune et quod nulli liceat emere columbos aliquos exceptis pepionibus et qui contrafecerit tam emptor quam uenditor puniatur pro quolibet et qualibet uice in solidis x imperialibus et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni et credatur sacramento accusantis de quolibet articulo. Camparii uero teneantur speciali sacramento quamlibet personam contrafacientem accusare sub pena et banno solidorum x imperialium pro quolibet et qualibet uice. et idem intelligatur de quaglis capiendis ad quaglarolium. Teneantur eciam dicti c
camparii speciali sacramento auferre dictis capientibus columbos retia et apparatum quod portant ad capiendum dictos columbos et quod aliquis tabernarius non possit dictos columbos emere nec uendere nec crudos nec coctos sub eadem pena et banno et si dicti camparii contrafecerint nullus teneatur ei dare campariam.

De non capiendo columbos.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat capere intra iurisdictionem Yporegie uendere nec dare columbos nec aliqua persona debeat ipsos columbos emere sub banno solidorum x pro quolibet contrafaciente et qualibet d
uice.

De non desterrando ligna de Duria.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat aliqua ligna que essent interrata in Duria a Florano usque ad Banchum ab utraque ripa Durie de longo in longum desterrare nec capere sub banno solidorum ii pro quolibet et qualibet uice.

De non portando res prohibitas non soluto pedagio.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quelibet persona portans siue ducens seu extrahens de ciuitate Yporegie uel districtu qui districtus intelligatur usque in Alexium ad dorsum siue super currum siue bestias salem gabellatura pedagio uel altero ipsorum non solutis amittat illum salem et ultra hoc soluat pro banno pro stario salis solidos xl pro emina solidos xx pro quartarono solidos x pro medio quartarono solidos v a medio quartarono infra denarios xii pro quolibet et qualibet uice et si duxerit aliquid aliud de quo solui debuerit pedagium et non soluerit amittat totum id quod duxerit et tantumdem soluat pro banno et quilibet possit accusare et auferre predicta et habeat medietatem banni et rerum ablatarum. Eo tamen addito quod si gabellatores uel eorum nuncius siue quicumque alius dictam gabellam exercens gabellaturam et pedagium seu alterum eorum a uolentibus ea soluere recipere recusauerint seu eis scriptum facere noluerint uel se absentauerint ita quod de hiis copia haberi non possit liceat tunc cuicumque ipsum salem portare ducere seu duci facere quo uoluerint etiam gabellatura et pedagio non solutis et etiam sine scriptis impune ita tamen quod nichilominus cum postea reddierit teneatur predicta soluere que non soluit. Debeat insuper potestas et iudex curare et facere cum effectu quod gabellatores salis qui sunt et pro temporibus fuerint attendant et obseruent et contra non ueniant omnia et singula pacta et conuentiones facta et facienda inter comune Yporegie et ipsos gabellatores et dictam gabellam exercentes compellere ad predicta secundum quod in eis continetur uel continebitur sub penis et bannis ordinatis uel ordinandis que et quas potestas siue uicarius et iudices ab eis in singulis casibus teneantur statim exigere cum ipsi uel alter eorum sciuerint contra predicta uel aliquod predictorum fecisse. Quod si potestas siue uicarius uel iudices predicta omnia non seruauerint uel obseruari non fecerint perdat potestas siue uicarius pro qualibet uice de suo salario solidos lx quos clauarius in suo dato ipsius salarii incontinenti ponere teneatur. Si autem aliquis qui possit extrahere aliquas res sine pedagio cum scripto tamen per se uel submissam personam uoluerit extrahere aliquid de ciuitate Yporegie et requisitus fuerit per pedagerium uel collectorem seu eius nuncium ut iuret quod de hoc nullam faciet mercandiam et ipse hoc iurare noluerit sed nichilominus illud de ciuitate Yporegie uel suburbiis extraxerit sine scripto perinde incidat in commissum ac si extraxisset aliquam rem de qua soluere debuisset pedagium ipso pedagio non soluto.

De non faciendo fraudem in curariis et pedagiis soluendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus receptus uel recipiendus in ciuem qui non habitet in ciuitate Yporegie uel districtu eximatur propterea uel exemptus intelligatur a solutione pedagiorum et curariorum domini episcopi et singulorum ciuium Yporegie habentium partem in ipsis pedagiis et cureis et quicumque de iurisdictione Yporegie fraudem fecerit in predictis reducendo bestias uel res alienas non suas ex quibus cureya uel pedagium solui deberet uel alio quocumque modo in eluxionem ipsius curaye uel pedagii compellantur per potestatem siue uicarium uel iudices soluere totum id quod soluerent inde extranei forenses collectoribus eorum pedagii et curaye et ultra hoc quadruplum comuni Yporegie pro banno et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et teneatur accusator secretus.

Quod nemo debeat aliquid interponere super pontem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat trabes nec aliqua alia super pontem Durie interponere que ipsi ponti possent obesse sub banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento accusantis.

De non exercendo iurisdictionem intra iurisdictionem ciuitatis Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona de iurisdictione et districtu comunis et potestatis siue uicarii Yporegie non debeat exercere iurisdictionem aliquam nisi potestas siue uicarius et eius iudices qui potestas siue uicarius et iudices debeant omni modo defendere ne quis exerceat ullo modo et qui contrafecerit puniatur arbitrio potestatis siue uicarii. Non possit nec debeat aliqua persona in ciuitate Yporegie et districtu capere personaliter uel detinere aliquam personam undecumque sit sine licentia potestatis siue uicarii uel rectoris Yporegie et districtus sub pena et banno librarum xxv imperialium pro quolibet et qualibet uice nisi uellet ipsam personam sic captam in forciam potestatis siue uicarii conducere pro aliquo maleficio siue banno. et si huiusmodi persona que capi uellet se uel alius eam deffenderet ne caperetur et in ea deffensione illum capientem uel capientes offenderet in personam non possit de dicta offensione per potestatem siue uicarium iudices uel rectores aliquo modo puniri nec condempnari. hoc autem capitulum nullum preiudicium faciat ciuibus Yporegie in eorum iure quod habent in eorum hominibus. Castellanus uero Clauarini et Bolengi non possit per se uel per aliquem de sua familia exercere iurisdictionem nec intelligatur ca-
a stellanus Bollengi seu eius familia siue habitantes cum eo esse de familia uicarii siue potestatis Yporegie nec etiam uindicet sibi locum in hominibus ecclesie Yporegie existentibus eis in domo seu palacio in quo habitat dominus episcopus Yporegiensis.

De mestralibus alienantibus uel obligantibus res sibi datas ad laborandum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis sartor uel alius quicumque mestralis masculus uel femina non possit nec debeat impignorare nec alienare modo aliquo robas uel pannos seu quascumque alias res sibi datas uel missas ad faciendum uel laborandum sine licentia potestatis siue uicarii
b uel iudicis sub banno solidorum x pro quolibet et qualibet uice et ultra hoc restituat ipsas res et donec ipsum bannum soluerit et dictas res restituerit potestas siue uicarius uel iudex teneatur eum capi facere et in carceribus personaliter detinere. Illa uero persona que dictas res uel aliquam earum emerit ab ipso mestrali uel aliquid super eis mutuauerit seu aliud receperit compellatur incontinenti ad eas restituendas ei cuius fuerint uel eas ad laborandum commiserit sine aliqua solutione uel precio ab eo restituendo et hoc capitulum legatur in arengo.

De illis qui exeunt de tabernis contra uoluntatem tabernariorum.

c

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis intrauerit seu fuerit in aliqua taberna et ibi biberit uel comederit aut numatas aliquas ceperit uel capi seu alii dari fecerit non debeat de taberna illa exire contra uoluntatem uel sine licentia tabernarii uel tabernarie quousque soluerit sibi uel satisfecerit totum id quod exinde dare debuerit sub banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et nichilominus compellatur ad dandum et soluendum totum quod inde dare tenetur et possit quilibet tabernarius uel eius nuncius detinere in personis et rebus eorum propria auctoritate et sine incursu alicuius pene uel banni quemcumque ue-
d nientem in eorum tabernas donec soluerint ea que debuerint et credatur sacramento tabernariorum uel eorum nuncii de eo quod iurabunt se debere habere.

De hominibus Yporegie non citandis nec grauandis extra iurisdictionem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona undecumque sit et qualiscumque non possit nec debeat comune nec aliquos ciues seu singulares personas Yporegie uel districtus citare uel citari facere uel literas aliquas citatorias uel pendentes ex eis presentare uel presentari facere per se uel per alios super aliqua questione uel occa-

xione alicuius questionis de qua posset ius suum consequi coram potestate Yporegie uel eius iudice. et quod aliquis notarius non debeat de dicta citatione uel presentatione literarum scripturam aliquam uel instrumentum facere nec etiam aliquis esse testis. Et qui contra predicta uel aliquod predictorum fecerit soluat pro banno pro qualibet uice libras xxv et si dicto citanti uel presentanti fieret dampnum aliquod uel offensa qualiscumque in persona uel rebus potestas siue uicarius uel iudices non possint inde se intromittere nec contra ipsum dampnum dantem procedere nec eum in aliquo condempnare saluo semper iure Yporegiensis ecclesie hiis de quibus aliquis de iure conueniri debuerit coram eo. et si aliqua persona collegium uel comune iurisdictionis potestatis siue uicarii et comunis Yporegie fuerint aliquo modo inquietati molestati seu grauati per aliquam personam comune uel collegium ecclesiasticos uel seculares non iurisdictionis comunis Yporegie ita quod appareat et uideatur collegio iudicum de Yporegia illam molestiam inquietationem siue grauamen fieri indebite et contra iura potestas siue uicarius et iudices teneantur ipsum uel ipsos sic grauatos uel molestatos facere releuari in expensis per comune Yporegie et eisdem dari facere expensas necessarias ad predictum grauamen deffendendum. Si autem contigerit per dominum episcopum Yporegie uel eius uicarium seu alium uel alios eius nomine uel mandato contra aliquem uel aliquos ciues uel districtuales comunis Yporegie sententiam aliquam excommunicationis uel interdicti proferri quam demum per collegium supradictum cognitum fuerit et consultum esse iniustam uel non tenere de iure et ille uel illi contra quem uel quos lata fuerit sententia supradicta uoluerit appellare uel eam per simplicem querelam petere retractare et in ea causa procedere teneatur potestas siue uicarius uel rector Yporegie sibi facere expensas ipsius cause exhiberi et eas incontinenti sibi dari pro rata ipsius cause uel processus uel eum assecurari ad uoluntatem suam de predictis expensis sibi dandis cuius etiam sacramento de dictis expensis iam factis credatur taxatione tamen per potestatem siue uicarium uel iudices prius facta. Quod si potestas uel iudices et rector predicta non obseruauerint et obseruari non fecerint infra tres dies postquam fuerint requisiti perdant de suo salario pro qualibet uice libras xxv quas teneantur facere poni per clauarium in suo dato et recepto et dictus clauarius teneatur similiter suo sacramento eas scribi facere in suo dato et recepto. Non possit etiam nec debeat predictus appellans facta huiusmodi appellatione et expensarum requisitione facere aliquam compositionem transactionem uel pactum occasione ipsius appellationis cum dicto episcopo uel eius uicario uel alio eorum nomine nisi de mandato uoluntate et consensu credencie Yporegie et si contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice libras xxv et ultra hoc dicte expense sibi nichilominus denegentur et hoc capitulum sit precis-

a sum et trunchum ita quod de eo non possit peti licentia neque dari.

De percussionibus clericorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona ecclesiastica seu collegium aliquod clericorum religiossorum uel conuersorum cuiuscumque ordinis conditionis uel sexus siue aliqua persona de huiusmodi collegio rixam uel cauillationem aliquam fecerint uel habuerint cum aliquo laico ciue uel districtuali comunis Yporegie quam quidem rixam huiusmodi persona ecclesiastica uel collegium inceperit uel etiam impedierit abtulerit uel auferre uoluerit alicui laico ciui et districtuali aliquam pos-

b sessionem uel ius quod ab eo possideatur uel quasi et inde fuerit aliqua rixa uel cauillantia non possit potestas uel eius iudices de hiusmodi rixa et cauillatione seu etiam percussionibus in ea factis et ipsas personas ecclesiasticas inquirere procedere uel se intromittere per modum accuse denunciationis uel inquisitionis seu alio quocumque modo et credatur sacramento cuiuslibet ciuis et districtualis de predicta inceptione rixe uel cauillatione nisi per testes ydoneos dicta persona ecclesiastica posset probare dictum laicum fuisse inceptorem.

De non reuendendo erbam nec goras.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua per-

c sona habitans in ciuitate Yporegie non debeat reuendere nec reuendi facere gorras nec erbam in ciuitate Yporegie sub banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De non capiendo gatas.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat capere nec accipere seu occidere aliquem gatum uel gatam alienam in ciuitate uel suburbiis sub banno solidorum uiginti pro quolibet et qualibet uice et ultra hoc condempnetur in solidis xl pro emenda et restitutione illi cuius fuerit dictus gatus uel gata. ille uero in cuius domo uel habita-

d tione coquetur aliquis gatus uel gata soluat pro quolibet et qualibet uice solidos xl et ille qui eum excoriauerit soluat solidos x et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Hec autem omnia potestas siue uicarius et iudex eius teneantur ad peticionem cuiuscumque inquirere toto posse et hoc capitulum legatur et publicetur maxime in primo arengo cuiuslibet potestatis siue uicarii.

De non currendo equos per ciuitatem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat intra muros ciuitatis currere seu facere currere aliquem equum uel equam mulum uel mulam asinum uel asinam sub banno solidorum

v pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni excepto omni anno nouo et in kalendis maii et bourdo ordinato ad frangendum lanceas.

De non uindemiando sine licencia credencie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat uindemiare nec uindemiari facere in campariis Yporegie nec Bolengi nisi quando et secundum quod ordinatum fuerit per credenciam Yporegie sub banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Similiter aliqua persona ciuitatis Yporegie uel de Bolengo uel Palacio uel Piuerono non debeat facere uinum de suis uuis uel alienis ante uindemias nec etiam debeat aliquas topias siue uineas uindemiare ante alias uindemias sub eodem banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice sine licentia potestatis siue uicarii uel consulis terre sue.

De tormentis.

Item statutum et ordinatum est quod aliquis non possit poni ad tormentum pro aliquo facto seu maleficio de quo deberet condempnari infra quantitatem solidorum centum imperialium preter quam pro furtis et robariis pro quibus possit quilibet torqueri si alias fuerit torquendus de iure.

De defensionibus dandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius seu iudex faciat coram se uenire quamcumque personam contra quam fieret aliqua inquisitio denuncia uel accusa que presens reperiatur reperiens super eo negotio dictum suum infra tertiam diem postquam facta fuerit dicta denuncia uel accusa postquam potestas siue uicarius uel iudex seu accusator uel denunciator super ea inquisitione denuncia uel accusa intentionem suam firmauerit ita quod contra ipsum amplius procedere noluerit tunc demum incontinenti potestas siue uicarius uel iudex debeat ei dare deffensionem x dierum et ipsam accusam denunciam siue inquisitionis titulum sibi dari facere si petierit exemplatum et etiam nomen accusatoris uel denunciatoris infra dictos x dies propalare et intelligantur predicta uerba quod teneantur dare titulum inquisitionis et dicta testium productorum super ea inquisitione. in accusis denunciis titulum sine testibus dare teneantur tantum ipsamque deffensionem infra illos x dies recipere seu recipi facere et scribi iuxta dictam accusam et eam uidere et examinare cum ipsa accusa quando condempnationes fient uel eam ostendere illi cui huiusmodi processus commissus fuerit consulendus et aliter non possit quis condempnari nec ab eo aliquod bannum excuti nec pena imponi. Postquam autem potestas siue uicarius uel iudex dederit huius-

a modi deffensionem alicui persone non possit ulterius contra ipsam inquirere ullo modo de eodem negotio. quod si contrafecerit quod contrafactum fuerit nullam obtineat firmitatem. si autem aliqua persona debuerit aliqua pena pro aliquo crimine condempnari potestas uel iudex possint eumdem terminum deffensionis eidem assignare. pro omnibus etiam preceptis excedentibus denarios xii non obseruatis detur deffensio solummodo trium dierum et aliter non possit quis condempnari occasione alicuius huiusmodi precepti. hoc quoque statutum non habeat locum in campariis et eorum accusis item nec in accusatoribus priuatis electis quantum ad hoc ut ipsi accusatores propalentur sed teneantur secreti de eorum accusis et qui iurent eorum officium
b sine fraude fideliter exercere. Item quod potestas siue uicarius qui pro temporibus fuerit seu eius iudices uel milites non possint nec debeant super aliqua inquisitione uel denuncia testes examinare uel eorum dictum recipere uel alium processum inde facere nisi prius formauerit dictum titulum inquisitionis seu denunciationis et teneantur predicti uicarius et potestas et iudices ipsam denunciam et inquisitionem legere seu legi facere in presencia persone inde requisite uel inculpate et testium qui inde fuerint requisiti antequam eorum dictum recipiant. et siquidem predicti uicarius siue potestas iudices siue milites uel alter ipsorum contrafecerint quidquid contrafactum fuerit et secutum ob id sit cassum uacuum et nullius ualoris. et quo-
c cienscumque de cetero contigerit aliquam personam detineri uel in carcerem poni propter aliquod maleficium uel alia de causa in forciam uicarii siue potestatis quod ipse uicarius siue potestas et eius iudices ad instanciam ipsius persone detente uel alterius persone sibi coniuncte teneatur et debeat ipsam personam carceratam in publicum extrahere extra locum carceris ut possit procuratorem constituere ad ipsius deffensionem et innocentiam probandam. Teneatur insuper uicarius siue potestas et iudices hiusmodi persone sic detente et carcerate seu eius procuratori legiptimo dare terminum deffensionis publice non occulte et in presencia testium fide dignorum qui sint ciues seu habitatores Yporegie ita quod in danda ipsa deffensione et termino
d deffensionis nulla fraus uel malicia comittatur. Teneatur etiam ipse potestas siue uicarius hiusmodi persone sic detente et deffensionem facere uolenti seu eius procuratori totum cause processum cum nominibus testium et aliis omnibus integraliter exhibere et tradere per exemplum expensis partis predicta petentis et siquidem ipse potestas siue uicarius seu eius iudices uel alter ipsorum predicta in toto uel in parte facere noluerit uel recusauerit processus inde secutus et quidquid sequitur ex eo uel ob id non ualeat nec teneat ipso iure et sit precissus et trunchus. Teneatur etiam dictus uicarius siue potestas et debeat ad requisitionem cuiuslibet inculpati accusati seu denunciati qui deberet pati penam pecuniariam dimittere et relaxare ipsum in-

culpatum accusatum seu denunciatum de carceribus a
seu de forcia dicti domini uicarii siue potestatis qui eum detineret seu detinere uellet dummodo dictus inculpatus accusatus seu denunciatus bonam et ydoneam cautionem prestiterit ipsi domino uicario uel potestati seu eius iudici de soluendo omne id in quo condempnaretur.

De deffensionibus cridandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quando potestas siue uicarius uel iudex uoluerit facere condempnationes generales in pecunia faciat preconizari per ciuitatem in locis consuetis et in pleno foro Yporegie per VIII dies antequam fiant ipse condempnationes quod quicumque uoluerit deffen- b
sionem aliquam facere aliqua de causa qua processum fuerit contra eum ueniat ad eam faciendam infra dictum terminum VIII dierum. quam deffensionem non obstante alio termino deffensionis sibi dato secundum formam alterius statuti dictus potestas siue uicarius uel iudex semper teneatur recipere usque ad dictum terminum cride supradicte.

De processibus maleficiorum committendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et iudex maleficiorum ad requisitionem cuiuscumque persone seu personarum contra quas per aliquem modum aliquis processus fiat uel factus fuerit teneatur ipsum processum committere alicui c
uel aliquibus iudicibus non suspectis secundum formam statuti de agrauaminibus antequam de ipso processu seu pro ipso aliqua condempnatio fiat uel alias inde procedatur ad uidendum et consulendum utrum ex eo processu sit aliquis condempnandus uel absoluendus seu aliter contra eum procedendum. et teneantur potestas siue uicarius et iudex inde facere et procedere secundum consilium sibi datum per iudices supradictos non obstante capitulo de maleficiis inquirendis uel aliis quibuscumque. eo tamen saluo quod potestas siue uicarius et iudex predicti possint ponere in carcere et in compedibus quos crediderint esse ponendos de iure et antequam de hoc consilium habeatur. Postquam potestas siue uicarius uel eius iudex de eodem facto seu negotio d
criminali uel etiam in ciuili alicui persone uel personis cognitionem semel fecerit siue in cognitionem posuerint iudicis non suspecti secundum formam premissam non amplius teneatur ipsam questionem sic semel commissam super qua pronunciatum iam fuerit iterum committere ita tamen quod per hoc nulla possit appellatio legiptime impediri. teneantur enim omnes potestates siue uicarii Yporegie eorumque iudices ad requisitionem cuiuslibet persone contra quam procederetur committere in quanta quantitate debeat condempnari ille contra quem fit dictus processus occaxione dicti maleficii de quo agitur et quod ipsi potestates siue uicarii seu eorum iudices non possint nec debeant committere colegio iudicum Yporegie aliquam questionem pecuniariam occasione alicuius maleficii dummodo ille contra quem procedatur non dederit ultra tres suspectos de iudicibus dicti colegii.

De condempnationibus faciendis et eorum appellationibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius cum suis iudicibus possit et debeat facere omnes condempnationes super maleficiis preceptis contumaciis et dampnis datis et aliis pertinentibus ad officia iudicis maleficiorum secundum statutum comunis Yporegie et hiis deficientibus secundum iura comunia. et si aliqua persona condempnata in solidis xx uel ultra de huiusmodi condempnatione senserit se grauatum liceat ei per se uel legiptimam personam pro ea infra VI dies a die publicate condempnationis coram potestate siue uicario uel iudice grauamen suum exponere et infra alios duos dies copiam totius processus facti tam contra ipsam personam condempnatam quam per eius deffensorem teneatur accipere quam copiam potestas uel iudex si de hoc requisitus fuerit teneatur facere ei dari infra predictos dies expensis petentis. qua quidem copia habita uel predictis duobus transactis diebus teneatur potestas siue uicarius uel iudex receptis suspectis ab ea persona si quos dare uoluerit ipsam questionem alicui uel aliquibus de colegio iudicum Yporegie uel ipsi colegio committere consulendam utrum predicta persona condempnata ex ea condempnatione sit grauata de iure uel non et quid sit aliter super hoc faciendum et hoc expensis ipsius persone condempnate et postquam cognitum fuerit sibi semel non teneatur potestas siue uicarius uel eius iudices formam dicti statuti obseruare nec ab ipsa sententia possit ulterius appellari. Scripto autem predicto consilio et potestati siue uicario uel iudici presentato teneatur ipse potestas siue uicarius uel iudex illud in presencia persone condempnate uel alterius persone pro ea uel ea citata aperire et facere legi et publicari et secundum tenorem ipsius conscilii pronunciare et mandare inde fieri publicum instrumentum et copiam ipsius instrumenti sibi facere exhiberi si eam uoluerit. Et si quidem apparuerit ex eo consilio predictam personam iniuste condempnatam fuisse uel ex ea condempnatione fuisse de iure grauatam cassetur incontinenti ipsa condempnatio et ipso iure sit cassa et nulla et nichilominus teneatur clauarius suo iuramento de salario potestatis siue uicarii sine ullo impedimento ipsius uel suorum iudicum seu alterius persone uel comunis uel ipse potestas siue uicarius si forte iam suum salarium receperit infra duos dies ab aperitione dicti consilii restituere ipsi persone condempnate omnes expensas factas occasione ipsius consilii et predicte condempnationis quas predicta persona suo iuramento duxerit declarandas et si predicte expense sic non fuerint restitute non possit nec debeat ipse potestas

siue uicarius licentiari de ciuitate Yporegie etiam a prestita satisdatione de iuri parendo et iudicatum soluendo sed eius successor tamdiu teneatur ipsum potestatem siue uicarium detinere donec predictas expensas restituerit duplicatas. Si uero per ipsam personam condempnatam uel eius deffensorem steterit quominus omnia supradicta infra dictos terminos obseruarentur rata et firma permaneat extunc condempnatio supradicta. Si uero per potestatem siue uicarium uel iudicem steterit quominus quelibet persona condempnata forma et beneficio presentis statuti uti possit non possit interim ipsa condempnatio uires aliquas obtinere nec executioni mandari. Premissa uero locum habeant preterquam in contumacibus et in condempnatis infra solidos LX et in hiis qui ad mortem uel ad penam sanguinis b fuerint condempnati de quorum condempnationibus non possit cognosci sed sine ullo obstaculo exceptis iniuste condempnatis executioni mandentur personales uero statim pecuniarie uero X diebus transactis. Aliter autem quam supradictum est ab aliqua condempnatione sic facta nemo ualeat appellare. Teneantur insuper potestas predictus uel uicarius et iudices sui et debeant de cetero facere omnes condempnationes faciendas super dampnis datis singulis mensibus sui regiminis in arengo siue in domo ubi ius redditur horis ad ius reddendum deputatis uel in credencia. et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso in toto uel in parte non possit peti licencia neque dari.

De hiis qui nolunt soluere condempnationes emendas et talias.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona extranea qualiscumque conditionis et dignitatis existat que non sit de iurisdictione potestatis siue uicarii Yporegie noluerit uel recusauerit soluere condempnationes et emendas secundum formam statuti comunis seu talias ei impositas occasione pontium uel uiarum postquam predicte condempnationes seu talie fuerint denunciate ex parte potestatis siue uicarii uel iudicis non possit nec debeat potestas siue uicarius uel eius iudices aliquas recipere accusas uel denuncias de aliquo dampno eis dato uel facto nec facere aliquem processum d uel condempnationem contra aliquam personam uel personas dampna dantes in aliquibus suis possessionibus donec predictas condempnationes emendas seu talias integraliter soluerit et nichilominus teneatur potestas siue uicarius et iudex precisse excutere omnes condempnationes et emendas ab omnibus personis laicis undecumque sint et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia neque dari.

De expensis accusationum restituendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona suo proprio motu contra aliquam personam accusam uel denunciam fecerit et ipsam accusam uel denunciam probare non poterit uel non probauerit seu accusatus uel denunciatus deffensionem fecerit ita quod absoluatur potestas siue uicarius uel iudex compellant eum accusantem uel denunciantem restituere accusato predicto absoluto expensas factas per eum ea occasione taxatione iudicis et iuramento ipsius accusati declaratas infra tercium diem postquam idem potestas siue uicarius uel iudex inde fuerit requisitus sine libello iuris solempnitate et strepitu iudicii

De parte accusatoribus constituta.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet qui fecerit accusam aliquam de causa pro qua accusa bannum solutum fuerit habeat ipse accusator medietatem banni ipsius excepto de accusatoribus et denunciatoribus maleficiorum.

Qui accusare non possint et de deffensione contra accusatores.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqui manderii uel familiares potestatis siue uicarii siue aliqui officiales comunis uel aliqui alii qui possunt esse periuri et de periurio reprobari non possint nec debeant esse accusatores nec eorum accusis credatur nec recipiantur eorum accuse nisi pro eorum iniuriis de quibus audiri debeant sicut alii qui non
c sunt accusatores nec habeant predicti partem de bannis aliquam alicuius eorum accuse. Quilibet insuper bonus homo et bone fame accusatus per aliquos accusatores priuatos possit se purgare deffendere et excusare suo sacramento de hiis quibus accusatus et denunciatus fuerit et eius solo sacramento credatur quo prestito sit absolutus nec inde possit uel debeat condempnari. eo saluo quod si accusator priuatus accusam suam probauerit per duos testes qui non sint de accusatoribus priuatis quod nullus suo proprio sacramento se possit deffendere uel purgare.

Qui auocare uel procurare non possint.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis notarius comunis ad bancham maleficiorum iusticie deputatus uel aliquis precho siue seruitor comunis non possit nec debeat aduocare uel procurare pro aliquo in ciuitate Yporegie uel districtu sub banno solidorum V pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De non uenando de nocte.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus habitans Yporegia uel suburbiis debeat ire uenatum extra ciuitatem Yporegie post sonum Aue Marie usque in aurora cum canibus siue sine canibus cum retibus uel sine retibus sub banno solidorum

xx imperialium pro quolibet et qualibet uice et hoc *a*
statutum duret usque ad annum currentem MCCCXXXIII
et non ultra.

De non combatendo alienam domum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contigerit quod absit aliquas personas ire ac accedere ad domum habitationis alicuius persone ciuitatis Yporegie sine licentia uicarii uel eius iudicum causa combatendi dictam domum seu personas que fuerint in dicta domo quod tunc licitum sit predicte persone seu personis que fuerint in dicta domo seu habitatione se deffendere et tueri cum armis et fustibus sicut melius poterunt ita et taliter quod si deffendendo dictam domum seu habitationem uel *b*
eorum personas offenderint uulnerauerint seu interfecerint aliquam personam seu personas eos sic offendentes et combatentes quod non possint puniri ullo modo nec contra ipsos in aliquo procedi et predicta uindicent sibi locum nisi predicti quorum domus combateretur uel alter ipsorum uel aliquis de eorum familia essent actores uel inceptores dicte rixe.

De filiis familias qui non obediunt patri.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis filius familias qui non obedierit patri uel matri uel alteri eorum uicarius qui pro tempore fuerit teneatur ipsum uel ipsos ad requisitionem et uoluntatem *c*
patris uel matris tenere bannitum extra ciuitatem Yporegie et districtum et quod aliqua persona ciuitatis Yporegie uel districtus non possit nec debeat predicto sic bannito uel bannitis dare bibere nec comedere nec aliquod auxilium sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidorum xx imperialium et presens statutum uicarius qui pro temporibus fuerit teneatur infra mensem principii regiminis facere preconizari.

Quod nullus possit pelles in uiis uerberare.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus possit pelles pennas siue pellicias intus ciuitatem Yporegie in aliqua uia publica percutere cum ba- *d*
culo sub pena et banno denariorum XII pro quolibet et qualibet uice et credatur cuilibet accusanti et habeat accusator medietatem banni.

De lignis seu faxinis non portandis super carrum per transuersum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona audeat de cetero uel presumat ducere uel portare ligna de uerna scilicet faxinas super carrum per transuersum ad portam bandi usque ad portam pontis per stratam de longo in longum nec etiam per ruchas que sunt inter duas pretoras et si contrafactum fuerit et dampnum inde secutum uel datum sit liceat et licitum sit dampno passo talem sic contrafacientem cum carro et bouibus retinere donec ei de dicto dampno fuerit satisfactum arbitrio duorum uicinorum.

De telis et storiis non tenendis per ciuitatem Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus possit nec debeat tenere storia telas seu alia edifficia pendencia super uiis publicis que non distent a terreno nouem pedibus et quod nullus possit in medio duorum banchorum seu inter se et uicinum scrimaglium nec parietem facere in porticis strate publice per quos impediatur uel impediri possit aspectus banchi siue portici alterius uicini et teneantur uicarius et eius iudices infra terciam diem postquam requisiti fuerint dicta scrimaglia et parietes sic contrafacta auferre et auferri facere incontinenti sine mora ad peticionem cuiuslibet requirentis.

De scanatis et botallis non portandis super carro de minori mensura.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona audeat uel presumat portare seu ducere super carro ad uuas ducendas etiam uel ad uinum scanatam seu scanatas seu botallos que non sint signate uel signati per signatores comunis Yporegie et qui botalli teneant staria VII ad minus et scannate staria VII et eminam unam. Item quod nullus audeat dictas scanatas seu botallos facere minores quam supradictum est et qui contrafecerit perdat scanatam seu botallum. Item quod nulla persona audeat uel presumat portare super bestiis mezarolas que non teneant saltem ultra duos quartinos ultra mensuram et que non sint signate signo comunis per dictos signatores et si contrafactum fuerit in predictis uel aliquo predictorum non teneatur ille seu illi cui uel quibus sic contrafaciens laborauerit soluere de mercede uel sibi aliter satisfacere. et predicta cridentur per ciuitatem Yporegie quolibet die ueneris in locis consuetis a principio mensis augusti usque ad finem mensis septembris ne ulla ignorantia pretendatur.

De fructibus non auferrendis per terram.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus de cetero auferat uel accipiat in ciuitate Yporegie suburbiis uel districtu aliquibus hominibus uel mulieribus portantibus fructus ad uendendum in ciuitate Yporegie aliquid de ipsis fructibus contra uoluntatem ipsius qui ipsos portauerit pretextu alicuius curaye uel alia de causa et qui contrafecerit soluat pro qualibet uice denarios XII et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento accusantis.

Quis possit inaquare caneuam in lacu de Cita et quis non.

Item statuerunt et ordinauerunt ad aleuationem omnium personarum habitantium in ciuitate Yporegie quod uicarius nec eius iudices qui pro temporibus fuerint in ciuitate Yporegie nec aliquis de eorum familia non possit nec debeat per se siue per alios publice uel occulte sub aliquo colore uel ingenio qui dici uel excogitari possit inhibere uel prohibere nec inhiberi uel prohiberi facere quin quelibet persona que habitet in ciuitate Yporegie et suburbiis possit et debeat ducere uel duci facere portare seu portari ponere seu poni facere caneuas adaquandas in lacum et in lacu curserie et in quocumque alio lacu ad eius liberam uoluntatem. aliqua uero persona que non habitet in ciuitate Yporegie uel suburbiis non possit nec debeat quoquomodo inaquare caneuas uel linum in dicto lacu curserie nec etiam possit ponere ad desaguandum caneuas uel linum apud dictum lacum sub banno solidorum v imperialium pro quolibet contrafaciente et qualibet uice. et quod uicarius Yporegie teneatur facere cridari dictum proximum paragraphum omni anno per ciuitatem Yporegie de mense iulii et augusti et duret ad uoluntatem credencie et non ultra. Si quis autem qui non fuerit iurisdictionis comunis Yporegie in dicto lacu curserie caneuam adaquauerit perdat ipsam caneuam et quam sic perditam quilibet impune capere possit et auferre impune.

De non extrahendo candelas neque sepum de ciuitate Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat aliquo modo extrahere nec extrahi facere nec portari facere de ciuitate Yporegie uel suburbiis aliquod sepum ultra unum rubum in edomada nec etiam aliquas candelas de sepo ultra libras v in edomada sub pena et banno solidorum quinque imperialium pro qualibet libra sepi et candelarum ultra dictam metam et perdatur dictum sepum seu candelle et quilibet possit accusare seu denunciare aut auferre et habeat medietatem banni et sepi et candelarum. Si uero non abstulerit sed solummodo accusauerit seu denunciauerit tunc credatur sacramento cuiuslibet accusantis seu denunciantis qui sit in estimo comunis Yporegie cum uno teste et habeat medietatem banni.

De clericis et eorum instrumentis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quicumque usus fuerit in palacio comunis Yporegie in actis ad quemcumque banchum instrumento clericatus seu quocumque alio priuilegio teneatur potestas et eius iudices seu miles seu rector ipsum priuilegium seu instrumentum incontinenti antequam audiatur regestrari facere suis expensis in libro statutorum comunis Yporegie alioquin non ualeat eius presentatio ad hoc ut sciatur et notum sit omnibus ipsam personam non esse subditam comuni Yporegie.

De dando partem ferri ciuibus per mercatores foresterios.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis mercator foresterius in ciuitate Yporegie emerit ferrum ad grossum et aliquis ciuis Yporegie uoluerit partem de ipso ferro habere ipse mercator foresterius teneatur partem dicti ferri sibi relaxare et pro illo precio quo ipse emerit sub pena et banno solidorum x pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De faciendis fieri uecturis ueyturalibus Yporegie et aliis non.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si esset aliqua ueyctura Yporegie ducenda uersus uallem Augustam quod asinarii Yporegie ipsam habere debeant antequam alii asinarii extranei ad ducendum pro pretio quo dicti ueicturales extranei ipsam portare uellent et si quis dictam ueycturam profferre extraneis ueyturalibus ausus fuerit soluat pro quolibet et qualibet uice qua contrafactum fuerit solidos v imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De non portando aliquam monetam nouam in ciuitate Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona undecumque sit non possit nec debeat portare in ciuitate Yporegie et districtu aliquam monetam nouam nisi dicta moneta facta fuerit uel facta fuisset in aliqua ciuitate et qui contrafecerit amittat dictam monetam et tantumdem soluat de banno pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni et medietatem monete que amitteretur et ultra hoc quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni et auferre dictam monetam sua propria auctoritate sine incursu alicuius pene et hoc statutum habeat locum si dicta moneta facta fuisset ab anno currente MCCCXI citra et ultra hoc teneatur uicarius et iudices qui sunt uel pro temporibus fuerint facere uenire coram se infra XV dies principii sui regiminis omnes cambiatores Yporegie et omnes alios de Yporegia qui eis denunciati fuerint et eos iurari facere quod aliquam talem monetam nouam non apportabunt nec apportari facient in ciuitate Yporegie et districtu nec ipsam monetam nouam scienter capiant et si sciuerint aliquos apportantes uel apportari facientes ipsos accusabunt.

De non stando in alieno portichu.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua per-

sona in alieno portichu non possit nec debeat stare a neo placeare de die nec de nocte contra uoluntatem illius cuius fuerit portichus postquam denunciatum fuerit sibi quod se auferre debeat nec prope dictum portichum et qui contrafecerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos LX imperiales et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni.

De non faciendo societatem nec iuram.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona ciuitatis Yporegie uel districtus non debeat tractare facere uel procurare aliqua forma uel ingenio aliquam societatem iuram conuenticulum seu conspirationem nisi de comuni uoluntate credencie b et qui contrafecerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice libras centum imperiales et plus et minus quantum uidebitur rectori Yporegie excepto collegio iudicum ciuitatis Yporegie quod remaneat sicut erat ante. Non debeat preterea aliqua persona modo aliquo uel ingenio facere uel tractare nouitatem aliquam de ciuitate Yporegie seu contra dictam ciuitatem quominus comune et homines Yporegie sint et permaneant in bona et pura unitate fide et comunitate et si contrafecerit uel tractauerit procedatur contra eum et puniatur realiter et personaliter arbitrio et uoluntate rectoris non obstantibus statutis de agrauaminibus et sacramentalibus potestatis siue uicarii. super hoc autem statuto siue capitulo potestas siue uicarius seu rector et cre- c dendarii iurare debeant illud attendere et obseruare et contra non uenire modo aliquo seu causa et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti nec dari licentia.

De non tenendo aliquam bancham siue pertícham ultra v pedes a muris ciuitatis terre ab una parte et ab alia uie que impediant uiam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis de cetero non possit habere tenere uel ponere in strata publica ciuitatis Yporegie que strata est incipiendo a porta de bando usque ad portam pontis recta strata aliquam bancham pertichas storia uel carneria uel aliquid aliud quod impediat ipsam uiam d publicam uolentibus ire et redire tam equester quam pedester cum carro et bouibus et bestiis ponderatis et non ponderatis que bancha pertice storia uel carneria non possint esse in dictis uiis nec porticibus domorum dicte uie seu strate ultra muros domorum nisi per v pedes comunales computando pedem pro duobus semissibus et ultra non possint predicta uel aliquod predictorum habere uel tenere et qui contrafecerit postquam fuerit preconizatum soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos v imperiales et nichilominus teneatur predicta auferre ac etiam compellatur ad predicta auferenda. Teneatur namque uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit et iudices eius facere preconizari predicta per ciuitatem Yporegie infra xv dies principii sui regiminis ac etiam facere obseruari predicta speciali et precisso sacramento et super predictis ponantur tres recercatores et inquisitores qui debeant inquirere predicta et denunciare dicto domino uicario uel eius iudicibus illum uel illos qui contrafacerent haberent uel tenerent predicta. et qui habuerint muros domorum retractos ab aliis domibus possint ultra dictos quinque pedes tenere ad mensuram illorum qui non haberent retractos muros uel domus et predicta omnia intelligantur et obseruentur in aliis stratis dicte ciuitatis Yporegie.

Quod uicarius teneatur facere inquisitionem generalem contra omnes paraticos.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas futurus et eius iudices teneantur et debeant speciali iuramento et sub pena librarum x imperialium pro quolibet ipsorum quod amittant de salario eorum inquirere et inquisitionem facere generalem contra omnes paraticos qui sint in ciuitate Yporegie et suburbiis semper semel ad minus de tribus mensibus in tribus mensibus et procedere contra ipsos utrum bene seruent et attendant capitula comunis Yporegie in quibus continetur quomodo et qualiter tenentur et debent eorum officia exercere et penas et banna imponere contra non obseruantes et si inuenerint ipsos bene attendere et obseruare ipsos debeant absoluere et contrafacientes condempnare. Item procurare quod dicta eorum officia fideliter exerceant et dicta capitula attendant et obseruent et nichilominus teneantur recipere accusas contra ipsos factas per singulares personas omni die et quandocumque eis facte fuerint et super hiis procedere prout iuris fuerit.

Quod nullus ponat butirum in afaytamento coreorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis caligarius uel aliquis eius famulus uel desentus non debeat nec presumat ponere butirum in afaytamento coreorum et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos v imperiales et quilibet possit accusare et stetur sacramento accusatoris et habeat accusator medietatem banni et duret presens statutum ab anno currente MCCCXXVI exclusiue usque ad v annos.

Quod aliquis cerdo non possit laborare extra suum banchum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis caligarius qui habitet in ciuitate Yporegie non possit nec debeat laborare seu laborari facere suis laboratoribus siue sint eius familiares siue non extra eius banchum siue banchos super quo seu super quibus tenet suos subtellares uidelicet quod non

debeat suere seu sui facere subtellares aliquos cum a alexna extra predictum banchum siue banchos et si contrafecerit si fuerit laborator siue discipulus soluat pro qualibet uice denarios XII et si fuerit magister denarios VI et si magister fecerit suos desentos laborare contra formam dicti statuti contra eorum uoluntatem soluat magister de banno denarios XVIII pro qualibet uice et hoc capitulum habeat et uindicet sibi locum solummodo contra illos qui laborant seu suunt de alexna.

De solutione barberiorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis barberius nec eius discipulus uel alius pro eo non possit nec debeat petere pro eorum barberia siue of- b ficio nisi papiensem I in domo barberii uel apotheca et si in domo domini raserit imperialem I et ad hoc sit contentus et qui contrafecerit soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice solidos V imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento accusatoris eo saluo quod quilibet possit eis dare plus si uoluerit.

De non mercando nisi ad imperiales.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona ciuitatis Yporegie nec aliunde undecumque sit possit emere nec uendere siue mercari seu alium contractum facere nisi ad imperiales et pa- c pienses et qui contrafecerit tam emptor quam uenditor soluat pro quolibet et qualibet uice solidos V imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et duret hoc statutum ad uoluntatem credencie et credatur sacramento cuiuslibet accusantis solutio tamen possit fieri de quacumque moneta.

Quod nullus laborator debeat uinum accipere nec petere ab illis quibus laborauerit et de non portandis palis uncinis cannis uitibus uel caraciis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus laborator possit petere ab hiis quibus laborauerit a festo Paschatis usque ad festum sancti Michaelis d uinum nec etiam recipere nec ille cui laborauerit eis dare. Et quod predicti laboratores non possint de possessionibus in quibus laborauerint asportare lignum uel ligna uirida nec de uineis in quibus laborauerint palum nec uncinum seu cannas uiridas uel siccas nec uites et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice pro banno solidos V imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et cridetur presens statutum de tribus in tribus mensibus et duret ad uoluntatem credencie.

De usuris et usurariis prohibitis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona possit nec debeat in ciuitate Yporegie uel districtu dare pecuniam sub usuris nec ab alio usuras recipere ultra denarios IIII pro libra illius monete quam dederit mutuo modo aliquo ingenio seu fraude sub banno solidorum XX pro quolibet et qualibet uice si mutuauerit a solidis X supra usque ad libras X et si mutuauerit a libris X usque ad libras L soluat pro banno solidos LX et si mutuauerit a libris L supra soluat pro banno solidos centum pro qualibet uice et predicta inquirantur per uicarium uel eius iudicem omni mense ab hiis qui acceperint mutuum et super hiis ponantur accusatores et habeant medietatem banni. Teneantur etiam uicarius et iudices obseruare et obseruari facere constitutionem illam que incipit « uoraginem » latam in conscilio Lugdunensi postquam in ecclesia Yporegie ut ea seruetur fuerit denunciatum.

De seruiciis non mittendis ad requistas.

Item statuerunt et ordinauerunt ad superuacuas expensas euitandum quod aliqua persona ciuitatis Yporegie non possit nec debeat per se siue per alium mittere aliquod seruicium ad domum siue habitationem alicuius qui faciat aliquod requistum in dicta ciuitate Yporegie quamquam fuerit inuitata per totam edomadam precedentem siue sequentem dicti requisti et persona que mitteret dictum seruicium siue mitti faciet et persona que accipiet dictum seruicium priuetur omni officio et beneficio comunis Yporegie pro toto anno sequenti et teneatur uicarius qui pro temporibus fuerit et eorum iudices in sacramento sequele hominum ciuitatis Yporegie declarare seu declarari facere in iuramento sequele quod dictum capitulum attendetur et obseruabitur et ipsum faciat attendi et obseruari suo posse per omnes qui iurabunt dictam sequelam.

De seruiciis non mittendis ad sepulturam alicuius defuncti et de non associando parentes a die trentene in antea.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona ciuitatis Yporegie uel que habitet in eadem audeat uel presumat per se uel aliam personam modo aliquo mittere exemum siue donum ad domum alicuius persone defuncte nisi exequie facte fuerint a die sepulture in antea usque ad diem qua septima facta fuerit in qua etiam die septime non possit fieri uel mitti dictum exemum siue donum. preterea nullus debeat a die qua facta fuerit trentena persone defuncte in antea sociare consanguineos uel propinquos parentes defuncti uel defuncte ad eorum domum et qui contrafecerit in premissis casibus uel aliquo premissorum eo anno ab officio et beneficio comunis Yporegie sit exclusus. teneantur insuper omnes et singuli credendarii

singulis annis in principio regiminis uicarii iurare ad sancta Dei euangelia in plena credencia attendere et obseruare presens statutum et ne aliquis possit super hiis ignorantiam habere legatur presens statutum in plena credencia in singulis sex mensibus.

Explicit liber tertius.

Incipit liber quartus.

De iudice deputando ad damna data et maleficia inquirenda et ad prouentus comunis exigendos.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius debeat deputare unum ex iudicibus quos habere debet in regimine Yporegie super dampnis de foris euitandis et prouidendis. Item super officio maleficiorum et accusationum et ad ipsa maleficia inquirenda cognoscenda et prosequenda secundum formam statutorum comunis Yporegie. Item super exigendo banna et condempnationes iudicaturas et alias prouentiones ad comune pertinentes in ciuitate Yporegie et districtu et super aliis que ad dicta officia fuerint necessaria. qui predictus iudex ad hoc deputatus teneatur et debeat exigere prout de iure melius poterit omnia dicta banna condempnationes iudicaturas et prouentus ceteros comunis a quacumque persona collegio uel uniuersitate debeantur eorum expensis et etiam teneatur et debeat exigere omnia fodra imposita et imponenda per comune Yporegie ita quod dictus iudex uicarius et milex ita sint astricti in titulo sacramenti ad excuciendum et exigendum dicta fodra quemadmodum dicta banna et condempnationes et alios prouentus. ad quorum fodrorum exactionem teneantur predicti uicarius iudex et milex sub pena librarum x imperialium pro quolibet fodro in cuius exactione essent negligentes dicti uicarius et iudex et milex. qui uicarius iudex uel milex non possint nec habere debeant capere recipere capi seu recipi facere a dicto comuni nec ab aliqua alia persona sub aliquo colore uel ingenio quod dici uel excogitari possit aliquam partem in dictis fodris occaxione predicte exactionis uel aliqua alia de causa nec aliquod salarium siue remuneracionem et hoc quod supradictum est sit precissum et trunchum ita quod non possit licencia peti nec dari in toto nec in parte. Debeat insuper dictus iudex ad requisicionem cuiuscumque ciuis Yporegie cui datum uel factum fuerit damnum aliquod in aliquibus suis bonis uel rebus in poderio Yporegie ire illa die qua sibi denunciatum fuerit uel sequenti ad uidendum dictum dampnum et illud infra tercium diem denunciationis faciat esti-
a mari et de illo restitutionem fieri dampnum passo secundum formam aliorum statutorum. alius autem iudex ponatur et deputetur ad ius reddendum ita quod super aliis non habeat interesse propter que ius remoueri possit seu retardari uel eciam impediri. potestas siue uicarius tamen possit quemlibet ipsorum iudicum mutare et de suo officio remouere et de uno ad aliud deputare tociens quociens uoluerit et sibi uidebitur expedire.

De arboribus plantandis in goreto per camparios.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet camparius deuersus portam de bando teneatur et debeat omni anno tempore competenti usque ad
b medium marcium plantare in goreto Blancheti uel terra cornu Durie Taliandorum VIII ulmos et totidem alberas bonas grossas et competentes que faciant radices et facere bonas sepes circa ipsas arbores altas per unam alnam et eas implere de bona terra et pro quibus sepibus faciendis possint impune capere de nemore comunis et predictas arbores uirides reddere et consignare semper aliis campariis subsequentibus sub banno solidorum x pro quolibet campario qui predicta non obseruauerit et pro qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et super hiis specialiter precones comunis sint forestani ad predicta facienda fieri et complenda qui etiam habeant medietatem bannorum de eorum accusis non obstante
c capitulo de hiis qui accusare non possint. et qui precones iurent predicta inquirere et obseruari facere sine fraude et qui predictas arbores uastauerit seu inciserit uirides uel siccas soluat pro banno solidos uiginti pro quolibet et qualibet uice. Camparii uero deuersus uallem Montisalti teneantur omni anno plantare in curseria in introytu mensis marcii tres ulmos grossos sicut gamba hominis et ipsos claudere ad arbitrium procuratorum comunis de tercerio de Cita sub pena solidorum uiginti pro quolibet campario et qualibet uice. Camparii uero deuersus portam pontis teneantur et debeant plantare super terreno Castri ueteris ulmos XVI grossos et sufficientes et etiam si aliqui ex illis ulmis plantatis mortui uel siccati fuerint alios subrogare et
d plantare ita quod semper ibi sint dicti ulmi XVI sufficientes et grossi. teneantur etiam camparii deuersus portam fontane et uallem Montisalti ulmos totidem plantare in prato lacus grossos et teneantur procurare singulis annis in exitu mensis marcii denunciare potestati siue uicario quod inquirat si dicti ulmi plantati sint secundum quod superius continetur.

Quod aliqua persona undecumque sit non possit inhibere nec uiolenciam facere campariis camparie Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona undecumque sit et cuiuscumque conditionis

existat non possit inhibere nec depellere nec iniuriam uel uiolenciam facere in personis nec rebus campariis camparie ciuitatis Yporegie nec alicui singulari persone custodiendo uel pignorando aliquas personas uel bestias dampnum uel dampna dantes in possessionibus uel rebus camparie et territorii ciuitatis Yporegie et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice libras decem imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Teneatur insuper quilibet de ciuitate Yporegie et districtu quemlibet camparium et quemlibet alium custodientem possessiones et bona ciuis et districtualis Yporegie fortem facere cum armis et sine armis ad requisitionem seu clamorem cuiuslibet predictorum et ad stremitam dare et quemlibet sic contrafacientem possint percutere uulnerare et interficere impune non obstante capitulo de percussionibus et feritis nec aliquo alio capitulo in contrarium obuiante.

De campariis eligendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes infrascripti camparii eligantur per unum mensem ante terminum aliorum campariorum per credenciam et quod cridetur per ciuitatem per unum diem ante electionem dictorum campariorum quod quicumque.................................
dicta dampna dampnificatis uel aliter se concordauerint cum ipsis dampnificatis et quod de dicto dampno credatur sacramento dampnificati cum uno teste qui sit in estimo comunis Yporegie de libris duabus ad minus iurante secundum credulitatem suam de ualore dicti dampni uel si dictus dampnificatus maluerit licitum sit sibi dictum dampnum facere estimari per estimatores comunis Yporegie et facta restitucione per ipsos camparios tunc dicti camparii possint excutere dictam emendam dicti dampni ab hiis qui dictum dampnum dederint. teneantur quidem camparii de Yporegia et etiam quelibet specialis persona facere accusas dampnorum datorum coram uicario seu iudice et notariis ad maleficia deputatis camparii quidem infra tres dies postquam dampnum factum fuerit specialis uero persona infra octo dies postquam dampnum factum fuerit ita quod post ipsum terminum non ualeant nec teneant eorum accuse nec ex ipsis uel eorum occasione possit quis nec debeat condempnari. Camparii uero de foris teneantur eas facere omni die sabbati et etiam habeant medietatem bannorum omnium accusarum quas fecerint. Insuper omnes camparii teneantur denunciare dampna eis qui passi sunt ea infra octo dies postquam dampna data fuerint quod si non fecerint compellantur ipsa dampna emendare secundum huius statuti formam nec possint se excusare accusando postea aliquem qui dederit dicta dampna et credatur in hoc de tempore dampni dati sacramento dampnum passi. Item quod si contigerit aliquem camparium seu camparios aliquos facere aliquam accusam seu accusas de

a aliquo seu aliquibus qui facerent dampnum in sua camparia que accusa seu accuse essent defectiua seu defectiue obscura seu obscure per defectum camparii seu notarii que possent suppleri et declarari quod iudex possit et teneatur dictam accusam seu accusas facere suppleri et declarari et hoc ante datam defensionem non obstante aliquo capitulo in contrarium obuiante. De predictis autem et infrascriptis omnibus obseruandis et de eorum officio fideliter exercendo teneatur quilibet camparius dare bonam securitatem de libris decem imperialibus. et debeant camparii quilibet in sua camparia custodire uniuersa prata maxime a kalendis marcii in antea eo saluo quod ipsi non possint nec debeant aliquam personam accusare uel pignorare pro tenendo
b seu paschando bestias in alienis pratis uel extrobiis a xv diebus in antea post festum sancti Michaelis usque ad kalendas marcii nec exinde quis soluat bampnum nisi faceret sibi dampnum. Camparii quoque deuersus bandum teneantur custodire Albaguam et prata de Tresay et totam illam contratam sicut durant et sunt fines Yporegie si placuerit illis de Yporegia qui habent facere in illa contrata. Debeant insuper ipsi camparii de bando putheum sancti Iohannis qui consueuit esse apertus tenere bene curatum et mundum ad opus et utilitatem laboratorum pro acqua ibi capienda et si aliqua persona ipsis campariis uetauerit ne dictum putheum curatum teneant et apertum et paratum ad habendum aquam et huic persone hoc
c prohibenti fieret dampnum aliquod in aliquibus suis possessionibus quod nemo exinde soluat bampnum nec ei dampnum emendet nec exinde ius ei reddatur donec dictum putheum apertum reliquerit ut superius continetur. Item teneantur camparii deuersus bandum per totum annum eorum camparie custodire turrim Valfredi et quod unus ex ipsis campariis teneatur custodiam facere et stare super ipsam turrim Valfredi continuo de die et de nocte. teneantur ipsi camparii facere cercham quotienscumque uidebitur uicario. et camparii deuersus pontem eodem modo teneantur custodiam facere ad montem Coruerie per totum eorum annum quocienscumque uicario et procuratoribus uidebitur expedire et etiam cercham facere et predictas cu-
d stodias et cerchas teneantur facere et obseruare predicti camparii de ultra pontem et deuersus portam bandi sub pena et banno solidorum decem imperialium pro quolibet ipsorum et qualibet uice qua contrafactum fuerit et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et nichilominus dicti camparii teneantur facere et obseruare omnia et singula supradicta. Camparii uero Montisalti tenere debeant passum Buasche bene aptatum. faciat insuper potestas seu uicarius uel iudex requiri usque ad sex homines ex illis qui habent plus facere in grignoliis faciens ipsos eligere unum camparium uel duos qui custodiant ibi prata et possessiones hominum Yporegie et qui iurent accusare dampna ibi dantes cum bestiis et sine sicut alii camparii

accusare teneantur et ipsos accusatos teneatur potestas uel iudex sicut alios dampna dantes condempnare et ab eis banna excutere et emendas qui camparii habeant etiam medietatem bannorum eorum accusarum uel campariam que eis dabitur per eos qui habent facere in illa annata. custodire etiam teneantur camparii Yporegie et saluare per totum annum uineas plantata uuas erbas fructus seminata arbores nuces caracias ligna nemora et clausuras et omnia alia et singula que sunt et erunt in campariis seu infra fines camparie ipsorum campariorum excepto tempore quo camparii uinearum ibi positi fuerint ad predicta custodienda quo tempore non teneantur custodire predicta que commissa fuerint custodienda dictis campariis uinearum immo si eo tempore ipsi camparii in premissis per camparios uinearum custodiendis dampna aliqua reperiantur dare uel quid aliud contra statutum facere possint et debeant accusari sicut alii non camparii. post terminum uero campariorum uinearum debeant ipsi alii camparii predicti custodire usque ad terminum eorum camparie sine aliquo eciam precio inde habendo nisi eo quod habituri sunt de pratis et de bladis et de eorum parte bannorum ut supra. Non possint autem nec debeant camparii capere aliquid eius occasione uel alio modo nisi presente domino campi uel eo qui eum laborauit seu eius nuncio sub banno solidorum decem imperialium pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento domini uel eius nuncii uel alicuius de eius familia. Teneantur insuper omnes camparii omnes eorum camparias custodire ad eas stare et dictum eorum officium exercere fideliter et continue per totum annum et omni die non facientes occasione dicti eorum officii lucrum aliquod scandalossum nec facienti consentientes et tenere uias et pontes sicut consuetum est bene aptatas et aptare et meliorare et explanare bene et competenter eorum expensis omnes uias in eorum campariis quas teneantur meliorasse reaptasse et explanasse singulis annis usque ad kalendas maii. Quod si non fecerint consules boueriorum possint et debeant dictas uias meliorare et reaptare sicut eis melius uidebitur et utilius expensis dictorum campariorum quibus omnibus et singulis potestas possit suo arbitrio imponere penas et banna pro predictis omnibus adimplendis.

Item quod nullus camparius possit nec debeat cumulationem seu congregationem aliquam facere de feno nec de lignis quibuscumque nec eciam debeat aliud laboratorium adsumere nec tenere preterquam dictum suum officium dicte camparie et camparii contrafacientes ipso facto sint priuati et cassati a dicta eorum camparia nec possint postea esse camparii usque ad quinque annos proximos subsequentes.

a Item si quis camparius duxerit uel duci fecerit bestias aliquas ex suis uel alienis faciendo dampnum in alienis possessionibus sue camparie soluat exinde emendas et banna duplicata et si daret licenciam alicui offendendi ibi cum bestiis uel sine uel exinde precium uel loerium seu promissionem receperit soluat pro banno solidos decem et si ipsemet ibi offenderit capiendo furtiue aliquid de hiis que fuerint in sua custodia uel camparia soluat pro banno solidos uiginti et dampnum emendet.

Item quod si quis camparius accusatus et condempnatus fuerit pro fraude seu dolo quam uel quem fecerit seu commiserit in officio et de officio sue camparie quod non possit ab illo anno quo *b* fuerit condempnatus in antea in toto tempore sue uite habere officium camparie sed in perpetuum falsus et infamis ipso facto penitus habeatur.

Item quod aliqua persona que stet cum alio pro seruiente uel masnengo uel que teneat laborerium siue que sit de familia tenentis laborerium et etiam aliqua persona que non steterit in ciuitate Yporegie uiginti annis non possit nec ualeat eligi nec esse camparius alicuius camparie de Yporegia.

Item quod nullus possit eligi in camparium deuersus portam bandi nisi sit in estimo comunis Yporegie librarum III ad minus et deuersus alias duas portas uallis Montaldi et ultra pontem nisi *c* fuerit in estimo librarum II ad minus.

Item quod quicumque fuerit camparius uno anno non possit esse camparius illius camparie post ipsum annum usque ad duos annos completos proximos subsequentes sed et si quis campariorum aliter electus fuerit seu eligeretur quam in modum et formam predictam non teneat ipsa electio sed de ipsa camparia incontinenti expellatur nec possit esse camparius illo anno et quod quicumque qui elegerit ipsos camparios uel alterum ipsorum campariorum aliter quam in modum et formam presentis statuti seu statutorum soluat pro pena et banno pro qualibet uice qua contrafecerit solidos LX imperiales et nichilominus ipsa electio non ualeat nec teneat *d* ipso iure. Insuper quod famuli et masnengi dictorum campariorum ita teneantur ad ea ad que tenentur dicti camparii et quilibet ipsorum quemadmodum ipsi camparii tenentur. Que omnia et singula suprascripta promittant dicti camparii et iurent corporaliter ad sancta Dei euangelia et assecurent per bonas securitates ut supra attendere et obseruare fideliter et non contrauenire remoto omni malo ingenio amore timore precio et precibus.

De extimatoribus dampnorum datorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod extimatores dampnorum datorum qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant iurare corporaliter ad

sancta Dei euangelia eorum officium fideliter exercere remotis odio amore et timore et parte et parentela et quod numquam eorum extimum reuelabunt alicui persone de mundo nisi uicario uel iudici uel notario ad dictum extimum recipiendum deputato et quod non capient per se nec per alios sub aliquo colore uel ingenio ultra imperiales vi pro qualibet libra cuiuslibet extimi pro omnibus tribus extimatoribus et imperiales vi pro quolibet ipsorum et pro quolibet miliari.

Item quod dicti extimatores eligantur de cetero ad breuia more solito sicut amodo eliguntur alii officiales comunis et non possit aliquis sibi retinere breue extimature predicte prius iurante quod illud dabit persone quam crediderit esse ydoneam et sufficientem et persone que sit annorum xxx et de credencia comunis Yporegie et quod dictum breue non dabit alicui persone ad requisitionem alicuius et maxime illius qui recepisset dampnum et quas expensas teneatur dare et soluere illa persona ad cuius peticionem fieret dictum extimum super illis qui tenebuntur restituere dictum extimum. preterea nullus possit de cetero in extimatorem eligi qui sit filius familias uel in alterius potestate et nisi soluat fodrum de extimo librarum x ad minus. quod si contra factum fuerit omnia et singula estima facta et quidquid secutum fuerit ex eo uel ob id nullius sit efficacie uel ualoris. et non fiat restitucio per comune alicui qui non habitet in ciuitate Yporegie uel districtu cum familia sua nec alicui qui non sit iurisdictionis comunis Yporegie et qui non substineat integra onera pro dicto comuni.

De campariis uinearum eligendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur omni anno semper ante kalendas augusti per procuratores comunis duodecim homines ex illis qui plus habent facere in campariis uinearum qui duodecim homines habeant forciam et bayliam eligendi dictos camparios uinearum necessarios et quod per octo dies ante dictam electionem faciat potestas siue uicarius cridari per ciuitatem quod quicumque uoluerit esse camparius uinearum ueniat ad faciendum se scribi. predicti camparii sic electi a kalendis augusti in antea teneantur et debeant custodire saluare et gubernare quilibet in sua camparia omnes uineas erbas et fructus ipsarum caracias nuces et nemora plantata et seminata et omnia et singula bona et res que sunt et erunt in eorum campariis et in circuitu et infra fines earum et ita quod de hiis furtum non facient nec facientibus consencient et quod non ducent personam aliquam de eorum familia uel aliorum ad ipsas uineas uel plantata sine consensu domini nec de illis ullo modo dabunt nisi forte mulieribus pregnantibus quibus si ab eis fuerint requisiti possint dare unam uuam uel duas uel unam pugnatam fructuum et teneantur *a* ipsas uineas custodire donec omnes uinee de eorum camparia fuerint uindemiate. Teneantur etiam accusare omnes dampna dantes in dictis uineis fructibus earum et rebus aliis et clausuris notariis dampnorum datorum infra duos dies post dampnum datum. liceat tamen cuilibet persone custodem suum ponere ad suas uineas et possessiones custodiendas qui possint accusare dampna dantes et eius accuse ualeant sicut accuse aliorum campariorum ipsis tamen iurantibus in presencia potestatis uel iudicis dictum officium bona fide facere. omnes autem camparii uinearum iurent eorum officium fideliter exercere et habeat quilibet camparius pro suo salario camparie papienses tres pro qualibet sapatura uinee et non plus nec possit uuas *b* nec aliud capere petere uel habere nec possint portare nec portari facere per se uel alios uuas fructus uel quid aliud de eorum camparia ad domum eorum uel alibi sibi uel aliis et qui contrafecerit soluat bampnum duplicatum. et si dampnum in eorum camparia factum fuerit et ipsi camparii nesciuerint dicere quis dederit dictum dampnum compellantur ipsi camparii dampnum illud restituere dampno passo iuxta arbitrium duorum bonorum hominum non suspectorum. Teneatur etiam potestas siue uicarius et iudex ad peticionem duorum hominum ad minus qui habeant facere in contrata lanpicis et de planis per octo dies ante kalendas augusti eligi facere per illos qui habent facere in illis contratis duos qui promittant iurent *c* et teneantur in omnibus sicut alii camparii secundum formam huius statuti et cogantur omnes qui habent ibi facere sine dilatione et strepitu iudicii satisfacere ipsis campariis pro eorum camparia solidos imperiales ii pro qualibet sapatura et ultra hoc eorum partem bannorum de eorum accusis pro quo teneantur ipsi camparii custodire per totum annum ipsas uineas et fructus earum et caracias et nemora de dictis contratis.

De campariis quod compellantur stare ad eorum custodiam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod per iudicem dampnorum datorum camparii Yporegie *d* compellantur custodire et stare continue a summo mane usque ad noctem obscuram de die et etiam de nocte tociens quociens ipsi iudici uidebitur et sapientibus qui ad consulendum sibi dabuntur ita quod ipsi camparii non possint nec debeant se absentare uel separare de dicta custodia camparie sine licencia potestatis uel iudicis nisi unus eorum ueniret causa faciendi eorum accusas et tunc alius camparius semper remaneat ad dictam custodiam et qui dictorum campariorum contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos quinque et totidem soluat pro qualibet uice qua iudex iuerit extra et non inuenerit ipsos camparios uel saltem unum ex ipsis in eorum campariis si iudici uidebitur. Faciat nichilominus potestas siue uicarius uel iudex predictus

coram se uenire omnes camparios supradictos fa- a
ciens et compellens ipsos iurare quod accusabunt
ad inuicem si non steterint continue in eorum
campariis et non custodierint ut superius continetur.
et si aliquis ipsorum campariorum accusatus et re-
pertus fuerit ultra tres uices fecisse contra formam
huius statuti non stando uel se absentando ut su-
pra ultra predicta remoueatur de dicta camparia
et ab ea incontinenti sit ipso facto priuatus et loco
ipsius alius eligatur et non teneatur quis nec pos-
sit compelli ad dandum sibi aliquam campariam
uel solutionem etiam pro eo tempore quo stetit
camparius. ille uero camparius qui alium uel alios
contrafacientes secundum formam predictam non
accusauerit soluat pro banno pro qualibet uice so-
lidos quinque et nichilominus ab officio sue cam- b
parie remoueatur arbitrio potestatis siue uicarii et
procuratorum et super omnibus predictis et sin-
gulis ponantur accusatores et quilibet possit accu-
sare et habeat medietatem banni.

De personis et bestiis dampna dantibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua
persona duxerit uel duci fecerit seu ire permiserit
aliquas bestias suas uel alienas quas haberet in sua
custodia in aliena prata blada uineas hortos clau-
suras siue in aliena dampna soluat pro banno pro
qualibet uice pro boue equo iumento asino et
mulo imperiales decemocto et pro quolibet porcho
uacha capra et similibus imperiales duodecim et c
pro qualibet quindena ouium imperiales tres si pre-
dicta de die fuerint et si de nocte soluat duplum
et dampnum semper emendet et tantum plus
quantum probaretur dampnum et pro qualibet
occa faciente dampnum imperiales VI et tantum-
dem pro dampno et si quis portauerit seu ce-
perit de uinea seu clausura aliena aliqua ligna si
de die soluat pro banno solidos decem si de nocte
solidos uiginti et restituat dampnum ut supra et
si dampnum hoc dans non esset soluendo ponatur
ad lapidem arengatorium cum cathena ad collum
ubi teneatur per totam diem uel fustigetur per
terram arbitrio iudicis et credatur campariis et illi
uel illis dampnum passis et eorum nunciis si iu-
rauerint alium inuenisse uidisse in suo dampno uel d
domini sui. et licet non uiderit fieri nec inuenerit
dampnum dantem et probare poterit per unum te-
stem aliquem fecisse dampnum quod condempnetur
sic accusatus ac si accusans eum uidisset et inuenisset
in dampno nisi accusatus iustam fecerit deffensio-
nem. de quibus dampnis teneatur rector facere fieri
restitutionem dampnum passo et si ille qui duxerit
uel duci permiserit in aliena dampna bestias non
fuerit soluendo sit predictum dampnum emenda et
bampnum super bestiis que fuerint in dampno in-
uente. et si aliqua persona uiolenter uel furtiue
portauerit bladum de campis alienis de die soluat
pro banno solidos uiginti et si de nocte solidos
quadraginta et si furtum faceret in aliqua area de

die soluat pro banno libras sex et si de nocte li-
bras decem et tantumdem semper soluat pro emenda
et tantum plus quantum probaretur dampnum esse
et si huiusmodi offensor non esset soluendo puniatur
personaliter ad uoluntatem potestatis siue uicarii.
et si ceperit de alienis rapis de die sine licencia
domini soluat pro bampno solidos quatuor et si de
nocte solidos decem et fiat emenda ut supra. et si
quis non in odium pacientis destruxerit alienam
arborem portantem fructus soluat pro qualibet ar-
bore solidos uiginti et emendet dampnum ut supra
et si ceperit de nemore comunis uel insule soluat
pro quolibet carro solidos decem et pro qualibet
axinata solidos quinque et pro quolibet faxo solidos
duos et idem intelligatur de nemoribus ciuitatis
Yporegie et de nemore comunis postquam fuerit
diuissum et tantumdem soluatur pro restitutione
dampni et tantum plus quantum probaretur dam-
pnum. et que nemora comunis debeant custodiri
et saluari ad uoluntatem credencie ita etiam quod
potestas siue uicarius non possit habere nec sibi
possit dari de ipsis nemoribus nec permittat alicui
persone uel procuratoribus seu aliis officialibus co-
munis dari de hiis aliquid nec possit aliquid de hiis
habere nisi partem eis ex diuisione ipsius nemoris
contingentem. Nec possit etiam ulla persona aliqua
de causa capere uel habere erbam uel fenum de
comugnis sine uoluntate credencie et si quis in-
trauerit clausuram fratrum minorum causa offen-
dendi siue modo furtiuo si de die soluat pro banno
solidos uiginti et si de nocte solidos quadraginta.
et si qua persona fregerit alienam clausuram de
die soluat pro banno solidos decem et si de nocte
solidos uiginti et emendet dampnum ut supra et
si quis portauerit seu portans inuentus fuerit uuas
de aliena uinea hominum Yporegie et districtus in
die soluat pro banno solidos decem et si de nocte
solidos uiginti et emendet dampnum ut supra et
qui inciderit alienas arbores non portantes fructus
non in odium pacientis soluat pro qualibet arbore
solidos quatuor et pro quolibet plantono duorum
annorum uel infra solidos quatuor et pro qualibet
salice solidos decem et dampnum emendet ut su-
pra. Item si aliqua persona duxerit uel duci fece-
rit seu ire permiserit aliquas bestias suas uel alie-
nas quas haberet in sua custodia ad pascendum
extra ciuitatem in aliquo loco antequam porte ci-
uitatis fuerint aperte soluat bannum duplicatum de
bestiis dampna dantibus ut supra et quilibet possit
accusare et credatur sacramento accusatoris et ha-
beat medietatem banni. et si quis intrauerit in alie-
nis uineis uel clausuris aut in ecclesia sancti Am-
broxii de XXI seu in aliquibus aliis ecclesiis de foris
ciuitatis ad iacendum standum seu aliquid aliud
faciendum sine domini uoluntate si de die fecerit
soluat pro banno solidos decem et si de nocte so-
lidos uiginti et si quis ullo tempore duxerit seu
ire permiserit bestias aliquas per uineas alienas ci-
uitatis uel districtus Yporegie soluat pro ipsis be-
stiis banna que in capitulo continentur ac si dam-

pnum fecisset et quilibet possit accusare et habeat a
medietatem banni. et si contigerit aliquam personam in predicta uel aliquod predictorum bannorum incidere que esset minor et non soluendo et que haberet patrem uel matrem teneatur ipse pater eius uel mater predicta banna soluere et emendas ac si ipsum dampnum fecisset. Predicta uero omnia locum habeant contra quemlibet qui predicta dampna fecisset uel in alienis possessionibus intrasset sine uoluntate domini. camparii autem quando aliquem accusabunt debeant ipsum nominare et nomen eius notario dicere et illud scribi facere et aliter non ualeant eorum accuse. in predictis autem omnibus et singulis casibus credatur de dampnis predictis sacramento dampnificati uel sui nuncii nisi fecerit iustam et euidentem deffensionem per bonos testes. b
et si aliqua persona accusauerit uel denunciauerit aliquam personam uel bestiam dampnum dantem in sua possessione et poterit probare per unum testem de dicto dampno quod condempnetur sic accusatus contra quem fuerit probatum per unum testem ac si probatum esset per plures. preterea aliquis de familia potestatis siue uicarii qui pro temporibus fuerit non possit nec debeat intrare alienas uineas seu clausa nisi irent et intrarent cum domino illius uinee uel clausi et de sui licencia et qui contra fecerit soluat penas et banna et emendas supradictas et teneatur uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit proprio et precisso et speciali sacramento predictas penas et banna et emendas dampnificatis restituere seu restitui facere proprio uin- c
culo sui iuramenti suorumque iudicum si sibi fuerit notum. Insuper si aliquis de familia uicarii ingrediatur aliquam alienam possessionem causa dampnum dandi uel offendendi contra uoluntatem domini ipsius possessionis uel camparii teneatur uicarius infra tres dies postquam sibi denunciatum fuerit passo dampnum uel iniuriam restitutionem facere et credatur cuilibet denuncianti cum sacramento de ipsa iniuria siue dampno. quam siquidem restitucionem et emendam si eam uicarius non fecerit cum effectu liceat dampnificato predicto tempore sindicature ipsius uicarii et etiam recessus eius capere et detinere sua propria auctoritate sine alicuius pene incursu de bonis dicti uicarii usque ad satisfactionem predictorum nisi uicarius concor- d
dauerit cum eodem. Vicarius autem in principio sui regiminis speciali et proprio iuramento teneatur omnes et singulos de sua familia facere iurare corporaliter quod non capient extorquebunt uel extorqueri facient ab aliqua persona quidquam in ciuitate uel districtu Yporegie illicite uel iniuste. debeat insuper potestas uel iudex emendas ita cito facere excuti sicut banna in pecunia numerata et ita quod unum sine alio excuti seu exigi numquam possit et clauarium compellere ad dandum ipsas emendas quam cito excusse fuerint dampna passis. Nec possit aliqua persona emendam aliquam alicui remittere et si remiserit tam cito ipsa emenda remissa perueniat in comune quam clauarius teneatur statim scribi facere in suo recepto et si reperiretur quod aliqua persona postquam emendam aliquam recepisset eam redderet compellatur tamen duplicatam dare pro banno et de hiis qui emendas huiusmodi reddiderint teneatur potestas siue uicarius uel iudex inquisitionem sepe facere et eos ut supra continetur punire. et si quis ceperit uel portauerit seu duxerit uel duci fecerit cum naui de nemore comunis uel alicuius alterius persone specialis sine licencia domini cuius esset soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice si in die solidos uiginti et si in nocte solidos quadraginta et nichilominus dicta ligna perueniant in comune si fuerint de comunibus et si fuerint alterius persone specialis perueniant in ipsam personam. et intelligantur dicta ligna sic portata uel inuenta esse comunia uel alterius specialis persone nisi portator uel ductor probet incontinenti infra duos dies predicta ligna esse sua et de suo nemore uel ea portasse de uoluntate ueri domini et quilibet possit accusare et medietas banni sit accusantis et quilibet intelligatur duxisse cum naui qui portauerit ea de riperia Durie saluo quod predicta non uindicent sibi locum tempore quo inciduntur ligna seu nemora comunis.

Qualiter dampna data infra uicinancias sint restituenda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona furabitur in uineis hortis uel aliis clausuris infra circuitus uicinanciarum de bando de ultra pontem et de Pasquerio et illi de ipsa uicinancia nesciuerint dicere quis illud fecerit teneantur illud emendare dampnum passo sine dilatione et oblatione libelli et strepitu iudicii et iuris solemnitate arbitrio duorum bonorum hominum non suspectorum super hoc per iudicem positorum et illi qui habitant inter duas portas Fontane et Pasquerii intelligantur esse et sint de Pasquerio in predictis. Que quidem dampna teneatur iudex incontinenti uideri et estimari facere ad peticionem cuiuslibet requirentis cuius sacramento credatur quod dampnum sibi datum est in predictis eo tamen saluo quod istud capitulum in magnis furtis non habeat locum.

De bonis et rebus de foris custodiendis.

Item statuerunt et ordinauerunt ut bona et res de foris bene custodiantur et saluentur quod per procuratores comunis infra xv dies regiminis potestatis siue uicarii eligantur tres boni forestani qui curam habeant et bayliam custodiendi et saluandi bona et res de foris qui forestani cum milite potestatis siue uicarii semel in qualibet ebdomada ad aliquam portam ciuitatis Yporegie ire teneantur et ibi stare hora qua laboratores uenerint ad laborem et tociens quociens uidebitur eis inquirere si aliquis ligna uel uuas caracias uel sarmenta uel alia prohibita secum ferrent et si aliquis de nemoribus comunis uel ciuium et districtualium Yporegie ali-

quid portabit contra formam statutorum comunis Yporegie et si inuenerint aliquem contrafacere teneantur et debeant predicta auferre et ipsos punire secundum formam statuti comunis Yporegie. teneantur etiam dicti miles et forestani tociens quociens eis uidebitur expedire ire per domos et in ciuitate et in suburbiis secundum quod uidebitur eis et in ipsis domibus inquirere si qua ligna de nemoribus comunis in eis inuenerint et si inuenerint possint et teneantur ea auferre et illos in quorum domibus inuenerint punire ut supra dictum est et credatur dictis forestanis et iurent dicti dictum eorum officium fideliter exercere et ligna sic ablata perueniant in potestatem siue uicarium aliquo statuto non obstante qui forestani remunerentur arbitrio procuratorum comunis.

De dampnis datis cuilibet extra campariam Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquod dampnum uel offensa factum uel facta fuerit in uineis Piueroni Palacii Lampicis Bolengi Buroli Padoni Bagnoli et Parochie sancti Christophori in uuis palis uncinis clausuris nemoribus et pratis uel etiam in aliquibus possessionibus quas aliquis ciuis Yporegie in aliquo predictorum locorum habet et tenet ad suum dominium seu ad suam manum super quibus sunt camparii constituti et ipsi camparii nesciuerint dicere quis illud dampnum fecerit teneatur illud emendare et restituere incontinenti dampnum passo. qui omnes de dictis locis teneantur eligere bonos camparios qui de predictis dampnis restituendis bene assecurent ad minus usque ad solidos quadraginta.

De uno campario eligendo pro possessionibus hominum Yporegie que sunt in grignolis et qui habeat ibi facere custodiam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius Yporegie infra xv dies principii sui regiminis faciat uenire ad se omnes illos de Yporegia uel maiorem partem illorum qui habent facere in grignolis et compellat eos ut eligant antequam exeant de palacio unum bonum camparium qui custodiat prata et nemora et alia que ciues Yporegie habent in dictis grignolis et circa scilicet a Moreto grignolorum uersus Clusellam expensis illorum qui habent ibi facere ita tamen quod dampnum dantes in dictis pratis nemoribus et rebus ita condempnentur sicut illi qui offendunt in aliis pratis et nemoribus poderii et districtus ciuitatis Yporegie.

De campario Burolii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod singulis annis tempore quo eliguntur alii camparii eligatur unus camparius per illos de Yporegia qui habeat
a facere in Burolo et poderio qui teneatur custodire possessiones hominum Yporegie sitas in ipso loco et poderio Burolii sicut faciunt alii camparii Yporegie in eorum campariis et ita credatur et stetur eorum accusis de dampnis datis ibi sicut creditur aliis campariis et quod dampna dantes in ipsis possessionibus teneantur soluere eadem banna et emendas que tenentur soluere dampna dantes in campariis Yporegie et que potestas siue uicarius teneantur speciali iuramento excutere et excuti facere sicut tenentur de accusis aliorum campariorum.

De campario Quarti territorii Padoni eligendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod licitum sit
b illis de Yporegia qui habent facere seu habent terras et possessiones ad locum ubi dicitur ad Quartum territorii et poderii Padoni eligere seu ponere ibi singulis annis unum camparium qui eorum terras et possessiones debeat custodire sicut faciunt alii camparii Yporegie in eorum campariis et quod dampna dantes in ipsis possessionibus teneantur soluere eadem banna et emendas que tenentur soluere dampna dantes in campariis Yporegie et quod potestas siue uicarius Yporegie et iudex teneantur speciali iuramento excutere et excuti facere sicut tenentur de accusis aliorum campariorum. Hoc idem intelligatur de hiis qui habent terras et possessiones extra camparias et poderium ciuitatis Yporegie et quod aliquis aduocatus siue procurator non pos-
c sit nec debeat aduocare nec procurare contra predicta uel aliquod predictorum sub pena et banno solidorum sexaginta imperialium pro quolibet et qualibet uice et quod statutum sit trunchum et precisum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari in toto uel in parte.

Si quis aliquem inueniat in suo dampno.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis inuenerit uel eius nuncius aliquem in suo dampno liceat ei ab illo sic inuento auferre pignus et capere animal repertum in dampno. et si ille qui repertus sic fuerit uel alia quecumque persona que uetaret pignus soluat pro banno solidos quinque
d et credatur sacramento accusatoris uel nuncii sui de prohibitione pignoris et de dampno et de innentione in suo dampno. et si ille qui repertus fuerit in dampno uel qui uetaret pignus percuteretur non teneatur percuciens de banno nisi ipsa percussio esset nimis iniuriosa et grauis et ipsa nimia grauitas et iniuria si qua fuerit terminetur et temperetur et punienda et absoluenda remaneat uoluntate et arbitrio iudicantis.

De facientibus uiam per alienas possessiones.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona cum bestiis ullo tempore et maxime a kalendis marcii in antea usque ad sanctum Martinum

non debeat facere uiam per prata campos uineas seu possessiones alienas nisi qui ostenderet per eam posse ire de iure et qui contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos quinque et tantumdem pro emenda illis quorum fuerit illa possessio et tantum plus quantum probaretur dampnum. ita tamen quod dictum bannum una tantum uice soluatur licet quis iuerit uel fecerit uiam una uice per plures possessiones et dampna emendet cuilibet dampnificato. eo saluo quod si aliquis faceret uiam per aliquam terram cultam non seminatam non appropriando sibi aliquam possessionem per dictam uiam quod propter hoc non soluat nec incurrat aliquam penam. ille uero in cuius possessione aliquis habuerit uiam siue iter uel ius eundi possit illam uiam uel iter super eadem possessione facere et mutare a qua parte et ubi uoluerit dummodo ipsam uiam uel iter faciat ita latam planam et habilem sicut prius fuerat ad uoluntatem eius persone que dictum ius habet eundi per dictam uiam uel iter.

De uia danda et assignanda non habentibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona de iurisdictione comunis et potestatis siue uicarii Yporegie habuerit aliquam possessionem sitam in eadem iurisdictione ad quam non habeat ingressum potestas siue uicarius siue iudex maleficiorum teneatur ad peticionem eius sine aliqua solempnitate et strepitu iudicii et sine mora simul cum duobus bonis hominibus ab infrascriptis partibus eligendis ei designare seu designari facere uiam per proximiores possessiones uicinorum circumstantium facta prius per eum satisfactione et restitutione illis per quorum possessiones designabitur dicta uia in arbitrio dicti potestatis siue uicarii uel iudicis et aliorum duorum bonorum hominum quos duos potestas siue uicarius uel iudex teneatur facere eligi infra duos dies postquam fuerit requisitus scilicet unum per illum qui pecierit dictam uiam et alium per illos in quorum possessione petita fuerit assignari imponendo eis penas et banna ad suam uoluntatem pro predictis eligendis et donec sic facta fuerit predicta restitucio non possit quis uti uia predicta.

De dampnis datis in terris non clausis que debent stare clause.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua bestia intrauerit uel dampnum fecerit in aliquo horto uel terreno non clauso non soluatur inde bannum pro eo. Illa autem terrena que debent teneri clausa sunt hec scilicet deuersus Pasquerium ueniendo de porta Bosonis uersus lacum usque ad XXI et de inde ueniendo uersus portam Pasquerii ab utraque parte strate et reddeundo uersus dictam portam Bosonis et ab ipsa porta Bosonis uersus portam Pasquerii usque ad Montem Falconum et ab *a* ipso monte usque ad portam Calderariam ab utraque parte uiarum et inde usque ad summitatem uinee Romaneti. ex parte uero predicta a porta pontis ab utraque parte uie uersus grossam usque ad portam que consueuit esse desuper domum Georgii Michellarii et a dicta porta Michellarii ab utraque parte uie usque ad fontanam mortuam et a putheo de ultra pontem eundo uersus Braidam ab utraque parte uie usque ad angulos clausorum qui incanezant in zerbo Brayde. deuersus autem Bandi a porta de bando recta strata ab utraque parte uie usque ad locum ubi dicitur ad leamos et ab eadem porta eundo uersus Duriam usque ad cantonum sancti Stephani et a dicta porta ab utraque parte uie eundo deuersus sanctum Lazarium usque ad leamos et ab *b* ipso loco usque ad Uimelocham eundo circumquaque usque ad portam lacus et a porta Bosonis recta uia usque ad uineam quam tenet Guillelmus de Morello in zaino ab utraque parte uie si non fuerint clausa bestie eis dampna dantes nullum bannum soluant nec etiam eorum domini uel custodes. insuper si aliqua persona habuerit infra aliquem de dictis confinibus aliquod terrenum quod non fuerit clausum et ideo possit euenire dampnum in alieno terreno clauso teneatur potestas siue uicarius ad peticionem uicini conquerentis illum compellere ad dictum suum terrenum claudendum et si inde interim aliquod dampnum fieret uel ueniret uicino compellatur illo cuius terrenum non clausum fuerit datum dampnum illud inconti- *c* nenti restituere dampnum passo. si quis preterea destruxerit seu guastauerit aliquam clausuram quam haberet comunem uel non comunem aliquo modo debeat potestas siue uicarius illum compellere sub penis et bannis sibi suo arbitrio imponendis incontinenti sine dilatione reficere dictam clausuram et omne dampnum quod inde eueniret uicino pro dicta clausura guastata.

Quid iudex debeat obseruare circa dampna de foris euitanda et circa eos qui inuenti fuerint aliquid de foris apportantes.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si iudex dampnorum datorum inuenerit aliquam personam *d* portantem seu ducentem de foris supra dorsum seu bestias uel in manibus uuas blada fenum ligna erbam rapas uel fructus aliquos uel aliqua uictualia de campariis Yporegie debeat ipse iudex illa auferre uel auferri facere et clauario consignari et restitui uel reddi illi cuius fuerint si reperiatur si predicta persona que predicta portando uel ducendo sic inuenta fuerit ipsi iudici et suo notario uideatur suspecta que tamen persona suo sacramento se possit purgare nisi contra ipsam contrarium probaretur. debeat insuper iudex predictos compellere camparios ad predicta auferrenda et consignanda clauario et ipsi iudici et suo notario accusare illos quos portantes seu ducentes inuenerint aliquid de predictis. predictus uero iudex in his et aliis omnibus que

necessaria fuerint facienda super dampnis de foris euitandis teneatur et debeat facere secundum quod sibi consultum fuerit per tres sapientes qui sibi dari debeant per procuratores comunis quos sapientes ipse iudex a predictis sibi dari requirat. Vicarius insuper et iudex qui pro temporibus fuerit speciali sacramento teneantur et debeant inquirere ad denunciationem cuiuscumque dampnum pacientis contra illos dampnum pacientes nominatos et mittere ad domos ipsorum pro eis et eos iurari facere ueritatem super hiis dicenda et idoneam cautionem recipere ab ipsis de restituendis dampnum passis soluendo id in quo uigore dicte inquisitionis condempnaretur si reperiretur culpabilis tamquam furtum de ipsis rebus fecisset.

De non posse ducere brauaricium bestiarum super comugna Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona comune seu uniuersitas que non sit de iurisdictione Yporegie non possit ducere nec duci facere aliquod brauaricium bestiarum saluis bobus et uachis iuncturis super poderio et pascuo Yporegie ad pascendum et quod iudex teneatur banna et emendas ab eis excutere prout tenetur excutere ab aliis de suo iudicio. et hoc intelligatur de illis Clauarani Burolii Albiani et Montaldi et Padoni non de aliis saluo iure illorum quorum est erbaticum quibus per hoc capitulum nullum fiat preiudicium in suo iure dicti erbatici si quod habent. homines autem comune uel uniuersitas burgi uallis Montaldi non possint facere ordinamenta aliqua nec inhibere debeant alicui persone quin ibi hospitentur bestias suas et custodes earum et qui cum eis uenerint illuc et in pascuis dicti burgi ad pascendum dummodo ille bestie sint sane et idem fiat de omnibus bestiis ciuitatis Yporegie et districtus.

De non portando de foris Caracias neque uuas.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat portare aliquas caracias de uineis suis et alienis nisi a kalendis marcii usque ad exitum aprilis sub banno solidorum duorum pro qualibet uice et si ceperit de alienis restituat tantumdem pro dampno et tantum plus quantum probaretur. nullus autem laborator possit nec debeat portare caracias seu aliqua alia ligna uel uuas de alienis nec de illis illorum cum quibus laborarent nec aliquid aliud capere uel habere nisi precium ei constitutum sub eodem banno. et idem etiam bannum soluat dominus quociens predicta uel aliquod predictorum portari permitteret de ignorancia uero possit ipse dominus se suo sacramento purgare et quilibet in predictis possit accusare et habeat medietatem banni. et hoc potestas siue uicarius faciat cridari per ciuitatem Yporegie de mense ianuarii februarii et marcii.

a *De nemoribus comunis custodiendis.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat boscarare nec boscarari facere ligna sicca uel uirida parua uel magna in nemoribus comunis nec eciam alicuius singularis persone sub banno solidorum quinque pro quolibet offendente et solidorum decem pro quolibet carro et qualibet uice et duplum dictorum bannorum pro emenda et tantum plus quantum esset dictum dampnum et amittat ligna et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur sacramento cuiuslibet accusatoris et etiam habeat accusator siue accusans ligna amissa et quod camparii et quelibet alia persona possint et debeant ipsos sic offendentes de-
b rubare et pignora eis auferre. Super hiis etiam eligantur infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii tres forestani unus per Rucham qui habeant curam et preuisionem super custodia ipsorum nemorum et faciat potestas siue uicarius fieri obseruari quidquid per eos dictum fuerit et consultum et qui forestani habeant plenam bayliam et auotoritatem super ipsa custodia facienda sicut eis uidebitur pro maiori utilitate comunis et quod officium ipsi tres debeant incipere statim a die qua iurauerint ipsum officium et in eo continuare ita quod usque ad unum mensem proximum post eorum iuramentum ipsum officium sit completum sub banno solidorum uiginti pro quolibet ipsorum et debeant iurare dictum eorum officium fideliter
c exercere.

De non colligendo goras.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quicumque goreauerit seu goras aliquas collegerit in alienis salicibus alicuius specialis persone iurisdictionis comunis Yporegie soluat pro banno pro qualibet uice solidos decem et qui collegerit uel colligi fecerit goras ad faciendum uineas a sancto Michaele usque ad festum sancti Martini soluat pro banno ultra predicta pro qualibet uice solidos duos et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De asportantibus erbam de alienis possessionibus.

d Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat capere nec apportare uel apportari facere ad uendendum nec aliqua alia de causa capere uel habere erbam de alienis uineis pratis aut possessionibus ciuium Yporegie nisi de uoluntate domini sub banno solidorum quinque pro qualibet uice et tantumdem pro emenda et tantum plus quantum esset dampnum et liceat cuilibet cuius est auferre eam impune. Teneantur eciam camparii dictam erbam auferre et eam coram potestate siue uicario uel iudice presentare nisi sciatur cuius fuerit et possit fieri restitucio dampnum passo sub banno solidorum duorum pro quolibet campario qui hoc non obseruauerit. et si dampni dator sol-

uendo non fuerit fustigetur per Yporegiam et faciat potestas siue uicarius tempore erbarum cridari predicta per ciuitatem Yporegie de quindecim in quindecim diebus et possit quilibet dampnum passus accusare et credatur eius sacramento. quilibet etiam possit accusare et habeat medietatem banni.

Quorum accuse de dampnis datis non recipiantur.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius uel iudices non possint nec debeant recipere nec recipi facere aliquas accusas uel denuncias ab aliqua persona uel personis qui non sint iurisdictionis potestatis siue uicarii et comunis Yporegie seu aliquo campario nuncio uel seruiente ipsarum personarum et si alique accuse uel denuncie ab istis personis facte fuerint ipso iure non ualeant et quidquid ex eis uel ob eas factum fuerit nec possint aliqua banna seu emende ab accusatis modo aliquo extorqueri.

De Monte Boni Amici custodiendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod Mons Boni Amici custodiatur a kalendis maii usque ad exitum augusti et quod cridetur per octo dies ante kalendas maii quod nullus ducat illuc bestias ad pascendum sub bannis ordinatis saluis bobus iuncturis qui possint ibi pascari.

De non faciendo fenum in comugnis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat secare uel metere seu secari uel meti facere erbam in aliquibus pratis zerbiis mareschis seu aliis comugnis comunis Yporegie pro feno faciendo usque ad kalendas augusti sub banno solidorum uiginti pro quolibet et qualibet uice.

De dampnis datis in possessionibus hominum de Burolio.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si detur dampnum in possessionibus hominum de Yporegia sitis in Burolio uel poderio et camparii Burolii ignorauerint quis illud fecerit restituant illud dampnum passo cui credatur de quantitate ipsius dampni per sacramentum suum usque ad solidos uiginti et a solidis uiginti in antea estimetur ipsum dampnum per estimatores dampnorum datorum et si camparii non fuerint soluendo domini et comunitas Burolii restituant plenarie dictum dampnum et etiam predicti domini et comunitas Burolii restituant plenarie dictum dampnum passo de Yporegia etiamsi camparii dicti loci de Burolio accusauerint aliquam personam que non sit soluendo et que restitutio fiat infra octo dies post requisitionem de hoc factam per dampnum passum cuius eciam sacramento credatur de ipsa requisitione facta et intelligatur dicta requisitio esse facta si denunciatum fuerit do-
a minis de Burolio uel alicui ipsorum uel saltem ad domum eorum uel campariis uel alicui consulum dicti loci. Teneatur eciam potestas siue uicarius capere et capi facere homines de Burolio in personis et rebus ad peticionem cuiuslibet dampnum passi usque ad integram satisfactionem ipsius dampni. quod si potestas siue uicarius incontinenti non seruauerit perdat de suo salario libras decem et restituat nichilominus dictum dampnum. quas libras decem et dictum dampnum clauarius statim teneatur ponere in dato salarii potestatis siue uicarii et dictum dampnum soluere dampnificato quod si incontinenti non fecerit soluat pro banno solidos sexaginta et restituat eciam de suo dictum dampnum. nichilominus etiam liceat ipsi dampnificato propria
b auctoritate et impune capere et detinere de rebus dictorum hominum de Burolio usque ad integram suam restitucionem dicti dampni non obstante capitulo de agrauaminibus. et si aliqua persona aliquid in contrarium huiusmodi statuti allegauerit contra dampnificatum uel in fauorem dampnificantis habeatur infamis et periurus et a credencia et consilio et a protectione comunis perpetuo excludatur. Preterea si aliqua persona de loco Burolii et districtus fecerit uiam uel transitum per uineas Brueti hominum Yporegie soluat pro banno pro qualibet uice solidos decem et tantumdem pro emenda et si fuerit persona uilis dominus cum quo stat soluat illud bannum et credatur sacramento cuiuslibet accusantis et habeat accusator medietatem banni
c si fuerit commissum in districtu Yporegie si uero in districtu Burolii domini de Burolio habeant dictum bannum medietatem uero restitutionis dicti dampni habeat accusator et hoc capitulum sit precissum et trunchum.

Quod omnes habitantes in suburbiis compellantur iurare dampna non facere et facientes accusare.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quelibet persona masculus et femina a decem annis supra habitans extra muros ciuitatis Yporegie in suburbiis infra mensem principii regiminis potestatis compellatur iurare ad sancta Dei euangelia quod
d non dabit nec faciet dampna in bonis de foris ciuitatis Yporegie et quod accusabit omnes quos uiderit et sciuerit dantes et facientes dampna predicta et quod credatur sacramento cuiuslibet ipsorum accusantis et habeat medietatem banni nisi accusatus fecerit deffensionem saltem per unum testem.

De inquisitione facienda de hominibus male fame qui habitant extra portas.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas uel iudex teneatur suo officio facere inquisitionem per bonos homines uicinorum qui sunt de foris portas ciuitatis et etiam per alios si eis uidebitur si in aliqua dictarum uiciniarum fuerint

alique persone suspecte et male fame et offensores a
in bonis et rebus que sunt de foris ciuitatis et clausis uineis et aliis et si aliqua huiusmodi persona suspecta et male fame in aliqua dictarum uicinarum reperta fuerit compellatur uenire ad habitandum intra ciuitatem nisi dederit ydoneam cautionem de non offendendo et de restituendo omnia dampna et offendendo et de restituendo omnia dampna et offensiones que fierent et darentur in ipsis uicinis et terris uineis fructibus et clausuris existentibus deuersus illam uicinanciam in qua habitauerit et quod de predictis fieri faciendis et obseruandis potestas siue uicarius et iudex possint omnibus et singulis personis precepta facere penas et banna imponere ad eorum uoluntatem capitulo aliquo non obstante et in predictis omnibus et occasione pre- b
dictorum teneatur potestas siue uicarius et iudex sic facere et curare quod dampna et offensiones de foris non fiant sed cessent omnino.

De dampnis restituendis per uicinos de foris.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquod dampnum datum fuerit de nocte in pratis uineis et campis et nemoribus sitis in campariis Yporegie et uicini de foris portas nesciuerint dicere quis illud dederit illa uicinia habitantes extra portas ex parte illius camparie in qua illud dampnum datum fuerit teneatur illud restituere arbitrio et estimatione estimatorum dampnorum datorum in odium pacientis summarie et sine strepitu et figura iudicii. c

De defensionibus denunciandis super dampnis datis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod iudex dampnorum datorum debeat facere denuntiari cuilibet qui accusatus fuerit seu qui inuenerit uel sciuerit fecisse uel dedisse dampnum in aliquo loco infra terciam diem accusationis uel inuencionis uel quam cicius poterit sicut uidebitur ipsi iudici et notario quod suam faciat defensionem infra terciam diem dicte denunciationis et ipsam denunciationem defensionis ei mandare in scriptis expensis accusati. et si quidem iustam non fecerit defensionem infra dictum terminum uel nullam debeat iudex ipsum condempnare et facere eum legi ad pillam in banno d
emenda et expensis et ea excutere quam cicius et melius ipsi iudici uidebitur expedire. illis uero de foris possit iudex seu eius notarius defensionem eorum mandare et eis ordinari facere per camparios eorum qui ipsos accusauerint propter eorum expensas seruitorum euitandas prout ipsi iudici uidebitur faciendum.

Quod terra de fossatis que fiunt iuxta stratam proiiciatur uersus stratam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quicumque fecerit fieri fossatum ad aliquam suam possessionem iuxta stratam publicam quod de terra que extrahetur de ipso fossato medietas saltem prohiciatur uersus stratam et qui contrafecerit soluat pro banno solidos tres et super hiis camparii sint accusatores et etiam quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De foresteriis qui pascunt prata seu comugnia Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt ad terrendum homines Romani Strambini et Padoni qui cotidie dampna dant in comugnis pratis et nemoribus comunis et hominum ciuitatis Yporegie in locis de ultra pontem quod si aliqua persona que non fuerit de iurisdictione ciuitatis Yporegie duxerit aliquam bestiam grossam ad pascandum prata terras seu quascumque alias possessiones siue sint comugne ciuitatis Yporegie siue singularium personarum ciuitatis Yporegie soluat pro qualibet bestia grossa et pro qualibet uice solidos quinque imperiales pro banno et solidos quinque imperiales pro emenda et tantum plus quantum per sacramentum dampnificati appareret fore datum que emenda si dampnum datum fuerit in aliqua comugna ciuitatis Yporegie non asortata dari et restitui debeat comuni Yporegie et si asortata illi detur cuius erit dicta sors et si dictum dampnum datum fuerit in terra seu possessione alicuius persone singularis ciuitatis Yporegie detur et restituatur dicta emenda dicte persone singulari pacienti dictum dampnum. medietas uero banni perueniat in accusantem et alia medietas in dominos comitem et principem et quilibet possit accusare et credatur eius sacramento absque aliqua alia probatione facienda. et quilibet qui sit de ciuitate Yporegie et districtu sua propria auctoritate etiam sine requisitione alicuius uicarii seu potestatis uel iudicis et sine incursu alicuius pene seu banni possit et sibi liceat predictos ducentes bestias et etiam ipsas bestias capere et ducere ad dominum uicarium et quelibet persona requisita per ipsum capientem seu ducentem ad dominum uicarium teneatur ipsum facere fortem ad predicta atque ipsum totis uiribus adiuuare sub banno solidorum decem imperialium pro qualibet persona contrafaciente.

De dampnis datis per foresterios in nemoribus Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona que non sit de iurisdictione ciuitatis Yporegie dampnum dederit in nemoribus hominum ciuitatis Yporegie ubicumque sint dicta nemora incidendo dicta nemora uel aliter ea uastando soluat pro qualibet uice solidos uiginti imperiales pro banno et solidos uiginti imperiales pro emenda et tantum plus pro emenda quantum repireretur dampnum per sacramentum dampnificati. Que emenda detur et restituatur dampnificato si dampnum datum fuerit in nemore alicuius persone singularis ciuitatis Ypore-

gie si uero datum fuerit in aliquo nemore quod a
sit de comugna comunis Yporegie non asortata detur dicta emenda comuni Yporegie si uero asortata illi cuius erit dicta sors. banni uero medietas detur accusanti et alia medietas peruenire debeat in dominos comitem et principem et quilibet ut supra accusare possit et credatur eius sacramento sine probatione testium aliqua facienda et quilibet qui sit de ciuitate Yporegie uel districtu possit auctoritate sua sine requisitione uicarii uel iudicis et sine incursu alicuius pene uel banni dampna dantes in dictis nemoribus capere et ipsos tam homines quam bestias ducere ad dominum uicarium siue potestatem et quelibet persona per ipsum requisita teneatur ipsum fortem facere sub banno predicto. Item quod supradicta duo statuta nullum ge- b
nerent preiudicium illorum dominorum quorum est erbaticum in eorum iure.

De pascantibus comugnas comunis publice.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uacharii bouerii et porcherii comunis et hominum ciuitatis Yporegie teneantur de cetero ducere eorum bestias quas habuerint in eorum custodia in pratis nemoribus et gerbiis que sunt pascua dicti comunis et hominum Yporegie et hoc usque ad illud tempus quo predicta debent custodiri et quod aliqua persona comune collegium uel uniuersitas non possit inhibere predictis personis nec bestiis quin predicta faciant et operentur et qui contra fecerit uel c
predictos superius nominatos uel bestias quas habuerit in sua custodia inhibuerit uel expulserit de dictis pascuis soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos sexaginta imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et hoc ut iura dicti comunis et hominum Yporegie melius conseruentur et manuteneantur.

De non locando domos extra portas alicui qui non sit soluendo dampnum si ipse dampna dederit.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona extra portam de bando et in suburbiis dicte porte de bando ac eciam extra ciuitatem Yporegie in suburbiis hospitauerit uel domum aliquam d
concesserit ad censum uel aliter alicui persone que sit non soluendo et dicta persona non soluendo dederit uel fecerit aliquod dampnum in aliqua possessione alicuius ciuis Yporegie de quo dampno accusatus fuerit per camparios uel speciales personas uel alias personas ydoneas ad accusationem faciendam et reperiatur quod non habeat unde possit soluere bannum et emendam dampnum de quo fuerit accusatus quod ille qui tales personas hospitauerit uel eius domum seu habitationem concesserit teneatur ad solutionem dicti banni et emende et ad restitutionem dampni dati per tales personas et hoc intelligatur usque ad solidos decem imperiales et tantumdem pro emenda.

De compellendo clauarium ad faciendum rationem de emendis dampnorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius futurus teneatur et debeat speciali iuramento infra duos menses principii sui regiminis compellere clauarium illustrissimorum uirorum dominorum comitis et principis reddere et facere rationem in presencia trium electorum per procuratores comunis Yporegie qui teneantur dictam rationem audire sub banno solidorum sexaginta imperialium pro quolibet de omnibus emendis et parte bannorum que peruenire debeant in homines Yporegie et in camparios qui sunt et pro temporibus fuerint et que et quas habuit et recepit usque in diem hunc et de hiis que non recepit similiter ita tamen quod facta predicta ratione compellat et cogat dictum clauarium ad dandum et soluendum habere debentibus illas emendas et partem bannorum que et quas reperirentur in dicta ratione dictum clauarium dare et soluere debere et si uicarius predictum statutum non obseruauerit perdat de suo salario libras decem imperiales.

Quod uacharii et porcherii comunis teneantur ducere bestias ad pascendum comugnas.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et singuli uacharii et porcherii comunis Yporegie teneantur et debeant singulis annis a kalendis marcii usque ad festum sancti Iohannis Baptiste seu alium terminum statutum et ordinatum semel omni ebdomada ducere bestias ad pascendum in prata et comugnas comunis Yporegie uenditas seu uendita per comune Yporegie que non debent custodiri usque ad dictum festum sancti Iohannis seu alium terminum uidelicet uacharii et porcherii deuersus portam bandi ad comugnas deuersus bandum et illi deuersus pontem ad comugnas deuersus pontem et illi deuersus uallem Montisalti ad comugnas uallis Montisalti sub banno solidorum decem imperialium pro quolibet uacherio et porcherio contrafaciente et qualibet ebdomada qua contrafactum fuerit et duret hoc statutum ad uoluntatem credencie et non ultra.

De citando patres familias et dominos seu capita domorum et eorum pastores habitancium in Bolengo Palacio Piuerono et eos iurari facere quod non dabunt dampna nec dari permittent in possessionibus hominum Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius qui pro temporibus fuerit et eius iudex et milex teneantur et debeant facere coram se uenire quolibet anno infra quindecim dies principii sui regiminis omnes dominos seu patres familias seu capita domorum et omnes eorum pastores et custodes bestiarum habitantes uel qui habitabunt in Bolengo Palacio et Piuerono seu consules dictorum locorum

facientes eos iurare quod recipient predicta sacramenta quod ipsi ullo tempore non ducant nec duci facient nec permittent ire aliquas bestias ad pascendum uineas clausa seu plantata hominum Yporegie et eorum posse prohibebunt et quod omnes quos uiderint uel aliter sciuerint contrafacere accusabunt sub pena de solidis uiginti pro quolibet et qualibet uice qua contrafactum fuerit si de die et si de nocte soluat duplum et tantumdem pro emenda et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni et credatur sacramento cuiuslibet accusatoris qui dixerit se uidisse et si non uiderit sufficiat probatio unius testis qui dicat de uisu et eadem probatio ualeat in quolibet alio dampno dato in ipsis possessionibus.

De non exportandis caraciis de suis uineis uel alienis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat portare seu portari facere aliquas caracias de suis uineis et alienis seu plantatis sub pena et banno solidorum quinque imperialium pro quolibet portante seu portari faciente de suis uel domini sui et pro qualibet uice. et si portauerit uel portari fecerit de alienis soluat solidos uiginti imperiales de die et si de nocte soluat duplum et tantum plus pro emenda quantum pro banno tam de die quam de nocte et si fuerit minor quatordecim annorum quis delinquens soluat tantum medietatem predictorum bannorum. Nullus c preterea presumat caracias aliquas emere reducere seu receptare ab aliqua persona sub predictis penis et bannis et intelligatur quilibet reduxisse seu emisse in cuius domo reperirentur nisi probaret ea portasse de sua uinea uel plantato uel nisi manifeste iudici constaret et tunc soluat illud minus bannum nisi ea portasset tempore concesso infrascripto. In omnibus autem predictis casibus quilibet possit accusare et etiam super hiis ponantur boni accusatores priuati qui sint bone fame et habeant medietatem bannorum quilibet accusatores. et credatur cuilibet bone persone accusanti suo sacramento et teneantur ipsi accusatores priuati et incontinenti iurent eorum officium fideliter exercere. Teneantur insuper uicarius uel iudex facere uenire coram se omnes accusatos portasse de alienis caraciis uel eciam receptasse uel emisse ad satisdandum de iuri parendo et iudicato soluendo qui si non uenerint condempnentur in duplum si uero soluendo non fuerint uel satisdare non poterint licet uenerint ponantur ad catenam comunis et ibi tribus diebus et totidem noctibus continue morentur. Si quis autem condempnatus de alienis caraciis post ipsam condempnationem factam steterit per mensem quin ipsam soluat non possit in ciuitate Yporegie modo aliquo receptari et quicumque ipsum receptauerit postmodum a protectione comunis ipso iure sit priuatus nec sibi de aliquo debito iniuria seu dampno dato in rebus suis ius aliquod redda- a tur donec ipsam condempnationem soluerit uel solui fecerit predicto condempnato. liceat tamen cuilibet persone a kalendis februarii usque ad kalendas madii portare et portari facere de suis caraciis tantum uel etiam de illis quas a ueris dominis et possessoribus uinearum et plantatorum emisset presenti statuto non obstante.

De non intrando in alienos hortos uel clausuras.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat intrare in alienos hortos uel clausuras hortorum sub pena et banno solidorum uiginti imperialium de die et de nocte duplum et tantumdem pro emenda et quilibet possit accusare b et habeat accusator medietatem banni et credatur accusanti suo sacramento nisi accusatus iustam fecerit defensionem et ponantur accusatores ut supra et in omnibus contra ipsos intratores hortorum procedatur sicut supradictum est de caraciis eo saluo quod quilibet de suis erbis propriis possit capere et uendere ad suam uoluntatem et predicta cridentur sepe per ciuitatem Yporegie et in uillis.

Explicit liber quartus.

Incipit liber quintus.

De portis et guaytarolis ciuitatis aptandis et aliis operibus pro comuni faciendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas uel uicarius infra quindecim dies principii sui regiminis teneatur facere aptari omnes portas ciuitatis Yporegie que non fuerint aptate ita quod infra ipsum terminum possint claudi. debeat etiam infra duos menses principii dicti sui regiminis facere aptari et coperiri omnes guaytarolas ipsius ciuitatis que non fuerint aptate ita quod custodes super ipsis possint ascendere sub coperto. Item ubicumque d necessarium fuerit circa ciuitatem faciat ipse potestas ita aptari quod non immineat inde nec esse possit periculum ciuitatis et predicta fiant et compleantur arbitrio potestatis siue uicarii et procuratorum comunis. Muri quoque qui sunt iuxta turionos porte de lacu et ripe que sunt iuxta ipsam debeant ita aptari et teneantur ita aptata et obturata quod aqua lacus fluat per medium ipsorum turionorum in fossatum comunis ut consueuit et super hoc ponatur unus forestanus de burgo qui circa illud faciat quod fuerit faciendum. ponantur etiam alii forestani qui uadant inquirendo circumquaque muros ciuitatis et ubi necessarium fuerit potestas siue uicarius faciat aptari et meliorari prout ipsis uidebitur forestanis.

De ponte Durie et aliis aptandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius teneatur infra mensem principii sui regiminis inquirere et recerchare seu inquiri facere magnum pontem Durie et magnas trabes ipsius pontis. et illas trabes que ibi mutande fuerint et aptande facere mutari et aptari usque ad Pasca resurrectionis Domini et dictum pontem facere teneri bene aptatum et copertum et alios pontes qui sunt citra et ultra ipsum pontem et pontem de bando tenere bonos et bene aptatos et inaxatos facientes semper ita fieri quod necessarium fuerit. Que omnia predicta si non fuerint obseruata perdat potestas de suo salario libras decem et hoc capitulum sit precissum.

De portis et tornaffollis faciendis et tenendis ultra pontem et deuersus bandum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius faciat fieri et facta manuteneri deuersus pontem Durie ultra domum Gregorii Michaellani et ultra domum Pilonorum et in uia qua itur uersus Braydam et deuersus bandum si facte non sunt portas seu tornaffollos sicut consueuerunt ibi esse expensis uicinorum dictis contratis de foris dictas portas imponendis eisdem uicinis per duos forestanos electos in qualibet de dictis contratis pro predictis fieri faciendis infra quindecim dies principii regiminis potestatis siue uicarii et id quod inde fecerint potestas siue uicarius faciat obseruari in quibus portis et tornafollis ponantur claues. et clauature et super hiis eligantur clauatores qui eas clauent de nocte. Si qua uero persona postquam predicta facta fuerint aliquid de hiis ceperit soluat pro banno pro qualibet uice solidos uiginti et ultra hoc illud faciat refici et aptari suis expensis et teneatur potestas siue uicarius uel iudex facere inquisitionem per illas uicinias si quis de predictis portis seu tornaffollis qui ibi essent aliquid ceperit et si aliqua persona de predictis reperiatur culpabilis compellatur incontinenti ad faciendum suis expensis dictam portam uel tornaffollum de quo uel qua aliquid cepisset uel habuisset nemo preterea debet exire de nocte cum bestiis extra dictas portas uel tornaffollum postquam clause et clauate fuerint donec aperte fuerint sub banno solidorum decem pro qualibet uice et super hoc ponantur plures accusatores. Si uero in aliqua dictarum uiciniarum fuerit aliqua persona uel persone que nollent predicta obseruare et expensas eis impositas et banna soluere ut supra quod potestas uel uicarius non possit ad ea compellere de aliquibus dampnis uel offensionibus factis in eorum rebus bonis et possessionibus per aliquam personam nec soluatur bannum nec emenda nec etiam de aliquo eorum facto uel debito reddatur eis ius do-
a nec expensas soluerint et de bannis satisfecerint et uenerint stare mandatis potestatis siue uicarii et bene assecurauerint obseruare predicta.

De porticibus et uiis ciuitatis Yporegie aptandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius teneatur facere aptari porticus ciuitatis ubicumque fuerit necesse taliter quod ubique sint ita plane porticus et aptate expensis illorum quorum sunt domus uel in eis habitancium arbitrio superstancium quod homines et bestie per eas possint ire et reddire decenter. et similiter riane
b aptentur et coperientur et coperte teneantur. Item quod omnes uie ciuitatis Yporegie aptentur ubicumque fuerit necessarium expensis illorum de uicinia et illorum qui uadunt cum plaustris per ipsas uias sicut uidebitur ipsis forestanis et quod aliqua persona non possit habere scallas nec tenere nec de nouo facere nec construere aliquam scallam siue scallas imo si eas construxerit et fecerit teneatur eas amouere et auferre infra mensem principii regiminis potestatis siue uicarii sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice de solidis sexaginta imperialibus indistincte in aliqua strata seu uia ciuitatis Yporegie et omnes muri lignamina agugle seu alia quecumque posita inconstructa extra muros domorum per dictas uias et stratas ex qui-
c bus uel aliquo eorum impediatur duci plaustra uachua uel ponderata per dictas uias et stratas tollantur et auferantur infra mensem principii regiminis potestatis siue uicarii et idem fiat de banchis et omnibus aliis impedimentis positis in porticubus uiis et stratis predictis que restringantur et mutentur prout ipsis uidebitur forestanis. Hec tamen locum non habeant in pilonis uel columpnis seu aliis factis et constructis in domibus sitis in mercato et in Cita intra portam maiorem et portam rofranam et pusternam de subtus palacium comunis et uiam de Pertuxio et portam Bosonis. Scale etiam que uadunt in aliquibus caneuis uel terragnis subtus terram iuxta predictas stratas et uias publicas non possint excedere ultra duo brachia
d extra siue ultra muros domorum uersus ipsas stratas et si que facte sunt uel fierent ultra ipsam mensuram expensis illorum qui fecerint predicta uel dominorum ipsarum domorum facta eis denunciatione per potestatem uel iudicem siue per seruitorem comunis eorum mandato sub penis et bannis arbitrio potestatis siue uicarii. Predicti autem superstantes tres scilicet unus per Rucham super predictis eligantur per procuratores comunis infra quindecim dies principii regiminis potestatis siue uicarii et cum eis unus notarius qui omnes iurent predicta omnia et dictum eorum officium fideliter et equaliter exercere et sicut ipsi ordinauerint potestas siue uicarius et iudices obseruent et faciant obseruari.

De pilonis et columpnis et aliis sublatis non reponendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et sui iudices teneantur facere et curare quod columpne piloni et alia que alias per statutum fuerunt sublata de uiis et porticibus ciuitatis Yporegie non reponantur nec reducantur in pristinum statum modo aliquo seu causa sed stent et teneant sicut modo sublata sunt sine spe aliqua rehedificationis pena apposita potestati siue uicario librarum quinquaginta quas amittat de suo salario et eas clauarius in suo dato salarii potestatis teneatur scribi facere et notarius eius hoc scribere teneatur si predictus potestas siue uicarius predicta
non fecerit inuiolabiliter obseruari imponendo pro b
hiis omnibus obseruandis et contra non ueniendis penas et banna ad uoluntatem ipsius potestatis siue uicarii statuto aliquo non obstante. et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de eo non possit peti licencia neque dari.

De taliis et expensis occasione uiarum excuciendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et eius iudices teneantur excutere et excuti facere omnes talias et expensas uiarum ciuitatis Yporegie impositas per forestanos ipsarum uiarum ad uoluntatem et requisitionem ipsorum forestanorum et cuiuslibet eorum et in predictis et
circa ea et eorum occaxione eisdem forestanis dare c
auxilium consilium et fauorem et ita cum effectu facere et curare quod ipsi forestani de predictis et eorum occaxione releuentur et obseruentur indempnes. et hoc capitulum sit precissum et trunchum nec de eo possit peti licencia neque dari.

De uno putheo faciendo iuxta ecclesiam nouam sancti Mauricii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra quindecim dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani qui faciant fieri unum putheum in terreno quod relaxatum est iuxta stratam ubi facta est ecclesia noua sancti Mauricii expensis
illorum quorum fuerit utilitas si placuerit illis de d
uicinia.

De uia noua facienda de burgo nouo usque ad cantonum domus Pignochi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra quindecim dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani qui procurent emere et habere de sediminibus Franchoti de Ulmo et Mussi mediolanensis quod tenet a domino episcopo ita quod a cantono domus quam habent heredes Francisci Campionis in burgo nouo usque ad cantonum domus ubi habitabat Pignochus faciant fieri retro domos illorum qui habent eas intra dictos confi-
a nes unam bonam uiam latam duodecim pedibus et ultra secundum quod uidebitur forestanis et quod ipsi forestani imponant omnes expensas dicte uie omnibus illis de ipsis domibus et sediminibus positis infra dictos confines et omnibus aliis personis quarum fuerit utilitas sicut eis uidebitur et qui forestani iurent dictum eorum officium fideliter exercere et sint ipsi forestani tales qui non habeant aliquid facere in dicta uia et quidquid in predictis et eorum occaxione fecerint potestas siue uicarius faciat obseruari et habeat quilibet eorum pro suo salario solidos uiginti qui imponantur cum aliis expensis operis supradicti. et sit dicta uia facta et completa usque ad festum sancti Michaellis sub banno solidorum uiginti pro quolibet forestano.

De uiis solatis tenendis mundatis et curatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes uie solate et que solabuntur per ciuitatem Yporegie teneantur munde nitide et curate et qui in predictis uiis seu aliqua ipsarum fecerit uel posuerit seu proiecerit uel ammassauerit aliquid prohibitum supra in statuto de leamis et scouiciis et aliis non ponendis in locis prohibitis soluat pro qualibet uice bannum in eodem statuto contentum et nichilominus compellatur ea inde auferre. Et ut predicta melius fieri possint et obseruari eligantur infra quindecim dies principii regiminis potestatis siue uicarii duo boni forestani super qualibet dictarum uiarum ex illis de illa uicinia qui omni die sabbati dictas uias scilicet quilibet in sua contrata super qua positus fuerit debeat prouidere et facere mundari et mundas teneri et contra predicta facientes accusare qui iurent predictum eorum officium bene et legaliter exercere. Quelibet etiam persona teneatur et compellatur ante domum suam quantum est pro parte ei contingente ipsas uias solatas et que solabuntur tenere suis expensis bene solatas et aptatas et super hoc sint predicti forestani qui teneantur denunciare cuilibet ut ipsas uias solatas cum necesse fuerit debeant reaptare et de nouo solare et qui hoc non fecerit infra quindecim dies postquam ei denunciatum fuerit soluat pro qualibet uice bannum sibi impositum per forestanos predictos. Que si dicti forestani non fecerint fieri et compleri infra tempus eorum officii soluat quilibet eorum pro banno solidos uiginti quos potestas siue uicarius ab eis excutere teneatur.

De uia solanda a domo Franchoti de Ulmo usque ad domum domini Ardicionis Talliandi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uia a cantono domus in qua habitat Franchotus de Ulmo eundo recta strata usque ad uiam qua itur ad domum domini Ardicionis Talliandi et a dicta domo eundo recta uia usque ad stratam publicam siue ad cantonum domus que fuit Viderati iuxta putheum de muro ad murum soletur bonis madonis

expensis illorum qui habent ibi domos et ponantur super hoc duo boni forestani.

De non faciendo putredinem in uia solata de Burolio.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat gestare seu facere uel ponere aliquam turpitudinem in uia solata de Burolio sub banno solidorum decem pro qualibet uice et si non fuerit soluendo pater uel mater seu etiam attinens cum quo moratur soluat illud bannum et teneatur potestas facere uenire uicinos circumstantes dicte uie et eos facere iurare quod ibi non facient huiusmodi turpitudines et si uiderint aliquam personam ibi gestare eam accusabunt et quilibet possit ac- b
cusare et habeat medietatem banni. Teneantur insuper becharii becharie comunis Yporegie et debeant omni edomada expensis eorum mundare et nitidiare bene et diligenter totam dictam uiam Burolii que est prope dictam bechariam a pede scalarum comunis sitarum iuxta muros et ortum domus episcopalis usque in Rucham copertam et exportare et auferre seu auferri facere omni edomada omnes turpitudines leamum stercora lapides ligna et terracium atque pexinam que essent in dicta uia sub banno solidorum quinque imperialium pro qualibet edomada qua non compleuerint omnia supradicta et duret hoc quod loquitur contra becharios usque ad uoluntatem credencie.

De cuniculo faciendo apud portam maiorem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod fiat unus bonus cuniculus subtus terram et copertus apud portam maiorem secundum quod poterit melius dictari et fieri et super hoc ponantur duo boni forestani et quod opus sit completum usque ad kalendas marcii et fiat expensis illorum de Cita habitancium infra portas de Cita que expense ordinentur et declarentur per dictos forestanos.

De uia Pertuxii manutenenda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uia Pertuxii reaptetur et melioretur quandocumque opus fuerit statuto aliquo non obstante expensis illorum qui ducunt siue duci faciunt bestias per dictam uiam et expensis aliarum personarum ciuitatis Yporegie quarum erit utilitas quod dicta uia reaptetur arbitrio et uoluntate forestanorum qui ponantur super uiis solatis tenendis aptatis qui forestani possint imponere talias predictis prout eis uidebitur expedire.

De uiis et aliis extra portas aptandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur sex forestani de Yporegia scilicet duo de-
a uersus portam de bando et duo deuersus portam fontane qui sint super faciendo aptari uias passus sapellos et pontes scilicet singuli duo deuersus eorum uiciniam requirendo eos qui habent ibi facere et faciant fieri dictum opus si placuerit illis uel maiori parti qui habent ibi facere eorum expensis et illorum quorum fuerit utilitas. et que expense imponantur per ipsos forestanos ut equalius et conueniencius eis uidebitur iurando predicti forestani dictum eorum officium facere bona fide et dictas expensas legaliter imponere quas expensas potestas siue uicarius et iudex debeat exigere et exigi facere ad uoluntatem ipsorum forestanorum et remunerentur arbitrio potestatis siue uicarii super talia earumdem expensarum.

De uia Pasquerii aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod a porta Ayralis Iacobi de domino Bonbello usque ad murum quem fecit fieri dominus Gothefredus de Monte Astruto recta strata et ab utraque parte ipsius uie aptetur et melioretur ipsa uia et super hoc ponantur duo forestani qui habeant prouisionem curam et bayliam super dicta uia aptanda et meliorianda prout eis melius et utilius uidebitur expedire. qui forestani possint talias imponere pro ipsa uia ad eorum liberam uoluntatem.

De uia Montis Campagnole aptanda.

c
Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani ad faciendum aptari et meliorari uiam ab Ayrali quod fuit Aymonini Pelicerii usque ad uiam Iohannini mediolanensis que uadit uersus Campagnolam ita quod ab utraque parte aptetur et melioretur et frangantur ibi roche ita quod plaustra ponderata et bestie possint inde conuenienter ire et reddire et hoc expensis illorum qui habent uineas et alias possessiones in Campagnola et illorum qui faciunt duci uel ducunt plaustra et bestias per dictam uiam et omnium quorum fuerit utilitas que expense imponantur per dictos forestanos sicut melius et equalius eis uidebitur
d sine fraude. Quam impositionem potestas siue uicarius teneatur excutere et excuti facere ad uoluntatem dictorum forestanorum sine strepitu et figura iudicii et imponere penas et banna ad eorum uoluntatem pro dictis expensis excutiendis et sit complectum dictum opus usque ad Pascha resurrectionis Domini et remunerentur dicti forestani de eorum labore et hoc sit trunchum et precissum.

De uia de planis aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani unus de Yporegia et unus de Bolengo qui faciant fieri unam uiam carrealem ad

eundum in planis seu aptari illam que ibi est si a
eis uidebitur ita quod commode per eam plaustra possint ire et reddire et hoc expensis illorum quibus proderit et quorum erit utilitas prout ipsis forestanis ipsas expensas uidebitur conueniencius et equalius imponere et quidquid ipsi fecerint potestas siue uicarius faciat obseruari et iurent ipsi forestani dictum eorum officium bona fide et legaliter exercere et habeat quilibet eorum pro suo salario si fecerint uiam nouam solidos xx et si reaptauerint tantum ueterem solidos v super dicta talia expendenda et sit dictum opus completum usque ad festum sancti Michaelis.

De fossato faciendo a Cassaleto usque in Goreras.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo forestani in parrochia sancti Christophori pro uno fossato faciendo a Cassaleto usque in Goreras expensis illorum quorum fuerit utilitas si inde potestas siue uicarius fuerit requisitus et qui forestani taliam et expensas ipsius operis imponant illis quorum fuerit utilitas. quam taliam potestas siue uicarius excuti facere teneantur et iurent predicta exercere et facere bona fide.

De fossato faciendo ultra sanctum Petrum de Vexinasco.

Item statuerunt et ordinauerunt quod duo forestani eligantur infra carnispriuium qui habeant cu- c
ram faciendi fieri unum fossatum ultra sanctum Petrum de Vexinascho in contrata ubi dicitur in interium. et qui forestani compellantur illud facere fieri et compleri usque ad Pascha resurrectionis Domini prout eis uidebitur illud utilius faciendum et expensis illorum de quibus uidebitur forestanis.

De paxoneria Durie aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani super riperia Durie a monte Aytorio infra qui faciant fieri et aptari illam riperiam et paxoneriam Durie expensis molendinorum de Yporegia inter quos eciam molendinarii Taliandorum d
seu illi qui tenent eorum molendina super se uel eorum expensis et que paxoneria manuteneatur expensis dictorum molendinorum. Eligantur etiam duo alii forestani infra eumdem terminum super eadem riperia a monte Aytorio supra qui habeant curam sic faciendi aptari et muniri utramque riperiam Durie quod Duria non ueniat in lectum doyrole nec in guadum Merdenzone secundum quod melius et utilius uidebitur eis expensis locorum et hominum ipsius riperie ex qua factum fuerit illud opus ita quod illi de una riperia non teneantur nec compellantur soluere aliquid de expensis que fierent in aliqua riperia. quas quidem omnes expensas predicti omnes forestani possint et debeant imponere prout eis melius et equalius uidebitur secundum formam predictam et quidquid inde fecerint et ordinauerint potestas siue uicarius faciat obseruari et ipsas expensas excuti ad eorum uoluntatem omnibus deffensionibus et excusationibus pretermissis et facere eis dari et preparari ea que dari et preparari debebunt pro ipsis operibus faciendis et sint dicta opera complecta usque ad medium mensem aprilis. Quod si dicti forestani infra dictum terminum non fecerint si data fuerint eis que dari debebunt soluat pro banno quilibet eorum solidos LX. ipsis autem forestanis fiat solutio de eorum labore super dicta talia imponenda. hoc autem capitulum ponatur in credencia et fiat quidquid ipsi credencie placuerit ordinare.

b

De opere faciendo inter Roddam et Moretum pro deffensione Durie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo forestani infra carnispriuium qui habeant curam prouidendi et faciendi aptari inter Roddam et Moretum pro defensione Durie ne expargat et se extendat in pratis de grignolis et illud opus quod eis faciendum uidebitur in predictis fieri faciant et compleri usque ad Pascha resurrectionis Domini expensis illorum qui habeant ibi facere et quorum fuerit utilitas imponendis prout uidebitur forestanis.

De fossato Mareschi insule de Bolengo et fossato Balfredi manutenendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius faciat manuteneri et obseruari fossatum comunis Yporegie factum a loco ubi consueuit esse Balfredum usque ad Duriam expensis illorum de quibus uidebitur forestanis qui super hoc eligantur omni anno. Teneantur etiam et compellantur consules et comune Bolengii manutenere et obseruare eorum expensis fossatum quod factum est in Marescho insule de Bolengo infra terminum eis per potestatem siue uicarium uel eius iudicem annis singulis statuendum sub pena solidorum LX pro quolibet consule et librarum x pro comuni.

De opere faciendo super cornu Durie iuxta Barium et Deueysium.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo forestani qui prouideant super quodam cornu Durie quod est iuxta prata Barii et super quodam cornu Deueysy que deuastant ibi prata et qui faciant aptari prout eis melius uidebitur ut ipsa prata non deuastentur expensis illorum quibus proderit.

De taliis impositis per forestanos excuciendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius faciat fortes forestanos qui fecerint

fieri paxoneriam de cornu Deueysy et eis dare consilium et iuuamen ad excuciendum talias per ipsos impositas et que imponentur pro ipsa paxoneria reaptanda. Item talias impositas parochianis sancti Mauricii occasione operis campanilis facti et faciendi et eis imponere penas et banna ad suam uoluntatem summarie et sine libello et iuris solempnitate non obstante capitulo de agrauaminibus uel alio quocumque capitulo. et idem fiat de omnibus taliis impositis et imponendis per aliquos forestanos pro aliquibus eorum officiis faciendis.

De uia Clapeti aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eli- b
gatur unus forestanus bonus et fidelis qui teneatur et iuret facere aptari et compleri murum et uiam Clapeti ita quod bene et competenter equi et bestie et ponderate possint inde ire et reddire expensis illorum mercatorum qui uadunt per ipsam uiam et aliorum quibus ipsa uia erit utilis et eorum qui habent facere a Montaldo uersus Yporegiam et eorum qui habent facere in ipsa contrata et potestas siue uicarius teneatur speciali sacramento excutere et excuti facere ipsam talliam que per dictum forestanum imponetur sine libello et strepitu iudicii et sit complectum ipsum opus usque ad kalendas augusti. Teneatur etiam potestas siue uicarius si predicta uia completa non fuerit facere inde fieri credenciam et eam tantum insimul c
tenere quod inueniatur modus et uia quod predicta compleantur et ita facere et curare quod fiant. et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de eo non possit peti licencia nec dari ita tamen quod continuante dicto forestano in opere dicte uie predicta precissitas sit suspensa. Insuper per commune et homines Yporegie ematur a rectore ecclesie sancti Oddoricy qui iuxta dictam uiam habere uidebitur terrenum et a quacumque alia persona que per predictam uiam terrenum haberet tantum terrenum quod dicta uia possit et ualeat fieri ampla et lata prout procuratoribus comunis uidebitur et quod per procuratores comunis eligantur tres forestani boni et sufficientes ad predictam uiam faciendam et quod habentes ibi terrenum ne- d
cessarium ut predicitur ad dictam uiam faciendam possint compelli si sint de iurisdictione comunis Yporegie uendere et si recusauerint uendere ipsum terrenum seu permutare ut predictum est necessarium ad predictam uiam amplam faciendam et facienda iusto precio ad arbitrium et auissamentum duorum amicorum comunalium per ipsos et dictum comune seu per procuratores comunis eligendorum. eligantur quoque per procuratores comunis duo boni forestani qui habeant bayliam ipsam uiam aptandi et etiam aliam uiam faciendi a pederareti ueniendo per pratum ma .... usque ad xxi prout ipsis forestanis expedire uidebitur et fiant predicta expensis illorum quorum erit utilitas.

De ponteto pratorum de rugiis faciendis.

Item statuerunt quod eligantur duo forestani qui faciant fieri pontetum pratorum de rugiis expensis illorum qui habent ibi facere et etiam campariorum prout uidebitur forestanis qui iurent et compellantur dictum opus et impositionem expensarum facere et complere. qui etiam potestas siue uicarius debeat dare consilium et iuuamen ad ipsum opus faciendum et taliam excuciendam per eos impositam. Teneantur etiam dicti forestani a dicto ponteto usque in Deueyssio aptare uiam ab utroque latere et facere fieri ibi bonos fossatos latos v pedibus et profundos tribus prohiciendo terram infra uiam.

De riperia Durie aptanda ne offendat in Castellazo grignolis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani qui prouideant super aqua Durie iuxta Castellacium et in illa contrata et usque ad grignolium et qui faciant ibi aptari et meliorari ne possessiones quas habent ibi homines Yporegie guastentur expensis ipsorum quorum fuerit utilitas quibus imponantur dicte expense per dictos forestanos prout eis uidebitur melius et equalius et hoc iurent dicti forestani facere bona fide et potestas siue uicarius teneatur ad eorum liberam uoluntatem ipsas expensas excuti facere cum effectu.

De ponte faciendo et manutenendo super rugia molendinorum Taliandorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo forestani infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii qui faciant fieri unum bonum pontem de bono muro super rugia que uadit uersus molendina Taliandorum desuptus cantonum sancti Stephani expensis illorum qui tenentur et debent facere dictum pontem et quorum expensis dictus pons semper manuteneatur et teneatur per dictos forestanos ita quod homines et bestie et plaustra per illum pontem possint commode ire et reddire. quas expensas potestas ad requisicionem et uoluntatem ipsorum forestanorum debeat excutere et excuti facere cum effectu et iurent dicti forestani predicta omnia facere et complere fideliter sub pena et banno solidorum x pro quolibet eorum si predicta non compleuerint. que si compleuerint remunerentur arbitrio potestatis siue uicarii et procuratorum comunis.

De una cessia plantanda iuxta strenglam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani qui faciant plantari unam bonam cessiam de spinis et bozolis a loco ubi consueuit esse uetus monasterium sancti Michaelis de

monte per riuum strengle usque in flumine Durie et per illum locum ubi melius utilius et securius pro utilitate comunis uidebitur forestanis et hoc expensis illorum qui habent et habuerint terras et possessiones circa illam uiam et cessiam et in illa contrata ubi cessia supradicta plantabitur imponendis per dictos forestanos quas potestas siue uicarius teneatur exigere ad uoluntatem eorum et pro predictis et eorum occaxione potestas siue uicarius et iudices possint precepta facere et penas et banna imponere tam dictis forestanis quam aliis et debeat inchoari dictum opus circa kalendas marcii et sit completum usque ad exitum aprilis subsequentis et qui forestani iurent dictum eorum officium facere bona fide quibus fiat remuneracio arbitrio procuratorum comunis.

De uno fossato faciendo a uia roueti usque ad planchetam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo forestani infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii qui faciant fieri unum fossatum de uia roueti usque ad planchetam expensis illorum qui circa illud fossatum habuerint terras et possessiones imponendis per ipsos forestanos et quas expensas potestas siue uicarius exigat et exigi faciat ad uoluntatem ipsorum forestanorum et incipiat fieri dictum fossatum circa kalendas marcii et sit finitum ad exitum aprilis sub pena solidorum LX pro quolibet ipsorum forestanorum et iurent eorum officium facere bona fide quibus fiat remuneratio arbitrio procuratorum comunis et quod uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit et eius iudices teneantur speciali et precisso sacramento facere attendi et obseruari illud quod in ipso capitulo continetur et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari.

De uia Merdenzoni et Buasche aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani boni qui faciant aptari sicut melius poterunt uiam que est citra aquam de Merdenzono usque ad ripam que est ultra aquam Buasche ita quod dicte ambe aque seu riuii computentur in ipsa uia aptanda faciendo ab utroque latere dicte uie seu strate unum bonum fossatum et magnum et ponendo totam terram ipsorum fossatorum in ipsa uia et taliter sic aptando predictos riuos et uiam quod per eam commode possint ire et duci bestie et plaustra et sicut ipsis forestanis melius uidebitur expedire. Habeant etiam dicti forestani bayliam et auctoritatem pro aptatione dicte uie et predictis fossatis faciendis capere et capi facere de campis et terrenis infra predictas ripas et terminos constitutis sine contraditione alicuius persone. nec aliqua persona possit eis predicta prohi-

a bere sub penis et bannis ad uoluntatem potestatis siue uicarii et iudicis et dictorum forestanorum imponendis que banna potestas siue uicarius teneatur excutere cum effectu. et ponantur dicti forestani ex illis qui nihil habent facere in terris et possessionibus que sunt iuxta predictam uiam inter predictas duas aquas et fiat predictum opus expensis illorum qui tenent laboreriam ad suam manum in tota illa campania et qui ducunt seu duci faciunt plaustra per uiam predictam. Qui dicti forestani possint et debeant imponere taliam secundum quod melius eis uidebitur tam pro expensis ipsius operis quam pro remuneratione ipsorum qui remunerentur arbitrio procuratorum comunis et teneatur potestas siue uicarius et iudices taliam per eos impositam
b excutere et excuti facere ad uoluntatem ipsorum et sit totum dictum opus completum usque ad festum sancti Michaelis sub banno solidorum LX pro quolibet ipsorum forestanorum quos potestas siue uicarius ab eis excutere teneatur et nichilominus perdant eorum remunerationem.

De strata leuanda a cruce sancti Iohannis usque ad crucem Bolengii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod tempore electionis aliorum officialium eligantur tres boni forestani qui faciant fieri et leuari stratam a cruce que est apud sanctum Iohannem de strata usque ad crucem que est apud Bolengum citra uillam
c faciendo fieri ab utroque latere dicte strate unum bonum fossatum latum XII pedibus et profundum VIII pedibus qui forestani non habeant aliquid facere inter predictos terminos iuxta ipsam stratam et habeant bayliam et plenum arbitrium capiendi de terris et possessionibus existentibus iuxta ipsam stratam sicut et quantum eis uidebitur pro dicta uia et dictis fossatis faciendis et predicta fiant expensis illorum qui habent facere uersus partes illas. que expense tam dicti operis quam remunerationis seu restitutionis terre faciende illis quorum esset dicta terra que caperetur et occuparetur et per dictos forestanos predicta de causa imponantur per ipsos forestanos predictis sicut melius uidebitur et quidquid per dictos forestanos uel duos eo-
d rum factum et ordinatum fuerit teneatur potestas siue uicarius et iudices obseruare et facere obseruari sub penis et bannis ad uoluntatem potestatis siue uicarii et iudicis et dictorum forestanorum in contrafacientes et contradicentes imponendis et ab eis totaliter exigendis et sit predictum opus completum usque ad kalendas maii sub pena librarum x pro quolibet ipsorum forestanorum. Hoc tamen capitulum ponatur in credencia infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii et fiat de ipso et de predicta uia quidquid placuerit ipsi credencie et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari et fiat eciam una alia uia leuata ab ecclesia sancti Iohannis de media strata usque Albianum.

De paxoneria facienda in poderio Quinti ubi dicitur in runchis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod fiat una bona paxoneria in poderio Quinti ubi dicitur in runchis uersus Duriam per quam deffendatur ne Duria destruat possessiones ibi existentes expensis illorum quorum fuerit utilitas et super hoc eligantur duo forestani qui faciant fieri illud opus et imponant taliam et expensas bona fide et remunerentur super ipsa talia arbitrio procuratorum comunis et sit completum usque ad exitum mensis marcii.

De uia aptanda a ponteto sancti Eusebii usque ad burgum uallis Montisalti.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani unus quorum sit de Yporegia et alius de burgo qui faciant fieri et releuari fossata a ponteto qui est ultra sanctum Eusebium de Montaldo usque ad dictum burgum ab utraque parte strate per dictam stratam meliorandam et reaptandam ponendo terram ipsorum fossatorum infra ipsam stratam et hoc expensis illorum qui habent ibi et circa dictam uiam terras et possessiones et eciam illorum quorum fuerit utilitas secundum prouisionem et impositionem dictorum forestanorum et quidquid ipsi fecerint in predictis et circa ea et ordinauerint habeat firmitatem et in omnibus obseruetur. debeant eciam dicti forestani c iurare predictum eorum officium fideliter exercere et statim postquam iurauerint ipsum opus debeant inchoare et in eo sic perseuerare quod sit completum usque ad festum sancti Michaelis et quicumque non existens de iurisdictione potestatis siue uicarii Yporegie non dederit partem contingentem de ipso opere prout sibi per dictos forestanos impositum fuerit potestas siue uicarius et iudices non audiant eum nec reddatur sibi ius de aliqua questione pecuniaria uel dampno sibi dato in aliquibus rebus suis donec dictam impositionem solueriut.

De fossato faciendo in finibus Bolengi et Albiani.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani scilicet unus per comune Yporegie et alius per dominum episcopum qui ad hoc requiratur qui habeant curam faciendi fieri unum bonum fossatum in finibus comunium Bolengi et Albiani super terreno quod fuit alias per sententiam definitum ita quod uterque dictorum comunium dimittat de suo terreno medietatem pro faciendo dicto fossato et quod fiat in latitudine et profunditate arbitrio dictorum forestanorum et expensis dictorum comunium scilicet utriusque pro medietate. et quidquid ipsi forestani super hoc fecerint potestas siue uicarius et iudices faciant ob-

a seruari dummodo dominus episcopus faciat illud idem per comune et homines Albiani attendi et obseruari et sit completum dictum opus usque ad kalendas augusti. et si potestas siue uicarius et sui iudices non fecerint attendi et obseruari predicta amittat potestas siue uicarius de suo salario libras xxv et quilibet suorum iudicum libras x quas teneatur clauarius speciali sacramento ponere in eorum dato et recepto. Et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari.

De fossato faciendo in Calchafol.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas b siue uicarius infra xv dies principii sui regiminis faciat uenire coram se heredes domini Facii de Stria et heredes domini Andree de domino Andrea precipiens eis quod ipsi uideant et deliberent et habeant consilium super uno fossato faciendo a capite prati de Chalcafol quod fuit quondam Otini de Ast uersus grangiam per quod fossatum aque pratorum illius contrate scolentur et si habebunt de consilio quod possit fieri commode teneantur illud facere fieri usque ad kalendas maii expensis illorum quorum esset utilitas arbitrio ipsorum duorum quas expensas teneatur potestas siue uicarius facere excuti prout ipsi imponent et ordinabunt.

De uia aptanda a Pexano usque Piueronum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani pro uia aptanda et facienda de nouo prout eis melius uidebitur expedire a Pexano usque Piueronum expensis illorum qui habent facere in dictis contratis et ueturalium qui ducunt uuas et uinum ad uecturam et aliorum quorum erit utilitas qui forestani habeant potestatem capiendi de terris et possessionibus circumstantibus ad dictam uiam faciendam et meliorandam restituendo ei uel eis quorum fuerit terrenum precium eius quod caperetur ad estimationem extimatorum comunis Yporegie. qui forestani possint taliam et roydas imponere predictis secundum quod eis ui-
d debitur et iurent predictum officium fideliter exercere et dictum opus complere usque ad kalendas augusti et fiat eis remuneratio arbitrio procuratorum comunis.

De cuniculo faciendo a domo domini Guillermini Loge usque ad domum heredum Philippini quondam de Arnaldo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod a domo in qua morantur heredes dicti Guillermini Loge et a domo in qua morabatur Franchus Loge usque ad cuniculum factum inter domos heredum Macharii speciarii et Mussi mediolanensis et domum que quondam fuit Raynerii de Stria in qua moratur

Oddonus de Cherio speciarius et ab ipso cuniculo a usque ad pontetum et a cantono domus in qua morabatur Michael Pauexius et a domo heredum Philippini de Arnaldo usque ad dictum pontetum fiat in medio strate unus bonus cuniculus latus expensis totius contrate et illorum quorum fuerit utilitas. Teneantur insuper omnes habentes domos infra dictos confines que domus habeant rianas per quas fector uel sterquilinium discurrat seu discurrere possit in uiam publicam facere fieri cuniculos eorum expensis qui discurrant ad illum magnum cuniculum de media strata. et super hiis omnibus ponantur duo boni forestani infra mensem principii regiminis potestatis siue uicarii qui habeant curam et prouisionem tam de ipso opere faciendo quam de talia pro expensis imponenda et quidquid b super hiis omnibus ipsi fecerint potestas siue uicarius faciat obseruari summarie sine libello et strepitu uel figura iudicii non obstante capitulo de agrauaminibus uel aliquo alio statuto. Et si alique domus ibi essent alicuius qui non esset de iurisdictione potestatis siue uicarii Yporegie possint dicti forestani imponere dictam taliam habitantibus in ipsis domibus et potestas siue uicarius teneatur ab ipsis excutere nisi habitantes ipsi dictas domos dimiserint inhabitatas et si alius postea uenerit ad habitandum ibidem nichilominus eadem talia excuciatur ab eo nisi eam domum incontinenti dimiserit ut supra et sit complectum dictum opus usque ad medium augustum quod si dicti forestani non compleuerint soluat quilibet eorum pro banno solidos c LX. Et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari.

De uia pusterne molinariorum aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uia pusterne molinariorum que est subtus domum Iohannis Fabri et heredum Petri de Alberino aptetur a porta dicte pusterne usque ad glarium Durie expensis molinariorum et aliorum uicinorum quorum erit utilitas arbitrio duorum forestanorum qui eligantur super hoc cum aliis officialibus per procuratores comunis et sit dictum opus completum usque ad sanctum Iohannem de iunio et omnes qui habent latrinas supra uel iuxta dictam uiam d compellantur ita facere quod dicte latrine non discurrant in dicta uia sub banno solidorum quinque pro quolibet et qualibet uice.

De putheo qui est iuxta domum Martini de Ulmo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo forestani infra XV dies regiminis potestatis siue uicarii qui expensis parrochie sancti Saluatoris secundum quod talia imposita fuerit per ipsos forestanos faciant reaptari desuper et desuptus putheum qui est iuxta domum Martini de Ulmo et sit completum dictum opus ante festum sancti Michaelis. idem fiat de putheo qui est iuxta domum Viderati idem de putheo qui est iuxta domum Vercellini Baralis et potestas siue uicarius faciat fortes forestanos ad dictam taliam exequendam.

De uno cuniculo faciendo a riana domorum Macharii Droy et heredum Bruneti de Hospice usque ad Rucham sancti Ursi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod a riana domorum heredum domini Macharii Droy in qua manebat Dominus Iacobus de Reroldis quondam et Brunetus quondam de Hospice in burgo usque ad Rucham sancti Ursi ante cantonum Martini de Ulmo fiat unus bonus cuniculus et amplus in medio strate per quem possint discurrere omnes riane que sunt inter domos dicte contrate ab utraque parte dicte strate quarum fector discurrit in stratam publicam quarum riane habeant singule bonos cuniculos de bonis maonis seu lapidibus per quos eorum fectores et aque perueniant in dictum cuniculum qui erit in medio strate et teneatur potestas siue uicarius infra XV dies principii sui regiminis facere eligi per procuratores comunis tres bonos forestanos qui non habeant aliquid facere in dicta contrata et qui iurent ad sancta Dei euangelia dictum cuniculum et omnes alios cuniculos peruenientes in illum facere fieri bona fide expensis illorum qui habeant ibi domos et teneantur illud expleuisse hinc ad kalendas maii sub pena solidorum centum pro quolibet et quidquid ipsi fecerint circa hoc tam in talia quam in aliis potestas siue uicarius teneatur precisse facere obseruari et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari.

De fossatis et uiis aptandis iuxta Floranum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod in poderio Parochie et Florani ubi dicitur in goreris illa fossata que ibi facta fuerunt pro excolando campos iterum curentur et amplificentur in largum et in profundum quantum erit necessarium et hoc fiat expensis illorum quorum fuerit utilitas et super hoc ponantur tres boni forestani et probi ad uoluntatem illorum qui ibi habent possessiones. Qui forestani habeant bayliam imponendi taliam pro expensis inde factis et iurent hoc facere bona fide facientes tamen quod aqua decurrat per dictum fossatum uersus cassaletum. Item quod uia publica qua itur Salaranum Samonum et alia uia publica que est ubi dicitur infra Braydam qua itur Samonum. Item uia seu strata publica de Bellaro. Item uie que sunt circa Crucem Banchetarum omnes aptentur ita quod aque non faciant in eis moram sed taliter fluant quod per eas possit conuenienter transiri et similiter aptetur locus qui est prope Monteglum longum super quibus sint similiter forestani predicti et quidquid ipsi forestani fecerint super omnibus supradictis tam in taliis imponendis et exigendis quam in aliis potestas siue uicarius teneatur precisse facere attendi et obseruari.

De uno fossato faciendo a prato quod tenebat quondam Facius de Ugoneto a domino Ardicione Taliando usque ad pratum heredum quondam Macharii Speciarii. a

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii sui regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo boni forestani qui habeant curam et bayliam faciendi fieri unum fossatum a prato quod tenebat Facius de Ugoneto quondam desubtus Barium a domino Ardicione quondam Taliando usque ad pratum heredum quondam Macharii Speciarii quod fossatum taliter fiat et aptetur quod aqua discurrat usque in Duriam super quo fossato fiat unus bonus pons ita quod bestie et plaustra transire possint per ipsum pontem libere et expedite et hoc b expensis illorum quorum fuerit utilitas et qui habent ibi possessiones a Moreto usque ad Grignolos qui forestani possint taliam imponere pro ipso opere faciendo prout eis uidebitur expedire quam taliam dominus potestas siue uicarius et eius iudices qui pro tempore fuerint excuti facere teneantur ad uoluntatem dictorum forestanorum.

De omnibus uiis de planis aptandis et de non ponendo plaustra seu aliquas bestias in ipsis uiis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo boni forestani qui habeant curam et bayliam faciendi aptari omnes uias de planis expen- c sis illorum quorum fuerit utilitas qui forestani predicti possint taliam imponere secundum quod eis uidebitur expedire quam taliam potestas siue uicarius et eius iudices excuti facere teneantur ad uoluntatem dictorum forestanorum. Item statutum est quod nullus in dictis uiis de planis possit plaustra seu aliquas alias bestias ponderare que impedire possint aliquos transeuntes sub pena et banno solidorum v pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni.

De uia Calcafolli aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv d dies principii regiminis domini potestatis siue uicarii eligantur duo boni forestani qui habeant curam et bayliam faciendi aptari uiam que est a Calcafollo usque ad rianam Stagerii et hoc expensis illorum qui habent ibi facere et quorum fuerit utilitas qui forestani predictam taliam possint imponere prout eis uidebitur expedire quam taliam dictus dominus potestas siue uicarius et eius iudices excuti facere teneantur ad uoluntatem dictorum forestanorum.

De uia noua facienda a uia Buasche usque ad pontem Doyrole.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis domini potestatis siue uicarii eligantur duo boni forestani qui fieri faciant unam bonam uiam leuatam a uia Buasche usque ad pontem Doyrole et hoc per illa loca per que uidebitur forestanis predictis et quod nulla persona possit prohibere quin dicta uia fiat per terrenum quod elegerint forestani quibus fiat restitutio sui terreni arbitrio predictorum forestanorum et quod predicti forestani uiam antiquam possint dare in excontrum illis quorum terrena occupabunt pro dicta uia noua facienda et aliis secundum quod eis utilius uidebitur expedire et hoc expensis illorum quorum fuerit utilitas quibus imponatur talia prout dictis forestanis uidebitur pro rata quam taliam ad requisitionem dictorum forestanorum potestas siue uicarius et eius iudices excuti facere teneantur imponendo banna ad eorum liberam uoluntatem.

De uia de Gramoneriis aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis domini potestatis siue uicarii eligantur duo boni forestani qui curam habeant et bayliam aptandi uiam de Gramoneriis inter campum domini Iohannis de Solerio et terram heredum domini Petri de domino Andrea faciendo fossata prout ipsis forestanis uidebitur et etiam unum pontetum si expedierit et hoc expensis illorum quorum fuerit utilitas et qui habeant ibi possessiones ad quas itur per uiam ipsam et quidquid impositum fuerit per ipsos forestanos predictis habentibus ibi facere potestas siue uicarius excuti facere teneatur ad uoluntatem dictorum forestanorum.

De uia Montislegerii aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligatur unus forestanus qui habeat curam et bayliam aptandi uiam per quam itur ad Montemlegerium et ad malum pertuxium iuxta uineam Iacobi quondam de Alberio et hoc expensis illorum quorum fuerit utilitas.

De aptanda uia que appellatur Creuacor.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis domini potestatis siue uicarii eligatur unus forestanus qui curam habeat et bayliam aptandi uiam que appellatur Creuacor et per quam itur subter montem et hoc expensis illorum quorum fuerit utilitas.

De uia Castri sancti Mauricii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uia per quam itur ad Castrum sancti Mauricii scilicet a cantono quod est iuxta putheum domus quondam Ottini Rigueti ab utraque parte uie usque ad ecclesiam sancti Mauricii que est in castro predicto teneatur munda et nitida ita quod aliqua persona in dicta uia non prohiciat aliquod scouicium seu fimum uel faciat ibi aliquam turpitudinem et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos v imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De non interponendo aliquam turpitudinem in contrata sancte Clare.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat portare ponere seu interponere uel portari seu interponi facere paglicium terracium calcinam uel aliquam aliam turpitudinem facere in contrata monasterii sancte Clare scilicet a domo Iacomelli de Strata scilicet a cantono desuper dicte domus eundo recta linea usque in stratam publicam iuxta domum in qua habitat Vercellinus Baralis ex utroque latere dicte contrate seu uie et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice contrafaciente solidos v imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et teneatur accusator secretus et uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat per se uel eius familiam inquirere seu inquiri facere singulis mensibus contra quemlibet contrafacientem precisso et speciali sacramento.

De non faciendo aliquam turpitudinem in uiis inter ciuitatem Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat intra portas ciuitatis Yporegie facere aliquam turpitudinem in aliqua uia publica sub pena et banno solidorum quinque imperialium pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni.

De una bataglera facienda iuxta domum Ubertini de Stria.

Item statuerunt et ordinauerunt quod per procuratores comunis Yporegie infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani qui habeant bayliam et curam faciendi fieri unam batagleriam super portam que est iuxta domum heredum de Stria expensis comunis secundum quod eis melius uidebitur et completo dicto opere quod potestas siue uicarius teneatur et debeat facere fieri credenciam et ipsam detinere donec de expensis dicti operis fuerit ipsis forestanis plenarie satisfactum.

a *De platea mercati facienda.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo forestani qui habeant curam et bayliam faciendi fieri unam plateam in mercato uidelicet in terreno quod est inter domos heredum domini Ardicionis Taliandi et domos heredum Ubertini de Stria prout eis uidebitur expensis illorum qui habent ibi domos et qui habent ibi facere que platea remaneat omni tempore discoperta saluo quod predicti habentes domos iuxta dictam plateam possint in dicta platea porticos facere circum circa super muris dicte platee et ipsos porticos et dictam plateam omni anno locare quibus uoluerint hoc saluo *b* quod non possint ipsam plateam claudere deuersus domum Iacobi Canis. eligantur dicti forestani per illos qui habent domos iuxta dictum terrenum et completo dicto opere si comune Yporegie infra duos annos uoluerit restituere expensas eis qui habent domos iuxta dictum terrenum quod dicta platea remaneat libera ipsi comuni et compleatur dictum opus infra unum annum.

De riana clara aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii comunis Yporegie per procuratores comunis eligantur duo superstantes qui habeant auctoritatem et *c* bayliam prouidendi faciendi et aptandi ita et taliter quod riana clara non possit nec debeat nocere seu dampnum dare possessionibus hominum Yporegie et hoc fiat expensis illorum qui habent campos et possessiones iuxta dictam rianam et quorum fuerit utilitas et qui superstantes habeant auctoritatem et bayliam imponendi taliam et expensas que fierent in dicta riana aptanda secundum quod eis melius uidebitur et equalius expedire et teneatur dominus uicarius et eius iudices dictam taliam et expensas excutere et excuti facere ad uoluntatem dictorum forestanorum.

De riperia Durie deuersus Bayum aptanda.

d Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo forestani de Bayo infra xv dies principii regiminis uicarii siue rectoris Yporegie qui habeant bayliam aptandi sicut eis melius uidebitur riperiam Durie deuersus Bayum a Castro Ysolete usque ad finem et exitum insule heredum domini Petri de Solerio que finis uocatur Pes de Valle et predicta de caussa possint ipsi forestani imponere taliam hominibus Bay Couazoli et Tauagnaschi et quidquid ipsi forestani fecerint et ordinauerint potestas seu uicarius et eius iudices teneantur precisse facere obseruari non obstante capitulo de agrauaminibus seu quocumque alio statuto quod huic statuto ualeat obuiare.

De uia facienda ad Salicetum desuper pontem Durie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius qui pro temporibus fuerit infra xv dies principii sui regiminis teneatur facere fieri credenciam et in ipsa credencia proponere de una uia facienda ad Salicetum desuper pontem Durie a uiateria seu introitu uinee Roseti Sartoris usque ad exitum dicte uie bonam et bene aptatam per quam possint ire molandinarii cum eorum asinis ad eorum molendina. et super dicta uia aptanda et facienda ponantur duo boni forestani per procuratores communis qui iurent ad sancta Dei euangelia predictam uiam fieri facere expensis illorum quibus fuerit utilitas et qui habent facere in dicta contrata et expensis molendinariorum et qui forestani habeant bayliam tam super talia facienda quam super uia aptanda et facienda et quidquid per ipsos forestanos impositum fuerit in predictis super talia et occaxione talie dicte uie teneatur potestas siue uicarius et eius iudices speciali et precisso sacramento executioni mandare et exeuti facere ad requisitionem dictorum forestanorum infra viii dies post taliam impositam non obstante capitulo de agrauaminibus nec aliquo alio statuto facto in contrarium uel faciendo et debeant dictam uiam compleuisse hinc ad kalendas aprilis sub pena et banno de solidis xx pro quolibet forestano et hoc statutum sit precissum et tranchum ita quod de ipso non possit peti licencia neque dari.

De uia extra portam pontis aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo boni forestani infra xv dies principii regiminis uicarii qui habeant bayliam et auctoritatem faciendi aptari et meliorari uiam que est extra portam pontis scilicet a Putheo qui est extra dictam portam usque ad ipsam portam recta strata sicut eis melius uidebitur. Et predicta de causa possint predicti forestani imponere taliam illis qui habent facere in dicta contrata et aliorum quorum fuerit utilitas et quidquid fecerint et ordinauerint uicarius seu potestas seu eius iudices teneantur facere precisse obseruari et executioni mandare.

De uia subtus Castellacium aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo boni forestani infra xv dies principii sui regiminis uicarii Yporegie qui habeant bayliam et auctoritatem aptandi et meliorandi et aptari et meliorari faciendi uiam que est subtus Castellacium et uiam nouam construendi scilicet a prato heredum Guillermi de Bugella usque ad pratum heredum Macharii Speciarii sicut eis melius uidebitur et predicta de causa possint forestani imponere taliam illis qui habeant facere in dicta contrata et quorum fuerit utilitas et quidquid fecerint et ordinauerint
a uicarius seu rector Yporegie seu eius iudices teneantur precisse obseruari facere et executioni mandare.

De uia sancti Laurencii aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod eligantur duo boni forestani infra xv dies principii regiminis uicarii Yporegie qui habeant bayliam et auctoritatem faciendi aptari et meliorari uiam que est apud sanctum Laurencium sicut eis melius uidebitur et predicta de causa possint predicti forestani imponere taliam illis qui habent facere in dicta contrata et aliis quorum fuerit utilitas. Et quidquid fecerint et ordinauerint potestas seu uicarius et eius iudi-
b ces teneantur precisse facere obseruari et executioni mandare.

De fossato faciendo in riperia Couazolii et Bay.

Item statuerunt et ordinauerunt quod in riperiis Durie siue circa ipsas riperias Durie incipiendo a poderio Bay et eundo uersus Couazolium deuersus riperiam Bay et Couazolii usque ante alberam que est in territorio Montis Astruti ultra Duriam fiat una bona paxoneria uel plures secundum quod uidebitur forestanis per quam siue per quas paxonerias defendantur loca infrascripta et possessiones ipsorum locorum ne deuastentur uel ruinentur a Duria et hoc expensis infrascriptorum locorum et
c hominum ipsorum locorum uidelicet Bay et Couazolii et Tanagnaschi et Quincenarum et omnium aliarum personarum quarum fuerit utilitas et super predictis faciendis et adimplendis ponantur per procuratores communis qui pro temporibus fuerint duo uel tres boni forestani dictorum locorum qui forestani iurent ad sancta Dei euangelia coram dicto domino potestate siue uicario uel eius iudice dictum eorum officium fideliter exercere et operari et imponere prout melius utilius et conueniencius fuerit talias hominibus suprascriptorum locorum tam in comuni quam aliarum singularium personarum et omnibus aliis quorum fuerit utilitas et dictum eorum officium compleuisse usque ad introytum mensis may postquam dictum eorum officium iurauerint.
d Vicarius namque siue potestas et iudices teneantur et debeant speciali et precisso sacramento predicta adimpleri facere toto eorum posse infra tempus dicti introytus mensis maii et ad peticionem dictorum forestanorum imponere penas et banna ad suam uoluntatem illis quibus facta fuerit aliqua talia pro dicto opere faciendo et ipsos forestanos fortes facere ad capiendum de bonis et rebus illorum quibus fuerit imposita dicta talia ad dictam taliam excutiendam pro expensis factis et pro iis que fierent occaxione predicta.

De uiis aptandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod consul

porte de bando et consul extra portam pontis uidelicet consul deuersus portam bandi uias extra dictam portam bandi et consul extra portam pontis uias deuersus dictam portam et imponere talias illis quibus eis uidebitur pro meliori et quibus fuerit utilitas et hoc usque ad quantitatem solidorum II pro quolibet cui fuerit utilitas et non ultra et uicarius qui pro temporibus fuerit et eius iudices teneantur dictos consules fortes facere ad dictas talias excuciendas imponendo eisdem penas et banna et pignora capere pro predictis exequendis et faciendis.

De uotis Durie tenendis spaciatis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uote pontis Durie que sunt circa pontem et ultra pontem Durie et que sunt et fuerunt facte causa dicti pontis conseruandi et manutenendi quod predicte uote aperiantur et expediantur libere sine aliquo obstaculo impedimenti et quicumque fecerit seu fieri fecerit in dictis uotis seu altera ipsarum tam circa pontem quam ultra aliquem murum uel aliquod edifficium uel aliquid aliud per quod aqua Durie possit impediri quin labatur et discurrat libere per ipsas uotas teneatur quilibet qui contrafecerit illud auferre remouere seu remoueri facere infra XV dies postquam fuerit ei denunciatum per aliquam personam uel personas seu per seruitorem curie Yporegie de mandato dicti domini uicarii uel eius iudicis et qui contrafecerit soluat pro pena et banno solidos LX imperiales pro quolibet et qualibet uice et nichilominus qui contrafecerit et dampnum aliquod dicto ponti Durie contigerit occaxione predicte obturationis teneatur illud dampnum emendare comuni et etiam cuicumque alii persone singulari que substinuisset aliquod dampnum. potestas namque siue uicarius qui pro temporibus fuerit teneatur facere contra predictos sic facientes inquisitionem de duobus mensibus in duobus mensibus ac etiam teneatur ipse uicarius seu eius iudex una cum procuratoribus et aliquibus aliis sapientibus quos secum habere uoluerit ire de duobus mensibus in duobus mensibus semel ad uidendum dictum pontem et uotas et uidere et examinare contrafacientes et ipsos punire ut supra dictum est ac etiam ipsos precisse cogere ad predicta impedimenta dictarum uotarum auferrenda imponendo eisdem et cuilibet ipsorum penas et banna ad eorum liberam uoluntatem non obstante capitulo de agrauaminibus non obstante aliquo alio statuto uel reformatione in contrarium obuiante.

De uia facienda ultra flumen Durie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ultra fluuium Doyrole fiat una uia publica infra tres menses principii regiminis potestatis siue uicarii per quam possint duci plaustra ponderata et sine a ponte Doyrole usque ad Guadum Buasche expensis

a illorum qui habent facere in dicta contrata et quorum fuerit utilitas. Et si contigerit capere pro dicta uia facienda de terreno alicuius circumstantis quod eidem fiat emenda et restitutio de dicto terreno sic occupato et capto pro dicta uia facienda arbitrio duorum hominum comuniter electorum et super predictis omnibus et singulis faciendis et exercendis eligantur duo boni forestani qui habeant curam predicta fieri facere infra mensem principii regiminis potestatis siue uicarii et quidquid forestani dixerint fecerint et ordinauerint in predictis et circa predicta tam in taleis impositis per ipsos quam etiam in dicta uia aptanda et facienda ualeant et teneant ac etiam uicarius siue potestas et eius iudices teneantur et debeant facere obseruari

b quidquid per dictos forestanos dictum factum et ordinatum fuerit.

De tenenda uia qua itur ad sanctum Franciscum expedita.

Item statuerunt et ordinauerunt quod a cantono uie qua itur uersus sanctum Franciscum que uia est in medio domorum hospitalis de burgo in qua moratur Alaxina uxor Guigladini Speciarii quondam et domus Guillermoti Speciarii in qua moratur Antonius Caldera cui dicitur Pacot non possint alique banche seu earneria pertice siue storie interponi nec teneri et hoc usque ad cantonum horti Hospitalis et uie qua itur uersus Duriam et hoc

c ut quilibet possit ire et reddire per dictam uiam cum carro et bobus ponderato siue cum bestiis ponderatis et sine et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos quinque et nichilominus compellatur per uicarium siue eius iudices auferre illud quod imposuerit suu immiserit uel habuerit in dicta uia.

De aptanda uia uersus portam maiorem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius uel iudices futuri teneantur et debeant infra unum mensem principii eorum regiminis facere eligi duo forestanos qui habeant curam et bayliam et prouisionem faciendi aptari uiam publicam

d qua itur ad ayrales uersus ciuitatem per portam maiorem scilicet a domo illorum de Chinolo usque ad dictam portam maiorem ita et taliter quod carri possint ire et reddire ponderati et bestie ponderate sine destructione ipsarum et faciendi aptari et coperiri quamdam fontanellam paruam que est iuxta dictam portam maiorem ex opposito domus heredum domini Henrici de Porta ita quod aqua dicte fontanelle discurrat et labatur per cuniculum subteraneum et copertum usque in rianam ubi est latrina dictorum heredum domini Henrici de Porta ita quod ex aqua dicte fontanelle non ueniat aliqua turpitudo per dictam uiam publicam. Item fieri faciendi et construendi unum abreuatorium et unum lauellum in quo cadat et discurrat aqua de dicto

abreuatorio ita quod equi et bestie possint commode abreuare et quod abreuatorium fiat inter duas rochas in uia publica ex opposito domus domini Iohannis de Porta. Item curandi et faciendi quod aqua fontane que est in uia publica iuxta domum domini Raymundi de Lapilla et puthei Brutarelli qui est in uia publica iuxta domum illorum de Lucedio discurrant et labantur per duos cuniculos subteraneos usque in dictum abreuatorium bene copertos et aptatos ita quod ex predictis aquis non ueniat aliqua turpitudo in dicta uia publica ubi fiant dicti cuniculi sed remaneat pura et nitida. Item faciendi aptari dictam uiam publicam a dicta domo illorum de Lucedio usque ad locum qui est ex opposito domus Petri de Turre et fiant predicta opera expensis illorum de Cita et omnium aliorum quorum fuerit utilitas prout predictis forestanis uidebitur expedire et quos forestanos teneantur potestas siue uicarius et iudices cogere ad predictam forestaniam et opus recipiendam et perficiendam et fortes facere ad excutiendum sine strepitu et figura iudicii sine aliqua iuris solempnitate taliam per eos impositam occaxione dictorum operum quandocumque fuerint per ipsos forestanos requisiti ad liberam uoluntatem dictorum forestanorum et teneantur incipere dicti forestani predicta opera usque ad kalendas maii et perficere per totum mensem maii et iunii et dictum capitulum sit precissum et trunchum.

De uia facienda a cantono heredum domini Uberti de Stria usque ad sanctum Franciscum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo uel tres forestani per procuratores comunis qui habeant curam et bayliam faciendi fieri unam bonam uiam et sufficientem eorum posse scilicet de cantono domus siue palacii heredum domini Ubertini de Stria eundo uersus ecclesiam sancti Francisci fratrum minorum et hoc expensis illorum quorum fuerit utilitas et de quibus uidebitur dictis forestanis esse utilitas et qui forestani possint imponere taliam omnibus illis quibus fuerit utilitas et quod dominus uicarius predictus faciat fortes dictos forestanos ad excutiendas talias impositas per ipsos contra illos quibus fuerint imposite et eis imponere banna ad suam uoluntatem pro speciali et precisso sacramento. qui forestani teneantur et debeant iurare predictum eorum officium fideliter exercere bona fide et sine fraude et hoc capitulum sit precissum et trunchum.

De aptandis parietibus muri Burgi Franchi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius teneatur et debeat compellere et cogere et compelli et cogi facere sub certis penis et bannis comune et homines Burgifranchi uallis Montaldi ad aptandum et meliorandum et inforciandum

a omnes parietes muri circuitus eorum burgi ubicumque dictus murus indigerit melioratione et reaptacione et fortificatione prout uidebitur predicto potestati siue uicario et procuratoribus comunis Yporegie seu maiori parti ipsorum et dictis comuni et hominibus limitare tempus de consilio dictorum procuratorum uel maioris partis ipsorum infra quod sit dictum opus completum. Item quod comune et homines Yporegie debeant dare et teneantur in auxilium et aiutorium dicti operis predictis comuni et hominibus dicti burgi quinquaginta nouenas calcine siue precium dictarum quinquaginta nouenarum de calcina uel compensare et remittere de eorum fodris eis in futurum imponendis per dictum comune et homines Yporegie usque ad quantitatem
b precii dictarum quinquaginta nouenarum de calcina pro melioratione dicti comunis Yporegie et hoc capitulum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia nec dari.

De portis faciendis iuxta ayrale heredum Franchini de Berlenda et aliis portis faciendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius futurus siue potestas infra mensem principii sui regiminis teneatur eligi facere per procuratores comunis Yporegie duos bonos forestanos et fideles qui habeant curam et bayliam et prouisionem faciendi construi duas portas nouas prout ipsis forestanis melius et utilius uidebitur expedire scili-
c cet unam iuxta ayrale Franchini de Berlenda eundo uersus Campagnolam aliam uero iuxta ayrale domini Petri de la Fontana et claussum Iacobi de la Grassa eundo uersus xxi et uersus Zayen expensis illorum qui habent facere in dictis contratis et aliorum quorum fuerit utilitas. Ita quod quidquid dixerint et fecerint predicti duo forestani in predictis et circa predicta quod uicarius siue potestas et eius iudices teneantur attendere et obseruare et obseruari et attendi facere sine solempnitate libelli et strepitu et figura iudicii et sint dicta opera completa usque ad kalendas iunii sub pena et banno solidorum centum pro quolibet forestano.

De muro faciendo ad portam nouam que est ultra pontem.

d Item statuerunt et ordinauerunt quod infra mensem principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur per procuratores comunis Yporegie duo boni forestani et fideles qui habeant et habere debeant curam et bayliam et prouisionem faciendi et construendi unum murum deuersus montem ex parte meridiei a porta noua que est ultra pontem ayralis dominorum Manuelis et Hugonis fratrum de Solerio usque ad sedimen ubi moratur Guillelmus de Capellino. Item faciendi aptari et meliorari omnes uias fractas et occupatas que sunt ultra pontem expensis illorum quorum fuerit utilitas ita et taliter quod dicti forestani possint imponere predictas talias

ut supradictum est ad eorum liberam uoluntatem et quidquid fuerit ordinatum per dictos forestanos in predictis et circa predicta uicarius siue potestas teneatur et debeat obseruare et obseruari facere imponendo penas et banna ad uoluntatem dictorum forestanorum siue figura et strepitu iudicii.

De uia Pasquerii aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra mensem principii regiminis potestatis siue uicarii eligantur duo boni forestani super uia Pasquerii aptanda a domo que quondam fuit Henrici de Blancha usque ad rochas Zapuzoni unus quorum habeat facere in dicta contrata et alius qui habeat curam et bayliam aptandi ipsam uiam et restringendi aquam que uenit a clausso Vercellini prestatoris et fratris eius et fontem Pasquerii sicut eis melius uidebitur faciendum expensis illorum qui habent facere in dicta contrata et aliorum quibus fuerit utilitas et quas expensas dicti forestani imponant sicut eis uidebitur et quod uicarius siue potestas et eius iudices teneantur et debeant ipsos forestanos facere fortes ad excutiendum eorum talias quas faciant occaxione ipsius et aque autande et que uia sit aptata usque ad exitum maii et qui forestani remunerentur arbitrio procuratorum comunis Yporegie de eorum labore.

De uiis extra portam de bando aptandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes uie que sunt fracte et male aptate deuersus portam de Bando aptentur et meliorentur expensis illorum qui habent facere in contratibus ubi dicte uie aptabuntur et expensis illorum quorum fuerit utilitas tam ecclesiasticorum quam laicorum cum deuersus portam de Bando sint plures sapelli de quibus bestie exire non ualent et quod ad predictas uias aptandas ponantur duo boni forestani ex illis qui melius sciuerint dictas uias et quod potestas siue uicarius et comune Yporegie faciat fortes dictos forestanos ad excuciendum talias que per dictos forestanos imponentur pro predictis uiis aptandis et quod si aliqua persona ecclesiastica nollet soluere taliam ei impositam et aliquod dampnum ei daretur in aliqua sua possessione quod persona que daret illud dampnum non compellatur ad solutionem pene alicuius et nichilominus tamen quicumque masnengus alicuius persone cui esset imposita talia ipsam soluere recusaret quod dictus eius masnengus pro qualibet uice qua faceret transitum per dictam uiam aptatam cuius occaxione imposita esset dicta talia condempnetur in solidos xx imperiales.

Ne aliquis molendinarius aplicet aliquod molendinum ad paxoneriam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat habere nec tenere seu *a* apodiare aliquod molendinum per teysam unam circum circa paxoneriam comunis Yporegie prope sanctum Stephanum de Yporegia que est in Duria sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice de solidis xx imperialibus et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni.

De uno lauello ponendo ad fontanam Puzolii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii eligatur unus bonus forestanus qui habeat curam et bayliam faciendi fieri unum bonum lauellum seu troum de lapide uel ligno ad fontanam Puzolii taliter quod equi et alie bestie possint in dicto la- *b* uello seu troeo abeuerari et predicta fiant expensis illorum qui habitant in Cita qui habent bestias et quod talia imposita per dictum forestanum predictus uicarius siue potestas teneatur excuti facere sine aliqua dilatione uel iuris solempnitate aliquo statuto non obstante.

De uno ponteto faciendo iuxta Doyram.

Item statuerunt et ordinauerunt quod a cantono fossati prati heredum Martini de domino Andrea usque ad Salacetum heredum domini Philippi de Putheo et heredum dicti Martini quod est ibi prope quod fossatum et salacetum sunt in capite Gramoneriis iuxta Doyrolam prope uiam que uadit ad *c* Doyrolam fiat unus bonus pontetus de muro et legnamine ita quod bestie et plaustra possint duci ire et reddire per dictum pontetum ad possessiones illorum qui habent facere in dicta contrata expensis illorum qui habent terras et possessiones in dicta contrata et quorum fuerit utilitas et etiam expensis illorum tenitorum qui tenent terras et possessiones ad censum in dicta contrata et super predictis faciendis ponantur seu eligantur per procuratores infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii duo forestani qui habeant curam et bayliam predicta fieri faciendi et taliam imponendi et excuciendi sicut melius et utilius et equalius eis uidebitur et capiendo de terreno seu terrenis et possessionibus que erunt circa terram et pontetum *d* pro dicto ponteto et uia facienda restituendo seu emendo dictum terrenum quod sic caperetur ab illo uel illis quibus esset dictum terrenum arbitrio et extimatione duorum bonorum hominum comuniter electorum et quod uicarius qui pro temporibus fuerit proprio iure teneatur predicta omnia et singula facere adimpleri et ita quod dictum opus sit completum usque ad Pascha resurrectionis Domini proxime uenientis.

De uia de Zapuzono aptanda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uia de Zapuzono bene aptetur et inchoetur ita quod bestie et plaustra possint per ipsam uiam ire et red-

dire scilicet a clausso Iacobi de la Grassa quod est *a* in Pasquerio usque ad uiam qua itur uersus rapetum expensis illorum qui habent facere in dicta contrata et quorum fuerit utilitas et super hoc ponantur duo forestani qui habeant preuisionem curam et bayliam super dicta uia facienda prout eis melius uidebitur expedire et taliam impositam per ipsos forestanos uicarius siue potestas teneatur excuti facere ad uoluntatem dictorum forestanorum non obstante aliquo statuto.

Ne aliqui superstantes debeant excutere aliquam taliam donec examinata fuerit per procuratores comunis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis uel *b* aliqui superstantes electi pro aliquo opere faciendo non possint nec debeant excutere uel excuti facere aliquam taliam nisi prius predicta talia seu talie examinate fuerint per procuratores comunis uel maiorem partem ipsorum qui pro temporibus fuerint ad hoc ut predicte talie equalius ponantur et fiant.

De uia reaptanda que est in medio prati sancti Iohannis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod per camparios porte de Bando reaptetur et reaptare teneantur uiam que est in medio prati sancti Iohannis et pratorum Guillelmini de Stria et heredum domini Giroldi et Iohanneti quondam de Morello *c* et prati Ubertini de Stria et ipsa uia reaptata dominus uicarius teneatur speciali sacramento cogere ad soluendum dictis campariis omnes qui inde utilitatem habuerint de dicta uia sic reaptata et credatur de expensis sacramento dictorum campariorum et sit completa dicta uia usque ad exitum mensis aprilis.

De uno ponteto faciendo subtus Costam Bellam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis domini uicarii eligantur per procuratores comunis duo forestani qui habeant curam et bayliam fieri faciendi unum pontetum subtus Costam Bellam a prato Didorum usque in co- *d* mugnam ad guadum Doyrole expensis illorum quorum fuerit utilitas et quod dicti forestani possint imponere taliam dicto opere facto illis quibus fuerit utilitas et facta dicta talia uicarius qui fuerit pro temporibus teneatur ipsam excuti facere.

De uiis aptandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes uie publice que sunt extra ciuitatem Yporegie in campariis comunis Yporegie aptentur et reaptentur expensis dicti comunis et omnes alie uie uidelicet uie que sunt in poderio Bolengi et Piueroni et omnium aliorum locorum districtus Yporegie aptentur et reaptentur per predictos comunes uidelicet quelibet uia reaptanda super poderia dictorum comunium. et super predictis ponantur tres forestani uidelicet tres in ciuitate Yporegie et tres in quocumque loco seu uilla et burgo. Qui forestani habeant bayliam predicta fieri faciendi et taliam imponendi in eorum loco uilla et burgo et quidquid fecerint et ordinauerint dicti forestani uicarius qui pro temporibus fuerit teneatur obseruare et impleri facere.

De uiis aperiendis et terminandis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius iudices siue miles qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant infra xv dies principii eorum regiminis ponere et poni facere in credencia quid placuerit ipsi credencie ordinare de uiis tam publicis quam uicinalibus occupatis per quamcumque personam seu personas in totum uel in parte aperiendis et diffiniendis et terminandis. Et quod nichil aliud ponatur in ipsa credencia et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso non possit peti licencia neque dari.

De parochiis meliorandis.

Item statuerunt et ordinauerunt ad hoc ut opera pietatis augeantur et uincantur et quod parrochiani et parrochiane libencius in dictis ecclesiis conuersentur et conueniantur quod potestas siue uicarius teneatur et debeat infra mensem principii sui regiminis curare et facere cum effectu quod per procuratores qui pro temporibus fuerint eligantur duo boni forestani pro qualibet ecclesia infrascriptarum trium ecclesiarum scilicet sancti Petri de Cita sancti Saluatoris de Burgo et sancti Donati de Mercato qui habeant bayliam et potestatem faciendi reaptari meliorari et reddifficari predictas ecclesias secundum quod maiori parti dictorum parrochianorum dictarum ecclesiarum scilicet de qualibet parrochia placuerit faciendum expensis dictorum parrochianorum dictarum ecclesiarum et dictos forestanos fortes facere ad executionem quam fecerint si de predictis predicti parrochiani seu maior pars ipsorum fuerint concordes.

De non tenendo afaytamentum loreorum in ciuitate Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus possit uel debeat facere uel tenere aliquod afaytamentum coyraminis pelliciarum uel aliud afaytamentum uel portare pelles afaytatas que reddant seu reddere possint fectorem intra portas ciuitatis Yporegie nisi in area Sancti Spiritus et casetis retro sanctum Stephanum prope Duriam et aliis locis deuersus glarum Durie et qui contrafecerit soluat pro banno pro qualibet uice solidos v imperiales

et quilibet possit accusare et habeat medietatem a
banni.

De non ponendo stramum in uia Grassorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus possit uel debeat ponere aliquod afaytamentum uel terracium in uia Grassorum qua itur ad glarum Durie etiam ultra murum Guillermi de Stria sed portetur ipsum terracium uel affaytum prope aquam Durie et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos quinque imperiales et possit quilibet accusare et habeat medietatem banni et intelligatur de aliis uiis quibus itur ad Duriam et duret hoc statutum ab anno currente millesimo ter- b
centesimo uigesimo quinto ad quinque annos tantum.

De non ponendo bestias mortuas prope ciuitatem Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona ciuitatis Yporegie uel undecumque sit audeat uel presumat ponere uel poni facere aliquam bestiam mortuam in aliquo loco nisi ille locus sit remotus a ciuitate Yporegie per unum miliare ad minus nisi ipsam bestiam posuerint subter terram tribus pedibus ad minus uel in aliqua aqua ita quod inde fector uenire non possit et qui contrafecerit soluat pro qualibet uice solidos decem imperiales et quilibet possit accusare et habeat medietatem c
banni et duret hoc statutum ab anno currente millesimo tercentesimo uigesimo quinto usque ad quinque annos.

De uno cuniculo faciendo a domo heredum Alberti de Bugella usque ad portam Nouam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod fiat unus bonus cuniculus a domo Alberti de Bugella quondam usque ad uiam que est subtus portam Nouam que uadit ad Duriam expensis illorum qui habent domos in dicta contrata sancti Mauricii et etiam illorum qui tenent in dicta contrata domos perpetuales et non ad modicum tempus ab utraque parte uie et etiam illorum quorum fuerint latrine que ue- d
nerint et porrigentur in dictum cuniculum faciendum in stratam dicte uie Ruche sancti Mauricii. Item quod fiat unus alius cuniculus a domo Iacobi Canis usque subtus Putheum qui est prope domum Francisci de Putheo qui uadat et porrigatur in dictum cuniculum dicte Ruche sancti Mauricii et fiat similiter dictus cuniculus expensis illorum de dicta contrata et quorum latrine ueniunt in dictam stratam. Et super dictis cuniculis faciendis ponantur tres boni forestani qui habeant bayliam super predictis omnibus faciendis et etiam faciendi taliam occaxione predictorum prout eis expedire uidebitur et teneatur potestas siue uicarius et iudices eius facere fortes dictos forestanos ad excutiendum di-

etam taliam et talias sine aliqua iuris solempnitate et hoc statutum sit precissum et trunchum.

De uno cuniculo faciendo in Rucha coperta.

Item statuerunt et ordinauerunt quod fiat unus bonus cuniculus in Rucha coperta a domo Guiglelmini de Roseta usque ad pedem Ruche coperte expensis illorum qui habent ibi domos et etiam illorum qui ibi domos perpetuales habent ad censum uel ad non modicum tempus et etiam illorum quorum latrine discurrunt in uia dicte Ruche et ponantur super hoc duo boni forestani qui habeant bayliam faciendi predicta et imponendi taliam omnibus quibus expedire uidebitur et teneatur similiter uicarius siue potestas et iudices eius eos fortes facere ad dictam taliam excutiendam prout in superiori capitulo continetur.

De non ponendo fimo uel terracio apud murum alterius.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona audeat uel presumat ponere seu poni facere fimum terracium uel aliud turpe siue sterquilinium apud murum alterius sine licencia et consensu illius cuius fuerit dictus murus sub pena et banno solidorum quinque pro quolibet et qualibet uice et teneatur potestas siue uicarius et eius iudices ad requisitionem illius persone cuius fuerit ipse murus dictum terracium fimum uel aliud fimum uel aliud quod ibi positum fuerit facere tolli et asportari infra duos dies postquam sibi denunciatum fuerit sine aliqua cognitione uel iuris solempnitate.

De uno cuniculo faciendo prope domum Petri Cuxi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod fiat unus cuniculus qui recipiat sterquilinium et alias putredines discurrentes et descendentes de quadam riana que est in medio domorum Petri Cuxi et heredum domini Uberti de Stria et Iacobi de Musobolo in uiam publicam per quam itur ad Duriam que uia appellatur uia Grassorum expensis illorum quorum sunt domus circumstantes dicte riane et aliorum de dicta contrata quorum fuerit utilitas et predictum cuniculum duret et protendatur usque ad extra murum ayralis Guillermini de Stria quod tenent domini Manoel et Hugo de Solerio et super hiis ponantur duo boni forestani per procuratores comunis Yporegie ad predictum opus faciendum seu fieri faciendum infra xv dies principii regiminis domini potestatis siue uicarii qui habeant bayliam imponendi et faciendi taliam pro dicto opere faciendo contra illos quorum sunt dicte domus et quorum fuerit utilitas prout eis uidebitur. et quod uicarius siue potestas teneatur et debeat speciali sacramento predictos forestanos fortes facere ad predictam taliam

excuciendam et predictum opus compleatur usque ad Pascha resurrectionis domini iurando dicti forestani ad sancta Dei euangelia predictum eorum officium fideliter exercere prout superius continetur et qui forestani remunerentur de eorum labore arbitrio procuratorum comunis.

De uiis aptandis ecclesiarum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat proprio et speciali sacramento una cum procuratoribus comunis Yporegie infra xv dies principii sui regiminis ire ad dominum episcopum Yporegie et ipsum dominum episcopum cum instancia requirere ex parte comunis et hominum Yporegie ut ipse dominus episcopus dignetur constringere et cogere presbiteros et rectores ecclesiarum sanctorum Solutoris Mauricii et Odderici et rectorem hospitalis de Burgo ut predicti et quilibet predictorum teneantur et debeant aptare et solare seu aptari et solari facere uias publicas que deficiunt ad aptandum et solandum ante eorum ecclesias et hospitale predictum quod solum facere debeat seu fieri facere de bonis madonis quod si predicta facere noluerint uel recusauerint quod canonici Yporegie non debeant pro eo anno quo predicta facere recusauerint uel noluerint dare eis aliquos cereos.

De fimo non ponendo uel aliquid aliud in uiis euntibus ad Duriam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat ponere seu tenere a domibus in quibus habitat Petrus Speciarius de Cherio cum uxore sua et Anthonius Pacotus usque ad portas Durie aliquas lapides seu aliquas trabes seu fimum uel scouicium nec aliquid aliud turpe uel fetidum uel terracium a dictis portis ueniendo usque ad dictas domos sub pena et banno solidorum II imperialium pro quolibet et qualibet uice si contrafactum foret et idem intelligatur de uia Grassorum et in uia in qua habitat Dominicus de Perero et duret hoc statutum usque ad annum currentem MCCCXXXII et non ultra.

De Strata leuata facienda a sancto Iohanne de Strata usque ad Balfredum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod a sancto Iohanne de Strata usque ad Balfredum fiat una strata leuata fortis et pulcra et bene edificata super qua facienda et edificanda ponantur et eligantur per procuratores comunis Yporegie duo uel tres boni forestani qui habeant curam et prouisionem dictam stratam leuatam fieri faciendi et omnia alia et singula faciendi et complendi et ordinandi que fuerint necessaria et oportuna circa predicta et qui iurent dictum eorum officium fideliter exercere et
a adimplere et quod teneatur dominus potestas siue uicarius infra xv dies post suum aduentum istud poni facere in credencia et ipsam credenciam detinere quousque modus et uia inuentus siue inuenta fuerit per quam dicta uia siue strata leuetur et compleatur saltem infra tempus sui regiminis et predicta teneatur facere et adimplere proprio et speciali sacramento non obstantibus aliquibus statutis in libro statutorum contentis ouiantibus in toto uel in parte predicto statuto.

De uia Pusterne aptanda et melioranda.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uia Pusterne de mercato aptetur et aptari debeat expensis illo-
b rum quorum interest et illorum qui habent ibi facere et super hoc ponantur duo boni forestani per dictum potestatem siue uicarium et procuratores comunis qui habeant bayliam aptandi et aptari faciendi dictam uiam et imponendi taliam illis quorum interest secundum quod ipsis forestanis uidebitur expedire.

De non ponendo paleas fenum stramum seu lapides in stratis suburbiorum de bando.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat ponere nec poni facere aliquas paleas fenum seu stramum nec aliquod afaytamentum calcinam seu puluerem in stratis seu uiis
c suburbiorum porte de bando scilicet a dicta porta bandi usque ad alias tres portas suburbiorum sancti Laurencii et Vinzeloche et cantoni sancti Stephani nec in ipsis stratis facere nec fieri facere aliquas foueas et si que sunt debeat ipsas implere de terra usque ad exitum ianuarii nec in ipsis stratis possit aliquis facere montonos lapidum uel leami nisi ipsos exportauerint infra tertiam diem postquam ipsos montonos fecisset nec etiam ponere nec tenere lignamina seu trabes in ipsis uiis que impediant gentes bestias seu plaustra ad eundum per ipsas uias sub banno solidorum quinque imperialium pro quolibet et qualibet uice et credatur sacramento cuiuslibet accusantis qui habeat medietatem dicti banni et duret hoc statutum ad nolun-
d tatem credencie et non ultra.

De porta facienda in Rucha que est retro sanctum Nazarium.

Item statuerunt et ordinauerunt quod fiat et fieri debeat una bona porta de muro et assidibus in quadam Rucha que est inter domum sancti Nazarii et domum sancti Laurencii expensis illorum quorum interest et illorum qui stant extra portam bandi et super hoc ponantur duo boni forestani per dominum potestatem siue uicarium et procuratores comunis qui forestani habeant bayliam faciendi fieri dictam portam et faciendi claudi dictam Rucham ita quod aliquis non possit intrare nec

exire de nocte per ipsam Rucham et imponendi ta- a
liam pro dicta porta facienda secundum quod eis uidebitur expedire.

De portis et eorum clauaturis aptandis et eorum clauanderiis eligendis.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis et hominum Yporegie ad sonum campane more solito conuocata et congregata de mandato nobilis uiri domini Philippi de Petra Sancta potestatis Yporegie die martis XVII mensis decembris anni currentis MCCCVIII indictione VI quod omnes porte uidelicet porta de bando porta pontis porta calderaria porta pusterne de mercato porta de la fontana porta bossonis porta lacus et porta b
Durie prope domum domini Facii de Stria aptentur bene et diligenter ita quod ipse omnes porte possint bene et competenter claudi et clauari de bonis clauaturis clauibus et ueribus. et teneantur procuratores qui sunt et pro temporibus fuerint dare claues in custodia aliquibus bonis ciuibus ciuitatis Yporegie quibus uidebitur ipsis procuratoribus qui custodes siue clauanderii cuiuslibet ipsarum portarum teneantur ipsas portas claudere et clauare semper ad sonum ultime campane que pulsatur ad non eundum de nocte et ipsas aperire in aurora diei et qui clauanderii et custodes dictarum clauium contrafecerint soluant pro pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidos XX imperiales. quibus clauanderiis fiat remuneratio de eorum opere c
et labore per comune et de auere comunis secundum quod uidebitur procuratoribus qui pro temporibus fuerint et hoc statutum in hoc quod dicit de hora claudendi et aperiendi dictas portas non uindicet sibi locum tempore messium nec uindemiarum.

De non ponendo fimum uel scouicium in uia sancti Francisci.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona possit terracium seu scouicium uel alium fimum ponere in uia que est a cantono sancti Francisci et domus confrarie usque ad pusternam qua itur Duriam et qui contrafecerit soluat pro quoli- d
bet et qualibet uice solidos quinque et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni.

De non ponendo scouicium uel putredinem aliquam a cantono domus Guiglodini usque ad domum Petri Olieri.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona a cantono domus Guiglodini speciarii et domus domini Mathei Droy que sunt in burgo nouo usque ad domos que sunt retro putheum burgi noui ad domum Petri Olierii possit sterquilinium seu aliam putredinem scouitium facere seu ponere sub pena et banno solidorum quinque pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni.

De non ponendo sterquilinium in quadruuio becharie de Cita.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona possit nec debeat ponere seu facere fimum sterquilinium seu scouicium in quadruuio becharie de Cita nec in terreno ubi consueuit esse hospitaletum sub pena et banno solidorum quinque pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni et nichilominus qui contrafecerit cogatur amouere quod posuerit.

De non ponendo aliqua impedimenta in uia quondam Peroni de Perero.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis non possit nec debeat ponere aliquos trabes seu lignamina seu alia impedimenta in uia qua itur uersus Duriam a cantono domus quondam Peroni de Perero infra et qui contrafecerit soluat solidos quinque pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni.

De fossato Balfredi tenendo curato per confiniatores dicti fossati.

Item statuerunt et ordinauerunt ad utilitatem et maiorem fortitudinem ciuitatis Yporegie quod quelibet persona que confiniat seu confiniauerit habet seu habuerit aliquam possessionem iuxta fossatum Balfredi quod est comunis Yporegie et quod fossatum factum est pro clausura et maiori forcia dicte ciuitatis Yporegie teneatur et debeat de cetero pro quolibet et qualibet uice sub pena et banno solidorum LX imperialium curare seu curari facere dictum fossatum et in perpetuum tenere curatum eatenus quatenus dictum fossatum confiniauerit cum dicta sua possessione et plantare seu plantari facere super ripam dicti fossati deuersus Yporegiam unam bonam cexiam bozolatam in quantum confiniauerit cum predicto fossato et cexiam predictam sic plantatam manutenere et aleuare et si aliqua persona confiniaret ibi que non esset iurisdictionis uicarii siue potestatis Yporegie et nollet attendere nec obseruare predictum statutum quod tunc si fieret sibi aliquod dampnum in dicta possessione que confiniaret cum dicto fossato quod inde non consequatur aliquam emendam uel inde soluatur bannum.

De banchis non tenendis in mercato pro quibus impediatur ire per uias mercati.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat tenere nec habere in contrata que appellatur mercatum in uiis publicis

aliquas banchas uel aliquid aliud quod impediat a
personas ire ad predictas uias siue per dictas uias preter scalas antiquas que ibi sunt et esse consueuerunt exceptis diebus in quibus sunt nundine et mercata in quibus diebus nundinarum et mercatorum dictum statutum non habeat nec uindicet sibi locum et qui contrafecerit soluat pro pena et banno solidos quinque imperiales et quilibet possit accusare et habeat accusator medietatem banni non obstante aliquo capitulo precedente uel sequente in quantum presenti statuto obuiaret.

De uno turiono faciendo circa palacium comunis Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod fiat circa b
palacium comunis Yporegie ubi melius uidebitur forestanis super hoc eligendis unus turionus ubi ponantur una uel due campane comunis et ubi possit stare et facere si opus fuerit unus custos et ad predictum opus faciendum et in ipso opere potestas siue uicarius qui est et qui pro temporibus fuerit teneatur expendere et expendi facere omni anno libras xx imperiales ad minus donec completum fuerit dictum opus et super hoc eligatur omni anno unus bonus forestanus ad faciendum fieri dictum opus.

De dando ad censum fossatum de bando.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii fu- c
turi ponatur in credencia de dando ad censum fossatum de bando plus offerenti et quod possint fieri horti aliquo statuto non obstante.

De remuneratione facienda forestanis electis super aliquo opere faciendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quandocumque contigerit aliquem forestanum uel forestanos qualitercumque eligi super aliquo opere faciendo quod fiat et fieri debeat ei remuneratio iuxta arbitrium procuratorum comunis Yporegie qui pro temporibus erunt sumptibus et expensis illorum quorum sumptibus et expensis fiet dictum opus.

De pactis dominorum de Vallexia.

Item statuerunt et ordinauerunt quod conuentiones et pacta facta inter comune et homines Yporegie et dominos de Vallexia et de Ponte sancti Martini attendantur et obseruentur ipsis dominis de Vallexia et Ponte sancti Martini si ipsi domini obseruauerint pacta que ipsi habent cum dicto comuni et si contingeret quod dicti domini peterent domum Prolatorum uel aliquod ius occaxione ipsius domus quod omnia iura ipsius comunis sint reseruata ipsi comuni contra ipsos dominos de Vallexia et de Ponte sancti Martini.

De pactis dominorum de Castruzone.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius teneatur attendere et attendi et obseruari facere dominis de Castruzone omnia eorum conuentiones et pacta que habent cum comuni Yporegie et de quibus traditum est instrumentum per Petrum de Erbis notarium sub anno Domini MCCLXXXII indicione x die sabbati ultimo mensis ianuarii ipsis dominis de Castruzone integre attendentibus et obseruantibus dicto comuni omnia et singula pacta et conuentiones de quibus eis tenentur et que in dicto instrumento continentur.

De pactis dominorum de Septimo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius Yporegie qui est et qui pro temporibus fuerit teneatur attendere et obseruare et attendi et obseruari facere dominis de Septimo pacta et conuentiones que et quas habent cum comuni Yporegie que continentur in quodam instrumento scripto per Iohannem notarium et de quibus dictum comune eis tenetur. Et quod hoc statutum de libro statutorum comunis Yporegie modo aliquo uel ingenio extrahi remoueri seu canzellari non debeat nec possit et super quo iurent potestates siue uicarii Yporegie sic attendere et obseruare et attendi et obseruari facere ipsis dominis attendentibus et obseruantibus dicto comuni integre omnia ea et singula de quibus tenentur uersus dictum comune et ipsi comuni. eo saluo et exceptato quod ipso statuto durante et existente in ipso libro statutorum comune et homines Yporegie non teneantur ipsis dominis de Septimo facere illud sacramentum quod continetur in dicto eorum instrumento de eorum pactis remouendis et iurandis per credenciam et per hostium de quinquennio in quinquennium nec de ipsis requiri possint ipsi comune et homines Yporegie et si remoueretur dictum statutum de dicto libro eorum instrumentum remaneat in sui roboris firmitate. et eo exceptato quod per hoc statutum non fiat preiudicium comuni Yporegie super facto hominum habitancium in burgo uallis Montisalti nec occaxione ipsius burgi nec
d quantum in facto ipsorum hominum nec eorum occaxione et dicti burgi. potestas siue uicarius Yporegie nec comune teneantur de hoc sacramento nisi in tantum quod quociens aliquem dicti domini de Septimo requisiuerint potestatem de eo quod habent in dicto burgo quod potestas siue uicarius in cambio eis dando et in faciendo eos goldire de hiis que ibi habent faciat eis illud idem fieri quod factum est uel fieret alicui homini Yporegie. et hoc statutum et omnia que in eo continentur fuerunt per dominum Franciscum de Petra Sancta potestatem Yporegie in anno Domini MCCLXXXII indicione x die ueneris penultimo mensis ianuarii et per credenciarios dicti comunis nomine dicti comunis dominis Iohanni de Septimo et Iacobino

domini Raynerii de Septimo recipientibus eorum a
nomine et nomine fratrum et nepotum et heredum eorum sic perpetuo attendere et obseruare et per predictos dominos de Septimo eorum et predicto nomine sic iuratum extitit dicto potestati et credenciariis eorum nomine et dicti comunis recipiendo perpetuo integre attendere et obseruare et contra non uenire et attendi et obseruari facere omnia et singula de quibus ipsi domini de Septimo tenentur uersus dictum comune et quod facient et iurabunt cum effectu quod fratres eorum et nepotes cum uenerint ad etatem annorum xiiii et illi qui ex nunc habent xiiii predicta omnia et singula attendere et obseruare et contra non uenire permittent ratificabunt et iurabunt et hoc statutum sit precissum. b

De aliis conuentionibus eisdem dominis de Septimo obseruandis.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis Yporegie et capitum domorum ad sonum campane more solito et uoce preconia conuocata de mandato Domini Iohannis Francexii de Cerreto potestatis Yporegie die sabbati xviiii mensis maii currente mccciι indicione xv quod omnia pacta et conuenciones et pronunciamenta facta et inita inter comune et homines seu certas personas nomine ipsius comunis ex una parte et dominos de Septimo ex altera sicut continentur in quodam instrumento publico facto per Martinum de domino c
Andrea notarium in anno Domini mccc indicione xiii die lune xvii mensis octubris seu aliis quibuscumque instrumentis cum infrascripta prouisione hodie facta et reformata in supradicta credencia et cum dictis dominis de Septimo firma et rata perpetuo attendantur et inuiolabiliter obseruentur in fauorem dictorum dominorum de Septimo et potestas iudices et rectores Yporegie qui sunt et pro temporibus fuerint teneantur precisso et speciali iuramento predicta omnia et singula supra et infrascripta attendere et obseruare et attendi et obseruari facere cum effectu maxime quandocumque semper et quotienscumque per dictos dominos de Septimo uel alterum eorum uel aliam personam uel personas pro eis fuerint requisiti non obstan- d
tibus aliquibus statutis reformationibus prouisionibus seu quibuscumque aliis ordinamentis uel decretis factis uel faciendis que possent predictis uel aliquibus predictorum in aliquo obuiare uel ea modo aliquo impedire que predicta obuiancia uel impediencia non possint nec debeant obseruari sed pro cassis et uacuis habeantur nec possint nec debeant aliqui iudices aduocati procuratores sindici seu quecumque alie persone singulares comune uel uniuersitas contra predicta uel aliquod predictorum seu contra presens statutum aliquid dicere aduocare procurare scribere seu consulere ordinare tractare uel aliquo modo facere et qui contrafecerit soluat pro banno libras x pro qualibet uice cuius prouisionis tenor talis est.

Hec est prouisio facta per infrascriptos sex sapientes scilicet dominos Petrum de domino Andrea Bonifacium de Orio Petrum de Berlenda Iohannem de la Grassa Facium de Stria et Guillelmum Grassum electos et deputatos per credenciam et comune Yporegie super facto illorum de Monteastruto.

In primis prouiderunt statuerunt et ordinauerunt pro honore et utilitate comunis Yporegie ut ipsum comune et homines Yporegie possint liberalius habere et munire castrum Septimi secundum eorum pacta ut inde possint melius consequi ius et honorem suum contra illos de Monteastruto qui nunc sunt rebelles comunis Yporegie quod prouisio et declaratio olim pro dominis de Septimo per dominum Petrum de domino Andrea Iacomotum de Solerio et Ubertum de Parochia de burgo uallis Montaldi firmentur per credenciam comunis Yporegie et capitum domorum cuius tenor talis est.

Hec est prouisio declaratio et estimatio facta per dominum Petrum de domino Andrea Iacomotum de Solerio et Ubertum de Parrochia de burgo uallis Montisalti deputatos per credenciam comunis Yporegie super restitucione facienda dominis de Septimo de ea terra et hominibus quos habebant in burgo uallis Montalti et aliis eorum possessionibus existentibus in territorio dicti burgi et poderio super peticionibus infrascriptis quas fecerunt dicti domini predictis de causis. In primis super eo quod dicti domini petunt iugera iiii et medium terre eorum quam dicunt esse inclusa in dicto burgo et fossatis et circumstanciis et quam terram dicti domini ponunt ad libras xx imperiales pro quolibet iugere dicunt declarant et estimant predicti sapientes dictam terram esse duo iugera tantum quam estimant ad libras viii pro quolibet iugere eisdem dominis per comune Yporegie restituendas. Item dicunt estimant et declarant fructus et godimentum dicte terre que percipi potuissent a xxv annis citra quod fuit constructus dictus burgus ascendere ad staria l siliginis que debeant restitui per dictum comune dictis dominis ad rationem solidorum vi pro quolibet stario. Item super eo quod dicti domini petunt restitutionem de xvii eorum hominibus quos habent in dicto burgo scilicet de bannis iurisdictione mero et misto imperio roydis seruiciis exercitibus caualcatis fidelitatibus successionibus et omni pleno segnorerio dictorum hominum que omnia iura dictorum hominum ipsi domini ponunt ad solidos xx pro quolibet homine et pro quolibet anno dicunt estimant et declarant ipsi sapientes predicta iura seu extimationem ipsorum iurium xv ipsorum hominum tantum esse restituenda predictis dominis quam estimationem ponunt ad solidos viii imperiales pro predictis iuribus cuiuslibet dictorum xv hominum pro quolibet anno dictorum xxv annorum preteritorum summa quarum omnium quantitatum tam estimationis dicte terre quam fructuum et godimentorum ipsius et omnium iurium predictorum xv hominum ascendit ad libras cc imperiales minus solidis v saluo quolibet errore. Quas omnes

quantitates dicunt pronunciant et declarant esse a
dandas soluendas et restituendas per dictum comune Yporegie dictis dominis de Septimo usque ad unum annum proximum uenientem et si dictum comune predictas quantitates eis non soluerit ad dictum terminum sint ipse quantitates et habeant eas dicti domini super iuribus que habet dictum comune in custodia castri de Septimo ita quod dum dictum comune steterit ad soluendum eisdem dominis uel eorum heredibus predictas quantitates ipsi domini nec eorum heredes reddere teneantur dictum castrum dicto comuni aliqua de causa nec aliquam personam uel personas pro dicto comuni in ipso castro recipere non obstantibus pactis conuentionibus seu pronunciamentis aliquibus factis et contractis inter dictos dominos et predictum comune. Teneantur tamen b
ipsi domini interim de ipso castro facere pacem et guerram pro comuni Yporegie et quandocumque dictum comune dederit seu parati fuerint dare cum effectu dictas quantitates predictis dominis uel eorum heredibus tunc sint et remaneant dictum comune et dicti domini et eorum pacta in eo iure in quo nunc sunt.

Item dicunt pronunciant et declarant super aliis terris et possessionibus dictorum dominorum existentibus extra dictum burgum in territorio et poderio ipsius burgi quod homines qui tenent ab eisdem dominis dictas terras reddunt eis ex ipsis possessionibus modica godimenta pro eo quod erant eorum homines de pleno segnorerio quod comune et homines Yporegie potestates et rectores qui nunc sunt et c
pro temporibus fuerint teneantur facere et curare omnimode cum effectu quandocumque per dictos dominos fuerint requisiti quod omnes et singuli homines qui tenent aliquas terras et possessiones a dictis dominis uel aliquo ipsorum in dicto territorio et poderio dicti burgi teneantur et compellantur incontinenti dimittere et relaxare libere pacifice et quiete ipsas terras et possessiones ipsis dominis a quibus eas tenent et ipsos dominos fortes facere ad capiendum intrandum et occupandum ipsas terras et possessiones. Quas etiam possint eorum propria auctoritate per se et per alios aprehendere impune et retinere nisi predicti homines de ipsis terris et possessionibus se concordauerint cum ipsis dominis et quod non fiat per aliquas d
personas comune collegium uel uniuersitatem quominus dicti domini habeant et recuperent dictas eorum possessiones et faciant de hiis ad eorum liberam uoluntatem et predicta omnia et singula dictum comune Yporegie seu credencia nomine ipsius comunis et predicti domini de Septimo promittant et teneantur ad inuicem attendere et obseruare et non contrafacere uel uenire sub pena restitutionis omnium dampnorum expensarum et interesse et obligatione omnium eorum bonorum. Et de predictis omnibus obseruandis fiat statutum precissum perpetuo obseruandum quod ponatur in libro statutorum comunis sicut melius firmari poterit ad maiorem securitatem dictorum dominorum de Septimo.

Item quod dicti domini de Septimo in ipsa credencia confiteantur ipsi credencie nomine comunis et illi de credencia eisdem dominis eodem modo confiteantur sibi ad inuicem omnia pacta et conuentiones facta de nouo inter easdem partes fuisse per utramque ipsarum partium obseruata et adimpleta usque in presentem diem excepta presenti suprascripta prouisione que debeat obseruari non obstante dicta confessione et de quibus pactis et conuentionibus constat dictum publicum instrumentum scriptum per Martinum de domino Andrea notarium ita quod dicta confessio non preiudicet hominibus de Septimo qui sunt restituendi in Septimo ex forma supradictorum pactorum. Quam quidem confessionem predicte partes nomine quo ut supra sibi ad inuicem fecerunt prout supra plenius continetur. Et hoc statutum et omnia et singula in eo contenta sint precissa et truncha et perpetuo obseruanda nec de hiis possit peti licencia neque dari sine expressa et spontanea uoluntate ipsorum dominorum uel maioris partis eorum nec de libro statutorum possit tolli abradi cassari corrigi uel mutari seu in aliquo minui nec contra dictos dominos in aliquo exponi nec interpretari seu declarari.

Quod instrumenta et pactiones facta inter comune Yporegie et dominos de Septimo perueniant in comune Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod instrumenta et pactiones facta et celebrata inter comune Yporegie ex una parte et dominos de Septimo ex altera tam occaxione castri Septimi quam occaxione burgi uel alia quacumque occaxione tam ex pronunciamento facto per dominum episcopum Yporegie quam per dominum marchionem Montisferrati quondam quam aliter quod ipsa omnia instrumenta et pacta et pronunciamenta perueniant in comune et quod potestas siue uicarius qui pro temporibus fuerit teneatur omni anno facere legi semel publice in credencia ita quod comune Yporegie et homines sciant quid statutum sit in premissis et predicta scribantur in libro statutorum comunis.

De estimo comunis et hominum de Septimo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod estimum comunis et hominum de Septimo redducatur ad extimum quod erat iam sunt anni tres elapsi quod extimum est librarum centum imperialium ita et taliter quod ipsi teneantur et debeant soluere fodra et talias comunis et hominum Yporegie secundum extimum in quo erant dicto tempore et predictum statutum extendatur tam ad fodra imposita a duobus annis citra per comune et homines Yporegie quam imponenda et statutum sit precissum et trunchum ita quod de eo non possit peti liçencia nec dari in toto nec in parte.

De pactis dominorum de Monteastruto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius teneantur et debeant attendere et obseruare et attendi et obseruari facere dominis de Monteastruto omnia pacta et conuentiones que et quas ipsi habent cum comuni Yporegie de quibus traditum est per Petrum de Erbis notarium instrumentum currente millesimo ducentesimo LXXXII indicione decima die dominico primo mensis februarii ipsis dominis de Monteastruto attendentibus et obseruantibus dicto comuni omnia et singula pacta et conuentiones de quibus eis tenentur et que in dicto instrumento continentur.

De pactis heredum Manfredi de Montealto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius Yporegie teneatur attendere et obseruare omnia pacta habita cum domino Maufredo quondam de Montealto occaxione sui citanayci et non contrauenire.

De conseruando dominum Petrum de domino Arnaldo in possessione paxue.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius Yporegie et eius iudices debeant manutenere dominum Petrum de domino Arnaldo de Solerio in possessione paxue que est in territorio Lexuli in qua erat dictus dominus Arnaldus quondam tempore primi introytus domini Guillelmi marchionis Montisferrati in Yporegia.

Quod homines Bolengi et Parrochie tractentur ut ciues.

Item statuerunt et ordinauerunt quod homines Bolengi et homines Parrochie sancti Christophori per potestatem siue uicarium et comune Yporegie tractentur et manuteneantur et defendantur ut alii ciues et habitatores Yporegie et in collectis fodris et aliis expensis et quod predicti homines de Parrochia possint pro eorum uicinanciis faciendis inter se banna precipere et imponere et exigere usque ad imperiales XII.

De comuni et hominibus Palacii separandis a comuni et hominibus Piueroni.

Item statuerunt et ordinauerunt quod comune loci Palacii sit et esse debeat separatum et diuisum a comuni Piueroni tam ad territorium et extimum quam ad omnia onera dacia et scuftas substinenda secundum quod erat separatum et diuissum tempore pactorum factorum inter comune Yporegie et comune Vercellarum de dictis locis Palacii et Piueroni et ante ipsa pacta. et quod nullomodo inquietentur uel turbentur predicti comune et homines Palacii in possessionibus uel quasi standi sic
a separati et diuisi a comuni et hominibus Piueroni quoad omnia sicut erant tempore ipsorum pactorum et ante. et quod inhibeatur et precipiatur comuni et hominibus Piueroni sub certis penis et bannis ponendis arbitrio potestatis et cuiuscumque rectoris Yporegie et ab eis auferendis tociens quociens per comune Palacii fuerint requisiti ut non turbent et molestent comune et homines Palacii in predictis et circa predicta et quod comune et homines Palacii non teneantur comuni et hominibus Piueroni nec debeant eisdem subesse uel in aliquo obedire non obstantibus aliquibus pactis conditionibus pronunciamentis uel aliis quibuscumque factis uel faciendis per ipsa comunia Palacii et Piueroni uel aliquod ipsorum in fauorem ipsorum uel alterius
b eorum uel per comune Vercellarum et hoc statutum sit precissum et trunchum nec possit de libro statutorum comunis Yporegie remoueri uel deleri consilio credencie uel arengi.

De obseruando pronunciamento facto inter homines Bolengi et Albiani.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas et eius iudices et comune Yporegie teneantur et debeant manutenere substinere et defendere ac tueri comune et homines Bolengi in omnibus et singulis que dicta sunt sententiata pronunciata precepta et arbitrata per dominos Iohannem de Solerio Iofredum Taliandum arbitros et arbitratores inter co-
c mune et homines Yporegie et comune et homines Bolengi seu eorum sindicos nomine ipsorum ex una parte et uenerabilem patrem dominum fratrem Albertum episcopum et capitulum ecclesie Yporegie eorum nomine et dicte ecclesie et comune et homines Albiani seu eorum procuratores et sindicos eorum nomine ex altera parte occaxione questionum inter ipsas uertentium occaxione territoriorum et finium et pascuorum dictorum comunium et locorum Bolengi et Albiani de quo pronunciamento et compromisso fuerunt precepta instrumenta fieri Petro de Erbis et Iohanni Cani notariis in anno Domini MCCLXXXXII indicione V die sabbati XXVII mensis septembris et curare et facere cum effectu quociens opus fuerit ad uoluntatem et requisitio-
d nem dictorum comunis et hominum Bolengi ut omnia et singula que in ipsa sentencia continentur melius attendantur et modis omnibus obseruentur.

De burgo uallis Montisalti manutenendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et eius iudices teneantur manutenere et conseruare omnes homines habitantes in burgo uallis Montisalti et eorum bona modis omnibus contra omnes personas in seruicium ciuitatis et comunis Yporegie. illi autem qui in dictum burgum habitandum uenerint debeant ibidem remanere nec ad uillas Quinti Monbuen et Buo in quibus prius habitabant redire ullatenus permittatur sed nec in

dictis uillis domus tecta soste seu habitationes alique debeant ulterius remanere. Omnes preterea illi quibus in dicto burgo sedimina aliqua fuerunt liurata ibidem non habitantes et qui in dicto burgo habitare consueuerunt et ibi habent terras et possessiones et exiuerint uel non habitauerint compellantur infra unum mensem in dictum burgum redire et habitare ut infra eumdem terminum ueniant Yporegiam ad habitandum alioquin dicta sedimina eis liurata dentur aliis in hiis uolentibus habitare et nichilominus imponatur eis pro primo termino bannum solidorum uiginti pro quolibet mense quo cessauerint ad dictam habitationem redire.

De extimatoribus ordinandis super redditibus dicti burgi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod infra mensem principii regiminis uicarii siue potestatis eligantur tres boni uiri duo scilicet de Yporegia et tercius de burgo uallis Montisalti et unus quorum de Yporegia habeat facere in dicto burgo alius non qui teneantur et cogantur ordinare et estimare quantum debeant reddere homines habitantes in dicto burgo dominis a quibus tenent terras et possessiones de quibus consueuerunt reddere fodrum census et roydas si inde dicti extimatores ab aliquo fuerint requisiti et si omnes tres simul se non poterint concordare quod duo ex ipsis concorditer fecerint obtineat firmitatem.

De non faciendo solucionem super domibus dicti burgi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit capere aliquam solutionem nec sibi dari possit nec fieri aliquod extimum super domibus et sediminibus burgi uallis Montisalti et si contrafactum fuerit illa solutio siue extimum tamquam cassum et irritum et cassa et irrita non teneant ipso iure.

De possessionibus non dandis nisi hominibus dicti burgi que sunt in ualle Montisalti.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona ciuitatis Yporegie et districtus non possit nec debeat dare locare uel concedere ad censum uel alio modo quocumque nomine nuncupetur aliquas possessiones sitas in ualle Montalti a sancto Eusebio supra usque ad Montemastrutum nisi hominibus Yporegie uel habitantibus in burgo uallis Montalti sub banno solidorum quinque pro quolibet et qualibet uice. quo banno soluto uel non teneatur dator quod dedit et concessit contra predictam formam auferre sub banno solidorum centum. Et si aliquis contra predicta olim aliquas possessiones dederit siue concesserit liceat eidem eas auferre et etiam teneantur sub banno predicto postquam sibi per potestatem siue uicarium fuerit denuntia-
a tum. Illi autem qui aliquas de dictis possessionibus alibi habitantes tenerent eas sub eodem banno dimittere compellantur que omnia et singula potestas siue uicarius teneatur facere obseruari.

De obseruando priuilegio concesso per credenciam Franchoto de Ulmo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius Yporegie teneatur et debeat obseruare attendere obseruari et attendi facere Franchoto de Ulmo ciui Yporegie priuilegium sibi concessum per credenciam ciuitatis Yporegie seu pacta illa et conuentiones et omnia et singula que continentur et releguntur in quodam instrumento inde fa-
b cto per Bertolotum Bauticium de Montebarucio notarium in anno Domini currente MCCLXXXXVIII indicione XI die dominico XXIII mensis februarii. et quod pro predictis fieri faciendis dominus potestas siue uicarius possit punire et condempnare ad suam uoluntatem et compellere contrafacientes uel uenientes ad restitutionem eidem Franchoto faciendam omnium dampnorum interesse et expensarum et presens statutum de cetero sit trunchum et precissum sicut ex pacto eidem Franchoto est promissum ut in dicto statuto plenius continetur.

De uenditione murorum quondam domini marchionis obseruanda Perino de Fraxeneto et sociis.

c Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis Yporegie quod uenditio murorum edifficiorum castrorum turrium et domzonorum et materia ipsorum facta per credenciam Perino de Fraxeneto et sociis suis de qua constat publicum instrumentum receptum per Iohannem Loge notarium in anno Domini MCCCV indicione III die dominico ultimo mensis ianuarii cum pactis et conuentionibus promissionibus et omnibus aliis que in ipsa uendicione continentur attendantur et inuiolabiliter obseruentur eidem Perino et sociis per potestatem siue uicarium iudices et rectores Yporegie qui pro temporibus fuerint et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso in toto uel in parte non possit peti licencia nec dari nisi cum
d uoluntate et licencia dicti Perini et sociorum.

De conseruando dominum Iohannem de Solerio in iure quod habet in hospitali burgi.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis et hominum Yporegie conuocata et congregata die dominico quinto mensis decembris ad sonum campane more solito de mandato et licencia domini Gotefredi de Septimo tenentis locum nobilis uiri domini Iohannis de sancto Laurencio militis et uicarii ciuitatis Yporegie et Canapicii in qua credencia inter cetera proposuit sibi consilium exhiberi quid placet dicte credencie prouidere et ordinare super eo quod dictus dominus

Iohannes de Solerio ciuis Yporegie requisiuit et a requirebat quod defenderetur per comune et homines Yporegie de omni uiolencia quam aliqua persona uellet sibi facere super iure quod habet ipse dominus Iohannes et sui nepotes in hospitali de burgo in reformatione cuius credencie placuit maiori parti ipsius credencie quod per dominum uicarium et comune Yporegie et homines defendatur ab omni uiolencia secundum quod in sua peticione continetur et de predictis fiat statutum precissum et trunchum ad uoluntatem ipsius domini Iohannis et nepotum prout predicta et alia in dicta proposita et reformatione dicte credencie plenius continetur et super quo statuto uicarius rector et iudices qui pro temporibus fuerint teneantur et debeant iurare attendere et obseruare et at- b tendi et obseruari facere in omnibus eorum posse. Quapropter statutum et ordinatum est ad petitionem dicti domini Iohannis de Solerio et nepotum et de eorum uoluntate et licencia et ex bailia et auctoritate eis a dicta credencia concessa et data quod aliqua persona de cetero comune collegium uniuersitas seu aliqua conspiratio uel congregatio hominum non possit nec debeat facere aliquam uiolenciam dicto domino Iohanni de iure uel de facto uel alio quocumque modo super possessione et iure quod habet ipse dominus Iohannes et nepotes in hospitali et super hospitale de burgo Yporegie et si quid ab eisdem domino Iohanne et nepotibus aliquis uel aliqui petere uoluerint iure ordinario contra ipsum et ipsos procedatur omni c postposita uiolencia. et si quis contrafecerit uel in contrarium aliquis attemptare presumpserit puniatur pro quolibet et qualibet uice in libras centum imperiales quas si predictus sic condempnatus non soluerit infra x dies post condempnationem inde factam amputetur sibi unus pes uel una manus et nichilominus si predictus sic contrafaciens uel facientes uulnerarentur percuterentur uel interficerentur non possit inde aliquis aliqui qui uulnerarent percuterent uel interficerent contra ipsos sic facientes procedi inquiri seu condempnari sed a predictis ferutis et percussionibus seu morte totaliter sint absoluti et absolui debeant non obstante capitulo seu statuto de percussionibus et ferutis et non obstante capitulo de agrauaminibus et non obstante d statuto de maleficiis inquirendis et non obstantibus aliquibus aliis statutis in libro statutorum comunis Yporegie contentis et aliquibus aliis reformationibus factis uel faciendis in contrarium huic statuto in aliquo obuiantibus. Et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso in toto nec in parte possit peti licencia nec dari.

Quod castrum Bolengi et eius custodia peruenIat in comuni.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et eius iudices seu rector uel rectores ciuitatis Yporegie qui est uenturus et qui pro temporibus fuerint teneatur et debeat speciali et precisso sacramento facere et curare cum effectu quod castrum Bolengi comunis Yporegie sit et esse debeat et remaneat in custodia et forcia comunis et hominum Yporegie et si contingeret aliquam personam uel personas comune collegium uel uniuersitatem uelle occupare uel tenere dictum castrum contra uoluntatem comunis et hominum Yporegie uel de ipso castro seu in ipso castro persistenti uelle ipsum comune et homines reuellare uel guereare uel aliquid aliud in contrarium de ipso castro facere quod dictus dominus uicarius siue potestas iudices seu rector teneantur et debeant se regere et procedere et facere secundum quod sibi consultum fuerit per credenciam comunis et hominum Yporegie.

De non appropriando sibi nec occupando palacium et domos comunis Yporegie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non possit nec debeat capere seu occupare seu sibi appropriare palacium et domos comunis Yporegie sine consensu et uoluntate credencie comunis Yporegie sub pena et banno librarum xxv imperialium pro quolibet et qualibet uice et si quis contrafecerit quod uicarius qui pro temporibus fuerit teneatur dictum occupantem seu occupatorem seu appropriatorem de predictis palacio et domibus incontinenti expellere seu expelli facere et dictam penam infra terciam diem a tempore dicte occupationis numerandam excutere et exigere a predicto occupatore.

Capitulum Perini de Fraxineto et Iohannini Grimoldis.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis et hominum Yporegie conuocata et congregata ad sonum campane et uoce preconis prout moris est de mandato et licencia nobilis uiri domini Iohannis Prouane uicarii ciuitatis Yporegie et districtus pro illustribus et magnificis uiris dominis Amedeo comite Sabaudie et Philippo de Sabaudia principe Achaye et de uoluntate et consensu dominorum Petri de Berlenda Obertini de Stria et Ardicionis de Solerio procuratores dicti comunis et hominum Yporegie de anno currente MCCCXVII indicione xv die penultima mensis decembris quod represalie scontra seu contracambia date et data concesse et concessa per dictum dominum uicarium et credenciam et credenciarios dicti comunis et hominum Yporegie predicta die penultima dicti mensis decembris Perino de Fraxineto et Iohanni de Grimoldis calder
erio ciuibus Yporegie et cuilibet ipsorum et eorum heredibus et habentibus causam ab ipsis contra homines et districtuales et bona illorum de Valencia diocesis Papie et contra homines et bona illorum de Pomario et districtu Pomarii et contra Iacobinum et Girardinum de Lan-

guscho et habitantes in dicto loco Pomarii et contra comune et homines de ciuitate Ast et districtu *a* et bona cuiuslibet ipsorum exceptis forexitis dicte ciuitatis de Ast et exceptis Aymerico et Milano Pelleta fratribus et excepto Apostolino filio domine Floris uxoris domini Giroldi Taglaferri et excepto magistro Francisco de Valencia et eius familia per dictum dominum uicarium qui est et qui pro temporibus fuerit et quemcumque alium rectorem dicte ciuitatis attendantur et inuiolabiliter obseruentur prout in predictis represaliis datis et concessis predictis Perino et Iohannino plenius continetur ita quod dictus dominus uicarius qui est et pro tempore fuerit et iudices dicti domini uicarii et quilibet ipsorum iudicum et miles dicti domini uicarii cum familia et cum comuni et hominibus Yporegie *b* teneantur et debeant speciali sacramento facere ipsos Perinum et Iohanninum et quemlibet ipsorum et habentem seu habentes causam ab ipsis fortes ad capiendum et tenendum de personis dictorum locorum et cuiuslibet ipsorum et de bonis ipsorum usque ad quantitatem in dictis eorum represaliis continentem. et nichilominus predicti Perinus et Iohanninus et quilibet ipsorum per se et eorum cohadiutores et sequaces possint eorum propria auctoritate sine incursu alicuius pene et requisitione alicuius iudicis uel rectoris capere detinere et detineri facere tam in compedibus quam sine et in quocumque loco uoluerint detinere ad eorum liberam uoluntatem non obstante aliquo capitulo de agrauaminibus et eius additionibus et non *c* obstante capitulo de represaliis dandis et eius addicionibus et non obstantibus aliquibus aliis statutis precissis et non precissis in statutis comunis contentis lectis prius ipsis capitulis in predicta credencia et quod hoc statutum factum in fauorem dictorum Perini et Iohannini sit precissum et trunchum ita quod de ipso in toto uel in parte non possit peti licencia nec dari infringi uel mutari per credenciam dicti comunis et hominum Yporegie nec per statutarios qui pro temporibus erunt sed potius teneantur predicti statutarii quando fuerint electi iurare ad sancta Dei euangelia predictum statutum attendere et obseruare et ipsum non diminuere uel cassare infringere uel mutare in toto uel in parte sine uoluntate expressa predictorum *d* Perini et Iohannini uel eorum certi nuncii. Non possit insuper dictus uicarius qui pro temporibus fuerit et iudices uel miles nec aliqua alia persona pro ipsis dimittere poni in credencia consilio seu arengo quod dictum statutum cassetur diminuatur seu corrigatur in toto uel in parte seu quod dicte represalie suspendantur in perpetuum uel ad aliquod tempus sine uoluntate ipsorum Perini et Iohannini et nichilominus quidquid contrafactum fuerit non ualeat nec teneat ipso facto nec ipso iure.

De balestris inquirendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uicarius futurus teneatur et debeat infra duos menses principii sui regiminis speciali iuramento diligenter inquirere per se et eius iudices balistas cum crochis et apparatibus qui erant et sunt comunis Yporegie et quas dictum comune amisit seu recummendauit a x annis citra et facere et procurare quod predicte baliste cum predictis apparatibus perueniant in comuni ad manus procuratorum qui tunc temporis erunt procuratores comunis Yporegie et dictis balistis sic repertis et recuperatis ponere in credencia comunis Yporegie de modo et uia inuenienda qualiter dicte baliste cum dictis apparatibus debeant custodiri et tunc attendere et obseruare quicquid dicta credencia super predictis duxerit ordinandum. Item debeat facere et curare quod dominus princeps seu eius clauarius restituat dicto comuni Yporegie omne dampnum quod substinuit occaxione archibancorum que erant in palacio comunis Yporegie et que archibancha dictus clauarius destruxit seu destruere fecit prout est notorium in dicta ciuitate Yporegie et manifestum. Item quod debeat facere et curare quod omnes ciues recepti in ciues ciuitatis Yporegie a v annis citra debeant emere balistas quas emere tenentur iuxta formam statuti comunis Yporegie et facere et procurare quod emant possessiones quas emere tenentur pro dicto eorum citanayco.

Statutum Guillermini de Stria pro censu becharie.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis et hominum Yporegie more solito congregata ad sonum campane et uoce preconia et de mandato nobilis uiri domini Droeti de ualle sancti Martini uicarii ciuitatis Yporegie et districtus et de uoluntate dominorum Petri de Berlenda iurisperiti Iohannis de Solerio et Iacobi Taliandi procuratorum comunis Yporegie quod comune et homines ciuitatis Yporegie annis singulis teneantur dare et soluere in festo natiuitatis Domini Guillermino filio quondam domini Raynerii de Stria ciui Yporegie et eius heredibus uel aliis ab eo causam habentibus solidos quinquaginta bonorum imperialium et hoc pro censu seu ficto domus in qua tenetur et exercetur becharia comunis que domus tenetur per comune Yporegie siue paraticum bechariorum pro ipso comuni a Guillermino predicto nomine recte et perpetualis censarie et iure perpetue emphyteosis. Mandantes supradicti domini uicarius et procuratores et omnes et singuli in dicta credencia existentes bechariis et consulibus bechariorum quatenus eidem Guillermino de Stria et heredibus suis uel aliis ab eo causam habentibus dent et soluant singulis annis in dicto termino natiuitatis Domini de censu quem soluere tenentur dicti becharii comunis Yporegie dictos solidos L imperiales et in termino supradicto petere et exigere cum effectu tam ab ipsis bechariis et eorum consulibus quam a comuni Yporegie in electione dicti Guillermini et heredum suorum et aliorum

ab eis uel altero ipsorum causam uel ius habentium cum dampnis et expensis et interesse post singulos terminos cum pena statuti comunis Yporegie loquentis de censibus denunciatis. nec possint predicti becharii uel comune Yporegie dicere uel opponere domum predictam non esse censualem et non emphiteotici iuris uel aliam exceptionem uel defensionem opponere quominus a solutione predictorum solidorum L imperialium singulis annis in dicto termino teneantur et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod perpetuo non possit immutari uel infringi in preiudicium dicti Guillermini uel aliorum causam ab eo habentium.

Statutum domini Ardicioti de Solerio.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis Yporegie et hominum et per ipsam credenciam de anno Domini MCCCXXVII indicione X die XXII mensis decembris ad requisitionem domini Ardicioti de Solerio qui de gratia speciali dicto comuni concessit usque ad carnispriuium proximum uenientem staria XX pulcre siliginis ad mensuram Yporegie ad satisfaciendum domino Georgio Pronane uicario Yporegie de libris X imperialibus quas dictum comune dicto domino uicario dare tenebatur pro uno nuncio quem misit pro ipso comuni ad dominum comitem quod procuratores iam dicti comunis qui pro temporibus fuerint proprio et speciali sacramento et sub banno solidorum quinque pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerint non possint nec debeant stare uel sedere in aliquo loco seu bancha palacii dicti comunis cum fuerint in credencia nisi super bancha super qua sedent notarii iusticie uel super alia bancha super qua uicarius et iudices tenent pedes et deuersus lapidem arengatorium super quo lapide consulunt credendarii sine uoluntate et licencia dicti domini Ardicioti. et quod uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit predicta attendi et obseruari faciat cum effectu. denique uicarius siue potestas et procuratores qui pro temporibus fuerint proprio et speciali sacramento ad requisitionem dicti domini Ardicioti uel eius heredum teneantur et debeant credenciam comunis et hominum Yporegie in palacio dicti comunis congregare et ipsam credenciam et credendarios ad uoluntatem dicti domini Ardicioti in dicto palacio tamdiu detinere quousque fuerit inuenta uia et modus per quem fiat solutio dicto domino Ardicioto de ualore dicte siliginis et de solidis X imperialibus pro factura et dictatura presentis statuti ad uoluntatem dicti domini Ardicioti et hoc statutum sit precissum et trunchum ita quod de ipso in toto uel in parte non possit peti licencia nec dari sine uoluntate domini Ardicioti et eius heredum.

Statutum Franchoti Piniati super facto comugnarum sibi per comune uenditarum.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis et hominum Yporegie conuocata et congregata de anno MCCCXXVI indicione VIIII die sabbati XXI mensis iunii ad sonum campane et uoce preconia more solito de uoluntate et mandato nobilis uiri domini Manfredi de Luxerna uicarii ciuitatis Yporegie et districtus quod nulla persona undecumque sit et cuiuscumque conditionis existat audeat uel presumat intrare per se uel per alium seu alios in comugnas quas emit Franchotus Piniatus de Marcheta a comune Yporegie ad locum ubi dicitur fontanam de Solerio siue ad cornum et in deueysio et ad guadum somorum et ad bandum que comugne alias sibi fuerunt mensurate per Baldessarum de Alice et hoc causa secandi uel secari seu exportari faciendi inde fenum uel erbam siue nemus seu causa turbandi uel aliter molestandi dictum Franchotum in possessione dictarum comugnarum in toto uel in parte et hoc sub pena et banno pro quolibet qui predicta uel aliquod predictorum fecerit seu fieri fecerit librarum X imperialium pro qualibet uice. quam quidem penam dictus dominus uicarius incontinenti exigere teneatur et nichilominus qui predicta fecerit secando uel secari faciendo dictum fenum uel erbam seu aliter molestando uel turbando dictum Franchotum in possessione ipsarum comugnarum in dampnum ipsius Franchoti teneatur ultra penam predictam restituere et emendare ipsi Franchoto incontinenti sine aliqua iuris solempnitate dampnum sibi contingens. de quo dampno et ualore feni seu erbe siue nemoris credatur simplici sacramento dicti Franchoti sine alia probatione. teneatur etiam ipse dominus uicarius qui nunc est et qui pro temporibus fuerit et eius familia proprio et speciali sacramento fortem facere dictum Franchotum et omnes heredes eius ad manutenendum contra quascumque personas ipsas comugnas sibi uenditas et siquidem ipse Franchotus dubitaret sibi fieri fortiam uel uiolenciam per aliquem siue per aliquos in ipsis comugnis teneatur ipse uicarius mittere eius militem et alios familiares eiusdem ad uoluntatem ipsius Franchoti qui ipsum de facto fortem faciant et manuteneant in predictis. Preterea si contingeret imposterum contra uoluntatem ipsius Franchoti inde fenum seu erbam seu nemus exportari liceat ipsi Franchoto ad suam uoluntatem capere et detinere de bonis et rebus illorum qui predicta reduxerint et etiam de bonis hominum in quorum terra predicta reduci contigerit et hoc postquam denuntiatum fuerit consulibus domino uel rectori ipsius uille quod predicta restitui faciant et non ante. Ceterum si persona uel persone qui contra predicta fecerint uel attemptauerint non sint de iurisdictione domini uicarii et comunis Yporegie non godiant nec uti possint aliquo beneficio sibi concesso quacumque de causa per comune Yporegie seu aliquo alio statuto dicti comunis in fauorem ipsius nec etiam possit ipse dominus uicarius seu eius iudices predictis qui contrafecerint reddere ius donec cum eodem Franchoto fuerint in concordia de predictis.

Nullus preterea aduocatus uel procurator pro personis huiusmodi qui contra predicta fecerint uel attemptauerint audeat officium procuratoris assumere uel patrocinium exhibere sub pena solidorum uiginti imperialium pro quolibet et qualibet uice. quam quidem penam ipse dominus uicarius et eius iudices incontinenti exigere teneantur et hoc statutum sit trunchum et precissum ita quod numquam possit tolli infringi uel aliqualiter infirmari sed perpetuo et inuiolabiliter obseruetur per dictum uicarium et eius iudices et familiam qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint semper et quandocumque per dictum Franchotum seu heredes eiusdem fuerint requisiti.

Statutum Brunoldi Ferrarii.

Item statuerunt et ordinauerunt ut ciuitas Yporegie bonis officialibus adornetur quod comune et homines Yporegie teneantur et debeant singulis annis dare et soluere Brunoldo Ferrario Yporegie habitanti de auere comunis solidos sexaginta imperiales pro soluenda pensione domus quam habitabit et dictus Brunoldus teneatur et debeat ciuibus et hominibus Yporegie quibus necesse fuerit et opportunum morsus frenorum per unam diem ut possit experiri quis morsus magis aptus fuerit equis uel non et duret presens statutum ad uoluntatem credencie.

Explicit liber quintus.

Incipit sextus.

De festiuitatibus celebrandis de cereis offerendis sancte Marie et aliis ecclesiis et elemoxinis et aliis solempnitatibus faciendis.

De non faciendo forum in die dominica.

Item statutum et ordinatum est per quosdam uiros sapientes electos et deputatos super bono statu comunis Yporegie quod amodo in antea non fiat nec fieri debeat in ciuitate Yporegie uel suburbiis forum seu mercatum aliqua die dominica quomodocumque seu qualitercumque sed omnes mercatores dicta die dominica cessare debeant secundum quod inferius continetur uidelicet quod aliqua persona seu persone undecumque sint non possint nec debeant dicta die dominica portare seu portari facere ducere seu duci facere ad ciuitatem Yporegie uel suburbia causa uendendi seu ad uendendum uel aliter mercandum frumentum siliginem auenam ordeum melicam nec alicuius alius grani genus seu bladum ciceres fabas faxiolos nec aliqua alia legumina castaneas nec nuces alea nec cepe boues nec ua-
a chas porchos nec porchas oues nec castronos seu capras nec aliqua alia genera bestiarum seu iumentorum et quascumque alias mercationes. Si qua uero persona contrafecerit perdat mercandiam que portabitur uel ducetur siue dicta mercandia sit penes uenditorem siue emptorem seu quamcumque aliam personam et quilibet qui fuerit de iurisdictione comunis Yporegie possit accusare seu denunciare et credatur eius sacramento cum uno teste et habeat medietatem dicte mercandie alia uero medietas dicte mercandie perueniat et peruenire debeat in dominos comitem et principem. Possit etiam quilibet ut dictum est cum aliquo seu aliquibus de familia domini uicarii siue potestatis dictam mercandiam intra portas ciuitatis Yporegie et suburbiorum dumtaxat
b auferre cuius mercandie sic ablate medietas perueniat in dictum auferrentem quarta pars perueniat in dictos de familia domini uicarii qui fuerunt ad auferrendum alia uero quarta pars perueniat in dictos dominos comitem et principem. Venditores quoque pannorum telarum speciarii caligarii pellipparii marcerii et alii mercatores uenditores seu reuenditores quarumcumque mercationum siue mercium tam masculi quam femine non possint nec debeant dicta die dominica uenditionem nec alienationem aliquam facere publice nec occulte per se nec per alium quomodocumque et qui contrafecerit soluat pro qualibet uice solidos decem imperiales pro banno et perdatur mercandia siue res uendita siue dicta mercandia sit penes emptorem
c siue penes uenditorem seu quamcumque aliam personam quorum banni et mercandie medietas perueniat in dominos comitem et principem et alia medietas in accusantem.

Item quod omnes qui tenent apothecas debeant tenere ipsas apothecas clausas qualibet die dominica et tota dicta die nisi habentes apothecas habeant dumtaxat additum et introytum in eorum domos per hostium dictarum apothecarum. teneant tamen merces suas inclusas in eorum apothecis et qui contrafecerit tenendo hostium apothece apertum siue merces seu mercedes non inclusas soluat pro qualibet uice solidos v imperiales pro banno cuius banni medietas perueniat in dominos comitem et principem et alia medietas in accusantem seu de-
d nunciantem.

Item quod feneratores seu prestitores non possint nec debeant in diebus dominicis alicui persone seu personis mutuare aliquo modo nec pignus accipere sub banno solidorum decem imperialium pro quolibet et qualibet uice cuius banni medietas perueniat in dominos comitem et principem et alia medietas in accusantem seu denunciantem debita uero soluere et pignora redimere quilibet possit et habere debenti recipere liceat unicuique et pignora reddere ipsis tamen hostiis inclusis.

Item quod aliqua persona undecumque sit non possit nec debeat aliqua die dominica ducere nec duci facere aliquod carugium seu carugia siue carra in ciuitate Yporegie sub banno solidorum decem

imperialium pro quolibet carro et qualibet uice a
cuius banni medietas perueniat in dominos comitem et principem et alia medietas in accusantem seu denunciantem.

Item quod aliqua persona non debeat uendere salem ad grossum sub banno solidorum decem imperialium pro quolibet et qualibet uice et perdatur sal uenditum excepta gabella salis in quantum hoc esset contra pacta dominorum comitis et principis et aliter non.

Item quod quilibet uicarius seu potestas ciuitatis Yporegie teneatur et debeat diebus dominicis saltem bis omni mense mittere suum militem cum aliquibus de sua familia per ciuitatem Yporegie ad uidendum et inquirendum omnes et singulos contrafacientes et quod teneatur infra xv dies principii b
sui regiminis facere iurare omnes uenditores et reuenditores quarumcumque mercium masculos et feminas maritos et uxores exercentes seu exerceri facientes mercandiam quod non uendent nec alienabunt publice uel occulte per se uel alios aliquos earum merces seu numatas aliquibus diebus dominicis.

Item quod aliquis notarius seu scriba non possit nec debeat recipere aliquod instrumentum de hiis que dictis diebus dominicis uenderentur sub banno solidorum decem imperialium pro quolibet et qualibet uice cuius banni medietas perueniat in dominos comitem et principem alia uero medietas in accusantem seu denunciantem.

Item quod quelibet persona possit accusare seu c
denunciare quamlibet personam uendentem diebus dominicis seu uendi facientem aut contra predicta facientem secundum modum infrascriptum uidelicet si dictus accusator uel denunciator fuerit in estimo comunis Yporegie tunc credatur eius sacramento cum uno teste qui sint in estimo comunis Yporegie aut duobus testibus si non fuerint dicti testes in dicto estimo et tunc non detur nec dari debeat dicto accusato seu denunciato dicta accusa seu denuncia in scriptis nec per exemplum nec etiam super hiis aliqua defensio debeat sibi dari. nomina quoque accusantis seu denuntiantis et testium debeant secreta teneri ut accusatus seu denuntiatus possit eos penitus ignorare ab ipsa quoque accusa seu denuncia et condempnatione facta super ea per dominum d
uicarium non possit aliquis appellare nec petere cognitorem fieri per aliquem sapientem super condempnatione predicta. Si uero dictus accusator siue denunciator non fuerit in estimo comunis Yporegie tunc per duos bonos testes debeat predicta probare si accusatum seu denunciatum ea contigerit diffiteri. Cui accusato seu denuntiato petenti processus ipse per exemplum debeat dari eius tamen expensis ac defensionis terminus super ipsis. Infrascripte autem res sunt que non intelliguntur in hac prouisione sed sit licitum unicuique persone impune habens infrascriptas res uendere emere ducere et portare ad ciuitatem Yporegie et per ciuitatem Yporegie omnibus et singulis diebus dominicis ad suam liberam uoluntatem quemadmodum in aliis diebus non feriatis que res sunt infrascripte uidelicet galline capones pulli anseres et cetera alia animalia uolatilia tam domestica quam siluestria quecumque saluaxine pisces agni edi oua poma nuces et omnes fructus caules erbe alea cepe rape et omnia alia proueniencia in hortis que uenduntur ad minutum non tamen ad grossum ligna ad faxum et axinatos quamlibet fostam de boscho quilibet portare possit super sua persona et aliter non fenum et erbam ad faxum sal ad minutum scilicet ad quartinum et infra uendendo ipsum salem priuatim in domo. hospites seu albergatores et tabernarii possint albergare in eorum domibus cibum scilicet et potum et eorum hostia aperta tenere diebus dominicis.

Item specierii siue uenditores specierum singulis diebus dominicis possint uendere species candelas et alias specierias ad minutum et medicamina et alia infirmis necessaria uendendo intra apothecas ceramque et candelas cereas atque cereos occasione sepulture defunctorum uendere possint hostia tamen earum apothecarum interclusa teneantur tenere sub banno solidorum v imperialium pro quolibet et qualibet uice et habeat accusator seu denunciator medietatem banni.

Item uenditores seu reuenditores panis et casei carnium salsarum et aliorum uictualium comestibilium possint dictas eorum numatas in eorum domibus ad minutum uendere et eorum apothecas apertas tenere extra uero eorum domos seu apothecas predicta non possint nec debeant uendere sub banno solidorum x imperialium pro quolibet et qualibet uice et perdantur dicte res uendite et omnes alie numate quas tenerent extra hostia apothecarum causa uendendi quilibet possit accusare seu denunciare sicut dictum est supra et habeat medietatem banni et rerum ammissarum ut superius extitit declaratum.

Item in presenti statuto non intelligantur becharii becharie comunis Yporegie sed eis liceat eorum carnes uendere diebus dominicis quemadmodum in aliis diebus.

Item liceat ferariis ferrare equos equas mulos mulas asinos asinas in diebus dominicis et ferra et clauos uendere ad ferrandum bestias supradictas.

Item quando nundine fuerint in diebus dominicis quelibet persona tunc possit in ipsis diebus dominicis uendere emere mercari et omnia alia facere ut solitum est fieri per tres dies ante festa nundinarum et per tres dies post.

Ne res uenales extrahantur extra in diebus festiuis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis draperius sartor caligarius pelliparius mercerius uel speciarius non debeat extrahere ostendere nec uendere extra apothecas seu uoltas nec intus nec in aliqua alia parte ciuitatis Yporegie aliquas mercandias uenales diebus dominicis uel festiuitatibus beate

Marie sancti Michaelis sancti Iohannis Baptiste Apostolorum sancti Laurentii sancti Martini sancti Nicholay et aliis festis principalibus et dum psalmi portantur sub banno solidorum x pro quolibet et qualibet uice. et illud idem intelligatur de canssoribus ita quod non possint ad banchum cambire in diebus festiuis supradictis exceptis speciariis qui possint ad eorum apothecas uendere ad minutum tantum et non ad grossum eo saluo quod nullus draperius debeat nec possit aliquos pannos coloris uendere et hoc nisi predicta festa uenerint in diebus ueneris et in nundinis et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et cridentur hec per ciuitatem Yporegie infra xv dies principii regiminis potestatis siue uicarii.

De talia laboratorum excucienda pro cereo faciendo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod potestas siue uicarius et eius iudices teneantur et debeant fortes facere consules laboratorum pro excucienda talia que per ipsos consules imponetur laboratoribus eorum consulatus de Yporegia pro cereo quem facerent in reuerencia beate Marie et ipsam taliam excuti facere imponendo penas et banna ad eorum liberam uoluntatem. preterea omnes et singuli bracandi et laboratores laborantes a kalendis februarii usque ad kalendas nouembris in agris uineis et aliis locis teneantur et debeant conferre ad faciendum cereum paratici laboratorum seu bracandorum dicte ciuitatis Yporegie et ad alia honera dicti paratici substinenda.

De cereo faciendo per speciarios et mercerios.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ultra illos paraticos ciuitatis Yporegie qui consueuerunt facere magnos cereos pro reuerencia festiuitatis sancte Marie de medio augusto quod speciarii et mercerii ciuitatis Yporegie teneantur similiter et semel facere seu fieri facere expensis ipsorum unum pulcrum cereum quemadmodum faciunt alii paratici et quod uicarius siue potestas futurus ipsos compellat et cogat sub certis penis et bannis ad eligendum consules pro cereo faciendo supradicto qui ipsos habeant compellere et congregare pro dicto cereo faciendo et omnibus aliis que fuerint necessaria et opportuna et in predictis et circa predicta.

Item omnes qui uenerint ad tenendum ayras in ciuitate Yporegie et suburbiis et qui uenerint ad laborandum in estate in ciuitate Yporegie teneantur conferre et contribuere cum aliis laboratoribus ciuitatis Yporegie ad eorum magnum cereum iuxta qualitatem personarum et qualitatem cerei.

De cereo faciendo per axinerios.

Item statuerunt et ordinauerunt ad honorem gloriose Virginis Marie matris Domini nostri Yhu Xpi
a quod semper singulis annis in festo sancte Marie de medio augusto fiat unum et competens cereum magnum more solito per axinerios ciuitatis Yporegie et suburbiorum et omnes qui duxerint bestias de basto et etiam basterios ita quod predicti axinerii et basterii et omnes ducentes bestias cum basto teneantur dare auxilium ad dictum cereum faciendum prout eis et cuilibet ipsorum impositum fuerit et incissum per consules dicti paratici et quod uicarius teneatur compellere sine aliqua dilatione et grauamine predictos ad predictam taliam soluendam et exigendam quem cereum teneantur portare ad sanctam Mariam quando alii portabuntur et ibi ipsum dimittere. Quelibet enim persona undecumque sit que uecturabit et ueyturam exercebit in
b ciuitate Yporegie teneatur et debeat contribuere cum axineriis ad faciendum eorum cereum scilicet pro quolibet mulo uel mula imperiales xii et tantumdem pro quolibet equo siue equa et pro quolibet asino siue asina denarios vi.

De talia cerei laneriorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod de cetero quando fiet talia cerei uel palii laneriorum offerendi pro reuerencia beate Marie quod quilibet qui facit pannum uenalem in ciuitate Yporegie uel etiam parari uel sibilari soluat pro qualibet pecia quam fieri fecerit parari uel sibilari denarios ii imperiales ad opus ipsius cerei uel palii et non ultra et cre-
c datur de quantitate peciarum cuilibet suo sacramento. Teneatur enim quilibet lanerius ciuitatis Yporegie uel ibidem habitans qui soluere tenetur taliam cerei siue palii supradicti propriam taliam soluere pro rata peciarum panni quas fecerint seu fieri fecerint tantum ad rationem unius nigri siue papienses v pro qualibet pecia et plus uel minus secundum quod constat ipsum cereum siue pallium. Quelibet enim persona suburbii que emit et uendit lanam ad grossum teneatur et debeat conferre cum laneriis ciuitatis Yporegie ad cereum faciendum seu palium emendum et soluere partem suam dicti cerei siue palii eis imponendam per eos qui ad dictam taliam faciendam fuerint deputati exceptis illis qui lanam de eorum ouibus percipiunt.
d

De restituendis dampnis hospitalibus.

Item statuerunt et ordinauerunt ad honorem Dei omnipotentis eiusque matris beate Virginis Marie et tocius curie celestis ad hoc ut hospitalia melius substineantur et augumententur et quod eorum rectores et ministri melius possint hospitalitatem obseruare et pauperibus subuenire et ut eorum bona melius custodiantur et seruentur quod in omnibus capitulis in libro statutorum comunis Yporegie contentis ubi fit mencio de aliqua restitucione facienda de aliquo dampno dato ciuibus Yporegie dampnum passis per aliquas singulares personas camparios uniuersitates quod idem seruetur in omnibus dam-

pnis datis hospitalibus sitis in ciuitate Yporegie uel a
prope per medium miliare et confrarie ciuitatis Yporegie dummodo ipsa hospitalia et eorum rectores restituerint et parati fuerint restituere et emendas soluere dampnum passis de omnibus dampnis datis ciuibus Yporegie per ipsa hospitalia uel eorum familiam uel bestias nec istud statutum possit extendi ad aliquam restitucionem eis faciendam per comune Yporegie.

De cereis ferrariorum faciendis et per quos solui debeant.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et singuli ferrarii dorarii parolerii et alii quicumque percucientes de martello qui nunc sint in ciuitate b
Yporegie et qui deinceps uenerit uel uenerint de nouo teneantur et debeant soluere partem eis contingentem tam de cereis anni presentis festi sancte Marie et aliorum cereorum quam de aliis cereis de cetero faciendis in ciuitate Yporegie per eorum paraticum et etiam pro cereis factis et faciendis occaxione defunctorum.

De cereo faciendo per fornaxerios et fornerios.

Item statuerunt et ordinauerunt ad honorem Dei et beate Virginis Marie quod omnes fornaxerii et omnes fornerii et descentes fornariorum teneantur et debeant facere fieri unum cereum pulcrum et sufficientem omni anno et dictum cereum deferre c
et deferri facere ad ecclesiam sancte Marie semper in festo seu in uigilliis festi sancte Marie de medio augusto quando alii cerei portabuntur ad dictam ecclesiam ob reuerenciam dicti festi et ibi dictum cereum dimittere et relaxare et teneatur uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit sub certis penis et bannis ipsos fornaxerios et fornerios et descentes fornariorum compellere ad predictum cereum faciendum ad eius liberam uoluntatem. procuratores comunis qui pro temporibus fuerint teneantur singulis annis per unum mensem ante kalendas augusti eligere tres bonos homines et fide dignos qui habeant bayliam faciendi et imponendi taliam predictis fornaxeriis et forneriis et eorum descentibus pro dicto cereo faciendo et qui habeant d
curam et sollicitudinem faciendi dictum cereum prout superius continetur et teneatur uicarius siue potestas et omnes iudices predictos sic electos fortes facere ad dictam taliam excuciendam et cereum faciendum et presens proximum capitulum locum habeat nisi predicti fornaxerii et fornerii et consules eorum elegerint dicta talia facienda et dicto cereo faciendo quo casu officium dictorum procuratorum quantum in casu premisso uindicet sibi locum.

De cerdonibus ne exerceant eorum officium uel exerceri faciant post sonum none in uigiliis beate Marie et festiuitatum principalium scilicet Apostolorum et dierum Domnicarum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona ciuitatis Yporegie seu habitans in dicta ciuitate que uendat uel uendi faciat uel laboret uel laborari faciat de arte caligarie non audeat uel presumat laborare uel laborari facere in aliquibus uigiliis festiuitatum principalium et festiuitatum sancte Marie et festiuitatum Apostolorum et dierum Domnicarum post sonum none beate Marie ecclesie Yporegie sub pena et banno I solidi imperialis pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni et credatur suo sacramento. eo saluo quod possint laborare intus habitationes suas et apud Duriam impune.

Item quod consules dicti paratici iurent et iurare faciant omnes caligarios eorumque descentes quod non emant aliquid ab aliquibus personis quod pertineat ad eorum artem quas crediderint esse latrones uel fures uel aliquas res quas crediderint esse furatas.

De cereis dandis ecclesie sancti Laurencii.

Item statuerunt et ordinauerunt quod canonici ecclesie sancte Marie de Yporegia teneantur et debeant dare ecclesie sancti Laurencii de Yporegia omni anno usque ad V annos proximos uenientes incipiendo ab anno currente MCCCXXVIII duos cereos floritos in festo sancte Marie de medio augusto et si predicti canonici non dederint seu dare recusauerint predicte ecclesie dictos cereos ut ordinatum est quod liceat duobus de credencia quibus placuerit eorum cereos offerre singulis annis ecclesie supradicte non obstante quibuscumque statutis in contrarium obuiantibus et idem intelligatur de cereis anni preteriti si dicti canonici dictos cereos dare recusauerint.

Quod draperii et sartores teneantur simul facere cereum.

Item statuerunt et ordinauerunt ad honorem Dei et beate Virginis Marie quod omnes draperii uendentes pannum ad menutum et omnes sartores et cimatores ciuitatis Yporegie et suburbiorum teneantur et debeant omni anno facere seu fieri facere unum pulcrum et grossum cereum et ipsum cereum offerre et dimittere ad ecclesiam beate Marie de Yporegia semper in quolibet festo sancte Marie de medio augusto sicut alii paratici ciuitatis Yporegie. et quod uicarius siue potestas qui pro temporibus fuerit teneatur ipsos omnes compellere sub certis penis et bannis ad predicta facienda.

Ut becharii et speciarii loco eorum cereorum faciant et offerant palium.

Item statuerunt et ordinauerunt quod duo ex paraticis uidelicet paraticum bechariorum et paraticum speciariorum et merceriorum facere teneantur et offerre ecclesie beate Marie loco cereorum duos pulcros et sufficientes palios nouos uidelicet dictorum paraticorum scilicet becharii unum et speciarii et mercerii unum alium et non possint dicti palii a canonicis emi. Teneantur insuper dicti canonici dictos palios singulis festiuitatibus solempnibus ponere in loco publico in ipsa ecclesia in conspectu gentium ad solempnitatem et honorem ipsius ecclesie et totius ciuitatis et duret presens statutum ab anno currente MCCCXXIX usque ad duos annos proximos uenientes.

De cereo faciendo per tabernarios.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes tabernarii et hospitatores et omnes alie persone uendentes uinum ad minutum seu uendi facientes in ciuitate Yporegie uel suburbiis ultra duo uasa in anno teneantur et debeant singulis annis facere seu fieri facere unum pulcrum cereum grossum et ipsum cereum offerre et dimittere ad ecclesiam beate Marie de Yporegia semper in quolibet festo sancte Marie de medio augusto et facere secundum quod alii paratici usi sunt facere. Et quod uicarius et uicarii qui pro temporibus fuerint teneantur ipsos compellere ad predicta omnia de cetero facienda.

Statutum magistri Facii gramaticalis.

Item statuerunt et ordinauerunt in plena credencia comunis et hominum Yporegie ad sonum campane conuocata et congregata de mandato et licencia nobilis uiri domini Henrici de Modocia potestatis Yporegie prout mos est de anno currente MCCCVIII indictione VII die lune VIII mensis septem-

a bris quod aliquis de cetero non possit et cuiuscumque conditionis existat uenire nec legere in ciuitate Yporegie ad legendum gramaticam siue in gramatica preterquam magister Facius de sancto Paulo siue de Guislanis qui possit et debeat legere gramaticam siue in gramatica scolaribus in ciuitate Yporegie et omnibus uolentibus uenire ad legendum in gramatica in ciuitate Yporegie cum ipso magistro Facio et non cum alio nisi esset magister conuentatus in gramatica et uocatus a comuni. Ita tamen quod dictus magister Facius non possit scolaribus de Yporegia crescere salarium consuetum hospiciis dotrine et repetitorum ultra illud quod ipse accipere uel petere est consuetus a predictis scolaribus ciuitatis Yporegie. et pro predictis firmiter
b attendendis et obseruandis et contra non ueniendis potestas siue uicarius et iudex qui est et fuerit teneatur et debeat imponere penas et banna omnibus contrafacientibus ad suam uoluntatem ita quod predicta omnia et singula obseruentur et que gratia fuit facta eidem magistro Facio per predictam credenciam et comune eo quod non de ciuitate Yporegie discederet alibi ad legendum cum ipse magister Facius fuerit a pluribus de predictis requisitus.

De non extrahendo aquam de loco suo ad ducendum per uiam publicam.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua per-
c sona non debeat extrahere aliquam aquam seu riuum de suo loco ita quod ipsa aqua ducatur seu labatur per aliquam uiam publicam uel priuatam sub banno solidorum XX pro quolibet et qualibet uice et nichilominus potestas siue uicarius uel iudices teneantur ipsam personam compellere ad reducendum dictam aquam infra duos dies postquam sibi fuerit denunciatum et hoc in Bolengo et territorio et Deo gratias.

Iacobinus Cerrarius notarius de Valle Siccida scripsit et compleuit hec statuta Deo gratias amen.

FINIS STATVTORVM EPOREDIAE.

STATVTA

CIVITATIS MONTISCALERII

PETRVS DATTA
LECTORI BENEVOLO

Deleta a Queriensibus Astensibusque Testona qui tantae cladis fuerunt superstites incolae, in locum, tertio ab Augusta Taurinorum lapide, meridiem versus, ad dexteram Padi fluminis ripam, se receperunt, ubi et Templariorum patrocinio, et Mediolanensium auxilio freti, novas sibi domus aedificare coeperunt. Quibus in operibus tantus extitit ardor, ut brevi novus pagus in urbem excresceret, atque uti tum res erant, magni momenti haberetur. Ibi enim et bene munitum castrum ad arcendos hostes condiderunt, et templum quod adhuc videre est, Virgini Matri dicatum perfecerunt. Oppido. nomen inditum Monscalerius.

Haec autem a. MCCXXVIII circiter facta sunt. Anno vero MCCXXXIV novum castrum a Comite Sabaudiae iam tenebatur. Loci enim propinquitas et amoenitas, et mitioris coeli clementia facile adeo allexerant, ut sequentibus deinceps temporibus castrum id in Sabaudorum Principum deliciis habitum, in regiae magnificentiae monumentum converteretur.

Hinc palam fit Montemcalerium haud ex iis esse civitatibus, quae ad Romanos auctores origines suas referre, quaeque ut Querium et Astae, suis legibus, suisque magistratibus utentes bellum indicere, pacem sancire possent. Nemini tamen unquam in feudum tradita civitas; sed ut iure municipali regeretur datum ei fuit. Quibus vero privilegiis ex temporum consuetudine donata fuerit, ex his, quae in lucem prodeunt, Statutis luculenter patebit, simulque in aperto erit, quanta Sabaudorum Principum in civitatum sibi parentium rationibus curandis sollertia fuerit, quantaque in concedendis servandisque privilegiis clementia et religio. Hisce porro Statutis auctus Monscalerius inter primas subalpinae ditionis civitates habitus: civiumque tum industria, tum commercio satis commode floruit.

STATVTA

CIVITATIS MONTISCALERII

a 1358 13 februarii.

Quanto tempore et a quibus oneribus habitatores in Montecalerio recepti sint exempti.

Nos Iacobus de Sabaudia princeps Achaye notum facimus uniuersis et singulis nostras presentes literas inspecturis quod cum nostri fideles de Montecalerio fecerint de nouo quedam ordinamenta tenoris infrascripti qui est talis primo uidelicet statuerunt et ordinauerunt quod omnes laboratores manoales et mistrales qui uenerint habitare in Montecalerio ab uno anno citra et qui uenient in fu- b turum sint exempti et quitati ab omnibus exercitibus et caualcatis in futurum fiendis per dominum principem et comune Montiscalerii. Et eciam uaytis scarauaytis taleis prestis et aliis imposicionibus que fierent per dictum comune per spacium quinque annorum. Eo saluo quod de possessionibus quas aquisierint teneantur taleas et alias imposiciones soluere sicut alii de Montecalerio soluere tenentur. Item quod fiat unus liber in quo scribantur omnes habitatores supradicti et annus et dies quibus uenient habitare et quod racionatores societatis teneantur curare et facere cum effectu curare quod dictum ordinamentum inuiolabiliter obseruetur quocirca pro parte dicti comunis requisiti cum instancia ut dicta ordinamenta confirmare ra- c tificare laudare et approbare uellemus uolentes dicto comuni et ipsius requisicionibus complacere ipsisque requisicionibus annuentes dicta ordinamenta tenore presencium confirmamus ratificamus laudamus et approbamus illaque promittimus per nos et nostros successores attendere et obseruare cum effectu dum tamen dicti habitatores non sint de locis seu uillis nostris et domibus existentibus ultra Padum. Mandantes harum tenore castellano et iudici nostris Montiscalerii presentibus et futuris quatenus supradicta omnia effectualiter obseruent et ab aliis faciant inuiolabiliter obseruari aliquo nostro mandato in contrarium super hiis faciendo non obstante. In cuius rei testimonium presentes fieri iussimus et sigilli nostri secreti appensione muniri. Datum in Montecalerio die xiii mensis februarii anno Domini millesimo ccclviii indictione decima.

1360 6 iunii.

De literis franchisiarum dudum concessis per illustrem dominum Amedeum comitem Sabaudie.

Nos Amedeus comes Sabaudie dux Chablayssi et Auguste et in Italia Marchio notum facimus uniuersis has nostras literas inspecturis quod cum dilecti fideles nostri comune et homines uille nostre Montiscalerii nostre dicioni et obediencie tamquam uero ipsorum et dicti loci Montiscalerii domino peruenerint nobisque et ad opus nostri et nostrorum perpetuo fidelitatis et obediencie prestiterint iuramenta certis et iustis causis et alia fecerint que in talibus requiruntur et in forma fidelitatis noua et ueteri continentur. Quapropter dictorum et comunis et hominum super infrascriptis supplicacioni benigniter inclinati uolentes ipsos et ipsorum posteritates tractare fauoribus graciosis ut sub nostri fauoris suffragio dictum comune homines et

uilla recipiant incrementum nostreque erga ipsos liberalitatis dexteram aperire ipsis comuni et hominibus et suis successoribus habitantibusque et habitaturis perpetuo ibidem atque uille franchisias et immunitates libertates priuilegia capitula et statuta pro nobis et nostris heredibus et successoribus et causam habentibus et habituris a nobis in perpetuum damus confirmamus concedimus indulgemus liberaliter et largimur prout et quemadmodum inferius plenius continetur.

In primis dictis comuni et hominibus loci nostri predicti Montiscalerii pro nobis et nostris concedimus et pariter indulgemus ipsorumque posteritatibus et successoribus perpetuo quod nos teneamur promittere et iurare conseruare et deffendere bona fide locum et territorium homines et personas quascumque Montiscalerii et ibidem habitancium nunc et per tempora et res et bona et honores ipsorum et dicti loci et dictum locum Montiscalerii cum mero misto imperio et iurisdictione territorio atque finibus ipsius quibus loco territorio et finibus coherent alueus Sangoni fines Gurcelarum Vicinoui Cargnani fines et territorium Cherii uidelicet Villestelloni Santine Troffarelli Ruuiglaschi et fines Cabureti dominium merum et mixtum imperium et iurisdictionem. Item quod nos et nostri non possimus nec debeamus dictum locum Montiscalerii merum et mixtum imperium et iurisdictionem uel aliquid ex eis ullo tempore uendere donare permutare in feudum uel emphytheosim concedere uel alio aliquo modo ingenio uel colore ex aliquo contractu obligacione uel pacto. Item eciam nec per testamentum codicillum donacionem causa mortis uel aliam speciem ultime uoluntatis alienare uel transferre in aliquam personam ecclesiasticam uel secularem nisi dumtaxat in nostros posteros legitimos et naturales masculos comites Sabaudie nisi ex benignitate et gratia speciali si nostre foret uoluntatis in illustrem uirum dominum Iacobum de Sabaudia uel Philippum eius filium uel eorum posteros. et quicumque successores nostri ita iurent et iurare et promittere teneantur. et si alienando in alium ut premittitur dictum locum contrarium fieret homines dicti loci Montiscalerii ulli in quem fiat translacio et contrarium teneantur parere uel obedire sed a fidelitate et homagio sint et essent liberi dicto casu erga illum in quem fieret dicta translacio. Quodque nos et nostri debeamus et teneamur prouidere in dicto loco nostro Montiscalerii de bonis et sufficientibus castellanis et iudicibus prout nobis melius uidebitur faciendum. Item quod nos teneamur et debeamus cum omni effectu soluere omnia debita ad que reperiretur dictum principem fratrem nostrum in Montecalerio quibuscumque personis seu ibi habitantibus fore debite obligatum prout ipse princeps eadem debita soluere tenebatur et tenetur. Item et omnia debita que ipse princeps frater noster reperiretur debere quibuscumque personis extraneis ex quibus seu pro quibus uel quorum occasione aliqui de Montecalerio
a uel ibi habitantes reperirentur principaliter uel fideiussorio nomine pro ipso obligati uel eorum pignora data et reperirentur aliqui ex uendicione uel alia conuencione uel pacto habere aliqua bona illa possint et debeant habere tenere secundum condicionem pactorum. Item quod nos non possimus per nos et nostros successores aut officiarios nostros Montiscalerii uel alios aliquos ducere uel duci facere homines Montiscalerii uel ibi habitantes in exercitum uel caualcatam ultra montes citra tamen montes in exercitum et caualcatas nostras per nos uel nostro nomine faciendas ire et stare per quadraginta dies annis singulis si mandarentur caualcate de quolibet foco seu hospicio una sufficiens persona etatis a uiginti usque ad sexaginta annos et
b non plures persone teneantur suis sumptibus et expensis et qui ad dictum exercitum et caualcatam non iuerit per modum predictum penam actenus in talibus consuetam in dicto loco Montiscalerii nobis applicandam incurrat. Et si aliquo anno citra montes nos uel nostri officiarii non mandaremus exercitum seu caualcatas pro illo anno non debeamus dictos comune et homines finitis temporibus super defectu aliquo super hoc molestare. Item eisdem concedimus quod nos deffendamus et deffendere debeamus et teneamur quod aliqui castellani uel nobiles de partibus Pedemoncium in eorum locis terris uel finibus non inquietent uel molestent aliquos de Montecalerio uel ibi habitantes presentes uel futuros pro aliquibus merchandiis uel rebus
c que ducantur uel portentur per ipsa loca terras uel fines sub colore pedagii uel gabelle uel alterius exactionis nisi si et in quantum extitit consuetum sed immunes et liberos seruare promittimus super hiis sicut esse actenus ut supra consueuerunt. Item ipsis concedimus quod si et prout fuit consuetum ibidem consilium Montiscalerii presens et futurum possit et sibi liceat serrare res et merchancias ne exeant uel exportentur de Montecalerio uel per fines Montiscalerii prout uiderit utilitati et necessitati loci Montiscalerii expedire et quod possit ut supra et sibi liceat consilia celebrare capitula statuta ordinamenta atque reformaciones facere sicut fuit ut premittitur consuetum ibidem. Item concedimus eisdem si et prout in dicto loco fuit consuetum quod
d pro soluendis debitis et expensis utilibus et necessariis comunis Montiscalerii factis et faciendis et alias prout fuerit uoluntatis credencie supradicte quod possit imponere ordinare habere exigere fodra taleas et gabellas et alias imposiciones prout dicto consilio uidebitur et penam uel multam super ipsis imponere et ordinare. Que gabelle fodra talee et alie imposiciones sint et esse debeant per in solidum dicti comunis omnibus gabellis fodris taleis imposicionibus hucusque factis et impositis in suo statu durantibus si et in quantum et quousque uoluerit dictum consilium et omnia partita que fient in dicto consilio quecumque sint fieri debeant ad tabulas siue fabas albas et nigras et aliter fieri non possint et si aliter fierent non ualeant nec seruen-

tur prout hec tamen omnia ibidem actenus sunt fieri consueta. Item concedimus eisdem si tamen et quemadmodum contineat forma capitulorum Montiscalerii quod nos teneamur et debeamus per nos et officiarios nostros facere in Montecalerio et districtu Montiscalerii inquisiciones et processus qui et que fieri debebunt et conuenient contra delinquentes in Montecalerio finibus et territorio ipsius loci et execuciones delictorum facere et fieri facere et non alibi ita quod non possit nec debeat aliquis extrahi delinquens in Montecalerio finibus et territorio de dicto loco Montiscalerii pro inquisicione processu uel executione facienda uel alia aliqua causa. et quod non possimus aliquam causam ciuilem committere uel delegare tangentem nunc uel pro tempore personas Montiscalerii uel ibidem habitantes extra locum Montiscalerii nisi dumtaxat si et ubi iudex Montiscalerii in illa causa merito haberetur suspectus. Item concedimus eisdem ut supra et largimur quod omnia banna actenus commissa per homines Montiscalerii et ibidem habitantes condempnata et non exacta sint et intelligantur esse remissa et quitata et quod quicumque processus et inquisiciones formati et formate per curiam Montiscalerii pro quibuscumque offensis factis in Montecalerio finibus et territorio dicti loci sint cassi et casse et nullius ualoris et si que facte fuerint offense uel delicta de quibus facti uel facte non fuerint inquisiciones uel processus ne fiant ipsi inquisiciones et processus super ipsis offensis tenore presencium prohibemus. quam quittacionem dictorum bannorum et offensarum facimus pro tempore preterito usque ad diem qua reuerendus pater dominus Thomas de Sabaudia episcopus Taurinensis et dominus Ludouicus Reuoyre fratres et consciliarii nostri nuper dictum locum Montiscalerii in depositum receperunt casibus tamen prodictionis inclusis nullathenus in premissis sed specialiter exceptatis. Item eisdem concedimus prout supra quod nundine que consuete sunt teneri in dicto loco Montiscalerii mense octobris non teneantur de cetero ibidem sed ipsas cassamus et annullamus per presentes et ipsam annullacionem per castellanum nostrum dicti loci uolumus et mandamus inuiolabiliter obseruari quia ipse nundine ut dicti homines nostri nobis exposuerunt scandalum in terra sepius induxerunt. Item cupientes dicti loci pocius augere quam minuere incrementa tenore presencium confirmamus et approbamus et nos et nostros obseruaturos promittimus omnia et singula capitula et statuta descripta in uolumine capitulorum Montiscalerii et bonas consuetudines antiquas dicti loci actenus obseruatas et que more solito processerunt et quod in ipsis capitulis uel statutis uel ipsorum altero non possimus uel debeamus per nos uel per alium aliquid addere detrahere uel minuere sine consensu et uoluntate expressa dicti consilii Montiscalerii facto ad hoc partito in generali consilio dicti loci in quo adsint due partes omnium consiliariorum dicti loci uidelicet ad tabulas seu fabas albas et nigras et non aliter aut

a alio modo quocumque excepto tamen quod de et pro negociis nostris fiat partitum prout est ibidem consuetum. Item eisdem concedimus prout supra quod castellanus et iudex nostri Montiscalerii qui pro tempore fuerint teneantur et debeant per se seu officiales suos omnes et singulas personas extraneas et quamlibet ipsarum undecumque sint obligate comuniter uel diuisim et que in posterum obligabuntur seu obligate reperte fuerint hominibus de Montecalerio uel ibi habitantibus seu alicui ipsorum quocumque titulo uel causa dum tamen terminus obligacionis sit elapsus ad instanciam et requisicionem ipsorum de Montecalerio seu ipsius qui ipsas personas extraneas uel quemlibet ipsarum docebunt uel docebit sibi legitime obligatas comuniter uel

b diuisim capere arrestare et detinere realiter et personaliter atque captas detentas uel arrestatas uel captam detentam uel arrestatam detinere realiter uel personaliter donec illi uel illis quibus dicte persone extranee uel aliqua ipsarum plenarie soluerint et satisfecerint per solucionem uel datis ydoneis fideiussoribus uel pignoribus pro et de obligacionibus antedictis uel alias fuerit uoluntatis ipsorum seu ipsius ad cuius instanciam capte et detente et arrestate fuerint dicte persone extranee uel aliqua ipsarum que relaxetur quo casu etiam dicti castellanus et iudex seu alter ipsorum ipsam uel ipsas personas teneantur et debeant relaxare. Item uolumus et concedimus dictis comuni et hominibus nostris hoc fieri supplicantibus quod capitulum posi-

c tum in uolumine capitulorum Montiscalerii sub rubrica « de edificiis non leuandis etc. » quo inhibetur ne domus possent leuari nec in altum construi nisi sub certa mensura cassum sit irritum et inane et nullam de cetero obtineat firmitatem ita quod liceat cuicumque in dicta uilla Montiscalerii domum suam leuare et in altum erigere quantum uoluerit dicto capitulo uel alio obstaculo non obstante. Item cum in capitulis in dicto uolumine descriptis sub rubrica « de numero notariorum et clauariorum et de eorum feudo » dicatur contineri quod castellanus et iudex habeant per annum octo notarios et octo clauarios secundum quod placuerit credencie qui notarii scribant acta curie et alia faciant que tangunt facta domini et comunis et temporibus retro-

d actis placuerit credencie sicut nobis exposuerunt pro meliori seruicio in agendis quod sexdecim notarii eligerentur quorum quatuor tribus mensibus seruirent in officio et alii quatuor aliis tribus mensibus et sic de ceteris et quod clauarii sic consueuerunt esse dispositi et ordinati ut quilibet ipsorum uno mense et dimidio seruiat in officio suo igitur pro parte dictorum comunis et hominum nobis sua supplicacione fuit petitum quod credencia Montiscalerii possit et sibi liceat dictos notarios et quos uoluerit eligere singulis annis et dictos clauarios ac eciam sicut consueuit nuncios curie et precones ad salaria eis consueta et quod nullus possit officium habere in Montecalerio nisi quem et quos dicta credencia elegerit et ordinauerit ex-

ceptis castellano et iudice qui tamen uel aliquis *a*
ipsorum non sint de Montecalerio uel ibi habitantes nec qui habeant possessiones uel registrum in Montecalerio nec sint de terra cuius confines coherent finibus Montiscalerii et quod non possimus procuratorem uel procuratores constituere in dicto loco Montiscalerii uel habere ibidem et quod castellanus et iudex et quilibet ipsorum in principio sui regiminis iurare teneantur obseruanciam capitulorum Montiscalerii et reformacionem factorum et factarum bonarumque consuetudinum sine protestacione et contrario quibuscumque. Quorum quidem comunis et hominum nostrorum licita et prospera cupientes ipsorum huiusmodi peticionem uolumus concedimus et eidem inclinamus si tamen
et prout a uiginti annis citra in dicto loco nostro *b*
Montiscalerii extitit consuetum. Item eisdem concedimus quod liceat comuni Montiscalerii predicto facere et construere in finibus et districtu Montiscalerii rexias batitoria et paratoria et quod et que uoluerint ex eis quorum et cuiuslibet ipsorum emolumentum et exitus sit in solidum comunis antedicti iure alieno tamen saluo. Item dictis comuni et hominibus concedimus quod nos per nos uel successores nostros uel aliam interpositam personam non possimus nec debeamus concedere alicui casali uel castro positis infra fines Montiscalerii et coherencias et confines superius in primo capitulo presencium literarum appositos uel appositas nec alicui domino uel dominis alicuius casalis uel castri pro
ipso casali uel castro positis in dictis finibus ut supra *c*
nec alteri alicui merum uel mixtum imperium infra dictos fines nec bampna nec iurisdictionem aliquam et si appareret contrarium esse factum actenus alicui casali uel castro aut domino uel dominis alicuius casalis uel castri predictorum de mero uel mixto imperio bampna uel aliquam iurisdicionem non possint domini uel dominus dictorum castri uel casalis presentis uel futuri exercere nec inde uti nisi si et in quantum actenus usi fuerunt et alio modo ipsos uti nisi si et in quantum ut supra usi fuerunt tenore presencium inhibemus. Item uolumus et concedimus eisdem quod ulla persona de Montecalerio uel que ibidem habitet possit uel debeat occaxione alicuius delicti perpetrati uel com-
missi ab aliquo de parentella sua uel ei attinente *d*
seu aliquam culpam commissam uel committendam per supradictos inquietari uel molestari per nos uel alium nostro nomine in here uel persona sed de ipso delicto seu culpa sit ex nunc prout ex tunc quittata et soluto aliquo capitulo loquente in contrarium non obstante et hoc concedimus prout supra quantum tamen iusticia possit sustinere. Item uolumus ordinamus et concedimus ad requestam dictorum comunis et hominum quod nulla persona de Montecalerio uel que ibi habitet audeat uel presumat transgredi muros Montiscalerii nec intrare uel exire a uilla nisi per portas uel guichetos et qui contrafecerit de die uiginti solidorum et de nocte sexaginta solidorum penam nobis applicandam incurrat. Si uero per subtus portas transierit aliqua persona de Montecalerio uel ibi habitans que sit bone fame nullam ex hoc penam incurrat et qui transierit per cuniglos murati terre soluat pro pena quinque solidos si uero transierit spaltos per transuersum si de nocte quinque solidorum si de die duorum solidorum penam incurrat. Item concedimus eisdem addendo in capitulo descripto in uolumine capitulorum sub rubrica « si quis uirginem corruperit » ibi ubi dicitur et qui corruptam uiolenter cognouerit etc. quod qui maritatam uiolenter cognouerit que sit bone fame et inde querimoniam ipsa maritata fecerit ipse cognoscens soluat et incurrat penam uigintiquinque librarum nobis soluendarum et qui temptauerit cognoscere mulierem bone fame maritatam et ad hoc dederit operam personaliter licet non cognouerit penam quinque librarum nobis applicandam incurrat si mulier querimoniam detulerit si uero uilis condicionis et fame fuerit et ipsam uiolenter cognouerit penam solidorum XL incurrat si uero uolente eam cognouerit cuiuscumque condicionis existat nullam penam incurrat. Item a nobis pecierunt dictum comune et homines sibi concedi quod nos non possimus nec debeamus occaxione alicuius delicti perpetrati uel commissi per aliquem de Montecalerio uel qui ibidem habitat accipere aliquas res mobiles uel immobiles et quod non possimus nec debeamus aliquo contractu uel titulo uel maleficio acquirere in posse uel districtu Montiscalerii aliquas res immobiles nec eciam aliqua iura quorum comunis et hominum peticionem huiusmodi concedimus eisdem per modum et formam usitatis ibidem per dictum principem fratrem nostrum dum fuit dominus dicti loci. Item pro parte dictorum hominum et comunis nobis petitum fuit et supplicatum per nos eis concedi quod si contingat aliquando quod absit quod Padus uiuus propter inundacionem et superfluitatem relicto suo alueo consueto per alium locum tendat siue in totum siue pro parte quam per subtus pontem Montiscalerii ed ad molendina ipsius loci non posset aut deberet pro parte nostra uel nostrorum successorum imputari hominibus Montiscalerii uel comunis et quod proinde non possent uel deberent inquietari uel molestari. Et quod si contingerit fieri aliquas expensas ad deffendendum ne dictus Padus relinqueret molendinorum accessum teneremur in dictis expensis pro ea parte quam in dictis molendinis habemus. Nos ipsorum huiusmodi supplicacioni et peticioni consentimus et ipsam peticionem eisdem concedimus sic tamen et prout ibidem extitit consuetum et si non esset super hoc consuetudo alias dictam peticionem concedimus cum casus uenerit sicut dictabit debitum racionis. Item nobis pecierunt sibi concedi cassari quoddam pedagium quod apud Cargnanum a modico tempore citra asserunt usurpatiue exigere ab hominibus Montiscalerii et ibidem habitantibus et quod ulterius non exigeretur ab ipsis. super qua peticione uolumus et ordinamus quod sit et fiat sicut

et prout tempore bone memorie domini principis *a*
Philippi patrui nostri carissimi super hoc extitit consuetum et in libertate seu seruitute quibus tunc erant dicti comune et homines adhuc existant de presenti. Item uolumus et concedimus dictis hominibus et comuni cum tam ex consuetudine usitata in Montecalerio quam per obseruanciam capitulorum Montiscalerii ut asserunt quidam probi homines recepti fuerunt per consilium Montiscalerii habitatores ibidem pro utilitate loci Montiscalerii concedimus ut supra quod dicti recepti possint et debeant stare in Montecalerio salui et securi faciendo fidelitates et homagia sicut et alii de dicto loco non obstante quod ipsi sint recepti uel aliqui ex eis banniti ex alia tamen causa quam prodicionis aliquibus locis nobis subiectis. Item pecie- *b*
runt a nobis quod pro aliquo debito uel aliquibus debitis ad quod uel que obligatus est uel se uel tempora obligabit aliquis de Montecalerio uel ibi habitans nunc uel per tempora alicui persone extranee et que non sit de Montecalerio uel ibi habitans aliqua occaxione uel causa non possit uel debeat sub aliquo ingenio uel colore alius quisquam de Montecalerio uel ibidem habitans nunc uel per tempora in aliquo loco comitatus Sabaudie inquietari cogi uel molestari in persona uel in rebus. Super qua peticione ipsis concedimus per presentes quod non fiat dicta inquietacio coactio uel molestia pro et super contentis in dicta peticione nisi quatenus ipse de Montecalerio reperiretur obligatus. Promittentes nos comes predictus pro nobis et *c*
nostris heredibus et successoribus in perpetuum per iuramentum nostrum et bona fide omnes et singulas concessiones confirmaciones largiciones supradictas et omnia et singula supradicta sicut iacent et superius continentur ratas et rata firmas et firma perpetuo absque impugnacione aliqua custodire attendere tenere et firmas inuiolabiliter obseruare et obseruari teneri facere cum effectu et contra non facere uel uenire per nos uel per alium tacite uel expresse opere auctoritate consensu aut alio quocumque modo aliqua occaxione siue causa de iure uel de facto. mandantes expresse tenore presencium castellano nostro et iudici Montiscalerii qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint uel locatenentibus eorundem et omnibus et singulis aliis officiariis et *d*
subditis nostris ad quos pertinet et poterit in futurum pertinere quatenus omnia et singula supradicta modis et formis quibus superius continentur teneant custodiant attendant firmiter et obseruent et contra non faciant quomodolibet uel attemptent aliqua occasione siue causa de iure uel de facto renunciantes in hoc facto ex certa scientia omni actioni et exceptioni doli mali metus et in factum dictarum concessionum et confirmacionum non factarum et omnium predictorum non factorum rite et modo predicto condicioni sine causa uel ex iniusta causa omni lexioni deceptioni circumuencioni grauamini et errori et omni iuri consuetudini et statuto per que nos uel nostri possemus uenire contra predicta aut in aliquo nos tueri et omni iuri canonico et ciuili iurique dicenti generalem renunciacionem non ualere nisi precesseritspecialis. In quorum omnium robur et testimonium has nostras literas dictis comuni et hominibus nostris Montiscalerii concessimus et ipsas sigilli iudicature Sabaudie in absencia cancellarii nostri fecimus appensione muniri quas per dictum cancellarium sigillari mandauimus quociens fuerit requisitus ad maiorem firmitatem omnium predictorum. Datum Taurini die sexta mensis iunii anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo.

Per dominum presentibus dominis
Episcopo Thaurinensi
Guglielmo de Balma
Humberto de Gergerio et
Roberto Pugini iudice Sabaudie
Iohannes de Marr.

Reddantur litere portitori.

1368 9 augusti.

De exercitu et caualcata fienda per illos de Montecalerio.

Nos Amedeus comes Sabaudie tutor et tutorio nomine Amedei principis Achaye notum facimus uniuersis quod ad nos uenientes sindici et procuratores uniuersitatis hominum uille Montiscalerii nobis suo et nomine ceterorum hominum dicte uniuersitatis exposuerunt quod nos dudum eisdem certas immunitates libertates et franchisias atque priuilegia per nostras literas apertas et in pendenti sigillatas concessimus quas nobis in presenti exhibebant et quia super capitulo in ipsis libertatibus contento et de exercitu mencionem faciente quo cauetur sicut in ipsis literis scribitur quod quociescumque ipsi de Montecalerio ad exercitum mandantur et uenire tenentur quod omnes et singuli homines de quolibet hospicio Montiscalerii ad dictum exercitum ueniant quod nos ipsum capitulum restringere et ad modum et formam quibus super hoc prouisum est illis de Pinerolio ipsum capitulum dignaremur nec non et certas libertates et priuilegia per nos concessas et concessa ipsis de Montecalerio sicut et quemadmodum in dictis literis describentur eisdem tam nostro quam tutorio nomine predicto confirmare uellemus et mandare castellanis et omnibus aliis officiariis Montiscalerii presentibus et futuris quod ipsas libertates et priuilegia perpetuo inuiolabiliter eisdem studeant obseruari. Quod nos supplicacioni dilectorum fidelium nostrorum burgensium et habitatorum Montiscalerii in hac parte nobis facte benigniter inclinati uolentes ipsos fauorabiliter in singulis actibus pertractare ipsas libertates franchisias et priuilegia per nos eisdem concessas

et concessa et in nostris literis annexis presentibus a descriptas et descripta eisdem tam nostro proprio quam tutorio nomine dicti Amedei principis confirmamus. Super uero capitulo de exercitu siue caualcata et in ipsis nostris literis descripto quia ipsis nostris fidelibus et subiectis uolumus complacere declaracionem detractionem limitacionem et ordinacionem nostras facimus infrascriptas uidelicet quod si et quociens deinceps et in perpetuum ipsi fideles nostri burgenses et habitatores Montiscalerii per nos ante dictum principem aut successorum nostrorum duorum mandabuntur ad exercitum seu caualcatam nostros uenire quod de quolibet hospicio non teneantur uenire nisi unus cliens qui ad arbitrium et ordinacionem castellani Montiscalerii qui pro tempore fuerit reputabitur et reputatus b fuerit ydoneus secundum statum et possibilitatem transmittentis. Quam ordinacionem nostram eisdem burgensibus et habitatoribus Montiscalerii preterquam in duobus casibus perpetuo obseruari uolumus et attendi quos duos casus infrascriptos semper uolumus et intendimus a predicta nostra ordinacione exceptatos uidelicet si caualcata siue exercitus mandaretur pro succursu patrie aut si nos aut dictus princeps aut successores nostri debelare uolemus quod in ipsis duobus casibus omnes et singuli homines qui fuerint in quolibet hospicio ad dictum exercitum siue caualcatam uenire teneantur nec super hoc excusacionem aliquam pretendere ualeant uel habere. Mandantes igitur per presentes tam nostro quam tutoris nomine supradicto castellano et c aliis officiariis Montiscalerii qui nunc sunt et pro tempore fuerint quatenus dictas libertates et franchisias et priuilegia in nostris hic annexis literis ut predicitur descripta ac eciam presentem ordinacionem nostram de dicto exercitu siue caualcata factam eisdem burgensibus et habitatoribus dicti loci Montiscalerii deinceps et in perpetuum inuiolabiliter attendant et obseruent et in nullo contrafaciant uel attemptent in quantum nostram indignacionem cupiunt euitare. Datum Ripolis die nono mensis augusti anno Domini millesimo ccclxviii.

Per dominum presentibus dominis
Guillielmo de Grandiserio et
Gir. Destrees com.

Reddantur litere portitori d

Io. de Alles.

1378 12 marcii.

Amedei de Sabaudia Achaie principis littere de confirmatione priuilegiorum comunis Montiscalerii.

Nos Amedeus de Sabaudia princeps Achaye notum facimus tenore presencium uniuersis quod nos ad supplicationem et requestam humilem dilectorum nostrorum hominum burgensium et incolarum uille nostre Montiscalerii super hoc nobis factas eisdem pre ceteris in nobis possibilibus cupientes pro uiribus efficaciter complacere ipsosque tractare fauoribus graciosis ex certa nostra sciencia libertates franchisias priuilegia gracias immunitates pacta conuenciones et capitula eisdem dudum concessas et concessa confirmatas et confirmata per illustrem dominum nostrum dominum Amedeum comitem Sabaudie tam suo proprio quam nostro tutorio nominibus presentibus annexa eisdem nostris hominibus incolis et comuni dicti loci Montiscalerii presentibus et futuris pro nobis et nostris laudamus approbamus confirmamus et rattificamus omnino iuxta ipsarum et cuiuslibet earum continenciam et effectum per modum et formam contentos in literis donacionis et confirmacionis antedictis promittentes nos dictus princeps per iuramentum nostrum super sancta Dei euangelia propter hec corporaliter tacta prestitum et sub nostrorum obligacione bonorum quorumcumque dictas libertates franchisias priuilegia gracias immunitates pacta conuenciones et capitula in ipsorum capitulorum libro originaliter descripta omniaque et singula in nostris presentibus et annexis literis declarata dictis nostris hominibus burgensibus incolis et comuni ipsorumque posteritatibus attendere et obseruare in nullo contrafacere uel uenire ipsaque rata grata et firma habere tenere inuiolabiliter cum effectu perpetuo castellano et aliis officiariis dicti loci nostri Montiscalerii presentibus et futuris mandantes quatenus predicta et singula dictis nostris hominibus incolis et comuni presentibus et futuris seruent attendant seruari et attendi ab omnibus faciant inuiolabiliter cum effectu nihil pacientes in contrarium attemptari quod si secus factum extiterit id irritum esse decernimus et inane. Datum Pinayrolii die xii marcii anno Domini mccclxxviii.

Per dominum presentibus dominis
Ay. Boniuardi milite et
Io. de Gorena cancellario.

Reddantur litere portitori.

Adsit principio Virgo beata meo.

Ad honorem Domini nostri Iesu Christi et sancte et indiuidue Trinitatis et beate Marie semper Virginis et dominorum Thome et Amedei de Sabaudia comitum sub quorum dominio et protectione terra Montiscalerii custoditur et gubernatur diuina gratia mediante. Ista sunt capitula Montiscalerii correcta et emmendata per Iordanum Platum Ubertum Marcoaldum Henricum de Valfredo et Matheum Piperarium electos et ordinatos uoluntate tocius credencie emendatores et reformatores dicti capituli de uoluntate dominorum comitum predictorum et infrascripte sunt additiones facte per infrascriptos sapientes electos comuni uoluntate credentie Mon-

tiscalerii uidelicet Petrum Castagnum Iacobum Capriolum et alios qui in inferiori rubrica capitulorum nouorum plenius describuntur.

De sacramento castellani et iudicis.

Primo ego castellanus seu iudex Montiscalerii iuro ad sancta Dei euangelia quod bona fide et sine fraude faciam iusticiam comuniter omnibus hominibus et mulieribus tam minoribus quam maioribus et deffendam ecclesias et loca religiosa orfanos et uiduas et miserabiles personas et quod custodiam et saluabo personas et auere siue res predictorum dominorum comitum et comunis Montiscalerii tenear et de diminutis sim absolutus et hoc faciam secundum quod in dictis capitulis continetur quibus deficientibus secundum leges et secundum consuetudinem iudicabo.

MCCLXXXXV die lune exeunte madio predicti sapientes addiderunt quod mutetur in capitulo proximo superius ubi loquitur de sacramento castellani ibi ubi dicitur quod custodiam et saluabo personas et auere siue res predictorum dominorum de Sabaudia illa uerba cancellentur et dicatur domini Philipi de Sabaudia et similiter in rubrica dicatur ad honorem domini Philipi de Sabaudia sub cuius dominio et protectione et eius heredum et successorum eius.

De pena illius qui coram castellano uel iudice citatus non uenerit.

Item statutum est quod si quis requisitus fuerit a castellano uel iudice uel eorum misso et conuentus ut coram eis uel altero eorum ueniat et non uenerit det comiti denarios XII pro pena si requisitus ante terciam usque ad terciam non uenerit et si post terciam usque ad nonam et non uenerit et si post nonam usque ad uesperas et non uenerit semper soluat comiti denarios XII pro pena nisi uenerit cum misso signo pulsante tunc sit sine pena et idem intelligatur de muliere citata et non ueniente.

Quomodo procedatur contra contumacem.

Item si reus citatus latitauerit et non uenerit iterum citetur et si secundo citatus non uenerit soluat dictum bampnum duplicatum et tertio requiratur et si tertio requisitus contumax fuerit uel etiam una uice pro omnibus perhemptorie citatus fuerit et non uenerit sit in arbitrio postulantis dari bannum citato duorum solidorum uel miti in possessionem bonorum contumacis usque ad summam debiti declarati uel rei petite ut contumax tedio affectus ueniat responsurus quam possessionem recuperare non possit aliquo tempore nisi solutis expensis quas fecit actor in notario et iudice et in aliis personis secundum ius possessione danda et nisi dederit fideiussorem de persequenda lite usque

a in finem. Pro hac possessione scribenda habeat notarius denarios VI et iudex qui miserit in possessionem alios VI pro subscriptione ut melius ueritas discernatur tantundem habeatur de qualibet summa de solidis V et a solidis V supra quod si quantitas non ascenderit ultra solidos V habeat notarius tantum denarium I et iudex nihil et hec omnia intelligantur si ille qui obtinuerit uoluerit habere instrumentum in scriptis redactum. Nuncius uero comunis quando uadit mittere aliquem in possessionem infra fossata loci habeat de possessione denarios duos et non plus quantumcumque fuerit possessio siue parua siue magna. Si uero extra fossata aliquem miserit in possessionem habeat denarios III et non plus. Item de qualibet emancipatione
b et qualibet cura et tutella habeat iudex denarios VI et in omnibus se subscribat notarius alios VI et non plus nisi forte de aliqua summa ubi multa esset scriptura de qua ei soluatur arbitrio castellani uel iudicis.

Quomodo procedatur contra reum in iudicio comparentem.

Item si reus citatus uenerit uel etiam non citatus et debitum confessus fuerit condempnetur usque ad XL dies de quantitate pecunie que sit ultra solidos XX. Si uero fuerit XX solidorum uel minus detur terminus dierum XX de solidis V et infra sit in arbitrio iudicis. Iure autem mobili uel immobili
c restituendo detur terminus paucorum dierum ad arbitrium iudicis.

De litis contestatione et quantum pro data dari debeat.

Item si reus debitum uel rem petitam negauerit actor si procedere uellit statim det pignus suum pro data et reus similiter det pignus suum pro data sed si dare non poterit iuret se dare non posse et tunc procedatur in causa ac si dedisset actore tamen suum pignus dante si data non ascenderit ultra denarios VI si uero ultra denarios VI ascenderit habeat reus licentiam dandi pignus in sequenti die et ueniendi ad causam quod si pignus
d ea die non dederit sit in bampno denariorum XII lite uero contestata detur pro data ab utraque parte denarios XII pro qualibet libra. si uero post litem contestatam partes inter se concordiam fecerint per iudicem uel alio modo usque ad XXX dies a tempore litis contestate numerandos recuperet medietatem date. ultra XXX dies uero si non concordauerint datum recuperare non possint. si uero reus actorem reconueniat in magna quantitate et hoc uideatur dolose facere ut ipsum grauet in iudicaturis siue data et hoc iudici uideatur inquirat hoc per duos probos homines qui nulli parti attingant et si hoc reperierit uerum esse hoc fieri non permittat.

Hec est aditio facta per supradictos VIII *sapientes* a *ut supra quod incipit si reus citatus latitauerit.*

Item addiderunt supradicti VIII sapientes capitulo secundo supra quod loquitur quomodo procedatur contra contumacem quod possessio que dabitur bonorum et rerum contumacis possit recuperari per debitorem solummodo usque ad sex menses in habitatoribus Montiscalerii et forensibus usque ad annum elapso uero dicto anno uel dimidio habeant locum iura communia contra res de quibus data fuerit possessio.

De datione libelli.

Libellus ante litem contestatam peti possit et b post litem contestatam infra octo dies et actor libellum petitum sine actione porrigere teneatur in scriptis si peticio fuerit solidorum XX uel ultra si minus non teneatur dare libellum sed peticionem suam similiter sine actione scribi faciat in libro causarum siue in actis et tunc ualeat libellus seu peticio sine actione ac si actio scripta esset. De quantitate V solidorum uel minus non fiat scriptura nec dillacio detur nisi arbitrio iudicis. De maleficiis uel quasi libellus non detur.

De sacramento calumpnie non faciendo.

Item statutum est quod in aliqua causa parua uel magna sacramentum calumpnie non prestetur c uel fiat.

Infra quod tempus cause debeant terminari.

Item statutum est quod iudex teneatur deffiniri caussas usque ad XL dies a die litis contestate tempore numerandos nisi partes interim se concordauerint uel steterint per easdem uel nisi iustum eis impedimentum interuenerit.

De dilatione caussarum.

Lite contestata dantur dilaciones utrique parti arbitrio iudicis ita tamen quod quelibet partium d possit probare per instrumenta usque ad XXVI dies a litis contestatione numerandos et non ultra nisi esset instrumentum pacis et finis uel solucionis quod possit produci usque ad XXVIII dies et usque ad dictum tempus possit probari pax et finis et solucio per testes et non ultra. Item per testes probari possit usque ad XXX dies a litis contestatione tempore numerandos et non ultra. De causa uero ciuili et sibi liquida que sit solidorum X et ultra non teneatur iudex tanto tempore prolungare et ex quo testes iurauerint habeantur pro productis. testes tamen et instrumenta ab aduersa parte productos liceat aduersario reprobare post predictos XXX dies usque ad octo dies dum tamen ante testium aperturam publice dixerit iudici se uelle testes et instrumenta productos reprobare.

De testium productione et quibus danda sit fides.

Cum testes producuntur iurare debent presente parte aduersa contra quam producuntur si adesse uoluerint uel ipsa citata licet comparere noluerit et suam actor intencionem aduersario det in scriptis de quantitate solidorum V et ultra de minori non teneatur et idem intelligatur de reo qui aliquid uult probare. Ille uero contra quem probatio fit super intentione sibi data faciat questiones si uult eadem die uel sequenti arbitrio iudicis. Testi bannito existenti neque publico fuerit nec ei qui iam conuictus uel condempnatus sit de latrocinio siue furto in nulla causa siue parua siue magna nulla fides habeatur uel detur nec publice meretrici. in causis uero maioribus solidorum LX non detur fides alicui testi habenti minus solidos LX in bonis.

De pena illius qui falsum testimonium uel falsum produxerit siue fecerit.

Item statutum est quod si quis uel si qua confessa uel confessus conuicta uel conuictus fuerit falsum testimonium reddidisse soluat libras XXV pro pena quas si soluere non poterit amittat manum et eamdem penam soluere teneatur quicumque uel quecumque falsum produxit instrumentum uel ipsum fecerit.

Si quis uero uel si qua productus uel producta ad defensionem alicuius homicide falsum dixerit testimonium soluat libras L quas si soluere non poterit amittat manum.

De pena illius qui petierit debitum iam solutum uel de quo pacem et finem fecerit.

Item statutum est quod si quis aliquem coram iudice conueniat de debito iam soluto uel de quo pacem et finem fecisse probabitur et in caussa perseuerauerit seu processerit reo si obtinuerit expensas et interesse restituere teneatur et tantumdem quantum petierit fisco comitis det pro bampno.

De principali debitore prius conueniendo.

Item statutum est ut quod creditor seu creditrix fideiussorem conuenire non possit etiam si se constituerit principalem debitorem priusquam excusserit principalem debitorem uel eius heredes et eorum bona quod si non inuenerit tantum de bonis debitoris uel eius heredum quod sibi sufficiat ad satisfactionem suam ad fideiussorem regredi possit et eius bona quod in duobus reis debendi locum non habeat.

De eo qui pro extraneo fideiusserit.

Item statutum est quod si quis de Montecalerio uicino suo pro extraneo fideiusserit minime teneatur nisi iurauerit. castellano uero uel iudici si fideiusserit teneatur huic uero capitulo renunciari possit. Si quis uero uel si qua pro extraneo erga extraneum fideiussor uel debitor extiterit castellanus uel iudex non compellat hominem Montiscalerii dare pignus uel soluere creditori priusquam conuenerit debitorem pro quo debitor uel fideiussor extitit etiam si constituerit principalem.

Quod mulier marito uiuente dotem petere non possit antequam primi debitores.

Item statutum est quod nulla mulier petere possit dotem suam antequam primis creditoribus soluatur. Si uero petere uelit a marito uiuente aliquo modo siue caussa diuortii siue inopie uidelicet marito ad inopiam uergente uel alia iusta de caussa sibi liceat hoc facere sub extimacione duorum uel plurium bonorum hominum ad hoc constitutorum de rebus mariti mobilibus uel immobilibus et accipere dotem suam de qua poterit instrumentum ostendere uel testibus probare quod pater uel ipsa uel alius pro ea dotem dedissent quando accepit maritum uel postea augumenti instrumentum aliquod factum a marito uxori nil ualeat nec firmum sit de reliquo satisfaciat creditoribus saluo in omnibus supradictis iure priorum creditorum.

Quod mulier teneatur pro marito in missionibus comunis.

Item mulier teneatur pro marito in missionibus comunis et non in debitis mariti hoc saluo quod si maritus debitor alicuius uxori sue tradiderit dotem suam creditor possit facere saxiri res siue de rebus quas inuenerit maritus eundemque debitorem tenentem ducentem et menantem nisi uxor ipsas res probauerit sibi fuisse assignatas pro dote sua.

In quibus mulier pro marito obligetur.

Item statutum est quod si uxor cum uiro se obligauerit in tribus casibus uidelicet in bobus emendis uino uel grano empto uel mutuo accepto non possit aliqua lege seu autentico se tueri postea sed teneatur ad solutionem si legitime etatis sit si uero minoris etatis non teneantur nisi interuenerit sacramentum et si forte aliquo tempore mutabitur uel aliud in contrarium fiet in toto uel in parte contractus facti nihilominus firmi durent nec aliquo ingenio siue modo hoc capitulum per credenciam uel capitulatores ualeat remoueri.

a *Si culpa uel occaxione alicuius de Montecalerio aliquis uel aliqua ab extraneis fuerint impediti uel pignorati.*

Item statutum est quod si quis de Montecalerio fecerit debitum cum aliquo extraneo extra Montemcalerium et illud soluere neglexerit et ea de caussa aliquis uel aliqua de Montecalerio fuerit pignoratus uel arestatus castellanus uel iudex debitorem compellat pignorato seu arestato ad restitutionem et emendam rei ablate et ad expensas quas sustinuit et ad debitum persoluendum extraneo si habuerit unde. Si uero debitum caussa marcandie factum fuerit pro quo aliquis de Montecalerio impeditur castellanus uel iudex debitorem mittat uel
b eius heredes ad debitum persoluendum et hoc locum habeat tam in preteritis quam in futuris.

Ne liceat alicui de Montecalerio hominem dicti loci sub extraneo iudice conuenire.

Item statutum est quod aliquis de Montecalerio non possit aliquem dicti loci sub extraneo potestate uel domino iudice conuenire et qui contrafecerit soluat pro pena solidos LX qualibet uice et credatur sacramento conuencti.

Si extraneus hominem Montiscalerii conuenerit.

Item statutum est quod si aliqua persona sub
c castellano uel iudice Montiscalerii hominem conuenerit dicti loci si reconueniatur in eodem foro teneatur conuento de iusticia respondere et de hoc faciendo securitatem dare nisi extraneus agat de iniuria uel preda uel furto factis sine licentia castellani uel iudicis in quo casu possit extraneus hominem Montiscalerii appellare alioquin ei actio denegetur.

Quod castellanus et iudex ita faciant iusticiam hominibus Cherii sicut potestas Cherii iusticiam faciet hominibus Montiscalerii.

Item statutum est quod castellanus et iudex hominibus Cherii de eius iurisdictione et districtu de
d aliquo debito quod comune uel specialis persona Montiscalerii eis dare tenetur iusticiam facere non debeant nisi potestas uel rector Cherii de quolibet de Cherio et eius iurisdictione hominibus Montiscalerii ita cito faciat rationem.

Si extraneus dare debeat homini Montiscalerii quomodo castellanus uel iudex procedere teneatur.

Item statutum est quod si extranea persona homini Montiscalerii aliquid dare debebit castellanus uel iudex de bonis debitoris que inuenire poterit in Montecalerio saxiat et saxita detineat quousque satisfecerit creditori et hoc idem faciat de bonis fideiussoris illius debitoris que poterunt in Monte-

calerio inueniri. Si uero debitor cui res saxite fuerint uel quia arestatus fuerit uel fideiussor debitum negauerint et satisdare uelit de faciendo ius ubi debuerit res saxite expediantur et cognitio fiat infra XL dies ubi debeat respondere uel facere racionem quod si infra dictum terminum debitor uel fideiussor dictam cognitionem fieri distulerit castellanus uel iudex teneantur creditori reddere pignora fideiussoris et ipsum compellere debitorem quod creditori soluat id quod probabitur quod debebit.

Item addiderunt capitulo proximo supra quod si res et bona alicuius extranei inuente fuerint in Montecalerio quod castellanus et iudex teneantur saxire et detinere ipsas res et bona ad uoluntatem hominis Montiscalerii qui debebit habere aliqua debita a dicto extraneo et saxitas et captas detinere ad uoluntatem dicti creditoris donec plenariam habuerit solucionem et iusticiam consecutus fuerit contra ipsum extraneum.

Item addiderunt eidem capitulo uidelicet ubi dicitur in Montecalerio similiter intelligatur et fiat in districtu Montiscalerii et detinere et ibi ubi dicit quod cognitio fiat infra XL dies si uero debitor debitum confessus fuerit uel creditor debitum probare poterit per instrumenta uel idoneos testes castellanus et iudex res extranee persone saxitas detineant et detinere debeant quousque satisfecerit creditori sine securitate et satisdacione aliqua facienda. si uero debitor debitum negauerit et satisdare uelit de faciendo ius in Montecalerio res saxite expediantur ei et cognitio fiat infra XV dies.

Quod nullus de Montecalerio contra uicinum suum possit ab extraneo acquirere iura.

Item quod nullus de Montecalerio possit emere uel donacionem uel aliquo alio modo accipere ab extraneo aliqua iura uel actiones uel rem aliquam contra uicinum suum et qui contra hec fecerit iure dicto uti non possit nisi pro ipso uicino uel cum ipso iure fuerit obligatus.

De sententiis et condempnationibus et de executione earum.

Si in pecunia fuerit aliquis condempnatus et transacto termino actor ostenderit condempnationem siue sententiam condempnatus sit in banno denariorum XII nisi iurauerit bona sua manifestare uel iurare paratus fuerit et statim ei iudex precipiat per sacramentum quod usque ad X dies satisfaciat de predicta condempnatione actori quibus decem diebus transactis si actor iterum condempnationem ostenderit condempnatus sit in banno solidorum V et tunc statim condempnatus si actor uelit omnia sua bona quecumque habet uel alius tenet ipsius nomine consignare teneatur prestito sacramento dato sibi termino a iudice arbitrio suo ad consignandum. Bonis uero consignatis actor mittatur in possessionem si uelit bonorum consigna-

a torum uel eciam eorum que celauerit condempnatus usque ad summam condempnationum siue summe uel debiti confessati siue condempnatione secundum quod extimauerint extimatores comunis more solito ordinati que res et possessiones minus extimare non possint quam extimate fuerint in registro et res extimatas per allodium recipiat in solutum.

Res mobiles que cito date fuerint in solutum creditoris sint nec ipsas debitori reddere teneatur. Res uero immobiles in solutum datas debitor recuperare possit usque ad unum annum si creditor sit de Montecalerio. si extraneus sit usque ad duos annos debitum persoluendo. Hoc est quantitatem pro qua res date fuerant in solutum et habeat cre-
b ditor electionem exigendi pro singulis libris singulis mensibus denarios III nomine interesse a tempore dationis in solutum usque ad tempus exactionis uel retinendi fructus seu redditus rei date in solutum quibus temporibus seu terminis transactis rem in solutum datam debitor recuperare non possit. Si uero nemora uel medicina data fuerint in solutum creditor qui ea recepit infra dictum tempus ea incidere non possit nec debeat sed si debitor ipsam redimere uoluerit infra terminos supradictos tres denarios pro libra ut dictum est creditori soluere teneatur. Quociens autem res immobiles in solutum dantur iudex ad instanciam debitoris creditorem compellat quod faciat instrumentum debitori in quo confiteatur se recepisse res datas sibi in solutum.
c Postquam iudex condempnauerit aliquem ad restituendam aliquam rem mobilem uel imobilem siue per confessionem rei seu contradicto iudicio teneatur iudex transacto termino mandare sentenciam executioni pro possessione danda etiam bampnum arbitrio suo non restituenti.

Item statutum est quod nullus creditor possit habere regressum ad aliquam domum factam uel faciendam in Montecalerio pro debito nisi demum aliis rebus mobilibus uel immobilibus deficientibus. Item nec ad boues iunctiuos seu ad uacas iunctiuas laborantes terram regressum habeat creditor dum alie res sufficientes fuerint preter domum.

d *Quod partes compelli non possint dare aliquid pro iudicatura nisi quod supradictum est.*

Item statutum est quod castellanus et iudex teneantur per sacramentum bona fide iudicare omnes caussas paruas et magnas et diffinire caussas pendentes quas remanserunt uel remanserint indecisse per suos predecessores de quibus data soluta fuerat nec partes compellere possit de danda aliqua iudicatura preter datas que continentur in capitulis suprascriptis nisi aliqua parcium petierit quod iudicarent expensis suis cum consilio sapientis. Item iudex ab aliquo homine Montiscalerii nullum seruicium petat accipiat sub aliquo ingenio pro iudicare caussam neque ab aliquo alio qui caussam habeat coram ipso uel quem habiturum credat.

De appellationibus.

Item statutum est quod a sentencia lata a castellano uel iudice nemo appellare possit hoc saluo quod si sentencia lata fuerit contra aliquem de quantitate uel re ualente solidos xx uel plus uel condempnatus uoluerit dicere se grauatum a tempore late sentencie infra octo dies hec dicere possit et castellanus infra alios xx dies probationes et allegationes utriusque partis audire et recipere teneatur et infra alios decem dies post sequentes didictam caussam in Montecalerio deffinire consilio sapientis expensis illius qui dixerit se grauatum non habito consilio cum iudice qui primam dedit sententiam. Si uero qui grauatum se dixerit in secunda causa obtineat tunc expense fiant ab utraque parte. Item condempnati de bannis eodem modo quo supra possint dicere se grauatos et petere quod cognoscatur si condempnatio fuerit de solidis xx uel plus et qui contra predicta uenire temptauerit soluat pro banno x libras.

Item statutum est quod uniuersa et singula capitula suprascripta locum habeant in mulieribus sicut in hominibus ita quod mulieres ipsis ligentur sicut homines et ipsis seruare possint.

Quod castellanus uel iudex de auere comunis nihil accipiant.

Item statutum est quod iudex uel castellanus de pecunia comunis nihil accipiant sub colore mutui dacionis uel quolibet alio modo et ex hoc capitulo absolui non possit nec a credencia dari licenciam ullo modo. Item quod non petent per se nec per aliquem de sua societate uel familia aliquid quod sit sue utilitatis uel alicuius de sua societate uel familia ullo modo nec arbitrium generale petent nec recipient ullo modo et si contrafecerint non ualeat eo saluo quod extraneos in maleficiis arbitrium habeant possint autem petere licentiam eundi extra locum pro suis negotiis.

Quod castellanus uel iudex eant in caualcata expensis comunis.

Item statutum est quod castellanus uel iudex ire non possint nec debeant in exercitum caualcatam uel ambaxatam expensis comunis sine consilio tocius credencie uel duarum parcium ad minus de ore ad os interrogate absentibus predictis.

De feudo ambaxatorum.

Item statutum est quod iudex uel castellanus quando equitauerint pro comuni in aliqua ambaxata ubi debeant per diem stare et noctem cum scutifero uel scutiferis castellanus habeat de comuni pro dispendio solidos v iudex uero solidos iii et nullum loderium equorum suorum habeant die

a uero qua redierit domum castellanus habeat solidos ii et iudex denarios xviii.

Item statutum est quod si castellanus uel iudex uel ambaxatores comunis equitauerint ad aliquod colloquium ubi sit minus de iiii miliaribus et ibi non sit uilla uel castrum uel ciuitas non habeant nisi medietatem feudi secundum quod in capitulo continetur excepto loderio equorum quod consuetum est dari ambaxiatoribus hoc saluo quod de duobus miliariis uel circa nil habeant. Item ambaxiator per diem et noctem cum scutifero habeat solidos iii sine scutifero solidos ii et pro loderio cuiuslibet equi denarios viii si uero per diem steterit ita quod possit reuerti domum cum scutifero habeat denarios xv et sine scutifero denarios xii.

b Item statutum est quod castellanus iudex ab ambaxatoribus recuperent intra tres dies post eorum redditum pecuniam quam receperint de comuni ultra feudum dierum quibus steterunt in ambaxata quod si ambaxator redere contempserit omni die postquam redere fuerit requisitus quod cessauerit soluat pro banno denarios xii.

Quod ambaxatores uel alii Montiscalerii qui iuerint pro comuni per duos miliarios nil habeant.

Item statutum est quod ambaxatores uel castellanus uel iudex qui iuerint per duos miliarios foras Montemcalerium uel circa uel alii homines qui fecerint aliquod officium pro comuni in Montecalerio
c et finibus usque ad duos miliarios et citra siue steterint super fossatos magistros qui laborant pro comuni siue iuerint uidere clausuras fossatorum et uille et apascauerint aliquid pro comuni uel iuerint uidere uias nihil habeant de comuni et quod castellanus eis aliquod loderium non teneatur dare preter quam magistris manerie uel muratoribus uel scriptoribus uel illis qui taleam fecerint quibus det cum taleam uel capitulum facient de comuni denarios viii omni die per diem et noctem dum steterint ad taleam faciendam uel capitulum et nihil aliud possit dare, nisi saluis tribus denariis supradictis.

Item statutum est quod castellanus uel iudex ambaxatores alicui homini Montiscalerii non concedant nisi expensas requirentis excepto quod si aliquis uel
d aliqua Montiscalerii robate fuerint mittere possint unum ambaxatorem uel plures expensis comunis semel et non plus secundum negotii quantitatem. Item quod ambaxatores miserint mittant tot de popularibus quot de militibus.

De officio et cura iudicis.

Item statutum est quod castellanus uel eius iudex debeat esse et stare ad omnes rationes que fient pro comuni Montiscalerii et ipsius comunis rationatores in toto tempore sui officii. Item teneantur castellanus et iudex postquam iurauerint infra tres dies facere nouam credenciam ita quod credendarii elligantur de nouo uoluntate castellani et

iudicis et sapientum super hoc electorum. Item teneantur castellanus et iudex tenere pontes loci Montiscalerii paratos et aptatos et omni mense uidere ipsos semel per se uel per alium saluo maiori ponte quem mansio templi tenetur reficere tocies quocies opus fuerit. Item quod iudex non possit comedere in aliqua domo Montiscalerii nisi fructus et uinum nec aliquis de Montecalerio possit comedere in domo sua nisi fructus et uinum nisi essent officiales eius silicet clauarii notarii et decani. Item iudex non possit recipere aliquod seruicium ab aliquo de Montecalerio nisi fructus et uinum et salnacinas coctas. a

De peleria manutenenda.

Item debeat tenere peleriam sicut ordinata est ab strata inferius et facere lectum aperire per medicinos usque ad Padum in ea forma qua est lectus per terras iuxta medicinos et est ampla, v pedes inferius et in medio sex et nemo possit facere plantacionem aliquam ab strata inferius et qui uel que eam fecerit uel plantaciones ita fecerit soluat pro pena solidos v et iudex hoc inquirat et uideat ter in anno de quatuor in quatuor mensibus et lectus qui fiet fiat expensis illorum quibus tenet dampnum et non comunis et hoc compleatur per mensem madii.

De riuo pascui cellarum.

Item iudex curari faciat et tenere curatum riuum pascui cellarum per lectum ueterem ab illis qui ibi habent facere supra rebus eorum et illis qui hoc facere debent et hoc fiat usque ad Pascha uel hoc fiat per locum illum per quem melius ire poterit et hoc uideatur per sapientes qui super hoc elligantur.

De rianis apertis tenendis.

Item teneatur iudex omnes rianas que sunt iuxta uiam illam que incipit ad portam placentinam et que protendit usque ad plateam facere aperiri et apertas teneri per totum annum expensis illorum quorum sunt.

De uiis manutenendis.

Item statutum est quod iudex teneatur facere aptari uiam montanee Montiscalerii ita quod uasa ueniant in fossatum nouum incipiendo a uinea Engane usque ad dictum fossatum. Item faciat quod quilibet manuteneat uias iuxta suas possessiones tam intra locum Montiscalerii quam extra et hoc inquirere teneatur infra xv dies post introitum sui regiminis.

De ponte Padi uiui.

Item teneatur iudex omni mense inquirere semel si pons Padi uiui bene aptatus fuerit et si non fuerit faciat illum aptari ab illis de mansione.

Quod custodes ab aliquibus non accipiant aliquid contra uoluntatem ipsorum.

Item statutum est quod castellanus constringat custodes pontis ne aliquid ab aliquibus accipiant contra eius uoluntatem et teneatur custodire et saluare res mansionis pontis sicut alias res hominum Montiscalerii ut in eisdem bampnis et emendis si preceptor mansionis custodierit res hominum Mon-
b tiscalerii et faciet super facto pontis quod facere debet et facere consueuit. Item procuret quod riana uinerii curetur usque in Padum mortuum expensis illorum qui habent terras uicinas usque ad proximum Pascha secundum quod extimauerint duo homines super hoc ordinandi. Item teneatur facere expediri et expeditum et curatum tenere fossatum quod incipit a cantono de mutis usque ad cantonum hospitalis quando placebit castellano et consilio usque ad Pentecostem. Item teneatur facere fieri canales ad cuniglum super fossata ita quod acqua ducatur per dictos canales ultra fossata ab agro humiliatorum usque ad agrum gauarri quando fuerit de uoluntate consilii.

c *De lecto Padi terminando.*

Item statutum est quod quatuor uel octo homines eligantur sicut placuerit credentie qui discernant illud quod est comunis uel fuit et dimittatur comuni et aliud dimittatur illis quorum est. Item teneatur iudex facere fieri unam uiam leuatam a Sangono usque ad Montemcalerium usque ad Pentecostem.

Item statutum est quod iudex teneatur defendere et manutenere murum qui est ultra Padum uiuum a capite pontis usque ad ripam. Item teneatur iudex facere fieri plantacionem de salicibus tres teras siue acies una scilicet in sumitate fossati et alias duas uersus acquam ab illis qui habent ayra-
d lia uel terras iuxta Padum mortuum a ualfredo trunarum usque ad Padum uiuum et hoc ad medium mensem madii sub pena solidorum x qua soluta nihilominus plantare teneatur. Item teneatur iudex munire et defendere ripas Padi citra Padum et ultra super et subter ad consilium sapientis usque ad Pascha. Item teneatur pascum ortexii facere terminari et uendi usque ad Pascha resurrectionis proxime uenturum.

Item statutum est quod iudex faciat dari et solui decimam ecclesie Beate Marie ab omnibus a quibus ipsam habere debent. Item teneatur iudex denunciare suis campariis ut debeant custodire omnes res et possessiones Montiscalerii quecumque sint et ubicumque sint ita tamen quod possint accusare

sicut possunt in finibus Montiscalerii et homines Montiscalerii qui habent possessiones in aliis finibus in suo dampno similiter possint accusare in utroque tamen casu predicto accusatus se defendere possit si iustam habet defensionem alioquin credatur predictis accusantibus.

De uiatoribus eligendis.

Item statutum est quod iudex cum consilio credentie infra unum mensem postquam iurauerit teneatur eligere duos bonos homines quos compellat iurare precise ut ipsi habeant curam et solicitudinem ficarum uiarum tam factarum quam faciendarum et omnium poncium et teneantur per sacramentum predictas ficas et pontes uidere de xv in xv diebus. Vias uero nouas faciant fieri de quibus audierint querimoniam et uiderint et cognouerint esse utiles hominibus Montiscalerii uniuersaliter et particulariter expensis tamen illorum quos predicte uie tangunt et hoc habeat locum de uiis que sunt uel erunt intus et extra Montemcalerium predictorum uero duorum hominum quilibet habeat solidos v pro feudo non obstante aliquo capitulo quod loquitur de superstantibus.

Item statutum est quod nemo debeat edificare uel murare iuxta plateas et stratas et uias comunes intus locum nisi primo ostenderit iudici.

De edificiis non leuandis.

Item statutum est quod nemo possit domum aliquam leuare uel turrem uel solarium edificare de muro siue altius extollere quam est illa domus quam habet Melanus Ducus et eius nepotes inter domum Iohannis Maialis et domum Maynfredi de Bycio a loco ubi est domum comunis siue sedimen siue domus quondam domini Octonis de Fulgure et a uia que est media inter predictam domum et sedimen dictum per quam itur uersus portam mediolanensem in aliqua domo uel sedimine que uel quod habeat exitum in platea uel uia predicta. Nec alibi altius quam est illa domus que est in palmerum et domus Petri Castagni et filiorum quondam Gory et qui uel que contra hec fecerit soluat pro pena libras xxv et superfluum diruatur et remoueri uel moueri non possit per credenciam uel contencionem nec alio modo sed hec ualeat in perpetuum nec castellanus uel iudex inde possit facere credenciam et de hoc plura fiant publica instrumenta.

De elemosina facienda fratribus minoribus.

Item statutum est quod fratres minores Montiscalerii habeant omni anno a comuni Montiscalerii pro iuuamine suarum tunicarum in festo sancti Michaelis libras vi uianenses.

a *De legatis ecclesie persoluendis.*

Item si aliqua persona legauerit ad opus ecclesie sancte Marie faciendum ad tempus soluendum uel quando ecclesia fiet cogatur dictum legatum soluere infra unum mensem post mortem testatoris in manibus cuiusdam hominis legalis electi uoluntate consilii et capituli dicte ecclesie non obstante aliquo testamento.

De regenda bura que uadit uersus portam pelerie.

Item quod castellanus uel iudex teneatur facere ire recte buram que uadit uersus portam pelerie usque ad stratam secus podium molendinorum . . .
b . . . . . terram ab illis quorum est que caperetur ea occasione.

De arboribus fructiferis plantandis.

Item statutum est quod quilibet dominus domus teneatur plantare quolibet anno quatuor plantas fructiferas sub pena et banno pro quolibet solidorum ii.

De pena illius qui arborem siue plantam fructiferam plantatam inciderit seu traxerit.

Item statutum est quod si aliqua persona inciderit uel traxerit siue euoluerit aliquas arbores fructiferas uel plantas fructiferas soluat pro banno qua-
c libet uice solidos xx et totidem pro emenda et quilibet accusare possit et ei credatur suo sacramento.

De concordandis hominibus Montiscalerii qui sunt discordes.

Item statutum est quod si castellanus uel iudex sciuerint aliquos homines de Montecalerio se odio habere curare debeant de concordia facienda quod si eos accordare non poterint precipiant eis sub pena et banno librarum x et plus si ei uisum fuerit et cuilibet eorumdem quod alter alterum non offendat tempore sui regiminis et etiam per xv dies post et hoc idem intelligatur de hominibus principis comunitatis et aliis qui in Montecalerio com-
d morantur.

De portu Padi manutenendo.

Item castellanus et iudex teneantur manutenere portum unum in Padum per totum annum ad opus comunis.

De custodibus uenti.

Item teneatur iudex quolibet anno de quolibet quarterio homines quatuor eligere et eos facere iurare quod quandocumque audierint uentum exortum in nocte ipsi teneantur per suum quarterium ire et custodire et facere uigillare quoscumque uo-

luerint et habeant quilibet illorum solidos III a comune pro feudo.

De custodibus noctis.

Item statutum est quod custodes noctis qui custodiuerint terram Montiscalerii omnes post secundam campanam debeant ire per terram et circuendo usque ad diem in banno pro qualibet uice et quolibet solidos II. Item teneantur sub banno solidos X omnes quos inuenerint euntes sine lumine accusare et si suspectam personam inuenerint detinere et presentare castellano uel iudici uidelicet sua nocte.

De rectificandis porticubus platearum.

Item teneantur castellanus et iudex facere reduci porticus platee ad unum modum commmem ita quod nullus maiorem porticum habeat quam alter et quod nemo in dictis porticubus faciat aliquod artificium uel ipsos porticus claudat uel aliquid ibi teneat preter tabulos bancas et mercandia et merces desuper nec ultra porticum uersus plateam faciat aliquod artificium nec ponat bancam uel tabulum aut frascatam uel toxam uel meliaceam astorium et inquirant diligenter plateam et sedimen comunis et uias et si inuenerint quod aliquis ceperit uel teneat aliquid de predictis faciat illud restitui et hoc faciat usque ad quadragesimam.

De sedimine comunis nemini dando.

Item statutum est quod castellanus uel iudex non possit dare sedimen uacuum quod est ante domum comunis alicui persone seu personis uel uniuersitati neque inde possint facere consilium sed ipsum manuteneat ad opus comunis et si aliquis edificauerit supra dictam terram totum debeat remoueri.

De lignis et paleis de iuxta domos remouendis.

Item statutum est quod si aliqua persona misit iuxta domum alterius ligna fenum et paleam uel meliacias si querimonia inde fiet castellanus uel iudex debeant facere mutare illa ligna uel fenum uel paleam uel meliacias in illa parte in qua possit minus nocere et hoc faciant cum duobus hominibus qui hoc cognoscant.

De paleis et meliaciis.

Item statutum est quod nulla persona de Montecalerio audeat coperire domum suam de palea sucta uel meliacea intra fossata nec audeat reponere intra fossata ultra dimidiam caratam feni et ultra dimidiam caratam palee nec audeat domos claudere de meliacea nec de rosello integro et qui uel que contrafecerit soluat qualibet uice solidos II post-

a quam preconizatum fuerit per terram que preconizatio non possit fieri citra Pascha.

De palea non ponenda in uiis.

Item statutum est quod nulla persona mittat intra Montemcalerium paleam in uiis causa faciendi liamen nec extra in uiis ayralium in pena denariorum XII pro qualibet uice et quicumque traxerit liamen in uiis aut in porticubus uel plateis portet illud extra Montemcalerium sub pena solidorum II usque ad quatuor dies postquam preconizatum fuerit.

De uiis et pascuis inquirendis.

b Item teneantur castellanus et iudex inquirere pascua et uias et eis qui auctulerit auferre solidos V pro banno scilicet a quolibet et etiam uias Montiscalerii in scriptis redigere scilicet ipsarum latitudinem et eas in eo statu in quo facte fuerint manutenere uel retinere.

Si de tenuta contentio fuerit et de pena illius qui terminum traxerit.

Item statutum est quod si inter aliquas personas coram iudice contencio fuerit finium ipse iudex a duobus hominibus legalibus super hoc elligendis terminos poni faciat et persona que terminos positos admouerit uel fecerit admoueri soluat pro pena
c solidos C et ad pristinum terminum reducatur et hoc infra octo dies facere teneatur et partes et terminatores facere iurare. Persona que arauerit de aliena terra ubi termini positi non sunt non sit in pena. Si uero post terminos positos incurat predictam penam ordinatam scilicet solidorum V et rem dimittat si querimonia facta fuerit dampno passo.

De sepibus communiter faciendis.

Item statutum est quod si alter eorum qui habent ayralia uicina uel ortos conuicinos coram castellano uel iudice querelam fecerit de claudenda precipere teneantur quod quisque intra certum diem fecerit medietatem sepis siue clausure.

d *Quod iudex compellat terras uacuas uendere ad caseandum.*

Item si aliqua persona emere uoluerit de aliqua terra uacua ad caseandum ex Montecalerio castellanus et iudex compellat eos quorum fuerit ipsam uendere per estimacionem bonorum hominum.

De habitatoribus recipiendis.

Item castellanus recipere teneatur omnes habitatores qui se in Montecalerio uoluerint euenire quicumque sint et undecumque sint et si aliquod ca-

pitulum contrauenirei absoluatur et omnia instru- *a* menta que possint contra ostendi nihil ualeant.

De usuris in iudicio non petendis.

Item statutum est quod castellanus nec iudex non faciant iusticiam de usuris nec de pena nec de expensis petitis uel petendis sub colore uel specie usurarum nec aliquam personam compellere possint ad solucionem usurarum pene et expense ut dictum est.

Item si creditor mutuam pecuniam acceperit super debitorum expensas seu usuras illa de causa debitor soluere non cogatur. Item creditor qui receperit usuras ultra VIII denarios pro qualibet libra cum pignore uel sine pignore quolibet mense pro *b* qualibet libra soluat pro pena solidos X saluo quod non faciat racionem de usuris et credatur sacramento debitoris qui dixerit se soluisse.

De credendariis et sacramento ipsorum quod tale est.

Ego iuro super sancta Dei euangelia bona fide et sine fraude attendere et obseruare omnia precepta mihi facta a castellano et iudice et dare eis consilium bona fide secundum quod mihi petitum fuerit et mihi uidebitur ad maiorem et meliorem statum et honorem comunitatis et Montiscalerii et augmentum et illud quod mihi iniunctum fuerit sub secreto secretum tenebo nec illud alicui reuelabo *c* sine parabola eorundem. Item ad consilium ueniam cum audiero campanam uel nuncium ad hoc statutum nec de consilio non recedam sine ipsorum parabola. Item dabo consilium auxilium modis omnibus quibus potero quod obseruent omnia sua sacramenta et si aliquid de comuni ad me peruenerit illud custodiam et saluabo ad utilitatem comunis.

De diuisione consilii facienda.

Item statutum est quod castellanus nec iudex non faciat diuisionem consiliorum nisi interrogacione facta de ore ad os uel credendarii se diuidant ita quod qui uoluerint unum uadant ad unam partem et qui uoluerint aliud uadant ad aliam. *d*

De illo quem tangit consilio remouendo donec consilium sit.

Item statutum est quod si aliquis uenerit ad consilium de cuius comodo uel incomodo tractatur ibi specialiter iudex ea uice eum exire faciat et cum aliis loquatur et notarius cum hoc sciuerit dicat iudici.

De pena illorum qui ad consilium non uenerint.

Item statutum est quod quilibet de credencia postquam audierit pulsari campanam credencie ad concilium teneatur uenire si est inter uillam et ayralem et extra ayralem si est super equo nisi aripuerit iter equitando extra terram et qui non uenerit soluat denarios XII si consilium fuerit preconizatum.

De rixa in consilio non facienda.

Item si quis rixam in consilio credencie fecerit postquam ei a castellano uel iudice fuerit interdictum soluat pro banno solidos V.

Quod aliquis compelli non possit ad carigium faciendum.

Item statutum est quod castellanus nec iudex per se nec per credenciam aliquem compellere possit quod carrigium faciat alicui et istud capitulum remoueri non possit et si quis dixerit in consilio contra predictum capitulum soluat pro pena solidos XX et si aliquod dapnum dabitur uel quocumque modo fiet nullam restitucionem habeat a comuni et quod capitulum quod loquitur de restitucione dampnorum in hoc locum non habeat.

Item castellanus nec iudex ullomodo faciant concilium de carrigio faciendo sed si fecerint nullus ad ipsum ire teneatur sed possit quilibet ab ipso rerecedere sine bampno.

Quod aliquis compelli non possit ad mutuum faciendum.

Item statutum est quod castellanus nec iudex per se nec per credenciam aliquem hominem de Montecalerio possit compellere ad prestandum pecuniam nisi sint I uel plures. Item statutum est quod nec castellanus nec iudex nec alius eorum nomine nec aliquis qui non moratur in Montecalerio cum foco et catena nullo tempore habeat uel habere nec tenere possit miliciam ad feudum comunis nec inde credencia fieri possit et si facta fuerit et aliquis contra hoc presumpsit arengare soluat pro banno solidos LX et non habeat aliquam emendam a comuni de aliquo dampno uel uasto quod sibi fiat.

De sacramento sequelle quod tale est.

Ego iuro super sancta Dei euangelia quod bona fide et sine fraude attendam omnia precepta mihi facta a castellano seu a iudice uel ab illis qui eorum loco receperint et ipsos bona fide et totis meis uiribus iuuabo quod obseruent sacramenta sua et quod non recipiant malum uel dedecus in personis uel aliquo alio modo pro posse meo et si de consilio fuero bona fide totum hoc quod continetur in sacramento credencie obseruabo et si aliquid de comuni habuero illud ad utilitatem comunis custodiam et saluabo.

De banno illius qui sequellam non fecerit.

Si quis a castellano uel iudice requisitus fuerit ut faciat sacramentum sequele et ea die qua requisitus fuerit non uenerit nec sequellam fecerit sacramentum det pro banno denariorum VI et sic totidem omni die quo steterit et non fecerit sacramentum ita tamen quod ista pena non ascendat ultra solidos V et nihilominus sacramentum sequele facere compellatur.

De numero notariorum et clauariorum et eorum feudo.

Item statutum est quod castellanus et iudex habeant per annum VIII notarios et VIII clauarios secundum quod placuerit credencie scilicet quatuor per medietatem anni et alios quatuor per aliam medietatem et quilibet notarius habeat pro suo feudo solidos X et notarius debeat facere omnia scripta et literas ad opus comitis et comunis et scribere clientes si opus fuerit et fossata et alia scripta necessaria comiti et comuni et taleas eo saluo quod notarius qui taleam scripserit habeat dum scripserit denarios VIII per diem dum scripserit et noctem pro cibo dum scripserit et dum fuerit ad capitulum faciendum tantumdem habeat.

De sacramento notariorum.

Ego notarius iuro ad sancta Dei euangelia quod scribam omnia facta comunis bona fide et sine fraude in libro comunis nec aliquid inde accipiam nisi illud quod statutum est mihi nec furtum faciam et auere comitis et comunis quod in manibus meis peruenerit bona fide saluabo et consilium dabo ad honorem comitis et comunis Montiscalerii et bonum si sciuero et potero. Item credenciam tenebo et omne illud quod ad comitem et comune peruenerit de data uel de pena in libro comunis scribam.

De sacramento clauariorum quod tale est.

Ego iuro ad sancta Dei euangelia quod saluabo et custodiam res et auere comitis et comunis bona fide nec furtum faciam nec consenciam fieri et si aliquis hoc faceret manifestabo castellano uel iudici quam citius sciuero et quod dabo consilium castellano et iudici bona fide et sine fraude de eo quod a me petierint consilium et credenciam terre mihi a castellano uel iudici dictam nemini manifestabo et quod occaxione mei officii non dabo nec dedi nec permixi aliquid per me nec per alium aliquo modo et officium meum exercebo bona fide remoto odio amore timore precio et precibus. Item quod non accipiam occaxione mei officii aliquid ab aliquo et si aliquid accipiam illi reddam a quo accepi et soluam pro pena totidem comiti. Item statutum est quod nullus habeat feudum aliquod si faciat officium

a suum frustra nec possit tempore sue clauarie aliquid loderium accipere pro talea coligenda uel rasparia uel alio modo. Item quod clauarius non faciat scribi aliquam solucionem ultra denarios VI in suo expenso nisi creditor fuerit confessus coram tabelione qui scribit se habuisse solucionem nec notarius aliter scribat nisi confitente creditore et scripture in hac forma credatur.

De iuramento nunciorum comunis.

Item statutum est quod castellanus habeat quatuor missos comunis quilibet det unicuique ipsorum solidos XXV uidelicet solidos C inter omnes pro feudo et teneantur pro feudo predicto seruire

b comiti et hominibus Montiscalerii per totam uillam et per omnes fines et extra fines si opus fuerit per miliarium et si opus fuerit ire Taurinum uel Carignanum habeat nuncius denarius III et si iuerit Cherium habeat denarios V et si iuerit ultra habeat pro quolibet die denarios VIII et quod illi missi comunis non habeant campariam dum steterint missi comunis nec aliud officium habeant nec habeant aliud aliquo modo nisi quod superius statutum est nec pro aliquo alio modo excepto quod si iuerint pro comuni cum castellano seu iudice uel ambaxiatoribus et habuerint expensas tunc medietatem dicti feudi habeant et pro calceamentis habeat quilibet solidos V et pro criis habeant illi qui criauerint solidos XX inter omnes. Item mand
c derius iurabit. Iuro ego super sancta Dei euangelia quod bona fide attendam precepta castellani siue iudicis et reddam ambaxatas quas castellanus siue iudex aut notarius mihi iniunxerit et auere comitis et comunis quod in manibus meis uenerit custodiam et saluabo et credenciam tenebo et omnia que pertinent ad meum officium faciam bona fide et inde aliquid non accipiam nisi illud quod mihi statutum est. Item statutum est quod missi comunis non habeant de causis trium solidorum et minus neque de saximento trium solidorum et minus nisi aliquid dederint sua uoluntate. Item statutum est quod notarius de cancellando bannum uasti quod non ascendit usque ad summam solidorum V. Item de banno uayte uel excarauayte habeant tantum obo-
d lum unum de singulis uero bannis ascendentibus dictam summam solidorum V habeant denarium unum.

Ut nullus possit esse superstans nec officialis nisi per unum mensem.

Item statutum est quod nullus possit esse superstans officialis uel sindicus nisi per mensem in negociis.

De custodibus et superstantibus molandinis.

Item statutum est quod custodes et superstantes molandinorum sint quatuor uel quot placuerit cre-

dencie ita quod ad mensurandum granum sint a duo insimul et notarius semper cum eis et ad uendendum similiter et dum granum mensurauerint ambo superstantes ibi debeant interesse et facere encrennas quilibet illorum et habeat feudum illud quod placuerit credencie et notarius comunis scribat facta molandinorum et habeat solidos xx et quilibet satisfiat de redditibus molandinorum et quod custodes eligantur in credenciam et quibus castellanus et comune det plenam liceneiam faciendi sumptus et expensas utiles et necessarias tam in molandinis quam in fichis et omnibus aliis pertinentibus ad molendina predicta ita tamen ut dum steterint in dicta superstancia non possit uendere de eorum bosco nec de lapidibus nec ibi aliquod carrigium facere ad loderium nec filius nec pater similiter et b qui contrafecerit soluat pro pena solidos xx. Item omni mense de recepto et expenso molandinorum debeat castellanus uel iudex facere fieri racionem coram octo electis ad hoc per totum annum.

Ut quisque possit uenire ad molendinum causa molandi.

Item statutum est quod quilibet possit uenire saluus et securus causa molendi ad molendinum Montiscalerii nullo impedimento sibi facto in persona uel rebus nisi forte iniuriosas manus in aliquem de Montecalerio imposuisset uel nisi esset de guerra nisi esset pro talea siue banno.

Item statutum est quod castellanus uel iudex duos c collectores ex molinariis ponat ad accipiendum granum in mastris et portandum in archis comunis cum corbellis tantum et si quis ex aliis molinariis accipiet uel colliget castellanus uel iudex puniat pro furto arbitrio suo et quilibet teneatur accusare alterum et in qualibet archa due claues fiant.

De molendinariis.

Item statutum est quod quilibet molandinarius debeat emendare granum commendatum sibi uel farnayrolio causa molandi si fuerit amissus persona iurante que portauerit granum quod commendauerat ei et ammissum. est et si fecisset sequelam castellanus uel iudex credat illi sacramento et qui d primo portat primo molat ad molandinum de personis Montiscalerii et de hoc teneatur molandinarius sub pena pro qualibet uice solidorum ii. Item castellanus uel iudex teneatur inquirere cozolos molandinorum et reducere ipsos ad mensuram de sezeno. Item castellanus uel iudex non paciatur aliquem molinarium uel fornayrolium uel alium stantem ad molandinum capere uel accipere ultra illud quod datur pro moltura etiam si aliquis uellet dare pro seruicio et hoc intelligatur de hominibus Montiscalerii et qui contrafecerit soluat pro pena solidos ii pro qualibet uice. Et castellanus seu iudex hoc requirat diligenter omni mense per sacramentum quod fecerunt molinarii et ille qui dederit soluat pro qialibet uice denarios xii. Item castellanus compellat molinarios ne accipiant pro moltura ultra sextamdecimam partem et qui contrafecerit soluat pro banno qualibet uice solidos x.

De pena illius qui furtum fecerit ad molandinum.

Item statutum est quod si aliqua persona fecerit furtum de grano molandinorum ultra eminam unam soluat pro pena solidos xl in die et si in nocte solidos c et granum restituatur in duplum et si non poterit soluere puniatur in persona arbitrio castellani et iudicis et si furtum fuerit minus emine solidos xx.

Quod molinarii teneantur portare granum super molandinum et quando debet remoueri.

Item statutum est quod quilibet molinarius teneatur portare granum uel portare facere super molendina ex quo fuerit in ripa hominibus uolentibus molere et farinam extrahere eodem modo et si quis istud facere recusaret soluat bannum qualibet uice denariorum xii et mulinarii debeant mutari uel confirmari omni anno ad festum sancti Michaelis. Item teneatur castellanus et iudex facere consilium de grano pesando infra xv dies postquam iurauerint.

De extimatoribus et eorum feudo.

Item statutum est quod duo homines uel plures eligantur qui debeant extimare dotes et bona que consignata fuerint precepto castellani uel iudicis qui habeant pro unaquaque libra quam extimabunt denarios ii quilibet medietatem.

Quod nullus possit esse extimator uel clauarius nisi semel infra duos annos.

Item statutum est quod quicumque de cetero erit clauarius uel extimator comunis non possit esse in eodem officio usque ad duos annos continue facta computatione annorum a tempore a quo exierit clauariam aut extimariam.

De alieno nemore ab aliquo non incidendo.

Item statutum est quod castellanus uel iudex seu aliquis pro comuni siue suprastans molandinis uel aliquis nuncius non debeat nec possit capere uel capi facere ad utilitatem sui uel comunis uel molandini de alieno bosco de ruignano nec de bosco cellarum nec de montanea nec de medicinis nec de aliis nemoribus nisi prius faciat extimari et solui illi cuius boscum erit que extimacio fieri debeat per tales in quo consenciat dominus lignorum.

De pena illius qui acceperit aliquid de auere comunis.

Item statutum est quod si aliquis accepit de auere comunis plus quam debuerit restituat comuni in duplum. Item statutum est quod aliquis massarius comunis uel collector talee non possit retinere sibi aliquid de pecunia comunis quam recepit pro solucione sibi facienda occaxione alicuius debiti quod habere debeat a comuni nisi pro salario sui officii.

Quod debitor non cogatur soluere nisi pignus recuperet.

Item statutum est quod castellanus nec iudex aliquam personam cogere possit ad solucionem alicuius debiti faciendam de qua datum sit pignus nisi creditor reddat pignus debitori non obstante aliquo iure uel lege aut promissione seu pignore capto uel ablato quo uel qua creditor se iuuare possit et istud capitulum non possit cassari uel remoueri per credenciam nec castellanus uel iudex inde possit recipere consilium.

De forneriis.

Item statutum est quod castellanus seu iudex teneatur costringere furnarios ne accipiant pro uno sestario panis coquendo plus unius secuxi et si contrafecerint fornarii soluant pro quolibet solidos II. Item statutum est quod aliquis fornarius non possit habere nec tenere furnum plus uno anno continue nec esse particeps cum alio excepto suo anno ita quod alius habeat et non ipse.

De taleis et qualiter faciende sint.

Item statutum est quod quando taleam facere oportebit fiet per solidum et libram hoc addito quod domus ueniat ad medietatem pretii extimationis iam facte et de quolibet centum uinee terre et prati nemoris gelbi culti uel inculti dematur media pars pretii extimationis temporis preteriti facte ita tamen quod non soluatur nec aliquis soluere compellatur nisi prius fuerint predicta inquisita seu possessiones immobiles hominum Montiscalerii et mensurare que remanserunt ad inquirendum et mensurandum. Item statutum est quod omnes et singule possessiones que sunt in poderio et finibus Montiscalerii et in circuitu sicut continetur in priuilegio facto et concesso per dominum comitem debeant dare taleam et soluere comuni Montiscalerii equaliter secundum quod fuerint in regesto uel erunt. Item quod omnes possessiones poni debeant in regesto per illos quorum sunt uel eas tenent postquam preconizatum fuerit per octo dies ita quod castellanus siue iudex infra octo dies postquam iurauerint hoc preconizare facere teneatur et hoc inquirat et illa persona que eas non consignauit soluat pro pena solidos v pro quolibet die quo cessa-
a uerit consignare ita tamen quod omnia instrumenta facta hinc retro que possunt ostendi contra hoc ordinamentum sint cassa et uana et nullius ualoris.

De possessionibus non alienandis non soluentibus taleas.

Item statutum est quod aliqua persona habens aliquas possessiones de quibus taleam soluere debet uel cui imposita est eas alienare non possit alicui persone que in Montecalerio non soluerit taleam uel collectam et persona que contrafaceret de cetero in perpetuum de illa re alienata taleam in duplum soluere teneatur.

b *Si quis non soluerit mutuum uel taleam ordinatam.*

Item statutum est quod persona que non soluerit taleam siue mutuum sibi impositam uel impositum per credenciam ad terminum ordinatum coram castellano uel iudice de aliqua re sibi data quam petat non possit consequi rationem quousque taleam siue mutuum soluerit.

Quod omnes res non regestate iterum regestentur.

Item statutum est quod persona que aliquas possessiones obmiserit ponere sub regesto et taleam inde non soluerit ipsa teneatur iterum regestare et
c soluere taleam in duplum.

Quod talea fieri non possit quousque prima sit excussa.

Item statutum est quod castellanus uel iudex nullam taleam uel mutuum deinceps imponere possint antequam prima talea sit excussa et raspata per totam terram et ex ea racio facta per racionatores comunis. Item raspator talearum cum notario quartum habeat super illis qui suas taleas non soluerunt ad terminum ordinatum ita tamen quod comune de sua talea nihil amittat et locum habeat tam in preteritis quam in futuris nec de hoc possit consilium dare licenciam et si quis contra
d hec arengauerit soluat pro pena solidos XL.

De pena uel banno propter taleam non ponendam.

Item castellanus uel iudex non possit per aliquam taleam excutiendam penam capere siue bannum nisi prout ad opus comunis per consilium fuerit ordinatum.

Quod nulli ratio fiat de re non regestata.

Item statutum est quod castellanus nec iudex alicui de Montecalerio existenti nullam faciant racionem de aliqua re que sit in fine Montiscalerii uel poderio siue districtu de qua taleam non soluit sicut

faciunt homines Montiscalerii et si in predicta re a aliquod dampnum fiat uel detur ab aliquo a comuni nulla fiat emenda nec a comuni defendatur. Item intelligendum est de re non scripta in regesto nisi res predicta esset ecclesie uel persone religiose uel alterius qui de iure taleam soluere non deberet.

De gratia uel dono non facienda in consilio alicui sine presencia additorum.

Item castellanus nec iudex non possit facere consilium de donacione uel mutuis faciendis uel gratia facienda uel concedenda alicui persone extranee uel priuate nisi in eo consilio c fuerint additi ultra illos de consilio et si aliter aliquod donum uel mutuum concessum fuerit cassum sit et nullius ualoris.

De campariis et iuramento eorum quod tale est.

Ego iuro ad sancta Dei euangelia quod bona fide et sine fraude custodiam et saluabo toto posse meo omnes res et possessiones hominum Montiscalerii et omnes quos inuenero offendentes accusabo eo modo quo inuenero remotis omni timore precio odio uel amore et quod neminem accusabo nisi uidero offendentem.

De securitate a campariis prestanda.

Item statutum est quod quilibet camparius antequam iuret campariam det bonam et ydoneam se- c
curitatem de libris x et nullus possit esse camparius nisi habeat ualens x librarum scriptum in regesto et idem locum habeat in omnibus accusantibus coram castellano saluo quod quilibet in suo dampno accusare possit.

Quod camparii dampna debeant emendare.

Item statutum est quod quilibet camparius aut forestarius teneatur emendare omnia dampna data in sua custodia illi uel illis quibus facta fuerint infra VIII dies postquam querimonia facta fuerit coram castellano uel iudice et credatur sacramento dicentis sibi dampnum datum fuisse usque ad v solidos ultra uero solidos v probare debeat.

Quod camparii nullum seruicium recipiant.

Item statutum est quod nullus camparius uel foresterius possit habere per se occaxione sue camparie aliquod seruicium siue loderium et si contrafecerit soluat pro pena solidos x et depellatur ab officio suo et qui seruicium fecerit uel loderium soluat pro pena solidos x et quilibet possit accusare illum qui receperit uel dederit et habeat medietatem illius accusamenti et iudex et notarius teneantur ipsum accusatorem tenere secretum et nemini reuellare eo saluo quod si ille qui dabit loderium campario camparium accusauerit sit ille qui dederit in minori pena et si non accusauerit soluat ut dictum est. Item a faxillantibus uel portantibus mortos uel rengum contra capitulum nihil recipiant sub pena solidorum v. Item omnes camparii teneantur custodire bene et diligenter fines suos eis assignatos et non uenire ad domos nisi bis in die nisi hoc facerent precepto castellani uel iudicis sub pena pro qualibet uice denarios XII.

Item camparii et forestarii teneantur ortos custodire et dampnum ut supra emendare et habeat de qualibet iornata denarium I et si minus fuit similiter denarium I.

De loderio campariorum.

b Item statutum est quod camparii et forestarii capiant pro camparia tantummodo de qualibet iornata impleta bladi uel marcenchi denarium I et de qualibet iornata prati et nemoris denarium I et si minus fuerit unius iornate similiter denarium I et de quolibet c uinee denarios duos et qui contrafecerit soluat qualibet uice pro pena solidos v et restituat quod plus acceperit et qui dederit soluat pro qualibet uice solidos v.

Quartam partem habeant camparii in bannis.

Item statutum est quod camparii ut melius custodiant habeant quartam partem de eo quod accusauerint incontinenti quando bannum fuerit excussum.

Quod camparii emendam non recipiant sed dari debeat dampnum passo.

Item castellanus teneatur facere dari et solui emendam illis quibus factum fuerit dampnum uidelicet datum in uineis bladis marcenchis pratis nemoribus et aliis rebus de quibus loquuntur capitula ista ab illis qui dampna dederunt uel fecerunt infra VIII dies postquam excussa fuerint. Item compellat castellanus illum cui datum est dampnum ne aliquid remittat uel remittere possit de predictis. Item nullus possit dare emendam campariis nec camparius eam recipere possit qui uero contrafecerit soluat pro pena solidos v pro qualibet uice. Item quilibet possit
d pratum suum et uineam suam et terram custodire uel facere custodiri ita tamen quod camparii nichilominus habeant feudum suum.

Item additum est per suprascriptos sapientes capitulo superius proximo in fine ubi dicit « item quilibet possit pratum suum et uineam suam custodire uel facere custodiri ect. uidelicet ut credatur illi cui dominus res suas omnes uel in parte dederit ad custodiendum eo iurante coram curia Montiscalerii et ipso habente in regesto aut pater aut mater aut frater stantes insimul solidos c in antea de quibus soluat taleam nisi accusatus poterit se defendere per testes uel per aliqua certa indicia et tunc absoluatur et accusator soluat pro pena solidos v et expensas restituat accusato.

Si quis in suo dampno male accusauerit quam penam paciatur.

Item si aliquis accusauerit bestias in dampno suo et persona cuius fuerint bestie poterit se defendere per testes uel aliqua certa indicia absoluatur et ille qui eas accusauerit soluat pro pena solidos v et accusamentum prolungare non possit ultra viii dies et si postea accusauerit non audiatur nec accusacio alicuius sit momenti.

Item statutum est quod de bampnis ruuignani tres partes sint comunitatis et quarta forestarii.

Item addiderunt supradicti additores capitulo supra proximo uidelicet ubi dicit « quod accusamentum de bestiis ultra viii dies prolongari non possit idem locum habeat et in personis et si post viii dies accusatio facta fuerit nullius sit ualoris.

Quod prata debeant custodiri a medio aprilis in antea.

Item teneatur castellanus seu iudex facere custodiri prata a medio aprilis in antea usque ad kalendas augusti et habeant praterii de seytorata mayengi denarium i et de rexio denarios ii ab illis qui eis uoluerint ad custodiendum commendare et si praterii affiarent bestias in pratis et hoc posse probari soluat pro banno quilibet eorum qui hoc fecerit solidos v et ab officio depellatur. Item camparii et forestarii infra duos dies debeant accusare et dicere diem et horam et locum et si aliter accusauerit accusacio nullius sit ualoris et nisi scripta fuerit per manus tabellionis comunis.

Si quis iniuste accusauerit.

Item si quis accusator fuerit reprobatus per ydoneos testes iniuste accusasse soluat pro pena solidos xx et ab officio depellatur quam penam si soluere non poterit ponatur ad berlinam.

De bampnis bestiarum.

Item statutum est quod si bestia bouina asinina uel caballina inuenta fuerit in alieno prato det pro bampno denarios ii in blado uel marcengo denarios iii in uinea denarios vi si non fuerint ibi uue et si fuerint ibi uue denarios xii idem in cessia uinee. Item si bestia ouina inuenta fuerit in pratis soluat qualibet uice obulum unum in bladis et marcenchis uero denarium i scilicet quelibet bestia ouina. Item soluat caprina illud idem in pratis bladis et marcenghis denarium i. Item quelibet bestia ouina soluat in uineis quantum in bladis. Bestia uero porcina soluat in uineis denarios iiii si porcus fuerit uel troya denarios vi et in aliis dampnis pratorum bladorum et marcengorum quilibet denarium i pro porco et pro troya denarios ii. Item bestia caprina in uineis et cesiis uinee et plantacionis soluat pro bampno denarios iiii et in qualibet predictarum passus dampnum

a siue persona in cuius re bestie inuente fuerint tantumdem habeat pro emenda. Item custos bestiarum siue bestie soluat pro qualibet uice denarios vi et si sine custode inuente fuerint bestie soluant cum predicto bapno earum domini siue domine denarios vi et hec suprascripta locum habeant de die. Si uero de nocte aliqua persona custodierit bestias in alieno prato blado uel marcengo soluat pro banno solidos v et pro qualibet denarios xii et tantundem dampno passo scilicet solidos v et pro qualibet bestia solidum i et hoc si fuerit bestia bouina caballina uel asinina. Pro capra uero soluat denarios vi pro ouina denarios ii pro porcina uero denarios iiii. In uineis uero persona que de nocte bestias custodierit soluat solidos v et pro qualibet
b bestia denarios xii et totidem pro emenda. De nocte intelligatur a primo signo usque ad albam.

De pena illius qui emendam dimittit.

Item persona que emendam dimiserit soluat pro banno qualibet uice solidos x de quocumque dapno sibi dato de quo habere debeat emendam per capitula suprascripta uel per ea que inferius continentur.

De furtis bladorum et feni factis tam in ayralibus quam extra.

Item statutum est quod persona que ceperit uel
c furata fuerit de alieno blado uel marcengo uel herba alieni prati si minus faxo soluat pro banno solidos ii qualibet uice si faxum fuerit solidos iiii. Si uero cum bestiis ceperit de predictis soluat pro banno solidos v si cum curru solidos x et si faxum uel faxos portauerit super carrum quod non sit suum uel que non sit sua bubulcus qui ducit currum soluat pro qualibet uice solidos ii et omnibus supradictis dapnum passus tantumdem habeat pro emenda et predictum capitulum intelligatur de offensione facta in die. Item persona que furatur fenum alienum in aliis pratis in die de faxo soluat solidos ii. de asina uel ronsinata florenos v. de carrata solidos xx pro qualibet uice. De nocte uero soluat duplum et nichilominus dampnum emendet.
d Item statutum est quod si aliqua persona furata fuerit fenum uel bladum uel granum uel aliud in aliena aira si in die hoc fecerit soluat pro pena solidos lx si in nocte solidos c de palea et lignis soluat solidos v in die et in nocte solidos xx et restituat rem in quadruplum et qui inuentus fuerit in alieno ayrali post ultimam campanam soluat pro pena solidos xx nisi intrauerit domini uoluntate. Item persona que in alieno ayrali bestias de die furata fuerit soluat libras x et si in nocte libras xxv quas si soluere non poterit uitam perdat.

Item additum est per supradictos additores capitulo supra proximo quod loquitur de furtis bladorum et feni uidelicet ubi dicitur si cum curru solidos x qui fuit solidos xi tot pro emenda et quod

de nocte semper soluatur bannum et emenda in duplum.

Item addiderunt eodem capitulo ibi ubi dicit de nocte uero soluat duplum et nichilominus dapnum emendet etc. uidelicet quod accusatus soluat dampnum passo totidem pro emenda.

De furtis uuarum clausarum sepium et similium.

Item statutum est quod persona que furabitur alienam blauam uel uuam uel clausuram uel sepes uel palos uinee et herbam de brolio uel in uinea plantas cuiuscumque generis sint uel arborem siue diruerit siue inciderit uel excaluauerit uel euulserit alienam si in die hoc fecerit det pro banno solidos v et si in nocte solidos x et totidem dampnum passo saluo quod si damnum maius fuerit ipsum emendare teneatur et credatur dapnum passo sacramento quod fecerit castellano si summa dampni illius fuerit solidorum v uel minus si maior fuerit de superfluo habeat iusticiam et hoc intelligendum est postquam bannum fuerit uiciniter appositum et si non poterit penam soluere capiatur a castellano et uirgis uapuletur per terram uel ponatur ad catenam. Item nemo intret yauellas extraneas siue alienas causa messnandi in banno solidorum II et nemo messor portet bladum uel marcengum sub eadem pena. Item nullus messor locare debeat doblandos de blado uel marcengo sub banno solidorum II.

De bestiis non ponendis in alieno prato si fenum est.

Item statutum est quod persona que posuit bestias in alieno prato donec fenum ibi fuerit uel quo bestias ibi custodierit soluat penam ordinatam in pratis de die nisi ibi oneret fenum.

Item addiderunt capitulo proximo supra ibi ubi dicitur nisi oneret fenum etc. uidelicet quod boues qui reperirentur in alienis pratis donec ille cuius essent boues aut bubulcus oneraret fenum sine pena sint in banno.

Quod nemo intret uineam alienam.

Item statutum est quod nulla persona intrare debeat uineam alienam nec uuas capere alienas nec agrestum alienum sub pena solidorum v pro qualibet uice et totidem pro emenda nec alienas uuas ducere uel portare sub eadem pena et accusare possit dominus uinee et quilibet de eius familia et camparius aut custos priuatim electus per officiales comunis aut per credenciam et habeat partem suam de eo quod accusauerit et ea die qua denunciatum erit accusato teneatur bannum soluere et emendam et tabelio comunis teneatur facere denunciare accusacionem ea die qua fuerit facta uel sequenti et castellanus teneatur accusatum detinere quousque bannum soluerit et emendam uel ipsum ponere ad
a catenam. De nocte uero duplicentur banna et emende. Idem uero intelligatur de fructibus qui sunt inter clausuras uinearum. In aliis uero fructibus qui sunt extra clausuras uinearum intelligitur solidorum II bannum locum habere de die et totidem pro emenda de nocte uero banna et emende duplicentur.

Quod nullus camparius defferat uuas.

Item si quis camparius iuuetur uuas portare de uineis alienis soluat pro banno solidos xx si uero fructus solidos v et ab officio depellatur.

Quod camparii non intrent uineas alienas.

b Item quod nullus custos uinearum siue sit camparius siue aliocumque nomine nuncupetur intret uineam alienam sub pena solidorum v in die et in nocte solidorum xx preter emendam nisi ibi uiderint homines offendentes uel aliquas bestias et tunc possit ibi ire sine pena causa custodiendi pecudes uel personas.

Item statutum est quod si camparius non iuerit de nocte custodiendo fines soluat pro banno solidorum v qualibet uice.

De banno nemorum.

Item statutum est quod persona que inciderit de alieno bosco uel ligna ceperit incisa soluat de carrata
c pro banno solidos xx et de duabus tortis nullum soluat bannum si uero ceperit plus quam duas soluat pro qualibet denarios IIII de manauella uero denarios XII et totidem pro emenda et de asinata et cauallata solidos v et de saxo solidos II et bubulcus qui inciderit de bosco alieno soluat de suo feudo solidos xx. in omnibus casibus supradictis et cui dampnum datum fuerit et teneatur quisque accusare per sacramentum quod fecerit castellano et ei credatur nisi accusatus poterit se defendere et qui inuentus fuerit portando de lignis ruuignani soluat penam superius ordinatam nisi ei fuerit donatum et donum non ualeat nisi donatum fuerit coram forestario et item sit de bosco cellarum et montanee et omnibus medicinis et nemoribus quo
d ad penam. Item si quis duxerit uel duci fecerit ligna de ruuignano uel de aliis nemoribus aut medicinis que aliquis dixerit sua esse castellanus saxiri faciat quousque ille qui inciderit ostendat locum ubi ipse incidit quod si non fecerit soluat penam eo qui accusauerit iurante se firmiter credere ligna esse de suo bosco et teneatur castellanus illuc mittere duos homines ulli parti attingentes qui uideant et recognoscant si incisa fuerint ligna ubi dixerit accusator et per iuramentum eos compellat dicere ueritatem.

Item statutum est quod forestarii ruuignani et aliorum nemorum hominum Montiscalerii et dominum eorumdem si inuenerint aliquem extraneum furantem de lignis siue boschis possint ei auferre

pignus quod bannum ualeat et emendam sine pena a
et quisquis sit accusator et accusare possit omnes furantes et offendentes in predictis castellanus non teneatur facere solui forestariis nisi ultimo mense custodie.

De lignis de nocte non portandis de montanea.

Item si quis duxerit ligna montanee siue de suo bosco siue de alieno de nocte usque ad albam det pro banno pro unoquoque faxo solidos v et nemo possit introducere testes contra hoc statutum montanee qui sit frater uel nepos uel consanguineus germanus uel secundus.

Quod nullus mittat ignem in runchis ruuignani.

Item statutum est quod si quis miserit ignem in runchis ruignani uel alibi in aliis nemoribus medicinis campis uel pratis et dampnum dederit uicinis suis dampnum emendet ad dictam duorum bonorum hominum et soluat pro banno solidos v.

De officio becariorum.

Item statutum est quod nullus becarius audeat uendere carnes femininas pro masculis cuiuscumque animalis sint neque coglutas pro castratis nec audeat sindere uirgam arietis cogluti nec audeat inserere uirgam castrati alii arieti et sint tamen duo in una c
societate ad unum animal et non plures et qui fecerint contra aliquod predictorum det pro banno solidos v. Preterea nullus becarius faciat in becaria comuni de infirmis bestiis becariam exceptis grignolosis quas possit occidere et uendere et teneatur hoc manifestare hominibus macellator etiam si non petierint et si non manifestauerit perdat carnem uenditam et qui contra hoc fecerit soluat pro banno solidos v. Qui uendiderit carnes troynas ementi hoc facere teneatur etiam non interrogatus sub pena predicta et rem emptam perdat si contrafecerit. Qui interfecerit animal extra bechariam quod uendat in becaria det pro banno solidos v. Nullus becarius possit interficere aliquam bestiam nisi in becaria et de die macelator postquam duxerit porcum d
uel aliud animal in becaria uenditori precium soluere teneatur et siue animal sanum sit siue egrum.

Quod becarii inflare carnes non debeant.

Item statutum est quod aliquis becarius uel alius loco eius bestiam aliquam inflare non debeat nec farsire sub pena solidorum v pro qualibet uice nec aliquam fraudem committere qua bestia inflari possit.

De becaria tenenda munda.

Item becarii caueant ne sanguinem uel stercus proiiciant in beccaria sed ea recipiant bona fide et portent extra et qui contra hoc fecerit soluat qualibet uice pro banno denarios vi. Item qui proiecerit busam bouum intra uillam det pro banno qualibet uice denarios vi. Item qui bestias morticinas proiiciet intra uillam Montiscalerii det pro banno comiti denarios xii qualibet uice et intelligatur intra uillam quantum durant et protendantur domus Montiscalerii ita ut extra locum domorum dicta debeant portari. Item qui fecerit becariam in aliquo porticu extra becariam comunem sanguinem stercus extra portet ita quod in porticu
b non proiciatur et qui contra hec fecerit det pro banno denarios xii.

Quod nullus turpet bancas becarie uel forum.

Item statutum est quod persona que deponet pondus superfluum uel aliud quid turpe in beccaria uel in banchis becarie uel in foro siue extra forum in tabulis siue banchis det qualibet uice pro banno denarios vi et accusatori qui eum repererit talia facientem credatur sacramento quod fecerit castellano. Omnia predicta capitula que loquuntur de beccariis macellatores teneantur siue becarii iurare attendere bona fide infra quindecim dies postquam iurauerit castellanus. Item quod quilibet accusare possit beccarios et credatur suo sacramento de eo quod accusauerit nisi beccarius accusatus se deffendere possit per idoneos testes qui non sint de sua familia nec in carnibus partem habeant de quibus accusacio fit.

Item statutum est quod becarii non possint uendere carnes caprinas ouinas arietinas becchinas et troynas in banchis superioris beccarie sub banno pro quolibet et qualibet uice solidorum v alias uero carnes possint uendere.

De pena gauantis calcem et modo calcis et laterum uendendorum.

Item statutum est quod nullus extraneus possit habere uel gauare aut accipere uel facere gauari dono uel precio de calce cruda uel cocta et quod castellanus nec iudex possint dare licenciam ullomodo excepto quod monarii non possint uendere calcem grossam plus solidorum iiii et afloratam solidos ii et denarios x pro modio hominum Montiscalerii et miliare laterum solidos viii et de cupis solidos x et non plus et hoc ad modum datum a credencia uel maiorem si uidebitur castellano sub pena solidorum v pro quolibet et qualibet uice et ita quod dum homines Montiscalerii uoluerint de calce emere quod non uendant aliis extraneis alioquin uendant aliis quando potuerint ad sestarium mercati culmum quod currit per Montemcalerium de grano et teneatur castellanus hoc inquirere pluries et si se

de dicto officio laborare obtinuerint et uendere ad a
dictum precium recusauerint non possint nec permittant eis laborare de supradicto officio infra annos x nec alicui de domo sua.

De falsa mensura.

Item teneatur castellanus mensuras grani tenere secundum modum mensure castri Montiscalerii et infra mensem sui regiminis facere fieri sestarium comune ad modum predictum et ad dictum modum trahere alia sestaria et omnes alias mensuras inquirere ter in anno. Item persona que mensurauerit ad falsam mensuram et nouam mutauerit dando uel recipiendo de qualibet uice solidos x pro banno sol-
uat et mensura penitus destruatur eandem penam b
soluat persona que ponderauerit ad falsum pondus et ad falsam stateram et que uendiderit ad falsam alnam uel ad falsum rasum. Item qui benediciones de grano et uino mensurando dederit uel reciperit det qualibet uice denarios vi.

De alnis et rasis.

Item teneatur castellanus alnas libras et stateras et mensuras facere reduci ad modum quod ordinauit infra mensem unum postquam iurauerit et eas signari faciat suo signo et nemo audeat uendere uel emere nisi ad mensuram predicto signatam sub pena qualibet uice et quelibet persona solidos x
et compellat castellanus omnes qui tenere uoluerint c
mensuras iurare quod non falsabunt predictas mensuras nec aliis mensuris ement uel uendent et persona que contra hoc fecerit soluat predictam penam ut dictum est et restituat dapnum passo in duplum et hoc inquiratur ad minus ter in anno.

De lucro quod possunt facere reuenditores.

Item statutum est quod quilibet reuenditor carnium sicarum casei seracei olei segiminis sepi lucrari possit tantum prodegium unum in qualibet libra predictarum rerum et persona que contrafecerit soluat pro qualibet uice florenos v et quilibet possit accusare et credatur ei et habeat quartam partem.

De textoribus et eodem lucro.

Item statutum est quod textor uel textrix per se nec per alium possit accipere de eo quod texerit uel texi fecerit ultra quintam partem uel ultra ualementum quinte partis in pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidorum x quam penam soluat persona que receperit et eandem penam soluat persona que dederit hoc addito quod nulla persona sub eadem pena audeat nec possit texere alicui permanenti extra Montemcalerium dum ab illis de Montecalerio habuerit ad texandum et si propter hoc textor uel textrix se ad officia relaxauerit non possit tenere usque ad decem annos nec aliquis alius de domo sua et de hoc quilibet possit accusare et habeat terciam partem banni.

De ferrariis siue fabris.

Item statutum est quod quilibet faber siue ferrarius debeat et teneatur laborare de suo officio unicuique secundum quod consuetum est recipiendo pro unaquaque celoria sestarium unum seliginis nec plus accipere possit et qui contrafecerit soluat pro pena solidos v tam qui dederit quam qui receperit et quilibet de hoc accusare possit et habeat terciam partem banni.

De sartoribus.

Item castellanus faciat iurare omnes sartores quod bona fide seruabunt pannos datos eis causa incidendi uel suendi et non debeant prius incidere pannum quam fuerit rasatum coram illo cuius fuerit et residuum reddent ei et qui contrafecerit det pro banno solidos x nisi esset persona religiosa. Item teneatur castellanus inquirere diligenter si terdones sartores beccarii textores aut alii exercentes misteria fecerint aliquam coniurationem aut conspiracionem et si inuenerit factam a predictis uel aliquibus predictorum compellat ipsos dictam coniuram uel conspirationem infringere et hoc teneatur facere infra mensem postquam iurauerit.

De pena illius qui biberit in taberna post primam campanam.

Item statutum est quod si quis uendiderit uinum in taberna postquam prima campana pulsata fuerit usque ad ultimam det pro banno denarios xii et post ultimam solidos ii et qui biberit uel intrauerit eandem penam soluat et hoc intelligatur ex quo preconizatum fuerit per uillam nisi ibi iacuerit uerbo castellani uel iudicis illa nocte.

De euntibus de nocte per uillam.

d Item statutum est quod si quis habitator comunis Montiscalerii inuentus fuerit ire per locum Montiscalerii post ultimam campanam sine lumine soluat pro banno solidum i et si fuerit suspiciosa persona soluat pro banno solidos v nisi inuentus fuerit ante domum suam uel per totum cantonum suum uel per uiam circa cantonum et nisi esset barberius uel fornarius qui inuenti essent euntes eorum officia facientes.

De pena illius qui ad tabernam uadit donec concio durat.

Item statutum est quod nullus uadat ad tabernam ad bibendum donec concio durat sub banno

denariorum XII et tabernarius qui tunc uendiderit a sit in eodem banno.

Si quis expenderit in taberna et sine soluendo recesserit.

Item statutum est quod persona que comederit uel expenderit aliquid in hospicio uel taberna recedere non possit nec debeat de hospicio uel taberna nisi prius soluerit uel satisfecerit hospiti uel tabernario ad suam plenariam uoluntatem sub pena solidorum II qualibet uice et quelibet persona que contrafecerit.

De ludis in Montecalerio prohibitis.

Item statutum est quod nullus luxor ludat in Montecalerio uel prope Montemcalerium per unum miliarium ad aliquem ludum cum taxillis uel burianis in pena solidorum X et qui manutenuerit uel luderet seu compertum ibi fecerit uel ad inspiciendum sederit soluat idem bannum. Et qui ad dictum ludum prestiterit incurrat idem bannum. Et qui in domo sua ludere pacietur soluat duplicem penam. Et quilibet possit accusare ista facientem et habeat quartam partem banni et custodes secreti constituantur super hoc arbitrio castellani uel iudicis qui habeat quartam partem ut supra dictum est saluo quod ad scaculos et tabulas ludi possit ubique et de ludendo castellanus non possit dare parabolam. Ludi tamen nullomodo uen- c dantur et si aliquis eos emere presumpserit non possit habere aliquod officium a comuni usque ad decem annos et soluat pro banno libras X.

De mutuo facto causa ludi.

Item statutum est quod si filius familias uel quilibet alius fecerit fieri instrumentum de denariis uel pignoribus mutuatis causa ludi quod castellanus uel iudex faciant illud instrumentum reddi uel cancellari si audierint de hoc querimoniam et hoc intelligatur in hominibus Montiscalerii.

Si quis de Deo uel Beata Maria dixerit blasfemiam.

Item statutum est quod persona que de Deo uel Beata Maria dixerit blasfemiam uel aliquod turpe uerbum soluat pro banno qualibet uice denarios XII aut demergatur in Padum et si quis eum ea de causa uerberauerit sit sine pena.

De meretricibus non hospitandis.

Item statutum est quod nemo debeat uel audeat hospitari feminam meretricem inter fossata loci Montiscalerii sub pena solidorum V pro qualibet uice.

De piscibus reuenditoribus non uendendis nec de Montecalerio extrahendis.

Item statutum est quod nullus de Montecalerio debeat portare pisces extra Montemcalerium nec alicui uendere reuenditori extraneo qui eos uendat extra Montemcalerium et qui contra hec fecerit soluat pro qualibet uice solidos XX et pisces amittat et quilibet reuenditor debeat uendere pisces in platea et non alibi sub pena solidorum V et quilibet piscator et reuenditor postquam remouerit pisces ab aqua teneatur eos aportare ad plateam et ibi uendere et non alibi sub pena solidorum V. Et nullus tabernarius uel reuenditor uel alius pro eo ullo die audeat emere pisces ante terciam sub
b eadem pena et quilibet sit accusator et habeat quartam partem banni et facta accusa incontinenti bannum excutiatur. Item statutum est quod nulla comeria fiat de nouo uel adicio in molendinis usque ad pontem nec credencia inde possit dare parabolam.

De banno illius qui alienam conceriam leuauerit.

Item statutum est quod si quis alienam leuauerit conceriam teysam sine uoluntate illius cuius fecerit conceria soluat pro pena solidos XL et totidem pro emenda pro qualibet uice et illud idem sit de conceriis illorum de calpice.

De pena illius qui alienam bestiam furtiue ceperit uel occiderit.

Item statutum est quod si quis de Montecalerio occiderit siue furtiue ceperit alienam bestiam bouinam uel caballinam uel alicuius de Montecalerio in uilla Montiscalerii habitantis cum foco et catena soluat pro pena libras XXV et dampnum emendet in duplum quam penam si soluere non poterit amittat manum.

De pena illius qui uineam tagliauerit.

Item statutum est quod si aliqua persona que tagliauerit uineas uel inciderit alicuius de nocte
d furtiue soluat pro banno libras L quam penam si soluere non poterit amittat manum. Si uero de die hoc fecerit soluat pro qualibet uice solidos V et totidem pro emenda excepta uite arboris pro qua soluat solidos X et dampnum emendet ad arbitrium duorum hominum per iudicem electorum.

De pena ficcantis focum.

Item statutum est quod persona que miserit ignem uel ficcauerit ignem ad comburendum domum uel tectum uel bladum uel paglerium reducta in ayralibus siue in Montecalerio siue in agris uel pratis soluat pro banno libras C quod si soluere non poterit uitam perdat.

Que dampna emendari debeant a comuni. a

Item statutum est quod comune Montiscalerii teneatur resarcire dampnum uel facere cartam de dampno resarciendo ei cui fuerit uinea incisa uel deuastata uel domus combusta uel fenum uel bladum uel foccum furtiue combustum siue de die siue de nocte et hoc intelligendum est postquam fenum fuerit tractum siue bladum siue palea et reductum ad domum et ad arcas in Montecalerio uel districtu uel composicio dampni fiat sub estimacione trium uel quatuor hominum ad hoc constitutorum consilio credencie et castellanus siue iudex teneatur hoc complere postquam querimoniam receperint a dampnum passo usque ad duos menses nisi ipsius dampnum passi steterint uoluntate et credencia non b
possit facere que contraueniat et hoc capitulum locum habeat per pacem et non tempore guerre. Si uero per guerram fiat uastum non emendetur. Comune non teneatur alicui dampnum emendare nisi illud quod datum est in re de qua soluitur talea comuni.

De furtis et pena eorum.

Item statutum est quod si quis uel si qua intrauerit furtiue uel fregerit domum alienam uel curtem clausam tenentem cum domo de nocte soluat pro banno libras l et dampnum emendet in duplum. Si uero de die domum alienam furtiue intrauerit uel eam fregerit soluat pro banno libras xxv et c
dampnum emendet in duplum et in utroque casu si penam soluere non poterit amittat pedem uel manum et eandem penam soluere teneantur participes et factores fractionis si domum non intrauerit. Et si furem ingredientem domum suam uel ayralem uel intra clausuras tenentes cum domo habitata uel eciam persequendo furem extra curtem quis occiderit sit immunis a pena si poterit probare per qualescumque testes furem intrasse domum suam uel curiam. Si uero extra domum uel curtem clausam furtiue ceperit denarios xii uel minus soluat pro banno florenos xx. Si uero plus denarios xii usque ad solidos x soluat pro banno solidos lx. Si uero plus florenos x usque ad xx soluat pro banno libras x. Si uero plus solidos xx soluat pro banno d
libras xxv et semper dampnum emendet in duplum et si penam soluere non poterit amittat pedem uel manum exceptis furtis fructuum de quibus capitulum est.

De pena reducentis furtum.

Item statutum est quod persona que sciens furem cum furto hospitata fuerit uel rem raptam uel furtiuam in depositum acceperit uel emerit eandem penam soluere teneatur quam fur soluere tenetur ut in suprascripto capitulo continetur.

De uerbis iniuriosis.

Item statutum est quod si aliqua persona dixerit alicui tu mentiris uel tu es periurus uel latro uel meretrix uel falsus uel cucurbita uel alia similia uerba que iudici iniuriosa uideantur si coram castellano uel iudici soluat pro banno pro qualibet uice solidos x si in aliis locis solidos v.

De iniuria dicta castellano uel iudici.

Item statutum est quod si quis uel si que dixerit castellano uel iudici uerbum iniuriosum castellanus uel iudex cui dictum fuerit possit eum qui dixerit punire sua discrecione quod si ultra modum excedere uideatur teneatur hoc facere consilio clauariorum uel notariorum suorum.

De iniuria facta castellano uel iudici.

Item statutum est quod si aliqua persona de Montecalerio uel eius poderio in persona castellani uel iudicis manum miserit sit in eorum discrecione eum punire secundum maleficii qualitatem. Item si quis uel si qua dixerit castellano uel iudici uos facitis michi tortum non accipiant inde bannum.

Si quis uirginem corruperit.

Item statutum est quod qui uirginem corruperit si uiolenter hoc fecerit soluat pro banno libras xxv et qui corruptam uiolenter cognouerit soluat pro banno solidos c salua racione mulieris si uero probare poterit cognita a pluribus soluat pro banno solidos xx.

Si quis predam uel furtum fecerit sine licencia castellani uel iudicis.

Item qui predam uel insultum fecerit sine licencia castellani uel iudicis in hominibus extraneis det pro banno solidos lx si preda ualuerit solidos lx uel plus et expensas quas fecerit dampnum passus restituat arbitrio castellani priusquam ius suum consequatur si habet unde restituat qui fecerit predam uel insultum. Si autem non habeat illi qui cum eo fuerint teneantur resarcire dapnum et expensas et quilibet illorum soluat solidos xx pro banno siue sit actor siue socius. Si uero caualcata uel insultum facti fuerint sine preda uel absque aliquo dampno dato prestet actor caualcate solidos v et quilibet sociorum solidos iii. Si uero precepto castellani uel iudicis insultus uel caualcata facta fuerit uel facti soluat actor libras x pro banno et quilibet sociorum c postquam eis fuerit interdictum et qui penam soluere non poterit ponatur in banno.

De rixis et percussionibus.

Item statutum est quod persona que percusserit aliquem uel aliquam de Montecalerio uel comitatu Sabaudie soluentem taleam uel facientem uiciniscum cum foco et catena in Montecalerio et in toto comitatu Sabaudie meditate se non deffendendo cum gladio fusto uel lapide uel aliqua alia re preter quam cum manu uel pede si ei sanguinem traxerit soluat pro banno libras x et si in rixa percusserit et sanguinem ei traxerit soluat pro banno solidos c. Si uero percusserit aliquem uel aliquam cum manu uel cum pede sine gladio uel armis et sanguinem non traxerit soluat solidos lx. Et si percusserit eum armis uel sine armis et sanguinem non traxerit soluat pro banno solidos xl. Et qui impulerit uel traxerit sine sanguine soluat pro banno solidos xx et hoc capitulum locum habeat in percutientibus qui habent xx annos et plus minores uero xx annorum puniantur arbitrio castellani si uero ex percussione membrum percussus perdiderit persona que percussit soluat pro banno libras l uel uitam perdat si penam soluere non poterit. Et si percusserit aliam personam extraneam que nec in Montecalerio nec in comitatu Sabaudie non soluat taleam nec faciat uiciniscum si sine sanguine soluat pro banno solidos xx si cum sanguine soluat solidos lx. De hominibus tum in comitatu Sabaudie commorantibus cum foco et catena ita seruetur quod persona que eos percusserit soluat tantum pro banno quantum solueret aliquis de terra percussi si in dicta terra percuteret hominem Montiscalerii hoc tamen saluo quod pena non possit ascendere ultra penam quam continet capitulum Montiscalerii inter homines dicti loci.

Si quis in exercitu rixas fecerit.

Item statutum est quod si comune Montiscalerii uel pars ipsorum pro comuni iuerit in exercitum uel caualcatam uel postquam stremita erit pulsata uel trumbe et aliquis rixam mouerit in terra uel extra uerbis uel factis contra aliquam personam puniatur arbitrio castellani secundum formam capitulorum.

De pena illius qui crepauerit oculos alicui.

Item statutum est quod persona de Montecalerio que eruerit uel crepauerit oculum uel oculos alicui de Montecalerio meditate det pro banno libras c et totidem dampnum passo et nihilominus bona eius deuastentur et domus diruatur et ponatur in banno librarum l de quo non exeat nisi soluta pena et facta concordia cum illa persona que dampnum receperit. Si uero in rixa eruerit uel crepauerit oculum uel oculos soluat pro banno libras xx. Item si per fallam aliqua persona crepauerit oculos uel oculum et persona que dampnum pacietur fecerit querimoniam soluat pro banno libras x. Si
a uero querimoniam non fecerit soluat pro banno libras c et hoc capitulum locum habeat in hominibus Montiscalerii.

De pena illius qui membrum inciderit.

Item statutum est quod persona de Montecalerio que aliis de Montecalerio meditate inciderit nasum aut manum uel pedem soluat pro banno libras l et bona eius nichilominus deuastentur et domus eius diruatur.

De pena illius qui arma traxerit.

Item statutum est quod si quis gladium uel alia
b arma traxerit in uia publica ad malum faciendum uicino suo nisi pro sua defensione si in platea scilicet ab ecclesia Sancte Marie usque ad uiam que uadit de domo Peracii de romano uersus quandam domum Bosii de Castello sicut platea uadit soluat pro banno solidos xx. Si uero in aliis locis det pro banno solidos x et si extraxerit intra uillam alicui extraneo si fuerit in platea soluat pro banno solidos x. Item qui traxerit arma postquam a castellano uel iudice interdictum fuerit det pro banno solidos xl.

De pena homicidii.

Item statutum est quod si quis admodo quod
c Deus auertat post pacem uel treguam hominem de Montecalerio uel de comitatu Sabaudie qui soluat taleam uel faciat uiciniscum meditate et non se deffendendo si eum assaliendo occiderit soluat pro banno libras cc silicet et penam treugarum si apposita fuerit et bona eius deuastentur et in banno ponatur de quo non exeat nisi cum heredibus uel amicis interfecti prius ad concordiam peruenerit. Si uero alio modo meditate et non se deffendendo sed eum assaliendo occiderit cum quo pacem uel treugam non fecerit qui sit de Montecalerio et soluat taleam et faciat uiciniscum uel aliquem qui sit de comitatu Sabaudie cum foco et catena soluat pro pena libras cc et bona eius deuastentur et in banno ponatur de quo non exeat nisi cum amicis
d uel heredibus interfecti prius ad concordiam peruenerit. Si uero interfecerit meditate et se non deffendendo aliquem qui non soluat taleam nec faciat uiciniscum nec sit de comitatu Sabaudie cum foco et catena soluat pro banno libras xxv. Si uero in rixa aliquem de Montecalerio qui soluat taleam et faciat uiciniscum uel aliquem qui sit de comitatu predicto cum foco et catena occiderit soluat pro banno libras c scilicet penam treuguarum si imposita fuerit. Et si in supradictis omnibus et singulis casibus homicidii penam soluere non poterit uitam perdat nisi ad sui defencionem fecerit in quo casu sit immunis a pena. De hominibus tam in comitatu Sabaudie cum foco et catena commorantibus sic seruetur quod persona Montiscalerii que

hominem comitatus Sabaudie interfecerit eandem penam soluere et sustinere debeat quam sustineret aliquis de terra interfecti si hominem Montiscalerii interfecisset saluo quod pena non possit ascendere ultra penam quam continet capitulum Montiscalerii inter homines dicti loci.

Si quis reduxerit homicidam uel ei opem dederit uel consilium.

Item persona que reduxerit homicidam uel equum suum uel iumentum prestauerit ad fugiendum soluat pro banno tantum quantum ille qui fecerit homicidium et semper credendum ei quod homicida meditate occiderit nisi qui occiderit contrarium probet per testes uel alia indicia manifesta quibus interuenientibus dandum est ei sacramentum ad defencionem. Item qui opem dederit homicide bannito in Montecalerio uel eius poderio uel eum deffendetur uel hospitaretur soluat eandem penam in qua esset dictus bannitus et si secum locutus fuerit sit immunis a pena et si appellatus inde fuerit quod dederit consilium uel auxilium sacramento castellani credatur si non poterit probare per testes. Qui uero auxilium bannito qui non sit homicida in poderio Montiscalerii prestiterit nisi pro pace facienda det pro banno solidos xx si summa banni fuerit solidos xl et si minus fuerit solidos xi usque ad solidos xx det pro banno solidos x. Si uero fuerit solidorum xx det pro banno solidos v et teneatur castellanus capere bannitum si inuenerit et teneret quousque habeat penam statutam in capitulo. Item maleficium in persona banniti propter maleficium commissum maneat impunitum. Bannitum exponimus qui non audet habitare in terra uel interdictum est habitare in ea. Banniti qui modo sunt propter maleficia banniti uel qui erunt in posterum de banno exire non possint nec extrahentur de banno priusquam bannum soluatur et cum aduersariis concordetur.

Si quis iugulatorem uerberauerit.

Item statutum est quod si quis iugulatorem uerberauerit uel alio modo percusserit sit sine pena nisi iugulator haberet equum in quo casu det uerberator solidos x uel nisi haberet uitellum in quo casu det uerberator solidos v.

Si quis mercenarium uel seruientem suum percusserit.

Item si quis mercenarium hoc est seruientem secum manentem percusserit sine sanguine sit immunis a pena si ei sanguinem fecerit puniatur arbitrio castellani usque ad solidos x si sine gladio percusserit. Si uero cum cultello framea ense falsone lancea uel pilo uel lapide et sanguinem traxerit soluat pro pena solidos xx si seruiens inde accusationem fecerit et non aliter.

In quo casu pater bannum soluere teneatur.

Item statutum est quod pater pro filio in pena et banno pecuniariis teneatur si filius fuerit maior xv annorum nisi sit emancipatus a patre et non steterit cum eo ad unum ignem nec ad unum cibum in quo casu non teneatur pater pro filio scilicet de sua porcione soluat filius bannum. Et teneatur pater pro filio a se non separato post viii dies postquam castellanus bannum pecierit dare filio suam legittimam partem que de iure debetur et de ea parte bannum soluatur. Si uero non dederit pater inde teneatur. Si uero de parte data filio bannum solui non poterit et castellanus probare poterit quod non dederit ei legitimam pater bannum soluere teneatur. Pro bastardo uero pater non teneatur nisi dederit ei opem et consilium post maleficium perpetratum uel ad maleficium perpetrandum in quibus casibus pro eo teneatur sicut pro legittimo. Item quod propter maleficium mariti mulier non ammittat dotem suam nisi dicto maleficio mulier consentiret.

Item statutum est quod omnia ista capitula intelligantur locum habere et locum habeant tam in mulieribus quam in uiris. Vir tamen et uxor et filii eorum stantes insimul et fratres et sorores et consanguinei germani insimul stantes immunes sint a pena.

Si aliqua persona tossicum teneat.

Item statutum est quod persona que tossicum tenere presumpserit eandem penam substineat quam substineret si homicida esset.

De facturis prohibitis.

Item statutum est quod persona que fecerit facturas soluat pro banno qualibet uice solidos c.

De maleficiis puniendis.

Item statutum est quod castellanus sumat uindictam et faciat iusticiam et accipiat bannum de quolibet maleficio eciam eo non conquerente cui maleficium factum fuerit si probatum fuerit per confessionem rei uel per alias legittimas probaciones maleficium fore commissum. Et si non probabitur reo defencio detur. Castellanus uero uel iudex si uiderint maleficium perpetrare credatur uerbo suo ad maleficia licet per testes probare non possit et maleficia punire possint usque ad solidos xl seruatis capitulis qui loquuntur de minoribus quantitatibus in maleficiis que uiderint perpetrare ultra uero quantitatem predictam non possint.

Quod homines Montiscalerii per castellanum extra non debeant presonari.

Item castellanus si ceperit aliquem qui non possit dare securitatem imprexonare debeat ipsum intus Montemcalerium usque quo fuerit iudicatus et puniat racionabiliter in persona uel auere.

De denunciatione facienda dominis de Trufarello de bannis Montiscalerii non tenendis.

Item statutum est quod castellanus teneatur denunciare dominis Trufarelli qui non debeant dare in castro uel in uilla Trofarelli alicui bannito Montiscalerii consilium auxilium nec iuuare et si contrauenerint soluant pro banno solidos c qualibet uice.

De pena illius qui rotondauerit monetam.

Item statutum est quod si quis rotondauerit monetam uel inciderit uel rotondare fecerit seu incidi soluat pro banno libras c quas si soluere non poterit perdat caput. Si uero apud quem incisio uel rotondatura inuenta fuerit usque ad quantitatem ualentem solidos v soluat tantumdem et eodem modo puniatur.

De pena illius qui tractauerit dampnum dominorum comitum de Sabaudia et comunis Montiscalerii.

Item statutum est quod si aliqua persona tractauerit cum aliqua persona malum uel detrimentum dominorum comitum Sabaudie uel comunis Montiscalerii tractando quod dicti domini amittant castrum uel uillam Montiscalerii uel aliquem honorem et hoc probatum fuerit legitime uel confessum suspendatur et omnia bona sua penitus destruantur et in perpetuum uasta debeant permanere si uero capi non poterit in perpetuum sit bannita.

Item statutum est quod si aliquis de Montecalerio habuerit aliquod continum uel uillam tenentem se cum finibus Montiscalerii non possit illam uel illud uendere uel alienare alicui nisi prius admonuerit dominum comitem et si illud emere uoluerit emat ad dictum duorum hominum et qui contrauenerit soluat pro banno libras c.

De bannis recuperandis.

Item si aliqua persona fecerit aliquod maleficium uel fecisse fuerit inculpata castellanus siue iudex incontinenti quod fuerit coram eo accipiat securitatem sine aliqua dilatione quam si dare non poterit ipsum capiat et captum detineat quousque satisfaciat.

a *Quod castellanus non possit petere pignus de bannis.*

Item statutum est quod castellanus uel iudex non possit petere pignus portitorium uel ductibile de maleficiis sed aquitet qui bannum debet in manibus clauarii pro comite existentis securitatibus quod si non poterit aquitare clauario aquitet securitatibus castellano nec castellanus pignus exehat extra uillam Montiscalerii.

Quam penam possit imponere castellanus uel iudex.

Item statutum est quod castellanus uel iudex possit ponere bannum pro quolibet facto et pro qua-
b libet re per se contra quamlibet personam si ei uissum fuerit usque ad solidos v de facto uero acauigliane et uerbis iniuriosis et furto et igne et mala suspicione et aliis turpibus maleficiis possit ponere bannum usque ad solidos c ter in die si opus fuerit et plus saluis ordinamentis et bannis scriptis in hoc capitulo nisi faceret tale scriptum quod esset contra statuta posita in hoc libro et tunc nullum possit bannum imponere alieni.

De pena non dantis pignus.

Item statutum est quod si cui a castellano uel iudice pignus petitum fuerit de pena uel data uel banno det pro banno solidos II si non dederit illa
c die uel crastina qua petitum ei fuerit si summa peticionis fuerit solidorum xx aut plus si minus denariorum XII.

Quod castellanus neminem releget seu extrahat de Montecalerio.

Item castellanus teneatur precisse quod non relegabit nec extrahet aliquem burgiensem Montiscalerii de ipso burgo occaxione alicuius iniurie quam sibi uel alii dixisset nec occaxione alicuius maleficii dummodo ipse uelit dare et det securitatem ydoneam de parando iuri et de suis preceptis attendendis.

d *Si castellanus uel iudex ab aliquo securitatem petierit siue pignus.*

Item si castellanus uel iudex ab aliquo pignus uel securitatem pecierit qui dicat quod exigit uel petit securitatem uel pignus iuste uel iniuste det pignus uel alio modo satisfaciat clauario et ad uoluntatem castellani uel clauarii et deinde castellanus faciat cognoscere si ille qui dederit pignus uel alias satisfecerit appellauerit castellanum de pignore quod iuste uel iniuste acceptum sit et ille cui petitum fuerit pignus post datum pignus appellationis uel alio modo satisfactum infra x dies appellet et det iudicaturas. Appellatum dicimus ex quo dederit iudicaturas quod si non appellauerit infra x dies

soluat penam quam meruit et hec cognitio fiat in- a
tra tres dies uel ante si uidebitur castellano uel iudici postquam appellacio facta fuerit deinde si reperiatur quod iniuste acceptum sit reddatur infra tres dies et hec cognicio fiat sine aliqua iudicatura nisi ille qui appellauerit fuerit conuinctus in quo casu det iudicaturas secundum quod definitum est in aliis casibus. Et hec cognicio de pignoribus uel securitatibus iuste uel iniuste acceptis fiat per iudicem Montiscalerii de tribus in tribus mensibus uel anno ut supradictum est uel per alium iudicem secum electum per officialem uidelicet clauarios et notarios expensis illius a quo pignus uel securitas petebatur si appellatus uoluerit dicere iudicem comitis habere suspectum qui iudex uel iudices bona fide debeant cognoscere de causis penarum et bannorum b
ita quod nec castellanus nec alius pro eo supradicte intersit cognicioni et fiat hec cognicio sui secundum quod in supradictis et infrascriptis capitulis continetur que de maleficio loquuntur et non aliter. Item castellanus nec iudex possit aliquem condempnare nisi prius requisitus fuerit per ipsos uel alterum ipsorum uel nuncium eorundem uel nisi dedissent pignus uel securitatem ut dictum pignus uel securitatem deffendat.

Item statutum est quod si persona a qua pignus petitur uoluerit se deffendere et dare securitatem pignus dare non teneatur sed det securitatem et faciat suam deffensionem ad terminum sibi datum.

De pena illius qui coram castellano uel iudice deierauerit. c

Item statutum est quod quecumque persona que coram castellano uel iudice deierauerit siue periurium commiserit in causis pecuniariis uel maleficiis inquirendis soluat pro banno solidos xx si probatum fuerit periurium fore factum per duos testes.

De pena illius qui iurauerit se non facturum preceptum castellani uel iudicis.

Item statutum est quod si castellanus uel iudex preceperit uel iniunxerit alicui aliquid pro facto comunis si contumaciam ductus iurauerit super sancta Dei euangelia se non facturum det pro ban- d
no solidos xx. Qui de cetero iurauerit antequam sit ei iniunctum uel preceptum per castellanum uel per iudicem post istud statutum soluat predictum bannum hoc ante iuramentum intelligimus si post istud capitulum iurauerit quod de cetero non erit existimator comunis uel quod non faciet securitatem pro comuni et si iurare uoluerit qui non faciet securitatem excipiat comune alioquin soluat predictum bannum si requisitus a castellano uel iudice quod faciat securitatem pro comuni in solidum uel in parte hoc facere recusauerit et usque ad x annos nullo officio fungatur.

Quod nulla societas de cetero fiat in Montecalerio et de iuris prohibitis.

Item statutum est quod nulla societas de cetero fiat in Montecalerio et si aliqua facta fuerit cassa sit et nullius ualimenti et qui aliquam societatem fecerit uel tentauerit domus eius diruatur et bona eius uastentur et tamquam bannitus de loco Montiscalerii depellatur. Item qui iuram fecerit siue cum uicinis suis siue cum extraneis soluat cc libras pro banno quas si soluere non poterit moriatur.

De pena illius qui alium de possessione eiecerit.

Item si aliqua persona aliam de tenuta seu de possessione eiecerit sine cognita ratione siue de re mobili siue immobili det pro banno solidos x si tenuta uel possessio fuerit solidorum xl et plus si minus fuerit usque ad solidos v. Si uero minor sit solidorum v soluat tamen quantum ualet res pro banno et semper rem restituat in quolibet casuum predictorum et de ualimento rei credatur sacramento expulsi a possessione usque ad solidos x.

De pena illius qui fregerit saximentum.

Item si qua persona fregerit saximentum factum a castellano uel iudice si quantitas fuerit solidorum xx uel plus soluat pro pena solidos xx si minus soluat solidos v et semper restituat saximentum.

Si quis uaytam non fecerit.

Item statutum est quod persona que uaytam uel scarauaytam sibi impositam non fecerit soluat pro banno denarios xii et qui tarde uenerit ad uaytam soluat denarios vi.

Item statutum est quod nulla persona possit excusare aliquam uaytam nec recipere aliquod seruicium ab ea ut excusetur et qui contrafecerit et qui dederit et qui acceperit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos v et quilibet possit accusare et habeat quartam partem et credatur ei.

Quod reuenditores et riuenditrices non emant ante terciam fructus.

Item nullus reuenditor uel reuenditrix debeant emere fructus ante terciam aliqua die sub pena denariorum xii pro qualibet uice.

Quod aliqua persona non emat circulos uel mortas causa reuendendi.

Item statutum est quod nulla persona possit emere circulos uel mortas causa reuendendi sub pena solidorum v pro qualibet uice in Montecalerio hec in fine.

Quod nemo extrahat mortas circulos siue uengum de loco Montiscalerii. a

Item statutum est quod persona que extraxerit de loco Montiscalerii uel ayralium causa portandi extra fines Montiscalerii mortas paletos circulos siue uengum si fuerit carrata soluat pro banno solidos x si fuerit somata solidos v si fuerit faxum solidos ii et res predictas quas portauerit ammittat et quilibet possit et teneatur accusare sacramento et de banno habeat partem suam.

Quod nullus debeat aportare de palis uinearum.

Item nulla persona debeat aportare uel aducere de palis nec de samentis uinearum suis uel alienis b nisi ab introitu marcii usque ad exitum aprilis sub pena solidorum ii pro qualibet uice et illi qui non habent uineas non possint adducere nec aportare ullo tempore de uineis palos nec uites sub predicta pena.

Quod nullus possit habere officium a comuni nisi faciat messiones comunis.

Item nullus possit habere officium pro comuni siue ad imponendas taleas uel alio modo qui non facit missiones comunis sicut alii uicini Montiscalerii uel iurauerit se nihil habere nisi ei expresse remissum fuerit a castellano uoluntate tocius credencie. c

Quod castellanus uel iudex per se non possit ordinare accusatores.

Item castellanus nec iudex accusatorem aliquem uel officialem ponere possit sine consilio tocius credencie uel maioris partis uel eorum officialium et si contra factum fuerit non credatur illi officiali et quidquid factum fuerit per ipsum sit cassum et inutile.

Quod nullus possit esse accusator qui habeat minus solidorum c *nisi fuerit priuatus.*

Item statutum est quod castellanus non ponat d officialem accusatorem qui habeat minus solidorum c de quibus soluat taleam nec eum qui unquam esset reprobatus de furto et accusatori minus habenti non credatur. Item officiali credatur per sacramentum quod fecerit si accusauerit de eo quod scire poterit nisi accusatus poterit se deffendere per duos testes et tunc absoluatur.

De parte accusatori soluenda.

Item teneatur castellanus dare et soluere accusatoribus partem suam de bannis et penis infra viii dies postquam excussa fuerint.

Quod res fictuales ob ficti cessationem non perdantur.

Item statutum est quod si aliqua persona Montiscalerii debeat fictum de aliqua re alicui persone extranee uel priuate uel ecclesie siue domui religiose extranee uel priuate et non soluerit infra tempus legitimum non per hoc rem amittat quam tenet in emphiteosim sed fictum duplicatum soluere teneatur.

Si quis debitum aliquod soluerit pro comuni.

Item statutum est quod si aliquis constrictus fuerit soluere aliquid alicui pro comuni castellanus uel iudex ipsum nomine comunis indempnem extrahere teneatur de eo quod pro comuni solueret aliquod dampnum substineret usque ad unum mensem postquam fuerit requisitus.

Si aliquis cartam reuenditionis fecerit.

Item statutum est quod si aliqua persona habuerit cartam reuenditionis ad certum terminum de aliqua re de qua uenditionem fecit alicui quod etiam transato termino possit eam recuperare semper infra duos annos post terminum quod continetur in instrumento reuendicionis data electione emptori utrum uelit habere goldias uel denarios iii pro qualibet libra omni mense et hoc locum habeat a v annis citra et in futurum teneatur castellanus uel iudex facere reddi instrumentum. Factum fuit hoc capitulum anno Domini mcclxvi indictione viii die ueneris secundo exeunte februario.

Quod extranee persone non audeant intrare uineas Montiscalerii.

Item statutum est quod nulla persona existens extra locum Montiscalerii intrare audeat uineas blada prata et nemora hominum Montiscalerii et qui contra hoc fecerit soluat pro pena in uinea solidos xx in bladis pratis et nemoribus solidos x et in quolibet soluat pro emenda in die. In nocte uero solidos l et totidem pro emenda et si cum asino uel equo duplicatum sit et cum carro quadruplicatum sit.

Item addiderunt capitulo superius proximo uidelicet quod qui intraret uineas prata blada nemora hominum Montiscalerii uel alias possessiones si dampnum dederit soluat penam contentam in capitulo.

Quod extranee persone causa pasturandi non ponant bestias in rebus hominum Montiscalerii.

Item statutum est quod nulla persona existens extra locum Montiscalerii possit nec audeat intrare finem Montiscalerii cum bestiis aliquibus causa pasturandi et qui contra hoc fecerint soluant pro unaquaque oue et capra et porco denarios xii ubi-

cumque inuenta sit et si inuenta fuerit in dampno a
alicuius soluat totidem pro emenda. et pro unaquaque bestia bouina cauallina et asinina soluat solidos II ubicumque inuenta sit in dicto fine et si fuerit inuenta in dapno alicuius soluat totidem pro emenda. pastor uero qui eas custodierit soluat solidos V et si non poterit bannum soluere ponatur ad catenam ubi stet per tres dies et deinde camparii qui pro tempore fuerint in finibus debeant adducere bestias inuentas in dapnum uel facientes contra istud capitulum in platea Montiscalerii ubi stent quousque predicta pena cum emenda integra sit soluta. Et si hoc per se facere non poterint debeant cridam facere ad quam quilibet teneatur ire et eos iuuare qui camparii si hoc recusauerint facere soluant penam quam dicte bestie b
soluere debeant ea de causa quod capitulum in omnibus noctis tempore duplicetur.

Quod castellanus uel iudex faciant racionem cuilibet post finem sui regiminis.

Item statutum est quod castellanus uel iudex ultra finem sui regiminis stent per X dies ad faciendam racionem et solucionem cuilibet de Montecalerio si probatum fuerit uel liquidum probacionibus uel presumpcionibus aut certis indiciis que iure non respuuntur quod ipsi aut alius pro eis aliquem de Montecalerio grauassent uel condempnassent contra iuris uel legum seu capitulorum formam aut aliquem dimittant ad predicta sufficien- c
tem. Item teneantur precisse uinculo iuramenti per duos menses ante exitum sui regiminis facere preconizari per locum Montiscalerii quod quilibet eorum creditorum ad eos accedat et cuilibet solucionem facere in denariis uel in bonis pignoribus que penes eos dimittant et si contra fecerint teneantur nuncii domini comitis subsequentes ipsos et bona eorum capere et captos detinere quousque integre soluant et de suo feudo demiserint libras X secusienses et de hoc non possint habere parabolam nec ullo modo absolui.

De condempnacionibus faciendis in caucionem.

Item statutum est quod iudex teneatur facere d
condempnacionem de omnibus bannis penis et dapnis datis de tribus in tribus mensibus ita quod si aliqua accusacio fuerit infra VIII dies exeunte illo mense quod condempnaciones debent fieri quod condempnacio illi accusamenti siue banni siue dampni dati possint fieri in sequenti mense ita quod possint et debeant facere suas deffensiones infra VIII dies postquam fuerint requisiti preterquam de custodibus uille et bannis uinearum que debeant excuti in sequenti die quo accusacio facta fuerit et omnes condempnaciones pene et banna tam solute quam non solute scribi debeant in libro condempnacionum et legi in concione et si negligencia iudicis uel notariorum aliqua condempnacio remaneret nichilominus possit fieri et debeat in sequenti concione.

Quod duo capitula fiant eiusdem tenoris.

Item statutum est quod iudex teneatur usque ad Pascha facere fieri pergamenum duo capitula exemplata eiusdem tenoris huius capituli unum quorum remaneat penes iudicem et tabellionem comunis et aliud remaneat penes aliquem bonum hominem et legalem Montiscalerii qui ipsum capitulum debeat fideliter custodire.

Item castellanus et iudex teneantur uniuersa et singula suprascripta capitula postquam confirmata fuerint per consilium et postquam iurauerint firma tenere et non contraire nisi inde haberent preceptum a dominis comitibus de Sabaudia de quo ostenderent in consilio Montiscalerii literas dictorum dominorum speciales eorum sigillo sigillatas et tunc ad eorum uoluntatem penitus relinquatur.

De pena ludentium ad taxillos et qui respiciunt uel computum faciunt et in quorum domo seu sedimine luditur.

Item statutum est quod nulla persona de Montecalerio uel extranea ludat uel ludere debeat in Montecalerio seu territorio Montiscalerii uel calpicis seu sabloni uel in aliquo loco alibi prope Montemcalerium per unum miliarium ullomodo ad aliquem ludum taxillorum uel burianarum seu uirete uel ad aliud ludum puntatum preterquam ad scacos et tabulas sub pena solidorum X in die et solidorum XX in nocte pro qualibet uice qua fuerit contrafactum in aliquo et si qua persona aliquid prestiterit ad dictos ludos prohibitos uel manuleuauerit aliquid seu lumen uel computum fecerit siue ad inspiciendum sederit soluat eamdem penam pro qualibet uice et qualibet persona in cuius domo curia uel sedimine seu tecto uel ayrali lusum fuerit ad aliquem predictorum ludorum prohibitorum ea sciente uel consenciente ullo modo soluat penam solidorum XX in die et solidorum XL in nocte et quilibet possit acccusare contrafacientes et habeat quartam partem banni quod accusauerit et super eciam elligantur et constituantur accusatores priuati boni et legales arbitrio castellani uel iudicis.

Item et eodem modo statutum est et prohibitum de ludo borellarum sub eisdem penis et castellanus uel iudex non possit dare licenciam ullo modo de ludendo ad aliquem predictorum ludorum ad scacos uero et tabulas possit quilibet impune ludere ubicumque uoluerit et si quis predictas penas impune incurrerit et soluere non poterit puniatur personaliter arbitrio castellani uel iudicis hoc insuper addito quod ludi prohibiti uendi non possint nec emi uel aquiri ullo modo et si quis eos emere uel aquirere ullo modo attemptauerit uel presumpserit non habeat deinde aliquod officium nec habere possit a comuni Montiscalerii usque ad an-

uos x et soluat pro pena libras x uiannenses pro *a*
qualibet uice. salue tamen in omnibus supradictis mandato et uoluntate dominorum comitum Sabaudie sicut in aliis capitulis suprascriptis.

Confirmacio officialis suprascripti capituli.

Anno Domini MCCLXXII indictione XV in Montecalerio die martis exeunte marcio in domo Bernardi Raylerii presentibus domino Roberto de Gorzano et domino Ruffino de Bargiis et domino Marchisio domino Georgio de Solario Peracio de Romano et Bernardo Raylerio. Dominus Guigo de Gletens uicarius dominorum comitum de Sabaudie in partibus Pedemontis uice et nomine dictorum dominorum comitum ratificauit et confirmauit et approbauit et *b*
suppleuit supradictum capitulum et iussit illud obseruari et teneri donec fuerit de uoluntate dictorum dominorum comitum ut de predictis constat per publicum instrumentum inde factum mandato domini uicarii per me Antonium de Gorzano notarium curie.

Quod officiales teneantur obseruare uenditionem actam de sedimine illorum de Truffarello illis de Goria.

Item statutum est et ordinatum per consilium Montiscalerii campana more solito congregatum quod castellani et iudices qui pro tempore preerunt regimini Montiscalerii precisse et sine aliquo te- *c*
nore teneantur attendere et obseruare attendi et obseruari facere instrumentum factum domino Georgio de Solario in minutum de uendicione ei facta de sedimine illorum dominorum de Truffarello sicut in instrumento ipsius domini Georgii continetur tali forma quod si aliquis contra illud contrafieri dixerit seu in consilio arrengauerit soluat qualibet uice solidos LX nec dicti domini de Truffarello dictum sedimen recuperare possint ullo modo a dicto domino Georgio nisi ei soluerint denarios VIII pro libra omni mense a die confecionis instrumenti uendicionis usque ad tempus solucionis ultra precium quod soluit dictus dominus Georgius pro dicto sedimine capitali et presens capitulum semper teneat et non possit remoueri uel diminui consilio uel alio modo *d*
anno Domini MCCLXXII indictione XV die XI in madio in porticu iusticie presentibus Iacobo de Bruuio Stephano Mincio et Bruneto.

Item et eodem modo statutum est per dictum consilium de omnibus aliis uenditionibus factis quibuslibet aliis personis occaxione talearum uel aliarum exactionum comunis de rebus et possessionibus illorum qui non soluerunt.

Qualiter credatur accusanti suo iuramento de animalibus dantibus dampnum in suis possessionibus.

Anno Domini MCCLXXVII indictione V die mercurii XVIII augusti hec est additio facta per Petrum Castagnum Iacobum Capriolum Matheum Piperarium et Matheum Lanfrancum electos super hec uoluntate credencie statuerunt enim et addiderunt capitulo quod loquitur in fine quod quilibet in suo dampno accusare possit quod quilibet accusanti in suo dampno credatur et eius filio habenti ultra XIIII annos et quilibet cui dominus rei uoluerit dare ad custodiendum res suas eo iurante coram castellano uel iudice uidelicet in bladis pratis uineis marchengis meligis rapis siluis nemoribus medicinis de quibus credatur ei usque ad solidos XX sine emenda nec accusatus poterit se defendere de rapis uero recaperetur bannum quod recuperatur de marcenchis.

Ad honorem Dei et beate Marie Virginis die martis VII in iunio hec infrascripta capitula facta sunt et ordinata per egregium uirum dominum Philippum de Sabaudia dominum Pedismoncium de uoluntate infrascriptorum sapientum electorum de uoluntate tocius credencie Montiscalerii et per ipsos sapientes uidelicet Petrum Castagnum Iacobum Capriolum Nicoletum Mayalem Oliuerium de Solario Ruffinum de Cabureto Gregorium de Romano Bertinum Platum Vuermetum de Pacio dominum Gregorium de Solario Daniellem de Solario Bertolotum de Piro dominum Petrum Falauiscam Iacobum de Rocol dominum Symondum de Perocha dominum Marchisium de Galardis Matheum Piperarium predicti tamen sapientes protestati fuerunt quod non consenciebant infrascriptis ordinamentis in eo quod essent contra libertatem ecclesie.

De pena proponentis excusationem pro delicto per eum commisso allegando priuilegium clericale.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona faceret uel committeret aliquod delictum uel rixam uel maleficium in Montecalerio uel ayralibus et fine Montiscalerii et uellet se deffendere seu excusare et euictare iurisdictionem predicti domini Philippi castellani uel iudicis Montiscalerii pretextu auxilii et defensionis priuilegii clericalis et fori uel iurisdictionis clericalis uel alia quacumque defensione uel priuilegio quo euictaret iurisdictionem predictorum quod talis persona et eius bona qui predictam excusationem seu defensionem exematur et extrahatur de protecione domini comitis castellani et iudicis et comunis Montiscalerii ipsa talis persona et bona ipsius. Tali modo quod ille qui offensam faceret illi tali persone sicut exempte et qui utentur predicta defensione in persona uel rebus sit sine pena et nisi illi qui utentur tali defensione satisdaret sufficienter de parendis mandatis domini comitis castellani et iudicis et de soluendo totum id in quo condempnari possit secundum formam capitulorum et ordinamentorum Montiscalerii proinde ac si non esset clericus et priuilegiatus et exemptus et iurisdictionem domini comitis et castellani et iudicis Montiscalerii infra terminum eidem assignatum ita quod fideiussor ab eo datus nulla possit uti defensione et quod ab ipso termino in

antea si predictam satisdationem non dederit nulla a persona de Montecalerio tali exempto et illi qui uteretur predicta defensione possit et debeat eidem prestare seu dare auxilium consilium seu fauorem nec seruicium ei facere nec habitare secum in domo nec ei uendere uel donare uel aliquid cum ipso permutare uel alio modo seu ingenio excogitato ei concedere aliquid seu cum ipso contrahere uel operas suas ei locare uel prestare aliquod officium aliud seu seruicium ei facere donec satisdederit de parendis mandatis domini Philippi comitis castellani uel iudicis Montiscalerii et de soluendo totum id in quo condempnari posset secundum formam capitulorum et ordinamentorum Montiscalerii proinde ac si non esset clericus et priuilegiatus et exemptus et iurisdicionem domini comitis et castellani et iu- b dicis Montiscalerii et si quis contrafecerit soluat pro pena pro quolibet et qualibet uice solidos LX. Secusie.

De pena portantis arma et hospitis non denunciantis forensi quod arma deponat et non portet.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona extranea debeat arma portare per Montemcalerium sub pena solidorum x pro quolibet et qualibet uice et quod quilibet hospitator seu hospitatrix de Montecalerio uel eius masnengus teneatur denunciare quilibet qui hospitaretur uel descenderet in domum suam uel hospicium quod debeat arma deponere et ipsa portare non debeat per Montemcalerium et c si predictam denunciacionem non faceret per se uel per aliquem de familia sua soluat pro pena quilibet hospitator qui contrafaceret qualibet uice solidos x Secusie quod quidem si denunciauerit ipse hospes uel eius masnengus hospitantibus uel descendentibus in domum suam ille cui denunciatum fuerit teneatur soluere predictam penam si arma portauerit contra denunciacionem sibi factam et de tali denunciacione credatur hospiti uel eius masnengo uel familie ipsius uel familie iuranti se predictam denunciacionem fecisse.

De pena portantis arma.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla per- d sona de Montecalerio uel extranea possit per dictam terram arma portare excepto cultello de latere qui sit ad plus de longitudine unius rasi minus octaua parte et si quis contrafecerit pro quolibet et qualibet uice pro cultello maiori de predicta mensura uel armis soluat pro pena et banno de die solidos quinque et de nocte solidos x pro qualibet uice.

Publicacio dicti statuti.

Item die dominico duodecimo in iunio supradicta ordinamenta lecta et publicata fuerunt in porticu comunis Montiscalerii in quo porticu erant illi de consilio Montiscalerii et ubi erant homines et comune Montiscalerii ibi congregati more solito et concione et uoce preconis.

Anno dominice natiuitatis MCCIX VII indictione die lune XVI nouembri.

De pena comburentis raxam seu fecam.

In pleno et generali consilio Montiscalerii uoce preconum et sono campane ut moris est congregato in palacio dominus Gullielmus Turrerius iudex dicti loci et consiliarii ipsius consilii auctoritate et consensu ipsius iudicis statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona audeat uel presumat in Montecalerio uel in fine seu posse Montiscalerii comburere seu ardere uel ponere ad comburendum uel coquendum raxam seu fecam et si quis contrafecerit soluat pro banno et pro pena pro quolibet et qualibet uice libras x et quod quilibet accusare possit et ei credatur cum iuramento et habeat quartam partem banni et quod quilibet possit sine banno dictam raxam uel fecam que poneretur ad coquendum uel comburendum uastare destruere spargere et terram in ea proiicere et ipsam raxam seu fecam in aquam eiicere et omnibus aliis modis dampnum in ea facere absque aliquo metu pene.

De pena fundentis sepum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona audeat uel presumat coquere uel fundere aliquod sepum in Montecalerio nec in ayralibus nec intus cerchas sub pena et banno pro quolibet et qualibet uice solidorum xx et quod quilibet possit inde accusare cum iuramento et ei credatur et habeat quartam partem banni.

Item quod in predictis excuciatur bannum secundum quod condempnantur accusati sicut fit in aliis accusis.

Anno dominice natiuitatis MCCCIX indictione septima die XVI nouembris.

De porchariis et uacheriis.

In pleno et generali consilio Montiscalerii congregato per sonum campanarum et uoce preconis ut moris est dominus Gullielmus de Cignino castellanus et iudex Montiscalerii et consiliarii in dicto consilio existentes auctoritate et consensu ipsius statuerunt et ordinauerunt quod porcharii uel porcharius comunis teneantur et debeant custodire porchos quos ceperint ad custodiendum usque ad festum sancti Martini et uacherius uel uacherii comunis teneantur et debeant custodire eas bestias quas ceperint ad custodiendum usque ad festum sancti Andree precio et salario consueto.

De pena effoglantis alienos salices.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si quis effoglauerit salices soluat pro banno solidos II pro quolibet et qualibet uice et totidem pro emenda.

Anno dominice natiuitatis MCCCIX VII indictione die lune septimo mensis aprilis dominus Gullielmus de Cignino castellanus et iudex Montiscalerii in pleno et generali consilio Montiscalerii uoce preconum et sono campane ut moris est in palacio congregato uoluntate et consensu omnium credendariorum ibidem existencium ubi erant amplius quam due partes et ipsi credendarii omnes in concordia nemine discrepante auctoritate et consensu predicti domini castellani et iudicis hoc statuto perpetuo ualituro firmiter statuerunt ut inferius continetur.

De uiis manutenendis per uicinos.

In primis quod omnes uie siue ruate que sunt solate seu sternite in Montecalerio et ille que de cetero solabuntur aut starnientur siue de maonis siue de lapidibus debeant manuteneri solate et sternite per illos qui habuerint domos aut sedimina iuxta ipsas uias ita quod quilibet habuerit ibi domum aut sedimen confinem teneatur ipsam uiam manutenere solatam iuxta ipsam domum aut sedimen suis expensis tamen et ad hoc castellanus et iudex qui nunc est aut qui pro tempore fuerit possit quemlibet compellere penis et bannis eius arbitrio imponendis.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Anno currente MCCCLXXXXV die lune secundo exeunte madio ad honorem Dei et gloriose Marie Virginis et domini Philippi de Sabaudia domini pedismoncium infrascripta sunt capitula composita et ordinata per infrascriptos VIII sapientes electos uoluntate credencie Montiscalerii uidelicet per Petrum Castagnum et Bertinum Platum Iacobum Capriolum et Waimonum Maialum et dominum Petrum Falauiscam et Bertolotum de Piro Danielem de Solario Bertoglum Zandellam insimul et consilio et uoluntate XVI sapientum infrascriptorum electorum uoluntate credencie predicte scilicet Vieti Marcoaldi Wini Carzy et Vieti Algardi et Ruffini de Cabureto Petri de Conrado et Gily Plati et Vinneti de Paccio et Wini Castagni et Iacobi de Rocholis Bertini Caualli et Rubini de Lo Iacobi Campagnini Oddonini Wioly Frederici Calui domini Georgii de Solario et Ponini de Montefalcono et per ipsos XXIIII sapientes secundum quod sunt inferius scripta et ordinata prout in tenore ipsorum capitulorum plenius continetur facto prius partito per dominum Zulocolum iudicem inter ipsos sapientes et in publica concione ipsius loci eodem anno die dominica XV mensis iunii.

De domo fienda ubi fiant caligarie et uendantur piscarie et pellicerie et mercerie.

Primo statutum est quod una domus debeat edificari in platea Montiscalerii et incipiat ipsa domus a parte inferiori apud columpnam in qua posita est campana et extendatur dicta domus per longitudinem usque inter domum Lombardi et presbiteri de Nouo et latitudinem in contrata torete et becaria fiat de superiori angulo furni inferius secundum quod placuerit sapientibus electis super dicto laborerio et a dicta domo Lombardi inferius fiant caligaria pelizaria piscaria et marceria et non alibi in pena solidorum V pro quolibet et qualibet uice et sub predicta domo fiant banche ad predictas marcancias tenendas et teneatur unusquisque dare pro qualibet bancha solidos V uel plus uel minus prout uidebitur sapientibus super hoc electis a castellano Montiscalerii et banche beccarie dentur beccariis et aliis qui habent banchas in beccaria ueteri prout uidebitur expedire sapientibus super hoc electis et castellano predicto et qui habent banchas in beccaria noua teneantur dare pro qualibet bancha solenga omni anno in festo sancti Andree solidos VI. Si uero alique superessent uendantur ad fictum reddendum omni anno in predicto festo illis qui meliorem condicionem facere uoluerint domino Philippo de Sabaudia et comuni Montiscalerii ad consilium sapientum super hoc electorum et castellani Montiscalerii detentis in predictis diebus nundinariis.

Quod debeat fieri solarium in palacio comunis ubi ius redditur.

Item statutum est quod eligantur IIII sapientes per officiales curie qui faciant fieri solarium in domo in qua redditur ius et domum beccarie calligarie pelliciarie et panatarie prout eis melius uidebitur expedire et castellano predicto ut in superiori proximo capitulo continetur et quod predicti quatuor tractent et inquirant de uendendis rebus superius nominatis prout placuerit meliori parti credencie de quibus debent fieri expense laborerii supradicti.

Quod beccaria antiqua uendatur et sedimen quod est prope furnum.

Item statutum est quod beccaria uetus uendatur et sedimen quod est post furnum platee cuilibet offerenti meliorem condicionem domino Philippo de Sabaudia et comuni Montiscalerii dum tamen predictum sedimen quod est post furnum platee in aliquo beccario peruenire non possit et pecunia que exinde haberi poterit expendatur in dicto laborerio dicte domus.

Quod omnes banche et edificia remoueantur de platea completa domo.

Item statutum est quod omnes banche et omnia alia edificia quocumque nomine appellentur remoueantur de platea Montiscalerii facta et completa dicta domo sub pena solidorum v pro quolibet die post cridam et preceptum factum exinde.

Quod omnia statuta in contrarium non ualeant.

Item statuerunt et ordinauerunt quod predicta fiant et ordinentur statuto aliquo non obstante quod esset contra predicta uel aliquod predictorum quod quidem si esset illud statutum quod esset contra predicta ex certa scientia cassauerunt et irritauerunt et sit cassum et uanum et nullius ualoris seu momenti.

Quod domus in qua ius redditur releuetur ubi reddatur ius et fiant consilia.

Item statuerunt et ordinauerunt quod domus comunis in qua ius redditur releuetur et ibi edificetur unum solarium super quo solario fiant consilia comunis Montiscalerii et ibi ius reddatur et inferius fiant banche ad opus mercandie qua debeat locari ad pensionem omni anno.

Quod subtus dictam domum fient draparie.

Item statuerunt et ordinauerunt quod de subtus predictum solarium teneantur mercandie draparie Montiscalerii ad melius loderium quod inde poterit haberi.

Item statuerunt et ordinauerunt quod sedimen quod est secundum domum illorum de Montanario ueudatur ad dictum laborerium faciendum uidelicet ad faciendum solarium domus ubi ius redditur.

Item statuerunt et ordinauerunt quod discernatur ius quod comune Montiscalerii habet in stabulo quod condam fuit illorum de Fulgaro et quod nunc tenent illi de Montanario et illud quod discernetur seu adiudicabitur esse comunis uendatur ad dictum laborerium faciendum seu solarium in dicta domo.

Quod uendatur de lecto Padi pro dicto laborerio et una constarenga detur fratribus minoribus.

Item quod uendatur de lecto Padi mortui usque in quantitatem IIII iornatarum et una constarenga detur fratribus minoribus ad predictam domum et solarium faciendum et quod erit superfluum dicti pascui ullo modo uendatur in perpetuum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod predicta laboreria omnia incipiantur ad fieri faciendum usque ad xv dies uel ante postquam predicta capitula fuerint ordinata.

a *Quod debeat designari locus ubi fiat dicta domus.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod postquam ista capitula fuerint confirmata per credenciam quod infra duos dies proximos sequentes eligantur per officiales curie cum consilio castellani quatuor sapientes ad designandum locum domus que fieri debet de nouo et ad faciendum eam et ad edificandum solarium super domo in qua redditur ius et quod predicti IIII disponant banchas prout eis pro comuni melius uidebitur expedire et castellano predicto prout in capitulo continetur.

Quod perquiratur qui emat res pro dicto laborerio.

b Item quod res que superius nominate sunt ad uendendum ad predictas domos faciendas quod predicti quatuor tractent et inquirant cum domino castellano qui emat dictas res et eas uendant sic ut melius poterint et prout placuerit credencie.

De emancipacionibus.

Item statutum est quod emancipationes que de cetero fient fieri debeant in presencia castellani uel iudicis Montiscalerii in porticu comunis ubi redditur ius et quod instrumenta emancipacionum exemplari et exponi debeant in libro comunis qui liber reponatur in archa comunis et quod predicte eman-
c cipaciones non preiudicent prioribus creditoribus quominus priores creditores petere possint bona data in premium emancipacionis et si aliter fierent emancipationes sint casse et nullius ualoris et hoc capitulum locum habeat inter homines Montiscalerii.

Quod creditores possint habere regressum contra bona data filiis per patrem debitorem in premium emancipacionis.

Item statutum est quod si alique emancipaciones hinc retro facte sunt uel fuerunt nullum preiudicium faciant prioribus creditoribus quum predicti credi-
d tores habeant et habere possint regressum contra bona sibi obligata et que data essent in premio emancipacionis nec etiam similiter sequentibus seu posterioribus creditoribus scilicet creditores omnes tam priores quam posteriores habeant regressum contra bona data filiis uel nepotibus quoquo modo uel titulo sint data ipsis filiis uel nepotibus uel ipsis peruenissent ab ipso patre uel ab alio cui pater dedisset iura perinde ac si non essent data uel non peruenissent et in ipsos filios uel nepotes intelligantur durasse et permansisse semper in bonis patris et non essent alienata nec possent dicere filii uel nepotes ipsas res esse suas nec exinde habere dominium uel posse et hoc capitulum locum habeat tantum inter homines Montiscalerii et habeant

locum predicta tam in emancipacionibus faciendis a quam factis.

Quod registrum ordinetur et res remoueantur de registro illorum per quos fuerint alienate.

Item statuerunt quod registrum Montiscalerii melioretur et aptetur in hunc modum uidelicet quod possessiones et alie res immobiles alienate postquam registrum factum et confirmatum fuit auferantur et remoueantur de registro alienantis et ponantur in registro illius qui predictas res acquisiuisset si emptor predictus solueret taleam de predictis rebus acquisitis in Montecalerio.

Quod si domus fuerit meliorata uel edificata quod melioramentum registretur. b

Item si aliqua domus fuerit edificata uel refacta aut meliorata a tempore registri melioramentum extimetur et in summa registri ponatur per IIII sapientes ad hoc electos per officiales scilicet tertia pars melioramenti.

Quod si fuerit deteriorata diminuatur de registro.

Item statuerunt et ordinauerunt quod usque in quantitatem librarum mille de mobilia addantur melioratis et diminuantur deterioratis uel plus uel minus prout uidebitur duobus electis ad dictam c taxacionem faciendam qui duo eligantur per officiales curie et si predicti duo nollent predictam taxacionem facere eligantur alii duo secrete qui predictam taxacionem faciant ad quod capitulum non consenserunt infrascripti VIII sapientes scilicet Iacobus Capriolus Vietus Marcoaldus Ruffinus de Cabureto Vaimonus Calcius Vaimonus Maialis et Victus Algardus et Iacobus de Rocolis et Iacobus Campagnimus alii XVI sapientes predicto capitulo consenserunt. Item dominus Gugo de Podio Galterio milex Montiscalerii castellanus dixit et denunciauit in ipsis sapientibus quod predicto capitulo non consenciebat si erat dictum capitulum contra formam statutorum in uolumine capituli ueteris super quibus iurauit uel aliter ipsorum uel d contra consuetudinem.

Quod eligantur notarii qui scribant possessiones emptas.

Item statuerunt quod eligantur quatuor notarii qui supersint ad scribendum possessiones emptas et uenditas et habeant notarii de qualibet possessione obulum astense a uenditore et alium ab emptore et elligantur per officiales comunis.

Quod fiant libri in quibus ponantur res.

Item statuerunt quod fiant duo libri in quibus ponantur possessiones tam empte quam uendite et quod in libro registri nulla fiat cancellatura.

Quod compleatur registrum.

Item quod postquam predicta ordinamenta confirmata fuerint per credenciam quod infra octo dies castellanus et iudex teneatur ponere simul electos super hoc et facere illos continuare quousque compleuerint et assumauerint registrum et predictum registrum duret V annos et tantum plus quantum placuerit credencie et si aliquod capitulum uel consilium in contrarium fieret sit cassum et uanum et nullius ualoris.

Pro habitatoribus qui registrare debent.

Item statuerunt quod omnes habitatores Montiscalerii debeant regestare et regestum facere teneantur tam de immobilibus quam de mobilibus et hoc intelligatur de iis qui regestum non habent in Montecalerio et quod unusquisque teneatur suum regestum facere termino sibi dato prout in ordinamentis ueteribus continetur et qui contrafecerit sit astrictus penis contentis in ordinamentis regesti ueteris et elligantur duo requisitores per officiales credencie hoc addito quod predictis habitatoribus attendantur pacta et conuenta que in eorum instrumento continentur eo saluo quod si aliquis de habitatoribus stetisset in Montecalerio per unum annum intelligatur habitator ex forma capituli Montiscalerii et instrumentum sibi factum non ualeat nisi prout de iure ualere debuerit.

De pena tabernarii ementis pisces.

Item statuerunt quod aliquis tabernarius de Montecalerio non debeat emere pisces in Montecalerio ante terciam in pena solidorum V per se nec per submissas personas et qui emerit uel portauerit uel mandauerit uel transmiserit uel dederit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos V et tabernarius solidos V.

In quo loco reponi debeant scripture comunis.

Item statuerunt quod instrumenta omnia comunis Montiscalerii et libri regesti et omnes scripture comunis posite sint in archa dicti comunis et dicta archa reponatur in domo fratrum minorum et quod aliquis discretus homo custodiat claues predicte arche uel duo si placuerit dicte credencie et mutetur de V in VI menses dando custodi seu custodibus pro ostendendo regestum seu cuilibet eorum denarios II.

De fornaxeriis.

Item statutum est quod fornaxarii tenere debeant sestarium calcine ita magnum et latum sicut est

sestarium molandinorum uel plus ad mensuram di- a
cti sestarii et semper racionetur et recerchetur omni anno per rationatores comunis et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos v qui mensuraret.

Quod mulier uiuente marito dotem suam sibi lucrari facere non possit.

Item statuerunt quod si aliqua mulier uiuente marito fecerit sibi lucrari dotem suam quod creditores mariti uolentes satisfacere mulieri in pecunia numerata usque in quantitatem instrumenti dotis possint bona recuperare et de presenti anno uxor habeat medietatem fructuum et creditor aliam medietatem nisi aliunde creditor inueniret in bo- b
nis debitoris unde creditor sibi satisfacere posset et hoc locum habeat inter homines Montiscalerii et quando creditor satisfaceret maritus et uxor teneantur cedere omnia iura et actiones que habent in bonis iuratis uxori.

De pena laborantis extra fines Montiscalerii per aliquem.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis manualis habitans in Montecalerio non possit nec debeat ire laborare extra fines Montiscalerii exceptis in possessionibus hominum Montiscalerii in pena solidorum v pro quolibet et qualibet uice et totidem personis Montiscalerii qui acciperent manuales fo- c
renses et hoc locum habeat semper de mense februarii et de mense marcii et de mense aprilis et non aliis mensibus.

De pena uastantis uias comunis.

Item statuerunt quod aliquis de Montecalerio uel ibi habitans non debeat fodere uel fodi facere terralium fossati terre Montiscalerii nec eciam uias publicas deteriorando eas portando terram aliunde nec ad Padum ferandi uel in pascuis publicis et quod contrafecerit soluat pro pena solidos v pro quolibet et qualibet uice.

De pena capientis stipulam in alieno campo. d

Item statutum est quod aliquis uel aliqua commorans in Montecalerio non possit nec debeat stipulam capere in alieno campo in pena solidi I et totidem pro emenda pro quolibet et qualibet uice.

De pena capientis columbos.

Item statutum est quod aliquis commorans in Montecalerio uel extranea persona non debeat ad filatos uel ad aliquod ingenium capere columbos torrerios uel priuatos in pena solidorum II in fine Montiscalerii pro quolibet columbo et qualibet uice nec et caglas ad filatos nec ad caglatorem sub eadem pena et ammittat omnes predictas aues et qui emerit predicta soluat eandem penam et accusator habeat medietatem dicti banni et columborum et caglarum et credatur iuramento sequelle si accusator se deffendere non poterit iuste.

Quod pisces portentur ad plateam.

Item statuerunt quod piscatores astringantur et ponere debeant pisces et uacuare saccos incontinenti postquam uenerint in platea super banchis eis constitutis in pena solidorum v pro qualibet uice si contrafecerint et amittant pisces.

Quod uia uadat subtus furnum diuine.

Item statuerunt et ordinauerunt quod uia que est inter terram seu muros Montiscalerii que incipit a porta placentina et uadit de subtus furnum diuine et prope domos fratrum minorum usque ad domum Brigline Beraudi solari debeat expensis illorum qui habent domos uel sedimina iuxta dictam uiam ita quod unusquisque medietatem dicte uie solari debeat et pro rata hoc addito quod comune teneatur sablonum aportare et lateres dicte uie ponere in opere expensis dicti comunis et eciam confurcios et uias trasuersagnas teneatur solare comune et iuxta furnum diuine de super et de subtus et adimpleatur uia iam solata usque ad aliam expensis uicinorum ut superius continetur et quod castellanus et iudex sub uinculo iuramenti usque ad sanctum Michaelem hoc facere teneantur et istud prolungari possit ultra quartum dicto consilio placuerit saluo quod non teneatur constringere fratres minores et quod comune Montiscalerii faciat solari uiam contingentem fratribus minoribus expensis comunis.

De pena ducentis porcos et capras cum ouibus.

Item statutum est quod aliquis uel aliqua persona de Montecalerio uel in Montecalerio commorans non debeat ducere cum bestiis ouinis porcos uel capras nec alia super fine et posse Montiscalerii pro quolibet et qualibet uice in pena solidi I.

De pena extrahentis boscum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis uel aliqua persona non debeat trahere aliquod boscum alongatum extra ayrales Montiscalerii et postquam transierit portum non debeat trahere extra ayrales uel transire bealeriam sub pena solidorum XX pro carrata et perdat lignamen et habeant accusatores terciam partem banni et lignaminis et quod castellanus et iudex parabolam dare non possint et si aliquo modo parabolam darent nihilominus custodes eorum terciam partem habeant et omni anno super hoc eligantur VIII custodes et quilibet accusare possit.

De pena extrahentis uengum mortas palos et circulos de Montecalerio.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliqua persona non debeat extrahere uengum uel mortas uel palos uel circulos extra Montemcalerium. Saluo quod quilibet de Montecalerio uel alii habitantes uineas in fine Montiscalerii qui soluant taleam comuni Montiscalerii in ayralibus uel uineis ipsorum ad opus uinearum dictorum hominum trahere possint et si transierint per portum ad Montemcalerium uel ad ayrales et de dictis locis non remouere debeant nec ad opus uinearum hominum Montiscalerii uel illarum que soluerent taleam in Montecalerio et qui essent in fine Montiscalerii et qui contrafecerit soluat pro pena solidos xx pro carrata b et pro caualata uel asinata solidos x pro faxo hominis solidos v et castellanus et iudex parabolam dare non possint et si aliquando dederint custodes nichilominus habeant terciam partem et quod omni anno eligantur VIII custodes et quod quilibet accusare possit et cuilibet accusanti credatur suo sacramento nisi accusator poterit se deffendere.

Quod a planca piperarii non fiat planca.

Item statuerunt et ordinauerunt quod a uado piperarii superius non fiant ponteti uel planca uel passagium aliquo modo uel ingenio super Pado mortuo nec ibidem manutenere si factum fuerit et qui contrafecerit soluat pro pena solidos xx pro c quolibet et qualibet uice et castellanus et iudex diruere faciant et de comuni detur deruentibus denarios XII postquam dictis castellano et iudici esset nunciatum.

De pena extrahentis uuas uinum uel puscam de Montecalerio.

Item statuerunt et ordinauerunt quod aliquis uel aliqua persona extranea uel priuata non possit uuas uinum uel puscam de foris finibus Montiscalerii nec posse supra fines nec etiam intra terram Montiscalerii ducere uel duci facere aliquo modo uel ingenio et si alique uinee essent in fine Montiscalerii uel posse que non soluant taleam in Montecalerio uue d uel uinum uel puscam in Montecalerio uel de strata que uadit uersus Cherium inferius super finibus Montiscalerii ducere uel duci facere non possint exceptis uineis uel zuchis quas habent in finibus Montiscalerii uuas eorum ducere possint uel duci facere eciam uinum ad dictum locum et qui contrafecerit soluat pro pena pro carrata libras x et ammittat boues et uinum et carrerium et currum de cauallata et asinata solidos xx et uinum ammittat et in supradictis casibus tercia pars sit accusatoris et quod eligantur VIII custodes qui iurent accusare contrafacientes et mutentur de sex mensibus in sex mensibus et quilibet accusare possit et credatur ei nisi accusatus se deffendere posset et

a quod castellanus nec iudex possit dare licenciam et si dederit non ualeat nec teneat et custodes nichilominus habeant terciam partem de eo quod accusauerint et qui contra arringaret soluat pro pena solidos LX et istud capitulum remoueri non possit per aliud capitulum quod in continuum fieri posset eo saluo quod fratres minores si eis deficeret uinum possint ad eorum usum ducere uue uero et mustum religiosorum et castri ueteris et comitis in Montecalerio portari possint si uinee sint in fine Montiscalerii et etiam dicti religiosi et clerici stantes in Montecalerio de uineis que essent clericorum et religiosorum de Montecalerio de uineis quas ad manum suam fecerint.

De debitis per filium familias factis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis filiusfamilias propositus fuerit alicui negociationi uel exercenti aliquam mercandiam uidelicet beccariam uel officium cuiuslibet generis mercandie fecerit perinde teneatur ac si esset sui iuris tam de debitis factis in preteritum quam in futurum et quod de predicta mercandia et rebus que penes eum reperirentur teneatur satisfacere creditoribus et bona et res quas haberet et duceret presumatur esse sua non obstantibus aliquibus instrumentis uel testibus qui in contrarium ostendi possent si aliquis produceret instrumenta uel testes quod bona uel mercandia essent sua nullum sit preiudicium creditoribus.

De pena intrantis alienam uineam.

Item statuerunt quod si quis uel si qua inuentus uel inuenta fuerit in aliena uinea de nocte postquam uue fuerint uayre quousque uinee fuerint uindemiate soluat pro pena solidos xx et tantum pro emenda et si cum corbella sacco uel cauagno soluat pro pena solidos LX et tantum pro emenda si repeiriretur de alienis cepisse et intelligatur a primo signo usque ad albam. Item intelligatur de ayracio si uero penam soluere non poterit amittat auriculam.

Nota de pena condempnarum ostensarum et terminis earum.

Item statutum est quod si aliquis uel aliqua fuerit condempnata uel condempnari se fecerit de aliquo debito soluendo nec soluerit ad terminum sibi datum a castellano uel iudice Montiscalerii uel eorum locum tenentibus teneatur soluere pro banno de qualibet libra denarios XII ostensa condempnacione et recepta a curia que pena non possit excedere nisi usque ad solidos v et de libra inferius denarios VI et a VI denarios infra tantum quantum fuerit debitum et a xx solidis supra detur terminus I mensis et de uiginti solidis similiter et a xx solidis infra usque in solidos x detur terminus xv dierum

et a solidis x infra viii dierum uerumptamen si condempnatus uel condempnata uoluerit de rebus suis et bonis satisfacere creditori uel creditrici et bona sua cum iuramento consignauerit uel tantum de suis melioribus bonis et immobilibus expeditis et mobilia per se et immobilia per se plena sufficiant ad solucionem illius debiti ab inde in antea non incurrat aliquam penam nec preconizetur in banno. Creditor uero et creditrix habeant electionem accipiendi electionem sui debiti in quibus bonis uoluerit de predictis. Eo quoque saluo et excepto qui de debito solidorum xx uel infra aliqua persona non audiatur uolens iurare suum nisi esset ita pauper quod iuraret se nihil habere et tunc etiam non preconizetur in banno pro debito solidos xx uel infra. Transactis uero terminis supradictis et facta etiam preconizacione castellanus et iudex teneatur nihilominus mandare condempnacionem uel condempnaciones execucioni et solucionem facere fieri creditori uel creditrici de bonis condempnati uel condempnate tam de consignatis quam de non consignatis in elecione ipsius creditoris uel creditricis hoc addito quod persona que non soluerit ad terminum primum condempnacionem sibi datam a castellano uel iudice soluat pro banno denarios xii pro qualibet libra que pena excedere non possit solidos v deinde persona que soluerit preconizetur in banno ad uoluntatem creditoris uel creditricis nisi consignauerit ut superius continetur et predictum capitulum locum habeat tantum inter homines Montiscalerii saluo quod hoc capitulum locum non habeat in exacione bannorum domini comitis sed more solito excucientur.

De pena recipientis bannitum.

Item statutum est quod quicumque reduxerit uel hospitatus fuerit bannitum occaxione predicta uel ei uendiderit seu potum aut cibum dederit scienter soluat bannum solidorum v pro qualibet uice postquam ut supra preconizatum fuerit in banno de quo banno non possit extrahi ullo modo sine uoluntate creditoris quousque cum ipso fuerit concordatus uel ei satisfecerit.

Quod qui fuit semel camparius non possit amplius esse hinc ad tres annos.

Item statuerunt quod aliquis camparius aut racionator non possit esse in eodem officio hinc ad tres annos post subsequentes et quod nullus possit esse racionator mensurarum Montiscalerii qui habeat minus in regesto de libris L de quibus soluat taleam et illud idem habeat locum in omnibus campariis facientibus accusas in Montecalerio scilicet quod infra dictos iii annos non possint esse in eodem officio et quod habeat regestum de libris x.

a *De officio uinatariorum.*

Item statutum est quod quicumque qui uoluerit tenere ceberum mensure uini et exercere officium uinatarie debeat habere et tenere ad suum ceberum in quo portaret uel portari faceret uinum bonum cuuercellum ligni bene aptatum et ad sclensum quod si aliter fecerit soluat pro quolibet et qualibet uice pro pena solidum i et hoc fiat secundum quod faciunt illi de Taurino qui faciunt officium supradictum.

De penis que imponuntur propter rixas.

Item statutum est quod omnes pene que locun-
b tur de rixis et percussionibus aut homicidiis duplicentur in personis forensibus percucientibus homines Montiscalerii et si quis qui non esset de comitatu percutiet hominem Montiscalerii soluat penam duplicatam que in dicto capitulo continetur et si aliquis de Montecalerio forensem qui non sit de comitatu associauerit aut opem dederit forensi predicto in Montecalerio uel districtu soluat solidos c pro banno pro quolibet et qualibet uice.

Infrascripta sunt capitula facta et addiciones facte tempore domini Gunterii de Cuyna castellani Montiscalerii et domini Iordani de Montebreono iudicis dicti loci per viii sapientes ad hoc ellectos uoluntate credencie Montiscalerii scilicet per Berti-
c num Platum Petrum Castagnum Iacobum Capriolum Wuermetum Cazium dominum Nicolaum Duchum dominum Petrum de Episcopo dominum Petrum Falauiscam et Anthonium de la Gura anno currente MCCLXXVII die iouis xvi octobris.

Primo addiderunt capitulo quod loquitur de dilacionibus causarum quod dilaciones ante litem contestatam dentur arbitrio iudicis ad respondendum libello et interrogationibus secundum quod qualitas rei et persone exigerit.

Addicio.

Item capitulo quod loquitur in rubrica infra
d quod tempus cause debeant terminari addatur ubi dicit quod debeant terminari infra XL dies saluis diebus feriatis et exceptis diebus feriatis introductis in honorem Dei et occaxione messium et uindemiarum qui renoueantur et non computentur in in dictis XL diebus.

De penis petentis debitum iam solutum.

Item capitulo seu rubrice que loquitur de pena illius qui pecierit debitum iam solutum de quo pacem et finem fecerit quod si aliquis coram iudice uel magistratu confessus fuerit se non habere instrumentum seu instrumenta uel condempnacionem seu condempnaciones alicuius de Mon-

tecalerio que confessio pateat per instrumentum a uel alio modo quod ille intelligatur habere pacem et finem de quo dixerit non habere instrumentum seu condemnacionem et quod dictum debitum ab inde in antea petere non possit et si petierit astringatur penis predicti capituli que locum habeant tam in preteritis quam in futuris.

Quod si quis dixerit sibi tortum factum per castellanum uel iudicem teneatur iudex facere cognoscere aliter non teneat preceptum et quod castellanus et iudex post finitum officium gaudeant priuilegiis et statutis Montiscalerii.

Item quod si castellanus et iudex fecerint aliquod preceptum alicui persone aliqua occaxione et ille b cui fecerint dicat sibi tortum fore factum quod castellanus et iudex eidem cognosci facere teneatur si pecierit quod ei cognoscatur alioquin ipse inde non teneat preceptum nec ualeat et quia ipsi castellani et iudices onera substinent pro comuni idcirco statuerunt quod castellani et iudices qui pro tempore fuerint in Montecalerio et post eorum recessum semper gaudeant priuilegiis et statutis Montiscalerii.

Quod muliere mortua maritus lucretur medietatem dotis.

Item statuerunt quod si aliqua mulier decesserit habens maritum quod maritus ipsius habeat et ha- c bere debeat medietatem dotis ipsius mulieris que medietas dicto marito aliquo modo auferri non possit nec occasione medietatis dotis inquietari uidelicet postquam cum ipso marito uenerit et hoc capitulum locum habeat si eius maritus sit de Montecalerio uel ibi habitet.

Si in uino positum fuit cepe quod comune illud teneatur emendare.

Item statuerunt quod si alicui qui faciat uiciniscum in Montecalerio fuerit uinum inzeolatum quod comune illud ei emendare teneatur extimacione duorum bonorum hominum infra mensem postquam fuerit inzeolatum uel denunciatum castellano uel d iudici uinum fuisse inzeolatum et castellanus et iudex hoc compleri facere teneantur uinculo iuramenti et hoc intelligatur si uinum reperitur sanum. Si alio tempore fieret inzeolatio uini quam tempore uindemiarum in quo casu si fieret tempore uindemiarum semper emendare teneatur.

De accusa iniuste facta.

Item addiderunt capitulo quod loquitur in rubrica si quis in suo dampno male accusauerit quod si aliquis accusauerit in suo dampno aliquem iniuste de quo accusatus fecerit legittimam deffensionem quod ille qui iniuste accusauerit soluat pro pena solidos v et restituat expensas accusato.

De meretrice uerberanda.

Item statuerunt quod si quis percusserit uel uerberauerit aliquam meretricem uel alio modo dixerit uerba iniuriosa sit sine pena et banno.

De iuratis officialibus.

Item capitulo rubricato quod nullus sit accusator qui habeat minus solidorum c ibi ubi dicitur quod officiali credatur addiderunt quod officialis intelligantur seu officiales notarii et clauarii quibus creditur et non aliis nisi ad hoc elligerentur per credenciam Montiscalerii ad accusandum seu uoluntate credencie. Que supradicta capitula et addiciones facta et confirmata sunt et confirmate per concilium Montiscalerii et ibi lecta et lecte et per racionatores confirmate uel confirmata anno currente MCCLXXXVII indictione XV die mercurii XXII octobris.

Ista sunt ordinamenta facta super facto ludi per Manuellem de Cabureto Petrum Castagnum Iacobum Capriolum dominum Nicholinum Duchum dominum Petrum Falauiscam Bertinum Platum ad hoc electos uoluntate consilii Montiscalerii die mercurii XX mensis decembris.

Primo statuerunt quod si aliquis inuentus fuerit ludendo ad aliquem ludum nisi exceptis superius si fuerint in die soluat pro pena solidos XX uiennenses si uero de nocte soluat pro pena solidos XL uiennenses.

De pena ludentis uel in cuius domo luditur.

Item statuerunt quod si aliqui inuenti fuerint ludendo in domo alicuius de Montecalerio quod ille cuius est domus hoc est qui habitat in dicta domo soluat pro pena solidos X.

Item statutum est quod nemo possit ludere ad ludos tabularum seu scacorum nisi in uiis uel porticubus apertis et plateis et qui contra hoc fecerit sit afflictus pene predicte nec ad dictos ludos aliquis possit aliquem manutenere sub predicta pena.

In quibus locis et terris sit prohibitum ludere.

Item statutum est quod nemo possit ludere ad aliquem ludorum prohibitorum a Cherio citra Taurini Ripolis Carignano Candiolo Burgaro et qui contrafecerit incurrat penam superius nominatam.

Item statuerunt quod si tres uel plures inuenti fuerunt qui dicantur lusores uel suspecti habeantur quod libenter ludant uel fama sit de nocte in domo alicuius de Montecalerio cum hostio clauso quod illi qui reperti fuerint habeantur proinde ac si re-

perti essent ludendo et illam penam soluere teneantur.

Quod ille in cuius domo luditur teneatur ad penam.

Item quod ille qui stat in domo in qua reperti fuerint seu habitat illam penam soluere teneatur ac si reperti essent ludendo.

Item statutum est quod si tres uel plures qui dicantur lusores ut predictum est inuenti fuerint de nocte in domo alicuius qui non habeat massaricium uxorem uel filios siue fuerint cum hostio clauso uel aperto illam penam soluere teneatur ac si inuenti essent ludendo et de nocte ille qui habitat in illa domo. De nocte intelligatur a primo signo campane usque ad albam.

Qui mutuat luxori teneatur eadem pena.

Item quod si aliquis prestauerit uel manuleuauerit ad dictos ludos soluat illam penam quam solueret si repertus esset ludendo et qui predictas penas soluere non poterit ponatur ad catenam et ibi stare debeat per tres dies et noctes.

Quod quilibet possit accusare ludentes et si non accusauerit soluat penam.

Item quod quilibet accusare possit de predictis et credatur suo sacramento nisi accusator possit se defendere per duos testes qui non essent participes ludi et habeant quartam partem banni.

Item quod quilibet accusare possit ipsos lusores et teneatur et qui inuenerit aliquos ludentes et eos non accusauerit soluat penam solidorum XL.

Item statutum est quod nemo audeat ludere seu ludat ad aliquod ludum ubi quis possit ammittere denarios saluo ludo scaeorum tabularum et glaciarum ludo uidelicet tabularum qui uocatur sex et ad duplum ad quos possit quilibet ludere sine pena hoc addito quod quilibet possit ad alios ludos ludere prohibitos excepto ludo taxillorum ad expendendum usque ad solidos II pro homine qui solidi II nullo modo possint axtrotari et qui contrafecerit soluat penam supranominatam.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem dominice natiuitatis MCCCXVIII inditione I die XIX mensis februarii. Infrascripta sunt ordinamenta et statuta facta per infrascriptos quatuor sapientes ad hoc ellectos per credenciam seu consilium Montiscalerii super facto fornaxiorum. Qui IIII sunt
Guillielmus de Brigna
Dominus Ruffinetus de Solario
Henricus Duchus et
Iacobus Barauanus.

a *De fornaxeriis et tenendis formam laterum et coporum ac uendere debencium calcem cum mensuris signatis et que infra.*

Primo statuerunt et ordinauerunt dicti IIII sapientes quod omnes fornaxerii exercentes officium fornaxerie ad uendendum teneantur et debeant tenere formam laterum coporum seu tegularum signatum signo domini castellani Montiscalerii qui pro tempore fuerit ad mensuram latitudinis et longitudinis et altitudinis forme Montiscalerii qui ad presens facta est per supradictos sapientes sub pena solidorum LX pro quolibet et qualibet uice.

Item statuerunt quod dicti fornaxarii teneantur et debeant facere et operari lateres et copos seu
b tegulas ad plenam formam sub pena supradicta.

Item statuerunt quod dicti fornaxarii teneantur et debeant quando defornabunt fornaces ex parte una ponere lateres et tegulas male decoctos seu decoctas et ex alia bene decoctas uel decoctos sub pena predicta.

Item statuerunt quod dicti fornaxarii teneantur et debeant habere et tenere sestarium unum calcine signatum signo domini castellani quod sestarium sit de mensura sestarii molendinorum comunis Montiscalerii absque quod in dicta mensura sectarii sit aliquod ferrum per medium mensure et teneatur mensurare calcem ad mensuram culmam sub pena predicta.

Item statuerunt quod dicti fornaxerii non pos-
c sint nec debeant mensurare calcem nisi ad mensuram sestarii signati signo domini castellani ut supra continetur sub pena superius nominata.

Item statuerunt quod dicti fornaxerii non possint nec debeant uendere sestarium calcis nisi denarios XV uiennenses uidelicet hominibus Montiscalerii sub pena superius nominata.

Item statuerunt quod dicti fornaxerii teneantur et debeant uendere hominibus Montiscalerii opera fornacis antequam extraneis personis predicto satisfaciendo eisdem fornaxeriis cum effectu sub pena predicta.

Item statuerunt quod dominus castellanus qui pro tempore fuerit uel eius locum tenentes debeant et teneantur uisitare et inquirere subtiliter et cum
d diligencia una cum duobus sapientibus de Montecalerio dictos fornaxarios et eorum opera omni mense et pluries si eis placuerit et eos si contrafecerint in predictis punire.

Item statuerunt dicti sapientes et protestati fuerunt quod sibi retinent potestatem et plenam bayliam taxandi et precium ponendi super miliare laterum et coporum seu tegularum si dicti fornaxerii precium dicti operis nimis arduum ponerent siue durum siue magnum.

Item statuerunt quod dicta statuta seu ordinamenta sint perpetua et in perpetuum obtineant firmitatem et quod ponantur in libro statutorum comunis Montiscalerii.

Lecta et publicata fuerunt dicta ordinamenta in plena concione dicti loci die et anno predictis confirmata per dominum Gullielmum de Ciguino militem castellanum et iudicem Montiscalerii.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem natiuitatis dominice MCCCXVIII indictione prima die primo mensis marcii. Infrascripta sunt ordinamenta seu statuta facta per infrascriptos VIII sapientes electos per consilium seu credenciam Montiscalerii super ordinando et capitulando contra illos qui occupauerint detinent seu occupant seu occupabunt arrumpunt seu arumpent uel ceperunt gerbos uias pascua seu comunia super finibus Montiscalerii et intra terram loci predicti nomina quorum sapientum inferius describuntur.

De pena occupantis gerbos uias uel pascua.

Primo namque statuerunt et ordinauerunt dicti sapientes quod nulla persona de Montecalerio uel ibidem habitans seu aliqua extranea persona undecumque sit et cuiuscumque condicionis existat audeat presumat et attemptet occupare et arrumpere seu capi et arrumpi facere aliquos gerbos uias pascua uel comunia existencia in finibus Montiscalerii et intra uillam loci predicti sub pena pro quolibet de Montecalerio et pro qualibet tabula denariorum XII et pro quolibet extraneo solidorum V pro tabula et nihilominus illud quod occupassent penitus et incontinenti dimittere et relaxare teneatur.

Quod si quis occupauerit pascua et gerbos teneatur ea dimittere.

Item statuerunt quod persona cuiuscumque condicionis existat que occupauerit seu arrumperit aliquos gerbos uias pascua uel comunia dicti comunis ipsos gerbos uias pascua et comunia infra tempus quod dicta comunia seu pascua per apascatores comunis essent apascata penitus dimittere comuni et relaxare teneatur sub pena predicta.

Quod elligantur homines qui inquirant si quis occupauerit gerbum seu pascuum.

Item statuerunt quod ex nunc elligantur quatuor recercatores comunis qui uadant ex nunc et omni mense per fines et loca Montiscalerii ad inquirendum et recercandum si inuenerint aliquos qui occupassent seu occuparent arrumpissent seu arrumperent ac etiam cepissent aliquos gerbos uias pascua et comunia comunis predicti qui quatuor recercatores seu maior pars ipsorum incontinenti si inuenerint seu inuenirent aliquem uel aliquos predicta occupasse denuncient domino castellano uel domino iudici qui pro tempore fuerint uel eorum locumtenentibus et predicti dominus castellanus et iudex dictos sic occupantes predicta comunia ad demittendum et relaxandum incontinenti constringere teneantur sub
a penis et bannis supranominatis dictis occupantibus imponendis.

Item statuerunt quod quolibet anno eo tempore quo officiales comunis elliguntur quod elligantur quatuor recercatores finium Montiscalerii qui habeant plenam bayliam recercandi comunia et pascua dicti comunis et pro eorum labore salarium habeant a dicto comuni uidelicet solidorum XX uiannensium quilibet pro toto anno qui quatuor recercatores uel maior pars ipsorum omni mense eant et ire teneantur ad uidendum et inquirendum si inuenirent aliquos qui occupassent seu occuparent aut detinerent comunia dicti comunis et denunciare dominis castellano et iudici ut supra dicitur predictos sic occupantes et dicti domini castellanus et
b iudex teneantur predictos contrafacientes punire et alia facere que continentur in capitulo precedenti qui quatuor teneantur et debeant iurare ad sancta Dei euangelia eorum officium bene et legaliter exercere quibus recercatoribus seu duobus ipsorum sacramento credatur nisi contrarium probaretur.

Quod non possint uendi gerbi et pascua.

Item statuerunt quod apascatores qui nunc ad presens ibunt ad apascandum et pro temporibus futuris ullo modo debeant nec possint uendere uel alienare alio quocumque modo gerbos uias pascua seu comunia dicti comunis et si alique uendiciones per ipsos apascatores fierent de dictis comunibus
c non ualeant nec teneant. Imo predicti emptores ipsa comunia seu pascua incontinenti dimittere per consilium et relaxare teneantur nisi aliud super hiis per consilium foret ordinatum.

Quod nullus possit seccare pascua seu gerbos.

Item statuerunt quod nulla persona de Montecalerio uel ibidem habitans seu alia extranea persona undecumque sit et cuiuscumque condicionis existat ullo modo debeat seccare seu seccari facere cum secis uel uolamo dicta pascua seu comunia usque ad exitum mensis augusti sub pena pro quolibet et qualibet somata solidorum V uiannensium et pro carrata solidorum XX. Et quilibet bone fame
d habens regestum et soluens taleam in Montecalerio cum sacramento possit accusare et habeat quartam partem banni.

Quod illi qui perquirunt pascua possint elligere alios ad habendum consilium.

Item statuerunt quod quociescumque contingerit ire apascatores ad apascandum comunia supradicta quod predicti apascatores possint requirere aliquos antiquos homines terre Montiscalerii ad habendum consilium de hiis qui pertinent ad apascandum uel apascamentum faciendum et quod predicti domini castellanus et iudex teneantur compellere et constringere dictos homines antiquos ad eundum cum apa-

scatoribus qui pro tempore fuerint sub pena soli- a
dorum v pro quolibet et qualibet uice.

Item statuerunt quod ex nunc elligantur et sint
ellecti VIII apascatores comunis et unus notarius
cum iis qui apaschent extra muros Montiscalerii et
in finibus dicti loci gerbos uias pascua et comunia
dicti loci et qui octo apascatores seu maior pars
ipsorum uadant ad apascandum predicta comunia
et iurent ad sancta Dei euangelia eorum officium
continuare et bona fide et legaliter exercere et quod
dictis apascatoribus eorum officio adimpleto solua-
tur et remunerentur de eorum labore secundum
taxacionem racionatorum comunis.

Quo tempore debeant incipere apascare.

Item statuerunt quod apascatores comunis qui
pro tempore fuerint teneantur et debeant incipere
apascare et eorum officium exercere in capite fi-
nium scilicet iuxta circumstantes finium dicti co-
munis.

Quod fiat unus liber in quo scribantur.

Item statuerunt quod fiat unus liber in quo qui-
dem libro scribantur per apascatores uel eorum no-
tario omnes qui occupassent et tenerent aliqua
pascua seu comunia dicti comunis et quod predicti
apascatores qui eligentur habeant libertatem et bay-
liam limitandi et taxandi etiam sine aliqua men-
sura quantitatem pascui seu comitatis per eos apas- c
cati et quod predictus liber teneatur et custo-
diatur per notarium dictorum apascatorum qui pro
tempore fuerit.

Quod nullus possit piscari
in aquis hominum Montiscalerii nisi ad lignolam.

Item statuerunt quod nulla persona de Monte-
calerio seu alia extranea undecumque sit audeat pi-
scare in aquis uiueriis seu lacys hominum Montis-
calerii contra uoluntatem predictorum quorum es-
sent aque predicte saluo lignola in aquis currentibus
seu labentibus sub pena solidorum xx uiannensium
et totidem pro emenda scilicet in uiueriis et lacys
et solidos v in aquis labentibus et totidem pro d
emenda et hoc intelligatur de die et de nocte sol-
uatur duplum et quilibet possit in suo dampno de
predictis accusare et ei credatur suo sacramento
nisi accusatus iustam et legittimam fecerit deffen-
sionem.

Item statuerunt quod dicta ordinamenta seu sta-
tuta sint perpetua et perpetuam obtineant roboris
firmitatem et quod ponantur in libro statutorum li-
bri comunis Montiscalerii. Nomina uero dictorum
VIII sapientum sunt hec

Gullielmus de Brigna
Ioannetus de Cabureto
Wermetus de Peracio
Bertinotus Marcoaldus
Iorcius de Episcopo
Henricus Duchus
Bertolotus Merlo
Ruffinetus de Solario.

De non tenendo locamen in plateis.

Eodem anno die quinta marcii.

Item statuerunt et ordinauerunt unanimiter omnes
de consilio et ipsis consiliariis in consilio existenti-
bus quod nulla persona de Montecalerio uel extra-
nea persona undecumque sit uel cuiuscumque con-
dicionis existat debeat tenere in platea Montisca-
lerii et in locis dicte platee circumstantibus ban-
chas seu columpnas statuas seu portilia sitas et sita
b in predicta platea ac etiam tenere fimum siue lea-
men in dicta platea sub pena pro quolibet et qua-
libet uice solidorum v saluo quod si quis extrahe-
ret fimum infra terciam diem extra plateam portare
seu portari facere penitus teneatur sub predicta
pena.

In nomine Domini amen. Anno natiuitatis sue
MCCCXXII indictione quinta die martis quinto mensis
madii.

Capitula de apascamentis.

Infrascripta sunt ordinamenta seu addiciones or-
dinamentorum facta et facte addita et addite ordi-
namentis seu capitulis factis contra illos qui occu-
pauerunt et detinent occupant seu occupabunt ar-
rumpunt seu arrumpent acceperunt uel capient uias
pascua seu comunia super finibus Montiscalerii et
intra terram loci predicti per suprascriptos VIII sa-
pientes ad predicta electos et confirmata laudata et
approbata et capitulata in pleno et generali con-
silio loci Montiscalerii more et loco solitis congre-
gato per maiorem partem consiliatorum ibidem exi-
stencium.

Quod nullus extrahat terminos tampam
uel signum positum per apascatores.

In primis ordinauerunt et addiderunt ordina-
mentis alias factis super apascamentis faciendis et
factis per fines et ayralia Montiscalerii que ordi-
namenta sunt scripta in fine libri capitulorum Mon-
tiscalerii quod quelibet persona que traxerit uel
eradicauerit aliquem terminum seu palum positum
uel fixum per predictos apascatores uel que imple-
uerit aliquam tampam uel abstulerit aliquod signum
factum uel faciendum per predictos apascatores uel
maiorem partem ipsorum soluat pro euulsione seu
extraxione termini seu pali solidos c pro quolibet
et qualibet uice et pro tampa uel alio signo impleto
uel ablato soluat pro pena solidos xx pro quolibet
et qualibet uice.

Quod si terminus uel signum positum per apascatorem fuerit extractus et si quis fuerit inuentus laborare ultra terminum presumatur illud extraxisse.

Item statuerunt quod illa persona in cuius rectitudine sue possessionis aliquis terminus siue palus fuerit positus per predictos apascatores et ille terminus seu palus inuentus fuerit fuisse extractus uel emissus uel aliqua tampa per predictos apascatores facta seu aliud signum fuerit impleta uel ablatum quod si ille in cuius rectitudine sue possessionis dictus terminus siue palus uel tampa seu aliud signum fuerit inuentum extractum uel euulsum seu tampa impleta laborauerit secando uel alio quocumque modo ultra dictos terminos uel tampas seu alia signa quod tunc et in illo casu presumatur et habeatur pro firmo quod illa persona ipsum terminum uel palum abstulerit uel eradicauerit et tampam impleuerit et aliud signum abstulerit et soluat penam contentam in suprascripto proximo ordinamento nisi illa persona denunciauerit domino castellano uel iudici seu predictis apascatoribus uel alicui ex illis quatuor qui debent eligi annuatim pro dictis pascuis et comunibus inquirendis antequam laborauerit predictos terminos seu palos fuisse extractos uel tampas impletas fuisse.

Quod illi de Montecalerio qui habent possessiones iuxta pascuum comunis teneantur facere et manutenere unum fossatum in directo sue possessionis.

Item ordinauerunt quod si aliqua persona habeat uel inuenta fuerit per dictos apascatores habere aliquam possessionem iuxta aliquod pascuum comunis ubicumque in finibus Montiscalerii teneatur et debeat dicta persona facere uel fieri facere et factum manutenere in directo sue possessionis et intra dictam suam possessionem et dictum pascuum unum fossatum in tantum quantum durat et protenditur dictum pascuum in directo sue possessionis dimittendo semper terminos et signa positos et posita et facta per dictos apascatores saluos et ultra dictos fossatos ita quod dicta fossata fiant semper super possessionibus dictarum personarum et hoc facere teneantur infra terminum sancti Martini et sub pena solidorum x pro quolibet. Ita quod de aliqua possessione coherenti alicui pascuo nullum bannum soluatur de aliquibus bestiis dantibus dampnum in in ipsis possessionibus nisi predictum fossatum esset prius factum latum tribus pedibus et profundum duobus.

Quod apascatores teneantur recolligere fructus qui nascuntur in pascuis qui reperirentur per aliquem fuisse occupata.

Item statuerunt quod si predicti apascatores sciuerint uel cognouerint aliquam personam tenere uel
a tenuisse uel laborasse de pascuis comunis ubicumque sint in finibus Montiscalerii siue in uiis siue in pascuis uel alibi ubicumque quod ipsi apascatores possint et teneantur capere et colligi facere omnes fructus siue sit fenum siue bladum siue marcengum siue ligna uel arbores qui fuerint inuenti esse super dictis comunibus siue pascuis et si forte predicti fructus inuenirentur fuisse exportatos de dictis pascuis siue comunibus quod predicti apascatores possint et debeant arbitrari et extimare ipsos fructus et ualorem ipsorum et quod illa persona qui ipsos fructus habuit uel exportauit seu exportari fecit teneatur dictos fructus seu extimacionem ipsorum factam per dictos apascatores dare et restituere predictis apascatoribus uel ubi
b predicti apascatores ordinauerint et uoluerint sub penis imponendis arbitrio castellani uel eius locum tenentis et infra terminum quod ei preceptum fuerit.

Quod habentes ayralia uel ortus in Bozolasca iuxta fossatum a balfredo porti usque ad balfredum trunorum teneantur dimittere expeditum per latitudinem duorum trabuchorum pro defensione ayralium.

Item ordinauerunt quod quelibet persona habens aliquod ayrale uel ortum seu aliam possessionem in Bozolasca iuxta fossatum quod protenditur a balfredo porti usque ad balfredum trunorum te-
c neatur et debeat expedire et expeditum tenere semper et continue iuxta dictum fossatum de dicto suo ayrali orto uel alia possessione latitudinem duorum trabuchorum. Ita quod prope dictum fossatum non possit esse uel teneri aliqua domus seu tecta uel pagleria uel mugium seu meta feni lignarum canaglonum seu aliquod aliud impedimentum per dictos duos trabuchos prope dictum fossatum sub pena et banno eisdem personis imponendis semel et pluries arbitrio castellani seu eius locum tenentis et quilibet ex predictis personis teneatur dimittere disclausum inter se et uicinum suum iuxta dictum fossatum tres uel quatuor pedes expeditos ita quod si opus esset quelibet persona de Montecalerio possit ire et redire libere et sine aliquo obstaculo ad
d deffencionem et pro deffencione dictorum ayralium facienda quandocumque opus fuerit de die siue de nocte liceat cuicumque ex predictis personis in predicto spacio trium uel quatuor pedum tenere unum caderum siue hostium quod possit de facili aperire quandocumque opus esset. Et hoc ordinamentum locum habeat tantum tempore guere et postquam esset cridatum ex parte dictorum dominorum castellani et iudicis seu preceptum eisdem factum per predictos.

Quod si comune uel alia persona singularis uendiderit possessionem apascatam teneatur emptori precium restituere.

Item ordinauerunt quod si comune Montiscalerii uel aliqua persona singularis uendiderit uel alienauerit retroactis temporibus aliquam possessionem alicui persone et ipsa possessio uel pars ipsius possessionis sic uendite uel alienate fuerit apascata per apascatores comunis in toto uel in parte quod uenditor uel alienator dicte possessionis apascate teneatur restituere et emendare dampnum illi persone cui ipse uendidit uel aliter alienauit predictam possessionem apascatam et ad hoc possit compelli per castellanum uel eius locumtenentem summarie et sine strepitu iudiciorum per penas et banna imponendas et imponenda per ipsum dominum castellanum et iudicem uel eius locum tenentem semel et pluries ad eorum uoluntatem usque ad plenam et integram restitucionem dicti dampni omnibus aliis iuris solemnitatibus obmissis et pretermissis et de dictis preceptis appellari non possit nec peti cognicio.

Quod recercatores pascuorum et comunium teneantur eorum officium exercere infra tempus ibidem limitatum.

Item statuerunt quod infrascripti quatuor sint recercatores comunium et pascorum qui erunt et fuerint apascati per apascatores comunis et quod teneantur eorum officium exercere inquirendo et recercando comunia et pascua et terminos et palos et alia signa facta per apascatores si aliquos ipsos terminos uel palos traxerit uel euulxerit uel alia signa destruxerit uel mutauerit uel tampas impleuerit seu mutauerit uel comunia seu pascua laborauerit uel aliquod aliud fecerit contra apascamentum factum uel faciendum per dictos apascatores et ipsas personas accusare teneantur et eorum accusacionibus credatur et habeant quartam partem banni et duret eorum officium usque ad festum natiuitatis domini proxime uenturum. Et ad dictum officium exercendum ire teneantur de XV in XVI diebus.

Nomina quorum recercatorum sunt hec.
Iordanus Recagnosius
Nicholinus de Liga
Iacomellus Rayra
Iacobus de Girauda.

Infrascripta sunt quedam alia ordinamenta facta per infrascriptos XII *sapientes ad hoc per consilium Montiscalerii electos die* XIII *mensis aprilis.*

Sub anno dominice natiuitatis MCCCXXII indictione quinta et comprobata capitulata et confirmata ut de cetero usque ad terminum infrascriptum uim capitulorum obtineant in pleno et generali consilio loci predicti die XXIIII mensis aprilis predicti contra illas personas de Montecalerio seu que habitant uel habitabunt ibidem que uendiderint uel alienauerint et contra illas extraneas personas qui emerint uel aliquo alio modo aquisiuerint aliquas possessiones in finibus loci Montiscalerii positas et contra notatas qui inde conficeret instrumentum ut inferius continetur.

De possessionibus non uendendis existentibus in possessionibus Montiscalerii.

In primis ordinauerunt quod aliqua persona de Montecalerio uel ibi habitans habitauit uel habitauerit non possit nec debeat audeat uel presumat aliquo modo uel ingenio uendere alienare cambiare seu in emphiteosim dare uel aliquo alio titulo transferre dominium aliquarum possessionum cuiuscumque generis sint extra et ultra Padum que sint in finibus Montiscalerii uel districtu eiusdem loci aliquibus personis extraneis seu alicui persone que non sit de Montecalerio et que ibi non habitauerit cum foco et catena personaliter et cum familia sua. Et persona que contra predicta uel aliquod ex predictis fecerit incurrat penam librarum X uiannensium pro qualibet iornata et si minus fuerit librarum V et quod summa tocius regesti illius qui uendiderit uel aliter alienauerit duplicetur eidem et taleam soluere teneatur usque ad terminum dicti ordinamenti seu capituli et officium aliquod a comune haberi non possit et possessio sic uendita sit uasta et non sit in custodia seu protectione uel emenda domini uel comunis predicti. Et notarius qui instrumentum fecerit contra predicta soluat pro pena libras V eo saluo quod hoc capitulum seu ordinamentum locum non habeat de rebus que sunt inter muros Montiscalerii uel ayrales seu cerchas loci predicti.

De possessionibus non emendis per aliquam extraneam personam.

Item ordinauerunt quod aliqua persona que non sit de Montecalerio uel ibidem habitans cum foco et cathena et familia sua faciendo uicinisca non possit nec debeat emere uel aliquo alio titulo aquirere aliquas possessiones cuiuscumque generis sint citra et ultra padum que sint in fine seu finibus Montiscalerii siue districtu uel poderio et qui contra hec fecerit soluat pro pena libras X uiannenses pro qualibet iornata et si minus fuerit quam iornata soluat libras V dicte monete et possessio sic empta et acquisita sit uasta et extra protectionem et custodiam et emendam domini et comunis Montiscalerii et de ipsa possessione dicto comuni taleam in duplum soluere teneatur et ultra predicta emptio sic facta nullius sit ualoris. Et predicta duo ordinamenta seu capitula locum robur et firmitatem obtineant usque ad X annos et quod ponatur in libro capitulorum Montiscalerii. Nomina uero duo-

decim sapientum sunt hec qui fecerunt supradicta duo proxime ordinamenta. a

Anno Domini MCCCXXXV indictione tercia die X mensis septembris confirmata fuerunt suprascripta duo ordinamenta proxime in pleno et generali consilio Montiscalerii ita quod uim et robur obtineant statutorum hinc ad X annos proxime uenturos que quidem duo ordinamenta et confirmatio ipsorum ordinamentorum lecta fuerunt per me notarium Franciscum Duchum super scalerium palacii comunis Montiscalerii ut patet libro consilii dicti loci Montiscalerii et publicata ut moris est supra dictum scalerium per me notarium antedictum.

Quod sacramentum calumpnie positum in capitulis suspendatur per decem annos. b

Anno domini MCCCLXXXVIII indictione XI die XIX mensis iulii in pleno et generali consilio comunis Montiscalerii tunc more solito congregato in quo consilio aderat congregata maior pars dictorum consiliariorum in presencia dominorum Gullielmi de Caluxio castellani et Bartolomei de Gariglis iudicis Montiscalerii fuit lecta et proposita infrascripti tenoris et super ista proposta fuit consultum confirmatum et ordinatum ut infra que proposta hec est. Item super suspendendo ad tempus capitulum de sacramento calumpnie non faciendo positum in uolumine capitulorum Montiscalerii in folio IIII sub rubrica de sacramento calumpnie non faciendo etc. c In reformacione huius consilii in quo consilio erat maior pars dictorum conciliariorum facto partito super predicta proposta ad tabulas albas et nigras ut moris est placuit hominibus in dicto concilio existentibus exceptis tribus quod capitulum predictum quo cauetur quod sacramentum calumpnie non fiat sit suspensum et suspendatur per decem annos proxime uenturos incipiendo die predicto XIX mensis iulii dicti anni MCCCLXXXVIII indictione XI inclusiue. Ita quod quilibet in dicta curia litigans teneatur et debeat quocies et quando iura requirunt seu ordo iuris postulat et requirit teneatur et debeat iurare de calumpnia in causis et questionibus in dicta curia uertentibus dicto tempore dictorum X annorum et quod presens proposta et reformacio d ponantur in libro et uolumine capitulorum Montiscalerii et pro capitulo habeantur et obseruentur dicto tempore ipsorum decem annorum. Et sic predicti consiliarii uoluntate et auctoritate predictorum dominorum castellani et iudicis ordinauerunt et firmauerunt ut supra et preceperunt mihi Martino Panicerie tunc temporis notario curie loci predicti predicta hic poni et scribi modo et forma predictis.

Quod regestum nouum fiat.

Primo ordinauerunt quod regestum nouum fiat de nouo in Montecalerio.

Item ordinauerunt quod quelibet persona de Montecalerio uel ibi habitans teneatur et debeat manifestare cum iuramento et scribi facere in regesto predicto omnia bona sua et omnes res suas tam mobiles quam immobiles iura et actiones et nomina debitorum que et quas habet in Montecalerio et territorio Montiscalerii et in circuitibus. Et intelligatur in territorio Reuiglaschi Pezeti Trofarelli Sanctine uille sancti Martini destollono Carignani Candioli Vicinoui Taurini et Cabureti saluo quod si aliquis de Montecalerio uel ibi habitans deregestrauerit aliqua bona que habeat in dictis circuitibus et pro ipsis bonis cogeretur per dominos loci in quorum iurisdictione existerent illa bona ad soluendum taleas pro dictis bonis nec inde posset se deffendere uel posse deffendi per dominum principem uel per comune Montiscalerii ab ipsis taleis soluendis quod tunc ex quo cogeretur soluere dictas taleas nec posset deffendere se uel deffendi ut supradictum est non teneatur ex illis bonis ex quibus sic cogeretur taleas soluere in dictis circuitibus soluere aliquas taleas in Montecalerio uel alias imposiciones sed dicta bona sibi diminuantur de suo regesto. Ita tamen quod de grano ueteri uino ueteri et feno ueteri seruetur reformatio consilii facta pro presenti regesto faciendo.

Quod quilibet de Montecalerio teneatur bona mobilia et possessiones etiam si sint extra fines Montiscalerii regestrare et taleas soluere.

Item ordinauerunt quod quilibet qui non habitet in Montecalerio et habeat possessiones in territorio Montiscalerii teneatur ipsas manifestare uinculo iuramenti et eas scribi facere in regesto predicto et de ipsis taleam soluere ad modum et formam illorum de Montecalerio saluis semper pactis et conuentionibus quas et que habent homines de Montecalerio cum hominibus de Taurino et quas et que habent homines de Taurino cum hominibus de Montecalerio que quidem pacta et conuenciones firma et illibata et firme et illibate maneant integraliter et seruentur non obstantibus supra et infrascriptis ordinamentis.

Quod habitatores Montiscalerii teneantur regestrare omnia bona mobilia et immobilia nomina debitorum que habent in Montecalerio contra homines Montiscalerii uel ibidem habitantes.

Item ordinauerunt quod omnes habitatores Montiscalerii habitantes in Montecalerio siue non habitantes habentes uel qui non habuerint usque ad perfectionem dicti regesti aliquas possessiones uel aliqua bona mobilia in Montecalerio seu territorio Montiscalerii siue iura uel actiones contra aliquam personam de Montecalerio uel ibi habitantes teneantur et debeant omnes illas et singulas eorum possessiones et bona immobilia et bona mobilia que et quas habent uel habuerint in Montecalerio usque

ad perfectionem regesti in Montecalerio et territorio *a* Montiscalerii et omnia sua debita iura et actiones que et quas habent uel habuerint contra quamcumque personam de Montecalerio uel ibi habitantem regestrare et scribi facere in regesto Montiscalerii predicto quemadmodum et alii homines de Montecalerio.

Quod nullus recipiat solucionem debiti nisi fuerit regestratum.

Item ordinauerunt quod nulla persona de Montecalerio uel ibi habitans faciat solucionem alicuius debiti uel solucionem recipiat alicuius debiti hinc retro facti a die publicationis huius ordinamenti in antea scilicet a decem solidis supra nisi prius *b* ipsum debitum scriptum fuerit in regesto predicto et hoc sub pena solidorum II pro qualibet libra tam pro soluente quam pro accipiente.

Quod nullus possit actiones uel iura sibi competentes pro debito contra aliquem alienare alicui qui non sit de Montecalerio et qui non soluat taleam.

Item ordinauerunt quod aliqua persona de Montecalerio uel ibidem habitans ac habitantes in Montecalerio cui aliquid debeatur ab aliqua persona de Montecalerio uel ibidem habitante que habeat iura aliqua realia uel personalia contra aliquam personam de Montecalerio uel ibidem habitantem non possit ipsa debita seu iura uel actiones alie- *c* nare uendere uel donare uel alio modo concedere uel transferre alicui alie persone que non habitet nec stet in Montecalerio et que non soluat taleam in Montecalerio de ipso debito et si aliquis contrafecerit uel contrafecisset a natiuitate Domini proxime preterita citra soluat taleam de ipso debito in duplum et habeatur ipsum debitum pro non registrato nisi alienationem uel cessionem fecisset illis qui in illo debito essent obligati.

Quod infrascripti teneantur perquirere bladum marcengum existentem in ayralibus Montiscalerii.

Item ordinauerunt quod infrascripti duodecim sapientes eligendi sex ex parte nobilium et quin- *d* que ex parte populi habeant curam et diligentiam inquirendi et inquirant bladum et marcengum quocumque nomine censeantur et nuncupentur et fenum in ayralibus et in Montecalerio tractum et omne aliud existens ubicumque in territorio Montiscalerii faciendo iurare messores de ueritate dicenda et quolibet alio modo quo melius poterint inuenire inquirere et uinum nouum et tantum posse habeant dicti V ex parte populi quantum et alii sex ex parte nobilium qui sapientes sunt hii.

Item ordinauerunt quod infrascripti duo sapientes inquirant et extiment blada marcenga et fenum et uinum predictorum XI sapientum qui duo sunt hii.

Quod homines de Montecalerio teneantur granum et fenum quod recolegerint in eorum possessione portare in Montecalerio.

Item ordinauerunt quod omnes persone de Montecalerio que ex districtu Montiscalerii in circuitibus habuerint bladum uel fenum granum siue in eorum possessionibus siue in areis quas fecerint teneantur totum granum quod habuerint adportare uel adportari facere ad Montemcalerium aut illud consignare uinculo iuramenti in manibus notarii predicti regesti et sub pena solidorum XX pro quolibet et qualibet uice et nichillominus taleam in duplum de ipso blado et grano soluere teneatur.

Quod homines Montiscalerii non teneantur registrare nomina debitorum et actiones quas habent contra homines qui non sunt de Montecalerio.

Item addiderunt ordinamento secundo loco superius scripto ubi dicit quod quelibet persona de Montecalerio debeat regestrare iura et actiones et nomina debitorum qui habitant in locis et circuitibus nominatis in ipso ordinamento uidelicet quod persone de Montecalerio et in Montecalerio habitantes non teneantur registrare iura et actiones et nomina debitorum que et quas habent in dictis circuitibus non obstante predicto ordinamento nec aliquibus aliis nisi contracta et facta essent ab uno anno citra ipsa debita actiones et iura.

Quod si usurarius emerit possessionem aliquam uel iura acquisiuerit ab aliquo de Montecalerio teneatur illam restituere facta sibi restitucione precii.

Item ordinatum est quod si aliquis uel aliqua de Montecalerio uendicionem fecerit uel faciet usque ad perfectionem et conseruacionem dicti regesti alicuius sue possessionis ab octo annis citra alicui qui dicatur in Montecalerio usurarius uel inde sit fama uel iura cesserit aut cedet ut supra teneatur precise dictus usurarius dictas possessiones restituere et remittere illi uel ille a quibus habuerit uendicionem uel iurium cessionem dando et soluendo predictis uel predicti qui fecerint uendicionem uel iurium cessionem predicto usurario uel usurariis quantitatem pecunie contentam in instrumento uendicionis uel iurium cessionis non obstante aliquo iure canonico uel ciuili seu municipali quod in contrarium allegari possit. Sed predicta attendi facere teneatur iudex infra XV dies postquam pecunia fuerit consignata et deposita penes clauarium qui pro tempore fuerit ab illis qui dictas possessiones recuperare uoluerint et qui dicta instrumenta uendicionis uel iurium cessionis fecerint et si predictus usurarius uel usurarii pecuniam recipere et possessiones restituere recusauerint facta deposicione pecunie ut predictum est quod instrumentum quod habet uel habent uendicionis uel iurium cessionis

facte ab illo uel qui deposuerint pecuniam a predictis xv diebus ultra sit cassum et uanum et nullius momenti et hoc locum habeat quod teneatur predictas possessiones restituere usque ad festum sancti Michaelis proxime uenturum et ab illo festo usque ad unum annum. Ab inde uero in antea remaneant in pristinum statum scilicet instrumenta uendicionis de quibus nulla fuerit solucio uel deposicio infra dictum tempus. Hoc addito et specialiter intellecto quod si questio aliqua orietur occasione predicta inter aliquem usurarium publicum uel eius heredes et aliqua persona que uendicionem fecisset uel iurium cessionem eidem usurario et ipse usurarius diceret dictam uendicionem seu iurium cessionem uere factam fuisse et non simulatam et quod illa persona hoc maliciose faceret quod tunc castellanus et iudex qui pro tempore fuerint in Montecalerio debeant et teneantur eligere quatuor bonos et legales homines de Montecalerio qui nihil actineant ipsi usurario uel illi persone que dictam uendicionem uel iurium cessionem fecisset. Qui quatuor iurent ad sancta Dei euangelia si credunt ipsam uendicionem uel iurium cessionem fuisse ueram et non simulatam uel pignoraticiam et eorum rellacioni facte cum iuramento et in periculo earum animarum stetur omnino.

Et presens ordinamentum locum habeat contra illos usurarios uel aliquem ipsorum qui tenuerunt et possederunt uel tenere et goldire usi sunt uel erunt illas possessiones quas aliqua persona peteret sibi restitui occaxione ordinamenti predicti pro illis possessionibus quas ipsi usurarii uel aliqui eorum tenuerint et tenent et godire usi sunt aut erunt usque ad perfectionem dicti regesti.

Quod usurarii teneantur ponere in eorum registro quantitatem precii quam habent pro uendicione et iurium cessione.

Item ordinatum est quod predicti usurarii qui habent predicta instrumenta uendicionum uel iurium cessionum de rebus que subiacent restitucioni per formam proximi dicti ordinamenti teneantur et debeant ponere in eorum registro de precio contento in instrumentis uendicionum uel iurium cessionum quartam partem. Illi uero qui uendicionem et iurium cessionem fecerint possessionem in suis regestis ponere teneantur et tantum minuatur de regesto uenditoris quantum positum fuerit in regesto emptoris pro illa possecione ita tamen quod saluum sit tam emptori quam uenditori omne suum ius in re illa non obstante presenti ordinamento.

Quod homines de Montecalerio teneantur uendemiam quam recolegerint ubicumque sit reducere in Montecalerio.

Item ordinatum est quod omnes persone de Montecalerio uel ibi habitantes teneantur aportare uel aportari facere omnes uuas quas habuerint in eo-

a rum uineis ubicumque sint in Montecalerio aut eas consignare et qui contrafecerit soluat pro pena solidos xx pro quolibet et qualibet uice et nichilominus taleam in duplum soluere teneatur de ipsis uineis.

Quod persone extranee teneantur facere scribere uuas et uinum quas exportare uoluerint de Montecalerio.

Item ordinauerunt quod omnes persone extranee que habent uineas in Montecalerio seu territorio Montiscalerii teneantur et debeant facere scribi uuas et uinum nouum quas et quod uoluerint portare extra Montemcalerium sub pena solidorum xx

b pro quolibet et qualibet uice et nichilominus de ipsis uuis et uino que ut supra scripta non fuerint taleam in duplum soluere teneantur.

Quod quilibet teneatur facere scribere uindemiam seu uinum quod uendiderit alicui qui uellit eum portare extra Montemcalerium.

Item statuerunt quod quicumque uendiderit uuas seu uinum alicui qui ea portare uellit extra Montemcalerium teneatur predicta facere scribi in suo regesto sub pena solidorum xx pro quolibet et qualibet uice et nichilominus taleam in duplum de dictis uuis et uino soluere teneatur et hoc capitulum locum habeat de uino nouo proximo uenturo do-

c nec fuerit recercatum.

Quod messonarii teneantur ponere in regesto granum quod fuerint lucrati.

Item ordinauerunt quod dominus iudex faciat cridari per terram quod omnes messonarii Montiscalerii qui habuerint messes extra terram Montiscalerii faciant scribi infra certam diem et in eorum regesto ponere granum quod lucrati fuerint et hoc cum iuramento in pena solidorum xx pro quolibet et qualibet uice et nichillominus taleam de ipso grano sic non scripto soluere in duplum teneantur.

d *Quod possessiones que extimate sunt remaneant saluo de domibus.*

Item ordinauerunt quod omnes possessiones et res immobiles prout estimate sunt in sortibus quod dictum estimum stare debeat saluis domibus que estimentur de nouo per infrascriptos xi sapientes ad hoc eligendos sex ex parte nobilium et v ex parte populi et tantum posse habeant dicti vi quantum dicti v et non ultra. Et pro possessionibus soluatur talea de tercia parte contenta in ipsis sortibus pro domo hiis uero soluatur talea pro quarta parte extimacionis que facta fuerit per dictos xi sapientes qui sapientes electi per dictos sapientes sunt hii Philippinus de Romano Minus Ocha Iohanninus Paniceria Manuel Mayalis Iacobus Marcus Franci-

seus de Cabureto Franciscus de Calpicio Iacobus de a
Manzino Bertolinus de Montanario Marcellonus de Episcopo et Georginus Duchus eorum notarius Perinus Marcus qui xi iurent ad sancta Dei euangelia predictum facere bona fide et nullus predictorum xi possit esse ad extimandum domum propriam sed duo alii sapientes ad hoc eligendi domos predictorum xi debeant extimare qui predicti sapientes iurent excepto Francisco de Cabureto.

De pena illius qui non registrauit iura uel actiones quas habet contra aliquem de Montecalerio uel ibidem habitantem.

Item ordinauerunt quod si aliquis uel aliqua de
Montecalerio uel ibi habitans habeat aliqua iura b
uel actiones reales uel personales contra aliquem de Montecalerio uel ibi habitantem que iura et actiones non consignauerit et posuerit in regesto suo seu cessauerit registrare quod ille uel qui predicta iura registrare cessauerit de ipsis iuribus in perpetuum uti uel experiri non possit nec eis inde ius fiat sed teneatur instrumenta et condempnaciones si inde fuerint reddere debitori seu debitoribus facere pacem et finem et absoluatur et pactum de ulterius non petendo etiam si inde instrumenta uel condempnaciones non reperirentur ad uoluntatem illius qui se diceret debitorem. Et hoc locum habeat de omnibus contractibus celebratis ante confectionem siue publicationem dicti regesti
de contractibus uero celebratis post dictum rege- c
stum completum fiat et reddatur ratio non obstante predicto ordinamento.

Que res et bona non debeant registrari.

Item ordinauerunt quod aliqua persona de Montecalerio uel ibi habitans non teneatur ponere in suo regesto aliquos pannos de dorso laneos uel lineos siue lectos armaturas uel libros. Item nec uassa minuta ualencia minus solidorum x item neo iocalia dominarum uel apparatus lectorum.

De qua quantitate registri debeat solui talca.

Item ordinauerunt quod nullus de Montecalerio d
uel ibi habitans qui habet aliquid immobile et sit homo soluat taleam de minori solidorum c et si nihilominus immobile habet de solidis lx. si uero femina uidua uel orfanus et minus habet in bonis de solidis xl soluat taleam tamen de solidis xl.

Quantum extimetur burla frumenti uel siliginis.

Item ordinauerunt quod quelibet burla frumenti extimetur in tribus eminis burla siliginis in sestariis ii item burla speote.

Quantum extimetur pro registro sestarium frumenti siliginis auene et leguminis.

Item estimetur quodlibet sestarium frumenti solidos ii denarios vi et sestarium siliginis extimetur in solidis ii et quodlibet sestarium speote et auene solidi i et sestarium fabarum et leguminum in solidis ii et sestarium cicerum lentiglarum et faxollorum et cicercharum quodlibet in solidis ii et denariis vi sestarium melie in denariis viii. Item sestarium milii et panilii in solidis ii sestarium uini noui quodlibet in solidis vi sestarium pusche solidos ii. Item extimetur quodlibet carrata feni solidos viii et sestarium quodlibet speote grosse solidos ii.

Quantum diminuatur de frumento et siligine pro bubulco et masnengo quem quis tenet.

Item ordinatum est quod pro quolibet bubulco minuatur unum modium frumenti et modium unum siliginis et pro quocumque alio masnengo minuantur sestaria iii frumenti et sestaria iii siliginis.

Quod usurariis teneatur restitui melioramentum quod fecerint in possessione quam restituere tenentur.

Item ordinauerunt quod si usurarii fecerint aliquod melioramentum in possessionibus quas tenentur restituere per formam ordinamenti superius scripti quod ille uel illi qui eas recuperare uoluerint dictum melioramentum eisdem usurariis restituere teneantur et debeant in extimacione duorum bonorum hominum eligendorum per iudicem qui pro tempore fuerit.

Quanto tempore durare debeat regestrum superius ordinatum.

Item ordinatum est quod dictum regestum durare debeat spacio vi annorum et non ultra postquam fuerit publicatum et assomatum ita quod infra dictum tempus aliqua scriptura siue permutacio seu augumentum uel diminucio aliquo modo in ipso regesto fieri non debeat post dictam publicacionem factam et qui eam fecerit puniatur tamquam falsarius et quod nulla talea seu expense alique ad dictum regestum fieri possint a dicto termino in antea et de hoc castellanus siue iudex parabolam dare non possint uel consilium in contrarium celebrare quod si facerent nullius sit ualoris reseruata tamen quantum ad sacramentum et mutacionem regesti consilii uoluntate.

Quomodo debeant regestrari res que fuerunt date in solutum alicui per extimatores comunis.

Item ordinatum est quod si a vi mensibus citra datum fuerit in solutum per extimatores comunis

de rebus immobilibus alicuius debitoris alicui creditori uel deinceps usque ad publicationem dicti regesti quod quarta pars quantitatis pecunie pro qua illa dacio in solutum facta fuerit ponatur super registro illius cui ipsa dacio in solutum facta fuerit. Et res in solutum data ponatur super regesto illius cuius erat. hoc addito quod si debitor et creditor de comuni uoluntate uenerint seu dixerint ab exactoribus quod res data in solutum sit ipsius creditoris et quod eam redimere non intendit quod ipsa possessio ponatur super creditorem et non parcium quod ordinamentum locum non habeat in liuramentis docium.

Qualiter et intra quod tempus teneatur quis bona sua registrare.

Item ordinatum est quod quelibet persona de Montecalerio uel ibi habitans et quelibet alia persona que tenetur regestrare et que consueta est facere regestrum in Montecalerio teneatur et debeat regestrare et scribi facere in manibus notariorum ipsius regesti omnia bona sua secundum formam suprascriptorum ordinamentorum et ea regestasse et scribi fecisse aut dedisse in scriptis ut supra infra duos menses post publicacionem presencium ordinamentorum quod ordinamentum locum habeat in rebus immobilibus et debitis iuribus et actionibus et in aliis non.

De pena qui receperit instrumentum de mutuo alicuius qui non sit de Montecalerio contra aliquem de Montecalerio.

Item ordinatum est quod nullus notarius de Montecalerio possit facere uel recipere aliquam stipulacionem uel contractum nomine alieno alicuius mutui uel contractus alicuius qui non sit de Montecalerio et soluat taleam in Montecalerio et qui contrafecerit soluat pro banno libras x et nichilominus ipse notarius soluat taleam de illo debito in duplum et hoc locum habeat usque ad confectionem et publicationem dicti regesti. saluo quod si notarius et testes uiderint pecuniam numerari tunc ipsam stipulacionem possit impune recipere.

Quod notarius possit compelli per abezatores registrorum facere copiam instrumenti quod receperit.

Item ordinatum est quod si castellanus et iudex uel abezatores regesti uel aliqua alia persona uoluerit quod aliquis notarius de Montecalerio uel ibi habitans exhibeat uel copiam faciat de aliquo instrumento scripto in protocollo ipsius notarii quod ille notarius hoc facere teneatur siue illud instrumentum redegerit in formam publicam siue non. Et quod castellanus et iudex cuilibet notario quod hoc faciant possit imponere penam et bannum quociescumque opus fuerit occaxione dicti regesti et

a quandocumque inde requisiti fuerint eorum arbitrio secundum qualitatem facti et quod unicuique protocollo fides adhibeatur de iis que in eo continentur.

Quod ille qui mutuauerit pecuniam uel mutuare promiserit alicui de Montecalerio alieno nomine teneatur illud regestrare.

Item ordinauerunt quod si aliquis de Montecalerio uel ibi habitans mutuauerit aliquam quantitatem pecunie uel promiserit mutuare alicui de Montecalerio uel ibi habitanti et stipulacionem seu contractum fecerit uel factum fuerit nomine alieno et in alienam personam que non soluat taleam in
b Montecalerio uel ibidem habitet teneatur illud debitum seu debita registrare proinde ac si mutuasset et stipulacionem recepisset suo nomine et qui contrafecerit soluat et soluere teneatur domino principi pro banno solidos II pro qualibet libra et nichilominus taleam in duplum soluere teneatur et hoc locum habeat de contractibus factis a sex mensibus citra. Si uero aliquis de Montecalerio fecisset aliquam nouationem a sex mensibus citra de aliquo debito olim facto in quo aliquis de Montecalerio eidem esset obligatus alicui extranee persone et que non soluat taleam et habitet in Montecalerio eodem modo regestrare teneatur sub pena predicta.

c *Quod mulier non teneatur regestrare res que fuerint sibi librate pro dote sed remanere debeant super registro mariti.*

Item ordinatum est quod nulla mulier habens maritum teneatur regestrare dotem licet de ipsa dote fuerit facta solucio super rebus mariti sui sed maritus ipsas res in suo regesto ponere teneatur ac si non fuissent liurate uxori sue. Nec etiam teneatur ipsa mulier regestrare aliquam actionem quam habeat contra aliquam personam que sibi sit obligata pro dote sua in casu restituende dotis.

Quod frater in comunione permanens cum fratre non teneatur registrare iura uel actiones quas habet contra fratrem sed in comuni registro po-
d *nantur.*

Item ordinauerunt quod non obstantibus aliquibus ordinamentis superius uel inferius nullus frater stans comuniter et faciens regestum comuniter cum alio fratre suo teneatur regestrare aliquod ius uel aliquam actionem quod uel quam habet contra alium scilicet maritus contra uxorem uel pater contra filium uel e conuerso siue regestum comuniter faciat siue non et quod inter tales personas scilicet parentes et filios uirum et uxorem aliqua ordinamenta regesti non uendicent sibi locum.

Quod mulier uidua stans cum filiis non teneatur regestrare actiones quas habet contra filios pro dote et res librate mulieri in dotem teneatur regestrare.

Item ordinauerunt quod nulla mulier uidua que stet et moretur cum filiis suis seu per se separatim teneatur regestrare iura et actiones que uel quas habet contra filios suos seu contra bona condam mariti sui aut contra aliquem qui ad ipsius dotis restitucionem foret obligatus aliquibus ordinamentis supra uel infrascriptis in aliquo in contrarium loquentibus non obstantibus. Et si quod ipsi mulieri uidue liurate fuerint dotes siue in rebus immobilibus ipsas res immobiles regestrare teneatur nisi in aliquo alio regesto alterius persone posite fuerint que de ipsis soluat taleam. De dotibus uero uiduarum et uirginum consistentibus in pecunia uel rebus mobilibus fiat quidquid placuerit consilio et alias non possit procedi contra eas nisi per consilium extiterit ordinatum.

Quod omnes bestie exceptis equis teneantur ponere in regestro.

Item ordinatum est quod quelibet persona de Montecalerio uel ibi habitans teneatur regestrare omnes bestias cuiuscumque generis sint quas habet et quas habebit usque ad diem publicationis et perfectionis presentis regesti exceptis bestiis equis ad sellam et equitandum tantummodo deputatis qui non registrentur non obstante quod de ipsis bestiis fecerint uendicionem uel aliquam aliam transmutacionem nisi eas ammitterent casu fortuito quod ordinamentum locum non habeat in publicis mercatoribus bestiarum silicet Mucio de Valle et Fazono de Gallo et his similibus nec in aliquibus becariis qui omnes exceptati teneantur regestare illas bestias solum quas habent et habebunt per dictum tempus pro eorum usu proprio arbitrio abezatorum dicti regesti uel maioris partis ipsorum quorum arbitrio stetur scilicet si illa persona dictas bestias haberet uel habebit pro suo usu proprio siue non. maior autem pars intelligatur si XIII ex ipsis abezatoribus fuerint in concordia cum uoluntate dominorum castellani et iudicis.

Venditor rei cui promissum est de reuendendo si illam rem posuerit super suo regestro possit illam eciam post tempus appositum non obstante prescriptione recuperare.

Item ordinauerunt quod si aliqua persona de Montecalerio uel ibi habitans titulo uendicionis uel in solutum dacionis uel alterius alienationis titulo dederit uel transtulerit hinc retro aliquam rem immobilem in aliquam aliam personam que sibi promixerit ipsam rem restituere pro aliquo certo precio de qua promissione appareat per publicum instrumentum et illa persona que talem alicnationem fe-

a cerit uel heredes sui ipsam rem uellint ponere in suo regesto hoc facere possint quod si regestauerit teneatur ille qui dictam rem imobilem restituere promixerit uel eius heredes si decesserit et quilibet alius habens eam seu titulum ab eo uel eis ipsam restituere teneatur pro precio pro quo promixerit restituere illi cui hoc promixit uel heredibus suis non obstante aliqua prescriptione longi uel longissimi temporis uel alia quacumque exceptione. Et ad hoc faciendum possit compelli summarie sine libello siue pignore dato et alia iuris solempnitate et strepitu iudiciorum per penas et banna arbitrio iudicis et castellani statuenda secundum qualitatem negocii dominorum. Ad quod faciendum teneantur predicti domini castellanus et iudex b qui pro temporibus fuerint in Montecalerio et quilibet eorum hoc facere possit et teneatur uinculo iuramenti si inde fuerint requisiti quam penam possint et teneantur imponere semel et pluries quousque dicta res fuerit restituta saluo quod nulla persona que non habitet continue in Montecalerio cum foco et catena possit uti beneficio presentis ordinamenti contra aliquem qui habitet in Montecalerio continue cum foco et catena.

Quod de debitis contractis per creditores quarta pars ponatur super registro creditorum et due partes super registro debitorum.

Item ordinauerunt quod de omnibus et singulis c debitis causa mutui et quacumque alia causa inter homines Montiscalerii ac habitatoribus eiusdem loci contractis et de omnibus et singulis que alicui de Montecalerio uel ibi habitanti et cuilibet habitatori Montiscalerii debentur et deberi possunt a quacumque persona de Montecalerio uel ibidem habitante et quocumque habitatore eiusdem loci Montiscalerii per quecumque iura et actiones reales uel personales que registrabuntur et registrari debebunt in regestro Montiscalerii per formam suprascriptorum et infrascriptorum ordinamentorum quarta pars uere et pure sortis ponatur supra creditorem et creditoribus ita quod pro ipsa quarta parte ipsi creditor et creditores taleam inde soluere teneantur et pro mensura ipsius quarte partis minuatur de registro de- d bitoris et debitorum. Vera autem sors debitorum intelligantur due partes debitorum mutui causa contractorum. Simili modo de omni extimacione rerum mobilium que registrabuntur et regestrari debebuntur et recercari per formam suprascriptorum ordinamentorum et de omni pecunia que fuerit inuenta penes aliquam personam queue regestrabitur et debuerit regestrari soluatur taleam solum pro quarta parte eiusdem extimacionis et pecunie. Hoc addito et specialiter intellecto quod per hoc ordinamentum uel aliqua alia loquencia de regesto nullum ipsis creditoribus et iura habentibus preiudicium generetur quominus pro debitis iuribus et actionibus secundum formam suprascriptorum et infrascriptorum ordinamentorum regestratis. Ipsi cre-

ditores iura et actiones habentes agere possint et eorum iuribus efficaciter experiri. Quare mobilia et bona mobilia recercare et extimare debeant extimatores domorum preter blada marcenga et fenum et uinum nouum et alia que pertinent et pertinere debent ad officium extimatorum bladorum marcengorum et feni extimanda. ita et taliter quod nullus ipsorum extimatorum domorum possit esse ad extimandum sua bona mobilia sed alii duo deputandi ad extimandum domos ipsorum extimatorum ipsa bona mobilia debeant extimare.

Quod pars debiti unius coreorum obligati diminuatur de eius registro.

Item ordinauerunt quod si plures fuerint debitores uel rei debendi in solidum obligati in eodem instrumento uel condempnacione seu sentencia quod quarta pars uere quantitatis debiti minuatur solummodo de regesto illius qui uoluerit dicere se principalem debitorem dicti debiti uel heredem principalis debitoris et non de regesto aliorum.

Quod Iacobus Ferrandus non teneatur registrare.

Item ordinauerunt quod Iacobus Ferrandus non teneatur occaxione aliquorum ordinamentorum supra uel infrascriptorum registrare aliqua debita que sibi debeantur per aliquam personam de Montecalerio uel ibi habitantem occaxione pannorum uel aliquarum aliarum suarum mercium apotece sue sine carta uel eciam cum carta.

Quo tempore debeat fieri prius regestum.

Item ordinauerunt quod presens regestum incipiatur.

Quod si obscuritas uel ambiguitas oriatur super regestro declaretur per abezatores.

Item ordinatum est quod si aliqua obscuritas uel ambiguitas seu questio uel deffectus seu iniquitas aliqua oriretur esset uel fieret seu oriri uel fieri diceretur occaxione alicuius ex supradictis ordinamentis regesti uel alicuius ex capitulis comunis loquentibus de facto regesti uel occaxione alicuius scripture facte in regesto alicuius persone uel aliqua alia occaxione inter abezatores dicti regesti ad inuicem uel inter aliquas alias personas seu inter abezatores ex una parte et aliquas alias personas ex alia ob quam quidem obscuritatem uel ambiguitatem questionem uel defectum seu iniquitatem per aliquam personam seu abezatores dicti regesti uel aliquo eorum dicentur aliquid fore addendum uel minuendum in suo regesto uel alicuius alterius persone uel aliquid aliud deberet fieri quod illa talis obscuritas uel ambiguitas questio uel defectus seu iniquitas uel mutacio declaretur diffiniatur interpretetur suppleatur et fiat uel per abezatores

a dicti regesti uel per maiorem partem ipsorum tamen de uoluntate et consilio dominorum castellani et iudicis qui nunc sunt uel pro tempore fuerint et aliter non et si fieret non ualeat. et ipsorum declarationi taliter facte et definitioni et interpretacioni supplemento et mutacioni omnino stetur aliquo ordinamento uel aliquo capitulo nouo uel ueteri non obstante. semper tamen cum consilio et uoluntate dictorum dominorum castellani et iudicis qui nunc sunt uel pro temporibus fuerint aliter non. Maior autem pars ipsorum abezatorum non intelligatur esse nisi ex ipsis abezatoribus XIII sint in comuni concordia nemine discrepante semper tamen cum uoluntate dictorum dominorum castellani et iudicis. saluo quod supradicti XVI sapientes non possint augumentare uel diminuere summam regesti alicuius persone nisi fuerint omnes XVI in concordia. Et si uideretur alicui uel aliquibus ipsorum summam alicuius esse augendam uel minuendam et alicui uel aliquibus ex ipsis uideretur ipsam summam non esse augendam uel minuendam tunc ponatur in consilio et ibi fiat quidquid placuerit consilio uel maiori parti consilii. eo tamen saluo quod predicti XVI sapientes non possint facere aliquod ordinamentum nouum nisi fuerint omnes in concordia et si uideretur alicui uel aliquibus ex ipsis aliquod ordinamentum esse faciendum et utile uel alicui uel aliquibus ex ipsis uideretur hoc non esse faciendum illud ordinamentum non ualeat nisi fuerit per consilium uel maiorem partem consilii confirmatum et uoluntate castellani et iudicis.

Quod registrator non possit aliquod premium recipere pro registro.

Item statuerunt quod nulla persona habens officium pro dicto regesto et circa ipsum regestum faciendum siue sit abezator siue recercator siue notarius uel quis alius audeat uel presumat accipere occaxione ipsius officii aliquod premium seruicium uel loderium ab aliqua persona extranea uel priuata dante pro se uel pro alio uel aliquas promissiones recipere de aliquo seruicio in pecunia uel aliis rebus sub pena librarum X pro accipiente et totidem pro dante uel promittente et quelibet persona inde possit accusare que sit bone fame ex qua accusacione dominus castellanus et iudex possint et teneantur inquirere et nihilominus ab officio priuetur et habeat accusator terciam partem banni. saluis et exceptis salariis taxatis et taxandis que salaria capi possint impune et exceptis salariis iudicum et aduocatorum et procuratorum pro eorum aduocationibus.

Quod registratores possint ordinamenta registrare dubia declarare et noua utilia facere.

Item ordinauerunt quod predicti XVI sapientes electi per officiales curie ad dictum nouum regestum faciendum sint et esse intelligantur factores

et abezatores ipsius regesti et factores summarum a dicti regesti secundum formam ordinamentorum presentis regesti usque ad perfecionem et complementum dicti regesti retinentes in se interim auctoritatem et bayliam ordinandi prouidendi et ordinamenta faciendi semel et pluries super facto dicti regesti et super omnibus contingentibus et emergentibus occaxione dicti regesti atque eiusdem pertinenciis ac auctoritatem et bayliam declarandi interpretandi suprascripta ordinamenta et additiones faciendi ut dictum regestum melius et salubrius compleatur et fiat semper tamen cum uoluntate dominorum castellani et iudicis qui nunc sunt et pro temporibus fuerint. saluo quod suprascripti xvi sapientes non possint augere uel minuere summam regesti alicuius persone de Montecalerio nisi b fuerint omnes ipsi sexdecim in concordia et si uideretur alicui uel aliter ex ipsis xvi alie persone fore augendam uel minuendam tunc ponatur in consilio et ibi inde fiat quidquid placuerit consilio uel maiori parti ipsorum consilii et cum uoluntate dominorum castellani et iudicis. saluo quod suprascripti xvi sapientes non possint facere aliquod ordinamentum nouum nisi fuerint omnes in concordia. et si uideretur alicui uel aliquibus ex ipsis xvi alicui persone fore augendam uel minuendam et alicui uel aliquibus ex ipsis xvi uideretur ipsam summam non esse augendam uel minuendam tunc ponatur in consilio et ibi inde fiat quidquid placuerit consilio uel maiori parte ipsorum consilii etiam cum uoluntate dominorum castellani et iu- c dicis. Saluo quod suprascripti xvi sapientes non possint facere aliquod ordinamentum nouum nisi fuerint omnes in concordia et si uideatur alicui uel aliquibus ex ipsis aliquod ordinamentum esse faciendum et utile et alicui uel aliquibus ex ipsis hoc non uideatur esse faciendum illud ordinamentum non ualeat nisi fuerit per consilium confirmatum uel per maiorem partem consilii. saluo etiam quod predicti xvi sapientes uel aliqui ex eis non possint interpretari corrigere uel emendare aliquid in predictis quod impediat condempnare aliquas personas que non regestrauerint eorum bona secundum formam suprascriptorum et infrascriptorum ordinamentorum.

d

Qui sint notarii registri
et quantum possint pro labore recipere.

Item ordinauerunt quod Iacobus Mayalis Iohannetus Ponzilionus Simondinus de Gorio et Franciscus Duchus sint notarii ad scribendum consignamenta dicti regesti et quilibet ipsorum scribat consignamenta regesti unius quarterii qui notarii habeant pro eorum salario de quolibet consignamento quod fuerit secundum extimacionem sortium et rerum immobilium de libris cc uel plus denarios xii uiannensium et de libris c usque ad cc denarios vi et de libris c inferius usque in l denarios iiii et obolum et de libris l usque ad xxv denarios iii et de libris xxv inferius denarium i et obolum et si summa eius quod recipiant ascendat usque ultra libras xii uiannenses quod supererit ultra dictas libras xii sit comunis et si minus fuerit de libris xii uiannensibus comune eis teneatur quod deficiet resarcire.

Qui debeat esse notarius sapientum registri.

Item ordinauerunt quod Matheus Panicerie sit notarius supradictorum xvi sapientum ad scribendum summas et abezamento dicti regesti et alia que fient per ipsos sapientes circa ipsum registrum qui habeat pro suo salario secundum quod sibi fuerit taxatum per ipsos sapientes quam taxacionem cum predictis iiii notariis et ipsi iiii notarii cum eo eorum salarium comunicare teneantur et debeant.

De pena non registrantis res et possessiones et de quanto excusetur si non registrauerit.

Item ordinatum est quod si quis uel si qua de Montecalerio uel ibi habitans seu que habeat possessiones aliquas in Montecalerio uel posse non regestrauerit omnia bona sua prout superius declaratum est soluat domino principi pro pena solidos iii pro qualibet libra rei non regestrate uidelicet illius quantitatis pro qua deberet solui talea secundum sortes possessionum et extimaciones aliarum rerum et mobile pro illa parte pro qua debet solui talea secundum formam suprascriptorum ordinamentorum. et nihilominus de omni non regestato soluatur talea in duplum secundum formam suprascriptorum ordinamentorum hoc addito et intellecto quod si aliqua persona in registrando suas possessiones de tribus tabulis pro qualibet iornata non intelligatur propterea male registrasse.

Intra quod tempus
possit inquiri contra non registrantes.

Item ordinauerunt quod dominus castellanus et iudex qui nunc sunt et pro tempore fuerint possint inquirere de malo registrato et contra omnes et singulas personas que non regestrauerint secundum formam ordinamentorum presentis registri a die publicationis predicti regesti et factis summis dicti regesti usque ad xviii menses proxime subsequentes et non ultra et condempnare predictas personas post dictum terminum quandocumque de inquisicionibus et processibus completis infra dictos xviii menses et non aliter.

Item addiderunt ordinamento quod loquitur quod quilibet teneatur regestrare infra duos menses etc. ibi ubi dicitur post publicacionem etc. scilicet factam in concione siue arrengo Montiscalerii.

Qualiter et quomodo aquisita per usurarios debeant registrari.

Item ordinauerunt quod predicti usurarii qui habent predicta instrumenta uendicionum uel iurium cessionum teneantur ponere in eorum regestis de precio contento in instrumentis uendicionum pro rata eius quod soluet possessio seu res illa iuxta sortes. Illi uero qui fecerint uendicionem possessionum in suis regestis ponere teneantur et tantum diminuatur de regesto uendicionum quantum additum fuerit regesto emptoris ita tamen quod saluum sit ipsi creditori et qui uendidit ius suum in re uendita et etiam debitori.

De eadem re que per plures fuerit registrata qualiter debeat remoueri de registro alterius.

Item ordinauerunt quod si duo uel plures persone posuerint in suis regestis unam et eamdem possessionem quod si contingerit illas personas inter se concordare quod predicta possessio remaneat et sit unius ex illis personis que ipsam possessionem registrauerit uel de hoc lata fuerit sentencia per arbitros a partibus eligendos quod tunc illa possessio auferatur de regestis aliorum qui non haberent ius in illa possessione et dimittatur super regesto illius persone cui dicta possessio remaneret per sentenciam uel per composicionem ut supra.

De personis non registrantibus res uel possessiones quas habent.

Item ordinauerunt quod omnes persone extranee qui non registrauerint et scribi fecerint in regestro Montiscalerii possessiones quas habent uel habuerint in finibus Montiscalerii infra terminum contentum in litteris que mittentur per circumstancia loca de registrando amittant ipsas possessiones quas non registrauerint et sint ipso iure publicate et comisse et quod nulla persona de Montecalerio uel aliunde que in ipsis possessionibus dampnum dederit cum bestiis uel sine bestiis seu in fructibus ipsarum possessionum penam aliquam soluere teneatur. et nichilominus incurrat illa persona extranea que non registrauerit ut supra penam solidorum xx pro qualibet iornata et ponantur dicte possessiones in regesto per abezatores presentis regesti et nichilominus taleam in duplum soluere teneatur.

Quod forensis habens possessionem in Montecalerio teneatur ibi taleas soluere et de pena taleas non soluentis.

Item ordinauerunt quod quecumque persona extranea et que habitauerit uel habitat extra terram Montiscalerii que habuerit regestum in Montecalerio teneatur et debeat soluere taleas in Montecalerio que imponentur super dicto regesto sicut et alii homines de Montecalerio infra terminum ordinatum in litteris que mittentur pro taleis soluendis per circumstancia loca in pena quarti pluris quod sit comunis et sub pena solidorum quinque pro qualibet libra que sit domini et nichilominus ille possessiones omnium forensium pro quibus talee solute non fuerint infra terminos ordinatos sint uaste et uaste teneantur et sint et esse debeant absque protectione domini principis et comunis Montiscalerii. et quod aliqua persona que in ipsis possessionibus dampnum dederit cum bestiis et sine bestiis seu in fructibus ipsarum possessionum non teneatur soluere aliquam penam nec restituere dampnum aliquod uel emendam et nichilominus detineri possint et debeant in Montecalerio per curiam Montiscalerii donec soluerint taleas supradictas in habere pariter et personis. et hoc ordinamentum locum non habeat nisi contra malos debitores et dum mali extiterunt debitores.

Quod tutores curatores teneantur bona eorum quorum curam susceperint fideliter registrare et de pena ipsorum.

Item ordinauerunt quod omnes singuli debitores et curatores et gestores negociorum aliquorum minorum uel absencium teneantur et debeant registrare et facere registra ipsorum minorum et quorum sunt tutores et curatores aut negociorum gestores bene et legaliter secundum ordinamenta suprascripta eorum iuramento sub pena solidorum c pro quolibet et nichilominus predicta regesta facere teneantur. si uero fuerint aliqui minores non habentes tutores uel curatores uel aliqui absentes non habentes negociorum gestores quod tunc proximiores eorum parentes regesta eorum facere teneantur sub pena solidorum xx quod ordinamentum locum habeat nisi ipsi minores uel alius pro eis fecisset regesta ipsorum minorum.

Quod pupilli uel minores non teneantur registrare iura que habent contra tutores.

Item ordinauerunt quod ipsi pupilli uel minores annorum xxv habentes tutores uel curatores iura et actiones que et quas contra ipsos tutores uel curatores iura et actiones teneantur nullatenus registrare ordinamentis scriptis superius nullatenus non obstantibus.

Lecta et publicata fuerunt omnia et singula suprascripta ordinamenta in plena et generali concione Montiscalerii more et loco solitis congregata sub anno Domini MCCCXXVI indictione IX die XXV mensis madii et confirmata per nobiles uiros dominum Franciscum Prouanam castellanum et dominum Nicholaum Petitum iudicem Montiscalerii preter illud quod penis facit mencionem contra non

regestantes quod confirmauerunt iuxta formam litterarum illustris domini principis infrascripti tenoris.

Ex parte principis

Placet nobis et uolumus quod uos confirmetis ordinamenta facta super facto regesti dum tamen pena que apponetur contra non consignantes uel indebite consignantes sit ad racionem solidorum III pro qualibet libra que pena tota ad nos pertineat et quod inquisitio fieri possit super predictis usque ad XVIII menses postquam regestum fuerit completum condempnaciones autem quandocumque. Datum Pynerolii die XXI mensis madii.

Castellano et iudici nostris Montiscalerii.

Quod sindacus Montiscalerii teneatur personam accusatam in pascuis deffendere sumptibus comunis.

Item statuerunt quod si aliqua persona accusata fuerit aliqua causa ipsa uel eius bestie in rebus apascatis per apascatores comunis Montiscalerii quod sindacus comunis Montiscalerii qui pro temporibus fuerit nomine et uice dicti comunis teneatur et debeat illam personam sic accusatam et omnes bestias sic accusatas deffendere et in dicta deffensione perseuerare usque in fine ipsius comunis propriis sumptibus et expensis.

Anno Domini MCCCLIV indictione XII die XXIV mensis nouembris per hoc publicum instrumentum cunctis appareat euidenter quod in presencia mei notarii et testium infrascriptorum uocatorum et rogatorum domini Aymarus de Seyssello milex dominus Bastite castellanus Montiscalerii et Georgius Gracianus iudex dicti loci nomine et uice illustrissimi domini Iacobi de Sabaudia principis Achaye dominique loci predicti Montiscalerii in pleno et generali consilio loci eiusdem ad sonum campane et uoce preconia more et loco solitis congregato in quo aderant plus quam due partes consiliariorum dicti loci legi publicari et diuulgari fecerunt presentibus et audientibus dictis consiliariis quasdam litteras predicti domini principis sigillatas sigillo integro eiusdem quarum tenor sequitur in hac forma.

Iacobus de Sabaudia princeps Achaye nobili uiro domino Aymari de Seysello domino Bastite castellano et Georgio Graciano iudici nostris Montiscalerii nec non omnibus aliis et singulis rectoribus et officialibus nostris loci eiusdem presentibus et futuris salutem et dilectionem sinceram.

Quia secundum uarietatem temporum et diuersas condiciones locorum statuta quandocumque uariantur humana idcirco statui dicti loci Montiscalerii et nonnullarum personarum loci eiusdem inobediencie prouidere salubriter disponentes uobis et uestrum cuilibet precipiendo mandamus quatenus statutum seu capitulum dicti loci nostri Montiscalerii a quod est scriptum in libro capitulorum et statutorum dicti loci nostri sub rubrica quam penam possit imponere castellanus uel iudex deinceps nullatenus obseruetis nec ipsius capituli formam quam ipsi in ea parte detrahimus et ipsum suspendimus et emendamus ad nostramque uoluntatem et ius comune reducimus aliqualiter immutetis donec a nobis aliud circa hoc susceperitis mandamentum presentes autem litteras nostras legi et publicari uolumus in generali consilio dicti loci pariter et ostendi et de publicatione et ostensione earum fieri publicum instrumentum quod una cum ipsis litteris in libro predictorum statutorum ponatur et effectualiter redigatur. Datum Taurini cum impressione nostri consueti sigilli die VI mensis nouem-
b bris in anno MCCCLIIII XII indictione et quia predicti consiliarii protestati sunt quod non consenciebant dicte publicationi et diuulgationi et iis que in predictis litteris continentur et de hoc preceperunt fieri instrumentum predicti dominus castellanus et iudex nomine quo supra dixerunt et protestati fuerunt quod non consenciunt protestacioni facte per dictos consiliarios nisi et in quantum placeret predicto domino principi et pro eo faceret et de predictis dicti domini castellanus et iudex preceperunt mihi notario infrascripto fieri publicum instrumentum. Actum in palacio comunis Montiscalerii testes Iaquetus de Villeno Iohannes de Balma domicelli Thomassetus de Chominium clericus et ego Aymonetus Voyronis de Choyriaco auctori-
c tate imperiali hoc instrumentum ad requisitionem predictorum dominorum castellani et iudicis scripsi signaui et in formam publicam redegi.

Anno Domini MCCCXXXVIII indictione VI actum in Montecalerio in palacio comunis ubi ius redditur die XIIII mensis aprilis.

In pleno et generali consilio loci Montiscalerii uoce preconis et sono campane ut moris est congregato dominus Iacobus Prouana castellanus et dominus Anthonius Durnaxius iudex Montiscalerii requirunt consilium a consiliariis in dicto consilio existentibus super proposicione infrascripta.

Primo si uobis placet quod fiat apascamentum de nouo in Montecalerio et finibus.

d

Capitula pro apascamento.

In reformacione cuius consilii placuit omnibus exceptis tribus dictorum consiliariorum facto partito ut moris est ad fabas albas et nigras quod fiat apascamentum de nouo et quod elligantur per quatuor racionatores societatis XX sapientes de consilio dominorum castellani et iudicis uidelicet de societate et alii de hospiciis qui non sunt de societate qui XX cum quatuor rectoribus societatis et castellano et iudice habeant potestatem et bayliam ordinandi statuendi et compilandi de nouo super facto dicti apascamenti et capitula super hoc iam facta mu-

tandi et ad illa addendi uel minuendi secundum a quod eis melius et utilius uidebitur expedire.

Qui racionatores societatis de consilio dictorum dominorum castellani et iudicis elligerunt infrascriptos sapientes primo

Iohannetus de Cabureto
Manuel Mayalis
Bertinotus Marcoaldus
Gullielmus de Bagna
Iacobus Platus
Franciscus Duchus
Oliuerius de Episcopo
Leonardus de Solario
Nicolinus Scaronus
Iohannes Longus
Nicolinus Ponziglonus
Bertolinus Campagninus
Mucius de Valle
Caponus Recagnoxius
Dominus Rodulphus nepos
Maynfredus Bergognonus
Rodulphus Marescalgus
Thomeynus Zaudela
Maynfredus Modonus
Facius de Castello.

De pena occupantis rem apascatam.

Primo statuerunt et ordinauerunt suprascripti sapientes et racionatores de consilio dominorum castellani et iudicis quod si aliqua persona undecumque c sit et cuiuscumque condicionis existat occupet a tempore apascamenti facti in posterum aliquod de comuni Montiscalerii uel de re sibi uel aliter apascata infra muros ayralia et cerchas Montiscalerii quod illa talis persona soluat pro unoquoque pede occupato denarios XII pro banno et si minus pede soluat pro rata et nichilominus rem sic occupatam confestim restituere teneatur.

Quod ille qui occupauerit rem apascatam eam restituat una cum fructibus.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ille uel illi cui aliquid fuerit apascatum infra muros cerchas et ayralia Montiscalerii uel alibi in possessione dicti d loci ubicumque teneatur ad restitucionem fructuum goldiarum et reddituum perceptorum uel qui percipi poterunt a X annis citra de dictis rebus apaschatis et qui de cetero perciperentur. Quos fructus et goldias apascatores extimare debeant antequam se recedant uel amoueant a loco apascato sub pena pro quolibet et qualibet uice solidorum XX quorum apascatorum maiori parti stetur super dicta estimacione. Quorum fructuum estimacio et pena predicta exigatur et soluatur infra X dies a die rei apascate numerandos sub banno et pena arbitrio dominorum castellani et iudicis imponendis que banna et pena et estimacio fructuum ipso facto committantur et exigi possint elapso termino antedicto per capcionem pignorum et alia quecumque remedia nulla facta cognicione nec sentencia spectata appellacione admissa nec possit aliquis super predictis dicere se grauatum nec petere quod super grauamine hoc cognoscatur non obstantibus capitulis ordinationibus uel statutis contrariis quibuscumque et predicta non intelligantur in scaleriis et purcilibus intus muros Montiscalerii de quibus relinquatur ordinationi maioris consilii et si aliqua persona reperta fuerit habere aliquos arbores uel plantas cuiuscumque generis existant super comune quod illi arbores siue plante extimentur per predictos apascatores quod quidem extimum teneantur restituere comuni et penes ipsos retinere dictos arbores.

b *Quod tenens rem apascatam teneatur eam restituere non obstante aliqua prescriptione.*

Item statuerunt et ordinauerunt quod si de tenuta alicuius persone de Montecalerio uel aliunde in finibus Montiscalerii fuerit aliquid apascatum quod illa persona ad recuperandam rem sibi apascatam nullam prescripcionem exceptionem uel defensionem opponere possit uel aliquo iure se tueri aduersus comune Montiscalerii nisi ex titulo iusto proueniente a comuni predicto dicta sua prescriptio uel defensio procedat ad quem titulum probandum legitimis documentis admittantur infra XV dies et non ultra a rei apascate tempore numerandos non obstantibus capitulis statutis et ordinamentis factis in contrarium uel eciam faciendis.

De pena occupantis fossata seu bealerias splando uel plantando.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona cuiuscumque condicionis existat aliquid occupauerit de fossatis uel bealeriis comunis splanando plantando uel ibi aliquid quouis modo faciendo per que dicta fossata seu bealerie diminuantur soluat pro quolibet et qualibet uice pro banno solidos X et nichilominus teneatur illa persona infra terciam diem postquam sibi steterit preceptum dictum fossatum seu bealeriam curasse diligenter et in statum pristinum reduxisse sub eadem pena.

Quod quis rem apascatam aquirere non possit nec tantum de suo det.

Item statuerunt et ordinauerunt dicti sapientes quod si alicui persone de Montecalerio uel aliunde in Montecalerio uel posse fuerit aliquid apascatum quod cum restitucionem rei sibi apascate tantumdem de sua propria possessione coherente rei sibi apascate acquiratur comuni Montiscalerii si ibi coherentem possessionem habet alioquin rem apascatam cum extimacione ipsius rei restituere et soluere teneatur dicto comuni ad quod compelli possit captis pignoribus et aliis remediis prout celerius et melius uidebitur dominis castellano et

iudici faciendo quam extimacionem facere possint a
et debeant extimatores comunis qui pro temporibus fuerint in Montecalerio.

Quod res apascate per alios occupate destrui possint.

Item statuerunt et ordinauerunt dicti sapientes quod facta apascacione per predictos apascatores de uiis pascuis et comunibus supradicti comunis quod die dominica sequenti omni hebdomada donec dictum apaschamentum fuerit completum dominus castellanus uel iudex et rectores societatis qui nunc sunt et fuerint pro temporibus possint et debeant conuocatis omnibus hominibus Montiscalerii cum sapis destralibus seciis uolamis et aliis quibuscum- b
que axamentis et bestiis omnibus cum confalono societatis ire per fines Montiscalerii destruendo et uastando omnia apascata per apascatores predictos qui quidem homines Montiscalerii compelli possint ire ad dicta loca ut faciant suprascripta penis et bannis arbitrio dominorum castellani et iudici imponendis non obstante aliquo alio capitulo.

Qualiter intelligatur capitulum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod capitulum quod incipit. Item ordinauerunt quod si comune Montiscalerii uel aliqua etc. intelligatur tantummodo de uendicionibus et alienationibus factis per singulares personas inter se uicissim et non in uen- c
dicionibus et alienationibus factis per comune Montiscalerii.

Item addiderunt capitula quod incipit. Item statuerunt quod ex nunc eligantur VIII apascatores quod dicti apascatores qui elligentur sint XXXVI et duo notarii qui cum ipsis esse debeant ad apascandum rectores societatis qui nunc sunt et pro temporibus fuerint et qui illi XXXVI et rectores societatis predicti diuidant et separent se in quatuor partes equales et quelibet pars uadat exercere suum officium qualibet die in finibus Montiscalerii ab aliis separata et quod apascamento facto per quamlibet ipsarum parcium stetur ac si per omnes XXXVI et quatuor rectores predictos factum esset.

Quod scribi debeat mensura rei apascate.

Item addiderunt corrigendo capitulo quod incipit. Item statuerunt quod fiat unus liber etc. ubi dicitur limitandi et taxandi et sine mensura quod ubicumque fiat apascamentum uie pascua et comunia mensurantur et scribentur mensurata in libro apascamentorum qui fiet.

De salario apascatorum.

Item statuerunt et ordinauerunt corrigendo capitulo quod incipit. Item statuerunt quod ex nunc et ligantur etc. in fine ubi dicit secundum taxacionem racionatorum comunis quod dictis apascatoribus remunerentur secundum taxacionem ordinationis maioris consilii.

Quod officium apascatorum sit annuale.

Item statuerunt et ordinauerunt quod officium apascatorum qui elligentur sit annuale.

Quod ordinaciones facte super apascamentis sint perpetue.

Item statuerunt quod predicta omnia capitula et ordinaciones sint perpetue duratura et ponantur in libro capitulorum Montiscalerii et pro capitulis perpetuo habeantur.

Quod nullus sit presens in sua possessione quando res apascatur.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona quam tangat apascamentum interesse possit quando apascatores officium suum exercebunt iuxta possessionem suam sed a dicta sua possessione elongare se debeat per X tornas terre et ad hoc compelli possit per dominum castellanum uel iudicem uel eorum loca tenentes penis et bannis eorum arbitrio imponendis que ipso facto commisse exigi possint per eos et ad eorum arbitrium nulla condempnacione super hoc spectata.

Quod apascatores non possint aliquod premium recipere.

Item addiderunt capitulo quod incipit. Item statuerunt quod ex nunc elligantur ubi loquitur de sacramento apascatorum quod dicti apascatores nullo modo aliquod seruicium donum uel promissum quodcumque modicum accipere non possint a quacumque persona per se uel per alium sub penis periurii et ammissionis officii et solidorum XX pro quolibet et qualibet uice et dictum eorum officium compelli possint assumere et exercere sub pena solidorum LX pro quolibet et qualibet uice et qui seruicium fecerit uel donum seu promissum soluat
d solidos XX.

De publicatione dictorum statutorum.

Anno Domini MCCCXXXVIII indictione VI die XXI mensis madii presentibus Andrea de Solario Iacobo Mayalio Tomasyno Zandella et Iohanne de Alegnano lecta et publicata fuerunt suprascripta ordinamenta in plena concione more solito congregata et confirmata per dominum Iacobum Prouanam castellanum Montiscalerii et inde preceptum fuit mihi Dominico de Episcopis fieri publicum instrumentum.

Ordinacio facta contra illos de Vignolis et de Merlengis.

Anno Domini MCCCXLII indictione X in palacio comunis Montiscalerii ubi ius redditur die XIII mensis marcii conscilium generale Montiscalerii in quo consilio, erant ultra quam due partes dictorum consiliariorum congregatum ut moris est ad sonum campane et uoce preconis pro bono et utilitate comunitatis et hominum ac eciam uniuersitatis dicti loci Montiscalerii et propter multas enorminates factas hominibus dicti loci per homines illorum de Vignolis et de Merlengis de Cherio ac eciam per homines habitantes et reducentes se ad domum gremenariorum que est de Merlengis et de Vignolis, prouidit et ordinauit prout inferius uidebitur contineri contra omnes de Merlengis et de Vignolis qui nunc sunt uel pro temporibus fuerint. Exceptis Bertoloto Merlone Vieto eius filio necnon Bertolomeo filio dicti Vieti et descendentibus ab eisdem.

Quod nullus de Merlengis possit in Montecalerio stare nec de ipso loco uxorem accipere.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona cuiuscumque generis sit de domo supradictarum de Merlengis et de Vignolis seu ab eisdem uel ab aliquo ipsorum descendentibus ex linea masculina possit stare uenire uel modo aliquo habitare in Montecalerio uel posse seu contrahere modo aliquo uel matrimonium celebrare cum aliqua persona de Montecalerio uel habitante uel que in futurum habitaret ibidem et si contra fieret per aliquam personam de Montecalerio contrafaciens reputetur proditor et rebellis comunis Montiscalerii nec in dicto loco possit habere officium nec beneficium et ultra hoc incurrat penam contrafaciens solidorum C auri pro quolibet et qualibet uice.

Quod non fiat ius illi de Merlengis contra eorum debitores de Montecalerio.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona de Montecalerio uel aliunde undecumque reperiretur esse obligatam alicui de domo predicta de Merlengis et de Vignolis ex quacumque causa uel contractu cum instrumento uel sine quod de dicto contractu obligacioni non fiat ius illi uel illis de domo predicta sed sint dicti contractus obligaciones et instrumenta ipso iure cassi inanes inefficaces et nullius ualoris.

Quod bona illorum de Merlengis sint domini principis et comunis Montiscalerii.

Item ordinauerunt quod omnia bona mobilia et immobilia iura et actiones predictorum de Merlengis et de Vignolis sint et esse debeant ipso iure domini principis pro tercia parte comunis Montiscalerii pro alia tercia parte et accusatorum pro alia tercia parte et quod nulla persona de Montecalerio possit pro eisdem modo aliquo aduocare seu procurare et persona que pro eisdem aduocauerit seu procurauerit seu instrumenta fecerit et receperit soluat pro quolibet et qualibet florenos C auri et quod infamis reputetur.

Quod debitores illorum de Merlengis compellantur soluere domino principi et comuni.

Item statuerunt et ordinauerunt quod debitores predictorum de Merlengis et de Vignolis compellantur per supradictos dominos castellanum et iudicem penis et bannis et pignorum capcionibus eorum arbitrio imponendis et exigendis ad soluendum totam pecuniam petentibus pro domino comiti et accusatoribus in quibus predicti debitores reperirentur esse obligati predictis de Merlengis et de Vignolis et ad relaxandum omnes illas possessiones que esse reperirentur predictorum de Merlengis et quod bona ipsorum fiant primo occupanti et accusanti pro tercia parte ut supra.

Quod cessiones facte per illos de Merlengis non ualeant.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliqua persona de domo predicta de Merlengis et de Vignolis reperiatur ex quacumque caussa fecisse iuriscessionem alicui persone de aliquo debito a tribus annis proxime preteritis citra quod illa cessio ipso iure sit cassa et nullius ualoris et ea non obstante teneatur debitor soluere debitum domino principi et comuni et accusatori ut supra.

Quod notarius habens instrumenta tangencia illos de Merlengis teneatur ea curie presentare.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet notarius de Montecalerio uel ibi habitans habens instrumenta uel scripturas tangentes seu tangencia religantes seu religancia predictis de Merlengis et de Vignolis teneatur illa uel illas scilicet instrumenta seu scripturas presentare in manibus curie Montiscalerii et per ipsam curiam compelli penis et bannis imponendis et exigendis ad hoc faciendum arbitrio castellani et iudicis.

Quod debitores qui soluerint illis de Vignolis ante ordinationes predictas sint exempti.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si ab aliqua persona de Montecalerio appareat factam fuisse uendicionem occasione alicuius debiti de aliqua re uel possessione predictis de Merlengis et de Vignolis uel alicui ipsorum et appareat illud debitum fore solutum seu precium tunc debitor predictus sit liber et immunis et omnibus capitulis supradictis et penis contentis in eis. Hoc saluo quod Berth† lomeus de Montonario non teneatur probare fore

solutum precium Conrado uignolie ueuditionis unius a
pecie uinee iacenti in ronchalia cui coheret Bertinotus Marcoaldus et Bertetus de Cabureto. Cum hoc sit quod fidem fecit de solucione precii.

Quod quilibet possit eis offendere in haueris et personis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod quelibet persona de Montecalerio possit offendere in haueris et personis illorum de Merlengis et de Vignolis sine pena et banno. Excepto Bertoloto Merlo Vieto eius filio et Bartolomeo et descendentibus ab eis.

Confirmatio domini principis statutorum predictorum. b

Nos Iacobus de Sabaudia princeps Achaye tenore presentium notum facimus uniuersis quod nos semper cupientes utilitatem et comodum nostrorum hominum et fidelium de Montecalerio ac comunis et tocius uniuersitatis dicti loci et aduertentes quod omnia suprascripta capitula pro comunitate ac comodo dicti comunis et uniuersitatis quamplurimum consistunt. Ecce quod per nos successoresque nostros dicta capitula prout melius et fortius possumus approbamus et totaliter confirmamus et ut efficaciter plenam ipsa capitula obtineant uirtutem et roboris firmitatem iubemus et precipiendo mandamus nostris castellano et iudici Montiscalerii quatenus dicta capitula incontinenti in c
loco nostro Montiscalerii coram populo publicari faciant et diuulgari quibus publicatis precipiant publicum fieri instrumentum super quibus omnibus nostram interponimus auctoritatem et decretum datum Pinerolii die x marcii MCCCXLII x indictionis.

Lecta et publicata fuerunt omnia et singula suprascripta capitula et literam domini principis coram populo congregato ad sonum campanarum et tubarum super scalerio comunis per me Pelerinum de Valle ac eciam confirmata per dominum Burgesinum Burgessium castellanum Montiscalerii et Georgium Gracianum iudicem dicti loci et preceptum mihi notario per ipsos ut publicum conficerem instrumentum presentibus Dominicum de Episcopo et Francisco Campagnino testibus ad hoc uocatis et d
rogatis. Anno Domini MCCCXLII indictione x die XIIII mensis marcii.

Quod nullus de Montecalerio possit citare aliquem de ipso loco extra fines comune pro citato faciat expensas et hoc non uendicat locum in clericis.

Item statuerunt quod aliquis uel de Montecalerio uel extra citauerit aliquem uel aliquam de Montecalerio extra Montemcalerium in futurum uel ab uno anno citra uel a petitione citantis aliquis de Montecalerio requisitus fuerit quod comune Montiscalerii faciat expensas citato usque in quantitatem solidorum c pro una quaque persona citata uel requisita nisi essent questiones de clerico ad clericum et credatur citatis eorum iuramento de expensis et procuratoribus ipsorum uel si litteras uel instrumentum uel testes ostenderint et procuratoribus ipsorum citatorum credatur similiter et iuramento ipsorum credatur.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem natiuitatis MCCCXLII indictione x infrascripta sunt statuta et promissiones facta et facte per consilium generale Montiscalerii tempore regiminis nobilis uiri domini Borgessini Borgesii castellani Montiscalerii et domini Georgi Graciani iudicis dicti loci ipsi uero consiliarii in dicto consilio existentes auctoritate qua supra statuerunt et prouiderunt pro honore et ex mandato illustris uiri domini Iacobi de Sabaudia principis Achaye et pro euidenti utilitate dicti comunis Montiscalerii ut infra sequitur.

Quod nullus possit uendere aliquod fortalicium uel aliquod immobile alicui qui non sit de Montecalerio.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona de Montecalerio uel habitans in dicto loco uel que habitaret uel ueniret ad habitandum in dicto loco finibus uel iurisdicione dicti loci in futurum seu aliqua alia persona undecumque sit possit seu debeat audeat uel presumat uendere alienare seu quocumque titulo aliquo uel transferre aliquam fortaliciam domos possessiones seu aliqua bona immobilia que haberet in Montecalerio seu posse uel iurisdictione dicti loci in aliquam personam extraneam que non habitaret continuo in Montecalerio et infra cercas dicti loci Montiscalerii non faceret continuam residenciam cum foco et catena et sua familia et qui uel que contrafecerit seu contrafaceret incurrat penam si fuerit fortaricia que alienaretur seu alienata fuerit libras mille et si fuerit possessio cuiuscumque generis sit incurrat contrafaciens penam librarum x pro qualibet iornata et si fuerit domus siue fortaricia que uendatur seu quocumque modo alienetur sit in pena qui contrafecerit librarum c et in omnibus predictis casibus res predicte uendite seu quocumque modo alienate et que alienentur contra formam dictorum statutorum seu infrascriptorum comuni applicentur pleno iure et per apascatores comunis de presenti apascantur quarum pena supradictorum quarta pars sit accusatorum siue accusatoris et alie tres partes domino principi aplicentur.

Quod nullus possit forensis emere fortalicium uel alia possessio in Montecalerio.

Item statuerunt et prouiderunt quod nulla persona extranea undecumque sit et cuiuscumque condicionis et gradus existat audeat seu presumat aliquo modo uel ingenio seu emere uel aliquo titulo

aquirere ab aliqua persona de Montecalerio quod que ibidem habitaret in dicto loco Montiscalerii finibus uel iurisdictione dicti loci seu ab aliqua alia persona undecumque aliquam fortariciam domos possessiones seu aliqua bona immobilia existencia in Montecalerio finibus uel iurisdictione dicti loci et hoc sub pena pro qualibet persona que contrafaceret si esset fortaricia librarum M et si esset domus siue fortaricia librarum c et si esset possessio pro qualibet iornata librarum x et in omnibus predictis casibus pene pecuniarie tres partes sint domini principis et alia quarta pars sit accusatoris uel accusatorum et nihilominus ultra penas pecuniarias res sint alienate in omnibus casibus supradictis comuni Montiscalerii applicentur pleno iure et statim apascentur ut supra de quibus quidem rebus sic commissis et que committerentur dictum comune possit facere ad suam liberam uoluntatem et extranea persona ad presens statutum intelligatur que non faceret continuam rexidenciam cum sua familia foco et cathena infra cercas Montiscalerii exceptis Bertoloto Merlono Iohachino de Montanario Darmelli illi qui habent in castellaccio Stupinixii domino Iohanne de Cabureto et filii Theobaldi de Monriondo.

De pena habitatoris Montiscalerii qui emerit res uel possessiones et demum recesserit.

Item prouiderunt et statuerunt quod si contingerit aliqua persona extranea uenire in Montecalerio ad habitandum seu standum et illa talis persona emeret seu aliquo modo aquireret aliquas res domos uel fortaricias seu res aliquas immobiles in Montecalerio in finibus uel iurisdictione loci eiusdem et recederet absque eo quod faceret rexidenciam cum foco et catena et continue infra cerchas Montiscalerii incurrat penas supradictas que quidem pene sint domini principis et comunis Montiscalerii et accusatoris ut supra et predicte res aquisite per tales personas applicentur comuni Montiscalerii.

Quod nullus de Montecalerio possit res uel possessiones in dictis finibus emere pro forense.

Item ad hoc ut omnis materia fraudis totaliter excludatur prouiderunt et statuerunt quod si contingerit aliquam personam de Montecalerio uel ibi habitantem ficticie seu simulatiue emere ab aliqua persona de Montecalerio uel que ibi habitaret uel habitet uel aliqua alia persona undecumque sit uel alio titulo aquireret aliquam rem immobilem ad opus seu utilitatem alicuius persone extranee que non faceret continuam residenciam cum foco catena et sua familia infra cerchas Montiscalerii incurrat contrafaciens penas reales et pecuniarias supradictas prout in suprascriptis capitulis continetur et predicto domino principi comuni Montiscalerii et accusatoribus ut supra in capitulis applicentur.

a *Quod quilibet bone fame possit accusare de suprascriptis ordinamentis et credatur suo iuramento.*

Item prouiderunt et statuerunt quod quelibet persona bone fame de omnibus et singulis capitulis supradictis et articulis in eis contentis possit accusare et eis credatur eorum iuramento nisi accusatus fecerit iustam defensionem et eciam curia Montiscalerii possit et debeat de predictis omnibus inquirere et contrafacientes punire secundum formam dictorum statutorum.

Quanto tempore durent suprascripta statuta.

b Item prouiderunt et statuerunt quod omnia suprascripta statuta durent per spacium x annorum et non ultra nisi quantum placuerit generali consilio Montiscalerii et quod dominus princeps teneatur confirmare dicta statuta per publicum instrumentum et quod ipse dominus princeps nec comune de predictis et infrascriptis infra dictos x annos licenciam dare non possint et si darent non ualeat nec teneat ipso iure.

Quod nullus recipiatur in habitatorem Montiscalerii nisi habitet infra cerchas.

Item statuerunt et prouiderunt quod nulla persona undecumque sit et cuiuscumque condicionis existat
c de cetero recipiatur in habitatorem Montiscalerii et qui contrafecerit non habeatur nec teneatur pro habitatore dicti loci nec gaudeat beneficiis priuilegiis et statutis comunis Montiscalerii et hoc intelligatur non solum de habitatoribus recipiendis in futurum sed eciam de habitatoribus receptis in preteritum non facientibus continuam residenciam in Montecalerio ut supra aliquo capitulo Montiscalerii non obstante.

Quod forenses creditores possint de bonis debitorum Montiscalerii recipere in solutum.

Item prouiderunt et statuerunt quod de omnibus contractibus et debitis factis in preteritum per quascumque
d personas usque ad diem presentem eciam si sint extranee persone non habitantes in Montecalerio impune et sine pena possint in solutum capere et habere de bonis mobilibus primo et hiis deficientibus de immobilibus hominum Montiscalerii a quibus aliquid habere deberent usque ad plenam solucionem et satisfacionem ipsorum debitorum exceptis fortariciis que in solutum dari uel capi non possint et estimentur dicta bona que darentur in solutum per estimatores comunis Montiscalerii et ualeat presens statutum aliquo capitulo uel ordinacione in contrarium loquente non obstante.

Quod nullus possit notarius contra formam dictorum capitulorum instrumentum recipere.

Item statuerunt quod nulla persona possit audeat uel presumat recipere facere uel scribere aliquod instrumentum ex aliqua causa contra formam dictorum statutorum et si aliqua persona contrafaceret reputetur falsarius et proditor comunis Montiscalerii et ultra predicta incurrat penam solidorum c auri.

Publicacio dictorum statutorum.

Anno eodem die vii mensis aprilis lecta lata et publicata fuerunt omnia et singula suprascripta statuta ordinamenta et capitula per me Thomam Randellam notarium curie predicte in plena et generali concione facta in palacio comunis dicti loci ubi ius redditur uoce preconia sonu campane et cornu tubarum more solito congregato et eciam confirmata et approbata per dictos dominos castellanum et iudicem presentibus Carlino de Solario Conrado de Montefalcono et Marco de Sancto Beligo omnibus testibus ad hec specialiter uocatis et rogatis et de predictis omnibus et singulis preceptum est mihi dicto Thome fieri instrumentum.

Anno eiusdem natiuitatis mccclxii indictione x in Montecalerio in domo fratrum minorum dicti loci die .... mensis .... infrascripta sunt capitula et statuta facta per infrascriptos sapientes habentes bayliam a consilio Montiscalerii ut infra.

Quod si quis de Montecalerio racione officii exercendi manutenendo comune dampnum fuerit passus quod comune eum teneatur releuare.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod si aliquo tempore contigerit et contingeret aliquam personam de Montecalerio uel qui ibidem habitet habere uel sustinere quoquo modo aliquod dampnum re facto seu uerbo in seruicio comunis Montiscalerii seu manutenendo ipsum comune et iura ipsius comunis racione alicuius officii quod haberet a dicto comuni seu aliquid faceret diceret uel allegaret in seruiciis sustinendo et manutenendo dictum comune quod dictum comune Montiscalerii indilate sine aliqua exceptione et contradictione quacumque debeat et teneatur cum effectu dampnum passo et qui aliquod dampnum pateretur ex illa causa illum uel illos totaliter releuare indempnem sumptibus et expensis dicti comunis sine diminutione integraliter conseruare et presens capitulum seu statutum sit trunchum et precissum et ponatur seu scribatur in libro capitulorum Montiscalerii taliter quod deinceps pro capitulo et statuto habeatur et habeat roboris firmitatem aliquo alio capitulo seu ordinamento non obstante.

Quod de apascamento non fiat compositio uel allegatio.

Item statuerunt quod super facto apascamenti nulla mitigacio composicio uel gracia fieri possit et quod nulla persona audeat dicere uel allegare quod composicio mitigacio uel gracia fiat super facto dicti apascamenti et qui contrafaceret diceret uel arengaret incurrat penam librarum xxv pro quolibet et qualibet uice et si contra predicta fieret non ualeat nec possit poni in consilio.

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Infrascripta sunt ordinamenta et statuta facta et composita per sapientes electos auctoritate consilii Montiscalerii edita siue celebrata tam in anno Domini mcccxlix die secunda mensis iunii quam in anno sequenti mcccl die xxi mensis marcii seu per maiorem partem ipsorum et per rectores societatis populi Montiscalerii qui tempore composicionis et compillacionis ipsorum infrascriptorum ordinamentorum et statutorum fuerunt et cum presencia et auctoritate nobilium uirorum dominorum Iohannis de dominis Lucerne castellani et Anthonii Planchi de Marchelo de Alexandria iudicis Montiscalerii in anno Domini mcccli.

Quorum sapientum nomina describuntur inferius et sunt hec et eciam rectorum societatis potissime quatuor nouissimorum.

Peroninus de Rocolis
Facius de Castello
Silius de Liga et
Bertetus Motonus.

Sequuntur sapientes alii

Gullielmus de Caburreto
Georgius Marchoaldus
Georgius de Gorio
Iacobus Duchus
Rubeus de Episcopo
Gottefredus de Solario
Michael de Montanario
Manuel Mayalis
Iohannetus Ponziglonus
Iohanninus Longus
Raynerius Zaudela
Matheus de Valle
Maynfredus Motonus
Raynerius Ramacius
Iohannes Paniceria
Georgius Mauguinus
Silius Campagninus
Petrus Recagnolius
Bertolomeus de Topello
Bertinotus Marcoaldus
Denctinus Duchus
Dominicus de Episcopis
Merlinus Ponziglonus
Thomas de Solario
Franciscus de Castro Aynaldo

Turinus de Oddacio
Iohannes de Sancto Benigno
Fancisquinus Scaronus
Manuel Marescalgus et
Nicolinus Tamellus.

In primis statuerunt firmauerunt et ordinauerunt predicti sapientes cum rectoribus societatis et auctoritate curie ut supra et uigore potestatis per consilium Montiscalerii attribute quod regestum nouum et de nouo fiat et compleatur in Montecalerio duraturum dumtaxat spacio duorum annorum proximorum post perfectionem et publicacionem ipsius registri ita quod durante dicto tempore dictorum duorum annorum possint et debeant super ipso regesto imponi fieri et colligi talee et alie exaciones oportune pro parte comunis Montiscalerii et elapsis dictis duobus annis nulle talee nullum prestum nulleque alie exactiones possint fieri uel imponi super dicto regesto alicui persone in specie uel genere et si fuerint facte uel imposite post dictum tempus dictorum duorum annorum exigi non possint nec possint aliqui ad solucionem sic impositarum post dictum tempus cogi uel compelli aut aliqualiter inquietari. Sed quoad imposicionem talearum et aliarum quarumcumque exactionum que post dictum tempus imponerentur dictum regestum careat uiribus effectu.

A quibus fieri debeat dictum regestum et quomodo excipiuntur ab eo.

Item statuerunt et ordinauerunt quod in dicto regesto ponantur et poni debeant omnes et singulas possessiones et res immobiles cuiuscumque generis qualitatis et quantitatis sint et quecumque sint siue sint castra et casalia et domus in eis uel alie quecumque domus iurisdictionesque et siue sint ayralia siue uinee siue terre aratorie siue prata siue nemora siue alie quecumque possessiones et res immobiles et siue sint situate et iacentes in Montecalerio uel ayralibus siue in finibus uel territorio dicti loci Montiscalerii. Et omnia et singula bona mobilia quecumque et cuiuscumque generis sint que quicumque de Montecalerio uel ibi habitantes. Et quicumque habitatores dicti loci Montiscalerii siue habitent siue non in Montecalerio habent et habebunt usque ad perfectionem et publicationem dicti regesti in Montecalerio finibus uel territorio uel districtu Montiscalerii exceptis que infra uidelicet pannis de dorso lectis et aliis pannis pertinentibus ad usum domini domus eiusque uxoris et familie. Et exceptis uasis et utensilibus quibuscumque tam argenteis et cuiuscumque alterius metalli quam ligneis et fusteis ad usum predictorum deputatis. Exceptis guirlandis centuris et quibuscumque aliis iocalibus ad usum dominorum et dominarum et quorumcumque hominum et mulierum deputatis. Nec non et libris et armaturis quibuscumque et equis et equa ad sellam deputatis. Item ponantur in di- *a* cto regesto omnia ficta seu fictus et seruitutes honores decime et perpetue pensiones et redditus que quibuscumque debentur et debebuntur usque ad perfectionem dicti regesti et rebus et possessionibus existentibus siue in loco siue in finibus aut territorio Montiscalerii. Item iura et actiones que et quas quicumque de Montecalerio et qui ibi habitant uel habitabunt usque ad perfectionem et publicationem dicti regesti habent et habebunt usque ad predictam perfectionem et publicationem contra et aduersus quamcumque personam de Montecalerio et ibi habitantem exceptis minoribus annis xxv qui iura uel actiones quas ipsi habent uel habebunt contra uel aduersus eorum tutores uel curatores presentes preteritos uel futuros non *b* teneantur regestrare nec in suo regesto scribi facere exceptis eciam mulieribus habentibus maritos que iura uel actiones que uel quas habebunt contra suos maritos uel alios quoscumque pro suis dotibus uel augmento regestrare non teneantur eciam si pro ipsis dotibus uel augmento sit uel fuerit facta dacio in solutum super et de bonis mariti uel alterius cuiuscumque. Sed maritus uel alius qui predictas res tenebit debeat ipsas res regestrare nec non exceptis mulieribus uiduis tam habitantibus quam non habitantibus cum filiis suis uel aliis heredibus mariti sui condam que iura et actiones eis competentes uel competencia contra heredes uel bona mariti uel contra alios obligatos pro suis dotibus uel augumento regestare non teneantur nec *c* scribi facere in regesto predicto nisi illis quibus factum esset iuramentum uel facta esset dacio in solutum in rebus immobilibus que ipsas res immobiles debeant regestare exceptis eciam creditoribus comunis Montiscalerii illis uidelicet quibus promissum est pro parte comunis non regestare quantitates eis debitas per ipsum comune qui ipsas quantitates eidem debitas pro quibus permissum est eis non teneantur regestare. Simili modo frater stans et faciens regestum comuniter cum suo fratre seu cum fratribus suis iura uel actiones que uel quas habet contra alium uel alios suos fratres non teneatur regestare nec maritus contra uxorem patrem contra filium uel nepos contra auum uel e conuerso siue comuniter registrum faciant siue non. Ita quod *d* inter tales personas uidelicet parentes et filios uirum et uxorem auos et nepotes uel e conuerso ordinacio dicti regesti non uendicet sibi locum nec non qui sunt capita domorum molandinorum Montiscalerii et aliorum reddituum et qui partem habent cum eis in dictis reditibus et diuisis que per ipsa capita requirunt et gubernentur sint exempti et non teneantur illas quantitates quas in dictis redditibus diuisis habent regestare et qui de supradictis personis bona supradicta exceptata non regestrauerint et scribi fecerint in regesto predicto non intelligantur propter hoc errasse et non possint propter ea reprehendi argui uel puniri et dictis suis iuribus possint uti. De dotibus uero uiduarum et uirginum consistentibus in pecunia uel rebus

mobilibus fiat quod placuerit consilio et alias procedi non possit contra eas nisi fuerit per ipsum consilium ordinatum.

De modo et termino regestandi per homines et habitatores Montiscalerii.

Item ordinauerunt et statuerunt predicti sapientes quod omnes et singule persone de Montecalerio cuiuscumque condicionis et nominum existant et quicumque habitantes in Montecalerio finibus uel territorio loci eiusdem et quicumque eciam habitatores Montiscalerii siue habitent siue non in Montecalerio finibus et territorio dicti loci teneantur et debeant uinculo iuramenti quod prestari teneantur in manibus notariorum supra hoc deputatorum regestrare et consignare et consignando in manibus ipsorum notariorum prout fuerit ordinatum aut in scriptis dare sibi omnes et singulas possessiones et res immobiles quas ipse persone habent uel habebunt usque ad perfectionem et publicationem dicti regesti in Montecalerio finibus et territorio loci eiusdem cuiuscumque qualitatis et quantitatis sint siue sint castra et fortaricie siue alie quecumque domus in castris et casalibus uel extra ubicumque et siue sint uinee siue terre siue prata siue alie quecumque res immobiles per hunc modum uidelicet castra et cassalia et domos quas in ipsis castris et casalibus habent et habebunt per se honorem et iurisdictionem castri et cuiuslibet domus per se et alias quascumque domos ubicumque sint in Montecalerio finibus et territorio ipsius loci quilibet per se apponendo cuilibet castro et casali domui tres coherencias ueras aut ad minus duas distinguendo et declarando loca ipsorum castrorum casalium et domorum et uineas per se ayras per se terras aratorias per se gerbos per se prata per se nemora grossa per se nemora parua pro se et grangias per se. et sic quamlibet rem immobilem pro se distinguendo et declarando et exprimendo quantitates quarumcumque rerum et loca ubi posite sunt et iacent et apponendo cuilibet rei coherencias ad minus duas ueras et non ponendum unum locum pro alio. Item teneantur predicte persone et quelibet ipsarum consignare regestare et manifestare omnia et singula ficta et pensiones annuales et perpetuas que eis debentur et debebuntur usque ad perfectionem et publicationem dicti regesti pro rebus et possessionibus existentibus siue in Montecalerio siue finibus et territorio ipsius loci consignando et regestando ficta et pensiones perpetuas per se conditicias per se et a quo uel a quibus debentur et pro quibus rebus et in quibus locis iacent dicte res apponendo cuilibet rei ad minus duas coherencias ueras. item decimas et ius decime per se declarando territorium per loca latina et confines infra que dicta decima et ius decime debentur. Item teneantur et debeant predicte persone et quelibet ipsarum ut supra consignare manifestare et registrare omnia et singula bona mobilia que habent et habebunt

a usque ad perfectionem dicti regesti in Montecalerio finibus et territorio loci eiusdem declarando que et qualia sint exceptis rebus mobilibus que in precedenti ordinamento et superius fuerunt exceptata que consignari uel registrari non debeant. Item teneantur et debeant predicte persone registrare et consignare et manifestare omnia et singula iura et actiones que et quas habent contra et aduersus quamcumque personam de Montecalerio et quemcumque habitantem siue in Montecalerio siue in finibus uel territorio loci eiusdem. et omnia et singula debita que sibi debentur a dictis personis uel aliqua ipsarum exprimendo quantitates debitorum et que et qualia sunt iura et actiones et pro quibus rebus et quo cetu competunt. exceptis minori-
b bus et mulieribus et uiduis et maritatis fratribus et parentibus et aliis personis de quibus superius in precedenti ordinamento et pro hiis iuribus debitis et actionibus de quibus excipitur. Quod ordinamentum in ea parte et aliis exceptatis in sua maneat firmitate non obstante presenti ordinamento. et per modum predictum predicte persone et quelibet ipsarum teneatur et debeat consignare et regestrare et scribi facere aut in scriptis dare in manibus notariorum super hoc deputatorum qui notarii sunt hii Domenicus de Episcopis Ricardus de Cabureto Thomeynus Zandella et Matheus Paniceria infra unum mensem proxime uenturum post publicationem ordinamentorum presentis regesti sub pena pro quolibet qui non daret suum regestum infra dictum
c terminum solidorum x. Tutores uero et curatores bona minorum quos habent in tutella uel cura et gestores negociorum absencium bona ipsorum absencium qui gerunt regestrare et manifestare teneantur sic ea declarando ut superius continetur sub pena predicta. et qui per modum supradictum regestrauerit aliquam rem ut suam uel ubi liuratam aut in solutum datam uideatur et intelligatur regestasse omnia iura et actiones que et quas habet in dicta re et occasione ipsius ac si omnia specificata essent.

De extraneis personis et quomodo et quando debeant regestare.

d Item ordinauerunt et statuerunt dicti sapientes quod omnes et quelibet persone extranee que non habitent in Montecalerio finibus uel territorio Montiscalerii et que non faciunt caualcatas naytas et scarauaytas presias in Montecalerio et alia uicinixa sicut homines Montiscalerii et ibi habitantes pro comuni Montiscalerii que habent possessiones et res immobiles in Montecalerio siue finibus uel territorio ipsius loci. saluis semper pactis et conuencionibus factis et existentibus ad iudicem inter homines Montiscalerii et homines de Taurino que firma et firme maneant et in suo robore non obstantibus aliquibus ordinamentis dicti regesti. teneantur et debeant ipsas possessiones et res immobiles uinculo iuramenti manifestare et scribi facere in dicto re-

gesto in manibus notariorum ut supra ad hoc deputatorum *a* declarando quamlibet possessionem et res per se et loca et fines in quibus sunt et iacent et apponendo cuilibet rei ad minus duas coherencias etc. ueras prout superius ordinatum est de personis de Montecalerio. et teneantur et debeant predicte persone ut supra continetur manifestare et scribi facere suas possessiones in suo regesto infra terminum qui de registrando mandabitur pro parte comunis Montiscalerii per circumstancia loca et quelibet persona sic extranea ut supra que non registrauerit et scribi fecerit in dicto regesto suas possessiones ut superius continetur et infra dictum terminum incurrat penam solidorum LX pro quolibet earum et re non manifestata ut supra. et nichilominus ille possessiones et res *b* non registrate seu manifestate ponantur per abezatores presentis regesti in ipso regesto duplicando pro ipsis possessionibus sortes.

De taleis soluendis per extraneas personas.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et et quelibet predicte persone extranee pro rebus et possessionibus que ponentur et poni debebunt per formam ordinamentorum presentis regesti in ipso regesto teneantur et debeant soluere comuni Montiscalerii taleas exactiones que super dicto registro imponentur pro comuni Montiscalerii et hoc infra terminos qui pro parte dicti comunis mandabuntur *c* pro circumstancia loci sub pena quarti pluris que sit comunis et sub pena solidorum uiginti pro quolibet et qualibet libra que sit domini nostri domini principis. et quod sic deficientibus omnes dictarum possessionum et rerum in solucione dictarum talearum et aliarum exactionum laboratores possessores et directores ipsarum rerum et possessionum teneantur et debeant soluere ipsas taleas et alias exactiones et ad hoc compelli possint. ita si quid quod pro quantitatibus dictarum talearum et exactionum quas ipsi laboratores possessores et detentores soluerint ipsas possessiones et res reditusque et prouentus earum tenere possint et eis liceat quousque fuerint eis dicte quantitates talearum et aliarum exactionum per eos *d* solutarum cum dampno expensis et interesse integraliter restituere arbitrio dominorum castellani et iudicis Montiscalerii et cuiuslibet ipsorum. et nichilominus possessiones et res ille predictorum forensium pro quibus dicte talee et alie exactiones non fuerint solute per modum predictum et infra terminos ordinatos sint et remaneant uaste et absque protectione domini nostri domini principis et comunis Montiscalerii. ita quod aliqua persona que in ipsis possessionibus uel aliqua ipsarum aut in fructibus earum dampnum dederit cum bestiis uel sine bestiis non teneatur nec debeat soluere aliquam penam nec restituere dampnum aliquod uel emendam. et insuper ipsi extranei non soluentes ut supra detineri possint et debeant per curiam Montiscalerii quousque soluerint taleas et alias exactiones predictas in hauere pariter et personis quod ordinamentum locum non habeat nisi contra extraneos malos debitores et dum fuerint mali debitores.

Quod quilibet deffendatur in possessione rei registrate.

Item statuerunt et ordinauerunt predicti sapientes ut homines et persone de Montecalerio et habitatores dicti loci et alii ad consignandas et registrandas suas possessiones et res per integrum melius inducantur quod quicumque regestauerit et manifestauerit et scribi fecerit aliquam domum seu possessionem et rem immobilem in suo regesto sitam siue in Montecalerio siue finibus uel territorio ipsius loci Montiscalerii et ipsas manifestatas et regestratas ipsam domum uel possessionem sic in suo regesto descriptam tempore manifestamenti et consignamenti eiusdem tenebat et pacifice possidebat deffendatur et manuteneatur in dicta sua possessione et quasi et de ipsa possessione uel quasi dicte rei non possit uel debeat eiici uel expelli inuitus per curiam Montiscalerii neque per castellanum uel iudicem aut alios officiales Montiscalerii presentes uel futuros neque per aliam aliquam personam nisi dumtaxat prius dato libello sibi lite contestata et iuris ordine obseruato ad relaxationem dicte rei sic registrate uel possessionis aut quasi eiusdem ipse consignatas et registratas existat per diffinitiuam sentenciam condempnatus et si secus fieret nullius existat ualoris uel momenti quod contra predicta factum esset uolentes et ordinantes predicti sapientes quod presens capitulum seu statutum uim et robur obtineat usque ad annos . . . . . . proxime uenturos.

Quod si quis fecerit alicui uendicionem de aliqua re sufficiat quod siue emptor siue uenditor eam regestet.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingat aliquam personam de Montecalerio uel ibi habitantem habere uendicionem ab aliqua persona de Montecalerio uel ibi habitante de aliqua possessione uel re immobili et ille qui dictam possessionem uel rem uendidit eamdem possessionem uel rem consignet et ponat in suo regesto seu consignamento tamquam suam nulla facta uel facta mencione de ipsa uendicione quod eo casu neque emptor neque uenditor incurrat aliquam penam pro eo quod emptor ipse huiusmodi possessionem seu rem immobilem non consignauerit aut poni fecerit in suo regesto. et eodem modo si emptor dicte possessionis seu rei immobilis ipsam possessionem uel rem posuerit et poni fecerit tamquam suam in suo regesto seu consignamento nullam penam incurrat uenditor si dictam possessionem non consignauit et posuit in suo regesto aliquo alio capitulo

non obstante et in utroque casu cuilibet ipsorum a
sit saluum ius suum.

Si duo uel plures eamdem rem regestent.

Item statuerunt et ordinauerunt predicti sapientes quod si duo uel plures posuerint in suis regestis unam et eamdem rem et contingat eos se se concordare quod dicta talis res sit unius ipsorum aut contingat ipsam uni ipsorum qui eam regestauerit adiudicari per sentenciam iudicis aut arbitri aut arbitrorum a partibus assumptis quod ex tunc illa talis possessio seu res sic a duobus regestata remaneat in regesto illius qui siue per concordiam parcium siue per sentenciam iudicis uel arbitralem
fuerit adiudicata et de regesto alterius auferatur. b

Quod domus ayralia et cassalia extimentur et castra.

Item statuerunt et ordinauerunt quod domus ayralia et cassalia et castra existencia in finibus districtu et poderio Montiscalerii extimentur per extimatores ad hoc deputatos secundum uerum extimum et de dicto extimo deducantur quinque partes ita quod remaneat sexta pars in sorte et de illa sexta parte diminuatur secundum quod diminuetur de aliis possessionibus que possessiones extimentur secundum quod sortes fient per sapientes ad hoc deputatos. nomina uero extimatorum domorum ayralium ca-
strorum et casalium sunt hec. c

Bertinotus Marcoaldus
Gullielmus Merlengus
Bertolomeus de Montanario
Bertinus Duchus
Bertolomeus de Topello
Gaschinus Paniceria
Maynfredus Motonus
Franciscus Zandella
Iordanus Mayalis
Carlinus de Solario
Aresinius de Episcopis
Iacometus de Caburreto
Wietus de Valle
Iacobus Auarenus
Bertinus de Oddacio et d
Georgius Manginus.

Quando et quantum solui debeat de mobili

Item statuerunt et ordinauerunt quod omne mobile quod regestabitur et consignabitur in dicto regesto et quod in ipso regesto poni et regestari debebit ponatur et poni debeat per abezatores ipsius regesti in maiori summa de tercia parte pluris quam possessio ita quod de ipso mobili soluatur talea de tercia parte pluris quam de possessionibus.

Quomodo et per quos taxetur mobile.

Item statuerunt et ordinauerunt predicti sapientes quod per consilium Montiscalerii uel eos quibus consilium dabit bayliam eligantur certi sapientes tot quot uidebitur consilio ex quibus sapientibus nullus possit esse nec ad eligendum eos nec de illis qui elligentur aliquis de suprascriptis sapientibus qui fecerunt ordinamenta presentis regesti de quibus sapientibus qui per dictum consilium ut supra eligentur fiant quatuor coble que prestito iuramento per quamlibet ipsarum habeant bayliam taxandi mobile cuiuscumque persone de Montecalerio et cuicumque qui habitabit in Montecalerio finibus et poderio Montiscalerii et etiam cuicumque habitatori dicti loci Montiscalerii habitanti uel non habitanti in Montecalerio et omne mobile cuiuscumque persone que habebit et habere debebit regestum Montiscalerii per formam ordinamentorum presentis regesti quod immobile esset de regestando obmissum et per eundem consilium alii eciam certi sapientes eligantur qui eciam mobile et obmissum immobilem cuiuslibet predictorum sapientum debeant taxare.

In quibus quantitatibus minores poni debeant in regesto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus de Montecalerio uel qui habitet ibidem qui sit homo et habeat aliquam rem immobilem possit esse in regesto in minore quantitate de solidis c et si nullam rem immobilem habeat de solidis LX et si fuerit mulier uidua uel orfanus qui in bonis habeat minus de solidis XL ponatur in regesto et soluat taleam de solidis XL.

Pro qua mensura auferantur debita et ficta de regestris debitorum et si fiat datio in solutum pro debitis registratis et de fictis etc.

Item statuerunt et ordinauerunt sapientes predicti quod quantitates debitorum qui consignabuntur et ponentur in dicto regesto deberi aliquibus de Montecalerio et habitantibus in Montecalerio aut eius poderio siue aliquibus habitatoribus dicti loci Montiscalerii habitantibus siue non ibidem pro illa quantitate et mensura pro qua ponentur super creditores et in regestis ipsorum pro illa quantitate et mensura tollantur de super debitores et de regestis ipsorum. Et si contingat durante dicto regesto quod alicui creditori pro illo debito quod fuerit super ipsum regestatum et debitori suo de suo regesto admotum aliqua res regestata per ipsum debitorem detur in solutum siue de uoluntate parcium siue de auctoritate curie illa res non tollatur de regesto illius debitoris nec ponatur supra ipsum creditorem uel in regesto suo durante dicto regesto nisi reperiretur creditor soluere taleam pro debito et pro re et debitor alleuiari pro debito et

pro re et hoc non obstante aliquo statuto siue capitulo facto uel faciendo. Simili modo de fictis et pensionibus perpetuis que reperirentur in dicto regesto deberi pro possessionibus et rebus situatis in Montecalerio finibus uel territorio et districtu aliquibus qui habeant et habere debeant regestum in Montecalerio pro eadem mensura qua ponentur supra eos quibus debentur pro eadem mensura qua tolluntur de supra eos qui eas et ea debent et de supra ipsorum regestis. Ficta eciam et pensiones perpetue que pro possessionibus et rebus situatis in Montecalerio siue in eius districtu debentur ecclesiis uel hospitalibus tollantur de supra eos qui ea et eas debent pro eadem mensura qua tollerentur si aliis personis habitantibus regesto deberentur. Hoc saluo quod si res pro qua debetur fictum siue pensio perpetua ecclesie uel hospitali faceret minorem summam attenta sorte quod fictus uel pensio tunc de illa maiori summa uel pro illa tenens illam possessionem taleam soluere teneatur.

Pro rebus autem pro quibus ficta et perpetue pensiones debentur domino principi ponantur in regestis eorum qui eas tenent et soluatur talea ut consuetum est et non aliter.

Quod officiales regesti iurent
et de pena contra impedientes eos officia exercere.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et singuli qui habent et habebunt aliquod officium in dicto regesto uel occaxione ipsius regesti quicumque et cuiuscumque condicionis et officii sint siue abezatores siue extimatores siue notarii siue quicumque alii teneantur et debeant iurare et uinculo iuramenti suum officium bene diligenter ac fideliter exercere et facere. et quod possint et eis et cuilibet ipsorum liceat suo officio et sibi commisso et committendo uti et illud exercere in quocumque castro casali possessione et loco loci et poderii Montiscalerii inquirendo recercando mensurando extimando scribendo et omnia alia et singula faciendo et exercendo sibi commissa et que ad suum officium pertinebunt non obstante contradictione alicuius persone. Et si aliqua persona fuerit tante presumpcionis temeritatis et audacie quod per se uel alium aut alios impediret predictos officiarios dicti regesti et qui officium habent uel habebunt in eo uel occasione ipsius uel aliqui ipsorum uti officio suo et sibi commisso et illud exercere incurrat illa persona et quecumque persona sic impediens penam librarum L pro qualibet uice et insuper cogi possit et debeat per curiam Montiscalerii penis et bannis arbitrio ipsius curie imponendis et aliis quibuscumque modis ad permittendum et paciendum dictos officiarios et officia habentes ut supra et quilibet ipsorum uti suo officio et sibi commisso et illud debite exercere. et predicti officiales maxime abezatores dicti regesti possint personis impedientibus ut est dictum et cuilibet ipsarum regestum et summam regesti facere ad ipsorum abezatorum omnimodam uoluntatem pro quo regesto et summa regesti soluere teneantur taleam comuni Montiscalerii sicut alii ceteri de Montecalerio qui regestauerint bene. et de impeditione que fieret aut diceretur facta credatur aut credi debeat duobus uel tribus ex ipsis officiariis eorum iuramentis sine aliis testibus uel probatione. et quod pene que occaxione predicta committentur excuciantur et excuti possint per curiam Montiscalerii ulla facta condempnacione. et supra predictis possit eciam procedi per inquisicionem per curiam predictam.

Quod officiales nullum premium nec
promissum recipiant.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona que habeat uel habebit officium qualecumque sit in dicto regesto et occaxione ipsius regesti quocumque nomine censeatur et cuiuscumque condicionis uel officii sit abezator siue mensurator siue notarius siue alius quicumque audeat uel presumat per se uel per alium petere uel recipere aliquod premium seruicium uel loderium occaxione ipsius officii ab aliqua persona extranea uel priuata dante siue pro se siue pro alio nec aliquas promissiones recipere ab aliqua persona de aliquo seruicio premio uel loderio neque in pecunia neque in aliqua alia re et sub pena tam pro dante quam pro accipiente et pro quolibet ipsorum librarum x et tantundem pro quolibet promittente et promissum recipiente. et de predictis et quolibet predictorum quelibet persona que sit bone fame possit accusare ex qua accusacione dominus castellanus et iudex possint et teneantur inquirere et culpabiles punire qui culpabiles si sint in aliquo officio dicti regesti ab ipso officio priuentur et accusator habeat terciam partem banni saluis et exceptatis salariis taxatis et taxandis seu que taxabuntur que salaria possint licite capi.

Quod iurisperiti uel aduocati
non patrocinentur contra comune.

Item statuerunt et ordinauerunt quod iurisperiti uel aduocati de Montecalerio et habitantes ibidem propter immunitates quas habent ut supra de non regestando eorum libros per formam suprascriptorum ordinamentorum non possint nec debeant alicui persone consulere uel patrocinium prestare contra comune Montiscalerii publice uel occulte sed teneantur et debeant ipsi iurisperiti et aduocati dicto comuni et in eius causis et negociis fideliter consulere et patrocinari hoc iurando.

Si quod dubium appositum fuerit in aliquo regesto.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si quis apposuerit aliquod dubium in suo regesto illud dubium interpretari debeat et intelligi contra illum

qui illud dubium apposuerit quia in eius potestate a
fuit apponere clarum quod apposuit obscurum.

Quomodo intelligi debeant statuta.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia et singula suprascripta et infrascripta ordinamenta et statuta intelligantur ad literam sicut iacent et quod rubrice non intelligantur esse capitula statuta uel ordinamenta nec uim capitulorum statutorum uel ordinamentorum intelligantur habere ipse rubrice aliquo iure non obstante uel aliter suadente.

Quod per aliqua statuta regesti non derogent ius comunis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod per aliqua suprascripta et infrascripta capitula uel statuta non derogetur nec intelligatur derogari alicui iuri competenti uel competituro comuni Montiscalerii in rebus et possessionibus existentibus in loco finibus et territorio Montiscalerii alienatis in extraneas personas contra formam capitulorum Montiscalerii et alia quacumque causa sed non obstantibus aliquibus statutis uel ordinamentis presenti regesti omne ius competens dicto comuni quacumque causa in ipsis possessionibus sic alienatis sit et remaneat saluum dicto comuni contra ipsas personas extraneas et in ipsis possessionibus alienatis et occaxione ipsarum.

De uno sindico constituendo.

Item statuerunt et ordinauerunt predicti sapientes quod in pleno et generali consilio Montiscalerii et per consiliarios ipsius consilii constituatur unus syndycus nomine et ex parte comunis cum auctoritate curie qui sub obligacione omnium bonorum ipsius comunis et refectione dampnorum et expensarum et interesse litis et extra promittat et se obliget syndicario et uice et nomine dicte comunis dominis castellano et iudici ac sapientibus et notariis et ceteris officiariis presentis registri de extrahendo et conseruando ipsos et quemlibet ipsorum indempnes a confectione et obseruancia statutorum et ordinamentorum factorum et fiendorum d
occaxione dicti regesti qualitercumque bene uel male fierent et starent et siue de iure siue de facto et pro eis et quolibet ipsorum lites et caussas substinendo et expensas faciendo pro predicto comuni et quod inde fiat statutum perpetuo duraturum in consilio predicto solempni super quo domini castellanus et iudex qui nunc sunt et pro tempore fuerint in Montecalerio teneantur et debeant iurare se dictas promissiones obligacionem faciendas facere effectualiter obseruari nullo statuto uel mandato factis uel faciendis in contrarium obstante. Et insuper ultra hoc tanto tempore tenere credenciam seu consilium Montiscalerii detemptum quod predicta indempnitas seu conseruacio indempnitatis sit facta et obseruata quandocumque inde fuerint requisiti per dictos officiarios et sapientes uel per aliquem ipsorum et qui contrarium in dicta credencia seu consilio arengauerit habeatur perpetuo infamis et libras x nomine pene pro qualibet uice domino principi soluat.

Quod castellani iudices rectores Montiscalerii statuta conseruent.

Item statuerunt et ordinauerunt quod domini castellanus et iudex ac rectores et alii officiarii Montiscalerii presentes et futuri teneantur et debeant attendere et inuiolabiliter obseruare omnia et singula suprascripta et infrascripta statuta et ordinamenta non ob-
b stantibus aliquibus aliis statutis ordinamentis licentia seu parabola in contrarium factis uel obtentis aut de cetero faciendis uel obtinendis et si in contrarium fieret mandatum statutum uel edictum aut auctoritas licencia uel parabola daretur habeantur pro non factis et pro non datis et nullius existant ualoris uel momenti et qui eis uel aliquo ipsorum uteretur soluere teneatur et debeat comuni Montiscalerii taleam in duplum de uniuersa sua substantia dum durabit presens regestum.

De conseruatione baylive per sapientes predictos.

Item statuerunt et ordinauerunt predicti sapientes quod ipsi et maior pars ipsorum habeant et eis
c et maiori parti ipsorum remaneat et seruetur plenum posse ordinandi statuendi et declarandi interpretandi emendandi corrigendi minuendi addendi mutandi et prouidendi super omnibus suprascriptis et infrascriptis statutis et ordinamentis ac de nouo capitulandi statuendi et ordinandi terminosque ad regesta facienda et regestanda et consignanda bona ut supra datos et dandos prorogandi ac de nouo statuendi et imponendi et predicta omnia et singula faciendi cum auctoritate curie Montiscalerii semel et pluries ad ipsorum sapientum et maioris partis ipsorum omnimodam uoluntatem nihil tamen ordinando mutando uel uariando aut aliter faciendo hiis que taxabunt et facient coble sapientum qui ut superius pro parte consilii Montiscalerii eligentur.

Quod satisfiat notariis dicti regesti de labore et quid facere habeant.

Item statuerunt et ordinauerunt quod suprascripti notarii uidelicet Dominicus de Episcopis Richardus de Cabureto Thomeynus Zandela et Matheus Paniceria deputati ut supra ad recipiendum et scribendum regestra omnium qui habebunt regestrare bona sua et tam extraneorum quam priuatorum in Montecalerio teneantur et debeant eorum officio omnia ista regesta recipere a quibuscumque personis tam extraneis quam priuatis et ipsa regesta cum bona fide et cum bona diligencia scribere seriatim libris comunis ad hoc deputatis ut moris est

et omnia et singula facere que fuerint circa predicta regesta facienda. Et omnes et singuli quorum erunt regesta teneantur et debeant satisfacere de eorum labore predictis notariis prout fuerit conueniens. Et si forte ex solutione predicta aliqua obscuritas oriretur predicti domini castellanus et iudex et quilibet ipsorum cum rectoribus societatis qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint et cum illis de sapientibus quos noluerint secum habere possint dictam obscuritatem declarare etc. Retinentes predicti sapientes in se bayliam et plenum posse ordinandi prouidendi declarandi et interpretandi in omnibus et singulis tangentibus dictum regestum et ut supra.

Publicatio ordinamentorum.

Anno Domini MCCCLI indictione IV die ueneris XXVIII mensis octobris in plena et generali concione siue arengo congregato ad uocem preconum sonum campanarum et pulsacionem tubarum more in talibus assueto ante palacium comunis Montiscalerii et presentibus et assistentibus uiris nobilibus domino Iohanne de Lucerna castellano et domino Anthonio Blanco de Marchello Alexandrię a iudice dicti loci Montiscalerii fuerunt publice suprascripta statuta et ordinamenta per me Matheum Paniceria notarium et in hac parte scribam assumptum lecta publicata et uulgarizata et per dictos dominos castellanum et iudicem approbata et confirmata ad tempus et per tempora per quod et que durare debet dictum regestum faciendum ut supra presentibus Iohanne Vauterio de Plozasco Iacobino Mayali Mauuello Ducho Francisco de Veglio et Facio de Castello et multitudine magna populi Montiscalerii.

Tenor literarum missarum per circumstancia loca.

Viris nobilibus et discretis dominis uicariis potestatibus castellanis iudicibus et aliis quibuscumque officiariis et rectoribus talearum ad quos presentes peruenerint Iohannes de Lucerna castellanus Anthonius Blanchus de Marchello iudex consilium et comune Montiscalerii salutem et uotiuorum successiuam ubertatem. Noticiam uestram cupimus non latere nuper fuisse ordinatum et firmatum Montiscalerio quod regestum nouum fiat et compleatur ibidem duraturum dumtaxat spacio duorum annorum proxime post perfectionem et publicationem eiusdem certis statutis et ordinamentis pro eodem regesto per sapientes ad hoc potestatem habentes compositis et in concione publica Montiscalerii publicatis in quibus inter cetera dignoscitur ordinatum quod omnes et quelibet persone extranee et que non habitant in Montecalerio finibus uel territorio Montiscalerii et que non faciunt pro comuni Montiscalerii sicut alie de ipso loco et ibidem habitantes uaytas et excarauaytas presias ca-

a ualcatas et alia uiciniśca saluis semper pactis et conuencionibus factis et existentibus cum hominibus de Taurino teneantur et debeant uinculo iuramenti regestari et regestando manifestare et scribi facere aut in scriptis dare in manibus notariorum ad hoc deputatorum uidelicet Dominici de Episcopis Richardi de Cabureto Thomayni Zandele et Mathei Panicerie uel alterius ipsorum infra terminum qui de regestando mandaretur per circumstancia loca omnes et singulas possessiones et res immobiles que et quas ipse persone extranee habent et habebunt usque ad perfectionem dicti regesti siue in Montecalerio siue in finibus uel territorio ipsius siue sint castra siue casalia siue domus in eis uel extra siue uinee siue terre siue prata *b* aut nemora siue alie quecumque possessiones aut res immobiles distinguendo et declarando quamlibet rem per se et per sua loca non ponendo unam rem pro alia neque unum locum pro alio et apponendo cuilibet rei duas ueras coherencias ad minus sub pena pro qualibet persona et pro qualibet iornata et pro qualibet re que obmissa fuerit regestare solidorum LX domino nostro domino principi applicanda et ulterius nichilominus queque res de regestando obmisse ut supra ponantur per abezatores presentis regesti in regestis eorum quorum essent duplicando pro ipsis rebus et possessionibus sortes et quantitates ipsarum. igitur uos et quemlibet uestrum presencium tenore requirimus et rogamus quatenus prout loca uobis et uestris officiis *c* sunt subiecta uellitis facere per ea loca et in locis ad talia uel similia usitatis et per precones uestros publice et intelligibiliter diuulgari predicta et superaddi quod quecumque persona uobis subdicta et que possessiones et res immobiles habet et habebit ut supra teneatur et debeat ut predicitur regestare et regestando scribi facere aut in scriptis tradere in manibus predictorum notariorum uel alicuius ipsorum infra unum mensem post factam uobis presentacionem presencium quarum ad cautelam retinuimus exemplum. Et de ipsarum presentacione nuncio uestro iurato earum latori dabimus plenam fidem cui nuncio post inspectionem opportunam uel retenta copia restituatis presentes quia sunt pluribus presentande. Datum in Montecalerio die *d* XXIX mensis octobris anno Domini MCCCLI quarta indicione.

Relatio portitoris literarum.

Subsequenter anno et indictione quibus supra die V mensis nouembris Petrus Macyfortus nuncius comunis et curie Montiscalerii iuratus retulit mihi Matheo Panicerie notario et scribe in hac parte se ex parte et mandato suprascriptorum dominorum castellani et iudicis et comunis Montiscalerii obtulisse et presentasse literas suprascripti tenoris in locis infrascriptis et officiariis curiarum ipsorum locorum infrascriptorum ac diebus infrascriptis. In primis uidelicet apud Trufarellum Ruuilliascum Pe-

cetum et Cherium die ultima proximi preteriti a
mensis octobris apud Taurinum et Caburetum die prima presentis mensis nouembris apud Gargnanum Vicumnouum et Dros die secunda dicti presentis mensis nouembris.

De exempcione uictualium pro usibus hospiciorum.

Anno quo supra die XIII mensis nouembris. Sapientes seu habentes bayliam super ordinamentis regesti uidelicet pars potissima ipsorum congregati in domo fratrum minorum in presencia suprascripti domini iudicis interpretando capitulum siue statutum loquens ut supra de quibus rebus fieri debeat regestum et aliud illud immediate sequens statuerunt quod nullus teneatur regestare uinum uel b
granum et alia similia que sint pro usu domus necessaria pro uictu usque ad percepcionem nouorum fructuum retinentes sibi et cum sociis bayliam.

De prorogacione termini ad regestrandum die XXVIII *mensis nouembris anno quo supra.*

Sapientes habentes bayliam super ordinamentis regesti congregati in domo fratrum minorum et in presencia suprascripti domini iudicis qui aderant ultra tres partes de comuni uoluntate et auctoritate dicti domini iudicis terminum ad dicta regesta et regestandum statutum et ordinatum prorogauerunt per quindecim dies proxime subsequentes post di- c
ctum terminum ordinatum retinentes sibi et cum sociis bayliam iterum prorogandi et de nouo statuendi et ordinandi in predictis et aliis semel et pluries.

De non capiendis columbis.

In nomine Domini amen. Anno Domini MCCCLXXXVIII indictione XI die XVIII mensis octubris.

Congregati XII rationatores comunis Montiscalerii quorum nomina inferius describuntur in domo fratrum minorum ut moris est una cum dominis Gullielmo de Cabureto castellano et Bartolomeo de Garilis iudice Montiscalerii habentes Bayliam a consilio generali dicti loci Montiscalerii super proui- d
dendo et penas ordinando contra omnes et singulas personas capientes columbos etc. addiderunt capitulo rescripto in presenti uolumine capitulorum Montiscalerii mencionem faciente de columbis et de penis etc. ordinauerunt ut infra.

Primo statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona de Montecalerio uel aliunde audeat uel presumat de cetero tendere uenare seu uenari facere tendendo aliquos filatos recia seu quecumque alia ingenia pro capiendo columbos siue domesticos siue siluestres in finibus Montiscalerii uel posse dicti loci in sua possessione uel aliena. Et persona que contrafecerit soluat pro pena solidos LX pro quolibet et qualibet uice et amittat filatos et recia et alia quecumque ingenia. Et persona que ceperit alienos columbos priuatos soluat pro pena pro quolibet et qualibet uice solidos V quoquomodo ipsos accipiat et quelibet persona bone fame de supradictis possit accusare et habeat terciam partem bampni et eius accuse cum iuramento credatur nisi accusatus faceret legitimam deffensionem.

Tristanus de Caburetо
Matheus Ducus
Iohannes de Episcopo
Nicolaus Marcoaldus
Franciscus de Solario
Thomas Platus
Manfredus Bergognonus
Maynfredus Auarenus
Pellerinus de Valle
Georzonus Zandela
Obertus Varo,
Matheus de Oddacio.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem MCCCLI indictione IIII die XXI mensis februarii in pleno et generali consilio Montiscalerii uoce preconis et sonu campane more solito congregato. Dominus Henrietus de Gorzano castellanus Montiscalerii et dominus Anthonius Blancus iudex dicti loci requirunt consilium a consiliariis in dicto consilio existentibus super propositis infrascriptis. Primo super duobus sindacis elligendis.

Item super facto beccarie et beccariorum quid placet uobis ordinare.

Ordinamenta consilii super sindacis elligendis et de facto beccarie.

In reformacione huius consilii super facto secunde proposte facto partito ad tabulas albas et nigras in quo erat maior pars dictorum consiliariorum placuit omnibus in dicto consilio existentibus exceptis undecim quod per rectores societatis elligantur aliqui sapientes tot et quot uoluerint qui sapientes et rectores cum curia habeant plenum posse auctoritatem et bayliam prouidendi et statuendi et ordinandi semel et pluries ad ipsorum liberam uoluntatem et quidquid fecerint prouiderint et ordinauerint ualeat et teneat ac si factum esset per hoc presens consilium.

Qui rectores societatis elligerunt super secunda proposta sapientes infrascriptos primo Gugliermacius de Caburetо Georgius Marcus Dominicus de Eporis Gothofredus de Solario Bartolomeus de Montanario Iacobus Mayalis Iohennetus Ponzius Iacobus Duchus Matheus de Valle Prouina de Rocolis Raynerius Zandela Maynfredus Motonus Petrus de Nouo Iacobus Auarenus et Bartolomeus de Topello.

Quod banche becharie remoueantur de loco ubi sunt et alibi transferantur.

Die ultimo mensis februarii supradicti sapientes et rectores cum curia habentes bayliam a consilio generali Montiscalerii super facto becarie et becariorum congregati in domo fratrum minorum statuerunt solemniter facto partito per supradictum dominum iudicem quod domus becharie transmittetur et remoueatur de loco in quo nunc est omnino in totum et ponatur ubi dictis sapientibus uidebitur.

Quod becaria ponatur in loco ubi uenduntur porci.

Primo statuerunt predicti sapientes et rectores quod dicta becaria ponatur et transmutetur de loco in quo nunc est in illo sedimine seu loco quod est prope palacium comunis in ea parte in qua uenduntur porci cui sedimini coheret uia becarie uetule heredes Peronini de Marchixio et illi de Episcopo uidelicet in tanta quantitate quanta uidebitur dictis sapientibus.

Quod una pars becarie fiat prope furnum diuine.

Item statuerunt quod illa pars becarie tanta quanta uidebitur dictis sapientibus ponatur et fiat prope furnum diuine.

Ubi debeat fieri becaria magna.

Item statuerunt quod becaria fiat in loco superius ordinato seu pars ipsius incipiendo tamen ad angulum palacii comunis quod est deuersus putheum platee eundo per longitudinem uersus uiam becarie ueteris de longitudine becharie ueteris ita quod tantam habeat de longitudine quantum uidebitur sapientibus supradictis.

Quod debeat remanere una uia inter becariam et palacium comunis per quam iri possit ad molandina.

Item statuerunt quod fiat et remaneat una uia prope palacium comunis que directo uadat de platea uersus uiam becarie ueteris qua itur uersus molendina lata uno trabucho et duas partes alterius trabuchi et remaneat una ritana deuersus Georgium de Gorio lata uno pede cum dimidio liprando et rexiduum resideat becaria.

Item statuerunt quod dicta becaria et dicta ritana terminetur per bonos terminos circumquaque et quod nullus dictam uiam seu dictam ritanam possit impedire.

Quod becaria intus et extra libera maneat nec possit per aliquem occupari.

Item statuerunt quod uie becarie que uadunt a per longum et que uadunt per transuersum stent et remaneant libere et expedite nec impediri nec occupari possint per aliquam personam sub pena pro quolibet contrafaciente et qualibet uice solidorum x et uia que uadit per medium dicte becarie et per longum sit lata pedes IIII liprandos et uia que uadit per transuersum sit lata pedes III liprandos.

In qua parte becarie debeant uendi carnes mutonine et pecorine.

Item statuerunt quod a uia que est per medium becarie et per transuersum a parte superiori uendantur carnes castrine et a dicta inferius uen- b dantur carnes pecudine caprine arietum et non alibi sub pena pro quolibet et qualibet uice solidorum v.

Item statuerunt quod banche becharie alocentur et ponantur in ipsa becaria per ipsos becarios et sic remaneant perpetuo per longum directe sicut uadit becaria et est edificata per longum et non per transuersum sub pena pro quolibet et qualibet uice qua contrafactum esset solidorum v.

De pena uendencium carnes pecorinas pro mutoninis.

Item statuerunt quod nullus becarius audeat uel presumat sub aliquo uiuo ingenio uel colore uen- c dere fraudulenter aliquas carnes pecudinas pro castrinis nec caprinas nec eciam femininas pro masculinis nec eciam aliquas carnes unam pro alia et si quis contrafecerit amittat bancham ita quod pleno iure applicetur domino et capitibus diuisarum et ultra hoc incurrat penam solidorum XL et quilibet bone fame possit accusare cum iuramento et habeat medietatem dictorum solidorum XL nisi accusator iustam fecerit deffensionem.

Quod becharii teneantur alios accusare contra predicta facientes.

Item statuerunt quod quilibet becarius uendens carnes sub becaria teneatur uinculo iuramenti ac- d cusare omnes contrafacientes in supra proximo capitulo et quod domini castellanus et iudex teneantur predictos becarios iurari facere et ad iurandum possint constringi penis et bannis attendere et obseruare omnia et singula infrascripta capitula et accusare contrafacientes.

Quod non possit fieri aliquod rizolium in becaria uel uiis eius.

Item statuerunt quod nullus becarius audeat uel presumat in dicta becaria uiis uel ritanis facere aliquod rizolium seu aliquod caseamentum ubi possint poni carnes sub pena pro quolibet et qualibet uice solidorum XX.

Item statuerunt quod ultra domum de nouo fa- a
ctam in becharia expensis comunis hedificetur tanta domus sub qua possint stare due banche.

Quod castellanus et iudex in casibus supradictis possint procedere per inquisicionem et ex officio.

Item statuerunt quod in omnibus casibus supradictis domini castellanus et iudex possint inquirere et per inquisicionem procedere et contrafacientes pūnire.

Item statuerunt quod omnia et singula capitula suprascripta habeant uim et robur capitulorum et publicentur et ponantur in libro capitulorum Montiscalerii.

Retinentes in se predicti sapientes plenum posse b
et bayliam prouidendi statuendi et ordinandi semel et pluries ad ipsorum liberam uoluntatem.

Lecta lata et publicata fuerunt omnia et singula suprascripta statuta et ordinamenta per me Tomaynum Zandellam notarium dicte curie in plena et generali concione facta in palacio comunis Montiscalerii ubi ius redditur uoce preconis sono campane et cornu tubarum more solito congregata ac eciam confirmata et approbata per dictos dominos castellanum et iudicem sub anno Domini MCCCLI indictione IIII die XIIII mensis aprilis presentibus Nicholino de Pise Matheo de Valle et Cabureto de Caburetis.

In nomine Domini amen. Anno Domini MCCCLIII c
indictione VI die XVIII mensis augusti in pleno et generali consilio Montiscalerii super palacio dicti loci uoce preconis et sono campane more solito congregato in quo consilio erant ultra due partes dictorum consiliariorum dicti loci solempniter facto partito ad tabulas albas et nigras ut moris est per nobilem uirum dominum Anthonium Blanchum de Marchetto iudicem dicti loci Montiscalerii. Nobiles uiri domini Iohannes de Lucerna castellanus dicti loci et Anthonius iudex predictus pro illustri et magnifico domino domino Iacobo de Sabaudia principe Achaye domino dicti loci de uoluntate et consensu dictorum consiliariorum omnium exceptis dumtaxat quinque qui posuerunt tabulas nigras et ipsi consiliarii omnes et concorditer et unanimiter d
ipsis quinque dumtaxat exceptis statuerunt et firmauerunt prout infra que omnia suprascripta capitula et statuta in dicto consilio fuerunt lecta et publicata et ea poni uoluerunt in uolumine capitulorum Montiscalerii itaquod de cetero capitulorum et statutorum irreuocabilium et precisorum roboris obtineant firmitatem.

Quod nullus possit aliquod casale uel possesssionem in finibus Montiscalerii dare in feudum sine licencia comunis.

Item statuerunt quod nulla persona undecumque sit uel cuiuscumque status dignitatis seu preeminencie existat habens uel possidens uel que in posterum habebit in Montecalerio seu infra fines et territorium dicti loci quibus finibus coherent fines Riuiglaschi Trofarelli Cherii Carignani Vicinoui Guncenarum Baynaschi Taurini et Cabureti aliquod castrum casale domum seu possessionem aliquam illud tale castrum casale domum seu possessionem audeat uel presumat modo aliquo sub aliquo ingenio uel colore alicui persone cuiuscumque condicionis dignitatis preeminencie seu status existat collegio seu uniuersitati concedere in feudum nobile seu rusticum uel quouis nomine feudi nuncupetur nec ab eis uel aliquo ipsorum recipere uel recognoscere nec sine expressa licencia comunis et curie Montiscalerii in guardia commendia seu custodia dare uel recipere sub pena pro quolibet et qualibet uice et quolibet castro casali et domo de forcia librarum M et pro qualibet alia domo librarum CCC et pro qualibet iornata possessionis librarum L pro quolibet contrafaciente dando uel recognoscendo seu recipiendo et in quolibet casu predictorum talis res sic infeudata uel in guardia seu commendia data uel pro qua fieret contrarium ipso iure et facto applicetur et applicata intelligatur comuni Montiscalerii et diruatur et pascuum remaneat perpetuo exceptis antiquis feudis qui a quinquaginta annis elapsis et ultra fuerint concessi qui possint recognosci ab illis a quibus concessi sunt et exceptis antiquis feudis ecclesiarum contra quos non habeat locum presens capitulum et hoc statutum uoluerunt esse precisum et precise obseruari nec de eo licenciam peti posse nec dari sed inuiolabiliter obseruetur.

Quod nullus possit in rebus supra proximo capitulo scriptis recipere aconcamentum successionem uel terciam uendicionem.

Item statuerunt quod nulla persona ex superius nominatis in superius proximo capitulo audeat uel presumat modo aliquo de aliqua re uel possessione existente infra confines predictos dare uel recipere per se uel per aliud aliquod aconcamentum successionem seu terciam uendicionem uel aliquam aliam imponere seruitutem nec concedere exceptis dumtaxat fictis qui partitis libere concedantur sub pena pro quolibet contrafaciente huic capitulo et qualibet uice et qualibet domo librarum XXV et qualibet iornata possessionis librarum X exceptis aconcamentis calpicis. et quod nullus audeat infra dictos confines dare nec recipere aliquam decimam nisi ecclesiis et aliis decimas antiquas consuetas contra quas ecclesias non habeat locum presens capitulum nec eciam campariam aliquam nisi campariis comunis Montiscalerii sub pena pro quolibet recipiente campariam seu decimam librarum XXV pro qualibet uice et pro quolibet dante solidorum XX.

De pena notarii qui contra premissa instrumentum receperit.

Item statuerunt quod aliquis notarius undecumque sit non audeat nec presumat aliquod recipere instrumentum contra formam supradictorum statutorum sub pena pro quolibet et qualibet uice librarum x et nichilominus talis contractus sit ipso iure nullus et instrumentum inde receptum nullius sit efficacie uel ualoris ita quod aliquis contrahencium ipso instrumento se iuuare non possit. et quod quilibet notarius qui de cetero recipiet aliquod instrumentum de aliqua uendicione permutacione ad fictum uel in emphiteosim concessione uel alio quocumque contractu quouis nomine censeatur de aliqua re seu possessione existente infra predictos confines teneatur in instrumento ponere illam rem iacere in finibus et territorio Montiscalerii et in contrata in qua erit dicta res seu possessio et si contrafieret per aliquem notarium nulla fides adhibeatur tali instrumento nec de ipso ius aliquod alicui contrahencium fiat sed protinus careat uiribus et effectu.

Quod nullus in ipsis rebus et possessionibus possit camparios imponere sine licencia comunis.

Item statuerunt quod nulla persona audeat nel presumat in aliquibus possessionibus infra dictos confines existentibus ponere aliquem camparium seu custodem nisi in presencia dominorum castellani seu iudicis et curie predicte accusare offendentes et de ipsis offendentibus accusas facere in curia Montiscalerii in manibus notarii curie predicte et quod eorum iuramentum reducatur in scriptis per notarium dicte curie et libro dicte curie sub pena pro quolibet ponente camparium seu custodem contra formam huius capituli et qualibet uice librarum L et pro campario siue custode sic posito librarum x et si dictam penam soluere non poterit manum perdat. Quodque nulla persona audeat uel presumat aliqua banna ex accusationibus factis uel dampnis datis infra dictos confines nec recipere nec soluere nisi curie Montiscalerii sub pena pro quolibet recipiente librarum L et pro quolibet soluente solidorum xx saluo quod si ille qui soluerit denunciauerit curie Montiscalerii tunc sit immunis a pena et nihilominus accuse facte alibi nullius sint ualoris quod capitulum uoluerunt esse precissum et irreuocabile et precisse attendi et obseruari nec de ipso dari posse licenciam aliquo modo.

Quod nullus possit in aliquo casali seu domo in finibus Montiscalerii aliquem incarceratum detinere.

Item statuerunt quod nulla persona habens aliquod castrum casale seu domum uel in futurum habebit in finibus territorio et iurisdictione Montiscalerii infra confines superius nominatos audeat uel pre-
a sumat in castro casali seu domo pro aliquo maleficio commisso uel quod inposterum committeretur in dicto territorio infra dictos confines includere uel detinere captum uel detemptum nec carcerem facere uel tenere sub pena librarum c ultra penas iuris comunis quas penas non incurrat si ipsum presentauerit et tradiderit in manibus domini castellani Montiscalerii et ipsum sibi dimiserit infra secundum diem postquam ipsum ceperit. saluo quod istud capitulum non habeat locum de hiis inimicis domini nostri et comunis Montiscalerii qui caperentur tempore guerre. Et si aliquis ad presens aliquem carceratum haberet illum tradere et consignare teneatur in manibus domini castellani Montiscalerii infra decem dies a tempore publicacionis
b presencium capitulorum sub eadem pena que pena tocies committatur quocies contrafactum fuerit et hoc capitulum sit trunchum precissum et precisse irreuocabiliter obseruetur nec de eo dari possit nec peti parabola.

De pena domini qui non receperit fictum sibi per emphiteotam soluere presentatum.

Item statuerunt quod si aliqua persona ex aliqua possessione uel re existente in Montecalerio et infra confines superius nominatos iurisdictionis dicti loci coherente ut supra in proximo capitulo habere debeat uel in posterum habere debuerit aliquod fictum et illud fictum eidem presentatum seu
c eius nomine depositum fuerit et dominus dictum fictum non receperit aut recipere non curauerit et per decem dies steterit si una uice pro fictu unius anni uero ceperit dictum fictum perdat illud nec pro fictu illius anni aliquo tempore regressum habere possit contra dictum emphiteotam sed protinus cadat ab omni iure suo pro dicto anno et eodem modo si secunda uice in secundo anno non receperit uel recipere curauerit dictum fictum sibi presentatum oblatum uel suo nomine depositum ut supra ipsum fictum perdat ut supra et si tercia uice in alio sequenti anno dictum fictum capere et recipere non curauerit sibi presentatum uel oblatum aut depositum ut supra pro ficto dicti tercii anni perdat illud fictum et cadat dictus dominus ab omni
d iure suo quod haberet in posse pro quo fictum recipere et habere deberet tam racione possessionis quam proprietatis tali modo quod dictus dominus nec heredes sui contra dictum emphiteotam uel heredes suos aliquo tempore racione dictorum fictorum nec dicte possessionis regressum habere possint nec ipsum in aliquo molestare uel inquietare sed ipsa possessio pleno iure et libera dicto emphiteote applicetur et ipsius sit et de predictis oblacione presentacione et deposicione facta dicto domino rei personaliter uel ad eius domum credatur nunc curie Montiscalerii.

Qualiter sint compellendi debitores talearum prestorum clauarie massarie gabellarum ad solucionem eius quod debuerunt.

Item statuerunt quod omnes et singuli cuiuscumque condicionis existant qui occasione talearum prestorum uaytarum clauarie massarie gabellarum seu aliqua alia quacumque occasione uel causa debent uel in posterum debebunt restituere dare seu soluere aliquam pecunie quantitatem comuni Montiscalerii possint et debeant per castellanum seu iudicem et curiam Montiscalerii cogi et compelli per penas et banna arbitrio ipsorum et cuilibet eorum imponenda et imponendas et ulterius per bonorum et pignorum capcionem et detencionem personarum ad restituendum et soluendum in manibus massariorum dicti comunis qui sunt uel pro tempore fuerint illas pecunie quantitates quas soluere tenerentur et deberent uel pro tempore debebunt et predicta exequi teneantur dicti castellanus et iudex uinculo iuramenti non obstante aliqua appellacione uel interposicione grauaminis ad quam nullus admittatur. Et quod predicti tales debitores comunis dum steterint debitores uel aliquid habebunt restituere comuni non possint habere aliquod officium seu beneficium in Montecalerio nec audiri de iure in Montecalerio aduocando uel petendo seu deffendendo pro se uel pro alio quod capitulum sit trunchum precissum et irreuocabile nec mutari possit nec de eo parabolam dari.

De pena portantis arma in Montecalerio.

Item statuerunt quod nulla persona undecumque sit que non habitet infra cerchas Montiscalerii cum foco et catena et tota familia non audeat nec presumat per Montemcalerium portare aliqua arma excepto cultello de mensura sub pena si esset dominus solidorum xx et amittat arma et si esset famulus seruiens masnengus uel familiaris solidorum xl et arma perdat que arma sint castellani et familiarium auferencium. Et intelligantur habitare in Montecalerio illi de Stupinisio de sancto Clerico et Pelauesio uel Nychilino et illi qui sunt de societate Montiscalerii et hoc capitulum locum habeat usque ad unum annum et ultra donec reuocatum fuerit per consilium Montiscalerii et quilibet hospes teneatur denunciare hospitibus suis ut deponant arma sub pena solidorum v.

Anno indictione et die quibus supra supradicta capitula statuta lecta publicata diuulgata et uulgarizata fuerunt super bayetam palacii comunis Montiscalerii in publica concione seu arengo ibidem sono campanarum cornu tubarum et uoce preconis more solito congregata per me Dominicum de Episcopis notarium curie dicti loci ac confirmata ratificata et approbata per dominos Iohannem de Lucerna castellanum et Anthonium Blanchum de Marchello iudicem dicti loci in presencia Iaco- *a* bini Mayalis Manuelis Duchi Vesponi de Solario notarii curie dicti loci et Manfredi Bergognoni et plurium aliorum.

In nomine Domini amen anno eiusdem natiuitatis millesimo ccc iv indictione viii die xxv mensis madii super propositis per nobilem uirum dominum Philippum Burgex castellanum Montiscalerii pro illustri et magnifico domino domino Iacobo de Sabaudia principi Achaye interpositis in pleno et generali consilio Montiscalerii in quo conuenerunt plusquam due partes consiliariorum dicti loci ad uocem preconis sonum campane auctoritate et mandato dicti domini castellani more et loco solitis congregati et super quibus dictus dominus castellanus *b* a consiliariis ipsis consilium postulauit existit consultum reformatum statutum ordinatum et firmatum ut infra.

Quod nullus possit in Montecalerio habitator recipi nisi in pleno et generali consilio dicti loci.

Et in primis super prima proposta que fuit et est talis primo si placet prouidere aliquid super habitatoribus recipiendis uel non recipiendis de cetero in Montecalerio et qualiter et qua forma recipi debeant. Si aliqui recipiantur existit consultum facto partito inter dictos consiliarios ad tabulas albas et nigras solito more consensu et uoluntate omnium dictorum consiliariorum nemine discre- *c* pante uno dumtaxat excepto reformatum et capitulando statutum ordinatum et firmatum quod nulli possint de cetero recipi habitatores Montiscalerii nisi dumtaxat in pleno et generali consilio Montiscalerii in quo adsint ad minus due partes consiliariorum dicti loci et faciendo partitum ad tabulas albas et nigras ut consuetum extitit due partes sint concordes in receptione cuiuslibet et quicumque recipietur ueniat ad habitandum apud Montemcalerium cum foco et catena et si secus fieret receptio alicuius illa talis receptio non ualeat et receptus aliter quam superius dictum sit dici non possit uel haberi habitator Montiscalerii nec gaudeat uel gaudere possit aliquibus beneficiis libertatibus uel franchisiis Montiscalerii aliquo alio capitulo Mon- *d* tiscalerii in contrarium non obstante et quod nullus possit habitare in Montecalerio uel posse nisi recipiatur habitator.

Quod homo Montiscalerii percuciens uel occidens personam extraneam debeat eodem modo puniri quo puniretur persona occisa uel uulnerata si contra hominem Montiscalerii talia commisisset.

Super secunda proposta que fuit et est talis. Item si placet prouidere aliquid super eo quod si contingeret quod absit quod aliqua persona de Montecalerio uel qui habitat aut habitabit in Montecalerio uel posse cum foco et catena occideret uulneraret aut aliter percuteret aliquam per-

sonam que non esset de Montecalerio aut que ibi *a*
uel in poderio non habitaret cum foco et catena
faciendo uiciniscam ut alii homines de Montecalerio
puniri possit et debeat de illo tali excessu etc. Exi-
stit consultum et facto partito ut supra ad tabulas
albas et nigras consensu et uoluntate omnium di-
ctorum consiliariorum nemine discrepante et ante
dicto domino castellano confirmatum et capitulando
ordinatum statutum et firmatum. Quod si contin-
geret quod absit quod aliqua persona de Monteca-
lerio siue que in Montecalerio aut in poderio ha-
bitat siue pro tempore habitabit cum foco et ca-
tena et faciendo uiciniscam in Montecalerio ut alii
homines dicti loci occideret uulneraret aut aliter
percuteret in Montecalerio uel posse Montiscalerii
aliquam personam que non esset de Montecalerio *b*
aut que ibi uel in poderio Montiscalerii non ha-
bitaret cum foco et catena et faciendo uiciniscam
in Montecalerio ut alii homines Montiscalerii illa
talis persona sic occidens uulnerans aut aliter per-
cuciens non possit uel debeat pro aliquo dictorum
excessuum in plus uel aliter puniri quam punire-
tur persona sic occisa uulnerata aut aliter percussa
si scilicet delictum uel excessum in suo loco com-
misisset in persona alicuius de Montecalerio et que
in dicto loco Montiscalerii habitaret cum foco et
catena faciendo uiciniscam. Ibidem hoc addito quod
pena pro dictis excessibus uel aliquo ipsorum pe-
nam in capitulis Montiscalerii ordinatam excedere
non possit contra aliquam personam de Monteca-
lerio uel ibi aut in poderio habitantem nunc uel *c*
pro tempore faciendo uiciniscam ut supra commit-
tentem ut supra aliquo capitulo Montiscalerii lo-
quente in contrarium non obstante.

Que quidem ordinamenta et statuta ac reforma-
ciones uoluerunt statuerunt ac ordinauerunt supra-
dicti consiliarii nemine discrepante uno dumtaxat
ut supra excepto esse de cetero et in perpetuum
capitula et uim et robur capitulorum habere.

Subsequenter anno indictione quibus supra die
tercio mensis iunii congregato consilio generali
Montiscalerii de mandato et auctoritate nobilis uiri
domini Philippi Borgexii castellani ut supra Mon-
tiscalerii ad uocem preconis et sonum campane more
et loco solitis ubi conuenerunt plusquam due partes *d*
consiliariorum Montiscalerii pro certis negociis Mon-
tiscalerii peragendis. Et proposito inter cetera in
dicto consilio per dictum dominum castellanum in
hunc modum. Primo si placet quod quoddam ca-
pitulum quod loquitur de facto illorum qui ducen-
tur ad castrum et de expensis ipsorum ponantur
in capitulo comunis Montiscalerii cuius capituli
exemplum lectum fuit in dicto consilio placuit om-
nibus ipsis consiliariis nemine discrepante facto
partito ad tabulas albas et nigras quod dictum ca-
pitulum cuius exemplum lectum fuit in dicto con-
silio ut dicitur supra ponatur et scribatur in libro
capitulorum Montiscalerii ordinantes statuentes et
firmantes capitulando ut in dicto exemplo contine-
tur ad hoc ut de cetero et in perpetuum uim et
robur obtineat capituli trunchi precissi nullo alio
capitulo nullaque consuetudine obstante cuius qui-
dem capituli siue exempli continencia talis est.

De salario incarceratorum qui pro maleficiis uel alia de causa detinentur in castrum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et
singuli capti et qui capientur ducti et qui ducen-
tur pro maleficiis ad castrum seu carcerem Mon-
tiscalerii in futurum soluant et soluere teneantur
pro captione pro introitu et pro exitu castri seu
carceris solidos quinque uianenses bone monete ta-
men pro quolibet et non ultra soluere debeat et
compelli possit. Pro uictu uero ipsius capti si fue-
rit ad expensas castellani siue officialis soluatur u-
nus medius turonus quolibet die si uero sibi fe-
cerit expensas dictus captus de suo proprio nihil
inde soluat uel soluere compellatur. Predicta intel-
ligimus locum habere de captis seu capiendis pro
maleficiis unde non secuta fuerit pena corporalis.
De iis uero qui punirentur corporaliter seruetur
consuetudo antiqua capti uero pro atrocibus si re-
linquantur custodibus in castrum extra tamen car-
cerem soluatur pro quolibet custode omni die car-
linum unum. Custodes uero non possint poni nisi
duo. custodes uero dari non possint nisi ad requi-
sicionem capti. capti uero et capiendi qui ducen-
tur in castrum seu carcerem pro debitis et pro
bannis condempnati et pro bannis campariorum et
custodum et pro aliis minutis soluant pro capcione
et pro introitu et pro exitu castri seu carceris so-
lidos duos uianenses pro captione cuiuslibet et qua-
libet uice. capti uero et qui capientur deinceps du-
cti seu ducendi in castrum seu carcerem pro ali-
quibus delictis seu maleficiis de quibus essent in-
culpati et deinde relaxarentur tamquam inculpabiles
libere dimittantur sine aliqua solucione capcionis
introitus uel exitus castri uel carceris supradicti
aut custodis.

Consilium Montiscalerii uoce preconis et sono
campane more solito congregatum in quo consilio
erant due partes dictorum consiliariorum omnes
unanimes et concordes uisis et auditis capitulis in-
frascriptis factis per racionatores Montiscalerii de
consensu et auctoritate nobilium uirorum domino-
rum Galeacini de Bellonis de Valencia iudicis et
Mathei Beiami uicecastellani dicti loci approbauit
laudauit et de nouo ordinauit et capitulauit prout
in ipsis capitulis continetur uolens et mandans ipsa
publicari per nuntios curie et scribi in libro ca-
pitulorum Montiscalerii ut de cetero uim robur et
leges municipales capitulorum Montiscalerii obtineant
firmitatem quorum capitulorum tenor talis est.

Quod sestarium siliginis dicatur sestarium frumenti.

Item addiderunt capitulo quod loquitur de fer-

rariis CXXIIII supra ubi dicit sestarium unum siliginis dicatur sestarium unum frumenti et non plus.

De salario uachariorum et custodum bestiarum comunis.

Item ordinauerunt quod uacherii comunis et alii uacherii capere debeant et teneantur pro custodia cuiuslibet bestie bouine nisi esset de pupa eminas tres frumenti tali modo et forma quod eo casu ubi sestarium frumenti ualeret solidos XX quod liceat uacherio capere pro quolibet sestario dictos solidos XII et si plus ualeret de dictis solidis XII liceat domino bestiarum dare uacherio solidos XII pro quolibet sestario et qui contrafecerit in dando uel accipiendo incurrat penam solidorum trium.

De salario porcheriorum comunis.

Item ordinauerunt quod porcherii comunis et alii porcherii capere debeant et teneantur pro custodia cuiuslibet bestie porchine eminam unam frumenti uel solidos VI pro qualibet bestia porchina et si granum frumenti ualeret plus de solidis VI sit in electione soluentis dare dictos solidos VI uel granum prout sibi magis placuerit sub pena predicta proxime scripta in uacheriis.

De diebus festis et eorum numero prohibitis laborari.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona de Montecalerio seu districtus uel ibi habitans audeat uel presumat laborare in diebus festiuis infrascriptis cum bestiis uel personis sub pena pro quolibet contrafaciente et qualibet uice solidorum duorum bonorum et denariorum VI pro qualibet bestia. Et possit quis pluries accusari in die si pluries inueniretur laborare postquam esset sibi dictum per accusatorem ego te accusabo et quilibet bone fame possit accusare et eius iuramento credatur et habeat terciam partem banni et camparii teneantur et astricti sint uinculo iuramenti accusare omnes personas quas uidebunt et inuenient laborare in aliquo dierum infrascriptorum et eis credatur et habeant eorum partem sicut de aliis accusis eo saluo quod liceat cuilibet persone posse colligere et portare cum persona uel bestia de basto usque ad fassos duos herbe una uice tantum in quolibet dierum infrascriptorum et impune. Et similiter nulla pena plectentur leuantes et ducentes granum uel legumina de ayris uel palaciis in Montecalerio nec intelligantur laborare colligentes ficus uel alios fructus terre et arborum pro comedendo donando uel ad quantitatem statim et de facili consumptibilem uel similia facientes saluo quod nemini liceat aportare uel aliter colligere nuces in magna quantitate in aliquo dierum infrascriptorum. Dies festiui sunt omnes dies dominice Pascha resurrectionis cum duobus diebus sequentibus festum Ascensionis Pentecostes cum duobus diebus sequentibus festum Corporis Christi festum sancti Iohannis Baptiste de mense iunii festiuitates principales omnium Apostolorum XII festiuitates beate Marie uirginis que de mensibus februarii marcii augusti et septembris fiunt festum natiuitatis Domini Iesu Christi cum duobus diebus sequentibus festum sancti Laurencii festum sancti Blasii festum sancte Catherine festum sancte Marie Magdalene sancti Antonii festum quatuor Euangelistarum et omnium Sanctorum sancti Michaelis festum Epiphanie seu apparicionis Domini et sancti Georgii et sancti Grati episcopi Augustensis.

Quod fornarii fornaxerii et molendinarii non teneantur laborantes dictis diebus.

Et ad predictam penam minime teneantur fornarii pro cochendo panem ortocreas et similia nec fornaxerii pro coquendo calcem lateros copos et opus simile existentes in fornace dum in die festo ignem in fornace ponere non incipiant et eodem modo sint exclusi a pena molantes ad molendina. Et qui laborarent in die festo reducendo blada granum uinum legumina fenum et similia necessitate cogente ut tempore guerre propter impetum uel metum proximum hostium uel propter uim fluminum uel propter incendia uel ruina uel propter immensas inundaciones aquarum quibus euenientibus tales res si non reducerentur essent in periculo perdendi. Aliter uero et alioquin tales laborantes non sint exempti a pena et intelligatur probatum si accusatus iurauerit rem fuisse in periculo et hoc probari debeat per talem personam reducentem seu laborantem si fuerit accusata perdendi uel uastandi et credatur eius iuramento et non intelligatur laborare qui haurit aquam uinum ad tinas uel in canapis seu celeriis dummodo portari non faciat uinum de uegetibus haustum extra domum in qua esset ipsum uinum et qui portauerit aquam super uinaciis et qui torculauerit uinum sit eciam exemptus a pena huius capituli.

Si quis de Deo maledixerit.

Item addiderunt capitulo CXXXII posito in uolumine capitulorum sub rubrica « Qui dixerit blasphemium » ubi dicit sub pena solidi unius dicatur solidorum V qui dixerit malum de Deo uel beata Maria et si dixerit malum de sanctis uel de aliquo eorum sit pena solidorum duorum et quilibet bone fame possit accusare et habeat terciam partem banni et credatur eius iuramento. Et ubi dicit de Deo et beata Maria addatur et sanctis eorum. Cetera uero contenta in dicto capitulo firma permaneant.

Anno Domini MCCCLXXXXI indictione XIIII die tercio mensis nouembris in Montecalerio super bayetam palacii comunis dicti loci presentibus Manfredo Bergognono Danielle Ducho et Iohanne de Balan-

gerio nuncio comunis dicti loci et pluribus aliis *a* testibus de Montecalerio ad hec uocatis lecta et publicata fuerunt suprascripta ordinamenta per me Pelerinum de Lavalle notarium publicum de Montecalerio et nunc scribam dicte curie de mandato et iniunctione supradictorum dominorum iudicis et uicecastellani sono campane more solito.

De stancia panis uendendi.

Anno Domini MCCCLXXXX indictione XIII die VI mensis iunii. Hec stancia panis que fit ad uendendum ordinata per sapientes ad hoc deputatos per consilium generale comunis Montiscalerii prout patet in libro consiliorum dicti comunis ut infra sub die XXX marcii que stancia ut infra est. Primo *b* de pane barutello ordinauerunt quod quilibet panis fiat ad pondus ut infra secundum ualorem grani sub pena amissionis panis et denarii unius pro quolibet pane debili.

Primo ordinauerunt quod stancia panis que alias fuit ordinata per certos sapientes comunis dicti loci ut patet in libro consiliorum anno MCCC que stancia est in omnibus et per omnia ut infra apparebit sit confirmata et durare debeat prout tunc ordinauerunt predicti sapientes prout infra in fine apparebit.

Item ordinauerunt quod si granum frumenti ualuerit prout infra quod quelibet persona que fecerit panem ad uendendum cuiuscumque condicionis existat teneatur et debeat facere panem quem fe- *c* cerit pro uendendo et uendiderit ad pondus et modum infrascriptum et si reperiatur aliquis panis qui non sit ponderis admittat et soluat pro pena talis persona que panem fecerit aut uendiderit pro quolibet pane denarium unum debilem.

Et primo de barutello.

Voluerunt et ordinauerunt predicti sapientes quod si granum frumenti ualuerit pro sestario solidos IX decem uel undecim quod fiat panis de unciis quinque pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XII uel XIII quod fiat panis de unciis IIII et tribus quartis pro quolibet denario. *d*

Item si frumentum ualuerit solidos XVII XVIII uel XIX quod fiat panis de unciis tribus et tribus quartis.

Item si frumentum ualuerit solidos XXI XXII uel XXIII quod panis fiat de unciis tribus et tercie partis unius uncie pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XXIIII XXV XXVI uel XXVII quod panis fiat de unciis tribus pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XXVIII XXIX uel XXX quod fiat panis de unciis duabus et quartum unum pro quolibet denario.

De pane mediocri.

Item si frumentum ualuerit solidos X uel XI pro sestario quod fiat panis de unciis VI et tribus quartis pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XII uel XIII quod panis fiat de unciis VI et quartum unum pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XIIII uel XV pro sestario quod fiat panis de unciis sex pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XVI uel XVII pro sestario quod fiat panis de unciis quinque pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XVIII XIX uel XX quod fiat panis de unciis quatuor cum dimidio pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XXI et XXII quod fiat panis de unciis IIII cum dimidia pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XXIII XXIV uel XXV quod panis fiat de unciis tribus et quartis tribus pro quolibet denario.

Item si frumentum ualerit solidos XXVI uel XXVII quod panis fiat de unciis tribus et quartum unum pro quolibet denario.

Item si frumentum ualuerit solidos XXVIII XXIX uel XXX quod panis fiat de unciis tribus pro quolibet denario. Et si frumentum plus ualuerit fiat panis pro rata et secundum quod plus ualebit et predicta in capitulis et pro capitulis ponantur.

Lecta et publicata fuit supradicta stancia in publica concione per Martinum Paniceriam notarium curie dicti loci de mandato domini Mathei Beiami uicecastellani Montiscalerii ad bayetam palacii dicti comunis more solito presentibus Perino plebano Iohanne de Solario et Gilio Nouayroto testibus ad premissa uocatis etc. Ibique certa quantitas populi congregata anno et indicione quibus supra die VI mensis iunii ad predicta audiendum.

Anno Domini MCCC nonagesimo secundo indictione XV die martis XXIIII mensis aprilis congregati racionatores comunis Montiscalerii seu maior pars ipsorum una cum domino iudice et presentibus duobus ex racionatoribus societatis Montiscalerii in domo fratrum minorum loco et more consuetis ex baylia et potestate eis attributa ei consilio generali comunis dicti loci celebrato die XXI presentis mensis super prouidendo et ordinando ne aliqua persona cuiuscumque condicionis existat audeat uel presumat intrare uel exire locum Montiscalerii preterquam per portas et guichetos apertas uel apertos et super hoc penas imponere prout eis melius uidebitur prouiderunt et ordinauerunt ut infra.

Primo ordinauerunt quod cunigli ferrentur taliter quod per ipsos nulla persona possit exire uel intrare ullo modo et etiam claudantur porte de subtus taliter quod nulla persona possit per subtus eas exire nec intrare et similiter claudantur alia fo-

ramina existencia circa muros loci Montiscalerii ut *a* supra et iis clausis quelibet persona intrans uel exiens dictum locum Montiscalerii incurrat penas infrascriptas.

De pena intrantis uel exeuntis locum Montiscalerii aliter quam per portas.

Item statuerunt et ordinauerunt et prouiderunt quod nulla persona cuiuscumque condicionis existat audeat uel presumat intrare uel exire nec transire muros Montiscalerii aliter quam per portas apertas seu earum guichetos apertos et non de subtus ipsas portas nec per cuniglos sub pena solidorum xx pro quolibet contrafaciente et qualibet uice et quod postquam fuerint aptate ipse porte de subtus *b* et alia foramina clausa ut supra quod nulla persona audeat uel presumat ipsas clausuras et portas de subtus nec alio modo rumpere cauare nec aliter alterare sub pena pro quolibet et qualibet uice solidorum sexaginta et nihilominus teneatur talis rumpens cauans uel alterans rem in pristinum statum reducere suis propriis expensis et predicta habeant locum solummodo in portis cuniglis et foraminibus loci murati Montiscalerii et eodem modo incurrat penam solidorum x quelibet persona que transiret super clausuram factam in capite fiche Padi uersus pontem et qui fregerit ipsam clausuram incurrat penam solidorum sexaginta pro quolibet et qualibet uice et rem restituat in statum pristinum suis sumptibus et expensis et predicta habeant uim *c* et robur capituli et inserantur in uolumine capitulorum Montiscalerii et durent quousque fuerint per consilium reuocata.

Videatur reuocatio suprascripti ordinamenti seu statuti in libro consiliorum communis de anno MCCCC et CCCCI et CCCCII sub die XXVIII maii anni MCCCCII.

Quod homo Montiscalerii possit sepum fondere in ayralibus dicti loci.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo quatercentesimo secundo indictione x die xx mensis augusti in Montecalerio super palacio communis dicti loci ubi ius redditur et consilia celebrantur constituti certi homines Montiscalerii candelas sepi in dicto loco facientes in pleno et generali consilio loci predicti tunc ibidem sono campane et uoce preconis more solito mandato nobilis et sapientis uiri domini Galeacini de Bellonis de Valencia iudicis et Pauloni de Castronouo uicecastellani Montiscalerii congregato. Ipse quidem persone exposuerunt predictis dominis iudici ac uicecastellano ac consiliariis dicti loci tunc in dicto consilio existentibus quod in libro capitulorum Montiscalerii est quoddam capitulum seu statutum quo cauetur quod nulla persona audeat uel presumat coquere uel fondere aliquod sepum in Montecalerio nec in ayraliis nec intus cerchas sub certa pena et banno etc. quod ipsis personis et aliis facientibus candelas et dicte comunitati uidetur esse magnum dampnum maxime quia nisi sepus coquatur et fundatur candele fieri non possent et ipsis personis et aliis in futurum candellas facientibus sit multum graue et quasi impossibile sepis coquere et fondere extra locum ayralia et cerchas dicti loci tum propter multas guerras aliquando in patria existentes tum etiam propter multa alia impedimenta cotidie occurrentia unde requisiuerunt et supplicauerunt predictis dominis iudice et uicecastellano et consiliariis ut eis super predictis et aliis in futurum darent licenciam fundendi et coquendi sepum cuiuscumque in ayralibus et cerchis dicti loci absque pena et banno aliquo. Qui domini iudex uicecastellanus et consiliarii dicti consilii audita requisicione predicta que eis rationi consona multis ex causis uidebatur facto partito sine aliqua proposta per dictos dominos iudicem et uicecastellanum in dicto consilio ad tabulas albas et nigras super requisicione predicta ut moris est placuit omnibus in dicto consilio existentibus exceptis tribus quod quelibet persona de Montecalerio et que ibidem habitet possit et ualeat coquere et fundere sepum extra muros loci Montiscalerii in ayralibus et intus cerchas sine pena et banno non obstante dicto capitulo quod capitulum seu statutum dicti consiliarii cum auctoritate dictorum dominorum iudicis et uicecastellani suspenderunt usque ad beneplacitum dicti consilii et dictam licenciam et suspensionem durare uoluerunt donec et quousque per dictum consilium fuerint reuocata et non ultra.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo quatercentesimo quarto indictione XII die ultima mensis nouembris. In pleno et generali consilio communis et hominum Montiscalerii uoce preconia et sono campane super palacio comunis more solito congregato de mandato nobilis et sapientis uiri domini Galeacini de Bellonis de Valencia iudicis Montiscalerii. Idem dominus iudex requirit a consiliariis in dicto consilio existentibus sibi consilium exhiberi super propostis infrascriptis et primo quia alias fuit per presens consilium facta declaracio super capitulo panis uenalis et ipsa declaracio scripta non fuerit ex quo resultat dampnum et incommodum tabernariis et hospitibus Montiscalerii licet non uendant panem ad menutum nec sine uino et aliis cibis quod placeat consilio dictam declaracionem scribi facere prope dictum capitulum et committere uni notario qui ipsam scribat.

Declaracio capituli panis uenalis et quod non habeat locum in hospitibus et tabernariis.

In reformacione huius consilii in quo consilio erat maior pars consiliariorum in dicto consilio adesse ualencium super facto prime proposte. Intellecto eius tenore et de eo plenius informati nolentes capitulum de quo facit ipsa proposta mencionem se extendi nec trahi posse ultra intencionem

ipsius capituli conditorum ab ipso consilio ad ipsum *a* condendum potestatem habencium pro declaracione ipsius capituli diu facta licet non scripta ordinauerunt et declarauerunt omnes similiter et unanimiter nemine discrepante quod dictum capitulum de pane uenali habeat locum in bolengeriis et reuendentibus facientibus panem uenalem et uendentibus in plateis et alibi ad minutum et non habeat nec habere debeat locum in hospitibus et tabernariis uendentibus panem et uinum carnes et alia cibaria in eorum hospiciis et tabernis ibidem bibentibus et comedentibus hoc saluo et excepto quod si aliquis hospes uel tabernarius uenderet panem alicui persone qui portaretur extra eius hospicium uel tabernam minoris ponderis quod pro tali quantitate panis uendita cadat in penam predicti capituli et non aliter *b* mandantes et uolentes hanc declaracionem describi per Iacobinum de Caburreto notarium curie ibidem presentem in uolumine capitulorum post capitulum supra scriptum et hanc declaracionem iubentes pro capitulo obseruari.

De pena accipientis columbos domesticos uel torrerios.

Ludouicus de Sabaudia princeps Achaye etc. Uniuersis et singulis officiariis et aliis subditis nostris ad quos presentes peruenerint salutem. Mandamus uobis quantum expressius possumus quatenus publice proclamari et diuulgari faciatis in locis consuetis tonans quod ad omnium noticiam ualeat per- *c* uenire et quod nullus ualeat pretendere ignoranciam. Quod nulla persona cuiusuis status condicionis et preeminencie existat eciam pretextu alicuius priuilegii audeat uel presumat capere seu capi facere nec capienti consentire aliquos columbos alienos domesticos siue torrerios ad aliqua recia seu filata nec ad aliqua alia ingenia quouis nomine censeantur sub pena florenorum centum ianuinorum camere nostre irreuocabiliter applicandorum a quolibet contrafaciente et qualibet uice exigendorum infra decem dies a die ineunte capcionis dictorum columborum numerandos. Quam penam si soluere non poterit amputetur tali contrafacienti et soluere non ualenti penam predictam manus dextra in publica concione seu in publico arengo nulla contradicione super *d* hoc exaudita et omni appellacione remota. Mandamus insuper quatenus has nostras literas inseri et scribi faciatis in actis curiarum uestrarum et eciam in uoluminibus capitulorum uestrorum locorum uolentes easdem pro lege municipali inuiolabiliter obseruari quousque duxerimus reuocandas. Datas Taurini die XXVII mensis madii anno Domini MCCCCV.

Per dominum

Reddantur litere portitori.

Antonius Raueri.

Ordinamenta massariorum comunis.

Anno Domini millesimo CCCLXXXVI indictione IX. Infrascripti decemocto sapientes de uoluntate auctoritate consensu et baylia consiliariorum comunis Montiscalerii ad electionem fiendam prout omni anno moris est de omnibus et singulis officiariis dicti comunis et ad capitulandum seu statuta condenda et ordinanda super facto et officio massariorum dicti comunis presencium et futurorum dicto tempore specialiter electi prout de ipsorum electione et baylia in libro consiliorum et reformacione dicti comunis et dicti anni tempore regiminis dominorum Guillielmi de Caluxio castellani et Anthonii Trotti iudicis Montiscalerii et in presencia et auctoritate ipsorum dominorum racionatorum plene apparet ordinauerunt statuerunt et capitulauerunt ut infra.

Quod massarii Montiscalerii teneantur ydonee fideiubere de eorum officio fideliter exercendo.

Primo ordinauerunt et statuerunt quod dicti massarii in principio sui officii teneantur et debeant per bonum et probum uirum seu hominem de Montecalerio fideiubere et ydoneam prestare caucionem de faciendo bene et legaliter atque recte exercendo officium eorum et infrascripta omnia que ad eorum officium spectant et pertinent.

De iuramento massariorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ipsi massarii teneantur et debeant in principio dicti eorum officii manibus tactis sacris scripturis ut moris est cuiuslibet officialis iurare se dictum eius officium et que ad ipsius officium pertinent bene et fideliter toto tempore eorum officii et quamdiu dictum officium exercebunt per se uel interpositas personas exercere remotis odio amore timore precibus et precio.

De pena massariorum qui non exegerint taleas et alia onera per comunitatem imposita.

Item ordinauerunt et statuerunt quod ipsi massarii uinculo eorum sacramenti de cetero teneantur et debeant omnes et singulas imposiciones que in Montecalerio ordinabuntur ex quauis causa per dictum comune Montiscalerii et causis ipsum comune tangentibus a quacumque persona partem sibi de dicta imposicione tangentem tempore sui officii excutere dummodo ipsa persona in Montecalerio uel posse domum seu possessionem aliam uel res aliquas habeant et possideant ydoneas ad ipsam solucionem fiendam alias ad ipsorum negligenciam imputetur et per racionatores dicti comunis super ipsis massariis et eorum bonis quidquid ut supra exactum per ipsos non esset tempore racionis ipsorum fiende computetur et teneantur de suo proprio omnino supplere. Ita et sic quod dictum comune dampnum aliquod ex hoc non sequatur seu aliquid non amittat.

Quod massarius comunis possit affines et uicinos propinquos compellere emere res quas pro uicino receperit in solutum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingerit dictos massarios pro aliquo debito dicti comunis exigere debere et solucionem accipere in bonis immobilibus alicuius persone soluere debentis dicto comuni aliqua quauis causa quod ipsi massarii possint ipsas res immobiles uel aliquam ipsarum pro dicta solucione fienda uendere et alienare propinquioribus agnatis et cognatis seu conuicinis ipsorum debitorum et ipsarum rerum immobilium et ad hoc ipsos agnatos uel cognatos seu uicinos successiue possint iuris remediis compelli facere per curiam Montiscalerii ad emendum ipsas res immobiles uel aliquam ipsarum usque ad satisfactionem dicti debiti ad racionem duarum derratarum seu numatarum dictarum rerum pro uno denario.

Quod comune teneatur res sic uenditas emptoribus manutenere et infra quod tempus possint domini eorum res recuperare.

Item ordinauerunt et statuerunt quod dictum comune teneatur dictas res immobiles seu possessiones sic ut supra uenditas deffendere et manutenere dictis emptoribus reseruato tamen illis quorum ipse res et possessiones sic uendite fuerint quod possint et eis liceat ipsas uel ipsam res uel rem sic uenditam redimere et recatare usque ad medium annum subsequentem a dicte uendicionis inicio inchoante semper tamen emptoribus seu emptori ipsarum rerum seu ipsius rei sic uenditarum uel uendite denarios tres pro qualibet libra nomine interesse sumptus inde et expensas si quos uel quas ob hoc ipsi emptores fecissent eis restituendo.

Quod massarii comunis debeant in operibus fiendis interesse.

Item ordinauerunt et statuerunt quod ipsi massarii teneantur et debeant insistere omnibus et singulis fortariciis et aliis operibus in usum et utilitatem dicti comunis ordinandis per ipsum comune atque fiendis prout et sicut per consilium dicti comunis ordinabitur et eis imponetur.

De racione reddenda cum reliquorum restitucione per massarios dicti comunis.

Item ordinauerunt et statuerunt quod ipsi massarii et ipsorum quilibet teneantur et debeant omni anno computum et integram racionem reddidisse racionatoribus comunis illius temporis de omni eo et tota quod receperint et ad manus eorum peruenerit de bonis reditibus prouentibus et debitis dicti comunis tam occasione imposicionum quam alia quacumque occasione ipsi comuni exspectantibus et nomine ipsius comunis recipere et exigere de-

a bentibus infra uidelicet totum mensem et per totum mensem ianuarii proxime subsequentis post finem et terminum anni et officii ipsorum massariorum sub pena et banno solidorum xx bonorum pro quolibet ipsorum et qualibet die qua predicta facere et adimplere cessarent cuius pene medietas sit domini alia comunis.

De pena massariorum qui non soluerunt et refecerunt que restabunt debere comuni.

Item ordinauerunt et statuerunt quod ipsi massarii teneantur et debeant in fine eorum officii et dicta racione reddita ut supra dare et soluere omne id et totum quod reficere habebunt dicto comuni
b atque reasignare et consignare massariis nouis et in manibus massariorum nouorum dicti comunis sic successiue eligendorum per tempora atque electorum infra unum mensem uidelicet proxime tunc a dicta racione reddita subsequentem siue ipsos massarios de nouo electos de predictis contentari fecisse sub pena pro quolibet ipsorum ultra alias penas in capitulis Montiscalerii contentas solidorum xx bonorum pro qualibet die qua sic facere cessarent. Que quidem pena dispensetur ut supra.

Quod massarii nouiter eligendi debeant super se recipere debita in quibus massarii precessores tenebantur.

c Item statuerunt et ordinauerunt quod ipsi massarii qui de nouo eligentur ut supra teneantur et debeant annuatim in principio sui officii et facta racione massariorum suorum precessorum in manibus suis et super se recipere quidquid et totum id quod massarii anni precedentis dicto comuni dare debebunt et ipsos massarios eorum precessores per dominum castellanum et iudicem Montiscalerii compelli ad dictam solucionem eis fiendam et de ipsa resta sic ut supra soluenda in suis computis teneantur integraliter racionatoribus predictis nomine dicti comunis recipientibus computare sub pena et uinculo iuramenti.

Quod dicta capitula durent donec per consilium fuerint reuocata.

d Item ordinauerunt et statuerunt infrascripti sapientes auctoritate qua supra quod omnia et singula statuta seu ordinamenta pro tanto tempore pro statutis et ordinamentis habeantur et teneantur durent et ualeant quanto consilio dicti comunis placuerit et usque quo per dictum consilium in contrarium ordinabitur in toto uel in parte et ad presens in uolumine statutorum dicti comunis debito modo ponantur.

Approbata et publicata fuerunt suprascripta capitula per dictum consilium in dicto consilio.

Quod nullus possit maledicere uel facere contra tassatores comunis.

Anno indictione mense die et auctoritate quibus supra. Alii infrascripti decem octo sapientes ad taxum de nouo de florenis sexcentum fiendum electi ordinauerunt et statuerunt quod quecumque persona cuiuscumque condicionis et status fuerit de Montecalerio uel ibi habitans maledixerit uel malefecerit alicui uel de aliquo ipsorum tassatorum occaxione ipsius tassi per ipsos ordinati ex quo dicto uel facto ipsi uel aliquis ipsorum tassatorum iniuriam in personam uel rebus suis seu offensam aliquam receperit uel scandalum aliquod pacietur seu dampnum consequetur uel opprobrium uel aliquod suprascriptorum ausa fuerit uel presumpserit attentare soluat pro qualibet persona et qualibet uice solidos XL bonos cuius quidem pene medietas sit curie Montiscalerii et alia medietas comunis et quilibet de consilio predicto accusare possit et credatur ei cum iuramento et habeat terciam partem pene predicte et curia ad instanciam cuiuscumque denunciantis seu notificantis teneatur et possit inquirere et penam exigere ipso facto absque aliqua condempnacione.

Die decimo mensis februarii lecta et publicata fuerunt suprascripta ordinamenta per me Iohannem de Episcopis notarium curie Montiscalerii anno Domini MCCCLXXXVI indictione IX die predicta in Bayeta palacii comunis in plena concione sono campane et uoce preconis more solito congregata.

Presentibus Iohanne de Balangerio et Dominico Carnali ambobus decanis de Montecalerio testibus uocatis.

Nomina ipsorum sapientum sunt hec.

Iohanninus Duchus
Petrus de Caburreto
Iohannes Marchoaldus
Michael de Montenario
Anthonius Ponzillionus
Iohannes de Episcopis
Petrus de Solario
Georgius Platus
Vietus Mayalis
Manfredus Auarenus
Pelerinus de la Vale.
Manfredus Borgognonus
Petrus Campagninus
Martinus Paniceria
Mazochus de Copello
Henricus Albinus
Bartholomeus de La zocha
Anthonius de Oddacio.

Sequuntur capitula et statuta facta condita et ordinata per nobiles Gabrielem de Caburreto Bartholotum Troterii et Bartholomeum Nouelli uigore potestatis et baylie eisdem per consilium credencie de XXIIII loci Montiscalerii attributis et concessis ad utilitatem reipublice dicti loci Montiscalerii pro qua- a dam domo nouiter constructa et edificata ex ordinacione dicti consilii sumptibus eiusdem comunitatis pro domo postibuli et lupanarum que capitula perpetuo ualitura inferius describuntur.

De domo postibuli.

Et primo statuerunt et ordinauerunt cum auctoritate nobilis Iohannis Buuignani uicecastellani Montiscalerii quod in ipsa domo lupanaris nouiter constructa inter duos muros dicti loci ubi dicitur ad cantonum tam de presenti siue in futurum ad libitum uoluntatis sindicorum et consilii dicti loci qui pro tempore fuerint ualeant et possint fieri tenerique stuphe bone et condecentes cum came- b ris opportunis sumptibus dicte comunitatis omni contradicione cessante.

De franchisia et exemptione domus postibuli.

Item statuerunt et ordinauerunt quod in ipsa domo lupanarum postibuli uel stuphis quecumque persona seu persone cuiusuis gradus sexus uel condicionis existens siue sit ecclesiastica et in sacris constituta aut constituti etiam astricte regule siue sint seculares et matrimonio coniuncte uel copulate possint et ualeant licite et impune accedere et conuersari causa stuphandi bibendique et comedendi ac dormiendi si uoluerint tam de die quam de nocte et tam cum mulieribus in ipsa domo existen- c tibus tam presencialiter quam in futurum et tam honestis quam inhonestis conductis uel conducendis et tam de ipso loco Montiscalerii siue ab extra prout duci contigerit et prout conductori ipsius domus presenti uel futuro eiusque famulis et seruitoribus ac aliis quibuscumque conducere uolentibus placuerit eorum et cuiuslibet ipsorum fuerit uoluntatis absque alicuius pene punicione uel bampno aut alia quauis inquietacione uel molestia per aliquem ex officiariis dicti loci uel alios quosuis deputatos uel deputandos illata uel inferenda. Proditores uero et rebelles illustrissimi domini nostri ducis et dicti loci nec non huesii latrones falsarii uiolatores incendiarii et alii similes qui morte uel amputatione membri plectari merentur uel qui pena d sanguinis forent affligendi dictis capitulis et statutis non utentur. Inhibentes dictis officiariis presentibus et futuris prefati illustrissimi domini nostri dicti loci et tam ordinariis quam extraordinariis quauis auctoritate fungentibus sub pena centum librarum forcium si placeat illustrissimo domino nostro duci ne de ipsis stuphis domoque lupanarii et aliis in ipsa domo et pertinentiis existentibus aliqualiter se intromittant uel impediant quinymo ipsa capitula supra et infrascripta franchisieque immunitates et alia omnia et singula de quibus supra et infra inuiolabiliter protinus seruent et manuteneant illesas et illesa sub pena predicta.

Quod domus postibuli sit exempta a gabella tabernariorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod de cetero illi et ille qui dictam domum tenebunt et conducent ab ipsa comunitate possint et ualeant ac eis liceat uendere uinum ad minutum in ipsa domo lupanarii seu postibuli omnibus in ipsa domo comedere et bibere uolentibus et tabernam facere absque eo quod pro ipso uino uendendo in ipsa domo soluat seu soluere teneatur aliquid pro gabella tabernariorum alicui gabellatori dicti loci qui pro tempore sit deputatus ad ipsam gabellam tabernariorum colligendam uel exigendam sed sit pro dicto uino uendendo et tenendo in ipsa domo ipse talis conductor dicte domus francus et liber per se et suos a dicta gabella tabernariorum pro aliis gabellis soluere teneatur ut moris est.

Quod meretrices non presumant ire per locum ubique.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ipse tales mulieres publice meretrices non presumant ire nec reddire ad ipsam domum lupanarii nisi a porta noua usque ad uiam que est iuxta domum Baldesaldi Broudelli et per ipsam uiam usque ad hostium dicte domus et ulterius incedere non presumant sub pena solidorum quinque uiannensium pro qualibet ipsarum et qualibet uice descendendo per uiam muri.

Quod nulla persona audeat ludere in domo postibuli.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona cuiuscumque condicionis existat aut gradus audeat uel presumat in ipsa domo de die uel de nocte ludere ad aliquem ludum taxillorum uel cartusellarum sub pena et banno in capitulis Montiscalerii declarata applicanda ut in ipsis capitulis continetur nec possit ipse nobilis castellanus per se uel eius famulum aut familiam impertire licentiam alicui persone mundi in ipsa domo ludendi ut supra sub pena periurii.

Anno Domini millesimo quatercentesimo quinquagesimo septimo indictione quinta die duodecima mensis decembris actum in Montecalerio in palacio comunis ubi consilia celebrantur presentibus et existentibus ibidem nobilibus Gabriele de Caburreto Iacobino de Altessano Perceuallo de Bombello Gaspardo Marchoandi Bastiano Albini Iohannono Plebano Francesquino Darmello Paganino Varoti Thoma Pissio Michaele Beamondo Iacobino Ferrerii Boniforto Algardi et Petro Bauduchi omnibus de consilio dicti loci ipsum totum consilium representantibus nemine discrepante ac in ipso consilio more solito dicti loci congregato de mandato nobilis Iohannis Buuignani uicecastallani dicti loci sono cam-

a pane ut moris est nemine discrepante lectis et publicatis dictis capitulis et statutis ut supra insertis ad plenum intellectum omnium in dicto consilio existencium cum auctoritate prefati nobilis Iohannis Buuignani uicecastellani dicti loci presentis et auctorizantis nomine et uice prefati illustrissimi domini nostri ducis ipsa capitula statuta ordinamenta et immunitates ut premittitur inserta et insertas ibidem de nouo fecerunt statuerunt et ordinauerunt ipsi consiliarii cum consensu et auctoritate de quibus supra illaque et illas prefatus nobilis uicecastellanus confirmauit et approbauit ratificauit et omologauit nomine et uice illustrissimi domini nostri ducis ordinans illa de cetero esse obseruanda omni exceptione remota prout in ipsis legitur con-
b tineri et precipiens de premissis omnibus una cum ipsis consulibus per me Bartholomeum Nouelli burgensem dicti loci notarium subsignatum fieri publicum instrumentum et plura et tot quot fuerint necessaria et in ipsis omnibus ipse nobilis uicecastellanus suam auctoritatem qua fungitur interposuit et decretum reseruando tamen in principio medio et fine dictorum statutorum reseruacionem et beneplacitum prefati illustrissimi domini nostri ducis qui casu quo expediat eidem omnia dignetur confirmare.

Capitula contra clauarios scribas et gabellatores.

Anno a natiuitate Domini millesimo quatercen-
c tesimo quinquagesimo octauo indictione sexta die penultima decembris ipso anno incipiente currente in pleno et generali consilio de uigintiquatuor et centum capitum domorum loci Montiscalerii congregato et conuocato in palacio comunis dicti loci sono campane et tube ut moris est de mandato ac in presencia nobilis et egregii Iohannis Buuignani uicecastellani dicti loci unanimiter et concorditer nemine discrepante et in quo consilio erant in numero sufficienti et ultra quam due partes capitulauerunt ordinauerunt et statuerunt prout infra cum auctoritate uoluntate et licencia prefati domini uicecastellani presentis et auctorizantis ad utilitatem et comodum reipublice augmentacionemque status illustrissimi domini domini nostri ducis.

d

Quod clauarii finito tempore eorum officii clauariatus teneantur remittere eorum libros clauarie in manibus sindicorum.

Et primo capitulauerunt ordinauerunt et statuerunt unanimiter et concorditer quia iam dudum fuit statutum et ordinatum in ipso consilio seu per deputatos per eundem ad conseruacionem iuris et interesse prelibati domini domini nostri ducis et singularium personarum habencium interesse quod omnes et singuli clauarii deputati in loco ipso ad bampna exigendum pro prefato illustrissimo domino domino nostro duce ut moris est tenerentur et deberent infra certum tempus declaratum in ipsis or-

dinacionibus post prefinitum tempus eorum officii a immediate sequentis exhiberent et dimitterent libros clauariatus eorum officii in archiuiis comunitatis dicti loci in palacio dicti loci ad finem et effectum quod quilibet uolens accusaciones suas uidere et emendas recipere posset et deberet ius suum intueri et ne quis pro eodem debito trinam faceret solutionem ut lacius in ipsis statutis et sub penis in eisdem appositis qui clauarii dictas ordinaciones uilipendentes neglexerint ipsos libros exhiberi ut fuit statutum ideo declarauerunt ordinantes et uoluerunt quod nobiles Gabriel de Caburreto et Sebastianus Albini sindici electi pro tribus mensibus sequuturis teneantur et debeant ac sint astricti auctoritate presentis consilii sindicario nomine dicte communitatis ipsis presentibus et acceptantibus b compelli facere omnes et singulos clauarios deputatos in preterito tempore uidelicet a sex annis citra penis et bampnis ac per attestaciones personarum bonorum suorum leuacionem et aliis modis et opportunis per prefatum dominum uicecastellanum ad exhibendum et tradendum omnes libros clauariatus quos continget apud seipsos seu in eorum potestate et baylia habere et detinere quouismodo in manibus sindicorum et siquis ex ipsis clauariis preteriti temporis se reddat difficilem ad ipsos libros dimittendum et tradendum ut supra ultra penas imponendas ut supra que ipso iure committentur et exigi possint sit expulsus ab omni officio beneficio et protectione comunitatis dicti loci spacio decem annorum proxime sequutorum ita et taliter c quod ad ipsa nullatenus habilitari possit qui libri exibiti ut supra reponi debeant per ipsos sindicos ad manus dicte comunitatis in archiuiis dicti palacii aut in domo racionatrie cum aliis iuribus ad ipsam comunitatem pertinentibus.

Quod clauarii infra tres menses post exitum eorum clauarie fecisse debeant eorum exactionem et eorum libros relaxasse ad manus comunis et abinde ultra nihil petere et exigere possint.

Item statuerunt ordinauerunt et declarauerunt successiue quod tam ipsi sindici superius nominati quam alii qui pro tempore fuerint teneantur et debeant sindicario nomine dicte comunitatis pari- d formiter compellere et compelli facere per prefatum dominum uicecastellanum et eius successores omnes et singulos clauarios de cetero eligendos ad obseruationem omnium et singulorum in supra proxime capitulo contentorum. Et ulterius ipsi clauarii de cetero eligendi auctoritate presentis statuti sint ipso iure submissi et astricti ac iurare debeant in introitu eorum officii bene et legaliter eorum officium exercere neminemque indebite opprimere uel grauare et omnes et singulas actiones eorum tempore obtentas per condempnacionem composicionem uel solucionem aut specialem obligacionem exequtioni demandasse debeant infra tres menses immediate sequentes post eorum prefinitum tempus dicti eorum officii et ulterius quidquam post dictum tempus a nemine exigere possint nisi modis et formis de quibus in dicto capitulo ipsosque libros tempore dicti eorum officii tenere debeant in loco publico ut quilibet ius suum intueri possint et in fine ipsorum trium mensium immediate sequutorum post eorum prefinitum tempus dicti eorum officii relaxasse debite et expedite ac exhibuisse ipsos libros in manibus sindicorum qui pro tempore fuerint sub penis et declaracionibus de quibus in proxime precedenti capitulo est insertum. Qui sindici ipsos libros ut premittitur reponere debeant in archiuiis dicte comunitatis.

Quod moneta bona domini Thudey reducatur ad monetam debilem et currentem.

Item statuerunt et ordinauerunt auctoritate presentis consilii unanimiter et concorditer nemine discrepante quod decem sapientes electi ad officia describenda et cum ipsis nobilibus Bartholomeo Nouelli et Thoma Pissio deputatis per dictum consilium teneantur et debeant eciam cum auctoritate prefati domini uicecastellani presentis et auctorizantis uidere et reformare librum capitulorum factorum super camparia dicti loci nominatum dominus Thudeus et ipsa capitula de uno in unum super monetis declaratis in istis capitulis nihil diminuendo a solucione declarata in ipsis capitulis sed solum quia moneta in ipsis capitulis apposita est talis moneta quod quinque solidi ualeant nouem solidos monete currentis et debilis et unus solidus ualeat denarios uiginti unum et duos tertios alterius denarii monete debilis et currentis que conuersio monetarum sepisper cadit ad dampnum et iacturam multarum personarum non habencium intellectum ad conuersionem dictarum monetarum uidere et ipsas monetas fortes non diminuendo dictos ualores declarare et ponere ad monetam currentem et debilem ita et taliter quod ubi apponitur pena de quinque solidis bonis dicatur de nouem solidis debilibus et currentibus et ubi dicit de uno solido bono dicatur de uiginti duobus denariis monete debilis et currentis et sic ascensiue et descensiue usque ad unum denarium conuertendo dictas monetas ad monetam currentem tam pro bono et augmentacione iuris prefati illustrissimi domini domini nostri ducis quam singularium personarum.

Quod notarii et scribe curie teneantur ydonee fideiubere de seruiendo bene et fideliter et obseruare capitula et ordinamenta item et tradere omnia acta et scripturas ac instrumenta comunitati gratis et sine solucione aliquali.

Item statuerunt et ordinauerunt quod decem sapientes electi et dicti nobiles Bartolomeus Nouelli et Thomas Pisii electi seu maior pars ipsorum teneantur et debeant eligere sex notarios bonos et

sufficientes ex notariis dicti loci ad seruiendum curie dicti loci tam in criminali quam in ciuili ita quod prefatus dominus uicecastellanus nullam causam querele habeat et qui notarii eligendi teneantur et debeant se submittere et fideiubere ydonee de continue seruiendo in criminali et in ciuili ac assistendo iussibus et preceptis prefati domini uicecastellani secundum formam franchisiarum et statutorum dicti loci neminemque in eorum solitis opprimere ultra formam dictorum statutorum super solucione notariorum declaratam ita et taliter quod si aliqualis occurreret obscuritas in ipsis solucionibus capiendis teneantur et debeant stare summarie declaracioni sindicorum qui pro tempore fuerint et ulterius quod ipsi notarii submittantur ipso iure et sint submissi ad recipiendum et leuandum et tradendum sindicis qui pro tempore fuerint et ipsi comunitati omnia et singula acta scripturas instrumenta litteras appodicias et alia qualiacumque documenta que in ciuili seu criminali pertinere possint quouis modo ad ipsam comunitatem iudicialiter siue ducerentur sub nomine alicuius singularis habentis mandatum ab ipsa comunitate aut ipsiusmet comunitatis gratis libere sponte et absque ulla solucione obtinenda quouis modo. et si forte notarius uel notarii essent morosi propter ipsam solucionem fiendam uel aliter ad tradendum dicta acta et iura requirenti pro ipsa comunitate et dampnum aliquod ipsa comunitas reportaret propter eorum negligenciam uel tarditatem teneantur et debeant ac sint astricti ipso iure ad releuandum dictam comunitatem ab omni dampno et ulterius sint expulsi ab omni officio et beneficio dicte comunitatis per quinque annos ita quod habilitari non possint ad ipsa beneficia dicto casu recipienda.

Quod mercatum teneatur infra portam Nauini.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ipsi sapientes decem cum ipsis predictis nobilibus Bartholomeo et Thoma auctoritate presentis consilii teneantur et debeant ac possint et ualeant cum auctoritate prefati domini uicecastellani ordinare ut merchatum quod consueuit teneri in singulis diebus ueneris cuiuslibet ebdomade fieri et seruari debeat ac recludi infra portam Nauini dicti loci Montiscalerii prout alias consuetum erat teneri antiquis temporibus. Et tales apponant condiciones formas et penas quod quilibet ueniens ad ipsum mercatum intelligat remittat ipsam et obseruare possit ordinanda per ipsos decem sapientes et cum ipsis predictis Bartholomeo et Thoma et hoc tam pro utilitate illustrissimi domini domini nostri ducis quam utilitate reipublice dicti loci.

Quod nundina Montiscalerii per decem dies sit franca.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ipsi decem sapientes supra electi cum ipsis predictis nobilibus Bartholomeo et Thoma facere et ordinare teneantur et debeant statuta et ordinaciones opportunas et necessarias et tales quod nundine que fuerint in dicto loco Montiscalerii et teneantur per decem dies singulis annis et de mense octobris sint libere et expedite pro quibuscumque rebus mercibus bestiis et aliis que in futurum ad ipsas nundinas conducentur ab omni gabella dampno pedagio seu alia quauis malatota per ipsos decem dies ueniendo stando quoad comunitatem pedagio domini excepto ac eciam uino dumtaxat excepto pro quo quilibet soluere teneatur ut moris est ita et taliter quod quilibet forensis uolens dicto tempore ad nundinas ipsas uenire stare recedere per decem dies cum ipsis suis rebus bonis et mercanciis sit liber et immunis ab omni solucione dictorum uectigalium.

Quod transeuntes et non tenentes merces uenales in pubblico tempore nundinarum soluant gabellam.

Item statuerunt et ordinauerunt ad tollendas fraudes que committi possunt in preiudicium gabellarum dicti loci quod si contingat tempore dictorum decem dierum dictarum nundinarum per aliquam personam conducere seu conduci facere tam per terram quam per aquam aliquod sal uel merces aliquas uel res quecumque sint per territorium et iurisdictionem Montiscalerii que non presentantur infra menia dicti loci et non teneantur ad uendendum in publico per tempus dictorum decem dierum uel maiorem partem ipsorum sed eorum transitum fecerint conducendo ad aliena loca aut conducere uolendo si tenerentur ipse merces ad partem et non exhibebuntur ut supra quod tunc et eo casu mercatores ipsarum rerum soluere teneantur gabellas et uitigalia in ipso loco usitata pro ipsis talibus rebus conducendis ut supra.

Quod mercatum fiat in loco Montiscalerii excepto tempore nundinarum.

Item statuerunt et ordinauerunt dicti decem sapientes unanimiter et concorditer ad hoc ut mercatum ipsum et forum quod tenetur in qualibet die ueneris retrahatur infra menia dicti loci prout superius est insertum et ordinatum quod seruetur modus qui infra sequitur.

Primo uidelicet quod in pleno foro tam in platea dicti loci quam extra portam Nauini sono tube et uoce decani proclametur alta uoce quatuor diebus ueneris successiue ne aliqua persona terrigena uel forensis audeat uel presumat mercatum facere uel tenere cum bestiis uel rebus suis in diebus ueneris tocius anni tempore nundinarum excepto quo tempore ubique teneri possit extra portam Nauini sub pena solidorum sex monete debilis et currentis pro quolibet contrafaciente et qualibet uice applicanda pro tercia parte curie dicti loci pro tercia parte accu-

satori et pro reliqua tercia parte comunitati dicti a loci et exigi possit ipso facto absque condempnacione aliqua. Infra uero ipsam portam Nauini per stratam chabellariorum usque ad putheum platee et per stratam illorum de Zandelis usque ad conuentum sancti Francisci teneri debeant in ipsa die fori bestie bouine et caualine et alie merces uenales et per stratam furni stelle usque ad portam Nauini teneri debeant bestie porchine uendi et merchari.

Quod castellanus non possit quittare uel remittere penas subscriptas.

Item statuerunt et ordinauerunt dicti decem sapientes unanimiter et concorditer quod prefactus dominus uicecastellanus per se uel eius familiam b seu eius imposterum successores nullo modo possint seu ualeant quouis modo sub pena periurii absque ordinacione tocius consilii generalis quittare seu remittere penas predictas alicui contrafacienti accusato uel denunciato occaxione dicti merchati celebrandi extra dictam portam. non possit tamen prefatus dominus uicecastellanus seu aliquis alius aliquem contrafacientem accusare uel punire nisi factis et elapsis ipsis quatuor cridis fiendis in ipsis quatuor diebus ueneris successiue que fieri debeant et inchoari die prima uenturi futuri mensis februarii et inde successiue usque ad finem.

Anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo quarto indictione.... die.... mensis ianuarii c in pleno et generali consilio de uigintiquatuor et centum capitum domorum loci Montiscalerii conuocato et congregato in palacio comunis dicti loci sono campane et uoce tube ut moris est de mandato ac in presencia nobilis et egregii Philippi de Oppeciis uicecastellani dicti loci unanimiter et concorditer nemine discrepante et in quo consilio erant in numero sufficienti et ultra quam due partes unanimiter et concorditer elegerunt et constituerunt sindicatores et capitulatores uidelicet nobiles et discretos infrascriptos uiros qui aut maior pars ipsorum habeant possint et ualeant sindicare capitulare addere minuere capitulis et ordinamentis ueteribus et nouis factis super scribania et clauaria dicti loci prout lacius apparet ex ordinacione con- d silii suprascripti facta lecta et uulgarizata in predicto consilio de mandato et auctoritate quibus supra.

Quorum nomina capitulatorum et sindicatorum sunt hec.

Michael Vastalla
Sebastianus Albini et
Iohannes Raueti.

Quod notarii et scribe curie teneantur obseruare capitula et ordinamenta tam facta quam fienda.

Item capitulauerunt addendo in ea parte qua additur et minuendo in ea parte qua minuitur capitulis et ordinamentis retroactis et factis prout apparet in uolumine dicti loci capitulorum et ordinamentorum eiusdem quod notarii qui amodo in antea eligentur et tam pro preterito quam pro futuro per decem electores comunitatis ad hoc deputatos et uinculo iuramenti sint astricti prout in capitulis alias factis per sapientes ad id agendum iamdiu deputatos facere et adimplere prout in eisdem legitur contineri. et que capitula nunc in presencia et cum auctoritate prefati domini uicecastellani ibidem presentis et auctorizantis publicantur cum infrascriptis.

Quantum recipere debeant notarii curie pro actis et scripturis curie tam ciuilibus quam criminalibus.

Item capitulauerunt et statuerunt dicti sapientes auctoritate qua supra quod notarii curie et comunis dicti loci qui pro tempore fuerint teneantur et debeant recipere omnia acta tangencia illustrissimo domino domino nostro et comunitati ac singularibus personis fideliter cum omni et unoquoque memoriali et tam ciuili quam criminali pro leuando dictum memoriale parti cui intererit tradere soluendo quartos duos grossi parui ponderis et non ultra et si memoriale contineat procuram apud acta soluatur notario grossum unum parui ponderis et si contineat compromissum soluatur totidem et non ultra. E contra uero forensis utatur prout alii locorum ubi degunt uidelicet quod quisque iuris in alterum statuerit.

Quantum recipere debeant notarii curie pro composicionibus.

Item capitulauerunt et ordinauerunt dicti capitulatores auctoritate qua supra quod dicti notarii electi seu eligendi et qui pro tempore fuerint teneantur et debeant et sint astricti accipere solucionem composicionum factarum per ius reddentes Montiscalerii cum quibuscumque personis Montiscalerii seu ibidem habitantibus pro singulo floreno accipiant notarii pro scribendo composicionem in actis curie quartos duos grossi et non ultra.

Quantum recipere debeant notarii pro testibus examinandis.

Item capitulauerunt et ordinauerunt dicti sapientes auctoritate qua supra quod dicti notarii electi ad seruiendum in dicto officio scribanie eiusdem loci accipiant et accipere debeant pro singulo teste examinando ad instanciam alicuius partis uidelicet pro examine describendo et dando dictum suum tabellionatum et subscriptum parti ad instanciam cuius fuerit examinatus uidelicet grossum unum Sabaudie parui ponderis et pro dando copiam parti petenti cui intererit soluat pars prout in capitulis continetur describendo lineas et diciones prout in

eisdem legitur et non ultra capere possint quam a superius est descriptum.

Quod notarii curie non possint leuare alias peticiones seu memorialia nisi requirentibus et habere uolentibus.

Item capitulauerunt et ordinauerunt dicti sapientes auctoritate qua supra quod notarii qui pro tempore fuerint ad scribendum et seruiendum in scribanie officio non possint nec debeant leuare seu leuari facere aliqua memorialia per eos recepta seu peticiones in eisdem actis descriptas nisi parte requirente quod si pars requisierit illa seu illas leuare teneantur parti requirenti sumptibus moderatis ut supra infra duos dies postquam fuerit re- b quisitus sub pena interesse supportati per partem quod illico soluere teneatur ac sub pena priuacionis officii.

Quod notarii curie non possint leuare de eorum registris aliqua acta nisi parte requirente soluendo tamen pro registro dimidium eius quod continet capitulum.

Item capitulauerunt et ordinauerunt dicti sapientes et cum auctoritate qua supra quod notarii electi seu eligendi ad seruiendum ut supra in dicto scribanie officio leuare non possint nec debeant seu leuari faciant aliqua memorialia seu peticiones et alia quecumque acta iudicialiter recepta per eos c et descripta in eorum registro nisi ad requisicionem partis cui intererit soluendo tamen pro registro eiusdem dimidium eius quod continet capitulum superius insertum. Quod si forte contingeret illa leuare parte requirente soluatur eidem notario ut supra deducendo partem per eum receptam pro registro.

Quod in ceteris seruentur capitula noua et uetera.

Item capitulauerunt et ordinauerunt dicti sapientes quod in reliquis pertinentibus officio dicte scribanie seruentur capitula et ordinamenta uetera et noua sub pena superius inserta.

Quod notarii et scribe non prestent patrocinium alicui durante tempore eorum officii scribanie.

Item capitulauerunt et ordinauerunt dicti sapientes quod notarii qui pro tempore fuerint teneantur et debeant obseruare quod non prestabunt patrocinium alicui persone durante tempore eorum officii scribanie.

Quod notarii curie faciant unum quaternetum de emendis collacionatum cum libro.

Item teneantur notarii qui pro tempore fuerint facere unum caternetum de emendis collacionatum cum libro describendo bampnum bestiarum et in quo loco datum fuit dampnum et in quo folio libri fideliter et bene

Pubblicata in racionateria per electos coram domino uicecastellano qui saluis protestacionibus premissis admisit et interposuit auctoritatem et decretum presentibus Lantermo Ducho et Stephano Gay testibus die decima ianuarii millesimo quatercentesimo sexagesimo quarto presentibus Thoma Pysio Bartholomeo et Ludouico fratribus de Nono et Desiderio Degla notario.

Quod notarii et scribe ac copiste curie non possint patrocinari nec aduocare pro aliquo durante tempore eorum cubie.

Item statuerunt et ordinauerunt addendo aliis capitulis factis et ordinatis contra scribas et clauarios quod notarii et scribe ac copiste curie predicte Montiscalerii presentes et futuri durante tempore eorum cubie et pro tempore quo eos in officio scribanie predicte seruire et scribere contigerit non possint nec ualeant patrocinari nec patrocinium seu officium procure exercere nec aduocare pro aliqua persona in curia predicta et qui contrafecerit sit ipso facto priuatus ab officio predicto scribanie et ulterius per quinque annos tunc proxime sequentes nec ad id possit aliqualiter habilitari.

Quod clauarii finito tempore eorum quatuor mensium clauarie ipsorum ad omnem requisicionem domini uicecastellani sindicorum et massarii uel alterius ipsorum teneantur computare et eorum quaternetos tradere cum integra solucione.

Item statuerunt et ordinauerunt addendo ipsis capitulis cum auctoritate qua supra quod clauarii nouiter electi et imposterum eligendi in curia Montiscalerii teneantur et debeant finito tempore eorum clauarie et eorum quatuor mensium incontinenti et ad omnem primam requisicionem prefati nobilis uicecastellani sindicorum et massarii comunitatis et alterius ipsorum computare et eorum computum reddere et facere quaternos tam accu- d sarum quam emendarum in manibus massarii dicte comunitatis tam de parte campariorum quam de omnibus pertinentibus singularibus personis de Montecalerio et forensibus cum integra solucione et satisfactione. Qui massarius teneatur reddere computum et satisfacere tam ipsis campariis et pro eorum tercia parte accusarum quam personis de et pro eorum emendis. Et hoc sub pena floreni unius parui ponderis pro qualibet die qua in computando postquam de hoc fuerint requisiti per eos et eorum quemlibet committenda et fisco illustrissimi domini domini nostri pro duabus partibus et accusatori pro alia tercia parte irremissibiliter applicanda et ad premissa omnia teneantur ipsi clauarii et massarius eciam uinculo eorum iuramenti

et sub penis premissis nec possit ipse massarius se de hoc aliqualiter excusare.

Quod clauarii teneantur infra octo dies post factas accusas mittere deffensiones uerbo uel in scriptis nec possint alium loco ipsorum substituere in officio.

Item statuerunt et ordinauerunt cum auctoritate qua supra quod predicti clauarii teneantur et debeant de et pro omnibus accusis per camparios eorum tempore clauarie fiendis et describendis dare et remittere seu assignare uerbo uel scriptis defensiones ipsarum accusationum et hoc infra octo dies post factam accusam immediate sequentes nec possint ipsi clauarii seu aliquis ipsorum alium circa exactionem dicte clauarie et bampnorum suorum loco sui substituere aliquo modo nec de hoc possit dari parabola seu licencia. Et qui contrafecerit incurrat penam solidorum uiginti uiannensium et ulterius sit expulsus ab ipso officio per quinque annos tunc proxime sequentes et quilibet bone uocis et fame possit accusare et habeat terciam partem bampni.

Quod notarii et scribe curie teneantur dare et leuare omnia acta et instrumenta tangencia comunitatem gratis et sine costu.

Item statuerunt et ordinauerunt quod notarii et scribe curie Montiscalerii electi et eligendi et tam pro tempore eorum cubie quam extra dictum tempus teneantur et sint astricti de cetero et debeant dare tradere recipere et expedire sindicis dicte comunitatis qui pro tempore fuerint omnia et singula acta scripturas appodicias processus instrumenta cuiuscumque generis et maneriei sint tam iudicialia quam extraiudicialia tangencia et expectancia ad ipsam comunitatem directe uel indirecte etiamsi ducerentur alique cause sub nomine alicuius specialis et particularis persone et hoc gratis dono et absque aliquo costu ad omnem requisicionem consilii seu sindicorum dicte comunitatis qui pro tempore fuerint sine exceptione et opposicione quacumque et sub pena in dictis capitulis factis contenta et hanc ordinacionem et declaracionem uoluerunt ipsi consulares et consilium unanimiter et concorditer perpetuo ualituram et duraturam et esse truncham.

Quod camparii teneantur omnia dampna emendare nisi pro his pro quibus accusarent uel culpabiles reciperent.

Item statuerunt et ordinauerunt quod camparii Montiscalerii electi et eligendi non obstantibus aliis capitulis et ordinamentis de emendandis dampnis per camparios mencionem facientibus quibus per presens capitulum derogatur teneantur et debeant ac sint astricti emendare et restituere omnia dampna que tempore eorum officii dabuntur et inferri contigerit in et super finibus loco et iurisdictione Montiscalerii de et pro campestribus dumtaxat de et pro hiis quibus est eis permissum accusare uidelicet illis personis quibus dicta dampna dari contingerit et de et pro quibus querelam fieri continget uidelicet infra terminum eisdem campariis per dominum iurisdicentem Montiscalerii statuendum nisi de et pro ipsis dampnis sic ut supra inferendis offendentes et culpabiles inuenerint et accusauerint et hoc sine exceptione et opposicione quacumque et credatur querelanti et conquerenti de et pro dicto dampno illato iuramento suo bone uocis et fame existenti. Et pro premissis obseruandis massarius comunitatis qui pro tempore fuerit penes se retineat ultimam solucionem seu ultimum tercium eorum salarii uidelicet usque ad festum sancti Anthonii cuiuslibet anni aliis capitulis quibuscumque in contrarium disponentibus non obstantibus quibus per presens capitulum derogatur.

Super officialibus sindicandis.

Item statuerunt et ordinauerunt cum auctoritate qua supra quod quociescumque in futurum eligi et leuari contingerit sindicatores per consilium seu credenciam dicti loci iuxta formam dicte franchisie et capituli quod pro bono et utilitate singularum personarum et rei pubblice eligantur et eligi debeant unus aut duo aduocati et procuratores de Montecalerio qui sumptibus dicte comunitatis et non singularum personarum durante tempore dicti sindicatus dictorum officiariorum teneantur et debeant aduocare et patrocinare unicuique ab ipsis officialibus seu ab altero ipsorum quicquam petere uolenti et qui eligendi sic teneantur et debeant in manibus dictorum sindicatorum iurare et promittere dictum officium aduocatus et procure pro quacumque persona ab ipsis ut supra petere uolenti frustra et sine costu fideliter et diligenter prestare semoto quolibet inhonesto.

Quod clauarii teneantur facere exactiones arengorum et decretacionum.

Item statuerunt et ordinauerunt cum auctoritate qua supra quod omnes et singuli clauarii de cetero eligendi teneantur et debeant in introitu anni et eorum electionis fiende promittere et iurare in manibus domini uicecastellani et decem sapientum exhibere et exactiones facere de et pro arengis et decretacionibus bampnorum pro posse ipsorum et de ipsis bonum et legale computum reddere in manibus domini uicecastellani qui pro tempore fuerit nec possint ipse exactiones fieri aliquo modo nec sub aliquo colore per aliam quamcumque personam quam per ipsos clauarios qui clauarii sint de Montecalerio et de hoc obseruando prestare teneantur bonam et ydoneam fideiussionem.

Quod notarii et scribe teneantur extrahere scribere et facere arengos et decretaciones.

Item statuerunt et ordinauerunt quod notarii curie qui pro tempore fuerint teneantur et debeant ipsos arengos decretaciones de cetero fiendas recipere scribere et leuare ac extrahere de libris curie dicti loci sub mercede solui consueta et inde ipsum arengum remittere in manibus clauarii qui pro tempore dicte fiende decretationis fuerit in officio dicte clauarie nec aliter fieri possit et si fieret non ualeat nec teneat.

De pignoribus et leuamentis gagiorum.

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnia et singula leuamenta pignorum et gagiorum que de cetero tam pro fisco quam singularibus personis in Montecalerio et districtu fieri continget incontinenti leuatis pignoribus mortuis siue uiuis scribantur et scribi debeant per notarios et scribas curie cum numero pondere et mensura ipsorum gagiorum et faciendo pignorari sine creditore hoc fieri faciant et si aliter fierent non ualeat nec teneat gagiamentum.

De subastacionibus et incantis fiendis.

Item statuerunt et ordinauerunt quod incantus et subastaciones pignorum de cetero non fiant nec per curiam Montiscalerii fieri permittantur nisi prius precesserit gagiato preceptum de redimendo pignus infra tres dies de quo constet in libris curie. Et si de eo constiterit possint ipse subastaciones fieri tribus diebus utilibus et successiuis et plus offerenti tercia die dictorum trium dierum per curiam ipsa pignora deliberentur absque interuallo temporis sed incontinenti.

Item statuerunt et ordinauerunt quod suprascripta ordinamenta cum franchisia sindicatus inserantur in libro rubro capitulorum dicti loci ut unusquisque illa intueri possit pro libito uoluntatis.

Renunciatio facta per nobilem Ludouicum de Bellonis credendarium ab oneribus realibus.

Anno Domini millesimo quatercentesimo LXV° die ultima mensis decembris in Montecalerio uidelicet in domo rationatrie comunis et hominum Montiscalerii ante presenciam prefati nobilis Stephani de Fango uicecastellani eiusdem loci et prefatorum nobilium sindicorum et sapientum electorum presentibus etiam nobilibus Iacobino de Pado et Michaele de Lauacheria testibus ad hec uocatis et rogatis. Ibique predictus nobilis Ludouicus de Bellonis electus in credendarium et de credencia XXIIII ut supra proxime in electione precedenti describitur constitutus ante presenciam quorum supra ipsis dominis uicecastellano et sindicis ac sapientibus reuerenter gratias retulit immensas eisdem de honore

a eidem per eos collato in electione dicti consulatus et credencie dicens quod alias pro honore suo et domus ac cognominis sui et manutencione laudabilium priuilegiorum sibi et successoribus ac predecessoribus suis concessorum per serenissimum imperatorem comitatus palatini per que priuilegia censentur ipsi de Bellonis ut asseruit immunes et liberi a quibuscumque oneribus realibus et personalibus se ad certas taleas et imposiciones per comunitatem Montiscalerii impositas opposuit allegando se immunem uirtute dictorum priuilegiorum et quod hoc fecit ad incitationem nonnullorum parentum et amicorum suorum nichilominus qualiter et quomodocumque res usque hinc se habuerint dixit et proposuit quod amodo ipse tamquam membrum co-
b munis Montiscalerii intendit cum eius prole et familia bene uiuere cum comuni suo et mori et ideo quantum in se est cause seu causis per eum et contra eum ceptis et agitatis ad causam premissorum et tam principalibus quam appellacionis ac ipsis priuilegiis et immunitatibus quantum ad onera realia dumtaxat de cetero in ipso loco imponenda serie presencium per se et suos heredes scienter et sponte renunciauit et renunciat intendens et proponens de cetero facere et soluere ac assistere prout ceteri de Montecalerio et sibi similes et pro rata ad eum spectante facient soluent et assistent dictis priuilegiis et immunitatibus ac aliis de cetero impetrandis et obtinendis quibuscumque non obstantibus quibus omnibus ipse nobilis Ludouicus re-
c nunciauit specialiter et expresse ipsis nobilibus sindicis et sapientibus presentibus me notario infrascripto stipulanti acceptantibus et recipientibus uice et nomine ac ad opus hominum et comunitatis predicti loci ac omnium et singulorum quorum interest et interesse poterit quomodolibet in futurum precipientes de premissis literas testimoniales seu publicum instrumentum hic admittendum.

De partito dando et de non recedendo a consilio donec reformaciones lecte fuerint et confirmate.

Item statutum fuit et ordinatum quod in et super omnibus agendis et fiendis per consilium Montiscalerii tam credencie uigintiquatuor quam centum
d capitum domorum coniunctim uel diuisim que in libro consilii scribenda contingerit detur et dari debeat partitum ad tabulas siue fabas albas et nigras per se se singulariter et secrete et si aliter fieret non ualeat nec teneat nec audeant scribe archarum aliter scribere in libro consilii sub pena priuacionis eorum officii et ulterius quod nullus consiliarius seu credendarius audeat nec presumat a dicto consilio nec a palacio comunis recedere de cetero sine licencia donec et quousque ipse proposte et reformaciones in ipso consilio fuerint per alterum ex scribis comunis lecte et publicate sub pena unius grossi Sabaudie pro quolibet et qualibet uice per quemlibet contrafacientem committenda et curie dicti loci applicanda.

De parcellis dandis in manibus sindicorum infra mensem per habere debentes a comunitate.

Item statutum et ordinatum est quod de cetero unusquisque de Montecalerio uel ibi habitans qui habeat causam lucrandi seu negociandi cum et pro comunitate Montiscalerii teneatur et debeat dare et tradere suam parcellam de et pro eo quod habere debebit a comunitate predicta in parua seu magna quantitate et tam pro ambassiatis quam aliter pro alia aliqua causa et hoc infra unum mensem postquam eos uel eum contingerit aliquid degisse lucrasse et negociasse pro dicta comunitate in manibus nobilium sindicorum qui pro tempore fuerint qui nobiles sindici illico traditis dictis parcellis teneantur conuocari et congregari facere nobiles racionatores comunis prouidendo et uisitando ac intrando si eis iustum uideatur dictas parcellas. Alias autem elapso dicto mense nullus habere debens a dicta comunitate nullathenus audiatur nec per racionatores nec aliam personam aliquid eis intretur nec satisfiet quodque nobiles sindici qui pro tempore fuerint in fine eorum trium mensium et cuiuslibet eorum sindicatus teneantur et debeant de cetero librum longetum comunis in pleno et generali consilio de uerbo ad uerbum legi et pubblicari facere.

Contra notarios et scribas curie.

Item statutum fuit et ordinatum quod notarii et scribe curie et comunis Montiscalerii de cetero eligendi omnes et singuli teneantur et debeant ante introitum eorum officiis scribanie idonee fideiubere uinculo eorum iuramenti per eos et eorum quemlibet prestandi in manibus dominorum iudicis uel castellani et nobilium sindicorum uel alterius ipsorum de seruiendo bene et fideliter illustrissimo domino nostro domino Sabaudie duci et comunitati ac singularibus personis Montiscalerii. Item de seruando capitula et ordinamenta contra ipsos notarios et scribas facta et fienda per ipsam comunitatem et tam in ciuili quam in criminali et comunitatem predictam erga prelibatum illustrissimum dominum nostrum Sabaudie etc. ducem et quamcumque aliam personam pretextu eorum seruitutis indempnem seruare et releuare. Item et tenere unam apothecam in publico ubi continue a solis ortu usque ad occasum alter ipsorum nuntiorum resideat personaliter et reperiatur sub pena grossorum trium pro quolibet et qualibet uice. Item teneantur ipsi scribe et notarii et quilibet ipsorum etiam elapso tempore eorum cobie ad omne mandatum et requisitionem domini uicecastellani uel sindicorum aut alterius eorundem seruire curie et comunitati in agibilibus et occurrendis quandocumque fuerint de hoc simpliciter requisiti nec ad hoc se ualeant aliqualiter excusare sub pena priuacionis eorum officii et restitucionis tocius interesse et dampni quod ob id supportari posset et contingeret tam per prefatum dominum uicecastellanum quam predictam comunitatem.

Anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo nono die septima iunii conuocati et congregati nobiles Iacobinus de Pado et Perronus Topelli sindici nec non Martinus de Pecetto Bartholomeus Nouelli Thomas Pysii Sebastianus Albini Franciscus Merlo Franciscus Bruida Bartholomeus Pascherii et Michael Ramacii sapientes superius nominati in presencia prefati nobilis Ludouici Rubei uicecastellani dicti loci ad banchum iuris ipsius loci et cum uoluntate auctoritate et consensu prefati nobilis uicecastellani auctorizantis et consencientis uigore potestatis eisdem sapientibus per consilium de uiginti quatuor et centum capitum domorum attribute fecerunt et condiderunt capitula inferius particulariter designata.

De palafica facienda super deuersione Padi ubi dicitur ad Saluiam.

Et primo statuerunt et ordinauerunt cum auctoritate et consensu quo supra quod in alueo fluminis Padi ubi dicitur Saluiam et iacio per quam ipsum flumen labi consueuerat et nunc deuersum est ex ordinacione et inuamine factis per ipsam comunitatem fieri debeat una palafica de presenti bona et sufficiens ad ordinacionem magistrorum Bartholomei Pascherii et Petri Grassoti cum palis et uergandis sufficientibus per transuersum dicti iacii ipsius fluminis in totum diuertendo et labi faciendo per ipsum alueum nouum sumptibus et expensis ipsius comunitatis. Quam palaficam ipsi magistri Bartholomeus Pascherii et Petrus Grassoti de presenti facere debeant sine mora pro utilitate ipsius comunitatis et reipublice sumptibus predictis.

De lignis impune capiendis ubique pro dicta palafica etc. facienda.

Item statuerunt et ordinauerunt cum auctoritate qua supra quod ipsi magistri Bartholomeus Pascherii et Petrus Grassoti cum eorum manualibus possint ualeant et eis liceat impune et sine alicuius pene incursione capere incidere et exportare omnia lignamina opportuna pro ipsa palafica perficienda de quibuscumque possessionibus finium Montiscalerii quarumcumque personarum ipsis personis quarum dicte possessiones erunt uocatis et monitis ad uidendum ipsa lignamina capi excidi et exportari si sua putauerint interesse ipsisque lignaminibus primo extimatis per ipsos magistros Bartholomeum Pascherii et Petrum Grassoti quorum taxationi persone quibus dicta lignamina pertinebunt stare debeant et quam taxacionem et extimacionem dictorum lignaminum comunitas ipsa soluere teneatur et debeat ipsis talibus personis quorum erunt dicta lignamina incisa et exportata.

De deuersionibus faciendis a loco Saluie usque ad pontem fluminis Padi.

Item statuerunt et ordinauerunt quoniam in eodem consilio fuit obtentum et ordinatum quod ab ipso loco Saluie usque ad pontem fluminis Padi eiusdem loci fieri debeant omnes et singule deuersiones ipsius fluminis ubi necesse fuerit et uidebitur ipsis electis quod omnes et singule possessiones quarumcumque personarum per quas ipse deuersiones fieri debebunt extimari debeant per extimatores dicti loci Montiscalerii et ipsis extimatis comunitas eiusdem loci satisfacere teneatur et debeat dictis personis ipsas extimaciones ut supra fiendas infra tempora congrua et honesta ipseque tales persone quarum erunt dicte possessiones contradicere non possint quouis modo ne capiantur ad manus ipsius comunitatis et fodiantur pro ipsis deuersionibus fiendis.

De declaracione itinerum et uiarum ac deffinicione fienda per comunitatem etc.

Item statuerunt et ordinauerunt quod ipsa comunitas et homines Montiscalerii teneantur et debeant diffiniri facere et declarare itinera et uias quarumcumque possessionum que propter ipsas deuersiones reducerentur citra uel ultra dictum flumen ita et taliter quod ipse tales possessiones recluse ut supra sua itinera et uias habere possint et hoc sumptibus et expensis dicte comunitatis.

De deuersione Padi fienda ad angetos.

Item statuerunt et ordinauerunt quod perfecta ipsa palafica ut supra ad Saluiam fieri ordinata illico et sine mora post messes fieri debeat sumptibus dicte comunitatis et modis quibus supra deuersio ubi dicitur ad angetos antequam ad alias deuersiones procedatur pro euidenti utilitate reipubblice.

Quod nullus audeat uel presumat accipere iacia dicti fluminis Padi ut infra.

Item statuerunt et ordinauerunt quod nulla persona cuiuscumque condicionis existat audeat uel presumat directe uel per indirectum per se uel aliam quamcumque personam occupare iacia dicti fluminis Padi tam derelicta quam derelinquenda propter ipsas deuersiones factas et fiendas ubicumque sint in finibus et iurisdictione Montiscalerii sed ipsa iacia ut premittitur tam derelicta quam derelinquenda prout et quemadmodum declarabunt et atterminabunt ipsi sapientes superius nominati seu maior pars ipsorum dimittere et relaxare ad manus dicte comunitatis sub pena uiginti quinque florenorum pro qualibet persona contrafaciente et qualibet uice qua foret contrafactum applicanda pro tercia parte accusatori et reliquis duabus partibus

a curie dicti loci Montiscalerii et exigi possit et debeat absque ulla sentencia seu alia declaracione fienda. Etiam similem penam incurrant omnes et singule persone que presumerent terminos seu postos declarandos et imponendos per ipsos sapientes ut supra ad declaracionem dictorum iaciorum ipsius fluminis extrahere seu incidere et pene predicte solute uel non nichilominus omnes et singule declarationes et atterminaciones fiende ualeant et teneant pleno iure.

De declaracione trabuchorum uiginti in diuersione ipsius iacei fluminis Padi etc.

Item statuerunt et ordinauerunt ipsi sapientes
b ut alia statuta superius declarata et ordinata suum debitum sortiantur effectum et ad tollendum errores qui in futurum euenire possent facta prius per ipsos sapientes seu maiorem partem ipsorum debita uisitacione de ipsis iaceis dicti fluminis ubi eis uisum fuit quod lectum et iacium ipsius fluminis Padi derelictum propter deuersionem manualiter factam in ipso flumine uidelicet a palafica facta in ipso flumine ubi dicitur .... de subtus fornacem nobilis de Topellis prout ipsa fica fundata est et infra ipsam ficam inclusiue usque ad pontem ipsius fluminis Padi exclusiue sit et esse debeat latitudinis uiginti trabuchorum mensure dicti loci declarandorum et designandorum per ipsos sapientes aut maiorem partem ipsorum et cum omnimoda
c potestate plantandi terminos postos cum palis ligneis et aliis necessariis hinc et inde ab una ripa dicti fluminis derelicti usque ad aliam ripam plantandos pro declaracione et designacione ipsorum uiginti trabuchorum dimittendorum pro iacio ipsius fluminis ut supra ad manus dicte comunitatis et quod iacium et lectum dicti fluminis ex nunc prout ex tunc declarauerunt pertinere et spectare in solidum eidem comunitati dimittendos ut supra in precedenti capitulo declaratum est. Committentes ulterius Thome Pisii sindico auctoritate domini castellani quatenus in locis consuetis proclamari facere debeat ne aliqua persona ante ipsas diffiniciones factas et fiendas quicquam in ripis dicti fluminis incidi facere presumat in preiudicium ipso-
d rum uiginti trabuchorum sub pena de qua supra in precedenti capitulo descriptum est.

Protestatio domini iudicis.

Anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo indicione tercia die XII iunii in pleno et generali consilio credencie uigintiquatuor et centum capitum domorum comunitatis et hominum dicti loci ac presentibus nobili Thome Pisio et Iacobino de Pado testibus ad hec uocatis et rogatis suprascriptis capitulis et ordinamentis ibidem recitatis et in libro rubeo capitulorum describi requisitis per nobiles sindicos et consulares dominus Ioannes de Gatinaria honorabilis iudex dicti loci uice et no-

mine prelibati illustrissimi domini nostri consensit a nisi in concernentibus preiudicium prelibati domini nostri.

De suspensione capitulorum de paleis feno et liameriis in domibus et uiis publicis non tenendis.

Anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo nono die decima tercia mensis marcii. In pleno et generali consilio credencie uigintiquatuor et centum capitum domorum comunis et hominum Montiscalerii sono campane et uoce preconis ut moris est congregato de mandato et cum presencia et auctoritate ac uoluntate nobilis et honorabilis uiri Ludouici Rubei uicecastellani dicti loci qui b peciit consilium sibi dari super agendis infrascriptis et primo quid placet ordinare etc.

Item quid placet ordinare et prouidere super suspendendo capitula Montiscalerii uidelicet de liameriis in uiis publicis non tenendis et de feno et paleis in domibus infra locum non tenendis et reponendis reseruando tamen tres ruatas siue uias publicas uidelicet ruatam de Zandellis et ruatam de Cabelariis et ruatam de Campagninis protendendo recta linea a porta Nauini usque ad portas Placentinam et portam Nouam. In quibus tribus ruatis et uiis non fiant nec teneantur liameria ab exitu marcii cuiuslibet anni infra sub pena ipsius capituli precedente tamen crida solita iuxta formam capituli et super hoc placeat dare partitum in cuius quidem c consilii reformacione in quo quidem aderant consiliarii in numero sufficienti et ultra quam due partes dato partito ad tabulas albas et nigras cum auctoritate assensu et uoluntate prefati nobilis uicecastellani firmatum fuit et obtentum ac suspensum prout infra.

Super quarta et ultima proposta de suspendendo capitula de paleis et feno et de liameriis cum auctoritate nobilis Ludouici Rubei de Lanceo uicecastellani Montiscalerii dato dicto partito ad tabulas albas et nigras obtento dicto partito suspenderunt uirtute presentis reformationis predicta capitula uidelicet de feno et paleis in domibus non tenendis et reponendis. Item de paleis in uiis pubblicis non tenendis et ponendis et de non tenendo leamen in d eisdem attento quod ipsa capitula cedunt in euidens dampnum et interesse uinearum et possessionum loci Montiscalerii et per presentes suspendunt et pro suspensis haberi uolunt donec et quousque per dictum generale consilium aliter fuerit ordinatum huiusmodi reseruacione semper salua quod in tribus uiis et stratis publicis uidelicet ruata de Zandellis ruata Cabelariorum et ruata de Campagninis inchoando ad portam Nauini et protendendo recta linea usque ad portam Placentinam et ad portam Nouam nemini liceat liameria facere et tenere ab exitu mensis marcii cuiuslibet anni infra postquam parte domini uicecastellani sono tube per locum predictum fuerit inhibitum et interdictum iuxta formam dicti et sub pena in eodem et bampno denotatis. In aliis uero locis uiis et stratis ubique liceat unicuique pro libito paleas ponere et tenere ac leameria facere impune dictis statutis non obstantibus que ut supra pro suspensis habentur donec aliud per consilium ipsum generale fuerit in contrarium ordinatum.

Sequitur capitulum de filiabus et mulieribus dotatis et maritatis a patre matre uel fratribus quod non possint aliquid aliud petere ultra dotes constitutas in eisdem bonis.

In nomine Domini amen. Anno a natiuitate Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo sexto indictione nona die XXIX mensis iunii conuocato et congregato consilio generali loci Montiscalerii credencie de uigintiquatuor et centum capitum domorum in palacio comunis dicti loci ubi consilia celebrari solent de mandato et iniunctione spectabilis iuris utriusque doctoris domini Iacobi ex dominis Baynaschi et ex comitibus Plozaschi honorandi iudicis dicti loci instantibus et requirentibus egregiis uiris Bartholomeo Nouelli et Desiderio Degle sindicis et sindicario nomine comunitatis et hominum ac singularum personarum eiusdem loci pro euidenti comodo utilitate et conseruacione hereditatum et bonorum singularum personarum comunitatis et hominum ac reipubblice loci predicti Montiscalerii peciit prefatus dominus iudex consilium exhiberi super infrascripta proposita et capitulo condendo et ordinando perpetue ualituro. Videlicet quod filia uel mulier postquam dotata fuerit a patre matre uel fratribus uel ab alia persona non possit aliquid aliud petere ultra dotes sibi constitutas et sub modis formis et uerbis inferius specificatis. Ipso capitulo anterioribus diebus mature et consulte aduisato cum notabilibus et expertis doctoribus per eosdem instantes in cuius quidem consillii reformacione in quo quidem consilio aderant et interfuerunt consiliarii in numero sufficienti et ultra quam due partes ipso capitulo prius lecto et uulgarizato mature de uerbo ad uerbum iteratis uicibus ad plenum intellectum omnium in consilio existencium dato partito ad tabulas albas et nigras cum presencia auctoritate deliberacione et consensu prefati spectabilis domini iudicis sedentis pro tribunali ut moris est ad solitum banchum iuris in ipso palacio et consilio et hiis omnibus autorizantis et consencientis ipsi consiliarii nemine discrepante dato et obtento dicto partito condiderunt ordinauerunt et fecerunt capitulum et statutum perpetuo irreuocabiliter ualiturum tenoris infrascripti.

Item statutum et ordinatum fuit quod mulier uel filia de Montecalerio uel ibi habitans postquam dotata fuerit uel dos ex testamento uel aliter sibi fuerit constituta a patre uel a matre uel fratribus uel ab alia persona nomine ipsorum uel alterius eorundem non possit ipsa talis mulier nec etiam descendentes ab eadem aliquid petere uel requirere ultra

dotem predictam sibi ut supra datam uel constitutam in bonis ac hereditatibus ac successionibus patris matris uel fratrum suorum uel alterius eorum descendencium uel moriencium ab intestato quamdiu supersit aliquis masculus ex descendentibus ex linea patris aut fratrum ipsius mulieris. Per testamentum uero habeat locum dispositio testamentaria uel alterius ultime uoluntatis et presens capitulum sibi uindicet locum siue dotata fuerit tempore sibi obuente hereditatis siue postea quamuis successio eidem antea delata fuerit.

Ordinantes ipsum statutum de mandato prefati domini iudicis sono tube in locis solitis et consuetis publicari debere et inde in uolumine statutorum eiusdem loci inseri et incorporari debere et sic illico et in descensu dicti consilii dictum statutum publicatum fuit per Augustinum Gaya tubetam dicti loci in platea et aliis locis solitis et consuetis prout ipse tubeta mihi Vieto Pysii notario dicti consilii qui omnia ut supra agitata scripsi et recepi retulit se fecisse. Et in signum testimonii omnium premissorum ego idem Vietus Pysii hic me subscripsi cum apposicione signeti mei manualis.

Capitulum de festo S. Grati celebrando singulis annis in Montecalerio.

In nomine Domini amen. Anno natiuitatis eiusdem Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo quinto die XVII mensis maii conuocato et congregato consilio generali loci Montiscalerii credencie de uigintiquatuor et centum capitum domorum in palacio comunis dicti loci ubi consilia celebrari solent de mandato et iniunctione et auctoritate spectabilis domini Iohannis de Gatynaria iuris utriusque doctoris honorandi iudicis dicti loci assistentibus et requirentibus egregiis uiris Sebastiano Albini et Desiderio Degle sindicis dicti loci et sindicario nomine eiusdem comunitatis et hominum ac singularum personarum eiusdem pro euidenti diuino honore et beati Grati confessoris peciit prefatus dominus iudex consilium exhiberi super propositis infrascriptis et reliquiis corporis dicti beati Grati nouiter per illustrissimam dominam nostram dominam Yolant ducissam Sabaudie donatis et elargitis hominibus et comunitati Montiscalerii et per uenerabile capitulum ecclesie collegiate beate Marie eiusdem loci custodiendis contra tempestates et maligna tempora uirtutem habentibus diuina fauente prouidencia eciam exortacione reuerendissimi in Christo patris domini Iohannis de Compesio episcopi Thaurinensis dignissimi literis suis patentibus debite sigillatis ipsis hominibus et comunitati pro premissorum attestacione specialiter concessis quarum literarum tenor inferius de uerbo ad uerbum est insertus una cum literis dicte largicionis ut sequitur.

In nomine Domini amen. Anno a natiuitate eiusdem Domini sumpto millesimo quatercentesimo
a septuagesimo quinto indicione octaua die uigesima octaua mensis aprilis. Cum inclita et serenissima principissa domina domina Yolant primogenita et soror christianissimorum Francie regum ducissa Sabaudie tutrix et tutorio nomine illustrissimi et superexcelsi principis et domini domini Philiberti ducis Sabaudie Chablaysii et Auguste sacri romani imperii principis uicariique perpetui marchionis in Ytalia principis Pedemontium Nicieque Vercellarum ac Friburgi etc. domini eius filii inclitissimi suis patentibus literis hodie datis et per me notarium ducalemque secretarium subsignatum confectis ac sigillo cancellarie Sabaudie cera rubea impendenti sigillatis ad humilem supplicacionem sindicorum consulum credendariorum hominum et co-
b munitatis insignis uille Montiscalerii eisdem dono gratuito largita fuerit unum ex ossibus eschine corporis almi confessoris beati Grati condam episcopi Augustensis quod quidem os ex reliquiis ipsius sacri corporis clementissimo felicis recordationis domino Amedeo legato apostolico et pridem duci Sabaudie illustrissimo dum ipsa ducali fungeretur dignitate per reuerendum in Christo patrem tunc Augustensem presulem olim donatis iussu ipsius serenissime ducisse exceptum est idque in manibus ac potestate uenerabilium dominorum archipresbiteri canonicorum et capituli ecclesie collegiate beate Marie ipsius loci Montiscalerii per manus reuerendi in Christo patris domini Iohannis de Compesio episcopi Taurinensis ibidem personaliter exi-
c stentis fecerit realiter expediri hinc est quod coram me notario et ducali secretario iamdicto ac testibus infrascriptis personaliter constitutus memoratus reuerendus in Christo pater dominus Taurinensis episcopus ex eius certa scientia omnibus uia iure modo et forma quibus melius fieri et intelligi potest predictam reliquiarum sanctarum largicionem sic ut premittitur factam confirmauit et approbauit et ulterius concurrente ad hoc consensu libero prefatorum dominorum canonicorum et capituli ac pariter sindicorum consulum et credendariorum loci predicti Montiscalerii festum ipsius olim confessoris sancti Grati amodo in perpetuum in eodem loco et districtu Montiscalerii singulis annis solempnizari sanctificari et celebrari debere uoluit atque
d decreuit eo die quo a sacrosancta Romana ecclesia celebrari stabilitum est et cum aliis solempnibus festiuitatibus tamquam capitulare et solemne festum in uolumine capitulorum ipsius ecclesie inseri incorporari et capitulari. Utque festum ipsius a populo deuocius obseruetur ipse idem reuerendus dominus episcopus cunctis Christi fidelibus qui in primis uesperis dicti festi ac in magna missa et similiter in secundis uesperis dum celebrabuntur deuote interfuerint quadraginta dies indulgencie de sibi iniunctis penitenciis pro qualibet ipsarum horarum ac pro dicta missa liberaliter largitus est. de quibus premissis idem reuerendus dominus antistes iussit prefati uero sindici et consules pecierunt a me notario et ducali secretario iamdicto

fieri literas testimoniales seu instrumentum pubblicum. Acta fuere premissa in aula castri dicti loci Montiscalerii presentibus magnificis spectabilibusque potentibus uiris Claudio de Sabaudia primogenito magnifici domini Raconixii Anthonio de Orliaco gubernatore Nycie et terre Prouincie Humberto de Glana domino de Cugie uenerabilibusque uiris domino Iohanne Ranguisii priore sancti sepulchri Annexiaci fratre Iohanne Bochonis ducali confessore ac pluribus aliis testibus ad premissa astantibus et rogatis. Ego uero Iacobus Lamberti de Chamberiaco auctoritate imperiali notarius ac prelibate ducalis Sabaudie celsitudinis secretarius premissis dum sic ut supra fierent cum testibus supranominatis presens fui hocque pubblicum instrumentum manu alterius coadiutoris mei scriptum rogatus recepi subscripsi et signo mei tabellionatus solito signaui fideliter et expediui in testimonium ueritatis.

Quoniam inter cetera que in ipsis literis declarantur cauetur quod festum prelibati sancti Grati quod celebrari consueuit uigilia natiuitatis beate uirginis Marie de mense septembris amodo in antea in honorem Dei beateque Marie uirginis et ipsius gloriosissimi sancti Grati celebretur deuotissime et celebrari debeat in Montecalerio et districtu eiusdem semper et in perpetuum per quoscumque habitantes in ipso loco et districtu eiusdem et ipsum festum inseri et incorporari debeat cum aliis festiuitatibus in uolumine capitulorum dicti loci celebrari preceptis et statutis in numero designacionis cccccxxii sub rubrica de diebus festiuis et eorum numero prohibitis laborari et super premissis placeat dare partitum.

In cuius quidem consilii reformacione in quo quidem consilio aderant et interfuerant consiliarii in numero sufficienti et ultra quam due partes ipsis literis prius lectis et uulgarizatis ad plenum intellectum omnium in eodem consilio existencium dato et uicto partito ad tabulas albas et nigras cum presencia auctoritate deliberacione et consensu prefati spectabilis domini iudicis sedentis pro tribunali ut moris est ad solitum banchum iuris in ipso palacio et consilio et his omnibus auctorizantis et consencientis ipsi consiliarii nemine discrepante uicto dicto partito condiderunt ordinauerunt et fecerunt capitulum et statutum perpetuo irreuocabiliter ualiturum quod ipsum festum sancti Grati ut premittitur semper et in perpetuum celebretur et incorporetur cum aliis capitulis superius designatis sub rubrica de qua supra et sub penis in ipsa rubrica declaratis. Ordinantes ipsum statutum sono tube singulis annis pubblicari in locis solitis et consuetis ne quisquam de ipso festo celebrando ignoranciam pretendere ualeat uidelicet per octo dies ante dictum festum eciam publicando indulgencias per prefatum R. D. episcopum concessas dictum festum celebrantibus.

a *Capitulum de non firmando laboratores in diebus festiuis.*

Et ulterius peciit consilium sibi exhiberi super proposita exortacionis facte per uenerabilem in sacra pagina magistrum Georgium Vernerii ordinis fratrum minorum eiusdem loci et guardianum dicti ordinis sancti Francisci eiusdem loci qui persuasit ipsis hominibus et comunitati dicti loci ad euitandum malignitates temporum potissime ruarum inundacionum aquarum et tempestatum quibus iamdudum locus ipse Montiscalerii cum districtu submittitur et statuere ac ordinare quod amodo in antea nulla persona de Montecalerio uel ibi habitans per se uel alium directe uel indirecte audeat
b uel presumat diebus dominicis uel festis in uolumine capitulorum Montiscalerii numero millesimo quatercentesimo uigesimo secundo sub rubrica de diebus festiuis et eorum numero prohibitis laborari capere ordinare appostare firmare aut locare aliquos laboratores tam cum personis quam cum bestiis eorum nec reciproce ipsi laboratores tam cum ipsis personis et cum eorum bestiis sese locare nec firmare presumant ipsis diebus nec non in ipsis diebus festiuis seu altero eorumdem accedere presumant ad colligendum et incidendum ac esportandum erbam in et de eorum propriis possessionibus aut alicuius cum hoc precedat contra preceptum diuinum et super premissis penam condecentem ordinare placeat et partitum dare.

c In cuius quidem consilii reformacione in quo quidem consilio aderant et interfuerunt consiliarii in numero sufficienti et ultra quam due partes premissa exortacione uulgariter pubblicata per prefatum uenerabilem fratrem Georgium Vernerii in eodem consilio ad plenum intellectum omnium in eodem consilio existencium dato partito et uicto ad tabulas albas et nigras cum presencia auctoritate deliberacione et consensu prefati spectabilis domini iudicis sedentis pro tribunali ut moris est ad solitum banchum iuris in ipso palacio et consilio et in premissis omnibus auctorizantis et consentientis ipsi consiliarii nemine discrepante ipso partito obtento condiderunt ordinauerunt et fecerunt capitulum et statutum perpetuo irreuocabiliter
d ualiturum uidelicet quod ad honorem Dei ac beate uirginis Marie nec non in obseruacionem sui dignissimi precepti quod amodo in antea nulla persona de Montecalerio uel ibi habitans siue in finibus et iurisdicione eiusdem audeat uel presumat diebus dominicis uel festiuis ab ecclesia sanctificari et celebrari preceptis et in uolumine capitulorum dicti loci comprehensis et denotatis seu altero eorundem aliquos laboratores colonos seu manuales locare firmare apostare seu conducere ad aliqua opera personalia exercenda cum personis seu bestiis directe uel per indirectum quouis quesito colore nec e contrario ipsi laboratores seu coloni cum eorum personis seu bestiis ipsorum sese firmare seu locare aut alias ad inuicem paciscere pro

dictis laboribus et exercitio fiendis in eorum possessionibus presumant nec herbam metere uel colligere ac exportare sub pena solidorum quinque uiannensium pro quolibet contrafaciente et qualibet uice per quemlibet contrafacientem ipso iure committenda et exequi possit absque aliquali condempnacione precedente seu decretacione. Cuius pene tercia pars applicetur curie Montiscalerii et reliqua uero due partes applicentur ad fabricam et manutencionem unius cerei in honorem beati Grati fabricandi et manutenendi et quilibet bone uocis et fame possit accusare et cum iuramento officiales dicti loci inquirere et cuilibet accusanti credatur iuramento suo et executio fiat omni solemnitate iuris obmissa et ne quispiam ualeat ignoranter se excusare sono tube in locis solitis publicari debeat statutum predictum iteratis uicibus singulis annis.

Capitulum factum super declaracionibus factis in execucione mandatorum ducalis Sabaudie celsitudinis de euellendo plantaciones ficharum factas in flumine Padi.

In nomine Domini amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo quatercentesimo septuagesimo sexto indictione nona die uigesimaprima mensis septembris conuocato et congregato consilio generali loci Montiscalerii credencie de uigintiquatuor et centum capitum domorum in palacio comunis dicti loci ubi consilia celebrari solent de mandato et iniunctione spectabilis uiri Georgii Chalenderia honorabilis castellani eiusdem loci instantibus et requirentibus egregiis uiris Bartholomeo Nouelli et Desiderio Degle sindicis et sindicario nomine comunitatis et hominum ac singularum personarum eiusdem loci ad eternam rey memoriam ac pro euidenti utilitate reipubblice eiusdem loci Montiscalerii peciit prefatus nobilis castellanus consilium exhiberi super infrascripta proposta et capitulo condendo et ordinando perpetuo ualituro uidelicet quod omnes et singule declaraciones et ordinaciones facte et declarate per magnificum ducale consilium Thaurini residens et nobilem Leonardum Dugorath castellanum tunc eiusdem loci Montiscalerii tamquam commissarios specialiter deputatos per ducalem Sabaudie celsitudinem patentibus literis eiusdem celsitudinis debite sigillatis super euulsione et eradicacione ficharum et nauiglarum ac aliarum plantacionum in flumine Padi factarum etc. reducantur in uim capituli perpetuo ualituri iuxta formam et tenorem ipsarum commissionum et declaracionum ut premittitur factarum. In cuius quidem consilii reformacione in quo quidem consilio aderant et interfuerunt consiliarii in numero sufficienti et ultraquam due partes ipsis omnibus dominicalibus literis commissionalibus et declaracionibus subsequentibus lectis et uulgarizatis mature de uerbo ad uerbum ad plenam intelligenciam omnium existencium in dicto consilio dato et uicto partito ad tabulas albas et nigras ut moris est cum presencia auctoritate

a et deliberacione ac consensu prefati domini uicecastellani sedentis pro tribunali ut moris est ad solitum banchum iuris in ipso palacio et consilio et premissis omnibus auctorizantis et consencientis ipsi consiliarii nemine discrepante dato ut supra et obtento ac uicto dicto partito condiderunt ordinauerunt et fecerunt capitulum et statutum perpetuo irreuocabiliter ualiturum de premissis omnibus tenoris infrascripti.

Supplicatio.

Illustrissime uestre celsitudini humillime et reuerentissime significatur et exponitur parte eiusdem
b uestre celsitudinis humilium et fidelium subdictorum comunitatis et hominum Montiscalerii uerum fore quod cum uestra prelibata celsitudo habeat prope et ultra pontem Padi uiui molendina noua eiusdem uestre celsitudinis et ipsa comunitas et homines habeant eorum predia et possessiones per rectitudinem dicti fluminis Padi tam supra quam infra dictum pontem prout se extendunt fines dicti loci fecerintque ipsi homines et comunitas per diuersa tempora magnas expensas et grauia onera supportauerint in faciendo et construendo tagliatas et diuersiones dicti fluminis adeo quod ipse Padus magis directe et profundius laberetur et discurreret tam pro utilitate et comodo dictorum molendinorum uestre prelibate celsitudinis nauiganciumque
c pro aditu gabelle salis Nicie quam tocius reipublice haberetque prelibata celsitudo et habeat aquam et piscacionem dicti fluminis Padi limitatam que solita erat uestre pretacte celsitudini annuatim reddere quandoque quadraginta florenos quandoque plus quandoque minus nichilominus post assertas concessiones per uestram pretactam celsitudinem factas molendinorum Padi et magnas plantaciones fichas et occupaciones prope ipsa molendina et in corpore dicti fluminis factas plantatas et appositas nec non et propter nonnullas nauiglias per quosdam singulares in ipso flumine constructas ipsum flumen Padi non potuit nec potest ipsum suum solitum discursum habere quinymo ipsum iaceum Padi ubi profundum erat repletum est et eleuatum et cogitur aqua
d dicti fluminis capere nouos aditus propter occupaciones predictas regorgantur dietim molendina uestra et minantur ruinam nec operari possunt aqua et piscaria uestre prelibate celsitudinis remanet infertilis nec reperitur quis eam accensare uelit locusque uester predictus Montiscalerii si Padus ipse capiat nouos aditus prout eminet periculum magis debilis remanebit eminetque periculum ne desuper pontem ipsum flumen faciat nouum aditum et relinquat pontem ipsum. Igitur ubi boni et fideles subdicti ipsi homines et comunitas premissa omnia et singula eidem uestre celsitudini significant et exponunt humillime supplicantes ut dignetur prefata uestra celsitudo super premissis omnibus opportune prouidere prout sanius et salubrius uide-

bitur et placuerit uestram celsitudinem Altissimus [a] ad uota conseruet.

Sequitur prouisio.

Yoland primogenita et soror christianissimorum Francie regum ducissa tutrix et tutorio nomine illustrissimi filii nostri carissimi Philiberti ducis Sabaudie spectabili domino Anthonio de Plozasco iurisutriusque doctori nobiscum residentis consilii presidentis Ruffino de Muris financiarum generali consiliariis et Leonardo Dugorut castellano nostris Montiscalerii salutem. Visa supplicacione his annexa et eius continencia attenta affectantes ne dum indempnitati prelibati filii nostri cuius tutelam gerimus uerum et tocius reipubblice ut conuenit possethenus pro- [b] uidere igitur uobis et duobus uestrum insimul expresse sic fieri uolentes committimus et mandamus quatenus hiis receptis ad loca opportuna personaliter accedentes de et super supplicatis ac ex eis emergentibus uniuersis in quantum fines et mandamentum Montiscalerii se extendunt dumtaxat uos diligenter et iuridice informetis et loca ipsa oculata fide uisitetis et si ex informacionibus per uos sumendis et uisitacione uestra comperieritis nauiglias fichas plantaciones et impedimenta in corpore et iacu fluminis Padi apposita tam desuper quam subtus et infra dictum pontem de quibus ipsa refert supplicatio molendinis nostris et prelibati filii nostri ultra et prope pontem dicti Padi constitutis uilleque Montiscalerii predicti reique pubblice et [c] nauigantibus per ipsum flumen et singularibus personis dampnosas et dampnosa persistere eo casu ad remotionem euulsionem et uirilem et festinam eradicacionem ipsorum impedimentorum nauigliarum ficharum et plantacionum predictarum procedatis et procedi faciatis et in premissis et circa peragendis et ad reuolucionem dicti fluminis ubi expediens fuerit ceterisque ex eis dependentibus emergentibus et connexis prouideatis uiis et modis omnibus quibus fieri poterit forcioribus etiam manu militari si opus sit quemadmodum uobis et duobus uestrum insimul et concordibus eque et rationabiliter fiendum uidebitur quoniam nos in premissis peragendis et exequendis ceterisque ex eisdem dependentibus uniuersis uobis et duobus uestrum in- [d] simul plenam presentibus impertimur potestatem et ab omnibus et singulis ducalibus officiariis fidelibus et subdictis pareri uolumus et intendi cum et sine penis uelut nobis uosque fortes fieri manu potenti et armata si opus sit literis in contrarium emanatis et aliis quibuscumque contrafacientibus non obstantibus quibus harum serie derogamus. Datum in Montecalerio die decima tertia maii millesimo quatercentesimo septuagesimo quinto.

Per dominum presentibus dominis
Petro de sancto Michaele cancellario Sabaudie
Ludouico domino Auanciati magistro hospicii
Michaele de Canalibus
Lanfranco de aduocatis
Eldrado Canauoxii
Stephano Cheuuerii aduocato fiscali et
Alexandro Richardins thesaurario generali

Bocherii.

Illustrissime uestre celsitudini humillime ac reuerentissime significatur et exponitur parte eiusdem uestre celsitudinis humilium et fidelium subdictorum et comunitatis hominum Montiscalerii uerum fore quod cum uestra prelibata celsitudo ad significacionem et supplicacionem prefactorum comunitatis et hominum suis patentibus literis commiserit spectabili domino Anthonio de Plozasco iuris utriusque doctori presidenti memorati consilii cum ipsa uestra celsitudine residentis Ruffino de Muris financiarum generali et Leonardo Dugorut castellano dicti loci Montiscalerii et duobus ex eis quatenus plantaciones fichas et nauiglias factas et plantatas in flumine et corpore Padi tam supra pontem dicti Padi quam infra et alia de quibus in ipsis literis commissionalibus mentio fit uisitarent et inde si constaret eisdem ipsas plantaciones et diuersiones dicti fluminis dampnosas ut supplicatum et significatum extitit super eisdem omnibus prouiderent et eradicari facerent et adimplerent prout et quemadmodum plenius in ipsis literis descriptum est que exhibentur et quia ipsi spectabiles commissarii deputati tam propter morbum pestiferum occursum in ipso loco Montiscalerii quam propter accessum uestre celsitudinis ad partes Sabaudie factum ipsam eorum commissionem adimplere non potuerunt ita quod magna dampna insupportabilia propter ipsa diuersa impedimenta tam prefata uestra celsitudo quam ipsa comunitas et homines ex post supportarunt et supportant et magnum periculum eminet ipsum pontem Padi relinquere igitur pro parte qua supra humilime supplicatur prefate uestre celsitudini ut dignetur committere aliquibus ex dominis magnifici consilii uestri Taurini residentis castellanoque aut eius locumtenenti uel iudici Montiscalerii quatenus ipsas literas commissionales exequantur et exequi debeant sine mora ipsi per prefatam uestram celsitudinem deputandi aut duo ex eis prout plenius prefate uestre celsitudini melius uidebitur quam conseruet ad uota omnipotens Deus.

Yoland primogenita et soror christianissimorum Francie regum ducissa tutrix et tutorio nomine illustrissimi principis filii nostri carissimi Philiberti ducis Sabaudie. Dilecto consilio Taurini residenti nec non castellano Montiscalerii ipsiusque castellani locumtenenti salutem. Visis binis supplicacionibus et literis nostris hiis annexis et consideratis in eis contentis uobis districte precipimus committimus et mandamus quatenus predictas literas nostras his annexas iuxta illarum formam mentem et tenorem exequcioni demandetis alio a nobis non expectato mandato. Datas Lausanne die quinta maii millesimo quatercentesimo septuagesimo septimo.

Per dominam presentibus dominis
R. D. Anthonio Lamberti decano Sabaudie
Philiberto de Palude domino sancti Iulini
Georgio de Solario domino Villenoue
Ioffredo de Riperolio magistro hospicii et
Alexandro Richardins thesaurario.
De Puteo.

Yoland primogenita serenissimorum Francie regum ducissa tutrix et tutorio nomine illustrissimi filii nostri carissimi Philiberti Sabaudie etc. ducis dilectis consilio Thaurini residenti nec non castellano Montiscalerii seu eius locumtenenti salutem. Cum per alias patentes literas nostras adsignacionem nobis factam per fideles nostros homines et comunitatem Montiscalerii uobis commisserimus uiuisitacionem ficharum plantacionum et occupacionum factarum et existentium in flumine Padi tam de subtus pontem quam supra et inde euulsionem et reparacionem ipsorum omnium prout in literis Lausanne a nobis sub die quinta maii emanatas per De Puteo signatas continetur uolentes igitur et optantes ipsas commissionales literas celeriter ad effectum produci causante dampno euento molendinis nostris et toti reipubblice nouiter nobis significato ex igitur nostra certa scientia ducali auctoritate qua tutorio nomine premisso fungimur etiam quia sic nobis fieri placet uobis districte committimus precipimus et mandamus quatenus uisis presentibus ad loca propter hec opportuna uos transferentes ipsas literas nostras super premissis concessas et emanatas exequamini et ad debitum exequucionis effectum demandetis iuxta ipsarum formam mentem et continenciam etiam manu militari si opus sit opposicionibus excusacionibus exceptionibus appellationibus literisque et mandatis ac aliis in aduersum obiicientibus et facientibus penitus reiectis et non obstantibus quibus derogatum esse decernimus. Datum in Gayo die uigesima iunii anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo sexto.

Per dominam presentibus dominis
Urbano episcopo Vercellensi
Anthonio Lamberti decano Sabaudie
Philiberto de Palude domino sancti Iulini
Ioffredo de Riperolio magistro hospicii
Alexandro Richardins thesaurario Sabaudie
Tortelleti.

Consilium illustrissimi principis domini nostri domini Philiberti ducis Sabaudie citra montes Thaurini residens. Uniuersis et singulis presencium seriem inspecturis facimus manifestum quod anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo sexto indictione nona et de mensibus iunii et iulii proxime cursis nuperrime uero die tercia mensis Augusti Thaurini coram nobis comparuerunt egregii Bartholomeus Nouelli et Desiderius Degle sindici et sindicario nomine hominum et comunitatis ac uniuersitatis Montiscalerii prout de eorum sindi-
a catu et constitucione constare dicitur in libro consilii comunitatis dicti loci manu Vieti Pisii notarii publici descripta exhibentes et presentantes nobis commissionales literas ducales presentibus annexas tam primo quam secundo loco et ultimate obtentas ad causam ficharum plantacionum nauigliarum et impedimentorum factorum et constructorum ac existencium in iacio et flumine Padi tam supra quam subtus pontem Padi dicti loci debite sigillatas et subscriptas quarum prime date sunt Lausanne die quinta mensis maii et per egregium De Puteo ducalem secretarium subscripte ultime uero date sunt in Gayo die uicesima mensis iunii et per egregium Tortelleti ducalem secretarium subscripte ipsarum literarum exequucionem requirentes iuxta illarum
b mentem formam et continenciam tam pro interesse ducalis Sabaudie celsitudinis quam comunitatis et tocius reipublice ac singularum personarum dicti loci quibus ducalibus literis reuerenter receptis et ipsarum inspectis tenoribus paratos nos obtulimus mandatis inhibi comprehensis obedire et in ipsarum exequucionem nos Anthoninus Championis presidens et Petrus de Ponte collateralis totum consilium predictum representantes ad locum Montiscalerii et inde ad loca in supplicacione et literis retroscriptis mencionato personaliter transtulimus nobiscum assistente nobili Leonardo Dugoruth castellano dicti loci cum commissario in eis nominato ipsumque flumen Padi quantum fines dicti loci se extendunt molendinaque prelibati domini nostri prope
c pontem fichasque plantaciones nauiglias et impedimenta de quibus ipse litere mentionem faciunt personaliter diligenter et oculata fide uisitauimus uocatis citatis et debite ad hoc monitis spectabilibus dominis Rippalte in persona Iacobini de Pado Remigio Panicerie ad domum sue solite habitacionis et in persona Margarite sue uxoris ac Iaffredo Gramaye in persona Bartolomei Gati eius factoris per Michaelem de Lauacheria et Stephanum Corderii decanos curie Montiscalerii sic referentes. Et quia per huiusmodi uisitacionem nostram et ex informacionibus ad partem per nos sumptis comperimus dictas fichas plantaciones nauiglias et impedimenta tam subtus pontem quam prope molendina Padi quam super pontem apposita et existencia esse dam-
d pnosas et dampnosa ac cedere in dampnum interesse et preiudicium prelibati domini nostri et suorum molendinorum ac comunitatis et singularium personarum Montiscalerii et tocius reipublice uigore nobis ut supra facte ducalis commissionis ordinamus et declaramus ac iubemus ipsas fichas plantaciones nauiglias et impedimenta in ipso flumine Padi tam supra quam subtus dictum pontem quantum fines dicti loci se extendunt fore extrahendas tollendas et remouendas ac de facto extrahi et remoueri ac euelli debere iuxta formam et tenorem ipsarum retroscriptarum literarum reseruatis leuatis ipsorum molendinorum Padi iuxta pontonos et subtus aquam existentibus donec aliud per nos fuerit cognitum et ordinatum. Execucionem uero euulsionis

et remocionis ipsarum ficharum plantacionum nauigliarum et impedimentorum prefato Leonardo Dugouruth Castellano Montiscalerii cum commissario presenti et acceptanti in solidum serie presencium committentes et remittentes. Mandantes hoc ideo serie presencium uniuersis et singulis ducalibus officiariis mediatis et immediatis seruientibusque generalibus et cuilibet eorundem quatenus prefatis dominis Rippalte Iacobino de Pado Remigio Panicerie Chaffredo Gramaye et ceteris quibus expedierit nostri parte ac etiam ducali qua fungimur et uices gerimus ut supra etiam uoce preconia inhibeant quibus etiam per presentes inhibemus sub pena ducalis indignacionis et centum librarum forcium pro quolibet ne in ipso flumine Padi quantum fines dicti loci se extendunt ulterius plantare seu plantari facere aut aliter quoquomodo discursum ipsius fluminis occupare presumant. Et ulterius quia ex huiusmodi nostra uisitacione comperimus ipsum flumen Padi a bosco seu nemore cellarum usque ad ipsum Pontem Padi intra fines Montiscalerii multos uariosque et longos facere circuitus in grande dampnum singularium personarum dicti loci nauiganciumque et gabelle salis ac tocius reipublice declaramus ordinamus et fieri iubemus etiam manu militari si opus sit dictas diuersiones tagliatas per loca magis directa et breuiora fodiari diuerti et reparari ac alia necessaria et opportuna fieri ita quod suum directum cursum aqua dicti fluminis habere possit satisfaciendo tamen dampna passis seu passuris racione dicte diuersionis extimacione proborum uirorum hinc inde eligendorum ubi quando et prout ipsis hominibus et comunitati ac deputandis uidebitur et placuerit quibuscumque opposicionibus exceptionibus excusationibus et appellationibus in contrarium forsitan adducendis et facientibus reiectis et non obstantibus. Quibus quidem declaracioni ordinacioni inhibicioni et aliis omnibus et singulis supra per nos gestis prefati sindici nominibus quibus supra nobis gratias referentes et acceptantes consenserunt et de premissis sibi fieri pecierunt dictis nominibus literas opportunas seu pubblicum instrumentum per me notarium subsignatum. Datum in Montecalerio in hospicio Capelli Rubey in camera superiori anno et die premissis.

Presentibus ibidem uenerabili domino fratre
Iohanne de Ferrandis preposito conuentus sancti Iacobi Montiscalerii et
Nycolao Poterii de Valle Augusta ambobus ad premissa testibus adhibitis et uocatis.

Per consilium relacione dominorum
Anthonii Championis presidentis et
Petri de Ponte collaterali

De Ruscatiis.

Anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo sexto die quinta mensis augusti hora terciarum exhibite et presentate fuerunt retroscripte dominicales exequutoriales litere spectabili Leonardo Dugourut honorabili castellano Montiscalerii com-

a missario in eisdem nominato per nobiles Bartholomeum Nouelli et Desiderium Degle sindicos et sindicario nomine hominum et comunitatis dicti loci etiam pro iuribus et interesse fiscalibus ducalis Sabaudie celsitudinis et tocius reipublice ipsarum exequucionem requirentes sine mora iuxta illarum formam et continenciam. Quibus dominicalibus commissionalibus et exequutorialibus literis ut decet reuerentissime receptis et mandatis commissione declaracione inhibicionibus commissione declaracione inhibicionibus in retroscriptis ultimo annexis et designatis uisis et ipsarum omnium aduisato tenore paratum se obtulit prefatus dominus castellanus et commissarius mandatis predictis obedire et in ipsarum exequucionem illico precepit et iniunxit Ber-
b tholino Grassoto Iohannino Picado eorum consorcio Sebastiano Villate Bartholomeo Pascherii Bruneto Parioti Thome Bertholinato Meglorino Vitono ac aliis in pede presentis exequutionis particulariter denotatis et descriptis quatenus cum earum nauibus personis et artegleriis ac ingeniis opportunis incontinenti accedere debeant ad flumen Padi uidelicet ad fichas et plantaciones in ipso flumine Padi existentes et appositas apud molendina Padi et inde successiue ad nauiglias et alia impedimenta in ipso flumine tam supra quam subtus pontem existentia quantum fines Montiscalerii se extendunt illasque et illa euellere et eradicare debeant iuxta formam predictarum literarum sumptibus moderatis sub pena centum librarum forcium pro quolibet casu con-
c trario committenda et fisco ducali irremissibiliter applicanda. Qui quidem magistri solicitatores et operarii supra et inferius nominati uirtute dicte eis ut supra et cuilibet eorum facte iniunctionis se se paratos obtulerunt obedire mandatis et illico et incontinenti cum eorum nauibus personis artegleriis et ingeniis se se ad ipsas fichas et plantaciones ac alia impedimenta de quibus supra transtulerunt et ad euulsiones et eradicaciones eadem die processerunt prout supra a prefato domino castellano et commissario habuerunt in mandatis.

Quorum nomina sunt hec uidelicet
Henrietus Barboti
Michael Bonescontri
Petrus Racheti
d Anthonius Regis
Bernardus Trana
Michael Restoni
Michael Grassoti
Gaspardus Grassoti
Dominicus Barriani
Thomeus Fossati
Michael Mangagrassa
Ludouicus Vaxini
Symondus Belletoni
Iacobus Rana
Sebastianus Brondelli
Gaspardus Brondelli
Nicholinus Pascheri
Anthonius Forani magister

Petrus de Saluciis
Dominicus Cesia
Faciotus de Faciotis
Anthonius Canauoxii
Laurencius Racheti
Iohannes Forcelli
Bartholomeus Tesseroti
Gaspardus de Brayda
Iohannes Zauchoni
Michael de Versumo
Franciscus Iacomacii
Dominicus de Versumo
Iacobus Rauerii
Melanus de Veglermoto
Perronus Fosselli
Pascherius de Pascheriis et
Guiraldus Bessucii

Guidetus de Pysiis.

Anno supra et infrascripto die decima mensis augusti Bartholomeus de Bugella seruiens generalis etc. habitator Montiscalerii retulit mihi notario subsignato se hodie de mandato spectabilis Leonardi Dugorut honorandi castellani Montiscalerii et in exequucionem literarum dominicalium commissionalium et exequutorialium introscriptarum et retroscriptarum ipsas literas presentasse retronominatas nobili Remigio Panicerie in persona nobilis Margarite eius uxoris spectabilibus dominis Rippalte in persona nobilis Iacobini de Pado eorum factoris et ipsi nobili Iacobino in quantum sua interest nec non et nobili Iaffredo Gramaye in persona Bartholomei Gati eius factoris eisdemque et cuilibet ipsorum precepisse et iniunxisse ac inhibuisse quatenus amodo in antea non presumant in ipso flumine Padi quantum fines dicti loci se extendunt plantare seu plantari facere aut aliter quouis modo discursum ipsius fluminis occupare per se se uel alias interpositas personas sub pena ducalis indignacionis et centum librarum forcium pro quolibet et lacius prout in ipsis literis continetur et a prefato domino castellano et commissario habuit in mandatis. Datum ut supra.

Anno et die premissis Augustinus Gaya nuncius et tubeta curie Montiscalerii iuratus retulit mihi notario predicto et subsignato se hodie de mandato prefati domini Leonardi castellani et commissarii predicti et in exequucionem predictarum literarum dominicalium instantibus et requirentibus prefatis nobilibus sindicis Montiscalerii in platea dicti loci ubi talia fieri solent sono tube premisso alta et intelligibili uoce proclamasse et inhibuisse ne aliqua persona cuiusuis status et condicionis existat amodo in antea audeat uel presumat quoquo modo per se uel interpositas personas in iacio et flumine Padi quantum fines dicti loci se extendunt plantare seu plantari facere aliqua impedimenta palos seu palafichas aut aliter discursum fluminis Padi quoquomodo occupare sub pena ducalis
a indignacionis et centum librarum forcium pro quolibet et qualibet uice et lacius prout supra in ipsis dominicalibus literis continetur et a prefato domino castellano et commissario habuit in mandatis.

Guidetus de Pysiis.

Capitulum siue ordinacio de salario apothece communis per scribas et clauarios persoluendo.

Anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo nono et die quinta ianuarii in pleno et generali consilio credencie uigintiquatuor et centum capitum domorum comunis et hominum Montiscalerii sono campane et uoce preconis ut moris est congregato cum auctoritate et presencia ac man-
b dato nobilis Lazaroni de Opeciis honorandi castellani dicti loci qui peciit consilium super agendis infrascriptis.

Et primo quid placet prouidere et ordinare super dando modum et ordinem quod scribe et notarii curie ac clauarii de cetero eligendi habeant causam bene seruiendi illustrissimo domino nostro Sabaudie etc. duce et eius officialibus in dicto loco necnon et comunitati dicti loci ac singularibus personis eiusdem loci tam in officio scribanie quam clauariatus dicti loci et attento quod comunitas dicti loci nouiter acquisiuit domum seu palasetum platee a nobili Pauleto Vagnoni et uideretur bonum quod apotheca dicti Pauleti deputaretur de cetero et in perpetuum pro apotheca scribanie et clauarie
c ut scribe et clauarii de cetero eligendi semper ibidem reperiri possint et quod pro fictu et loderio eiusdem apothece taxetur unicuique ex dictis notariis et clauariis quod iustum et honestum uidebitur et super premissis uideretur bonum dare potestatem nobilibus sindicis et decem sapientibus anni presentis uel ipsorum maiori parti eligendi ordinandi taxandi et statuendi prout eis uidebitur et super hoc placeat dare partitum.

In cuius quidem consilii reformacione in quo quidem aderant consiliarii in numero sufficienti et ultra quam due partes cum presencia et auctoritate quibus supra firmatum fuit et obtentum prout infra dato et obtento partito.

Et primo super dicta prima precedenti et unica
d proposta dato et obtento partito cum auctoritate qua supra obtentum fuit et ordinatum uicitque partitum quod nobiles sindici et decem sapientes electi anni presentis quibus presens negocium committitur auctoritate presentis consilii habeant plenum posse et omnimodam potestatem ac bayliam ordinandi taxandi capitulandi et statuendi prout eis uel maiori parti ipsorum uidebitur et quid per eosdem factum fuerit taxatum et ordinatum ualeat et teneat et roboris obtineat firmitatem.

Anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo nono die quinta ianuarii conuocati et congregati infrascripti nobiles sindici et sapientes comunis et hominum Montiscalerii in domo raciona-

trie comunis dicti loci sono campane et citacione ut moris est cum presencia et auctoritate spectabilis Lazaroni de Opeciis condomini Bubiane castellani dicti loci causa et occasione prouidendi statuendi et ordinandi contra scribas et clauarios ad bene et melius seruiendum illustrissimo domino nostro comunitati et singularibus personis attenta eciam acquisicione domus nouiter facta a nobili Pauloto Vagnoni et ad eligendum scribas qui habeant dicta capitula et ordinaciones tam factas quam fiendas obseruari et seruire in dicto officio ut moris est quorum sindicorum et sapientum nomina sunt hec

Nobiles Francesquinus Paniceria Luquinus de Cabureto sindici. Item decem sapientes Blaxius de Altessano Franciscus Merlo Thomas Pisii Iohannonus Plebani Bartholomeus Gatti Anthonius Thurinexii Martinus Niger Martinus Chayraita Iohannes Criuelli et Iohannes Raueti.

Capitulum ut supra de salario apothece comunis per scribas et clauarios persoluendo.

Primo igitur tam pro bono et utilitate ac commodo illustrissimi domini nostri Sabaudie etc. ducis quam comunitatis ac singularum personarum Montiscalerii ac tocius reipublice et ad bene seruiendum in officio scribanie et clauariatus comunitas ipsa Montiscalerii hodie emit et acquisiuit domum unam cum palacio porticu et pertinenciis a nobili Pauleto Vagnoni sub suis coherenciis constante instrumento recepto per egregium Desiderium Degle notarium de dicto loco et qualiter per generale consilium dicti loci ordinatum fuit et commissum suprascriptis nobilibus sindicis et sapientibus ut notarios et clauarios aptos et ydoneos et qui eis uidebuntur eligerent et constituerent pro anno presenti cum et sub fictu et pensione dicte apothece per eosdem nobiles sindicos et sapientes uel ipsorum maiorem partem ordinandis. Ecce quod nobiles prefati sindici et sapientes constituti et congregati in domo racionatrie comunis dicti loci sono campane et citacione ut moris est cum presencia et auctoritate nobilis Lazaroni de Oppeciis de Vigono ex dominis Bubiane castellani Montiscalerii causa et occaxione prouidendi et ordinandi ac statuendi circa premissa quantum eis possibile est cum auctoritate qua supra dato partito ad tabulas albas et nigras ordinauerunt et statuerunt ac capitulauerunt addendo aliis capitulis et ordinamentis iam factis quod notarii ac scribe et clauarii de cetero eligendi et deputandi singulis annis amodo in antea teneantur et debeant ac sint astricti bene et legaliter seruire in dictis officiis scribanie et clauarie capitulaque statuta et ordinamenta facta hinc retro obseruare sub penis in eis contentis. Item et pro fictu et loderio dicte apothece acquisite a dicto nobili Pauleto Vagnoni singulis annis in manibus massarii comunis dicti loci qui pro tempore fuerit soluere quilibet ipsorum notariorum et clauariorum florenos duos parui ponderis. Item teneantur et debeant ipsi notarii et scribe eligendi omnes et quascumque sentencias et condempnaciones criminales tam in decretacionibus fiendis quam in hiis ubi pena sanguinis exigatur legere et publicare sine exceptione et excusacione quacumque sub pena priuacionis officii scribanie per decennium et de his obseruandis et attendendis quilibet ipsorum notariorum bonam et ydoneam caucionem prestare teneatur.

Ordinacio siue capitulum quod partes litigantes possint compelli et cogi ad eligendos amicos altera parcium requirente.

Anno Domini millesimo quatercentesimo octuagesimo secundo indictione quintadecima die uero quinta mensis ianuarii in pleno et generali consilio credencie uigintiquatuor et centum capitum domorum comunis et hominum Montiscalerii sono campane et uoce preconis ut moris est congregato de mandato cum presencia et auctoritate spectabilis arcium et medicine doctoris magistri Michaelis de Beruto honorandi castellani dicti loci qui peciit sibi consilium exhiberi super agenda infrascripta. Et primo quid placet prouidere et ordinare super faciendo et ordinando ac componendo statutum siue capitulum infrascriptum et eum inserendo et describendo in uolumine capitulorum dicti loci pro bono et utilitate illustrissimi domini nostri Sabaudie etc. ducis ac singularum personarum Montiscalerii et tocius reipublice et ad obuiandum magnis expensis que racione litigiorum cotidie occurrunt singularibus personis Montiscalerii et super hoc placeat dare partitum. In cuius quidem consilii reformacione in quo quidem aderant consiliarii utriusque consilii in numero sufficienti et ultra quam due partes cum auctoritate et presencia prefati domini castellani dato et obtento dicto partito ad tabulas albas et nigras obtentum fuit et ordinatum uicitque partitum quod dictum statutum infrascriptum de uerbo ad uerbum prout superius descriptum est locum habeat uim robur et firmitatem statuti et capituli quod inseri debeat et describi ac apponi in uolumine capitulorum dicti loci et in platea Montiscalerii sono tube publicari per nuncium et tubetam curie et comunis dicti loci.

Quod partes litigantes possint compelli et cogi ad eligendos amicos altera parcium requirente.

Item statutum fuit et ordinatum perpetuo duraturum quod si ad instanciam et requisicionem personarum de Montecalerio uel ibidem habitancium litigancium in curia dicti loci ex quacumque causa inter partes in qua non queratur ius fisco requiratur castellanus siue iudex ab aliqua parcium contendencium concordia siue amicorum electio ad sopiendum uel deffiniendum causas ipsas motas et uertentes teneantur castellanus et iudex et quilibet

ipsorum ex officio cogere et compellere penis et bampnis partem fugientem et requisitam ad eligendos amicos qui habeant dictam causam determinare et diffinire de medio tamen existente castellano uel iudice propter punctum iuris qui posset occurrere in dictis causis et quod inde super dictis causis motis uel mouendis per ipsos amicos et arbitros siue medios diffinitum et pronunciatum fuerit obtineat uim iudicati et roboris firmitatem. A quorum quidem amicorum seu arbitrorum ordinacione arbitrio seu pronunciamento nemo appellare possit recurrere uel dicere se grauatum aut petere reduci ad arbitrium boni uiri.

Publicatio dicti statuti.

Anno et indictione premissis die septima mensis ianuarii Augustinus Gaya nuncius et tubeta curie et comunis dicti loci iuratus retulit nobis Thome Pysio et Desiderio Degle notariis et scribis archarum comunis dicti loci se de mandato prefati domini castellani et ex ordinacione consilii generalis suprascriptum statutum seu capitulum publicasse et promulgasse de uerbo ad uerbum prout in eodem statuto seu capitulo legitur contineri et prout supra habuit in mandatis.

De societate deinceps non tenenda.

Nos Ludouicus de Sabaudia princeps Achaye etc. notum fieri uolumus tenore presencium uniuersis quod cum in loco nostro Montiscalerii fuerit per maiorem partem populi reiectis dumtaxat illis nobilibus de Albergis inita quedam societas cum suis rectoribus et per nos confirmata constantibus nostris patentibus literis etiam confirmatoriis capitulorum factorum inter ipsos de societate nobisque conuentum et promissum fuisset per ipsam nostram comunitatem seu illos de ipsa societate pro ipsis societate capitulis et confirmacionibus ducentos florenos parui ponderis dare singulis annis animaduertentes ipsi de societate talem diuisionem in ipso loco pocius nunc cedere ad ignominiam et diminucionem tocius boni comunitatis quam exaltacionem quod est iam satis euidenter demonstratum per rumorem factum inter eos a paucis diebus citra ex quo plures fuerunt condempnati attendentesque quam summum bonum est habitare in unum et fraternaliter degere cum puro amore nobis fuit humiliter supplicatum pro parte tocius predicte comunitatis nostre et tam illorum de dicta societate quam de Albergis ut eisdem dignaremur remittere dictos ducentos florenos singulis annis debitos cum iam ipsi remiserint societatem et omnes franchisias omniaque capitula per nos eisdem de societate concessas et concessa et per instrumenta publica remittere sint parati in bonamque unionem et comunionem fuerint et sint reconciliati. Unde gratissimum habentes ualde nostros quoscumque subdictos unire in bono amore et pacifica unione et sub

a tranquillo et pacifico statu eos tueri et gubernare ex nostri certa scientia et animo deliberato causis et racionibus ammissis et aliis iustis nos ad hec mouentibus per nos heredesque et successores nostros quoscumque remittimus perpetuo et in eternum quittamus eidem comunitati et quibuscumque ex ipsa societate nec non secretario nostro dilecto Anthonio Maleti publico notario more et officio publice persone recipienti et acceptanti nomine et uice ipsius comunitatis et societatis ac omnium et singulorum quorum interest et intererit dictos ducentos florenos quos nobis singulis annis debebat ipsa comunitas seu societas nec non omnes et singulas promissiones qualitercumque factas generaliter uel particulariter per ipsos de Albergo uel de
b dicta societate pro ipsa societate facienda uel manutenenda iam facta aut pro dicta societate cansanda tollenda uel annullanda. Mandantes harum serie notario qui recepit instrumentum obligacionis dictorum ducentorum florenorum quatenus ipsum instrumentum canzellet et aboleat quod tenore presencium cancellamus et annullamus et pro cancellato ex nunc haberi uolumus et reputamus. Ordinantes pariter et statuentes per presentes de nostre plenitudine potestatis pro bono tocius comunitatis nullam de cetero esse societatem nec posse esse in futurum in ipso loco Montiscalerii quoquo modo nec quauis ex causa. Volentes omnino omnia et singula capitula libertates et franchisias facta et factas confirmata et confirmatas pretextu dicte societatis
c esse cassa uana irrita et nulla que et quas tenore presencium cassamus et annullamus et pro cassatis et annullatis habere uolumus sed omnes de loco ipso manere continue in bono amore et unitate omni sublata differencia. Volentes insuper huiusmodi cassacionem approbari et confirmari per consilium generale comunitatis antedicte ad perpetuam rei memoriam promittentes per nos heredesque et successores nostros bona fide nostra et sub nostrorum quorumcumque obligacione bonorum perpetuo omnia et singula suprascripta et nostris presentibus literis contenta et inserta habere rata et firma et in nullo unquam contrafacere uel uenire aliqua racione uel causa eciamsi de iure possemus. In quorum omnium robur et testimonium presentes
d literas fieri iussimus et nostri sigilli appensione muniri. Datas Pinerolii die duodecima mensis maii anno Domini millesimo quatercentesimo decimo octauo.

Per dominum presentibus dominis fratre Iacobo de Puteo preceptore Murelli F. de Valdetario milite legumque doctore et uicario generali A. Malingri magistro hospicii et F. de Thomatis legum doctore iudice generali.

Reddantur litere portitori
Anthonius Maleti.

Copia literarum dominicalium sindicatus officiariorum.

Nos Ludouicus de Sabaudia princeps Achaye etc. Notum fieri uolumus tenore presencium uniuersis has nostras literas inspecturis quod cum ad nostri peruenerit noticiam quamplures officiales nostros plurima committere enormia et extorsiones facere illicitas et immoderate nobis insciis et ignorantibus neminique dubium talia tollerando cedunt in ipsorum nedum dedecus sed et nostri nostrorumque subdictorum maximum preiudicium et detrimentum absit nos talia uelle pati et maxime quod a ministratoribus iusticie et protectoribus oriatur iniusticia fiant quoque et extorsiones. Volentes igitur in hoc prouidere et maxime in omnibus nostris ciuitatibus terris et uillis ubi alias non appareat prouisum ut in loco nostro Montiscalerii de sufficienti remedio pro nostri uiriumque nostrorum conseruacione ac amore iusticie et utilitate dicte nostre terre ex nostri certa scientia prehabitaque super hoc deliberacione matura sancimus statuimus pariter et ordinamus et in franchisiam ac libertatem comunitati et hominibus nostris Montiscalerii concedimus per presentes quod de cetero singulis annis et in perpetuum uel saltem in fine officii cuiuslibet officialis nostri Montiscalerii qui nunc sit et pro tempore fuerit prout eidem comunitati et hominibus melius et sanius uidebitur possint ac debeant ipsi officiales uidelicet castellanus iudex uicecastellanus et clauarius ac clientes et familiares curie per quatuor probos et ualentes uiros de consilio seu credencia eiusdem loci sindicari et per eos quecumque querelle fiende contra ipsos officiales audiri in quo sindicatu stent et stare teneantur per octo dies si fiant quolibet anno sin autem per duodecim. Volumus tamen quod in audiencia ipsarum querelarum et in decisione earundem intersit cum ipsis quatuor probis uiris noster iudex generalis qui nunc est uel pro tempore fuerit si poterit adesse alias autem adsit alius ualens et bonus iurista eligendus per ipsos quatuor homines sindicatores qui iudex seu iurista stet et uacet in premissis expensis dicte comunitatis et qui iurista teneatur iurare ad sancta Dei euangelia in manibus ipsorum sindicatorum et in presencia sindicandorum et consiliariorum ipsius loci uel maioris partis bene iuste et sancte iudicare et iura nostra saluare bona fide et pro posse pariter et honore. Quo sindicatu durante nec eciam post non ualeant nec possint ipsi officiales recedere de ipso loco Montiscalerii quousque debite satisfecerint omnibus et singulis eorum creditoribus et ab eisdem officiariis uel ipsorum aliquo quouis modo habere debentibus et etiam omnibus et singulis personis de ipso loco Montiscalerii et ibidem habitantibus a quibus aliquid indebite extorsissent uel accepissent nisi prius dicti officiarii et quilibet ipsorum ut supra ydoneam prestiterit caucionem in ipso loco de satisfaciendo premissis creditoribus et personis illud in quo reperiretur eis

a teneri infra unum mensem post sindicatum siue recesserint siue remanserint in eodem officio presentibus ex nunc ad nostri beneplacitum in suo robore ualituris. In quorum omnium robur et testimonium presentes fieri iussimus et nostri sigilli munimine roborari. Datas Pinerolii die duodecima mensis maii anno Domini millesimo quatercentesimo decimo octauo.

Per dominum presentibus dominis fratre Iacobo de Puteo preceptore Murelli F. de Valdetario uicario generali A. Malingri magistro hospicii et F. de Thomatis legum doctore iudice generali.

Reddantur litere portitori
A. Maleti.

b *Sequitur copia instrumenti transactionis inite inter ueteres consiliarios comunis Montiscalerii ex una parte et populares minutos ex alia in quo instrumento primo ponitur prohemium in quo inseruntur dubia questiones replicaciones triplicaciones que acta et attitata fuerunt inter ipsas partes in audienciis de quibus ibidem fit mencio super quibus dubiis altercacionibus et controuersiis deuentum fuit ad transacionem inter ipsas partes interueniente tractatu illorum de quibus in ipso prohemio fit mencio.*

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Anno eiusdem Domini millesimo quatercentesimo uicesimo octauo in-
c dicione sexta cum eodem anno sumpta die octaua mensis octobris. Quoniam hominum memoria labilis est et obliuionis periculo subiecta solent igitur ea que geruntur in tempore ne labantur per tempora notariorum et tabellionum publicorum literis seu instrumentis publicis inde confectis in scripturam reddata memorie commendari ne perirent. Noscat ideo modernorum presencia huius ueri et publici instrumenti serie futurorumque posteritas successiua non ignoret quod cum de anno nuper lapso currente uidelicet millesimo quatercentesimo uigesimo septimo die uigesima octaua mensis martii conuocato et congregato consilio generali centum capitum domorum Montiscalerii et ultra certorum aliorum quamplurimorum hominum eiusdem loci
d uoce preconis et sono campane ut moris est de mandato expresso egregiorum et nobilium uirorum domini Laurencii de Aliotis de Prato tunc uiceiudicis et Manfredi Aynardi alias Giglati uicecastellani predicti loci Montiscalerii ex iniunctione et precepto eis factis per egregium et prudentes uiros dominum Anthonium de Draconibus legum doctorem et Philippum de Vuaschis procuratorem fiscalem Pedemoncium commissarios ad infra narrata et nonnulla alia per illustrissimum principem dominum nostrum dominum Amedeum Sabaudie ducem specialiter deputatos et potestatem super hoc habentes fuerit inter cetera que tunc in dicto consilio gesta et peracta fuere per ipsius consilii reformacionem seu ordinacionem ipsorum consiliariorum centum

capitum et aliorum ibidem tunc existencium de et cum auctoritate tamen et licencia ac consensu dictorum dominorum uiceiudicis et uicecastellani in dicto consilio tunc existencium ac per ipsos sapientes et consiliarios centum capitum et alios ut supra animo deliberato omnesque unanimes et concordes tunc nemine discrepante statutum et ordinatum uidelicet quod consilium dicti loci Montiscalerii mutari deberet prout et mutatum fuit tunc in alias personas quam in eas que usque tunc administrauerant et fuerant in et de dicto consilio et quod ipsum consilium poni deberet sicut et positum fuit in quatuordecim personas ydoneas sufficientes et expertas que omnimodam potestatem haberent ex tunc in posterum uocatis tamen et consencientibus iudice et castellano dicti loci seu ipsorum locatenentibus regendi gubernandi et administrandi taleasque et imposiciones faciendi et imponendi gabellas uendendi in ipso loco ac recuperandi ac exigendi seu exigi et recuperari faciendi exbursandi et expendendi de bonis rebus et obuencionibus quibuscumque dicte comunitatis Montiscalerii et omnia alia et singula faciendi exercendi et transigendi prout et sicut dicti consiliarii tam presentes tunc quam ceteri preteriti habebant et habuerant uigore capitulorum et franchisiarum dicti loci Montiscalerii et prout et sicut dictis quatuordecim personis tunc per eos electis uideretur conueniens et necessarium fore pro comodo et utilitate prelibati illustrissimi principis domini nostri Sabaudie ducis dicteque comunitatis et hominum eiusdem et quod ex tunc et de cetero dicti consiliarii ueteres de quibus supra et qui ante fuerant de dicto consilio nullam haberent potestatem nomine dicte comunitatis consilia ordinandi seu quicquam aliud faciendi modo aliquo sed quod totaliter eisdem prohibitum foret ex tunc in antea quod et eisdem prohibitum extitit per dictum consilium uigore predicte ordinacionis ne de cetero se intromitterent aliqualiter de premissis seu aliquo premissorum donec et quousque bene et sufficienter reddidissent computa et raciones de quibuscumque exactis recuperatis et habitis tam per ipsos consiliarios ueteres quam per massarios et alios per eos deputatos de bonis rebus obuencionibus gabellis et aliis quibuscumque ad ipsam comunitatem et homines eiusdem quouis modo pertinentibus de et pro tempore tunc preterito a tempore mortis recolende memorie illustrissimi principis domini Ludouici de Sabaudia quondam Achaye principis usque tunc et de ipsis integram satisfactionem et restitucionem fecissent dicte comunitati et hominibus eiusdem et quousque per dictum consilium centum capitum existentibus et annuentibus predictis dominis iudice et castellano illud foret reuocatum non obstantibus aliquibus capitulis statutis uel ordinacionibus in contrarium facientibus quas et que si que forent in suspenso interim et haberi uoluerunt fuerintque exinde dicti quatuordecim consiliarii et sapientes ut supra presentibus et consencientibus dictis dominis uice-

a iudice et uicecastellano in dicto consilio et per consiliarios centum capitum domorum et alios ibidem tunc existentes electi et nominati potestatem huiusmodi ut supra habentes inferius proxime nominati uidelicet Philippus Vagnonus Georzonus Zandela Iacobinus de Caburreto Abraham de Gorio Victor Marchoaldus Manuel de Cechis Michael Duchus Franciscus de sancto Beligno Baldesar de Caburreto Mutonus de Mutonibus Matheus de Monteferrato Iohannes Campagninus Malanus Grisetus et Iacobus Vianexius prout hec et quamplura alia lacius contineri dicuntur in libro consilii predicti et in quadam carta seu scriptura pergaminea ex dicto libro et archiuio publico dicti loci extracta incipiente « in nomine Domini amen anno a natiuitate *b* Domini nostri Iesu Christi millesimo etc. » Que quidem ordinacio seu consilii reformacio omniaque et singula capitula et ordinaciones in ea carta seu scriptura predicta ex dicto libro extracta descripte et contente seu descripta et comprehensa fuerunt per prelibatum illustrissimum principem dominum nostrum Sabaudie ducem eius patentibus literis quibus dicte ordinaciones in dicta carta seu scriptura pergaminea descripte et carta predicta sunt annexe datis Thononi die septima mensis maii anno predicto Domini MCCCXXVII eiusque sigillo impendenti cera rubea sigillatis et per Franciscum Guigonardi eiusdem domini nostri ducis secretarium signatis laudate et confirmate mandatumque fuit per eum ipsas ordinaciones in libro aliorum *c* capitulorum dicti loci fideliter annotari et ex tunc de cetero ipsius domini nostri ducis durante beneplacito inuiolabiliter obseruari inhibitumque fuerit per prelibatum dominum nostrum ducem uniuersis et singulis officiariis fidelibus et subdictis suis modernis tunc et posteris sub penis in eisdem capitulis contentis eciam et sub pena sue indignacionis ne in preiudicium ipsorum huiusmodi capitulorum in dicta reformacione et scriptura predicta descriptorum aliquid innouarent uel immutarent seu permitterent per quemquam sine sui licencia et consensu innouari aut alias quomodolibet immutari prout hec lacius in dictis literis confirmatoriis continetur. Cumque eciam ad supplicacionem quamplurimorum hominum de Montecalerio dati et deputati *d* fuissent per prelibatum dominum nostrum ducem commissarii predicti dominus Anthonius de Draconibus Philippus de Vuaschis ad dictos computos uidendum audiendum et examinandum et alia faciendum que et prout in literis sue commissionis inde facte continentur datis Chamberiaci die XXI mensis decembris anno MCCCXXVI. qui per aliqua tempora circa premissa uacasse dicuntur et quia per tempora opportuna et usque ad ipsorum computorum conclusionem ipsi commissarii uacare non potuerunt nec superesse et propterea ad quamplurimorum pauperum hominum et subdictorum prelibati domini nostri ducis Sabaudie de dicto loco Montiscalerii supplicacionem porrectam illustri principi domino nostro domino Amedeo de Sabaudia

principi Pedemoncium fuit per ipsum dominum nostrum principem commissum et mandatum Napiono de Napionibus de Pinerolio et Guillielmo Macharii de Auiglania quatenus ad loca propter hoc opportuna accedentes uocatis qui uiderentur eis euocandi se diligenter informarent et inquirerent computos audirent et examinarent de quibus supra tactum est et in supplicacione predicta sibi porrecta fit expressa mencio ceteraque facerent et debite exercerent que lacius descripta sunt in ipsius domini principis commissione huiusmodi literis datis Thaurini die tercia mensis maii anno Domini MCCCCXXVII eius sigillo cera rubea sigillatis et per Guidonem Columbi ipsius domini principis secretarium signatis. Cum preterea dicti Napionus de Napionibus et Guillielmus Macharii uigore dicte eis super hoc facte commissionis circa dictorum computorum uisionem et examinacionem per certa non modica temporum interualla uacauerint in dicto loco Montiscalerii una cum eisdem nonnullis aliis qui per dictos ueteres consiliarios a dicto consilio ut supra remotos seu suspensos a regimine predicto et computa reddere debentes deputati ordinati et constituti fuerant eorum procuratores ad computandum pro eisdem reddendumque in manibus dictorum commissariorum dictos computos et raciones de quibuscumque receptis et libratis per dictos ueteres consiliarios nomine dicte comunitatis et aliis per eos administratis a tempore predicto mortis dicti domini principis Ludouici quondam citra usque tunc qui sex ipsorum parte ad hoc constituti et ordinati erant in numero ex una parte et una eciam cum certis aliis qui fuerant per dictos populares seu per dictum consilium loci predicti ut supra ordinatum ad ipsorum computorum uisionem carculacionem et examinacionem dictorum commissariorum qui duodecim erant numero et qui pro parte dictarum parcium seu tercia pars eorum cum dictis commissariis ad premissa uacauerunt usque ad conclusionem exclusiue. Cumque per dictos commissarios non fuerit super dictis computis conclusio tunc facta obstantibus aliquibus parcellis libratorum quas dicti populares seu deputati pro eis ut supra ad dictam uisionem faciendum in dubium reuocauerant et super quibus aliquamdiu fuit coram dictis commissariis et successiue coram uenerabili consilio prelibati domini nostri principis cum eo residenti coram quo dicte partes fuerunt per dictos commissarios remisse litigatum. Cumque successiue dicto durante adhuc inter partes predictas super premissis litigio nondum discusso partes iam dicte ambe seu earum et cuiuslibet ipsarum procuratores assignate fuerint apud Pynerolium compariture ad certum diem coram dicto uenerabili consilio prelibati domini nostri principis ipsiusque uenerabilis consilii ordinacionem super hinc inde inter easdem partes agitatis auditure seu alia facture que et prout in memoriali seu literis assignacionis lacius describuntur et comprehenduntur. Cumque eciam partibus predictis seu uerius nonnullis eorum

a nunciis et pro ipsis ut dicitur missis ibidem in loco Pinerolii existentibus uidelicet domino Georgio Varoti Anthonio Panicerie Ruffineto Ponzillioni Nicholino Carpacii et Iohanne Auarreni suo proprio et aliorum consiliariorum ueterum Montiscalerii consortum suorum nominibus ex una parte et Philippo Vagnoni sindico comunitatis dicti loci Montiscalerii Vieto Pysii Iacobo Mazuchi Anthonio Bezucii et Dominico Gregorii ex et de popularibus ipsius loci Montiscalerii constitutis et comparentibus consencientibus ac petentibus et supplicantibus per prelibatum dominum nostrum principem differencias premencionatas et inter dictas partes uigentes declarari et causam predictam inter eas tunc uentillantem terminari dictus dominus noster prin-
b ceps ne inter ipsas partes maior rancoris materia suscitaretur deputauit certos ydoneos probos et expertos homines ad tractandum de ipsarum parcium concordia et pacificacione qui tamen per plures intenti ipsas partes ad concordiam reducere non uoluerunt sed illas coram dicto uenerabili consilio remiserunt ad certam ideo ordinacionem super premissis faciendam processerit prelibatus dominus noster princeps de consensu tamen et uoluntate dictorum deputatorum tunc comparencium in dicto loco Pynerolii per quem inter cetera fuit per ipsum ordinatum et decretum fore inter dictas partes et uigere debere ex tunc in posterum bonam pacem amorem et fraternitatem remissis omnibus zinzaniis rancoribus malenconiis odiis et iniiuriis existenti-
c bus uel si que forent tunc inter dictas partes. Item quod dicti consiliarii antiqui soluere tenerentur et realiter expedire massario dicti loci Montiscalerii totum illud quod appareret eos debere dicte comunitati per ipsos antiquos consiliarios ex iussione et examinacione dictorum computorum facta seu fienda per dictos commissarios fuitque etiam ordinatum per dictum dominum principem ipsos consiliarios ueteres quia nil dolose reperiebantur egisse in sua ipsorum administracione ideo ipsos nullam penam mereri sed quia ipsi consiliarii antiqui de negligencia et non obseruacione capitulorum et statutorum Montiscalerii in suo regimine consulatus per processum dicte cause merito ueniebant redarguendi unde dictis popularibus suffuerat causa
d impetracionis dictorum commissariorum ordinatum fuit quod ipsi ueteres consiliarii contribuere tenerentur et deberent in omnibus expensis et missionibus factis per dictos populares occasione et ad causam omnium et singulorum premissorum et quod pariter dicti populares contribuere tenerentur in omnibus missionibus et expensis per dictos ueteres consiliarios occasione premissorum supportatis. Preterea fuerit etiam tunc per dictum dominum nostrum principem ordinatum quod infra octo dies ex tunc immediate sequentes congregaretur et conuocaretur simul totus populus Montiscalerii seu capita domorum semel uoce preconia in ecclesia beate Marie ipsius loci in qua conuocacione interesse deberent presentes iudex uel castellanus ipsius loci

seu eorum locatenentes ac commissarii predicti quibus ibidem simul conuocatis per dictos commissarios una cum altero dictorum iudicis uel castellani reciperetur ueridica et summaria informacio de ydonioribus sagacioribus et notabilioribus omnium statuum dicte uniuersitatis qua informacione sumpta centum ex ipsis notabilioribus ut supra nominari et eligi deberent inter dictam uniuersitatem et constituerentur generales consiliarii et tamquam generale consilium ipsius loci perpetuo facientes ita tamen quod de quolibet genere dicti loci in ipso consilio centum capitum numerus duorum non excedatur. Quodque ibidem et illico facta dictorum sapientum electione modo et forma prescriptis de ipsis centum per dictos commissarios et officiarios eligerentur et numerarentur publice et generali uigintiquinque tam de genere quam de aliis popularibus burgensibus dicti loci ita tamen quod non foret de quolibet genere preter unus qui uigintiquinque facerent et constituerent ex tunc in perpetuum credenciam maiorem dicti loci et haberent prouidere super omnibus occurrentibus et agendis dicte comunitatis. Ita tamen quod singulis annis ex dictis uigintiquinque sex detrahi deberent ex dicta credencia et poni in numero et cum aliis centum capitum domorum et loco ipsorum alii sex illarum facultatum auctoritatum et statuum poni et adiungi deberent ex dictis centum capitibus cum aliis remanentibus de numero dictorum uigintiquinque et sic de anno in annum prout hec et quamplurima alia lacius continentur in literis ordinacionis predicte per prelibatum dominum principem super hiis factis datas Pynerolii die quarta mensis nouembris anno nuper lapso Domini MCCCXXVII eius signeto cera rubea impendenti absente sigillo sigillatis per Guidonem Columbi secretarium ipsius signatis. Cumque successiue adueniente dicta octaua die post datam predictarum literarum facta fuerit in dicta ecclesia beate Marie Montiscalerii congregatio seu conuocatio de qua supra et ibidem predicte litere dicti domini nostri principis per dictum Guillielmum Macharii presentibus uenerabili uiro domino Iacobo de Carzonibus decretorum doctore uiceiudice nobili uiro Manfredo Aynardi alias Gilliati uicecastellano dicti loci Montiscalerii ac dicto Napiono de Napionibus cum commissario ad premissa eciam deputato ac in presencia dicti populi ac comunitatis iam dicte seu maioris partis ut dicitur eorumdem et ibidem dicti centum sapientes et consiliarii centum capitum domorum per ipsum Guillielmum Macharii electi et nominati fuerunt et deinde ex eisdem uigintiquinque consiliarii credencie predicte eciam electi et nominati fuerint ibidem et per quamplurimos ex dictis hominibus tam popularibus quam aliis de comunitate predicta omnia et singula per dictum dominum nostrum principem ordinata et in dictis literis suis descripta interueniente eorum iuramento confirmata et approbata fuisse dicuntur ut dicitur contineri lacius et denotatur in quadam scriptura ex libro comunis seu consilii et comunitatis dicti loci extracta et exemplata per Luquinum de Cabureto notarium et ex scribis curie dicti loci data ut ubi legitur in dicta ecclesia beate Marie die nona mensis nouembris anno predicto nuper lapso MCCCCXXVII. Cumque et postremo dicti Napionus de Napionibus et Guillielmus Macharii commissarii iam dicti in crastinum publicacionem ipsarum literarum et ordinacionis prelibati domini nostri principis ut supra facte uidelicet die decima predicti mensis nouembris in et super dictis computis seu uerius ipsorum computorum uisione et carculacione conclusionem quamdam fecerint in loco predicto Montiscalerii presentibus dumtaxat quatuor ex deputatis a partibus predictis ad ipsorum computorum uisionem tenoris qui sequitur in hec uerba.

Sequitur copia carculi et computi qui factus fuit et carculatus per Napionum de Napionibus et Guillielmum Macharii commissarios ad ipsa computa et raciones uidendas de datis et recuperatis per ipsos ueteres consiliarios per quam apparet quod ipsi ueteres consiliarii plus expendiderunt quam receperunt.

Anno Domini millesimo CCCCXXVII die decima mensis nouembris in loco Montiscalerii in domo hospicii Capelli carculate fuerunt parcelle tam recepti quam librati suprascripte per nos Napionum de Napionibus et Guillielmum Macharii notarios et commissarios predictos presentibus et uidentibus Philippo Vagnoni Iohanne Campagnini Cathelano Darmelli et Ruffineto Ponzillioni. Quibus carculatis inclusis tamen parcellis librati in dubium reuocatis que de parcium consensu fuerunt allocate reperte fuerunt parcelle dicti librati excedere quantitatem dicti recepti quas tamen hinc inde comuni ipsarum parcium consensu compensauimus et sic eque ita tamen quod si reperirentur aliqui debitores pro tempore de quo supra fuit computatum quod ipsa debita ad opus ipsius comunitatis excuciantur. In quorum fidem dictam conclusionem scripsi ego Guillielmus Macharii commissarius predictus sub signeto dicti Napioni et mei solito manuali. Actum et datum ut supra. Ita est per me Guillielmum Macharii ita est per me Napionum.

Hic inferius denotantur alia dubia que orta fuerunt per ipsos minutos populares contra ipsos antiquos consiliarios non obstante conclusione computorum superius facta.

Ecce quod premissis omnibus et singulis sic se habentibus gestis et peractis iterum suscitata mota et exorta fuit questionis et controuersie ac rancoris et differenciarum debatique materia et ex post continue uiguit et adhuc uiget inter partes easdem superius mencionatas uidelicet predictos populares minutos dicti loci Montiscalerii seu maiorem partem ipsorum ut dicitur supplicantes et querelantes et eis adherentes ex una parte et predictos ueteres

consiliarios ac etiam consiliarios modernos in quantum *a* eos concernit quoad obseruacionem contentorum in literis sepedictis ordinacionis prememorati domini nostri principis et omnes et singulos alios eis adherentes et adherere uolentes in hac parte ex altera. Inde et super eo uidelicet et hiis que subsequuntur hic per ordinem peticionibus querellis et demandis dictorum popularium replicacionibus responsionibus deffencionibus et aliis etiam propositis et petitis per dictos ueteres consiliarios et alios eis adherere uolentes ut supra primo uidelicet in de pro et super eo quod dicti populares minuti Montiscalerii dicebant et conquerendo asserebant et proponebant quod cum per prefatum illustrissimum principem dominum nostrum Sabaudie ducem de anno nuper lapso die decima mensis maii laudate et approbate et con- *b* firmate fuissent ordinaciones et capitula facte et facta ac ordinate in dicto loco Montiscalerii in generali consilio centum capitum domorum et quamplurimorum aliorum de loco predicto prout et sicut continetur in scriptura magna dictarum ordinacionum seu capitulorum iam dicto anno die XXVIII mensis marcii facta cui sunt annexe litere dicte confirmacionis per prelibatum dominum nostrum ducem facte de quibus iam supra tactum est pariterque precesserint successiue alie litere a prefato domino nostro duce iterata uice confirmatorie dictarum ordinacionum et capitulorum huiusmodi exhibite prelibato domino nostro principi Pedemoncium atque alie litere que dirigebantur super dicta obseruancia domino iudici generali Pedemoncium *c* superius iudici et castellano dicti loci Montiscalerii atque ceteris officiariis dicti domini nostri ducis.

Hic ponuntur litigia que facto fuerunt per populares minutos contra antiquos consiliarios et contra literas tunc domini principis et non obstante alia conclusione computorum.

Ecce quod insurgentibus ut asserunt dicti populares et iactantibus dictis consiliariis ueteribus dicti loci superius mencionatis recusantibus ut asseritur pati dictos ordines et capitula obseruari debere deuentum extitit ad litigium inter ipsos ueteres consiliarios et comunitatem seu populares dicti loci Montiscalerii in curia illustris principis domini no- *d* stri principis Pedemoncium et coram eius uenerabili consilio in cuius quidem litigii perseuerancia licet ut asseritur pro parte dictorum popularium iam foret habitum pro concluso in causa et presentata essent iura et allegaciones parcium sequestratisque iuribus et allegacionibus dicte comunitatis ut dicunt pro parte predicti uenerabilis consilii apud Iordanum secretarium dicti domini principis contra tamen uoluntatem interueniencium tunc pro dicta comunitate seu popularibus et non consenciencium sicut nec eciam super hoc potestatem aliquam habebant ut dicunt dicti populares quod aliqua pronunciacio seu ordinacio fieret nisi de iure prefatus tamen illustris dominus noster princeps peruenit ad dictam suam ordinacionem cum deliberacione dicti eius uenerabilis consilii die quarta mensis nouembris dicti anni de qua supra iam tactum est cum reuerencia tamen ut dicunt dicti populares semotam et deuiam ab ordinibus et capitulis de quibus supra laudatis et approbatis per prelibatum dominum nostrum ducem sine cuius conscientia et expresso mandato dicunt dicti populares non potuisse dictis capitulis et ordinacionibus contraueniri. Que quidem ordinacio domini nostri principis fuit postea lecta in ecclesia sancte Marie loci eiusdem non tamen ut dicunt dicti populares postea seruata disposicione seu tenore ipsius ordinacionis maxime in ea parte ubi tractatur de conuocacione et congregacione populi seu capitum domorum in capitulo qui incipit « Primo quod infra octo dies etc. ibi uidelicet quibus omnibus simul et ad inuicem coadunatis ut etc. » quoniam centum capita domorum non fuerunt ibidem electa nec alia fuerunt seruata seruanda sed fuerunt portata in scriptis secreta electa ante congregacionem ipsam et alia non fuerunt seruata plura de contentis in ipsa ordinacione super quibus dicti populares petebant haberi informacionem. Item dicebant ipsam ordinacionem non fuisse seruatam in alia parte uidelicet in sequenti capitulo qui incipit « Item quod ibidem et illico facta dictorum centum sapientum electione etc. » quia in electione uigintiquinque non fuit seruatus ordo datus in dictis literis ipsius ordinacionis dicebantque et dicunt ipsi de populo minuto ipsam ordinacionem multis respectibus factam fuisse et emanatam contra capitula de quibus supra tactum est nec non contra capitula Montiscalerii propter que sic gesta et peracta dicunt quod remansit dicta comunitas saltem populus minutus male contentus et dampnificatus in immensum si predicta sic ultimo facta stare et permanere deberent eo modo. Item super eo etiam quia per dictos commissarios uidelicet Guillielmum Macharii et Napionum de Napionibus ad uisionem computorum et racionum dicte comunitatis Montiscalerii ordinatos cum certis aliis de eodem loco ad hoc electis de quibus in actis non fuit super ipsis computis et racionibus ut dicunt ipsi populares debito modo conclusum quin ymo necessarium esse dicunt quod dicti computi reuideantur. Ideo petebatur et requirebatur pro parte predictorum de populo minuto dictos computos per dominum commissarium inferius nominatum reuideri debito modo et super ipsis concludi petendo eciam quod pendente dicta requisicione et conclusione dictorum computorum fienda ut supra non molestarentur ipsi de populo minuto nec compellerentur ad solucionem cuiusdam talee ultimate imposite in ipso loco Montiscalerii de qua pendet questio seu debatum sub examine uenerabilis consilii prefati illustris domini principis inter partes ipsas. Item super eo quod dicti de populo minuto dicebant et proponebant quod indebite et iniuste processum extitit per dictum dominum uicecastellanum dicti loci contra certos alios de Montecalerio

de quibus in actis cause uertentis inter ipsas partes mencio fit nullis suadentibus iustis racionibus et causis ad instanciam ut dicitur seu ad instigacionem dictorum consiliariorum ueterum et eis adherencium. Ideo petebant super predictis dicti populares iam dictis inquisitis et eciam exinde condempnatis debite prouideri et iusticiam ministrari. Item super eo quod per dictos populares minutos dicebatur eciam quia per dictos consiliarios ueteres uidentur facte fuisse expense multe ad litigandum contra iam dictam comunitatem et successiue contra illos de populo minuto pro contraueniendo iam dictis ordinacionibus et capitulis confirmatis ut supra per prefatum illustrissimum dominum nostrum ducem propter quod litigium etiam ipsi de comunitate et populo minuto fecerunt et sustinuerunt multas expensas ideo petebatur et requirebatur pro parte dictorum popularium minutorum sibi prouideri debere uidelicet quod dicti de comunitate et populo minuto non tenerentur ad aliquam solucionem dictarum expensarum quinymo petebant instanter et requirebant populares predicti suis et nominibus aliorum omnium de comunitate eis adherencium in hac parte dictos ueteres consiliarios et alios quoscumque eis adherentes cogi et compelli debere ad soluendum et in se supportandum predictas omnes expensas hinc et inde factas cum ut dicebant dicti populares omnes ipse expense facte fuerunt culpa ipsorum ueterum consiliariorum et adhuc dietim fiunt ueniendo per eos contra ordines et capitula de quibus supra laudata et approbata ac confirmata per prelibatum illustrissimum dominum nostrum Sabaudie ducem. Item super eo quod dicti populares asserebant et dicebant quod in ecclesia maiori beate Marie congregacione hominum comunitatis eiusdem seu maioris partis eorum ibidem facta anno nuper lapso dum per commissarios predictos uidelicet per Guillielmum Macharii et Napionum de Napionibus seu per alterum ipsorum nonnulli de Montecalerio quorum nomina hic describuntur primo uidelicet Iohannes Auareni Bartholomeus Topelli Ruffinetus Ponzillioni Anthonius de Cabureto et Anthonius Panicerie ac nonnulli alii quorum tamen nomina tam hic descriptorum quam aliorum pro nunc rectari et uoce exprimi pro meliori tacentur nominarentur legerentur pro essendo de consilio dicti loci inhibitum fuit ore tenus et alta uoce clamatum et dictum atque protestatum parte ipsorum de populo ipsos sic nominatos non debere admitti ad dictum consulatus officium et nichilominus ipsis popularibus inuitis et non consencientibus ac prohibicionibus ac protestacionibus predictis non obstantibus fuerunt ipsi sic prohibiti per dictos commissarios ad dictum consulatus officium admissi positi et inscripti unde petebant et requirebant instanter dicti populares eis super hoc prouideri sic quod a dicto consulatus officio repellerentur prememorati et quod ulterius ad aliquod officium seu beneficium in dicto loco non admittantur ab inde. Item petebatur et requirebatur instantissime pro

a parte dictorum popularium minutorum et eis adherencium ut supra sicut et iugiter ac supplicatorie petitum fuit in discursu litigii inter partes easdem super hiis exinde exorti ac uentilati tam coram uenerabili consilio prelibati domini nostri ducis quam etiam coram uenerabili consilio prefati domini nostri principis pedemoncium predictas ordinaciones capitula et decreta in dicto consilio centum capitum domorum ac per ipsos et alios de comunitate ibidem tunc astantes ut pretactum est factas et facta ac per prelibatum dominum nostrum ducem eisdem ex post ut superius dictum est confirmatas et confirmata eisdem teneri et inuiolabiliter obseruari aliis literis seu ordinacionibus in contrarium ex post factis per prefatum dominum principem et exinde secutis *b* non obstantibus quibuscumque dicentes proponentes et asserentes dicti populares premissa omnia et singula sic fieri debere causis et racionibus superius assignatis dictis et allegatis et aliis multis.

Dictis autem ueteribus consiliariis ac etiam modernis in quantum eos concernit presens negocium potissime quoad obseruacionem literarum ipsius ordinacionis per dictum dominum nostrum principem ut pretactum est facte ex aduerso replicando et se ad premissa opponendo dicentibus uerum esse quod quando dicta capitula seu decreta et ordinaciones iam dicte de quibus supra tangitur per dictum consilium centum capitum et alios qui ibidem interfuerunt facta et ordinata seu facte fuisse dicuntur fuerint facte et facta repente et ex abrupto nulla pre- *c* habita matura seu debita consideracione et deliberacione ipsis eciam ueteribus consiliariis de quorum facto et remocione a suo consulatus officio tunc tractatum fuit ad predicta sic peragenda minime presentibus ymo nec uocatis seu alias in ipsorum iuribus et exceptionibus auditis seu admissis factaque fuerunt ut dicunt ad suggestionem non ueram prelibato domino nostro duci pro parte dictorum popularium super his factam unde subsecuta fuisse dicitur et facta quedam ipsius domini nostri ducis confirmacio dictorum capitulorum quam siquidem confirmacionem et alias literas inde per eum concessas nullathenus concessurum fuisse creditur eundem dominum nostrum ducem si de ueritate negocii debite fuisset informatus ut dicunt dicti ue- *d* teres consiliarii ex quibus dicebant dicti ueteres consiliarii se ipsos immodice fuisse iniuriatos et sine iusta causa a suo huiusmodi regimine consulatus ita repente fuerunt repulsi dicentes eciam quod eandem confirmacionem et literas inde datas dictis popularibus concessit prelibatus dominus noster dux ualituras dumtaxat eius beneplacito durante et non ultra. Item dicebant et proponebant dicti ueteres consiliarii et ceteri eorum sequaces predictam ordinacionem factam fuisse et ad eam processum extitisse per prelibatum dominum nostrum principem de conscientia scitu et uoluntate seu consensu sepedicti domini nostri Sabaudie ducis qui eidem seu eius uenerabili consilio literis suis clausis aut alias nunciasse dicebatur et mandasse quod super

facto et litigio dictorum de Montecalerio faceret et ordinaret prout sibi fiendum uideretur quod et factum fuit ut supra dicentes ulterius quod dicte litere ordinacionis ipsius domini principis et omnia in eis contenta anno nuper preterito die de qua supra tactum est in generali conuocacione capitum domorum et comunitatis loci predicti facta in dicta ecclesia beate Marie Montiscalerii ipsis literis ibidem prius ad omnium astancium plenam intelligenciam per dictos commissarios seu alterum ipsorum lectis et uulgarizatis in presencia domini Iacobi Cauzonis et dicti nobilis Manfredi Aynardi alias Gilliati uicecastellani dicti loci fuerunt per dictos populares et comunitatis homines ibidem tunc astantes seu saltem per maiorem ipsorum partem sponte laudate confirmate et approbate cum promissionibus iureiurando uallatis de ipsarum obseruacione et non contraueniendo ut constare asserunt dicti ueteres consiliarii et ceteri eis adherentes publico instrumento inde per publicum notarium ad conficiendum tunc recepto et sic dicebant et petebant dicti ueteres consiliarii et ceteri eorum consortes ipsas literas et ordinacionem et contenta in eis per totam comunitatem hominesque et singulas personas ipsius loci Montiscalerii tam populares quam alios efficaciter inuiolabiliterque et inconcusse obseruari debuisse et debere et eas obseruandas fore aliis capitulis ordinacionibus et decretis ut supra per dictum consilium centum capitum et alios qui interfuerunt sic repente factis et per prefatum dominum nostrum ducem ad tempus uidelicet durante eius beneplacito dumtaxat confirmatis non obstantibus quibus etiam per predicta decreta et ordinacionem ipsius domini principis de uoluntate ut dicitur et per iussum ipsius domini nostri ducis factam et facta seu edita derogatum extitit ut clarius patet literis ipsius ordinacionis. Item et quoad computos predictos et ipsorum reuisionem ut supra fieri petitam dicebant et dicunt ipsi ueteres consiliarii ipsos computos bene diligenter et mature fuisse tam per dictos Guillielmum et Napionum commissarios huiusmodi quam etiam per Iacobum Machagnani de Pynerolio et Iohannem de Bellacomba castellanum Pynerolii ex commissione eis etiam super hoc facta per dictum dominum nostrum principem seu dictum eius uenerabile consilium aduissatos et carculatos et conclusionem debitam super hiis fuisse factam et appositam per dictos Guillielmum et Napionum etiamque ipsos iterum fuisse per commissarium modernum uidelicet dominum Petrum Carterii bachalarium in legibus et prelibati domini nostri ducis secretarium et procuratorem fiscalem ab eodem domino nostro duce ad hoc missum et deputatum aduisatos et carculatos.

a *Hic narratur quod per dominum Petrum Carterii commissarium circa reuisionem computorum nichil fuit per ipsos ueteres consiliarios doli nec fraudis in ipsis computis commissum.*

Quibus sic per eum reuisis nihil doli uel fraudis in eis seu circa ipsorum redicionem in recepto uidelicet et librato nec alias quouismodo fuisse per dictos ueteres consiliarios racionatores uel massarios admissum seu commissum quod et prout etiam per dictum dominum nostrum principem alias cognitum fuisse legitur et declaratum in dicte sue ordinacionis literis per quas declarauit ipsos ueteres consiliarios in eorum regimine consulatus nullum dolum commisisse et ideo eos nullam penam me-
b reri. Quapropter dicebant et dicunt dicti ueteres consiliarii et alii supra dictis popularibus fuisse foreque super eis perpetuum silencium imponendum et eos ulterius super hoc audiri non debere. Item dicebant dicunt et replicando proponunt quoad ea que superius tacta fuerunt de processibus contra nonnullos de populo minuto et comunitatem dicti loci Montiscalerii per dictum dominum uicecastellanum formatos quod illud nihil ad eosdem ueteres consiliarios spectat nec eos concernit quoniam ipsi processus numquam facti seu formati fuerunt ipsorum facto seu impulsione uel suggestione aliquali et sic dicunt ipsorum processuum annullacionem cassacionemue seu irritacionem aut misterium iusticie super eis ministrande spectare et pertinere
c debere ad prelibatum dominum nostrum principem seu eius uenerabile consilium ad quos dicunt super his haberi debere regressum et recursum et sic super hoc nihil ab eisdem consiliariis ueteribus peti debere. Quo uero ad expensas predictas per dictos populares factas et substentas huiusmodi litigiorum causa et pretextu dicunt ipsi consiliarii ueteres et eciam moderni et eis adherentes quatenus eos concernit quod dicte expense per dictos populares facte fuerunt minus iuste et indebite ueniendo contra dictas ordinaciones literas et decreta dicti domini nostri principis et contra conclusionem computorum ut supra debite factam dicentes hoc ideo ipsos ueteres consiliarios seu alios eis adherentes ad ipsarum expensarum resarcitionem seu refusionem po-
d pularibus iam dictis fiendam minime teneri. Quinymo dicebant a contrario dictos populares minutos tamquam temerarios litigatores et uexatores eisdem ueteribus consiliariis et aliis eis adherentibus ad refuxionem solucionem et restitucionem expensarum per eos a tempore dicte ordinacionis domini principis et litis per eos mote citra teneri et eis si iuris tramite causa decideretur ipsos populares condempnari debere petentes hoc ideo dictas expensas per eos factas propterea et substentas quas ad summam ducentorum florenorum et ultra ascendere asserunt sibi per dictos populares solui reddi restitui et resarciri. Aduersusque omnia replicatum extitit de contrario pro parte popularium predictorum dicencium et fieri petencium ut supra causis et racio-

nibus per ipsos superius tactis dicentes etiam et a
asserentes expensas eorum et per eos factas ascendere ad summam sexcentum florenorum et ultra quos una cum interesse et dampnis per eos inde sustentis et supportatis petebant sibi per dictam eorum partem aduersam solum restitui et resarciri dicentes ita fieri debere causis et racionibus per eos superius tactis. Et quia de et super premissis et ad causam premissorum deuentum fuit inter partes ad litigium causaque pendet adhuc indecisa coram sublimi et uenerabili consilio prelibati illustrissimi principis domini nostri Sabaudie ducis cum eo residente qua siquidem causa pendente indecisa traditoque seu oblato pro parte dictorum popularium prelibato domino nostro duci quodam memoriali capitulatim scripto in quodam catherno seu b
folio papireo per modum tocius facti huiusmodi recitationis ipse dominus noster dux uolens de tocius facti materia premissorum ueridice informari suis patentibus inde datis literis commisit et mandauit iam dicto domino Petro Carteri eius secretario et procuratori fiscali ut ad locum predictum Montiscalerii personaliter accederet et partibus coram eo uocatis informacionem ueridicam premissorum omnium reciperet ipsasque partes si posset ad concordiam reduceret de et super premissis differenciis et debatis quod et etiam eisdem partibus per prelibatum dominum nostrum principem datum fuit in mandatis literis suis patentibus eas amouendo ut ad concordiam mediante tractatu dicti domini Petri condescendere uellent. Tandem igitur premis- c
sis in facto sic se habentibus atque gestis et peractis multisque tractatibus pacis et concordie super hiis interponende factis et habitis inter partes easdem nonnullis hinc inde positis et electis arbitris seu arbitratoribus et mediis tractantibus de concordia eadem qui tamen arbitratores et medii inter se differentes quousque concordes esse non potuerunt. Hinc ita fuit et est quod hac die predicta octaua mensis huius octobri conuocato et congregato in et super palacio comunis dicti loci Montiscalerii consilio generali moderno credencie et centum capitum domorum dicti loci ac etiam dictis ueteribus consiliariis ipsius loci contra quos disceptatur seu maiori parte ipsorum sono campane et preconia uoce ut moris est de mandato tamen et d
in presencia predicti nobilis Manfredi Eynardi alias Gilliati uicecastellani dicti loci. in quo siquidem consilio credencie et centum capitum interfuerunt tam ex ipsis modernis quam ueteribus consiliariis inclusis sindicis dicti loci inferius nominati.

Infra ponuntur nomina sindicorum et ueterum consiliariorum qui peruenerunt ad transactionem et concordiam super differenciis ipsarum parcium.

Primo uidelicet

Iohannes Auareni consindicus et procurator suoque proprio et procuratorio et sindicario nominibus dictorum hominum et comunitatis ac ueterum consiliariorum predictorum ac eciam

Bartholomeus Topelli consindicus eciam dicti loci suoque proprio et sindicario nominibus iam dictis

Philippus Vagnoni
Perinus Plebani
Iordanus de Ducibus
Ruffinus Varo
Ruffinetus Ponzillionus
Abraham de Gorio
Anthonius Panicerie
Anthonius Merlo
Bertetus Recagnoxius
Iacobus Troterius
Anthonius Bauduchus
Petrus Vastalla
Petrus Ferrerius
Bonifacius Ramacius
Ludouicus Cesia
Iacobinus Grassoti
Motonus de Motonibus
Iustus de Monteferrato
Nicolaus Saxus
Iacobinus Canauerius
Iacobus Gatus
Petrus Garagni
Dominicus Cucati
Villiermus Bay
Biazetus Zandela
Iohannes Beczanus
Ludouicus Zayraita
Petrus Raueti
Iorzinus Foranus
Ieorzinus Breon
Martinus Lazagninus
Iacobus Testa
Anthonius Bernerius
Thomas Bonus
Dominus Iohannes Campagninus
Nicolinus Carpacii
Malanus Sartor
Frailinus Paniaglus
Georgius Rampa
Nicolinus Murator
Opecius Caualli
Anthonietus Bouescotri
Iacobus Lardutus
Anthonius Ramacius
Petrus Longus
Iohannes Ocha
Petrus Gobi
Bertinus Menoy
Bartholomeus Barberius
Iacobus Giglonus
Anthonius Merlem
Georgius de Gorio
Paulus de Pisce
Vietus Gregorii
Dominicus Durati

Guilliermus Teragni a
Iacobus Vianexius
Bernardus Bauduchus
Iacobus Scarroni
Anthonius Bezucius
Iacobus Panicerie
Ludouicus Scarroni
Anthonius Dozerii
Nicolaus Darmelli et
Stephanus Dererii.

Hic describuntur nomina procuratorum popularium minutorum.

Et dictis popularibus seu de populo minuto etiam litigantibus inferius nominatis inter quos fuerunt b
nobiles et discreti uiri Manuel de Cechis Victor et Iacobus Marchoaudi Vietus de Guala alias Pisii et Bartholomeus de Breda tamquam procuratores et procuratoribus nominibus nonnullorum absencium popularium predictorum nec non et alii populares inferius nominati suis propriis ac eciam uice et nominibus aliorum popularium absencium consortum suorum huiusmodi litis et litigii.

Infra ponuntur nomina popularium minutorum qui ad transacionem peruenerunt.

Primo uidelicet
Anthonius Candelerii
Iacobus Ferreti c
Iohanninus Corbelinus
Iaquiminus de Pechegnino
Francesquinus de Monteferrato
Iaquiminus Ubialer
Iaquiminus de Pau
Iohanninus Sartor
Thomas Moton
Petrinus Taffangi
Thomas Buninus
Francesquinus Vacuati
Guillielmus Rosseti
Vietus Rauerii
Philippus Galeti
Dominicus Gauoti
Georgius de Autoye d
Dominicus Nouayroti
Iacobus Marestola
Iohanninus Seguti
Bartholomeus de Rule
Michael de Carmaco
Iacobinus de Cauegla
Franciscus Albini
Iohannes Selerii
Christoforus Murator
Iaquiminus Nunbel
Ludouicus Iaquimeti
Henricus Botalli
Iacobus de Ansermo
Bartholomeus Turagni
Henrietus Ruffus
Manfredus Caualia
Anthonius Ramas
Georginus Monterolii
Iordanus Marestola
Iohannes Noueroti
Gilletus Rauerii
Petrus de Santina
Petrus Panialii
Laurencius Cumon
Thomas de Tollem
Georgius Maleti
Francesquinus Viueuoy
Ludouicus de Nono
Bertus Nigri
Bartholomeus Bissacha
Ludouicus Duchus
Perrinus de Ceresolis
Urbanus Fusserii
Michael de Valle
Thomas Margarie
Iacobus Vasta
Anthonius Galleti
Iohanninus Fauerii
Thomas Musin
Andreas Testa
Laurencius Canauerii
Brunus Vacherii
Dominicus Calciati
Guillielmus Laxagni
Remigius Beliardi
Francesquinus de Sobie
Bartholomeus de Stella
Anthonius Viuiani
Remigius Panicerie
Opecius de la Castagna
Iacobus Bissacha
Martinus Piola
Iaquominus Panneellus
Iohannes Marchati
Michael de Laueza
Anthonius Villiati
Iacobus Rauerii
Anthonius Lantermi
Henriotus Chairaita
Petrus Chauzoni
Gilius Menoy
Luquinus Bertholini
Iaquominus Audetus
Iohannes de Musso
Bertinus Veyroli
Anthonius Darameri
Bartholomeus de Leon
Anthonius Foran
Iohannes Barberii
Luquinus Nouerotus
Iustus Alia
Bartholomeus de Homine
Guilliermus Delia
Iohanninus Bonus

Dominus Petrus Rampa
Anthonius Deguem
Geruaxius Seloera
Martinus Bellemon
Bartholomeus Pasquerii
Iohannes Guillielmus de Pechegnino
Michael Mazuchi
Henrietus Gregorii
Blaxius de Altesano
Iacobus de Pechegnino
Bartholomeus Cisterna
Guillielmus Gambon
Bertinus de Triuerio
Martinus Moreta
Odinus Bocza
Gilletus de Cadriaco
Anthonius de Musseto
Ardizonus Brondelli
Nicolaus Bellenion
Iohannes Porcherii et
Anthonius Ferreti.

Ipsis siquidem partibus in presencia dictorum domini uicecastellani et domini Petri Carterii commissarii iamdicti nostrumque Chatelani Darmelli de Montecalerio et Anthonii Baiati de Ponte Belliuicini Bellicensis dioecesis notariorum publicorum more personarum pubblicarum uiceque nominibus et ad opus utriusque parcium predictarum tam presencium quam absencium et suorum heredum et successorum omniumque et singulorum aliorum quorum interest intererit seu interesse poterit quomodolibet nunc uel in futurum omnia uniuersa et singula supra et infrascripta ac in presenti pubblico instrumento comprehensa et contenta stipulancium solempniter et recipiencium ac in presencia testium inferius nominandorum personaliter et propter ea que sequuntur constitutis ad Dei laudem honoremque status prelibatorum dominorum nostrorum ducis Sabaudie et Pedemoncium principis locique huius Montiscalerii ac tocius reipublice pacificacionem et tranquillum statum habendum et tractandum partes ipse ambe suis et consortum adherenciumque suorum nominibus ad tractatum pacis et concordie huiusmodi litium controuersiarum et differenciarum uia amicabili condescendere uolentes insequendo etiam uoluntatem mandata et beneplacitum dominorum nostrorum predictorum in hac parte litis que anfratus et dubios ipsarum futuros euentus euitare cupientes ulterioribus eciam laboribus et expensis parcere annellantes et ne ad grauiora ruant dispendia considerantes etiam quod secundum preceptum dominicum quo unusquisque fidelis catholicus et christianus dominum Deum suum diligere debet ex toto corde suo et ex tota mente sua et proximum suum sicut seipsum ad hanc igitur pacem et concordiam ac transactionem de et super premissis omnibus et singulis debatis controuersiis peticionibus querellis replicacionibus ac differenciis superius recitatis dependentibusque ac emergentibus ex eisdem uniuersis ac loci huius pacificacionem deuenerunt et deueniunt partes ipse amicabili tractatu dicti domini Petri Carterii commissarii iam dicti nonnullorumque aliorum dictarum parcium amicorum comunium uices suas pro bono pacis animosse interponencium super hoc interueniente in hunc seu per hunc modum qui sequitur saluo tamen ante omnia in principioque medio et fine huiusmodi transactionis et contractus ac in omnibus et per omnia beneplacito laudeque consensu et confirmacione seu approbacione prelibatorum dominorum nostrorum Sabaudie ducis et Pedemoncium principis.

In hoc capitulo remittuntur omnes rancores differencie odia que fuerunt et potuerunt esse inter ipsas partes et quod debeat esse amodo in antea bonus amor pax et concordia inter ipsas partes.

Et primo uidelicet transigerunt et conuenerunt partes ipse ambe unanimiter et concorditer amicabili tractatu predicto interueniente et animose et beniuole sibi ad inuicem et uicissim una pars alteri et e contra concesserunt pro bono pacis et concordie uidelicet quod amodo in antea et in perpetuum inter partes ipsas sit esse et uigere debeat bonus et cordialis amor bonaque pax fraternitas et concordia omnibus odio rancore iniuriis melencoliis et maliuolenciis si qui uel que fortassis hactenus exorti seu suscitati aut exorte uel commisse fuerint inter ipsas aut aliquas singulares personas eorum sublatis cessantibusque penitus et remissis hinc et inde. Quodque omnia et singula litigia occaxione premissorum seu alterius ipsorum mota et cause quecumque uertentes et existentes inter ipsas partes easdem tam coram prelibato uenerabili consilio illustrissimi domini nostri ducis quam alibi ubicumque cessent et pro sopitis et terminatis habeantur nec ulterius partes ipse uel altera ipsarum quomodolibet prosequatur in eisdem quinymo habeantur exinde ac si numquam cepte fuissent ac pro cassis et nullius effectus ulterius imputentur et habeantur.

Infra ponitur quod sint capitula infrascripta perpetuo ualitura super bono regimine et statu loci Montiscalerii.

Preterea ut locus ipse Montiscalerii singularesque persone res et bona fructus obuenciones exitus emolumenta et ualores ac prouentus comunitatis et uniuersitatis loci et uille predictorum ex nunc in posterum temporibus pro futuris recte riteque iuste ac bene et consulte eque et racionabiliter regantur et utiliter gubernentur et administrentur ad laudem Dei profectum utilitatem et commodum prelibatorum dominorum nostrorum Sabaudie ducis et Pedemoncium principis et suorum ac tocius uniuersitatis et reipublice loci iam dicti singularumque persona-

rum eiusdem partes ipse ambe simul ut supra dictum est capitulariter congregate in et super palacio dicti comunis consilium tenentes et facientes de et cum consensu et auctoritate dicti domini uicecastellani de et super huiusmodi pacis et concordie tractatu superiusque narratis et recitatis capitula seu ordinaciones et decreta subsequencia perpetuo ualitura et in ipso loco obseruanda pro ipsius loci pacifico regimine et tranquillo statu ipsius et singularum personarum eiusdem inter se unanimiter et concorditer paciscendo et transigendo fecerunt statuerunt et ordinauerunt in modum et formam subque condicionibus seu reseruacionibus et limitacionibus que seriatim inferius describuntur saluis tamen semper in omnibus et per omnia ut supra beneplacito laude et consensu prelibatorum dominorum nostrorum Sabaudie ducis et principis Pedemoncium eius filii et cuiuslibet eorum.

Quod consilium centum capitum domorum quod erat de anno precedenti debeat remanere nisi de uno genere essent ultra duo quo casu debeant ultra dictum numerum remoueri et ultra non debeant esse de ipso consilio de uno genere nisi duo.

Primo de et super regimine consulatus loci predicti transigendo statuerunt et ordinauerunt ut sequitur. Primo quod consilium centum capitum domorum quod erat et regebat de anno Domini millesimo quatercentesimo decimo nono et ex post continue fuit in dicto loco Montiscalerii usque ad tempus immutacionis seu nouacionis de ipso consilio centum capitum facte idest illa capita domorum ex ipsis centum capitibus que adhuc uiuunt et supersunt in humanis firma et in eorum electione dudum de ipsis facta et in eorum regimine dicti consulatus restituantur et remaneant ac pro restitutis ibidem et reintegratis habeantur ex nunc huius transactionis instrumenti serie et uigore. Eo tamen saluo uidelicet quod si et casu quo reperirentur in et de ipsorum consiliariorum centum capitum superuiuencium numero fore tres pluresue de uno genere et cognomine eo casu ille numerus moderetur tollendo ac amouendo unum uel plures ex ipsis numerum duorum excedentibus et ad numerum duorum dumtaxat reducantur ita quod ab inde in posterum in ipso consilio centum capitum poni dimitti seu interesse non debeant preterquam duo ad plus de uno eodem genere et cognomine tam popularium quam aliorum quorumcumque.

Quod consilium centum capitum domorum debeat conuocari et omnes iurare de bene et fideliter nominando et eligendo illos de consilio dictorum centum loco illorum qui sunt defuncti et loco illorum qui detrahentur de ipsis centum capitibus qui eligendi sint ydonei.

Item quod ipsa capita superuiuencia ut supra ex
a ipso consilio centum capitum ex nunc quam cicius comode fieri poterit de et cum consensu et auctoritate dicti domini uicecastellani congregentur et conuocentur simul in et super hoc palacio comunis huius loci Montiscalerii. Quibus ibidem simul et ad inuicem congregatis conuocatis et coadunatis deferatur eis et cuilibet ipsorum debitum iuramentum ipsique et ipsorum quilibet iuramentum prestare debeant et teneantur super euangeliis Dei Sancti in manibus dicti domini uicecastellani seu dicti commissarii uel alterius ex notariis et scribis curie dicti loci Montiscalerii de bene et fideliter nominando eligendo sibique ipsis adiungendo seu aggregando de et ex aliis hominibus loci predicti Montiscalerii seu habitatoribus et commorantibus in loco
b predicto illos et tot quot et qui eis uidebuntur eorum predicto mediante corporali iuramento apti sufficientes et ydonei ad interessendum in dicto consilio centum capitum domorum loco aliorum qui de et ex eodem interesse solent ab humanis defunctorum et eciam loco aliorum de et ex numero superuiuencium per ipsos detrahendorum ut supra qui numerum duorum de uno genere excederent. Quo iuramento sic eisdem et cuilibet eorum delato et per eos suscepto prius prestito possint et ualeant ipsi superuiuentes ex ipsis alios seu alia capita sic ut supra deficiencia usque ad completum numerum ipsorum centum ut supra eligere nominare et sibi ipsis adiungere et aggregare ut pretactum est eos qui uidebuntur eis apti sufficientes
c et ydonei ut iam dictum est et eorum electio ualeat et teneat.

Nota quod capita domorum nullam aliam habent potestatem nisi quam antiquitus habere solebant.

Habeantque exinde dicti centum homines seu centum capita domorum illam eandem potestatem auctoritatem et bayliam in et super regimine consulatus dicti loci quam et qualem hactenus ipsi dum regnabant seu regebant habebant et successiue habuerunt ceteri consiliarii centum capitum domorum qui etiam post ipsos usque nunc rexerunt seu regnauerunt et administrauerunt nihil plus uel minus potestatis super hoc habentes quam alias habuerunt
d tam ipsi quam alii ut supra et quod inferius etiam particulariter describitur eos facere posse.

Quod consilium centum capitum domorum uel maior pars eligere debeat sex homines non suspectos ex ipsis qui sex una cum quatuor eligendis per consilium credencie etiam non suspectis debeant eligere consilium credencie dicti loci seu maior pars ipsorum decem ita tamen quod eligere non debeant de ipso consilio ultra unum de quolibet genere loci predicti et qui consiliarii credencie eligendi tantam habeant potestatem quantam soliti sunt habere.

Item quod ipsa centum capita domorum ipsorum

prius numero completo ut supra seu uerius maior a pars ipsorum ex nunc in antea quam primum uoluerint et eis comode uidebitur possint et ualeant licitumque et liberum sit eisdem seu ipsorum maiori parti dummodo intersint ad hec facienda due partes ipsorum uel ultra nominare et eligere sex homines quos uoluerint et qui uidebuntur eis apti et sufficientes et ydonei nulli uerisimiliter ad hoc faciendum suspecti uidelicet ad nominandum et eligendum consilium credencie dicti loci Montiscalerii qui sex homines sic per dictum consilium centum capitum prius electi et nominati ipsius elecionis et nominacionis uigore una cum aliis quatuor neutri parcium predictarum eciam racionabiliter suspectis eligendis eciam et nominandis ac deputandis per consilium seu consiliarios modernos credencie loci b eiusdem seu eciam per maiorem partem ipsorum possint ualeant debeant ac licitum sit eisdem decem sic prius ut predictum est ad hoc agendum electis nominatis et deputatis nominare eligere constituere et ordinare consilium credencie loci iam dicti pro tempore futuro in officio ipsius credencie consulatus futurum et regnaturum usque ad numerum uidelicet uigintiquatuor personarum dumtaxat ultra numerum dictorum capitum tam popularium quam aliorum de dicto loco Montiscalerii seu habitancium et commorancium in loco predicto. Ita tamen quod in dicto consilio credencie ab inde in antea poni seu interesse non debeant neque possint ultra quam unus de quolibet genere tam nobilium quam burgensium et popularium. Et casu c quo plures uno interessent ponerentur seu reperirentur ullo tempore in eodem consilio repellantur et remoueantur superextantes ultra unum de quolibet genere ut supra et dicta ipsorum decem electio sic prius per eos facta ualeat et teneat modo et forma pretactis. Quorum tamen credendariorum sic ex nunc eligendorum regimen et consulatus officium et administracio incipiant in kalendis proxime futuri mensis ianuarii dumtaxat et non ante sub et cum illa tanta eadem et consimili potestate quam seu quantam et qualem habent habuerunt et habere soliti sunt ceteri consiliarii et credendarii dicti loci qui sunt ibidem de presenti et hactenus fuerunt circa regimen et administrationem dicti loci et alia ipsius comunitatis negocia peragenda. d

Quod per consilium centum capitum domorum annis singulis detrahantur sex de consilio credencie et alii sex loco ipsorum detractorum eligantur per sex de consilio centum capitum domorum et per quatuor de consilio credencie ita quod in ipso consilio credencie numquam debeat esse nisi unus de uno genere.

Item quod dictum consilium centum capitum domorum ipsaue centum capita seu maior pars ipsorum tam presencium quam futurorum ex nunc in posterum singulis annis et in perpetuum in kalendis ianuarii hoc tamen proxime futuro anno prius decurso et elapso possint et ualeant ac eis licitum existat ymo et hoc facere teneantur et debeant uidelicet tollere auferre et detrahere de ipso consilio credencie tam de proximo fiendo et ordinando ut supra quam qui pro tempore fuerint ibidem uidelicet quartam partem ipsius consilii hoc est sex ex eisdem consiliariis credencie predicte qui uidebuntur eisdem detrahendi reliquis tribus partibus seu reliqui decem octo ex ipsis remanentibus pro illo anno in et de dicto consilio credencie. Quibus sex ipsis sic a dicto consilio detractis et sublatis pro illo anno poni et adiungi seu aggregari debeant atque possint loco ipsorum sex sic detractorum una cum aliis decem octo in eodem remanentibus consilio alii sex eligendi et nominandi ex sufficiencioribus in dicto loco existentibus uidelicet per sex probos uiros super hoc eligendos nominandos et deputandos per dictum consilium credencie seu maiorem ipsorum centum capitum domorum partem qui pro tempore fuerint in et de eodem et per alios quatuor etiam eligendos ad hoc et deputandos per dictum consilium credencie seu maiorem ipsius partem quod seu qui pro tempore fuerint in ipsius consulatus regimine et ipsorum electio et nominacio sic fienda ualeat et teneat ita tamen quod numquam in ipso consilio esse ualeat seu remanere poni uel eligi nisi unus dumtaxat de uno genere ut predictum est.

Quod singulis annis debeant eligi per consilium centum capitum domorum sex racionatores et per consilium credencie duo qui uideant et audiant raciones et computa massariorum gabellatorum etc.

Item unanimiter et concorditer transigendo et paciscendo fuit inter et per easdem ambas partes statutum et ordinatum de et cum auctoritate et licencia dicti domini uicecastellani quod amodo in antea singulis annis in perpetuum eligantur et eligi debeant more tempore et loco solitis et talia fieri consuetis in dicto loco Montiscalerii octo racionatores quorum octo sex eligantur nominentur et deputentur eligique debeant atque possint singulis annis per dictum consilium centum capitum domorum superius fieri seu adimpleri ordinatum et arrestatum. Alii uero duo racionatores eligantur et eligi debeant possint et ualeant ut supra loco tempore modo et forma quibus supra per dictum consilium credencie superius eciam fieri ordinatum et arrestatum. Qui quidem racionatores sic eligendi ab inde in posterum singulis annis recipere audire examinare carculare ac debite concludere possint et ualeant ac teneantur computos massariorum gabellatorum et quorumcumque receptorum aliorum et exbursare debencium taleas gabellas exitus obuenciones prouentus et alias quascumque pecunias et pecuniarum summas et quantitates eciam cuiuscumque speciei dicte comunitatis et ad eam spectantes quomodolibet et pertinentes bene legaliter

et probe modoque et forma talia debite fieri ordi- a natis subque stipendiis et salario huiusmodi racionatoribus et cuilibet aliorum racionatorum qui alias ad hec facienda ordinati fuerint dari et solui ac constitui solitis et consuetis.

Quod per consilium credencie dicti loci eligi debeant sindici quorum officium durare debeat tribus mensibus nisi confirmati fuerint per dictum consilium credencie et per consilium centum capitum domorum.

Item transigendo statutum et ordinatum fuit ut supra per partes iam dictas huiusque publici instrumenti serie transigendo ordinant quod amodo in antea annis singulis in perpetuum per dictum b consilium credencie de proximo statuendum et ordinandum ut supra eligantur et eligi statui creari et ordinari debeant duo sindici qui et prout eis uidebuntur creandi et ordinandi sufficientes et ydonei ad opus et utilitatem dicte comunitatis. Que quidem electio fieri debeat singulis annis ut supra in kalendis ianuarii et quorum siquidem sindicorum officium et potestas sindicatus durare debeat atque possit per tres menses dumtaxat a tempore constitucionis ipsorum immediate numerandos et non ultra nisi tamen dicti tales sindici per dictum consilium credencie una eciam cum dicto consilio centum capitum simul et unanimiter ac concorditer in dicto eorum sindicatus officio et ad illud per eos ulterius exercendum ad maius tempus fuerint confirmati aut c per maiorem ipsorum consiliariorum partem. Quibus sindicis constituatur per dictos electores idem consilium predictum salarium aliis sindicis dicti loci solui consuetum et usitatum pro rata temporis officii sui predicti et casu quo ad maius tempus ut supra non fuerint ipsi tales sindici in dicto eorum sindicatus officio confirmati confestim lapsis dictis tribus mensibus eorum sindicatus officii eligi nominari et constitui debeant per dictum consilium credencie quod pro tempore fuerit de singulis tribus mensibus in tres menses alii uero duo sindici sub et cum salario inde dari et solui consueto.

Quod annis singulis eligatur unus uel duo massarii per sex de consilio dictorum centum capitum d et per quatuor de consilio credencie per annum qui debeat exigere recuperare debita et obuenciones dicti comunis.

Item transigendo et paciscendo statuerunt et ordinauerunt ut supra dicte partes de et cum auctoritate qua supra quod amodo in antea singulis annis in perpetuum termino predicto uidelicet in kalendis ianuarii et per dictos sex dicto termino eligendos ut supra per dictum consilium centum capitum domorum et per quatuor etiam ut predictum est eligendos per dictum consilium credencie seu per ipsorum consiliariorum partem maiorem eligatur et eligi debeat per ipsos decem unus uel duo massarii sub salario eisdem massariis uni uel duobus statuendo et ordinando per dictos decem electores eorum. Qui quidem massarius unicus uel duo si duo fuerint teneantur et debeant exigere et recuperare omnes taleas et obuenciones dicte comunitatis per tempus sue massarie librareque et exbursare ex eisdem quod ubi et prout ordinabitur per dictum consilium credencie et per sindicos qui pro tempore fuerint et qui massarius seu massarii si duo fuerint reddere teneantur et debeant singulis annis tempore consueto dicte comunitati bonum et legalem computum de receptis et libratis per eum uel eos tempore sue massarie in manibus uidelicet dictorum racionatorum iuxta formam capituli predicti loci Montiscalerii positi in uolumine capitulorum sub rubrica de racione reddenda per massarios etc.

Quod singulis annis per predictos sex de consilio centum capitum et quatuor de consilio credencie eligi debeant duo aut plures aterminatores seu finium regundores et extimatores comunis per annum.

Item transigendo ordinauerunt etiam dicte partes quod ab inde in antea singulis annis termino predicto per dictos decem ut supra eligendos per dicta duo consilia centum capitum et credencie eligantur et eligi debeant duo pluresue aterminatores seu finium regundores et extimatores comunis predicti qui toto anno durante sui officii predicti aterminare extimare et alia facere teneantur et debeant atque possint et eis licitum existat tam in loco predicto quam in finibus Montiscalerii omnia et singula ea que pro dicto tempore extimanda et aterminanda aut alias fienda fuerint dicto eorum officio incumbencia prout alias hactenus in talibus fieri solet et consueuit sub salario tamen et stipendiis eis soluendis aliis talibus huiusmodi aterminatoribus et extimatoribus solui consuetis.

Quod annis singulis per ipsos decem eligendos tam per credenciam quam per centum capita ut supra debeant eligi omnes alii officiales dicte comunitatis qui eligi consueuerunt.

Item transigendo et paciscendo statuerunt et ordinauerunt ut supra dicte partes nomine tocius dicte comunitatis de et cum auctoritate qua supra quod ab inde in antea singulis annis et in perpetuum termino predicto eligantur eligique possint et debeant per predictos decem eligendos seu nominandos ut supra duo consilia centum capitum et credencie loci iam dicti uidelicet omnes et singuli alii officiales seu officiarii dictarum uille et comunitatis et qui eis necessarii fuerint modis formis condicionibus et sub salariis eisdem talibus officiariis qui hactenus ibidem fuerunt et seruierunt dari statui et solui ac fieri solitis et consuetis per dictos decem ut supra statuendis et ordinandis.

Quod comunitas loci predicti teneatur et debeat soluere dictis popularibus pro expensis per ipsos in litigando substentis florenos CCCL *et ueteribus consiliariis pro eorum expensis similiter florenos* CLXXXV *parui ponderis ita quod nihil ultra petere possint nec ualeant.*

Item super expensis per partes iam dictas sibi solui et resarciri hinc inde postulatis petitis et requisitis ut supra ipsis prius per dictum dominum commissarium huiusmodi concordiam et transactionem tractantem aduisis quia ut ipse retulit hic in presencia partium predictarum et utriusque consilium centum capitum uidelicet et credencie dicti loci uisis supplicacionibus actibus et processibus et carculacione seu uisione et examinacione computorum de quibus supra tactum est omnia et singula litigia iurgia questiones et cause predicte tam agendo quam deffendendo etiam et respectu reddicionis uisionis et reuisionis et examinacionis dictorum computorum per ueteres consiliarios et massarios superius mencionatos redditorum que concernunt totam comunitatem uillamque et uniuersitatem ac singulares personas eiusdem loci Montiscalerii uiceque nominibus et ad opus omnium eorum litigatum extitit et in litigiis ac controuersiis huiusmodi tam in agendo quam in deffendendo bona fide prosecutum et sic unusquisque particeps et consors existere debet tam in honore quam in onere consequendis et supportandis et qui sentit seu sentire cupit et prosequitur lucrum et commodum sentire debet et onus ideo premissis sic ut supra consideratis transigendo et paciscendo ut supra statutum et ordinatum fuit sicque statuitur et ordinatur eciam per predicta duo consilia generalia uidelicet per consilium centum capitum domorum et consilium credencie ibidem simul et ad inuicem congregata uice et nomine tocius uniuersitatis dicti loci et eciam representancia de tamen et cum consensu et auctoritate dicti domini uicecastellani primo uidelicet quod per dictam comunitatem dicti loci Montiscalerii et ipsius massarios rectores et gubernatores dentur soluantur et realiter expediantur dictis popularibus minutis uidelicet illis qui nominantur in eorum supplicacionibus et qui causas huiusmodi nomine aliorum popularium predictorum prosequuti fuerint et qui pro ipsis prosequendis pecunias mutuo susceperunt easque exbursauerunt et qui pro ipsis soluendis creditoribus eorum se erga eosdem creditores obligauerunt uidelicet tercentum et quinquaginta floreni auri parui ponderis seu de moneta currente per patriam ad ipsorum ualorem computatis duodecim grossis monete predicte pro singulo floreno et hoc pro singulis omnibusque expensis dampnis et interesse per dictos populares huiusmodi causarum prosequutorum premissorum occasione uel pretextu solutis sustentis uel supportatis. Saluo tamen et reseruato eisdem causarum prosecutoribus huiusmodi si quidquam plus expenderint seu dampna alia supportauerint in hac causa iure recurrendi et regressum habendi pro satisfactione premissorum pleniori et condigna habenda et consequenda contra et aduersus alios populares minutos eiusdem litis seu litium eorum consortes et qui eis in hoc adheserunt et fauores prestiterunt. Dictis uero ueteribus consiliariis ac eciam modernis dictorum popularium aduersariis et qui causas huiusmodi contra eos tam eciam in agendo quam se et totam comunitatem predictam deffendendo instituerunt et prosecuti fuerunt leguntur soluantur etiam pro omnibus et singulis expensis dampnis et interesse per eos ut supra premissorum pretextu factis solutis et supportatis ac sustentis etiam per dictam comunitatem seu massarios et alios ut supra uidelicet centum et octogintaquinque floreni auri ponderis et ualoris predictorum seu de moneta ut supra et pro premissis pecuniarum quantitatibus dicti populares et pars eorum aduersa predicta remaneant et remanere debeant pro dictis expensis et interesse taciti et contenti a dicta comunitate et nihil plus petere ualeant seu debeant ab eadem de et pro premissis saluis tamen dictis popularibus contra eorum consortes iuribus et aliis quibus supra que pecuniarum summe et quantitates solui et realiter expediri debeant per dictam comunitatem massariumque eiusdem de et super obuencionibus exitibus et emolumentis dicte comunitatis seu de et super taleis iam impositis aut prima talea que imponetur dictis partibus et cuilibet earum id quod supra solui statutum est uidelicet hinc ad festum proxime uenturum natiuitatis beate Iohannis Baptiste omni exceptione seu excusacione quacumque cessante penitus et reiecta ita tamen et taliter quod si fortassis dicta comunitas seu massarius consilium et gubernatores dicte comunitatis qui nunc sunt uel pro tempore fuerint cessauerint seu defecerint in solucionibus predictis infra tempus predictum eisdem partibus faciendum de dictis pecuniarum summis et quantitatibus quod eo casu dicta comunitas seu dicti consiliarii et massarii per quos steterit quominus soluciones predicte interim fiant seu facte fuerint soluant soluereque et in se supportare teneantur seu dictis partibus resarcire dictas pecuniarum summas habere debentibus ut supra et cuilibet eorum pro rata et interesse suis omnes et et singulas expensas omniaque et singula dampna ac interesse quas et que partes ipse aut earum altera ob deffectum dictarum solucionum seu solucionis iam dicte sua bona fide et iuramento suo dixerint et asseruerint se soluisse et supportasse substinuisse aut alias quomodolibet incurrisse lapso termino predicto solucioneque iam dicta non facta.

Quod comunitas Montiscalerii soluere teneatur et debeat ultra premissa salaria instrumentorum et commissarii.

Item transigendo statutum et ordinatum fuit ut

supra quod dicta comunitas seu massarius eiusdem *a* soluere teneatur et debeat ultra premissa uidelicet tam pro redemptione instrumentorum huiusmodi transactionis quam alias ad ordinacionem dicti domini commissarii distribuendos prout et ubi uoluerit et ad eius omnimodam disposicionem et quandocumque hoc duxerit ipse dominus commissarius faciendum uidelicet quinquaginta florenos auri ponderis et ualoris iam dictorum omni exceptione seu contradictione remotis.

Quod per ueteres consiliarios nichil fuit de bonis comunitatis usurpatum nec maliciose gestum et quod occasione ipsorum officii ulterius non debeant molestari nisi reperiantur in aliquo particulariter teneri dicte comunitati. *b*

Item de et super reuisione carculacione et conclusione computorum de quibus supra sepius locutum est quia pro ipsorum computorum anno nuper lapso in manibus dictorum Guillielmi Macharii et Napioni de Napionibus per dictos ueteres consiliarios reddittorum ut pretactum est et per eos carculatorum uisionem seu reuisionem et reexaminacionem in presencia nonnullorum a partibus iam dictis super hoc electorum et deputatorum factis per dictum dominum Petrum Carterii secretarium et commissarium superius nominatum nichil repertum fuit per ipsum commissarium ut retulit hic in parcium predictarum utriusque presencia nec etiam reperiri potuit seu potest per dictos ueteres *c* consiliarios racionatores et massarios contra quos agebatur fraudulenter uel dolose fuisse actum gestum uel commissum in eorum regimine consulatus et officiorum predictorum quod eis possit ascribi ipsosque nil de rebus pecuniis seu aliis bonis dicte comunitatis sibi indebite appropriasse retinuisse uel alias usurpatiue imbursasse licet fortassis in aliquibus seu nonnullis parcellis libratarum per eosdem populares seu deputatos ab eis alias eciam in dubiis reuocatarum ac eciam in conclusione per dictum Guillielmum Macharii et Napionum de Napionibus olim commissarios super dictis computis facta et sepius annotata debite tam iuris quam etiam stili computorum non fuerunt adhibite seu seruate solempnitates quarum tamen solempnitatum defectu *d* in nullo effectualiter lesa seu grauata reperta fuit ipsa comunitas quod saltem in librorum racionum et dictorum computorum uisionem inspectionem et carculacionem apparere seu constare possit et ideo ipsi consiliarii ueteres et alii qui supra nullam exinde penam meruerunt nec inde uenerunt puniendi seu dampnum aliquod exinde pati debent licet fortassis de aliquali negligencia et non obseruacione capitulorum dicti loci Montiscalerii seu aliquorum ex eis redargui possent prout iam alias per dictum dominum nostrum principem declaratum extitit eapropter premissis et aliis quamplurimis iustis considerationibus super hoc habitis et attentis transigendo et paciscendo dictum arrestatum et ordinatum extitit et fuit inter dictas partes atque ordinant arrestant et concorditer paciscuntur partes ipse huius instrumenti serie uidelicet quod amodo in antea nihil amplius et ulterius debeant dicti populares querelare seu aliqui ex eis ad causam dictorum computorum et parcellarum sepius mencionatarum sed remaneant et habeantur ipse parcelle pro ueris bonis et bene solutis non obstante quocumque solempnitatis defectu in eis adhibito eo tamen saluo quod si sint seu adhuc supersint aliqui debitores dicte comunitatis et qui eidem comunitati in aliquo teneri reperiantur tam eciam ex dictis ueteribus consiliariis massariis racionatoribus quam aliis quibuscumque racione et ex causa quibuscumque quod illud soluere restituere teneantur compellanturque et compelli debeant ad illud soluendum et restituendum comunitati predicte omni excusatione cessante.

Quod pro processibus formatis contra populares uel alios debeat supplicari per ipsos a domino de gratia obtinenda.

Super facto uero processuum inquisicionalium contra premencionatos populares seu nonnullos ex eis et alios eorum fautores de quibus supra tactum est fuerunt contente dicte partes ac eciam dicta duo consilia uidelicet centum capitum et credencie et ita fieri contentantur quantum in eis est uidelicet quod aduideantur dicti processus per dictum dominum commissarium et quod si reperiantur aliqui indebite sine iusta causa formati contra dictos populares aut aliquam aliam personam de dicto loco cancellentur et aboleantur de libris curie absque eo quod aliquid soluatur pro cancellaturis ipsorum. Si uero reperiantur aliqui processus formati contra eosdem populares uel quamuis aliam personam ut supra eorum partem fouentem ex aliqua causa que uerosimiliter iusta uideatur et qui probati reperiantur propter quod penam seu bampnum quod soluere deberent fiat supplicacio pro parte dicte comunitatis illustrissimo domino nostro Sabaudie duci seu Pedemoncium principi et requiratur ab eo gracia specialis super ipsis pro eisdem si ubi fuerit necesse.

Quod suprascripta statuta et ordinata debeant in perpetuum obseruari non obstantibus quibuscumque aliis legibus uel statutis in contrarium facientibus.

Statuentes insuper decernentes et transigendo ordinantes partes ipse ambe tam uidelicet ipsi consiliarii moderni quam eciam alii omnes ibidem astantes dicto domino uicecastellano presente ut supra et auctoritate predicta omnia et singula capitula et ordinaciones ac in eis contenta et comprehensa singula singulis debito modo refferendo in omnibus et singulis partibus punctis passibus et capitulis suis tamquam ab ordine representantis uices

decurionum principaliter in loco predicto factis a deliberatis et conclusis ab inde in antea ab omnibusque et singulis personis loci et comunitatis predictorum perpetuo teneri ac inuiolabiliter et inconcusse obseruari et adimpleri debiteque executioni mandari debere ipsaque omnia et singula uoluerunt et uolunt uim et robur decreti seu statuti trunqui et precissi in dicto loco Montiscalerii ab omnibus et singulis ex nunc in perpetuum prorsus seruandi lege quacumque tam ciuili quam canonica statutis decretis consuetudinibus uel aliis ordinacionibus eciam superius narratis et mencionatis in contrarium fortassis facientibus non obstantibus quibus et earum cuilibet et contentis in eisdem specialiter et expresse derogatum et derogatum esse uoluerunt et uolunt ac consenciunt partes ipse ambe b transigentes in ea maxime parte et partibus passibus punctis et capitulis quibus supra capitulatum uel alias in contrarium seu oppositum earum aut eciam preter earum formam continenciam et tenorem statutum et transigendo concordatum et ordinatum fuisse legitur ut supra.

De promissione facta per procuratores parcium hinc et inde de attendendo et obseruando omnia et singula superius ordinata sub obligacione mutua omnium bonorum ipsarum parcium.

Promittentes insuper dicte partes transigentes nobis iam dictis notariis ut supra stipulantibus et recipientibus et quelibet earum sibi ad inuicem c et uicissim una pars alteri et altera alteri suis propriis et aliorum consorcium seu adherencium suorum absencium nominibus et potissime dicti Manuel de Cechis Victor et Iacobus Marcoaudi et Bartholomeus de Cechis et Vietus de Guala alias Pisi ueluti procuratores dumtaxat et procuratoriis nominibus nonnullorum ex popularibus predictis tam eciam presencium quam absencium nominatorum in tribus publicis instrumentis procuratoriorum per ipsos exhibitis receptis publicatis signatis et subscriptis tam per Marchetum de Faciis quam per Ludouicum Zandele de Montecalerio notarios publicos annis et diebus in eis descriptis per ipsarum parcium et cuiuslibet earum presencium ac procuratorum predictorum propria et corporalia d iuramenta ad euangelia Dei sancta corporaliter prestita in manibus nostrum iam dictorum notariorum subque suorum omnium et singulorum et cuiuslibet parcium predictarum obligacione expressa et ypotheca bonorum mobilium et immobilium presencium et futurorum quorumcumque excepto tamen Iohanne Auareni sindico superius nominato qui licet dixerit de predictis se fore contentum iurare tamen recusauit dicens iuramentum habere de contrario prescriptas ac superius recitatas pacem concordiam transactionem capitula ordinaciones et alia omnia et singula supra et infrascripta ac in presenti instrumento contenta et comprehensa ratas gratas firmas et irreuocabiles habere per se et suos heredes et successores quoscumque ex nunc in perpetuum et tenere et inuiolabiliter et inconcusse obseruare adimplere et in nullo contrafacere dicere opponere uel uenire per se uel aliam personam quamcumque submissam uel interpositam aliqua arte causa uel ingenio de iure consuetudine uel de facto nec aliquibus statutis capitulis uel franchisiis in contrarium premissorum fortassis extantibus facientibus uel disponentibus se quolibet in oppositum premissorum iuuare uel eis uti nec alicui contrafacere dicere opponere uel uenire ueluti clam uel palam in aliquo consentire nec auxilium consilium iuuamen uel fauorem cuiquam in contraueniendo seu opponendo uel contrauenire uolendo prebere dareue seu afferre directe uel indirecte modoque aliquo tacito uel expresso quinymo ipsarum parcium quelibet tractare uel procurare suo posse quod ceteri eorum consortes seu adherentes pro nunc absentes ipsas transactionem pacem concordiam capitula et ordinaciones suprascriptas et omnia et singula in hoc instrumento publico contenta descripta et comprehensa ratas firmas ualidas et irreuocabiles habebunt tenebunt et inuiolabiliter et inconcusse obseruabunt et in nullo contrafacient dicent uel opponent quouis modo.

Renunciaciones generales facte per ipsas partes hinc et inde sub modis et cautellis opportunis.

Renunciantes insuper dicte partes contrahentes et transigentes scienter et sponte in hoc facto sub uinculo iuramentorum promissionum et obligacionum suarum predictarum exceptioni dictarum transactionis pacis concordie et ordinacionis ac capitulorum ut supra non factorum omniumque ac singulorum premissorum ac suprascriptorum dictorum et recitatorum non sic seu non ita bene recte riteque iuste et legitime factorum dictorum promissorum ac iuratorum ac ea tenere et obseruare non promissorum per easdem partes omni actioni et exceptioni doli mali uis metus erroris et in factum actioni condictioni indebiti et sine causa ob causam iustam causa non secuta uel ex iniusta causa omni cauillacioni et deceptioni errorique carculi et ne dici seu allegari possit per alteram parcium predictarum et e contra plus uel minus seu aliter dictum fuisse quam hic scriptum seu scriptum quam dictum iuri dicenti seu disponenti de re certa uel non dubia transigi non posse iuri dicenti factum alterius promitti non posse et factum alienum promittendo neminem efficaciter ad illud obligari posse omnibus aliis iuribus et iurium tam ciuilium quam canonicorum exceptionibus priuilegiis statutis franchisiis et aliis quibuscumque in contrarium facientibus et quibus tam de iure quam de facto statuto uel consuetudine aut alias quouismodo contra et aduersus premissa aut ipsorum aliqua partes ipse uel earum altera se quomodolibet iuuare posset aut in aliquo tueri uel deffendere iurique eciam dicenti confessionem extra iudicium seu non coram suo iudice competenti factam et genera-

lem renunciacionem nisi precesserit specialis minime a
ualituras. Volentes et consencientes dicte partes ambe transigentes et quelibet earum quod sub hac premissa generali renunciacione et facta fuisse ac fieri dicatur et intelligatur quelibet alia renunciacio specialis ad hec necessaria et que huic transactioni et aliorum premissorum contractui et instrumento adaptari posset et competere ac si de ipsa seu de ipsis renunciacionibus specialis et expressa mencio facta foret hic de ea uel eisdem et quam seu quas hic pro specialiter expressis seu uerius comprehensis haberi et intelligi uoluerunt et uolunt partes ipse et quelibet earum. De quibus omnibus et singulis premissis dicte partes ambe et quelibet earum uoluerunt preceperunt et rogauerunt sibi per nos iam dictos Cathellanum Darmelli et An- b
thonium Baiacti notarios publicos superius nominatos unum duoue seu plura fieri et confici publica instrumenta unius et eiusdem tenoris et substancie dictanda corrigenda et emendanda si opus fuerit semel uel pluries ipsius domini Petri Carterii commissarii premissa tractantis aut etiam alterius periti dictamine facti tamen premissorum uera substancia nullathenus mutatis seu uariatis in aliquo quod seu que instrumenta eisdem per nos fienda concessa fuerunt ut supra. Hec autem premissa omnia acta dicta gesta transacta et recitata fuerunt in effectu et uera substancia prout supra scripta sunt apud Montemcalerium in et super domo seu palacio communis dicti loci in et super quo partibus iura reddi solita sunt et in quo consilium et congregacio ho- c
minum dicte uniuersitatis fieri teneri et conuocari consuetum est anno et indicione presentibus dieque predicta octaua mensis huius octobris superius descriptis. Presentibus ad hec reuerendo in Christo patre uenerabilibusque et religiosis uiris fratre Iohanne Bergognionis de Tarascona sacrosancte theologie doctore ordinis Predicatorum et de prouincia Prouincie fratre Iohanne Passeronis eiusdem ordinis et prouincie iamdicte ipsius reuerendi patris socio nobilibusque uiris Iohanne Ferrandi de Secuxia Manuelle Vagnoni ex dominis Truffarelli Iohanne Ludouico ex dominis Ploxaschi et Symeone de Symeonis de Barbis de Cherio pro testibus ad premissa uocatis specialiter et rogatis nec non eciam presentibus tractantibus et audientibus dictis nobili d
Manfredo Aynardi alias Giliati uicecastellano dicti loci predicta sic fieri auctorizante et domino Petro Carterii prelibati illustrissimi domini nostri ducis secretario et commissario ad predictam concordiam tractandam commisso et eam sic fieri et concludi tractante prout supra.

Subscriptio Cathelani Darmeli unius ex notariis qui de dicta transactione instrumentum recepit.

Et me Cathelano Darmelli predicto de Montecalerio Taurinensis diocesis auctoritate imperiali notario publico qui premissis omnibus et singulis una cum Anthonio Bayati notario subscripto testibusque superius nominatis dum sic ut premittitur agerentur et fierent presens personaliter interfui et de ipsis a partibus predictis rogatus una cum dicto Anthonio Baiacti hoc publicum instrumentum recepi et ipso per dictum Anthonium ad opus parcium predictarum cuiuslibet prius leuato grossato et in hanc publicam formam redacto in quatuor pellibus pergamineis superius simul consutis signum mei tabellionatus officii in principio cuiuslibet iuncturarum predictarum et hic in fine huius ultime carte ante subscriptionem dicti Anthonii apposui manuque mea propria hic me subscripsi fideliter in testimonium ueritatis premissorum.

Subscriptio Anthonii Baiacti alterius ex notariis qui eciam de dicta transactione instrumentum recepit.

Ego autem predictus Anthonius Baiacti de Ponte Belliuicini imperialis ac prelibati domini nostri Sabaudie ducis notarius publicus premissis omnibus et singulis dum sic ut premittitur agerentur fierent et recitarentur presens personaliter interfui presensque publicum instrumentum una cum dicto Cathelano Darmelli notario uocatus eciam et rogatus recepi quod manu mea propria scripsi grossaui et in hanc publicam formam in hiis quatuor pellibus pergamineis supra simul iunctis redegi ad opus parcium utriusque signoque mei tabellionatus officii quo utor superius in fine cuiuslibet iuncture et hic signaui manuque mea propria una cum signo et subscripcione dicti Cathelani Darmelli hic me subscripsi ad maiorem roboris firmitatem premissorum.

Copia litere confirmacionis dicte transactionis statutorum et suprascriptorum illustrissimi domini nostri Ludouici de Sabaudia principis Pedemoncium. Infra sequitur.

Ludouicus de Sabaudia princeps Pedemoncium primogenitus locumtenensque generalis illustrissimi domini genitoris mei Amedei ducis Sabaudie Chablaysii et Auguste principis marchionis in Ytalia comitis Pedemoncium et Gebennesii Valentinensisque et Dyensis. Uniuersis serie presencium fiat manifestum quod nos uiso instrumento transactionis presentibus annexo tractatu dilecti fidelis domini Petri Carterii secretarii ac commissarii ad hec specialiter deputati inter consiliarios credendarios et totam comunitatem Montiscalerii pridem inhite modis et formis in eodem instrumento descriptis supplicacioni ipsorum transigencium super hiis nobis facte fauore beniuolo inclinati precipue cum sicut fide digna relacione percepimus ipsi transigentes ab ipsa transactione citra sublatis prestinis desideriis concordie amenitate potiti fuere. Idcirco ex nostra certa scientia ipsam transactionem et transacta in eadem citra semper ipsius domini mei ducis atque nostri preiudicium quantum sua nostraque interesse potest laudamus et confirmamus eo saluo

quod super articulo in ipsa transactione inserto incipiente. « Item transigendo et paciscendo statuerunt et ordinauerunt etc. » mencionem faciente de electione omnium et singulorum officialium dicte comunitatis quem si quidem articulum declaramus habere locum quantum ad officiales qui eligi poterant per ipsam comunitatem seu deputatos ab ipsa tempore dicte transactionis et ante secundum formam suarum franchisiarum per dictum dominum meum ipsiusque inclite recordie predecessores hactenus concessarum pariter et confirmatarum et ita quod ipse articulus ad electionem officiariorum quos constituere consueuimus nequaquam se extendat. Mandantes propterea consilio citra montes residenti nec non iudici et castellano Montiscalerii ac ceteris officiariis ipsius domini mei et nostris presentibus et futuris ipsorumque locatenentibus et cuilibet eorumdem quatenus huiusmodi nostras et annexas literas eisdem transigentibus et locatenentibus eorumdem secundum earum formam protinus obseruent illesas et in nullo contrafaciant quomodolibet uel opponant quin ymo ipsos transigentes et eorum successores secundum limitacionem premissam dicta transactione et contentis in ea uti et gaudere faciant et permittant quibuscumque friuolis opposicionibus reiectis et non obstantibus nulloque alio a nobis super hoc expectato mandato. Que premissa eisdem transigentibus sic concessimus pro et mediantibus quinquaginta ducatis auri per nos propterea ab eisdem habitis manibus dilecti fidelis Bartholomei Chabodi thesaurarii Sabaudie generalis qui de eis legitime tenebitur computare. Datum Thaurini die uigesima septembris anno Domini millesimo quatercentesimo trigesimo quarto.

Per dominum principem presentibus dominis
Iohanne domino Bellifortis cancellario
H. bastardo de Sabaudia
M. ex marchionibus Saluciarum mareschallo Sabaudie
Ludouico bastardo Achaye
Iohanne domino Bariaci
Iacobo domino Montismaioris
Lancelotto domino Luyriaci
Amedeo de Chalant
Nicodo de Mentone
Petro Marcandi presidenti
Iohanne de Compesio
Rodulpho domino Coudree
Petro de Grolea militibus
Guillielmo Rigaudi magistro hospicii et
Guillielmo Bolomerii.

Reddantur litere portitori
Fabri.

Quos quinquaginta ducatos auri habui
Bartholomeus Chabodi.

Tenor instrumenti transactionis comunitatis Thaurini et comunitatis Montiscalerii.

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto indictione tresdecima die lune uigesima nona

a mensis octobris actum in finibus Caburreti de subtus Caburretum in campis. Interfuerunt testes uocati et rogati dominus Paganus de Subinaco iudex ciuitatis Thaurini dominus Iohannes de Lanardo iudex loci Montiscalerii dominus Vricus de Ripalta castellanus dicti loci dominus Franciscus de Brenicio dominus Valfredus de Ruuigliasco hiis presentibus de predictis precepta sunt fieri plura publica instrumenta eiusdem tenoris mihi Matheo Lanfrancho notario et Fredericho Lurie notario de Thaurino. Cum quamplurime questiones uerterentur et uerti sperarentur inter Petrum Barachum ciuem Thaurini sindicum ciuitatis et uniuersitatis Thaurini pro dicta uniuersitate et pro quibusdam singularibus personis de dicta uniuersitate pro quibus nomine

b dicte uniuersitatis constituit facturum et curaturum pro dicta uniuersitate quod predicte singulares persone attendent et obseruabunt quidquid dictum pronunciatum fuerit super questionibus infrascriptis per infrascriptos arbitratores ex una parte et Guillielmum Longum de Montecalerio sindicum uniuersitatis Montiscalerii pro dicta uniuersitate et pro quibusdam singularibus personis de dicta uniuersitate constituit se facturum et curaturum pro dicta uniuersitate quod predicte singulares persone attendent et obseruabunt quidquid dictum uel pronunciatum fuerit super questionibus infrascriptis per infrascriptos arbitratores ex alia que questiones tales erant. Petebat namque dictus sindicus Petrus Barachus nomine uniuersitatis Thaurini et dicebat

c quod fines Droxii ultra Padum uiuum debebant esse uniuersitatis Thaurini et de finibus dicte uniuersitatis et quod predicti fines ultra Padum uiuum durabant et se extendebant usque ad pontem Montiscalerii edificatum supra Padum uiuum et usque ad riuum Gambererium et quod dicta uniuersitas Montiscalerii impediebat quod mercandie non ducerentur per fines Moutiscalerii et per predictos fines apud Thaurinum et quod illi de Montecalerio qui habent possessiones aliquas in finibus Droxii ultra pontem Montiscalerii quantum de ipsis possessionibus et de goldiis et fructibus exeuntibus de dictis possessionibus quantum ad taleas et fodra et camperiam et omnia alia que continentur in iurisdictione mixto et mero imperio subesse debe-

d bant iurisdictioni uniuersitatis Thaurini et quod quedam quamplurime persone uniuersitatis Thaurini asserebant quod quedam persone de uniuersitate Montiscalerii ceperant de possessionibus ipsarum in finibus Droxii et alie quamplurime questiones. Et contrario dicebat dominus Guillielmus Longus sindicus uniuersitatis Montiscalerii nomine ipsius uniuersitatis et nomine quarumdem singularium personarum de dicta uniuersitate predicta narrata per sindicum Thaurini uera non esse et eciam plus asserebat quod fines Droxii existentes ultra Padum uiuum durabant usque ad Sangonum parte Thaurini et quod predictos fines possederat longo et longissimo tempore et eciam tanto tempore quod non extat memoria et quod ipsi fines erant uni-

uersitatis Montiscalerii et alie quamplures questiones. Tandem dicti sindici nominibus supradictis uolentes de predictis ad concordiam peruenire compromiserunt se se ad inuicem in nobilem uirum dominum Iblonem uicecomitem uallis Auste et uicarium Pedemontis et in dominos Iohannem Pogium Bertholonum Malamenam ciues Thaurini Nicholinum Duchum Petrum Castagnum burgenses Montiscalerii tamquam in comunes amicos arbitratores seu amicabiles compositores tali modo quod supradicti arbitratores omnes in concordia uel maior pars ipsorum super supradictis questionibus uel super qualibet ipsarum uel super aliis questionibus que sunt uel esse possent qualibet de causa inter supradictas partes dictis nominibus possent ad eorum liberam uoluntatem iuris ordine seruato uel non seruato in scriptis uel sine scriptis citatis partibus uel non citatis presente una et altera absente uel ambabus absentibus et quocumque loco dicere diffinire arbitrari ac eciam die feriata uel non feriata laudare semel et pluries dictum eorum corrigere siue dicta emendare et interpretari prout eis uidebitur faciendum. Promittentes supradicti sindici eorum nomine et nomine dictarum uniuersitatum et sub pena librarum centum Viannensium et sub obligacione bonorum dictarum uniuersitatum stipulata pena et promissa a parte parti solempni stipulacione interueniente attendere et obseruare quidquid dictum arbitratum et ordinatum fuerit semel et pluries prout superius est notatum per supradictos arbitratores uel per maiorem partem ipsorum. Que pena tocies committatur quocies contrafactum esset per aliquam parcium rato semper manente pacto et pronunciato et pena commissa semel et pluries petita uel non petita exacta uel non exacta remaneat semper ut supra. Que pena uel pene commissa uel commisse sit medietas partis obseruantis et alia comitis de Sabaudia qui pro temporibus esset etc. Eodem anno indicione et die presentibus dictis testibus. Cum quamplurime questiones uerterentur uel uerti sperarentur inter Petrum Barachum ciuem Thaurini sindicum uniuersitatis Thaurini nomine ipsius uniuersitatis Thaurini ex una parte et Guilliermum Lungum de Montecalerio sindicum uniuersitatis Montiscalerii nomine ipsius uniuersitatis Montiscalerii ex alia de quibus sindicatibus constat per pubblica instrumenta facta per Fredericum Luriam notarium scilicet instrumentum sindicatus Petri Barachi anno currente millesimo MCCLXXXV die iouis XIX mensis aprilis indictione XIII. instrumentum Guillielmi Lungi dicti factum fuit per Matheum Piperarium notarium MCCLXXXV die XVI mensis iulii indictione XIII que questiones tales erant. Petebat namque dictus sindicus Thaurini et asserebat nomine dicte uniuersitatis Thaurini quod fines Droxii erant et esse debebant in finibus et de finibus dicte uniuersitatis quos fines dicebat dictus sindicus predicto nomine durare debere et se extendere usque ad pontem Montiscalerii citra Padum usque ad aquam que uocatur Sangonum et usque ad riuum
a Gambererium. Et contrario dicebat dictus sindicus Montiscalerii nomine ipsius uniuersitatis predicta uera non esse ymo dicebat asserebat predicto nomine fines Droxii esse de finibus Montiscalerii tam citra Sangonum quam ultra et longo tempore et longissimo tempore possedisse et alie quamplures questiones tam occaxione finium dictarum quam aliarum occaxione de quibus omnibus superius nominatis et de aliis que predicta occasione uel occasionibus aliquibus aliis sunt uel esse possent inter predictas partes compromiserunt se se ad inuicem in nobilem uirum D. Iblonem uicecomitem uallis Auguste et uicarium Pedemontis et in nobilem dominum Iohannem Pogium iurisperitum Bertolonum Malamenam ciues Thaurini et dominum Nicholinum
b Duchum iurisperitum Petrum Castagnum de Montecalerio tamquam in arbitros et arbitratores et amicabiles compositores de quorum compromisso constat per pubblica instrumenta facta eodem die per Fredericum Luriam notarium curie Thaurini et per Matheum Lanfranchum notarium de Montecalerio qui predicti arbitratores existentes omnes in concordia una uel maior pars ipsorum presentes. Visis et auditis et intellectis racionibus deffensionibus probacionibus allegacionibus utriusque partis et habita super hiis diligenter examinacione et tractatu habito consilio proborum uirorum in hac parte consultorum uolentes predictas questiones de plano sine strepitu iudiciario sopire et determinare pro bono pacis concordie ne de cetero occaxionibus
c predictis possit inter dictas partes contencio aliqua exoriri dixerunt et pronunciauerunt et arbitrati fuerunt. In primis quod fines predicti Droxii sint et esse debeant de finibus uniuersitatis Thaurini usque in medium aque Sangoni sicut aqua labitur et descendit in Padum uiuum ex parte Thaurini. Ultra uero medietatem dicte aque dicti Sangoni ex parte illorum de Montecalerio sint et esse debeant predicti fines Droxi uniuersitatis Montiscalerii ex parte sua. Item quod de possessionibus omnibus quas habent illi de Montecalerio infra fines uniuersitatis Thaurini debeant et teneantur soluere et soluant taleas et fodra in Montecalerio eodem modo illi de Thaurino de possessionibus quas habent in finibus Montiscalerii in Thaurino et non in Monte-
d calerio. Et si contingeret quod sindicus uniuersitatis Thaurini nomine dicte uniuersitatis requirere uellet uniuersitatem Montiscalerii quod ipsa uniuersitas cederet iura que habet uel habere posset in possessionibus illorum de Thaurino sitis in territorio Montiscalerii occaxione alicuius talee uel fodri teneatur illud facere eodem modo uniuersitas Thaurini facere si requisita fuerit per uniuersitatem Montiscalerii saluis possessionibus omnibus de quibus hactenus solui consuetum est in Thaurino et in Montecalerio. Item quod illi de Montecalerio qui habent possessiones aliquas infra fines ciuitatis Taurini possint si uoluerint ponere unum custodem uel plures qui custodiant possessiones de Montecalerio qui iurent in manibus iudicis Taurini accu-

sare bona fide et accusaciones facere in Taurino *a*
et illud idem facere possint illi de Taurino qui ha-
bent possessiones aliquas in finibus Montiscalerii
saluis campariis generalibus. Item quod si alique
persone de Taurino uel uniuersitatis Taurini uo-
luerint dicere quod habent aliquod ius in posses-
sionibus quas habent illi de Montecalerio in finibus
qui dicuntur Droxii ex parte Taurini usque Sango-
num debeant dominus Ruffinus Borgessius et domi-
nus Nicholinus Duchus de Montecalerio audire et
diffinire sine data et aliquo strepitu iudicario de
plano et dictum officium durare debeat usque ad
unum annum et si concordare non possent uel
nollent predicta referantur uicario Pedemontis qui
pro temporibus esset qui predicta diffiniat uel aliis
diffiniendo committat. Et si infra dictum annum illi *b*
de Taurino uel uniuersitas de Taurino non moue-
rit questionem et negligentes fuerint in non pe-
tendo eorum iure si quod putant habere in posses-
sionibus quas tenent illi de Montecalerio in finibus
Droxii usque Sangonum ex parte Taurini ultra pre-
dictum tempus non possint aliquas questiones mo-
uere illis de Montecalerio usque ad quinquennium
quod quinquennium incipiat demum et elapso pre-
dicto anno et exinde non obstantibus aliquibus or-
dinamentis uniuersitatis Taurini ius comune serue-
tur. Item quod illi de Montecalerio possint ad eo-
rum liberam uoluntatem omnes fructus et goldias
quos uel quas habuerint in possessionibus suis exi-
stentibus in finibus Taurini ducere et portare apud
Montemcalerium sine impedimento et contradicione *c*
uniuersitatis Taurini et illud idem possint facere
illi de Taurino de fructibus et goldiis quos et quas
habuerint in eorum possessionibus sitis in finibus
Montiscalerii. Item quod illi de Montecalerio pos-
sint in finibus ex parte Taurini ultra aquam San-
goni in finibus Droxii pasturare tantum cum bestiis
quas ducerent ad campum causa laborandi et in
eorum propriis possessionibus ad eorum liberam
uoluntatem cum quibuscumque bestiis sine dampno
aliquo. et si portarent fimum uel ducerent bladum
uel fenum possint ibidem ubique sine dampno pa-
sturare et illud idem possint facere illi de Taurino
in finibus Montiscalerii ultra aquam Sangoni. Item
quod licitum sit cuilibet persone que uelit ducere
mercandiam aliquam per fines Montiscalerii extra
Montemcalerium scilicet terram muratam apud Tau-
rinum possint eam ducere et portare sine impedi-
mento uniuersitatis Montiscalerii soluendo pedagia
consueta. Item quod omnes persone que ducere uo-
luerint et portare mercandiam aliquam apud Mon-
temcalerium per fines ciuitatis Taurini extra terram
muratam possint facere sine impedimento uniuer-
sitatis Taurini et quod illi de Montecalerio possint
ad eorum liberam uoluntatem ducere et portare
mercandiam per fines ciuitatis Taurini soluendo
pedagia consueta extra ciuitatem muratam sine im-
pedimento dicte uniuersitatis et illud idem possint
facere illi de Taurino per fines Montiscalerii. Item
quod uniuersitas et quilibet de Taurino possit siue
possint capere pedagium ultramontanum in omni-
bus locis et ubique in quibus hactenus capere con-
sueuerunt non obstantibus supra pronunciatis. Item
quod illi de Montecalerio de possessionibus quas
habent in finibus Taurini soluant campariis Taurini
tantum quantum soluunt illi de Taurino et non
plus et illi de Taurino campariis de Montecalerio
de possessionibus quas habent in finibus Montisca-
lerii. Predicta omnia pronunciauerunt et arbitrati
fuerunt arbitratores predicti saluo omnium iure
dominorum si quod habent in predictis.

FINIS STATVTORVM MONTISCALERII.

INDEX PRIMVS

PRIVILEGIA ET SINGVLARVM LEGVM MVNICIPALIVM CAPITA

INDEX PRIMVS

PRIVILEGIA ET SINGVLARVM LEGVM MVNICIPALIVM CAPITA

STATVTA AC PRIVILEGIA

CIVITATIS SECVSIAE

STATVTA ET PRIVILEGIA

CIVITATI AVGVSTAE PRAETORIAE

STATVTA ET PRIVILEGIA

I.

STATVTA REGIS ROBERTI.

STATVTA

CONSVLATVS IANVENSIS

IMPOSICIO

STATUTA ET PRIVILEGIA

CIVITATIS TAVRINENSIS

XIV.

XV.

XVI.

XVII.

XVIII.

XIX.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXIV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

XXX.

XLVIII.

XLIX.

L.

LI.

Capitula super bonis forensibus facta.

Et primo.

Sequuntur capitula super bonis forensibus facta.

Vide supra (pag. 643) *in rubrica de officio vicarii, et iudicis rubricas super bonis forensibus tangentia vicarium, et iudicem.*

Sequuntur capitula super maleficiis, rixiis, caviglanciis facta.

STATVTA

SOCIETATIS BEATI GEORGII

POPVLI CHERIENSIS

Titulus Consiliorum

Titulus intrantium societatem

Titulus de iniuriis et percussionibus.

Prologus capitulorum de parentella societatis 778

STATVTA

COMMVNIS CASALIS

Liber secundus de maleficiis.

Incipit liber tertius.

Liber quintus.

De extra ordinem.

STATVTA

CIVITATIS EPOREDIAE

Explicit liber primus.

Incipit liber secundus.

Explicit liber secundus.

Incipit tertius.

Explicit liber tertius.

Incipit liber quartus.

Explicit liber quartus.

Incipit liber quintus.

Explicit liber quintus.

Incipit sextus.

STATVTA

CIVITATIS MONTISCALERII

Infrascripta sunt quedam alia ordinamenta facta per infrascriptos XII *sapientes ad hoc per consilium Montiscalerii electos die* XIII *mensis aprilis.*

Capitula pro apascamento.

Ordinacio facta contra illos de Vignolis et de Merlengis.

Ordinamenta massariorum comunis.

Capitula contra clavarios, scribas et gabellatores.

INDEX SECVNDVS

RERVM ET VERBORVM

INDEX SECVNDVS

RERVM ET VERBORVM

A

B

C

222

D

E

F

G

H

I

L

M

N

Q

R

S

T

V

Y

Z

V. Imprimatur:
Caesar Salutius Praeses.

V. A. M. Di Portula
Pel primo Segretario di Stato per l'Interno.

